Google

2-E4 vol V

Digitized by Google

HONORATI

TOURNELY

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS
Doctoris, Socii Sorbonici Regii & emeriti Profeſſoris,
Sacroſanctæ Capellæ Regii Palatii Pariſienſis Canonici.

CURSUS THEOLOGICUS

SCHOLASTICO-DOGMATICO-
MORALIS,
SIVE

PRÆLECTIONUM THEOLOGICARUM,

Quas Auctor in Scholis Sorbonicis habuit,

TOMUS QUINTUS,
CONTINENS TRACTATUS

De Angelis, De Opere ſex Dierum, cui acceſſit Appendix inſtar Supplementi ad Loca Theologica.
De Actibus humanis. De Virtute Religionis. De Beneficiis & Simonia.


Editio poſt Pariſienſem & Venetam, in Germania Prima.



COLONIÆ AGRIPPINÆ.

Sumpt. VIDUÆ WILH. METTERNICH & FILII, Bibliop.
Sub Signo Gryphi, Anno M.DCC.XXXVII.

Cum Privilegio Sacræ Caſ. Majeſt. Speciali, & Permiſſu Superiorum.



EMINENTISSIMO

D. D. ANDREÆ HERCULI

S. R. E. CARDINALI

DE FLEURY

REGNI ADMINISTRO,

Sereniſſimæ Galliarum Reginæ magno Eleemoſynario, Sorbonæ Proviſori, & Regiæ Navarræ Superiori.

IUSSA exequor, EMINENTISSIME CARDINALIS: *Opus imperio tuo, (cui obtemperare religio mihi ſemper fuit) conceptum, non alio quàm tuo nomine, nec aliis auſpiciis nobilitatum ac munitum in lucem poteſt. Quem alium enim patronum ambiret opus Clericis inſtituendis & ad Gradus Theologicos præformandis unicè deſtinatum, quàm Cleri Gallicani Præſidem, Religionis, doctrinæ purioris, ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ vindicem & aſſertorem acerrimum? Cui Mecœnati potius ac meliùs ſuas lucubrationes, qualeſcunque ſint, dicare Scriptor Sorbonicus debet, quàm huic benefico Præſuli, qui accepto nuper pro ſuo erga nos amore ſingulari, Sorbonæ noſtræ Proviſoris officio, novo adhuc titulo Sorbonicum tutelare numen ac præſidium noſtrum effectus eſt? Ex Regni Adminiſtris fuerat profectò nemo, qui magis & pro humanitate vellet, & pro ſua authoritate poſſet Opus iſtud noſtrum tueri ac promovere.*

Accedit inſuper, quòd nihil tibi magis cordi ſit, & antiquius nihil, EMINENTISSIME CARDINALIS, *quàm ad bonas artes, & rerum divinarum ſcientiam inſtitutio Clericorum, quos Concilium tuum Forojulienſe (acceptum profectò auribus tuis nomen)* ſanctæ Eccleſiæ angelicum ordinem appellat.

Noſti, EMINENTISSIME CARDINALIS, *ac factis quotidie comprobas, miniſterii tui ac gloriæ præcipuam hanc eſſe partem, iis invigilare attentiùs, quibus tota ſtat Religionis majeſtas, Principis gloria, tranquillitas Regni, ac felicitas populorum. Si quis verò ignoraret quantum ad hæc conferat optima juniorum Clericorum inſtitutio, ignoraret & ille, quid poſſit in Republica benè ordinanda, populorum indoles, ingenium, doctrina. Quibus documentis imbuti ac innutriti fuerint Paſtores, dum in Seminariis degunt, eadem populis ſubinde infundunt & inſtillant.* *Tom. 7. Concip. 1007.*

Diſcunt ab illis populi, quid Deo debeant, quid Regi, quid patriæ. Deo cultum & adorationem in ſpiritu & veritate. *Regi,* tanquam præcellenti, & ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, *promptum ex animo obſequium. Patriæ denique opem ac ſubſidium.* *1. Petri 2. v. 13.*

Hic eſt, Eminentiſſime Præſul, noſtrarum, quas tibi nuncupamus, Prælectionum finis ac ſcopus: quo potuimus contractiori ſtylo ac nitidiori in illis adornandis uſi, tum Seminariorum commodo & utilitati ſervire ſtuduimus; tum præviis Candidatorum ad Gradus Theologicos ſubeundis examinibus. Eamobrem delibatis tantummodo ſubtilioribus Scholæ quæſtionibus, dogmata fidei ex purioribus Scripturæ ac Traditionis fontibus exponimus ac vendicamus. Multiplices diſciplinæ flexus variaſque mutationes, eodem ſemper perſeverante ſpiritu Eccleſiæ, non diſſimulamus:

in præceptis morum, nec intenſiore ſeveritate rigidi, nec molliori indulgentiâ remiſſi; ab omni denique doctrinæ novitate alieni, tritis majorum noſtrorum veſtigiis preſſiùs adhæremus.

His noſtris conatibus pro tua authoritate ac propenſa in nos voluntate, favebis, ut ſpero, EMINENTISSIME CARDINALIS. *Nihil etenim, (quod de Cæſare dicebat Oratorum Princeps) habet fortuna tua majus, quàm ut poſſis; nihil natura melius, quàm ut velis tueri quamplurimos. Velut mens quædam univerſa per omnes hujus Imperii diffuſa partes, cuncta moves ac moderaris: unus omnibus ſufficis, omnibus provides, una, dicere liceat, excepta nobili tua familia. Regnum divitiis auges, non domum tuam. Quid hactenus apud nos inſolitum magis ac inauditum?*

In tanta, quæ premit undique negotiorum mole, facilis eſt ac perhumanus ad te acceſſus: occupato tibi occurrunt omnes; nullus impedito, qui ad multò plura ſufficere poſſis: rerum, quotquot in Regno peraguntur, ſcientiam habes, quam nihil effugit; in iis verò tractandis æquitatem, quam nihil inflectit.

Auguſtiſſimi Principis, quem manibus tuis ad omne boni genus tam feliciter efformaſti, gloriæ, ac publicæ tranquillitati procurandæ unicè intentus: vidimus, non ſine admiratione, quanta ingenii moderatione ac ſolertia, mitigato animorum impetu & ardore, effeceris, ne in apertum ſchiſma & deploratam publicæ tranquillitatis perniciem erumperent excitatæ apud nos tam acres de Religione diſcordiæ.

Intellexiſti nimirum, EMINENTISSIME PRÆSUL, *quàm molli flexu ingenia tractanda ſint, & à præconceptis circa Religionem opinionibus ſenſim revocanda; non vi profectò, nec duro imperio, ſed intima veri perſuaſione. Intellexiſti extitiſſe olim viros etiam ſanctitatis ac ſcientiæ laude conſpicuos ac perilluſtres, Juſtinos, Irenæos, Cyprianos &c. opinione officii longiùs aliquando abreptos, erraſſe, quod humanum eſt; at tandem, ubi primùm veritas oculis affulſit, eos promptis ad obſequium animis ipſi adhæſiſſe. Sic in præſenti diſcordia brevì futurum auguramur; ut qui veritati agnoſcendæ hactenus reluctati ſunt, illi tandem cognitâ faciliores ſeſe exhibeant. Hanc ſpem quaſi certam nobis facit, tum tua,* EMINENTISSIME CARDINALIS, *in rebus arduis ſolerter tractandis, ac feliciter perficiendis induſtria ſingularis; tum Archipræſulis quem Eccleſiæ Pariſienſi præfici curaſti, animi moderatio, ſapientia, rerum uſus & experientia, benefica voluntas, pacis amor ſimul & tuendæ ac ſervandæ Religionis ſtudium planè invictum.*

Longè plura, EMINENTISSIME CARDINALIS, *de laudibus tuis lubens hìc adderem, niſi, ut ſiſtam gradum, admonerent, tum hujus Operis ratio, cujus ſermo contractus eſſe debet ac brevis, tum animi tui innata modeſtia, qua laudes tuas audire non amas, ſed majores in dies dumtaxat promereri.*

EMINENTISSIME CARDINALIS.

EMINENTIÆ TUÆ

Addictiſſimus & obſequentiſſimus
HONORATUS TOURNELY.

INDEX

INDEX
TOMI QUINTI.

TRACTATUS DE ANGELIS.

QUÆSTIO PRIMA. *De nomine, definitione, & exiſtentiâ Angelorum.* Pag. 1
ARTICULUS I. *De nomine Angelorum.* Ibid.
ARTICULUS II. *De definitione Angelorum.* ibid.
ARTICULUS III. *De exiſtentiâ Angelorum.* ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *De fide eſt Angelos exiſtere.* 2
SECUNDA CONCLUSIO. *Angelorum exiſtentia naturali ratione ſuaderi ac probabiliter oſtendi poteſt.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Non poteſt ſolius rationis ope demonſtrari exiſtentia Angelorum.* ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
QUÆSTIO SECUNDA. *de naturâ ſeu eſſentiâ Angelorum.* 3
ARTICULUS I. *An Angeli naturâ ſint ſpirituales & omnis materiæ expertes.* ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Angelorum ſubſtantia non eſt purè corporea.* 4
SECUNDA CONCLUSIO. *Angelorum ſubſtantia non conſtat ex ſpiritu & corpore ſubtiliori & inviſibili, ſicut natura humana ex ſpiritu & corpore craſſiore; ſed eſt purè ſpiritualis & omnis omnino materiæ expers.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Angelica ſubſtantia non indiget corpore tanquam inſtrumento per quod proprias & naturales ſuas operationes eliciat.* 6
Solvuntur Objectiones. ibid.
ARTICULUS II. *Utrum Angeli incorruptibiles ſint & immortales.* 11
PRIMA CONCLUSIO. *Angeli ſunt in perpetuum extituri, nulli que interitui ſubjacebunt unquam.* ibidem
SECUNDA CONCLUSIO. *Angeli ſunt incorruptibiles & immortales ex ſuis principiis intrinſecis.* 12
TERTIA CONCLUSIO. *Angeli non ſunt immortales & incorruptibiles abſolutè, ſeu ratione potentiæ Dei extraordinariæ, quâ nempe agit præter exigentiam cauſarum naturalium.* ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
ARTICULUS III. *Utrum omnes Angeli ſint unius & ejuſdem ſpeciei.* 14
PRIMA CONCLUSIO. *Certâ fide non conſtat, utrum omnes Angeli ſint unius aut diverſæ ſpeciei.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Certum eſt dari poſſe plures Angelorum ſpecies.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO *Certum etiam videtur, poſſibile eſſe ſub eadem ſpecie dari plures Angelos ſolo numero differentes.* ibid.
QUARTA CONCLUSIO. *Probabilius eſt, non omnes Angelos eſſe unius & ejuſdem ſpeciei.* 15
QUINTA CONCLUSIO. *Probabilius etiam eſt, non omnes Angelos differre ſpecie, ſed plures eſſe ejuſdem ſpeciei, & ſolo numero differentes.* ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
QUÆSTIO TERTIA. *De intellectu Angelorum.* 17
ARTICULUS I. *De naturâ intellectûs angelici.* ibid.
An & quâ ratione vis intellectiva Angeli diſtincta ſit ab ipſius ſubſtantiâ. ibid.
CONCLUSIO. *Intellectus angelicus non realiter, ſed virtualiter duntaxat à ſubſtantiâ ipſius Angeli diſtinguitur.* ibid.
An & quâ ratione intellectio diſtinguatur tum ab intellectu, tum à ſubſtantiâ Angeli. 18
PRIMA CONCLUSIO. *Intellectio nec eſt tota angelica ſubſtantiæ eſſentia, nec differentia eſſentialis ipſius conſtitutiva.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Intellectio angelica differt à vi intellectivâ Angeli, non realiter, tanquam res à re ex æquo & adæquatè diſtincta; ſed modaliter, tanquam modus à re modificatâ.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Non alia etiam admittenda eſt diſtinctio quam modalis, intellectionem inter & Angeli ſubſtantiam.* 19
An intellectus agens & patiens *in Angelis ſit admittendus.* ibid.
CONCLUSIO. *Admittendus non eſt in Angelo intellectus* agens & patiens *propriè & ſtrictè dictus.* ibid.
ARTICULUS II. *De objecto intellectûs angelici.* ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Angeli poſſunt aliquam cognitionem de Deo habere per ſua naturalia: ſeipſos quoque, nec non alios Angelos ac ſubſtantias per ſe ſubſiſtentes cognoſcere poſſunt.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Angeli cognoſcunt res materiales, tam univerſas, quàm ſingulares.* 20
TERTIA CONCLUSIO. *Angeli certò cognoſcunt futura neceſſaria, qualia ſunt ortus ſolis, eclypſes &c.* ibid.
QUARTA CONCLUSIO. *Futura contingentia quæ à ſolis naturalibus cauſis nullo interveniente concurſu liberi arbitrii proveniunt, poſſunt ab Angelis certò cognoſci.* ibid.
QUINTA CONCLUSIO. *Angelus non cognoſcit certò futura contingentia.* ibid.
SEXTA CONCLUSIO. *Angeli cognoſcunt naturaliter cogitationes & affectiones aliorum, tam Angelorum quàm hominum, naturales & neceſſarias: liberas verò propriis naturæ viribus, nec certò cognoſcunt, nec poſſunt cognoſcere.* 21
SEPTIMA CONCLUSIO. *Angeli non poſſunt propriis naturæ viribus certò cognoſcere myſteria gratiæ, ſive ſint futura, ſive facta.* 22
ARTICULUS III. *De medio cognitionis angelicæ.* 23
An & ad quæ objecta intelligenda Angeli indigeant ſpeciebus tanquam medio. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Angeli Deum vident abſque ullâ ſpecie impreſſâ aut expreſſâ, ab ipsâ cognitione aut Deo ſeſe repræſentante, re diſtinctâ.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Angeli ſeipſos vident independenter ab ulla ſpecie re diſtinctâ à cognitione & objecto.* 24
TERTIA CONCLUSIO. *Angeli nullis egent ſpeciebus ad cognitionem aliorum Angelorum, cæterarumque ſubſtantiarum ſpiritualium, modo ſint ipſis immediatè præſentes.* ibid.
QUARTA CONCLUSIO. *Angeli indigent ſpeciebus ad cognitionem aliorum Angelorum, & cujuslibet alterius ſubſtantiæ ſpiritualis, ſi ſit ab ipſis diſtans.* ibid.
QUINTA CONCLUSIO. *Angeli in ſeipſis vident communes ac generales rationes rerum omnium corporearum.* ibid.
SEXTA CONCLUSIO *Angeli in ſeipſis non vident rationes ſpecificas ac ſingulares rerum corporearum, ſed in propriis ipſarum ſpeciebus.* ibid.

INDEX QUÆSTIONUM.

Unde Angeli habeant ſpecies quibus indigent, & quando illas accipiant. ibid.

Prima Conclusio. *Angeli non cognoſcunt res materiales per ſpecies ab ipſis rebus acceptas.* ibid.

Secunda Conclusio. *Angeli non cognoſcunt res ſpirituales per ſpecies ab ipſis rebus ſpiritualibus emiſſas.* 25

Tertia Conclusio. *Species quibus agnoſcunt Angeli, non producuntur per emanationem à ſubſtantiâ, vel intellectu angelico, tanquam naturales ejus proprietates.* ibid.

Quarta Conclusio. *Angeli ſuas omnes habent ſpecies infuſas à Deo.* ibid.

Quinta Conclusio. *Angeli res omnes quas naturaliter cognoſcere poſſunt, intelligunt per ſpecies non à rebus acceptas, ſed ſibi à Deo initio ſuæ creationis infuſas.* ibid.

An quantò ſuperiores ſunt Angeli, tantò per univerſaliores ſpecies intelligant. 26

Conclusio. *Quò ſuperior eſt Angelus, eò per pauciores & univerſaliores ſpecies intelligit.* ibid.

Articulus IV. *De dotibus ſeu proprietatibus cognitionis Angelicæ.* ibid.

An Angeli cognitio ſemper ſit in actu ibid.

Prima Conclusio. *Angelorum cognitio ſemper eſt in actu, quantùm ad cognitionem Verbi, & eorum quæ vident in Verbo formaliter, hoc eſt, illâ ipsâ viſione quâ vident Verbum.* ibid.

Secunda Conclusio. *Angelorum cognitio non eſt ſemper in actu reſpectu eorum myſteriorum quæ vident in Verbo ſolùm cauſaliter, aut quæ aliter eis revelantur; neque etiam reſpectu eorum omnium ad quæ naturalis illorum vis intellectiva ſeſe poteſt extendere.* ibid.

Tertia Conclusio. *Quantùm ad cognitionem ſuæ propriæ eſſentiæ ſeu ſuiipſius, Angelus ſemper eſt in actu ſecundo, & nunquam in potentiâ.* 27

An Angeli cognitio plura ſimul attingat. ibid.

Prima Conclusio. *Plura quæ per unam ſpeciem repræſentantur, poteſt Angelus uno & eodem actu ſimul intelligere.* ibid.

Secunda Conclusio. *Angelus poteſt ſimul diverſa intelligere per diverſas ſpecies ac intellectiones.* ibid.

Tertia Conclusio. *Probabile videtur Angelum ſimul cognoſcere res omnes quarum habet ſpecies.* ibid.

An cognitio angelica ſit diſcurſiva. ibid.

Prima Conclusio. *Angeli reſpectu eorum quæ ab ipſis naturaliter cognoſcuntur,* propriè *non diſcurrunt.* ibid.

An cognitio Angelorum poſſit eſſe falſa. 28

An & quid ſit Angelorum tùm matutina, tùm veſpertina cognitio. ibid.

Articulus V. *De locutione Angelorum.* ibid.

Prima Conclusio. *Angeli inter ſe colloquuntur.* ibid.

Secunda Conclusio. *Angeli poſſunt loqui & hominibus, & Angelis ſuperioribus, & etiam Deo.* ibid.

Tertia Conclusio. *Probabilius eſt Angelorum loquendi modum poſitum eſſe 1. in eo quod Angeli cogitationes ad ſe dirigant. 2. in eo quod Deus ex impoſitâ ſibi lege excitet in Angelo ideam cogitationis, quæ ad ipſum ab alio Angelo dirigitur.* 29

QUÆSTIO QUARTA. *De voluntate Angelorum.* ibid.

Articulus I. *An angelica voluntas ſit libera.* ibid.

Conclusio. *Admittenda eſt in Angelis libertas.* Ib.

Articulus II. *Circa quæ objecta voluntas angelica ſit libera.* 30

Prima Conclusio. *Angeli tenentur ad aliquem actum voluntatis ſemper ac neceſſariò exercendum.* ibid.

Secunda Conclusio. *Angeli ſemper ſeipſos amant aliquo naturali amore.* ibid.

Tertia Conclusio. *Probabilius videtur amorem illum naturalem quo Angeli ſeipſos diligunt, neceſſarium eſſe, tùm quoad ſpecificationem, tùm etiam quoad exercitium.* ibid.

Quarta Conclusio. *Angeli ſeipſos diligunt dilectione electivâ, id eſt, amore libero.* ibid.

Quinta Conclusio. *Angeli naturali dilectione diligunt Deum plùs quàm ſeipſos.* ibid.

Solvuntur Objectiones. 31

Articulus III. *De immutabilitate voluntatis angelicæ.* ibid.

Conclusio. *Sicut liberè eligit Angelus, ita liberè poteſt electionem mutare; ac conſequenter factâ etiam electione non eſt immutabilis angelica voluntas.* ibid.

QUÆSTIO QUINTA. *De potentiâ motrice Angelorum.* 32

Articulus I. *De loco Angelorum.* ibid.

An Angelus ſit in loco. ibid.

Prima Conclusio. *Angelus eſt verè in loco.* ibid.

Secunda Conclusio. *Finitus atque limitatus eſt locus à quolibet Angelo occupatus.* ibid.

Quomodo Angelus ſit in loco. 33

Conclusio. *Angeli non ſunt in loco circumſcriptivè, ſed duntaxat definitivè.* ibid.

Per quid Angelus ſit in loco. ibid.

Conclusio. *Angelus eſt in loco per ſolam præſentiam ſubſtantiæ ſuæ indiſtantis à loco.* ibid.

Articulus II. *De motu Angelorum.* ibid.

Prima Conclusio. *Angeli moventur motu locali.* 34

Secunda Conclusio. *Citiſſimo motu ſeſe movent Angeli, non tamen inſtantaneo.* ibid.

Tertia Conclusio. *Angeli non poſſunt mutare locum impertranſito medio.* ibid.

Articulus III. *De naturâ virtutis motricis Angelorum relativè ad ſubſtantias ab ipſis diſtinctas.* ibid.

Prima Conclusio. *Virtus motrix Angelorum eſt phyſica & efficiens.* ibid.

Secunda Conclusio. *Virtus motrix Angelorum virtualiter diſtinguitur ab eorum intellectu & voluntate.* 35

Solvuntur Objectiones. ibid.

Articulus IV. *Ad quæ ſe extendit virtus motrix Angelorum.* 36

Conclusio. *Quanta ſit virtus motrix Angelorum prorſus incertum eſt.* ibid.

QUÆSTIO SEXTA. *De authore Angelorum.* 37

Articulus I. *Quando creati fuerint Angeli.* ibid.

Prima Conclusio. *Angeli neque ante mundum viſibilem, neque poſt, ſed ſimul cum illo creati fuerunt.* ibid.

Secunda Conclusio. *De fide non eſt Angelos* ſimul *cum mundo corporeo fuiſſe creatos.* ibid.

Articulus II. *Quo in loco creati fuerint Angeli.*

QUÆSTIO SEPTIMA. *De gratiâ Angelorum.* ibid.

Articulus I. *An Angeli in primo creationis inſtanti gratiam ſanctificantem acceperint.* ibid.

Conclusio. *Probabilius eſt Angelos omnes ab initio & in inſtanti ſuæ creationis gratiam ſanctificantem, atque adeò juſtitiam & ſanctitatem accepiſſe.* ibid.

Arti-

Articulus II. *An præter gratiam ſanctificantem neceſſaria fuerit & collata Angelis gratia actualis ad benè agendum & perſeverandum.* 39
Conclusio. *Præter gratiam habitualem ſeu ſanctificantem neceſſaria fuit ac collata Angelis gratia actualis ad benè agendum & perſeverandum.* ibid.
Articulus III. *An gratia Angelis bonis ad perſeverandum conceſſa ex ſeſe fuerit efficax.* ibid.
Conclusio. *Gratia Angelis bonis ad perſeverandum conceſſa non fuit ex ſeſe efficax, ſed verſatilis.* ibid.
QUÆSTIO OCTAVA. *De merito Angelorum.* ibid.
Articulus I. *Utrum Angeli meruerint.* ibid.
Conclusio. *Angeli ſancti reverà meruerunt.* ibid.
Articulus II. *Quid meruerint Angeli.* 40
Prima Conclusio. *Probabilius videtur omnes Angelos gratiam ſanctificantem accepiſſe per propriæ voluntatis cooperationem & veluti diſpoſitionem.* ibid.
Secunda Conclusio. *Angeli meruerunt augmentum gratiæ ſanctificantis & beatitudinem ſupernaturalem quæ poſita eſt in intuitivà Dei cognitione.* ibid.
QUÆSTIO NONA. *De glorià Angelorum.* ibid.
Articulus I. *Quomodo gloria fuerit Angelis conceſſa.* ibid.
Conclusio. *Prædeſtinatio Angelorum facta eſt ex prævisis meritis, ſaltem conditionate futuris.* ibid.
Articulus II. *Utrùm Angeli beati jam peccare poſſint.* 41
Conclusio. *Angeli beati jam amplius peccare nequeunt, idque habent ex ſtatu & naturâ beatitudinis.* ibid.
Solvuntur Objectiones. ibid.
QUÆSTIO DECIMA. *De peccato Angelorum.* Ibid.
Articulus I. *Quodnam fuerit primum Angelorum peccatum.* 42
Conclusio. *Primum Angelorum peccatum fuit peccatum ſuperbiæ.* ibid.
Articulus II. *Origo primi Angelorum peccati.* ibid.
Conclusio. *Origo primi peccati in Angelis non fuerunt aut ignorantia mentis, aut prava aliqua inclinatio, ſed ſola voluntatis poteſtas.* ibid.
Articulus III. *An voluntas dæmonum ſtatim poſt peccatum ita fuerit in malo obfirmata, ut nec poſſit aliquatenus reſipiſcere, nec bonum aliquod operari.* 43
Prima Conclusio. *Dæmonum voluntas, ſicut & aliorum damnatorum, ita eſt in malo obfirmata, ut nuſquam reverà ad juſtitiæ ſtatum ſit revocanda.* ibid.
Secunda Conclusio. *Tanta eſt in dæmonibus obſtinatio, ut nullum unquam eliciant opus bonum, ne quidem moraliter.* 44
Tertia Conclusio. *Omnis damnatorum voluntas deliberata, moraliter mala eſt.* ibid.
Quarta Conclusio. *Dæmones actibus malis quos continuò & libere eliciunt, non demerentur.* 47
Quinta Conclusio. *Ratio formalis ob quam dæmones aliique damnati in malo ſunt obfirmati, non eſt neque habitus vitioſus cauſatus à Deo in voluntate damnatorum, eamque neceſſitans ad malè agendum, quæ ſententia tribuitur Aureolo: neque actus (odium ſcilicet Dei) à Deo immediatè productus in eorundem voluntate, ut placet Ochamo & Gabrieli: nec privatio auxilii divini gratuiti, quo negato fieri nequit ut dæmones per veram & fructuoſam pœnitentiam convertantur ad Deum, uti volunt Scotus, Richardus, Durandus: nec denique inflexibilitas vel immobilitas voluntatis dæmonum, ut contendunt Cajetanus, Ferrarienſis, Salmaticenſes; ſed illa oritur præciſè & formaliter ex miſerrimâ conditione ſtatûs eorum in termino, junctâ naturali conditione & fragilitate voluntatis creatæ, ſuis tantùm viribus relictæ, ſine ullo gratuito Dei auxilio, cum ſolâ generali & quaſi phyſicâ Dei influentiâ ad operandum. Ita Suares &c.* 48
QUÆSTIO UNDECIMA. *De pœnâ dæmonum.* ibid.
Articulus I. *An dæmones ſtatim poſt peccatum fuerint in infernum detruſi.* ibid.
Conclusio. *Dæmones ſtatim poſt peccatum ad ima tartara præcipitati fuère, ibique damnationis ſuæ pœnam modò & ante ultimi Judicii diem patiuntur.* ibid.
Articulus II. *An dæmones igne vero & corporeo in inferno torqueantur.* 50
Conclusio. *Dæmones igne vero & propriè dicto in inferno cruciantur.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 52
Articulus III. *Quâ ratione ignis inferni agat in dæmones.* 54
Conclusio. *Dæmones, aliique damnati ab igne corporeo torquentur, quatenus ipſi inſolubiliter alligantur, tanquam perpetuo carceri & inſtrumento juſtitiæ divinæ: inſuper & adhuc cruciantur aliquo quodam paſſionis modo nulli mortalium ſatis cognito.* ibid.
Articulus IV. *An dæmonum ſupplicia nullum unquam finem ſint habitura.* 56
Conclusio. *Æterna ſunt, id eſt, nullum unquam finem habitura, tùm dæmonum, tùm aliorum reproborum ſupplicia.* ibid.
QUÆSTIO DUODECIMA. *De variis ordinibus & hierarchiis Angelorum, atque de eorundem miſſione.* 58
Articulus I. *De numero, hierarchiis & ordinibus Angelorum.* ibid.
Prima Conclusio. *Novem diſtinguuntur Angelorum ordines.* ibid.
Secunda Conclusio. *Hi novem ordines in tres diſtribuuntur hierarchias.* ibid.
Tertia Conclusio. *Variæ ſunt variorum ordinum Angelorum proprietates.* ibid.
Articulus II. *De miſſione Angelorum.* ibid.
Prima Conclusio. *Omnes Angeli à Deo mittuntur.* 59
Secunda Conclusio. *Quilibet homo habet Angelum ſuum cuſtodem.* ibid.
Tertia Conclusio. *Valde probabile eſt, ſingulis nationibus, regnis, imò & civitatibus deputatum eſſe Angelum cuſtodem.* ibid.
Quarta Conclusio. *Probabile non eſt ſingulis hominibus deputatum eſſe Angelum malum.* ibid

TRACTATUS
DE OPERE SEX DIERUM.

QUÆSTIO PRIMA. *An, & à quo creatus fuerit mundus.* Pag. 60
ARTICULUS I. *An aliquid ſit creatum.* ibid.
CONCLUSIO. *Certâ fide tenendum eſt aliquid eſſe creatum.* ibid.
ARTICULUS II. *An mundus creatus fuerit.* 61
CONCLUSIO. *Carthesiana hypotheſis in theſim aſſumpta, videtur adverſari Scripturæ ſacræ.* ibid.
ARTICULUS III. *An virtus creandi ſoli Deo competat.* 62
PRIMA CONCLUSIO. *Virtus creandi ſolo Deo competit, ac proinde Deus omnium author eſt creaturarum.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Nulla creatura poteſt donari virtute creandi, nec etiam rationem habere poteſt inſtrumenti phyſici reſpectu creationis.* ibid.
ARTICULUS IV. *An plures mundi ſint poſſibiles.* 63
PRIMA CONCLUSIO. *Unicus creatus fuit mundus.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Repugnans videtur Scripturæ & Patribus ſententia quæ mundum admittit indefinite extenſum; ac proinde poſſibiles ſunt plures mundi.* ibid.
ARTICULUS V. *An omnis creatura ſit bona.* ibid.
CONCLUSIO. *Omnis creatura eſt bona, nullaque reperitur ſuâ ſubſtantiâ mala.* ibid.
QUÆSTIO SECUNDA. *Quando creatus fuerit mundus.* 65
ARTICULUS I. *An mundus potuerit eſſe ab æterno.* ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Si mundus conſideretur ex parte principii & authoris, potuit eſſe ab æterno.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Si mundus conſideretur ex parte ſui, & ratione termini creationis, non potuit eſſe ab æterno.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Non exiſtimarunt ſancti Patres mundum potuiſſe eſſe ab æterno.* ibid.
ARTICULUS II. *Quâ anni tempeſtate creatus fuerit mundus.* ibid.
CONCLUSIO. *Cùm creatus fuit mundus, ver regnabat in partibus ſeptentrionalibus noſtri hemiſphæri; id eſt, ſol cùm primum conditus, in ſigno Arietis fuit conſtitutus.* 66
QUÆSTIO TERTIA. *Quo fine Deus creaverit mundum.* ibid.
ARTICULUS UNICUS. *An, & quem finem ſibi Deus propoſuerit in condendo mundo.* ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *In creando mundo ſibi propoſuit Deus aliquem finem.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Gloria ex rerum univerſitate & ex incarnatione in Deum redundatura, non eſt unicus ac neceſſarius finis quem in condendo mundo ſibi Deus propoſuit.* 67
TERTIA CONCLUSIO. *Bonitas divina creaturis communicanda, propriè ac meritò dici poteſt ratio & finis quem Deus in creando mundo ſibi propoſuit.* ibid.
QUÆSTIO QUARTA. *Quas leges ſecutus ſit Deus in creatione mundi.* 68
ARTICULUS I. *An Deus condiderit omnia quæ condi potuerunt.* ibid.
CONCLUSIO. *Certiſſimum eſt Deum poſſe alia facere, quàm quæ facit: unde abſurdum eſt dicere, nihil eſſe poſſibile niſi quod actu exiſtit.* ibid.
ARTICULUS II. *An Deus in condendo mundo neceſſariò fecerit quæcunque optima facere potuit.* 70
PRIMA CONCLUSIO. *Deus in creando mundo, ſeu ex hypotheſi creationis mundi, non tenetur neceſſitate naturæ aut ſapientiæ ſuæ ad facienda ea quæ in ſe optima ſunt & perfectiora, ita ut meliora facere non potuerit.* 71
SECUNDA CONCLUSIO. *Deus non ſemper ac neceſſariò facit id quod melius eſt ac perfectius in ordine ad vias ſimpliciores: & fictitium eſt circa eaſdem generaliores & ſimpliciores vias, Malebranchii ſiſtema.* 72
Solvuntur Objectiones. 75
ARTICULUS III. *An leges generales eaſque pauciores ſecutus ſit Deus, permiſſis cauſis occaſionalibus, phyſicisque legibus motûs.* 80
CONCLUSIO. *Deus in producendis ac dirigendis rebus univerſi, non generali duntaxat, quæ determinetur per cauſas occaſionales, utitur voluntate, ſed ſingulari, directâ & poſitivâ: adeò ut nullus omnino ſit effectus quem Deus ſigillatim & voluntate ſingulari non velit.* 81
Solvuntur Objectiones. 86
QUÆSTIO QUINTA. *Utrum ſex dierum ſpatio creatus fuerit mundus.* 113
ARTICULUS I. *An reales fuerint ſex creationis mundi dies.* ibid.
CONCLUSIO. *Mundus fuit creatus reali ſex dierum ſpatio.* 114
ARTICULUS II. *De opere primæ diei.* 115
Quid nomine ſpiritûs Dei aquis incubantis intelligatur, Geneſeos 1. ibid.
Quæ fuerit Dei locutio. ibid.
Quid nomine lucis primâ die creatæ intelligatur. ibid.
ARTICULUS III. *De opere ſecundæ diei.* ibid.
Quid ſit firmamentum. ibid.
Quæ ſint aquæ ſuperiores. 116
ARTICULUS IV. *De opere tertiæ diei.* ibid.
De aquarum congregatione. ibid.
De productione plantarum & arborum. ibid.
ARTICULUS V. *De opere quartæ diei.* ibid.
ARTICULUS VI. *De opere quintæ diei.* 117
ARTICULUS VII. *De opere ſextæ diei.* ibid.
De terræ beſtiis. ibid.
De homine. 118
De ſenſu verborum iſtorum, ad imaginem & ſimilitudinem. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Imago Dei quâ donatus eſt homo, in collectione dotum ſpiritualium potiſſimùm conſiſtit.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *Mulier ſicut & vir ad imaginem Dei formata eſt.* 119
De animâ humanâ. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Anima hominis eſt ſpiritualis.* ibid.

SECUNDA

SECUNDA CONCLUSIO. *Anima hominis immortalis eſt ab intrinſeco, ab extrinſeco verò immortalitatem habet ex juſto Dei nutu ac juſſu.* ibid.
TERTIA CONCLUSIO. *Animæ non extiterunt ante corpora, nec ex traduce naſcuntur; ſed dum creantur à Deo, corporibus infunduntur.* 120
De corpore humano. ibid.
De individuo humano. 121
CONCLUSIO. *Suppoſita præſentia locali animæ & corporis, in eo conſiſtit unio utriuſque illius ſubſtantiæ, quod juxta legem à Deo conſtitutam, occaſione motuum in partibus organicis corporis, ſiunt ſenſationes in anima, quas ſequuntur propenſiones, odia &c. & occaſione illarum impreſſionum in anima, excitentur motus in corpore, aut illorum mutentur determinationes, aut eorum quantitas augeatur vel minuatur.* ibid.

APPENDIX.

De Libris Scripturæ in particulari. 122
ARTICULUS I. *De Libris veteris Teſtamenti.* ibid.
ARTICULUS II. *De Libris novi Teſtamenti.* 125
De Conciliis in particulari. 126
ARTICULUS I. *De Conciliis Apoſtolicis.* ibid.
ARTICULUS II. *De Conciliis Oecumenicis poſt Apoſtolos in Eccleſia celebratis.* 127
Concilium Nicænum I. ibid.
De Concilio Conſtantinopolitano I. 128
De Concilio Epheſino. ibid.
De Concilio Chalcedonenſi. ibid.
De Concilio Conſtantinopolitano II. 129
De Concilio Conſtantinopolitano III. 130
De Concilio Nicæno II. 131
De Concilio Conſtantinopolitano IV. 132
De Concilio Lateranenſi I. 133
De Concilio Lateranenſi II. 134
De Concilio Lateranenſi III. ibid.
De Concilio Lateranenſi IV. ibid.
De Concilio Lugdunenſi I. 135
De Concilio Lugdunenſi II. 136
De Concilio Viennenſi. ibid.
De Concilio Conſtantienſi. 137
De Concilio Baſileenſi. 139
De Concilio Florentino. 147
De Concilio Lateranenſi V. 158
De Concilio Tridentino. 167
ARTICULUS III. *De particularibus Conciliis in cauſa præcipuarum hæreſum habitis.* 171
De cenſuris ſeu notis theologicis. 173
ARTICULUS I. *De natura notæ ſeu cenſuræ theologicæ.* ibid.
Quæ ſit legitima cenſuræ theologicæ definitio. ibid.
Dogmatici Eccleſiæ judicii, quo theologica fertur cenſura, genuini characteres. ibid.
Quodnam ſit diſcrimen judicium dogmaticum inter & legem diſciplinæ. 175
ARTICULUS II. *De diviſione notæ ſeu cenſuræ theologicæ.* 176
De propoſitione hæreticâ. 177
De propoſitione erroneâ. 195
De propoſitionibus, hæreſi proximâ, ſapiente hæreſim, & hæreſeos ſuſpectâ. 201
De propoſitionibus proximâ errori, ſapiente errorem, ſuſpectâ de errore. 204
De propoſitionibus malè ſonante, & piarum aurium offenſivâ. ibid.
De propoſitionibus, temerariâ, & ſcandaloſâ. 206
De propoſitionibus ſchiſmaticâ & ſeditioſâ. 210
De propoſitionibus blaſphema & impiâ. 213
De quibuſdam aliis propoſitionum cenſuris. 214
ARTICULUS III. *De objecto cenſuræ theologicæ.* 216
ARTICULUS IV. *De modo ferendi cenſuras theologicas.* 221
ARTICULUS V. *De authoritate neceſſariâ ad ferendam cenſuram theologicam.* 222

TRACTATUS
DE ACTIBUS HUMANIS.

CAPUT I. *Quid & quotuplex ſit actus humanus &c.* 1
CAPUT II. *De voluntario.* ibid.
ARTICULUS I. *Quid & quotuplex voluntarium.* ibid.
ARTICULUS II. *De involuntario & cauſis ejus.* 2
ARTICULUS III. *De ignorantia.* 6
CONCLUSIO PRIMA. *Ignorantia conſequens non affectata, facit opus ſimpliciter voluntarium, & involuntarium ſecundùm quid: ignorantia verò affectata, voluntarium, ſitque & peccatum adauget.* ibid.
CONCLUSIO SECUNDA. *Qualibet ignorantia, etiam juris naturalis, modò invincibilis ſit & antecedens, tollit voluntarium & excuſat à peccato.* ibid.
CONCLUSIO TERTIA. *Non datur ignorantia invincibilis juris naturalis quoad prima principia & proximas eorum concluſiones; datur verò quoad concluſiones magis remotas.* 9
CAPUT III. *De libero.* ibid.
CONCLUSIO PRIMA. *Homo lapſus non à coactione ſolùm, ſed etiam a neceſſitate liber eſt.* 10
CONCLUSIO SECUNDA. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiritur libertas à neceſſitate, nec ſufficit libertas à coactione.* 12
CONCLUSIO TERTIA. *Eſſentia libertatis in genere non conſiſtit in ſolo voluntario, ſed ad eam eſſentialiter requiritur indifferentia contradictionis.* 17
CONCLUSIO. QUARTA. *Indifferentia ad bonum & malum, ſubindeque poteſtas peccandi non pertinet ad eſſentiam libertatis, pertinet tamen ad ſtatum puri hominis viatoris.* 20
CAPUT IV. *De principiis extrinſecis actûs humani, & primò de fine.* ibid.
CAPUT V. *De beatitudine.* 23
ARTICULUS I. *De beatitudine objectivâ.* ibid.
CONCLUSIO PRIMA. *Objectum beatitudinis non eſt aliquid creati, ſed ſolus Deus.* ibid.
CONCLUSIO SECUNDA. *Si eſſentia divina per impoſſibile videretur non viſis perſonis, non eſſet ſufficiens humanæ beatitudinis objectum, adeoque in hac hypotheſi periret eſſentia beatitudinis.* 25
ARTICULUS II. *De beatitudine formali.* 26
CONCLUSIO PRIMA. *Beatitudo non conſiſtit in actione Dei increatâ.* ibid.

CONCLUSIO SECUNDA. *Beatitudo non conſiſtit in ſpeciali illapſu Dei in eſſentiam animæ & potentias ejus.* ibid.
CONCLUSIO TERTIA. *Beatitudo formalis in viſione, amore & gaudio conſiſtit.* 27
ARTICULUS III. *De affectionibus beatitudinis.* 29
SECT. I. *De beatitudine corporis.* 30
CONCLUSIO. *Corpora mortuorum aliquando reſurgent.* ibid.
SECT. II. *De beatitudine animæ.* 35
CONCLUSIO PRIMA. *Beati neceſſariò Deum diligunt, ita ut &c.* ibid.
CONCLUSIO SECUNDA. *Beati ſunt impeccabiles, & quidem &c.* 36
SECT. III. *De iis, quæ conveniunt beatitudini tum animæ tum corporis.* 37
CONCLUSIO PRIMA. *Sanctorum beatitudo æterna erit, nullique &c.* ibid.
CONCLUSIO SECUNDA. *Beatitudo Sanctorum eſt inæqualis.* 38
CAPUT VI. *De proprietatibus actuum humanorum.* ibid.
ARTICULUS I. *De bonitate & malitiâ morali actuum humanorum.* ibid.
SECT. I. *In quo conſiſtat malitia & bonitas actûs humani.* ibid.
SECT. II. *An dentur actus indifferentes.* 39
CONCLUSIO PRIMA. *Non dantur actus indifferentes in individuo.* 40
CONCLUSIO SECUNDA. *Ut actio ſit ex omni parte bona, neceſſe eſt &c.* 43
ARTICULUS II. *De affectionibus moralitatis.* 46
SECT. I. *De principiis moralitatis.* ibid.
CONCLUSIO. *Tria ſunt moralitatis principia, ſcilicet &c.* ibid.
SECT. II. *De multiplicatione moralitatis in eodem actu.* 49
CONCLUSIO PRIMA. *In actu qui bonus eſt objective &c.* 50
CONCLUSIO SECUNDA. *Circumſtantia accidentaliter mala adveniens &c.* 51
CONCLUSIO TERTIA. *Unus idemque actus poteſt ſimul habere &c.* 52
SECT. III. *De augmento moralitatis per actum exteriorem.* ibid.
CONCLUSIO. *Actio exterior, prout eſt executio actus &c.* 53
ARTICULUS III. *De merito actuum humanorum.* 55
SECT. I. *De eſſentiâ & exiſtentiâ meriti.* ibid.
CONCLUSIO. *Homo per gratiam operans poteſt verè &c.* ibid.
SECT. II. *De conditionibus ad meritum requiſitis.* 56
SECT. III. *De objecto meriti.* 60
CAPUT VII. *De regulis actuum humanorum.* 64
ARTICULUS I. *Quid, & quotuplex conſcientia.* ibid.
ARTICULUS II. *De conſcientiâ erroneâ.* 65
ARTICULUS III. *De conſcientiâ ſcrupuloſâ.* 68
ARTICULUS IV. *De conſcientiâ dubiâ.* 69
ARTICULUS V. *De conſcientiâ probabili.* 74
CONCLUSIO PRIMA. *Non poteſt quis ſine peccato ſequi opinionem &c.* 76
CONCLUSIO SECUNDA. *Ex duabus opinionibus æquè probabilibus &c.* 81
CONCLUSIO TERTIA. *E duabus opinionibus licitum eſt &c.* 82
CONCLUSIO QUARTA. *Ut opinio probabilior de licito teneri poſſit &c.* 84

TRACTATUS
DE VIRTUTE RELIGIONIS.

TRACTATUS *De virtute Religionis.* Pag. 86
PARS PRIMA. *De religione ſecundùm ſe ſpectatâ.* ibid.
CAPUT I. *De nomine & eſſentia Religionis.* ibid.
CAPUT II. *De objecto religionis.* 87
CONCLUSIO PRIMA. *Deus eſt* objectum cui *religionis.* ibid.
CONCLUSIO SECUNDA. *Objectum materiale religionis ſunt actus omnes honeſti, quibus debitus Deo honos exhiberi poteſt.* ibid.
CONCLUSIO TERTIA. *Objectum formale religionis eſt ſpecialis illa honeſtas & convenientia, quæ eſt in cultu divino; ſeu eſt ipſe Dei cultus, prout excellentiæ divinæ & noſtræ ſubmiſſionis ſignum eſt.* ibid.
CAPUT III. *An religio ſit virtus theologica.* ibid.
CONCLUSIO PRIMA. *Religio non eſt virtus theologica.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 88
CONCLUSIO SECUNDA. *Religio diſtinguitur à virtutibus moralibus; ſive quæ hominem componunt in ordine ad ſe ipſum, ſive quæ eundem conſtituunt in ordine ad proximum.* 89
CONCLUSIO TERTIA. *Religio aliquo ſenſu dici poteſt juſtitia, etiam propriè; differt tamen ab eâ rigoroſâ juſtitiæ ſpecie, quæ in homine ad hominem reperitur.* ibid.
CONCLUSIO QUARTA. *Religio à duliâ, hoc eſt, à virtute, quâ coluntur Sancti, aliquo ſenſu diſtinguitur, aliquo ſenſu dici poteſt non diſtingui.* ibid.
CAPUT IV. *De affectionibus & actibus religionis.* 90
PARS SECUNDA. *De actibus religionis in ſpecie.* 91
CAPUT I. *De adoratione & devotione.* ibid.
CAPUT II. *De oratione.* 92
ARTICULUS I. *De nomine, eſſentiâ & diviſione orationis.* ibid.
ARTICULUS II. *De neceſſitate orationis.* 93
CONCLUSIO PRIMA. *Oratio neceſſaria eſt ad ſalutem, tum neceſſitate præcepti, tum etiam ſaltem communiter, neceſſitate medii.* ibid.
CONCLUSIO SECUNDA. *Oratio mentalis, ſive meditatio videtur etiam omnibus Fidelibus neceſſaria.* 94
ARTICULUS III. *An, & quatenus efficax ſit oratio.* 95
CONCLUSIO PRIMA. *Oratio ſi undequaque talis ſit, qualis eſſe debet, triplicem habet efficaciam,* merendi *ſcilicet,* ſatisfaciendi, & impetrandi. 96
CONCLUSIO SECUNDA. *Ut oratio infallibiliter ſit impetratoria, quatuor requiri ſolent: ſcilicet ut quis pro ſe petat, neceſſaria vel conducentia ad ſalutem, piè & perſeveranter.* 97
ARTICULUS IV. *An Deus & quidem ſolus debeat orari.* 98

ARTI-

ART. V. *De ſubjecto orationis.* 100
CONCLUSIO. *Impii & peccatores ſæpiſſimè orant utiliter, nec proinde oratio impiorum novum eſt peccatum.* ibid.
ART. VI. *Quid orandum ſit.* 102
CONCLUSIO PRIMA. *Bona quibus abuti poſſumus non ſunt abſolutè petenda, ſed conditionate tantum.* ibid.
CONCLUSIO SECUNDA. *Bona quibus abuti non poſſumus, ut charitas & beatitudo, petenda ſunt abſolutè & determinatè.* ibid.
ART. VII. *Pro quibus orandum.* 104
CONCLUSIO PRIMA. *Orandum eſt pro viatoribus omnibus, ſive juſti ſint, ſive injuſti; ſive amici, ſive inimici, ſive fideles, ſive infideles.* 105
CONCLUSIO SECUNDA. *Neque pro Beatis qui ſunt in cœlo, neque pro iis qui in inferno ſepulti ſunt orare licitum eſt.* ibid.
ART. VIII. *De Horis canonicis.* 107
SECTIO I. *Quid ſint Horæ canonicæ, & quando inſtitutæ.* 108
SECTIO II. Quinam *ad Horas canonicas teneantur.* ibid.
CONCLUSIO PRIMA. *Clerici omnes in ſacris conſtituti, etiamſi Beneficiarii non ſint, ſub mortali tenentur ad Officii recitationem, etiam extra Chorum.* ibid.
CONCLUSIO SECUNDA, *Beneficiarii ad Officii divini recitationem tenentur.* 109
CONCLUSIO TERTIA. *Religioſi ad Chorum profeſſi, & necdum in ſacris conſtituti, etiam extra Chorum, tenentur ſub mortali ad Officii recitationem, niſi cum iis diſpenſatum ſit a Papa, aut aliud ferat ſpeciale Ordinis inſtitutum.* 112
SECT. III. *Quo utendum ſit Breviario.* 113
SECT. IV. *Quo ordine & tempore recitandum ſit Officium privatim.* 115
SECT. V. *De publica Officii divini recitatione.* 118
SECT. VI. *Quomodo recitari debeat Officium divinum.* 121
SECT. VII. *De cauſis ab Officii recitatione excuſantibus.* 126
SECT. ULTIMA. *Ad quid teneantur, qui Officium omiſerunt.* 128
CAPUT III. *De juramento.* 129
ARTICULUS I. *De nomine & eſſentiâ juramenti.* ibid.
ARTICULUS II. *De diviſione juramenti.* 130
ARTICULUS III. *De juramenti uſu.* 132
CONCLUSIO. *Juramentum eſt actus religionis, eoque uti licitum eſt, ſi requiſita ad juramentum conditiones concurrant.* ibid.
ARTICULUS IV. *De conditionibus ad licitè jurandum requiſitis; ubi de peccatis in juramento contingentibus.* 134
CONCLUSIO PRIMA. *Juramentum ſolo judicii defectu vitioſum, non eſt niſi veniale peccatum, modò abſit contemptus, ſcandalumve & periculum perjurandi fal[ſ]um.* 135
CONCLUSIO SECUNDA. *Juramentum, cui deeſt juſtitia, ſeu quod ſit de re mala & illicita, ſæpiſſimè eſt peccatum mortale.* 136
CONCLUSIO TERTIA. *Juramentum aſſertorium, cui deeſt veritas, id eſt, perjurium propriè ſumptum, ſemper & in omni materia eſt peccatum mortale, niſi excuſet inadvertentia.* 137
CONCLUSIO QUARTA. *Perjurium promiſſorium eſt communiter loquendo, peccatum mortale.* 138
ARTICULUS V. *De juramento cum amphibologia, & reſtrictione.* 140
CONCLUSIO. *Uſus reſtrictionum purè mentalium ſemper eſt illicitus, ſive in judicio, ſive extra; & qui iis utitur cum juramento, perjurii reus eſt. Idem dicendum de juramento cum amphibologia.* ibid.
ARTICULUS VI. *De cauſis & effectibus juramenti, ac præſertim de ejus obligatione.* 143
CONCLUSIO PRIMA. *In juramento per ſe ſtante unica ſolùm reperitur obligatio; in aliis verò duplex aut triplex.* 144
CONCLUSIO SECUNDA. *Juramentum de re bona obligat; ſecus ſi ſit de re mala, vel indifferenti, niſi hæc vergat in commodum tertii.* ibid.
CONCLUSIO TERTIA. *Juramentum non obligat, ſi fiat ex errore vel dolo circa rei ſubſtantiam.* 145
CONCLUSIO QUARTA. *Juramentum ſine intentione jurandi non obligat per ſe; obligat verò, ſi adſit intentio jurandi, quamvis abſit intentio ſe obligandi, vel implendi id, quod juratum eſt.* ibid.
CONCLUSIO QUINTA. *Aliqua juramenti obligatio tranſit ad heredes, aliqua non tranſit.* 146
ARTICULUS VII. *De juramenti interpretatione.* ibid.
ARTICULUS VIII. *De cauſis, quæ juramenti obligationem impediunt vel tollunt.* 147
CAPUT IV. *De voto.* 149
ARTICULUS I. *Quid & quotuplex votum.* ibid.
ARTICULUS II. *De materia voti.* 150
ARTICULUS III. *De iis, quæ votum efficere, aut irritare poſſunt.* 153
ARTICULUS IV. *An votum ſit opus bonum & meritorium.* 157
ARTICULUS V. *De obligatione voti.* 158
ARTICULUS VI. *Quando, & per quos debeat votum adimpleri.* 160
ARTICULUS VII. *Quotuplici modo tollatur obligatio voti.* 163
PARS TERTIA. *De vitiis religioni oppoſitis.* 165
CAPUT I. *De blaſphemia, tentatione Dei &c.* ibid.
CAPUT. II. *De ſuperſtitione.* 167

TRACTATUS
DE BENEFICIIS.

CAPUT I. *De eſſentiâ & diviſione Beneficii.* 171
CAPUT II. *De modis acquirendi Beneficia.* 173
ARTICULUS I. *De præſentatione.* ibid.
SECT. I. *De jure patronatûs.* 174
SECT. II. *Quinam debeant præſentari.* 176
ART. II. *De electione &c.* 179
CAPUT III. *De qualitatibus ad obtinenda rite Beneficia neceſſariis.* 180
CAPUT IV. *De obligationibus Beneficiariorum.* 182
ART. I. *De reſidentia in Beneficio.* ibid.
ART. II. *De pluralitate Beneficiorum.* 184
CONCLUSIO. *Peccat mortaliter, qui etiam cum diſpenſatione Papæ plura habet Beneficia, tametſi ſimplicia, quando unum ad honeſtam ſuſtentationem ſufficit.* ibid.
ART. III. *De diſpoſitione fructuum Beneficii.* 185

CON-

Conclusio Prima. *Beneficiarii redituum merè ecclesiaſticorum domini non ſunt, ſed diſpenſatores, unde ex juſtitia tenentur, quidquid ex iiſdem reditibus ſuperſlus habent, pauperibus erogare, vel pios in uſus expendere.* 185
Conclusio Secunda. *Qui ſufficiens habent patrimonium, poſſunt eo ad victum non uti, & vivere ex bonis eccleſiaſticis.* 188
Conclusio Tertia. *Religioſi in communi eodem modo bonorum ſuorum domini ſunt, ac Beneficiarii ſæculares.* 190
CAPUT V. *De vacatione Beneficiorum, & penſionibus.* 191
APPENDIX. *De Simonia.* 193
CAPUT I. *Quid ſit ſimonia.* ibid.
CAPUT II. *De diviſione ſimoniæ.* 196
CAPUT III. *De gravitate ſimoniæ.* 198
CAPUT IV. *De cauſis ſimoniæ.* 200
Art. I. *De ſubjecto ſimoniæ.* ibid.
Art. II. *De materia proxima ſimoniæ, ubi de cauſis à ſimonia excuſantibus.* ibid.
Art. III. *De munere ſimoniaco.* 203
Art. IV. *De materia ſpirituali ſimoniæ.* 204
SECT. I. *De ſimonia in Sacramentis & ſacramentalibus.* 205
SECT. II. *De ſimonia in collatione & exercitio Ordinum.* 207
SECT. III. *De ſimonia in ingreſſu Religionis.* 208
SECT. IV. *De ſimonia in Beneficiis, permutationibus &c.* 210
CAPUT V. *De Simoniacorum pœnis.* 212
Art. I. *De pœnis contra ſimoniam in Ordine & ingreſſu Religionis.* 213
Art. II. *De pœnis contra ſimoniam in Beneficiis.* 214
Art. III. *De obligatione reſtituendi accepta ſimoniacè.* 216

APPROBATIO.

DE Mandato Illuſtriſſimi DD. Regiorum Sigillorum Cuſtodis, legi *Prælectiones Theologicas*, quas in Scholis Sorbonicis habuit vir celeberrimus D. HONORATUS TOURNELY, ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, Socius Sorbonicus, Regius & Emeritus Profeſſor, & Sacroſanctæ Capellæ Regii Palatii Pariſienſis Canonicus, dilucidè & gratâ brevitate ab eodem ad uſum Seminariorum contractas. Datum Pariſiis die 1. Decembris 1727.

C. LEULLIER.

APPROBATIO.

JUſſu Illuſtriſſimi DD. Sigillorum Regiorum Cuſtodis manuſcriptum Codicem legi, cui Titulus eſt : *Continuatio Prælectionum Theologicarum* HONORATI TOURNELY *&c.* Dignum illo nomine Opus mihi viſum eſt, quod quidem cæteris ſummi viri Prælectionibus adjici facilè debeat, eaſque ſtipare decentiſſimè poſſit. Quippe ſanctiſſimorum caſtiſſimorumque, qui de Theologia morali conſcripti ſunt, librorum ſuccos omnes ſanguinemque in hoc Opus fuſos eſſe reperi: univerſa vidi ſenſu tincta, ingenioſè meditata & acutè; brevitate & perſpicuitate, quæ difficilè coëunt, percommoda ad diſcendum; tum à nimiùm rigida, tum à molli vitæ Chriſtianæ inſtituendæ diſciplina æqualibus remota intervallis. Denique nihil eorum, quæ ſuo labori conciliare commendationem poſſent, deſiderari Author paſſus eſt, præter Authoris nomen. In Sorbona 1. Martii Anni 1734.

THIERRY Regius Sorbonæ Profeſſor.

CENSURA ORDINARII.

TOmus Quintus, in quo tractatur *De Angelis*, *De Opere ſex Dierum cum Appendice*, *De Actibus humanis*, *De Virtute Religionis*, *De Beneficiis & Simonia*, Authore Eruditiſſimo Honorato Tournely, Doctore Sorbonico non modò nihil continet, quod Fidei Orthodoxæ Catholicæ & Apoſtolicæ, aut bonis moribus adverſetur, ſed Eccleſiaſticæ Eruditionis Luminibus ubique emicat: Itaque pro publico bono & utilitate Typis evulgari permitto. Datum Coloniæ Agrippinæ 29. Octobris 1736.

JOANNES NEUMAN J. U. D. Perinſignium Collegiatarum S. Severini, & Archidiaconalis S. Cuniberti, & ad SS. Apoſtolos Canonicus ac reſpectivè Decanus, Proto-Notarius Apoſtolicus, Sereniſſimi ac Reverendiſſimi Principis Electoris Conſiliarius Eccleſiaſticus, ac per Archi-Diœceſin Librorum Cenſor Ordinarius m. p.

TRAC-

TRACTATUS
DE
ANGELIS.

HACTENUS de Deo, quatenus eſt unus in eſſentiâ & trinus in perſonis: deinceps de Deo, quatenus eſt aothor creaturarum dicendum eſt.

Ac 1. quidem de Angelis, acturi poſtmodum de cæteris creaturis. Quidquid autem dicemus de Angelis duodecim Quæſtionibus abſolvemus.

Prima erit de nomine, definitione & exiſteotiâ Angelorum.

Seconda, de eorum eſſentiâ.
Tertia, de intellectu.
Quarta, de voluntate.
Quinta, de potentiâ motrice.
Sexta, de authore.
Septima, de gratiâ.
Octava, de merito.
Nona, de gloriâ.
Decima, de peccato.
Undecima, de pœnâ.
Duodecima denique de hierarchiis, ordinibus & miniſterio Angelorum.

QUÆSTIO PRIMA.

De nomine, definitione, & exiſtentiâ Angelorum.

TRres erunt hujuſce primæ Quæſtionis Articuli.
Primus, de nomine.
Secundus, de definitione.
Tertius, de exiſtentiâ Angelorum.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine Angelorum.

ANgelus græcum vocabulum eſt, latinè idem ſignificans quod nuntius. Unde S. Auguſtinus Lib. 5. de Geneſi ad litteram cap. 19. *Nuntii*, inquit, *græcè Angeli dicuntur*.

Dico 1. vocem Angeli, ſi vocaboli vis ſpectetur, nomen eſſe muneris ac officii, non naturæ. Ita clarè colligitur ex citato mox ſancti Auguſtini teſtimonio. Idem diſertè docet S. Doctor in Pſal. 10. ſermone 1. n. 15. *Angelus officii nomen eſt, non naturæ. Quæris nomen hujus naturæ, ſpiritus eſt: quæris officium, Angelus eſt. Ex eo quòd eſt, ſpiritus eſt; ex eo quòd agit, Angelus eſt.* Ita etiam teſtantur SS. Hilarius Lib. 5. de Trinitate, Ambroſius in caput primum Epiſtolæ ad Romanos, & alii plerique.

Dico 2. Angeli vocabulum, licet ex vi ſuæ ſignificationis, ſubſtantias ſpirituales intellectu prædicas non ſignificet; uſu tamen Scripturarum, Eccleſiæ & Scriptorum Eccleſiaſticorum accommodatum eſſe ad ſignificandas prædictas ſubſtantias, iiſque veloti proprium factum eſſe. Id ita certum eſt ac exploratum, ut probatione non indigeat, atque amplius conſtabit ex dicendis paſſim in præſeoti Tractatu.

Dico 3. nomen Angeli, quatenus uſu Scripturæ ac Eccleſiæ ſignificat ſubſtantias ſpirituales intellectu præditas, duobus iterum modis accipi poſſe, latiùs ſcilicet & ſtrictiùs.

Latiùs accipitur Angeli nomen, cùm ſumitur pro omni aut quâlibet ſubſtantiâ completâ ſpirituali, cujuſcunque demum ſit ordinis & hierarchiæ, ut Pſalmo 96. *Adorate eum omnes Angeli Dei*. Marci 13. *De die autem illo, vel horâ, nemo ſcit, neque Angeli in cœlo*. Et alibi ſæpe.

Strictiùs verò ſumitur, cùm uſurpatur pro ſolis angelicis ſpiritibus quos infimus ordo continet. Hoc ſenſu Angeli nomen non rarò accipit ſanctus Dionyſius Lib. de cœleſt. hierarch. & toties Scriptura, quoties Angelos ab Archangelis, aliiſque beatorum ſpirituum ordinibus diſtinguit.

Deinceps de Angelis io priori illâ ac latiori ſignificatiooe, cum cæteris Theologis diſputabimus.

ARTICULUS II.

De definitione Angelorum.

ANgelus rectè definiri poteſt; *Subſtantia creata, ſpiritualis, completa.*

Dicitur 1. *ſubſtantia*, qoia eſt ens per ſe ſubſiſtens; uti manifeſtè conſtabit ex variis Angelorum proprietatibus & operationibus infra recenſendis.

Dicitur 2. *creata*, ut diſtinguatur à Deo.

Dicitur 3. *ſpiritualis*, ſeu omnis materiæ expers; quo differt ab homine, qui eſt ſpiritualis ſimul & corporeus.

Dicitur 4. *completa*, io quo diſcrepat ab anima rationali, quæ eſt ſubſtantia creata omnino ſpiritualis, ſed incompleta, quia de ſe eſt pars hominis.

ARTICULUS III.

De exiſtentiâ Angelorum.

NEgarunt Sadducæi, quorum errorem S. Lucas deſcribit cap. 23. Actuum his verbis: *Sadducæi dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque ſpiritum.* Plures ex veteribus Philoſophis in eodem errore verſati ſunt, ut obſervat S. Thomas 1. parte quæſt. 50. att. 1. *Ignorantes*, inquit, *vim intelligendi, & non diſtinguentes inter ſenſum & intellectum, nihil eſſe exiſtimaverunt in mundo, niſi quod ſenſu & imaginatione apprehendi poteſt. Et quia ſub imaginatione non cadit niſi corpus, exiſtimarunt quod nullum ens eſſet, niſi corpus.*

Sadducæorum errorem magnâ ex parte exſuſcitarunt hodie Anabaptiſtæ, qui omnia Scripturæ teſtimonia in quibus aſſeritur Angelorum cuſtodia & dæmonum tentatio, de ſolis bonis vel malis cogitationibus interpretantur. Sed nulli poſt Chriſtum natum Hæretici leguntur eò progreſſi, ut eum Sadducæis angelicam naturam prorſus negarent.

Circa Angelorum exiſtentiam tria hic ſequentibus Concluſionibus inveſtigabimus.

I. An certâ fide conſtet Angelos exiſtere.

II. An eorum exiſtentia ratione naturali ſuaderi poſſit.

III. An etiam ſolâ ratione duce poſitivè demonſtrari poſſit.

PRIMA CONCLUSIO.

De fide eſt Angelos exiſtere.

Probatur 1. Ex Scripturis, in quibus frequentiſſima occurrunt atque evidentiſſima de Angelis teſtimonia. Geneſ. 22. *Angelus Domini de cœlo clamavit dicens, Abraham* &c. Exodi 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te.... Audi vocem ejus.* Tobiæ 12. *Ego ſum Raphael Angelus, unus ex ſeptem qui aſtamus ante Dominum.* Pſalmo 8. *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis.* Matth. 18. *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei.* Ex his patet quantùm hallucinentur Anabaptiſtæ, qui duces Sadducæos ſecuti, citata Scripturæ teſtimonia ad ſolas cogitationes aut inſpirationes detorquent; cùm in his & aliis innumeris Scripturæ textibus manifeſtum ſit, Angelos deſignari tanquam veras perſonas intelligentes quibus facta & dicta tribuuntur.

Probatur 2. Ex Conciliis, maximè Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. *Firmiter.* ubi expreſsè habetur quòd Deus ab initio temporis utramque condidit creaturam, ſcilicet ſpiritualem & corpoream, hoc eſt, angelicam & mundanam. *Unum eſt*, inquit, *univerſorum principium, Creator omnium, viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium & corporalium, qui ſuâ omnipotenti virtute, ſimul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam quaſi communem, & ſpiritu & corpore conſtitutam.*

Probatur 3. Ex SS. Patribus.

S. Dionyſius Lib. de cœleſti hierarchiâ paſſim, ac maximè cap. 14. Angelorum hierarchias, ordines, officia deſcribit, ſicut ab Apoſtolo fuerat edoctus.

S. Auguſtinus, loco mox laudato, in Pſal. 103. ſic loquitur: *Angelos novimus ex fide, & multis apparuiſſe ſcriptum legimus & tenemus, nec inde dubitare fas nobis eſt.*

S. Gregorius Homil. 34. in Evang. *Angelos*, inquit, *& Archangelos pene omnes ſacri eloquii paginæ teſtantur.*

Probatur 4. ex conſenſu totius Eccleſiæ, quæ Angelos ut perſonas naturâ valde excellentes veneratur & invocat, tanquam Dei miniſtros & hominum cuſtodes beatificâ Dei viſione fruentes.

Probatur denique 5. momentis Theologicis ſequenti Concluſione referendis.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angelorum exiſtentia naturali ratione ſuaderi ac probabiliter oſtendi poteſt.

Prima ratio hæc eſt. Ornatus & perfectio mundi poſtulat ut dentur ſubſtantiæ purè ſpirituales & intellectuales, cùm ſint & merè corporeæ, cujuſmodi ſunt lapides, arbores &c. & partim corporeæ partim ſpirituales, ut ſunt homines. Porrò ſubſtantiæ purè ſpirituales & intellectuales ſunt Angeli; ergo &c.

Secunda ratio deſumitur ex miris quibuſdam ac ſtupendis energumenorum effectibus, qui ea interdum operantur aut dicunt, quæ videntur debere refundi in aliquam ſubſtantiam intellectualem à quâ moveantur & agantur; velut cùm ignotis linguis loquuntur, res maximè abſconditas detegunt, narrant quæ in remotiſſimis regionibus aguntur.

Tertia ratio ea eſt quam hoc loco adducit S. Thomas, quæ ſic proponi poteſt. Oportet eſſe aliquas creaturas quæ Deo aſſimilentur [illegible]undùm illud per quod Deus mundum creavit, id e[illegible]cundùm intellectû & voluntatem: atqui ſic Deo aſſimilantur naturæ purè intellectuales & incorporeæ; ergo oportet eſſe tales aliquas creaturas, id eſt Angelos. Minor conſtat: major verò probatur, quia id quod Deus præcipuè in rebus creatis intendit, eſt ipſum bonum quod conſiſtit in aſſimilatione ad Deum.

Neque verò reſponderi poteſt, hinc ſolùm inferri poſſe, exiſtere aliquam naturam intellectualem, qualis eſt anima rationalis: nam, ſicuti Sylvius poſt Cajetanum hic obſervat, anima rationalis non eſt natura aliqua totalis, ſed pars tantùm naturæ.

TERTIA CONCLUSIO.

Non poteſt ſolius rationis ope demonſtrari exiſtentia Angelorum.

Probatur: Si qua enim dari poſſet evidens ac demonſtrativa ratio exiſtentiæ Angelorum, vel illa ſumitur ex naturâ & eſſentiâ Angelorum, vel ex eorum cauſa productiva, vel denique ex eorum effectibus & operationibus: atqui nullum ex his tribus demonſtrativè probat Angelorum exiſtentiam.

Non primum, quia non eſt de eſſentia Angelorum ut actu exiſtant: hoc enim ſoli Deo competit.

Non ſecundùm, quia conſtat Angelos à Deo liberè creatos eſſe; ac proinde cauſa Angelorum productiva nullam habet neceſſariam connexionem cum ipſorum exiſtentia.

Non denique tertium, nulli enim proferuntur effectus qui licet ſtupendi & mirabiles ad alias cauſas abſolutè loquendo, referri non poſſint quàm ad Angelos, puta in Deum ſolùm, vel in animas corporibus ſolutas; ergo Angelorum exiſtentia ratione naturali invictè demonſtrari non poteſt.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Concluſionem. Si Angeli exiſterent, Moyſes initio Geneſis non prætermiſiſſet eorum creationem, cùm primum locum obtineant inter opera Dei, quæ ex profeſſo & ſpeciatim ibi deſcribit: atqui tamen ne verbum quidē unum de Angelis habetur loco citato; ergo &c. *Objectiones contra primam Concluſionem.*

Reſp. 1. Moyſen initio Geneſis creationem Angelorum variis de cauſis prætermiſiſſe. 1. quia ſolam rerum corporearum originem & ſeriem deſcribendam ſuſceperat: rationem hanc indicat S. Hieron. Epiſt. 139. 2. quia propoſitum ipſi erat, ea ſola exprimere quæ facta erant in obſequium hominum. Ita S. Cyrillus Lib. contra Julianum. 3. par fuit ut Moyſes apud Judæos merè carnales de ſpiritualibus ut ſunt Angeli ſileret. Ita S. Chryſoſtomus Homil. 2. in Geneſim. *Nihil*, inquit S. Doctor, *de inviſibilibus virtutibus diſſerit.* (Moyſes) *neque dicit, In principio fecit Deus Angelos vel Archangelos..... Judæis enim loquebatur, qui toti præſentibus rebus inhiabant, neque ſpirituale quidquam comprehendere vale-*

valebant. Itaque eos à ſenſibilibus ad cognoſcendum univerſi opificem inducit,

Reſp. 1. cum angelico Doctore 1. p. q. 61. art. 1. ad 1. Angelos non omnino fuiſſe prætermiſſos in illâ primâ rerum creatione, ſed nominibus rerum corporalium, cœli ſcilicet aut lucis, fuiſſe ſignificatos. *Et hoc ideo*, inquit idem ſanctus Doctor, *quia Moyſes rudi populo loquebatur, qui nondum capere poterat incorpoream naturam: & ſi eis fuiſſet expreſſum* (initio Geneſis) *aliquas res eſſe ſuper omnem naturam corpoream, fuiſſet eis occaſio idololatriæ, ad quam proni erant & à qua Moyſes eos præcipuè revocare intendebat.* Non valebant ſcilicet intelligere quomodo Angeli eſſent creati, ſi non eſſent corporei.

Neque his obſtat quòd Moyſes poſtea frequenter meminerit Angelorum: ſic enim de iis loquitur, ut & unum Deum affirmet, & Angelos ejus miniſtros ac nuntios declaret, per quam declarationem idololatriæ occaſionem abſtulit. Quare nec uſquam legitimus Angelos à Judæis cultu divino fuiſſe honoratos,

Objicies 2. Angelus nomen eſt non naturæ, ſed muneris ac officii, ſignificans nuntium & legatum, juxta illud ſancti Auguſtini Lib. 5. de Geneſi ad litteram cap. 19. antea citato, *Nuntii græcè Angeli dicuntur*. Ergo in Scripturis per Angelos non deſignantur ſpiritus aut perſonæ, ſeu ſubſtantiæ intellectuales per ſe ſubſiſtentes; ſed occultæ duntaxat inſpirationes, quibus quaſi Dei nunciis homines admonentur voluntatis divinæ.

Reſp. quod etſi *Angelus* officii nomen eſſe ſupponatur, inde tamen colligi non poſſit Angelum non eſſe perſonam, ſicuti ex Legati aut Oratoris nomine inferri non poteſt eum qui Oratoris vel Legati munere fungitur, non eſſe perſonam aut ſubſtantiam quæ per ſe ſubſiſtat.

Adde, tam in Scripturis ſacris, quàm apud Scriptores eccleſiaſticos Græcos atque Latinos uſurpari hoc nomen, *Angelus*, pro ſubſtantiâ ſpirituali, vocabulo officii ad naturam ſignificandam tranſlato.

Objectiones contra tertiam Concluſionem.

Objicies 3. contra tertiam Concluſionem. Non ſolùm Ariſtoteles, verùm etiam Platonici & Stoici & alii nonnulli gentiles Philoſophi, ſolâ inſtructi ratione naturali, ſubſtantias quaſdam intellectuales agnoverunt; licet diverſis eas appellarint nominibus. Plato tum in *Timæo*, tum in *Convivio*, duplex Angelorum genus poſuit; alios inferiores, quos dæmones vocabat, alios ſuperiores, quos deos. Ariſtoteles Lib. 8. Phyſicorum aſſerit aſtra ab Angelis moveri. Quidam verò alii *genios*, plerique *intelligentias*, in univerſum eos nuncuparunt; ergo exiſtentia Angelorum ſolius rationis ope poteſt oſtendi.

Reſp. diſt. conſeq. exiſtentia Angelorum ſolius rationis ope poteſt oſtendi probabiliter, concedo: demonſtrativè, nego. Solutio patet ex dictis ſecundâ & tertia Concluſione.

Adde Platonem alioſque gentiles Philoſophos ſummo diſcendi deſiderio captos, Moyſis aliorumque Judæorum Libros avidè arripuiſſe ac legiſſe. Ita teſtantur S. Juſtinus Apologia ſecunda, S. Clemens Alexandrinus Lib. 5. Stromatum, S. Auguſtinus L. 2. de doctrina chriſtiana cap. 18. Porro quod de Angelis aſſeruerunt gentiles illi Philoſophi, id ex ſacris Libris hauſiſſe meritò dici poteſt.

Objicies 4. Plurimi ſunt effectus in rerum natura, qui certè ſunt hujuſmodi, ut non poſſint aliis tribui cauſis quàm ſpiritibus illis qui dicuntur Angeli: hujus generis ſunt inſolitæ quædam energumenorum, id eſt obſeſſorum hominum operationes, à quibus talia ſubinde dicuntur & fiunt quæ humanam ſcientiam & potentiam prorſus ſuperare videntur; veluti dum loquuntur linguis græcâ, hebraicâ, aut aliis quarum ſunt penitus ignari; dum ſecreta hominum pandunt, etiam qui locis remotiſſimis diſtant; dum qui naturaliter debiles ſunt & infirmi, duorum vel trium virorum robur ſuperant.

Nec dici poteſt ea quæ ſupra facultatem humanam ab illis energumenis & arreptitiis hominibus fiunt, non per Angelos, ſed per Deum fieri. Namque ſæpe contingit ab illis mala fieri, velut cùm blaſphemant & rident res divinas, aut turpia loquuntur, quæ certè in Deum refundi non poſſunt; ergo neceſſariò fiunt à malis Angelis ſeu dæmonibus, qui in humanis corporibus iſta operantur. Ergo Angelos eſſe in rerum naturâ evidens eſt.

Reſp. Quòd ſi ſecludantur documenta ex Scripturis, Patribus & Traditione petita, nullus convinci poſſit ex miris ac ſtupendis operationibus mox receoſitis, alias in mundo eſſe ſubſtantias quàm animas rationales: ſed exiſtimare quiſpiam poſſet omnes effectus qui facultatem naturalem ſuperare videntur, abſolutè loquendo, refundi aut in Deum, ſi per ſe mali non ſint; aut ſi mali ſint, in animas corporibus ſolutas.

Et verò ad inſolitos & ſtupendos energumenorum motus, aliaque ſubinde eorum opera, ad ſummum tria requiruntur. 1. peritia linguarum. 2. vis movendi varia corporis membra. 3. voluntas mentiendi aut malè agendi. Ac 1. certum eſt, animas ſeparatas interdum callere varias linguas quas in hac vitâ didicerunt. 2. certum eſt, habere ſæpe voluntatem malè agendi. 3. probabile eſt habere vim movendi corpora. Quamvis enim id negent aliqui, tamen multi alii affirmant, & ideo nihil evidenter concludi poteſt.

Objicies 5. Poſtulat ordo & perfectio univerſi, ut in eo ſint aliquæ creaturæ, quæ Deo creatori aſſimilentur per intellectum & voluntatem, per quas facultates univerſitatem rerum condidit: atqui creaturæ quæ ſic Deo aſſimilantur, ſunt naturæ intellectuales & incorporeæ, id eſt, Angeli; ergo ad univerſi perfectionem requiritur ut in eo ſint Angeli. Iſta ratione utitur S. Thomas 1. p. q. 50. art. 1. ad evincendam Angelorum exiſtentiam.

Reſp. Iſto ratiocinio quidem probabiliter oſtendi, ut antea ex ſancto Thoma obſervavimus, Angelos exiſtere; non tamen id certo & evidenter demonſtrari. Ad ejuſmodi enim rationem reſponderi poſſet, nihil omnino neceſſe fuiſſe, ut univerſum conderetur à Deo in eo perfectionis ſtatu in quo reverâ illum condidit: in hoc etenim opere libertimus fuit Deus, ac proinde ratio naturalis non infert neceſſariò productos fuiſſe Angelos.

QUÆSTIO SECUNDA.

De naturâ ſeu eſſentiâ Angelorum.

TRia hic expendemus.

I. An Angeli ſint naturâ ſubſtantiæ ſpirituales & omnis omnino materiæ expertes.

II. An ſint immortales.

III. An omnes Angeli ſint unius & ejuſdem ſpeciei.

ARTICULUS PRIMUS.

An Angeli naturâ ſint ſpirituales & omnis materiæ expertes.

OBſervandum 1. variis modis rem aliquam dici poſſe ſpiritualem & incorpoream. 1. quòd ipſa non

non ſit corpus, nec conſtet partibus quantis, extenſis & diviſibilibus. 2. quòd ipſa nec ſit corpus nec corporis forma, cum quo tanquam materâ compoſitum efficiat. Neque enim, ut hic obſervat Eſtius, idem omnino eſt non eſſe corpus, & non eſſe corporis formam: nam animæ humanæ nequaquam corporeæ ſunt, & tamen habent corpora ſibi naturaliter unita, quæ informant. 3. denique res dici poteſt ſpiritualis, quòd neque ſit corpus, neque corporis forma, neque eo tanquam inſtrumento ad ſuas operationes indigeat.

Obſervandum 2. apud veteres Eccleſiæ Scriptores non perinde atque hodie certam fuiſſe & omnibus probatam ſententiam, Angelos & dæmones incorporeos eſſe.

Quidam enim ſecuti Platonem, tradiderunt Angelos, tam bonos quàm malos, corporeos eſſe, aut corpora ſibi naturaliter unita habere, non quidem craſſiora ac palpabilia, ſicuti ſunt noſtra, ſed valde ſubtilia, tenuia, aëris inſtar, unde in Scripturis paſſim *ſpiritus*, plerumque *aereæ poteſtates* appellantur. Ita ſenſiſſe ſanctum Irenæum, Tertullianum, Originem, ſanctum Hilarium, alioſque nonnullos refert Petavius Tomo 3. Theologicorum dogmatum cap. 2.

Ex recentioribus verò eandem ſententiam amplexi ſunt Eugubinus Lib. 8 *De perenni Philoſophiâ* cap. 17. Cajetanus ad caput 2. Epiſt ad Epheſ. ubi putat dæmonem appellari ab Apoſtolo, *principem tenebrarum & aeris*, quia ejuſmodi habet corpus tenue & ſubtile.

Nonnulli verò de totâ hac quæſtione tanquam de re dubiâ locuti ſunt. Ita imprimis S. Auguſtinus multis in locis: Enchiridii cap. 19. difficillimam eſſe dicit quæſtionem de corporibus Angelorum: Lib. 21. de civit. Dei cap. 10. cùm aſſeruiſſet dæmonibus quoque ſua eſſe corpora ex aëre conflata, ſubjungit, *Si autem quiſpiam nulla habere corpora dæmones aſſeverat, non eſt de hac re aut laborandum operoſa inquiſitione, aut contentioſâ diſputatione certandum.* Idem & alibi de corporibus Angelorum dubitanter loquitur, ut Lib. 3. de Geneſi ad litter. cap. 10. dicit enim conditionaliter, *ſi hæc ita ſunt* &c. Lib. 15. de civit. Dei cap. 23. nec non Epiſt. 157.

In eâdem dubitatione verſatum fuiſſe ſanctum Bernardum, non obſcurè colligitur ex Lib. 5. *De Conſideratione* c. 4. & Serm. 5. & 6. ſuper Cantica: iis enim in locis contendit Angelos ſua miniſteria exequi non poſſe ſine corporibus: an autem ea corpora ad eorum ſubſtantiam pertineant, ipſiſque naturaliter uniantur, ita ut ſint animalia ſicut homines; an verò ea pro nutu ſuo aſſumant aut deponant, ignorare ſe confitetur.

Porrò licet SS. Auguſtinus & Bernardus dubii hæſerint circa Angelorum incorporeitatem, minimè tamen dubitandum putarunt de animâ rationali, quin ea ſit incorporea: ſiquidem S. Auguſtinus hæreſi 86. Tertulliano hunc errorem aſcribit, quòd animam corpoream eſſe diceret. Et quamvis neget eum propter hoc factum hæreticum, opinionem tamen hanc damnat; & Lib. 2. de animâ & ejus origine cap. 5. eandem opinionem *ad deliramenta Tertulliani pertinere* dicit: & contra eam pluribus agit Lib. 4. ejuſdem operis cap. 12. & ſequentibus.

S. autem Bernardus Serm. 40. ſuper Cantica, tribuit animæ incorpoream ſubſtantiam & ſpiritualem eſſentiam. Item Lib. de interiori domo c. 67. animam Deo comparat, quòd *ſicut Deus ubique totus, ita anima in ſuo corpore ſit ubique tota.* Et ſerm. 5. in variis, aſſerit, *animam quia incorporea eſt, in loco corporeo eſſe non poſſe.*

Ex iis meritò colligere licet, juxta SS. Auguſtini & Bernardi ſententiam, Angelos ſuapte naturâ eſſe incorporeos, licet iis quâcunque ratione corpora conjuncta eſſe opinati fuerint: non enim apparet cur ſancti illi Doctores Angelos naturâ corporeos aſſeruiſſent, cùm animam rationalem naturâ incorpoream eſſe contenderent.

Eſt præterea Ruperti de corporibus Angelorum & dæmonum peculiaris quædam ſententia. Scilicet Lib. 1. de victoriâ Verbi cap. 26. ait dæmones ante tranſgreſſionem quidem cœleſtia corpora geſſiſſe, lapſos verò per ſuperbiam in aëream qualitatem eſſe converſos.

Obſerv. 3. Theologos in diverſas abire ſententias circa gradum certitudinis quâ conſtet Angelos non eſſe corporeos nec habere corpora ſibi naturaliter unita. 1. quibuſdam videtur doctrinam hanc ad fidem pertinere. 2. alii moderatiùs exiſtimant eam quidem ad fidem non pertinere, attamen omnino certam eſſe, nec ſine temeritate negari poſſe, 3. denique alii eam probabilem duntaxat aut probabiliorem appellant. His præſuppoſitis ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Angelorum ſubſtantia non eſt purè corporea.

Probatur 1. Ex Scripturâ, in quâ Angeli ac dæmones ſic quandoque appellantur ſpiritus aut ſpirituales, ut ſpiritûs notionem corpori vel rei purè corporeæ manifeſtè opponat. Ita Epheſ. cap. 6. *Non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed adversùs principes & poteſtates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Ergo Angelorum ſubſtantia non eſt purè corporea.

Idem non minus efficaciter evincitur ex Actorum cap. 23. in quo S. Lucas ait, Sadducæorum hæreſim fuiſſe, *non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque ſpiritum.* Ubi certè per *Angelum* non intelligitur ſubſtantia corporea, etiam tenuis ac valde ſubtilis: ſi enim intelligeretur hujuſmodi ſubſtantia, non verè de Sadducæis diceretur, eos non admiſiſſe ullos Angelos, cùm res corporeas etiam ſubtiles & tenues faciléque mobiles admiſerint, ſolas autem incorporeas & ſpirituales negaverint: unde & animam noſtram corpoream eſſe ſentiebant, ideoque cum corpore moriente interire, ex quo nullam futuram eſſe reſurrectionem concludebant.

Probatur 2. Ex dictis ſuperiori Quæſtione Articulo tertio, Concluſione primâ, & ex dicendis mox ſequenti Concluſione.

Probatur 3. Hoc invicto argumento. Corpus, quantumvis tenue ac ſubtile ſupponatur, nec intelligere nec velle poteſt; id enim nec intelligere nec velle poteſt, quod capax eſt ſolius motûs localis: ſed corpus quantumcunque ſubtile ſupponatur, capax eſt ſolius motûs localis; ſcilicet præter illam capacitatem nihil in illo concipitur: porrò ſubſtantia angelica eſt intelligens & volens, ut fusè probabimus Quæſtione tertiâ & quartâ; ergo ſubſtantia Angelorum non eſt purè corporea.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angelorum ſubſtantia non conſtat ex ſpiritu & corpore ſubtiliori & inviſibili, ſicut natura humana ex ſpiritu & corpore craſſiore; ſed eſt purè ſpiritualis & omnis omnino materiæ expers.

Probatur 1. Ex Scripturis, iis ſcilicet omnibus teſtimoniis quibus Angeli conſtanter appellantur *ſpiritus*. Sic Pſalmo 103. *Qui facis Angelos ſuos ſpiritus:*

ritus: hoc eſt, qui eos, quorum natura & ſubſtantia ſpiritualis eſt, miniſtros ſuos & nuntios inſtituit & mandatorum ſuorum executores, ut explicant SS. Gregorius Nazianzenus Oratione 34. & Damaſcenus Lib. 2. de fide cap. 3. Hebræor. 1. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus?* Idem de bonis Angelis ſæpius legitur in Evangelio, nec non & de dæmonibus. Sic Matt. 8. *Ejiciebat ſpiritus.* Lucæ 10. *Spiritus ſubjiciuntur vobis.* Et cap. 11. *Aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe.*

Ex his ſic licet arguere. Angeli paſſim in Scripturis dicuntur ſimpliciter *ſpiritus*, ut conſtat ex citatis mox textibus: atqui *ſpiritus* nomen ſic uſurpatum in Scripturis, propriè rem omnino incorpoream & ſpiritualem ſignificat: quod utique patet ex ſupremo & infimo ſpiritu, Deo nempe & animâ rationali, quibus hoc idem nomen tribuitur; Deo quidem abſolutè & per excellentiam, ut Joannis 4. *Spiritus eſt Deus*, id eſt, purè ſpiritualis & incorporeus: animæ verò, quia diſtinguitur à corpore. Sic 1. Corinth. 4. *Tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini*; hoc eſt ut anima ſalvetur. Ergo pari modo Angeli qui inter Deum & animam rationalem medium locum obtinent, idcirco dicuntur ſpiritus, quia ſunt omnino incorporei & purè ſpirituales.

Et verò, quemadmodum obſervat Sylvius 1. p. q. 51. art. 1. quamvis *ſpiritûs* nomen ſubinde legatur dictum de rebus corporeis, ut Act. 2. *Factus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis.* Et Pſalmo 148. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum.* Quando tamen nomen *ſpiritus* tribuitur rei intellectivæ, ſignificat rem ſpiritualem & incorpoream. Ita Joan. 4. v. 24. *Spiritus eſt Deus.* Matth. 26. v. 41. *Spiritus promptus eſt, caro autem infirma.* Galat. 5. v. 17. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.* Porrò ſic Angeli vocantur *ſpiritus*, ut ſignificetur eos eſſe intelligentes, ſicuti ex dicendis Quæſtione tertiâ, quartâ & aliis manifeſtum erit; ergo &c.

Probatur 2. Ex Conciliis.

I. In Concilio Nicæno I. Actione 2. in profeſſione fidei Sophronii, animæ rationales & Angeli collocantur in eodem ordine intellectualium, ſeu quod idem eſt, ſpiritualium ſubſtantiarum: atqui conſtat animas rationales ſpirituales eſſe & incorporeas, idque expreſsè ſancitum eſt variis in Conciliis; ergo pariter Angeli ſunt purè ſpirituales & incorporei.

II. In profeſſione fidei Synodi ſeptimæ generalis ſeu Nicænæ II. Actione 4. ſancti Angeli vocantur incorporei. *Veneramur*, inquit, *imagines Sanctorum, & incorporeorum Angelorum, utpote qui tanquam homines figurâ humanâ juſtis apparuerunt.* Porrò quâ ratione Patres Nicæni Angelos ſimpliciter & abſque reſtrictione *incorporeos* appellaſſent, ſi ex corpore partim & ſpiritu conſtituerentur?

III. Concilium Lateranenſe IV. anno 1215. cap. *Firmiter*, jam à nobis laudato, ſic loquitur: *Creator omnium ſuâ omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corpoream, angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quaſi communem ex corpore & ſpiritu conſtitutam.* Quibus verbis Concilium docet 1. Angelos eſſe creatos ex nihilo; ergo non ſunt formati ex ſubſtantiâ aëris, ut vult Rupertus; neque ex aliquâ materiâ, ut aliqui conjiciunt. 2. aſſerit Angelos eſſe ſpiritus, quemadmodum anima hominis ſpiritus dicitur: atqui anima hominis eſt omnino ſpiritualis & incorporea; ergo Angeli ſunt purè ſpirituales & incorporei. 3. Denique affirmat ibidem Concilium, hominem ſubſtantiam eſſe mediam inter angelicam & corporalem creaturam: porrò homo conſtans corpore & ſpiritu, non aliâ ratione poteſt eſſe media ſubſtantia inter angelicam & corporalem, quàm quòd illa neque ex toto neque parte corporea ſit, ſed tota ſpiritualis; hæc verò, neque ex toto neque ex parte ſpiritualis, ſed tota corporea.

Probatur 3. ex Patribus tùm Græcis, tùm Latinis.

E Græcis quidem S. Ignatius in Epiſtolâ ad Trallenſes, vocat Angelos, *incorporeas naturas.*

S. Baſilius Lib. de Spiritu ſancto cap. 1. ait Angelum eſſe *ſubſtantiam incorpoream.*

S. Gregorius Nyſſenus Oratione 4. in Dominicam orationem: *Omnis*, inquit, *natura rationalis dividitur incorpoream & incorpoream naturam: incorporea porrò eſt angelica creatura, altera nos ſumus.*

Subſcribit Nazianzenus Oratione 34. ubi diſertè Angelos dicit eſſe *incorporeos & ad Deum proximè accedentes.*

S. Joannes Damaſcenus Lib. 2. de fide c. 3. Angelum definit, *Subſtantiam intelligentem materiæ atque corporis expertem.*

His planè conſentiunt S. Chryſoſtomus Homil. 22. in caput 6. Geneſis; Euſebius Cæſarienſis L. 4. de demonſtratione evangelicâ cap. 1. Theodoretus quæſt. 20. in Geneſim, & alii plerique. Idem videre eſt apud S. Dionyſium de cœleſti hierarchiâ cap. 1. 4. 6. &c. ſi tamen hujuſce Libri author ſit.

E Latinis verò, S. Hilarius Lib. 8. de Trinitate, inter inviſibilia reponit Angelos his verbis: *Qui eſt Dei imago inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipſo condita ſunt omnia in cœlis & in terrâ, viſibilia & inviſibilia, ſive Throni, ſive Principatus, ſive Poteſtates, ſive Dominationes.* Jam verò certum eſt in mente ac doctrinâ ſancti Hilarii, id omne eſſe incorporeum quod eſt inviſibile; ibi enim probat Verbum eſſe inviſibile, & per conſequens incorporeum.

S. Hieronymus Epiſt. 59. ad Avitum inter alios errores reprehendit in Origene quòd dixiſſet, *dæmones ob delicta aëreis corporibus eſſe veſtitos.*

S. Leo in Epiſtolâ 93. ſic loquitur: *Fides vera, quæ eſt Catholica, omnium creaturarum, ſive ſpiritualium, ſive corporalium, bonam confitetur eſſe ſubſtantiam.*

S. Gregorius Magnus Lib. 4. Moralium cap. 19. conceptis verbis aſſerit Angelos eſſe cujuslibet corporis expertes: *Angelus*, inquit, *ſolummodo ſpiritus eſt: homo verò & ſpiritus eſt & caro.* Et rurſus Lib. 4. Dialogorum cap. 29. probat *Angelos etſi incorporeos, igne tamen cruciandos eſſe.*

Idem docent S. Ambroſius in illa verba capitis 1. Epiſt. ad Hebræos, *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus.* Julius Africanus Lib. 11. c. 11. S. Fulgentius Lib. de fide cap. 3. & alii plerique.

Ex iis verò quæ adduximus tùm Græcorum tùm Latinorum teſtimoniis iſtud erui poteſt ratiocinium. Illi exiſtimarunt Angelos non conſtare ex ſpiritu & corpore, ſed eſſe ſubſtantias omnino incorporeas & purè ſpirituales, qui conceptis verbis aſſeruerunt, 1. eos eſſe *naturas penitus incorporeas.* 2. illos eſſe *ſolummodo ſpiritus.* 3. denique ipſos eſſe *intelligentias omnis materiæ & corporis expertes*: atqui Patres tùm Græci tùm Latini ita expreſsè docent citatis mox locis; ergo cenſuerunt Angelos eſſe ſubſtantias omnino ſpirituales & incorporeas.

Probatur 4. ex unanimi ac conſtanti omnium Theologorum conſenſu: ii enim omnes, præſertim qui poſt Concilium Lateranenſe ſcripſêre, (uno tamen excepto Cajetano qui in caput 2. Epiſtolæ

ſtolæ ad Epheſ. ſcribit dæmones ex ſpiritu & ſubtili quodam corpore eſſe compoſitos) ii unquam omnes docent Angelos, tam bonos quàm malos, cujuſlibet corporis expertes eſſe : *Communis eſt & conſtans omnium Scholaſticorum doctrina*, inquit Eſtius in 2. Sentent. diſt. 8. §. 1. *Angelos eſſe naturâ prorſus incorporeos & pure ſpirituales. Quod non minùs de dæmonibus quàm de Angelis bonis intelligi volunt, utpote cùm illos ab iſtis non natura, ſed ſola voluntatis malitia diſcernat.* Porrò nemo neſcit quanti in rebus Theologicis momenti ſit concors hæc ac conſtans Scholaſticorum ſententia.

Probatur 5. rationibus Theologicis.

Prima eſt, quia Angeli naturæ ſunt præſtantioris quàm animæ humanæ, ſive adhuc conjunctæ corporibus, ſive ab iis jam ſeparatæ: ut enim ait S. Auguſtinus Lib. 11. de civit. Dei c. 5. *Angelica natura, omnia cætera quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcedit.* Atqui animæ humanæ corporibus ſolutæ, ſunt purè ſpirituales & incorporeæ, ut demonſtrabitur Tractatu de Opere ſex dierum; ergo & Angeli purè ſpirituales ſunt & omnino incorporei.

Secunda eſt, quia ſi Angeli conſtant ex ſpiritu & corpore, erunt igitur ejuſdem naturæ cum hominibus, atque reverâ homines, neque à propriâ ratione hominis excludi poterunt: nam craſſum vel ſubtile corpus habere, alimentis egere vel non egere, mortalem vel immortalem eſſe, accidens quoddam eſt quod ſpecificum in naturâ diſcrimen inducere non valet, uti manifeſtè patet exemplo hominis ante vel poſt futuram reſurrectionem.

Tertia ſic proponitur. Si Angeli haberent corpora propria ſibi naturaliter unita, aut ea eſſent organizata & membris diſtincta, ut ſunt humana corpora, aut eſſent confuſa & indiſtincta, ut ſunt homogenea: atqui neutrum horum dici poteſt.

Non prius, quia illa membrorum diſtinctio potiſſimùm inſervit ſenſitivæ cognitioni, quæ in Angelis locum non habet, ut oſtendemus Quæſtione ſequenti.

Non poſterius, quia ejuſmodi corpora multò minùs poterunt Angelis ad ſuas operationes ſubſervire, quamcunque illis corporibus figuram tribuas Quin potius impedimento illis erunt ad motum & miniſteria, quia non poſſunt moveri niſi cum morâ ſucceſſionis & cum diviſione medii corporis.

Quarta ſic eſt. Angeli in genere intellectualium ſunt ſubſtantiæ quædam totales & perfectæ; ergo Angeli corporibus non uniuntur naturaliter, eo ſcilicet modo quo anima unitur corpori, cum quo unam perfectam ſubſtantiam ac naturale compoſitum, id eſt, hominem conſtituit. Conſeq. conſtat: probatur autem antecedens, quia non ut de parte ſubſtantiæ, ſed ut de totâ quâdam intellectuali ſubſtantiâ loquuntur Scripturæ ubicunque de Angelis mentionem habent. Scilicet eo modo de Angelis loquuntur, quo de hominibus, non autem quo de animabus aut ſpiritibus hominum. Quod inde manifeſtum eſt, quia ſi de Angelis loquerentur ſicut de animabus, certè alicubi ſuo nomine exprimerent ipſam perfectam ſubſtantiam ex Angelo & corpore conſtantem, ſicut pluribus in locis appellant hominem qui conſtat ex animâ & corpore. Illud verò nuſquam extat, neque in Scripturis, neque alibi.

Quinta ratio ſumitur ex eo quod Lucæ 8. tota legio dæmonum unum hominem obſediſſe legitur: at vix concipi poteſt quomodo integra dæmonum legio, ſi ſint corporei, in uno & eodem homine ſtare potuerit. Quamvis enim corpus in infinitum ſit diviſibile, ideoque maxima corpuſculorum multitudo in uno homine contineri & concludi poſſit, quia tamen qui dæmones corporeos exiſtimant, non corpuſcula, ſed corpora eis tanquam animalibus tribuunt, contra eos probabile hinc efficitur dæmones ex corpore & ſpiritu non conſtare.

TERTIA CONCLUSIO.

Angelica ſubſtantia non indiget corpore tanquam inſtrumento per quod proprias & naturales ſuas operationes eliciat.

Probatur: Propriæ & naturales Angelorum operationes ſunt intelligere, velle & movere: atqui Angeli corpore tanquam inſtrumento non egent ad exercendas hujuſmodi operationes.

Et quidem de duabus prioribus operationibus facilè patet. Non minùs enim Angeli independenter à corpore intelligere & velle poſſunt, quàm animæ à corporibus per mortem ſeparatæ: atqui animæ à corporibus ſeparatæ intelligunt & volunt; ergo & Angeli, cùm ſint animabus perfectiores, independenter à corpore intelligere & velle poſſunt.

Quòd etiam motio angelica non poſtulet corpus, patebit ex dicendis Quæſtione quintâ, ubi de potentiâ motrice Angelorum. Satis ſit hic unum obſervaſſe, ſcilicet quòd motus per inſtrumenta corporea factus non poſſit tam brevi tempore & quaſi uno momento ferri ab unâ parte ad aliam remotiſſimam, ſicut interdum dæmones ſeſe movent, ut expreſsè notat Tertullianus in Apologetico cap. 22. Igitur Angeli non indigent corpore tanquam inſtrumento ad exercendas proprias ac naturales ſuas operationes, intellectionem ſcilicet, volitionem & motum.

Ex dictis ſequitur Angelos eſſe ſubſtantias phyſicè ſimplices, immateriales & indiviſibiles. Namque ſubſtantia purè ſpiritualis, phyſicè ſimplex eſt, immaterialis & indiviſibilis: atqui ex probatis Concluſione ſecundâ, Angeli ſunt ſubſtantiæ purè ſpirituales; ergo &c.

Et verò præſtantior eſt & nobilior natura angelica, quàm anima rationalis: porrò anima rationalis phyſicè ſimplex eſt, immaterialis & indiviſibilis; ergo multò magis Angeli.

Dixi Angelos ſubſtantias eſſe *phyſicè* ſimplices, non verò *metaphyſice*, quia in ipſis reperitur multiplex virtualis ac metaphyſica compoſitio.

I. Ex genere & differentiâ.

II. Ex eſſentiâ & exiſtentiâ, cùm non ſint ſuum eſſe.

III. Ex naturâ & ſuppoſito; potuit enim Verbum naturam angelicam ſuâ ſubſiſtentiâ ſpoliatam aſſumere.

IV. Quod magis eſt, ex ſubjecto & accidentibus: cùm non ſint actus puri, ſed habeant habitus, impreſſas & expreſſas ſpecies, vitaleſque actus à ſuâ ſubſtantiâ diſtinctos, ex eo quòd ipſi non ſint ſua operatio.

V. Denique in ipſis eſt compoſitio ex multis accidentibus.

Nec obſtat quòd S. Dionyſius, aliique nonnulli aſſerant nulla eſſe accidentia in Angelo; intelligendi enim ſunt de materialibus duntaxat accidentibus, non de ſpiritualibus.

Solvuntur Objectiones.

Varia contra primam ac potiſſimùm ſecundam Concluſionem opponuntur, 1. ex Scripturis. 2. ex Conciliis. 3. ex SS. Patribus. 4. ex aliis momentis Theologicis. Ea omnia hic paucis referemus ac ſolvemus. Itaque

Obji-

Prima Objectio ex Scriptura.

Objicies 1. Generatio ſenſibilis & corporea corpus ſupponit: ſed Scriptura ſacra corpoream generationem tribuit Angelis: ergo in eis eſt corpus ſupponit. Major certa eſt. Minor probatur ex illo Geneſ. 6. *Videntes filii Dei filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant &c.* quo loci, ubi noſtra verſio habet particulam *filii Dei*, ſeptuaginta Interpretes legunt, *Angeli Dei*.

Unde plurimi ex SS. Patribus exponunt locum hunc de Angelis, qui ex congreſſu mulierum genuerunt gigantes, quos Patres fusè recenſet Pamelius paradoxo primo Tertulliani

Reſp. nego min. ad cujus probationem dico in textu hebraico & in 70. ſicut & in Vulgata legi *filios*, non *angelos Dei*, ut videre eſt in exemplaribus correctioribus, ſicut obſervat S. Auguſtinus Lib. 15. de civit. Dei cap. 23. Idem etiam notat S. Cyrillus Lib. 9. adversùs Julianum.

Quòd autem per hæc verba Geneſ. 6 *filii Dei*, Angeli non intelligantur, manifeſtum eſt. 1. quia intelligi non poſſunt Angeli ſancti: Ii enim, pronuntiante Chriſto Lucæ 20. *neque nubunt, neque nubentur*. 2. non poſſunt quoque dæmones intelligi, quia dæmones nuſquam vocantur in ſacris Litteris, *filii Dei*, ſed *adverſarii inimici*.

Nec obſtat quod plures ex Patribus citatum Geneſis textum exponant de veris Angelis! nam & hanc eorum interpretationem refellunt S. Chryſoſtomus Homil. 21. in Geneſim, S. Auguſtinus loco mox citato, ubi etiam tanquam apocryphum rejicit Librum Enoch citatum à Tertulliano Lib. de velandis virginibus cap. 7. pro hâc ſuâ interpretatione.

Dicendum igitur, vocibus iſtis, *filii Dei*, quæ Geneſ. cap. 6. leguntur, convenientiſſimè intelligi filios Seth & Enos, qui divino cultui præ cæteris hominibus maximè dediti, filii Dei dicebantur à pietate paterna aut propria: qui cum filiabus hominum, hoc eſt, mulieribus oriundis à Caino & ejus poſteris, hominibus terrenæ ac corporeæ voluptati maximè deditis, commixti genuerunt gigantes.

Vel nomine *filiorum Dei*, intelliguntur homines ſtatura proceri, juxta Scripturæ conſuetudinem quæ res celſiſſimas nomine Dei appellat phraſi hebraica, ut *cedri Dei*, *montes Dei*.

Vel denique nomine *filiorum Dei*, intelliguntur filii Magnatum & Principum, juxta hebræum *elohim*, quod non ſolum Deo, ſed etiam Principibus ac Judicibus Scriptura ſacra tribuit Exodi 7. & Pſalm. 81. quorum filii commixti cum filiabus plebis & ignobilibus genuerunt gigantes, hoc eſt, homines cæteris robuſtiores & ad libidinem promptiores, ut interpretantur SS. Chryſoſtomus, Auguſtinus, Cyrillus Alexandrinus &c. Huic expoſitioni favet Scriptura: ſiquidem ſubdit, cauſam quæ Deum impulit ad perdendum genus humanum diluvio, fuiſſe hominum peccata, maximè verò illam commixtionem filiorum Dei cum filiabus hominum: *Videns autem Deus*, inquit Moyſes, *quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra. Et tactus dolore cordis intrinſecus: Delebo, inquit, hominem quem creavi a facie terræ.* Igitur illa commixtio non de Angelis ſed de hominibus intelligenda eſt.

Secunda Objectio ex Conciliis.

Objicies 2. In Concilio Nicæno II Actione 5. lectus eſt dialogus Joannis Epiſcopi Theſſalonicenſis, cum Gentili diſputantis, quo in dialogo inter alia ſic loquitur: *De Angelis & Archangelis, & eorum Poteſtatibus, quibus & animas noſtras adjungo, catholica Eccleſia ſic ſentit. eſſe quidem intelligibiles, ſed non omnino corporis expertes & inviſibiles, ut vos Gentiles dicitis; verum tenui corpore præditos, & aereo, ſive igneo.... & in proprio corpore aliquando viſos eſſe.* Subdit ea in ſententia fuiſſe *Baſilium*, *Athanaſium*, *Methodium*. Unde poſtea concludit, *Angelos meritò depingi poſſe.*

Hæc autem cùm lecta fuiſſent ex libro Joannis Theſſalonicenſis, Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus & Concilii Præſes, ſic locutus eſt: *Oſtendit Pater* (præfatus ſcilicet Joannes) *etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumſcripti ſunt; & hominum ſpecie multis apparuerunt.* Reſponditque ſtatim univerſa Synodus: *Etiam Domine.* Qua quidem acclamatione ſententiam Joannis & Taraſii Concilium approbaſſe ac ſuam feciſſe videtur.

Ex iis ſic confici poteſt argumentum. Nicæna Synodus ſua probat definitione quod in hunc finem fuerat lectum ex libro Joannis Theſſalonicenſis, & propoſitum à Taraſio Patriarcha: atqui lectum & propoſitum fuerat Angelos eſſe corporeos, ac proinde pingendos; ergo definivit Nicæna Synodus Angelos eſſe corporeos.

Reſp. Joannem Theſſalonicenſem in ea quidem fuiſſe ſententia, quòd Angeli ſint corporei ac etiam animæ rationales: verùm hanc ejus ſententiam non probavit Synodus, ſed quod ex ea velut conſequens idem Epiſcopus deducebat, quodque ſuis ſubinde verbis Taraſius Patriarcha repetebat, videlicet *Angelos rectè poſſe depingi.*

Concilium approbaſſe duntaxat concluſionem hanc ex præfata ſententia deductam, conſtat.

I. ex ſcopo Concilii: nempe de ſacrarum imaginum uſu in ea Synodo potiſſimùm agebatur adverſus Iconomachos, & hoc unum contra ipſos intendebant Patres Nicæni, ſcilicet licitum *eſſe Angelos pingere*. Ad ejus autem rei probationem variæ proferebantur ſententiæ Patrum eatenus duntaxat approbatæ, quatenus ad ſtatuendum uſum ſacrarum imaginum valebant.

II. quia Concilium id tantum approbavit quod ex Libro Joannis Theſſalonicenſis excerpſit & propoſuit Taraſius: at ille prudenter prætermiſſo errore de Angelorum corporeitate (de qua tunc non erat quæſtio) propoſuit tantum Angelos poſſe depingi, juxta ſententiam Joannis Theſſalonicenſis eo quod in ſpecie humana apparuerunt: *Oſtendit*, inquit, *Pater, etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumſcripti ſunt, & hominum ſpecie multis apparuerunt.* Quibus auditis ſtatim ſubjecit Synodus: *Etiam Domine.* Ergo approbatio Concilii cadit tantum in iſtud, nempe *Angelos poſſe depingi, quia ſunt circumſcripti*, id eſt, *definiti certo loco, & humanâ formâ apparuerunt*: neutiquam verò ſpectat alteram rationem à Joanne prolatam, (quam conſultò prætermiſit Taraſius) nempe, *quia corporei ſunt, & quia in propriis corporibus apparuerunt.*

III. denique quia Concilium Actione 4. refert & approbat ſententiam ſancti Athanaſii aſſerentis Angelos eſſe incorporeos; quin & ibidem hæc fidei profeſſio habetur: *Veneramur imagines Sanctorum & incorporeorum Angelorum, qui tanquam homines figura humanâ juſtis apparuerunt.* Ex his omnibus patet nihil erui poſſe ex hoc Concilio adverſus noſtram Concluſionem.

Itaque ad argumentum propoſitum reſpondeo in forma negando minorem propoſitionem. Equidem in libro Joannis Theſſalonicenſis legebatur *Angelos eſſe corporeos, ac proinde pingendos.* Verum Taraſius conſultò ac ſapienter prætermiſſo er-

rore de corporeitate, propoſuit tantùm Patribus *Angelos poſſe depingi*, juxta ſententiam Joannis, eo quòd in ſpecie humana multoties apparuerunt.

Tertia Objectio ex Patribus

Objicies 3. Ea ſententia non eſt admittenda, quæ communi ac conſtanti ſanctorum Patrum doctrinæ adverſatur: atqui talis eſt ſententia quæ docet Angelos eſſe incorporeos: idque conſtat,

I. ex illis Patribus qui hæc verba Geneſis 6. *Videntes filii Dei filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant*, intelligenda eſſe exiſtimarunt de Angelis qui huicce inferiori mundo præpoſiti ſunt. Cenſuerunt enim hos Angelos ex mulieribus verâ generatione filios ſuſcepiſſe, adeoque fuiſſe corporeos. Ita S. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone; Athenagoras initio Apologiæ ad Antonianum; Clemens Alexandrinus L. 8. Stromatum cap. 3. Tertullianus Lib. de cultu fœminarum cap. 10. Lactantius Lib. 2. Inſtitutionum cap. 14. & alii plures qui ſecundo, tertio & quarto ſæculo floruerunt.

II. idem conſtat ex aliis SS. Patribus qui licet negarint illud Angelorum cum mulieribus commercium, putarunt tamen Angelos habere corpora ſubtiliſſima, aerea; ætherea. Ita S. Baſilius Lib. de Spiritu ſancto cap. 16. S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 9. in Joan. S. Auguſtinus Lib. 21. de civit. Dei cap. 10. & alibi ſæpe; Joannes Theſſalonicenſis Dialogo ſupra relato; S. Bernardus Lib. 5. de Conſideratione cap. 4.

III. denique Angelos eſſe corporeos ex iis evincitur SS. Patribus qui docent omne creatum eſſe corporeum S. Hilarius cap. 5. in Matthæum; S. Gregorius Nazianzenus Lib. 2. de Theologia in fine; S. Gregorius Magnus Lib. 2. Moralium cap 12. &c.

Ad ea profectò Patrum teſtimonia alludit S. Fulgentius in Libro de Trinitate, ubi referens antiquorum ſententiam ſic habet: *Planè ex duplici eos* (Angelos) *eſſe ſubſtantia aſſerunt magni & docti viri, id eſt, ex ſpiritu incorporeo, & corpore.*

Ex iis porro omnibus SS. Patrum textibus ſic confici poteſt argumentum. Illi cenſent Angelos eſſe corporeos qui docent 1. ipſos ex congreſſu cum mulieribus verâ generatione filios ſuſcepiſſe. 2. eos habere corpora ſibi naturaliter unita, non craſſa quidem, ſed ſubtiliſſima, & aerea. 3. denique qui aſſerunt nihil eſſe creatum, ſive in cœlo ſive in terrâ, ſive viſibilium ſive inviſibilium, quod non ſit in ſubſtantiâ corporeum: atqui SS. Patres citatis mox locis ita expreſsè docent de Angelis; ergo cenſent eos eſſe corporeos: ac proinde ſententia de incorporeitate Angelorum adverſatur conſtanti ac unanimi SS. Patrum doctrinæ.

Reſp. negando minorem, nempe illam ſententiam quæ docet Angelos eſſe incorporeos, communi ac conſtanti SS. Patrum doctrinæ adverſari. Reverâ quidem nonnulli è SS. Patribus, maximè græcis, ſenſerunt Angelos eſſe corporeos; verùm reclamant alii longè plures & authoritate majores, ut conſtat ex eorum textibus antea relatis. Neque illi qui docent Angelos habere corpora, id vel ex Scripturâ, vel majorum Traditione confirmant, ut fatetur ipſemet Origines Lib. 2. de principiis cap. 8. ubi cum ſcripſiſſet: *Non videri abſurdum de ſanctis Angelis cæteriſque cœleſtibus virtutibus, vel dicere, vel ſentire illos animas habere.* Subdit: *tametſi id ex nullius authoritate Scripturæ conſtet.*

Addo 1. plurimos ex iis SS. Patribus quorum opponuntur teſtimonia, loqui de corporibus, non quidem propriis, ſed aſſumptis & aſcititiis, quæ interdum induerunt Angeli, cum hominibus apparuerunt. Neque enim Patres de propriis Angelorum corporibus locutos fuiſſe, apertè patebit eorum ſcopum ac verba propius expendenti.

II plerique ex ipſis Angelos eſſe incorporeos & immateriales negarunt; non quidem ſimpliciter & abſolutè, ſed comparatè ad Deum; quippe qui ſolus ita incorporeus eſt, ut ſit infinitus, incircumſcriptus, omniſque compoſitionis expers. Quo ſenſu interdum locuti ſunt. SS. Baſilius; Gregorius Nazianzenus, Caſſianus, Gregorius Magnus &c.

III. nonnulli dum dicunt Angelos eſſe corporeos, volunt tantùm eos eſſe veras & reales ſubſtantias: ſcilicet, hoc nomen *corpus*, non ſumunt pro ſubſtantiâ corporea, ſed pro vero & reali ente, ita ut corpus & ens reale ſeu verum ſint ſynonima; quomodo Apoſtolus in Epiſtola ad Coloſſenſes ait divinitatem in Chriſto habitare *corporaliter*, id eſt, verè, realiter, non fictitiè vel apparenter. Sic S. Hilarius in Matth. can. 5. ſic etiam corporis nomen uſurpat S. Auguſtinus dum Tertullianum excuſat.

IV. denique plures alii ex iis qui propendent in eam ſententiam quæ ſtatuit Angelorum ſubſtantiam conſtare ex ſpiritu & corpore, eam non proponunt tanquam certam, ſed tanquam dubiam, de quâ cuique pro libito licitum ſit opinari. Ita imprimis SS. Auguſtinus & Bernardus variis in locis, de quibus vide quæ diximus initio Articuli notato. 2.

Unde ad probationem negatæ propoſitionis reſpondeo diſt. min. Patres, & ii quidem pauci, quorum aliqui de eâ re dubitando locuti ſunt, alii verò latiùs *corporis* nomen uſurpant, pro omni ente vero & reali, vel pro eo omni quod non eſt expers cujuſlibet compoſitionis, aſſerunt Angelos eſſe corporeos, eos habere corpora ſubtilia, aerea, concedo: Patres, id eſt major Patrum numerus aſſertivè & ex propriâ ſententiâ docet Angelos eſſe corporeos, habere corpora vera & propriè dicta, id eſt, ſubſtantias quantas, extenſas, diviſibiles, nego. Solutio patet ex dictis.

Colliges ex iis quæ mox relata ſunt, quinque omnino eſſe diverſas SS. Patrum claſſes circa Angelorum incorporeitatem.

Prima eorum eſt qui dixerunt illos omnino incorporeos eſſe. Ita SS. Ignatius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Leo Magnus, Gregorius Magnus, & alii quos ſupra inter probationes adduximus.

Secunda eos complectitur, qui verè corporeos eſſe docent. Uti S. Juſtinus martyr, (in ſententiâ nonnullorum) Joannes Theſſalonicenſis, & alii pauci.

Tertia eorum eſt, qui volunt Angelos eſſe corporeos, hoc eſt, veras & reales ſubſtantias.

Quarta eos complectitur qui cenſent eſſe corpora comparatè ad Deum, qui actus eſt puriſſimus, cùm cætera omnia habeant potentiam paſſivam. Sic SS. Hilarius & Hieronymus aſſerunt, nihil eſſe quod non ſit corporeum.

Quinta denique eorum eſt qui hac in re nihil certò determinant, ſed ancipites ac dubii videntur eſſe circa præſentem controverſiam. Ita SS. Auguſtinus, Hieronymus & Bernardus.

Tres poſteriores claſſes non adverſantur noſtræ ſententiæ. Iis verò qui pro ſecunda ſtant, meritò opponimus alios numero & authoritate potiores qui primæ adhærent.

Quarta Objectio ex apparitionibus Angelorum.

Objicies 4. Illi ſunt verè ac propriè corporei, qui ſenſibus humanis ſunt perceptibiles: atqui Angeli humanis ſenſibus percipi poſſunt, nempe viſi ſunt à Patriarchis & Prophetis aliiſque viris ſanctis; cum iis converſati ſunt, cum iis manducarunt ac biberunt, aliaſque veras actiones externas

exer-

exercuêrunt : ſic Abraham tres Angelos convivio excepit, Jacob cum Angelo luctatus eſt per totam noctem; vidit etiam Angelos aſcendentes & deſcendentes, ut refertur Geneſ. 18. 19. & 28. & in Libro Tobiæ Angelus Raphael comes fuit Tobiæ juniori in viâ, ut videre eſt cap. 6. Ergò Angeli ſunt verè ac propriè corporei.

Reſp. 1. aliquos extitiſſe authores qui dixere omnes angelicas apparitiones quas Scriptura commemorat, non verè exteriùs exhibitas, ſed tantùm phantaſticas fuiſſe, nimirum ſolâ factâ immutatione circa imaginationem eorum quibus Angeli leguntur apparuiſſe; quomodo Joannes non oculis corporeis, ſed in ſpiritu vidit apocalypſim, & Petrus in extaſi vidit vas animalibus plenum de cœlo deſcendens, & ferè in univerſum Prophetæ ea quæ ſibi revelabantur, non corpore ſed ſpiritu videbant.

Hæc opinio autem, inquit Eſtius in 2. Sentent. diſt. 8. paragr. 6. *pugnat cum manifeſtis Scripturis, teſtantibus Angelos ab hominibus viſos & contrectatos fuiſſe corporaliter, etiam uſque ad pedum lotionem, velut ab Abraham, Loth, Jacob, Tobia patre & filio, B. Virgine, Zachariâ, mulieribus in Reſurrectione Domini, & Apoſtolis in ejuſdem Aſcenſione, & alias ſæpiſſimè; quæ cuncta ad ſolam imaginationem referri nullâ ratione poſſunt.*

Et verò ſicuti ratiocinatur S. Thomas hic, eandem opinionem refellens, quod videtur imaginariâ viſione, id in ſolâ eſt imaginatione videntis, & proinde non videtur communiter, promiſcuè ac indifferenter ab omnibus: atqui Scriptura ſacra ita introducit Angelos apparentes, ut interdum videantur ab omnibus communiter ac promiſcuè: ſic Angeli apparentes Abrahæ Geneſ. 18. viſi ſunt ab eo & à totâ ejus familiâ: ſimiliter qui Geneſ. 19. apparuerunt Loth, videbantur ab ipſo & à domeſticis & à civibus Sodomorum: Angelus Raphael qui Tobiæ apparuit, promiſcuè videbatur ab omnibus ſicut ipſe Tobias. Non igitur hæc in ſola contigerunt imaginatione, ſed ſecundùm viſionem corpoream, quâ videtur id quod poſitum eſt extra videntem.

Reſp. 2. alios fuiſſe qui ſcripſerunt dictas apparitiones factas eſſe per quandam immutationem ſenſuum exteriorum, quâ fit, ut id quod non eſt, appareat; quomodo in cœlo & nube colores apparent qui non ſunt. Nimirum contendunt illi Deum, Patriarcharum aliorumve quibus Angeli dicuntur apparuiſſe, organa ſenſus ita moviſſe ut mota fuiſſent, ſi Angeli ſub aliquâ ſenſibili ſpecie ſeſe realiter præſentes exhibuiſſent.

Verum hæc opinio nullâ ratione probari poteſt; atque iiſdem refellitur momentis quæ mox adduximus ad priorem confutandam: quibus iſtud addi poteſt. Quæ vivido, uniformi ac conſtanti plurium ſenſuum teſtimonio comprobantur, ad imaginariam & fictitiam apparentiam reduci non poſſunt; hac enim ratione Chriſtus ſuis Apoſtolis probavit, ſe poſt Reſurrectionem verum, & non phantaſticum corpus habuiſſe: Lucæ 24. *Palpate & videte, quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Porro ii quibus Angeli dicuntur apparuiſſe, non unius ſenſus ſed plurium ſenſuum actione probarunt Angelorum præſentiam: ſcilicet illos viderunt, palparunt, cum iis manducarunt ac biberunt; ergo &c.

Reſp. 3. quoſdam exiſtimaſſe apparitiones Angelorum factas fuiſſe in veris corporibus quæ aſſumpſerunt Angeli in unitatem ſuppoſiti, ſeu illa ſibi uniendo hypoſtaticè. Rejicienda eſt iſta reſponſio tanquam erronea, inquit Sylvius 1. p. q. 51. art. 2. tùm quia unio hypoſtatica nullibi legitur facta prætérquam in myſterio divinæ Incarnationis; tùm etiam quia aſſumptio corporum ab Angelis facta, eſt naturalis (communis eſt enim bonis & malis) unio autem hypoſtatica eſt maximè ſupernaturalis, ut indicat S. Thomas 3. p. q. 3. art. 1.

Reſp. 4. Alios dixiſſe apparitiones hujuſmodi fieri in corporibus aſſumptis, non quidem in unitatem ſuppoſiti, ſed in corporibus, vel ex aëre, vel ex aliâ materiâ tenui & ſubtili formatis, quibus uniuntur Angeli, ſicut forma unitur materiæ. Rejicienda eſt etiam iſta reſponſio, inquit ibidem Sylvius: tùm quia, ſic uniri, eſt ejus formæ quæ in ratione entis & ſubſtantiæ individuæ eſt incompleta, utpote compars alicujus ſubſtantiæ completæ; Angelus autem eſt ſubſtantia completa: tùm etiam quia ex unione quâ forma ſubſtantialis unitur ſuæ materiæ, exurgit compoſitum quod eſt unum per ſe; ea unione verò Angeli ad corpus quod aſſumit, non poteſt exurgere unum per ſe, quia fatentibus omnibus id quod advenit enti completo, unitur ei accidentaliter, niſi uniatur hypoſtaticè.

Reſp. 5. Vulgatam ac communem Theologorum ſententiam eam eſſe quæ poſt ſanctum Thomam hic & in 2. diſt. 8. art. 3. docet, Angelos verè apparuiſſe, non quidem in propriâ ſpecie, ſeu in corporibus propriis, id eſt, hypoſtaticè aut naturaliter ſibi unitis, ſed in corporibus aſſumptis & formatis vel ex aëre circumſtante, vel ex aliâ materiâ tenui & ſubtili: hæc autem ſibi efformant virtute quâ pollent in res creatas, aërem ſcilicet condenſando & in oſſa, carnes cæteraſque humani corporis partes compingendo.

Juxta hanc ultimam ſententiam, cui ultrò ſubſcribimus, reſpondeo ad argumentum. Diſtinguo maj. Illi ſunt verè & propriè corporei qui in propriâ ſpecie ſeu in corpore proprio naturaliter ſibi unito, ſenſibus humanis ſunt perceptibiles, concedo maj. in alienâ ſpecie, ſeu in corpore aſſumpto & aſcititio, nego maj. ſimiliter diſt. min. & nego conſeq. Itaque Angeli multoties hominibus apparuerunt, cum iis ſunt collocuti, cum iis manducarunt ac biberunt &c. non quidem in corporibus propriis, ſed in corporibus aſſumptis. Solutio ex ſeſe & ex mox dictis patet.

Inſtabis: Illi apparuerunt in propriâ ſpecie, ſeu in corporibus ſibi propriis ac naturaliter unitis, qui in corporibus illis in quibus ſeſe viſibiles præbuerunt, verè & propriè reales ac vitales operationes exercuerunt; operationes enim vitales non poſſunt proficiſci niſi à principio interno vitaliter informante: atqui Angeli in corporibus in quibus viſibiles ſeſe præbuerunt, hujuſmodi operationes exercuerunt: ſcilicet Scriptura refert Angelos fuiſſe locutos, comediſſe, bibiſſe, ambulaſſe &c. & S. Auguſtinus Epiſtolâ 49. aſſerit, *verè* hæc ab ipſis facta: porrò iſtæ actiones, omnibus fatentibus, vitales ſunt; ergo &c.

Reſp. nego min. Quoad ſecundam partem, nempe Angelos in iis corporibus in quibus viſibiles ſeſe præbuerunt, actiones vitales verè & propriè exercuiſſe. Equidem Angeli (quod obſerva) in corporibus aſſumptis veras ac reales operationes exercere poſſunt, illas nimirum de quarum ratione non eſt ut procedant à principio vitali. Cùm enim Raphaël profectus eſt cum Tobia, ipſique loquebatur, verus erat ac realis motus illius corporis in quo apparebat; verus etiam ac realis ſonus quem edebat. At non poſſunt in aſſumptis corporibus ſeu per aſſumpta corpora verè & propriè exercere opera vitæ ſeu operationes vitales, propter rationem in objectione adductam. Operationes ſiquidem

dem vitales dicuntur, quæ proficiſcuntur à principio interno vitaliter informante: operationes autem quæ fiunt ab Angelis per aſſumpta corpora, non proficiſcuntur à principio interno vitaliter informante, cùm proficiſcantur ab Angelo qui non eſt internum principium illarum, neque eſt vitaliter informans; ergo &c.

Et verò nullus poteſt verè & propriè exercere opera vitæ, niſi habeat internum principium activum hujuſmodi operationum: atqui Angeli quamvis habeant principium, id eſt, virtutem quâ poſſint corpora ſeu partes eorum localiter movere, & hoc motu mediante quædam in illis opera exercere habentia aliquid commune cum operibus vitæ corporalis, iiſdemque valde ſimilia; non tamen habent principium internum activum ad veras & propriè dictas hujuſmodi actiones, quia non habent ſenſum, neque vim progreſſivam, comeſtivam, generativam &c. ergo non poſſunt eas verè & propriè exercere.

Quapropter dum Scriptura refert Angelos fuiſſe locutos, comediſſe, bibiſſe, ambulaſſe, vel quid ſimile feciſſe, ita loquitur Scriptura propterea quòd Angeli fecerint actiones ſecundùm ſpeciem externam ſimiles locutioni, comeſtioni & aliis. Quidquid enim ad ſubſtantiam pertinet in ejuſmodi operibus, quodque ſolent producere animata corpora, totum id ab Angelis per aſſumpta corpora verè exerceri poteſt, velut ſonum articulatum in aëre excitare, qualem nos loquentes excitamus, cibum frangere & comminuere, liquorem infundere, & utrumque in partes interiores trajicere atque etiam conſumere, quod homines edentes & bibentes faciunt; item movere corpus eo modo quo moventur homines ambulantes. Propter hæc & locutos fuiſſe Angelos, & ediſſe ac bibiſſe, & ambulaſſe legimus in Scripturis: non tamen exiſtimandum eſt quòd vera fuerit eorum locutio, comeſtio, bibitio; cùm iſtæ actiones de ſui ratione poſtulent fieri à principio vitaliter informante. Unde Angelus Raphaël Tobiæ 12. ſic loquitur: *Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere, ſed ego cibo inviſibili, & potu qui ab hominibus videri non poteſt, utor.* Quod autem hic de manducatione & bibitione propriè dictâ dicitur, id ſimiliter de cæteris vitæ corporalis operibus intelligendum eſt.

Ad id quod additur ex S. Auguſtino Epiſt. 49. reſpondeo ſanctum Doctorem non aſſerere quòd Angeli verè comederunt, ſed quòd legamus Angelos veras eſcas ſumpſiſſe, *non ficto & inani phantaſmate, ſed manifeſtiſſima veritate.* Quibus verbis vult oſtendere quòd Angeli non tantùm fictitiè & imaginariè viſi ſunt, vel eſcas ſumere, vel eas ori infundere; ſed quòd eſcas verè acceperint, veréque ad os poſuerint. Ex quo tamen non ſequitur veram hanc fuiſſe ac propriè dictam comeſtionem, cùm profecta non ſit à principio vitali; quod quidem in homine non aliud eſt quàm anima quæ verè ac ſubſtantialiter unitur corpori; Angeli autem non verè ac ſubſtantialiter, ſed accidentaliter tantùm, hoc eſt, per quaſdam exteriores operationes, eo ferè modo quo motor mobili, ſicuti v. g. nauta navi, corporibus aſſumptis uniantur.

Dixi, *eo ferè modo* quo motor mobili: quia Angelum aſſumere aliquod corpus, non eſt præcisè quid idem ac ipſum uniri corpori, ſicut motor unitur mobili, cùm certum ſit Angelos non omnia aſſumere corpora quæ movent; ſed Angelum aſſumere corpus, eſt ipſum uniri corpori ut motorem mobili in quo ſuam perſonam, ſuaſve proprietates vel actiones aliquo modo repræſentet. *Aſſumit Angelus corpus*, ait S. Thomas quæſt. 6. de potentiâ art. 7. ad 1. *non ut ſuæ naturæ uniat, ſicut homo aſſumit cibum; neque ut uniat ſuæ perſonæ, ſicut Filius Dei aſſumpſit naturam humanam, ſed ad ſuam repræſentationem, illo modo quo intelligibilia per ſenſibilia repræſentari poſſunt. Tunc ergo Angelus corpus aſſumere dicitur, quando corpus aliquod hoc modo format quod ad repræſentationem ſuam eſt aptum*; ſive quod eſt conveniens ad repræſentandum id quod vult de ſe manifeſtare, quemadmodum indicat idem S. Doctor in 2. diſt. 8. a. 2. conformiter iis quæ hic docet in reſponſione ad 2. Hinc eſt quod etſi ſecundùm Ariſtotelem concederetur Angelos movere orbes cœleſtes, non poſſunt tamen dici eos aſſumere; quia licet uniantur eis ut motores mobilibus, non tamen uniuntur ſic ut in illis repræſententur vel appareant.

Quinta Objectio ex aliis momentis Theologicis.

Objicies denique, Illi non ſunt purè immateriales ac incorporei, qui habent aliquam cum quibuſdam rebus corporeis ſympathiam & antipatiam: atqui Angeli, præſertim mali, habent hujuſmodi ſympathiam & antipatiam. Sic 1. Regum. 16. refertur, ad pulſum citharæ Davidis dæmonem à Saule receſſiſſe. Sic etiam Tobiæ 6. v. 8. & cap. 8. v. 2. legitur fumo jecoris piſcis cujuſdam fugatum fuiſſe dæmonem, ejuſque maleficium depulſum. Eandem dæmones exagitandi & expellendi vim quibuſdam rebus corporeis ineſſe, liquet ex variis ritibus in exorciſmis obſervari ſolitis; ergo Angeli non ſunt purè immateriales & incorporei.

Adde quòd S. Auguſtinus Lib. 8. de civit. Dei cap. 16. & alii dicant dæmones delectari rebus quibuſdam ſenſibilibus, v. g. odoribus, nidoribus & fumo: at hæc delectatio ſenſitiva non poteſt eſſe niſi alicujus ſentientis, & proinde corporei.

Denique cùm torqueantur igne corporeo, conſequens videtur eos aut corporeos, aut propria quædam habere corpora in quibus ab igne patiantur; corpus enim in rem merè ſpiritualem agere non poteſt.

Reſp. Ad primum, ſupra dictos effectus non oriri ex vi nativâ & oppoſitione inter res ipſas & dæmones; ſed ex eo quòd Deus interdum rebus naturalibus & corporeis ad dæmones expellendos veluti inſtrumentis ad hoc aſſumptis utatur, ut patet exemplis allatis.

Vel etiam dici poteſt, certis quibuſdam rebus ſenſibilibus & corporeis dæmones abigi, quatenus res illæ contrariæ ſunt aliis rebus corporeis, quibus veluti ſignis rerum ſpiritualium ipſos allici, ex divo Auguſtino docet Angelicus Doctor 1. p. q. 115. art. 5. ad 3. his verbis: *Dicendum quòd ſicut Auguſtinus ait Lib. 21. de civitate Dei, dæmones alliciuntur per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum, non ut animalia cibis, ſed ut ſpiritus ſignis; in quantùm nempe hæc eis exhibentur in ſignum divini honoris cujus ipſi ſunt cupidi.*

Ac per hoc patet reſponſio ad id quod ſubjungitur ex ſancto Auguſtino: ſcilicet dæmones nidoribus & fumo propriè non delectantur, quaſi ex illis voluptatem corporalem percipiant; ſed dicuntur iis delectari, quatenus eis placent oblationes & ſacrificia ab hominibus perditis qui ſe ipſis devovent exhibita, quorum ſigna ſunt nidor, fumus &c.

Ad ultimum reſpondeo, ut igni inferni dæmones crucientur phyſicè aut moraliter, non eſſe opus eos eſſe corporeos aut habere corpora ſibi naturaliter unita: nam & animæ ſeparatæ, licet purè ſpirituales, eo torquentur. Quomodo autem illæ animæ vel dæmones pati poſſint ab igne, commodior erit alibi dicendi locus, ubi de pœnâ dæmonum-

num. Sufficiat hic obſervaſſe cum ſancto Auguſtino Lib. 21. de civit. Dei cap. 10. *Quamvis miris, veris tamen modis, etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affici.*

Quæres, utrum fidei ſit Angelos eſſe incorporeos.

Reſp. 1. quibuſdam videri ad fidem pertinere doctrinam ſuperius traditam, ſcilicet Angelos incorporeos eſſe, nec habere corpora ſibi naturaliter unita. Nituntur ii potiſſimùm authoritate Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. quod cap. 1. de fide catholica, ſic loquitur: *Firmiter credimus Deum...... de nihilo utram condidiſſe creaturam, ſpiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtituentam.* Ubi, inquiunt auctores hujuſce ſententiæ, Patres Concilii definiunt angelicam naturam ſpiritualem eſſe, tum per oppoſitionem ad entia quæ merè corporea ſunt, tum etiam per oppoſitionem ad hominem, qui ex corpore & ſpiritu conſtat.

Reſp. 2. cum Suareſio Lib. 1. de Angelis cap. 6. quæſtionem de quâ agitur ad fidem non pertinere. Ratio eſt quia omnes ferè Scholaſtici, etiam ii qui ſcripsêre poſt tempora Concilii Lateranenſis, quamvis doceant Angelos eſſe purè immateriales & incorporeos, negant tamen id ab Eccleſia fuiſſe definitum, & proinde ad fidem ſpectare. Ita S. Thomas. De malo quæſt. de dæmonibus art. 1. Sixtus Senenſis Lib. 5. Bibliothecæ ſanctæ annot. 3. Bartholomæus Carranza Collector Summæ Conciliorum, in annotatione ad Actionem quintam ſeptimæ Synodi. Cajetanus adeo non putat eſſe fidei, ut ſcribens ſuper illud Epheſ. 2. *ſecundum principem poteſtatis aeris hujus*, affirmet dæmones eſſe ſpiritus aereos; ac denique Dominicus Banoes in primam partem quæſt. 51. art. 1. Ita etiam expreſſè docent Salmanticenſes, Eſtius, Sylvius, Metarius & alii

Neque efficaciter colligitur quòd iſta res ſit fidei ex citato mox ab authoribus primæ ſententiæ Concilii Lateranenſis Decreto. *Quod enim Angeli ſint ſpirituales & incorporei*, inquit Sylvius 1. p. quæſt. 51. art. 1. *non fuit ibi ex profeſſo aſſertum à Patribus, tanquam hoc definientibus, ſed potius tanquam hoc ſupponentibus, & quaſi aliud agendo. Eorum ſiquidem intentio erat duntaxat definire quòd Deus ſit author & creator omnium rerum. tam earum quæ dicuntur corporales, quam illarum quæ dicuntur ſpirituales*: (idque appoſitè ad errorem Albigenſium, contra quos agebatur, qui hac in parte ſecuti Manichæos, contendebant Deum non eſſe rerum omnium principium, ſed quaſdam eſſe corporales, ſcilicet à principio nequam, alias verò à bono principio, quod quidem Deum eſſe fatebantur.) Porro, pergit ibidem Sylvius, hoc non cenſetur à Conciliis definitum, quòd in eis dicitur non ex intentione definiendi, ſed magis vel ſupponendo, vel obiter & quaſi per tranſennam aſſerendo.

Reſp 3. cum Eſtio in 2. diſt. 8. parag. 4. abſque temeritate affirmari non poſſe Angelos eſſe corporeos, aut habere corpora ſibi naturaliter unita. Id ipſum probat Eſtius ibidem hæc ratione, *quia Patres Concilii Lateranenſis capite primo ſatis videntur explicuiſſe mentem ſuam de Angelis, tanquam creatura mere ſpirituali, licet abſque intentione definiendi, inde eſt quod temere facturus ſit, qui poſt illud decretum auſus fuerit aliter docere.* Idem etiam docet ac probat Sylvius 1. p. q. 51. art. 1. tum ex ſæpius citato Decreto Lateranenſi; tum etiam ex unanimi Theologorum conſenſu. *Negari non poteſt*, inquit, *quin poſt iſtam Concilii ſententiam, & poſt Scolaſticorum unanimem conſenſum*, *valde nunc foret temerarium aſſerere, quòd Angeli ſint corporei, vel quod habeant corpora ſibi naturaliter unita.*

ARTICULUS II.

Utrum Angeli incorruptibiles ſint & immortales.

Obſervandum 1. aliquid triplici modo dici poſſe immortale, incorruptibile, indefectibile.

I. Quidem *abſolutè*, quod ſcilicet talis eſt naturæ, ut per nullam potentiam deſtrui poſſit & in nihilum abire; quodque adeo caret principio tùm intrinſeco tùm extrinſeco ſuiipſius deſtructivo. Hac ratione ſolus Deus dici poteſt immortalis.

II. *Hypoteticè*, quòd nempe ex principiis ſuis intrinſecis, ubi ſemel accepit eſſe, exigit in perpetuum perſeverare ac nuſquam deficere; licet tamen per abſolutam Dei potentiam deſtrui poſſit & annihilari. Ita anima rationalis immortalis eſt & incorruptibilis.

III. Denique illud dicitur immortale, quod ſemper extiturum eſt, & nuſquam interiturum: non quidem ex principiis ſuis intrinſecis, ſed ex ſolâ gratiâ favore ac liberalitate Dei.

Obſervandum 2. conſtare apud Theologos fide divinâ tenendum eſſe, omnes Angelos tam bonos quàm malos ſemper futuros eſſe, nec unquam interituros, & proinde immortales ſeu incorruptibiles eſſe, hoc ſenſu, quòd nunquam eſſe deſinent. Idipſum docent omnes ad unum Theologi contra Hæreticos nomine *Libertinos*, qui negant Angelos & animas rationales eſſe immortales, ita quòd ſicut initium ſic & exitum ſint habituri: quippe ſolius Dei propriam eſſe immortalitatem volunt, cujus res creatæ participes eſſe nequeunt.

Obſervandum 3. hoc ſemel ſuppoſito tanquam certo apud omnes Theologos, ſcilicet Angelos omnes in perpetuum extituros eſſe, nec unquam interituros, & proinde immortales ſeu incorruptibiles eſſe, alteram enaſci quæſtionem, utrum nempe Angeli quòd ſint immortales, habeant ex naturâ, an aliunde.

Circa quod duæ ſunt potiſſimum Theologorum opiniones.

Prima affirmat Angelos ex ſeſe & naturâ ſuâ non eſſe immortales & incorruptibiles, ſed ex ſolo Dei beneficio; quia cùm ex nihilo educti fuerint, etiam in nihilum abire ex ſe poſtulant. Ita Gabriel diſt. 2. quæſt. 1. art. 2. concluſ. 6. Ochamus in 2. quæſt. 7. & ex recentioribus Vaſques hic diſp. 182. cap. præſertim 2.

Secunda aſſerit illos ex naturâ ſuâ ac principiis intrinſecis incorruptionem & immortalitatem exigere; ita ut per ſolam Dei potentiam extraordinariam deſtrui poſſint; & annihilari. Atque hæc ſententia communis eſt apud Theologos, eamque expreſſè docent S. Thomas 1. parte quæſt. 10. art. 5. & quæſt. 50. art. 5. Cajetanus, Medina, Sotus, quibus ſubſcribunt Molina in hunc articulum 5. Valentia, Suarez, Leſſius & alii. His præſuppoſitis ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli ſunt in perpetuum extituri, nullique interitui ſubjacebunt unquam. Concluſio eſt de fide.

Probatur 1. ex iis omnibus Scripturæ ſacræ textibus, quibus conſtat Angelos bonos æternum perſeveraturos in gloriâ, malos verò in pœnâ.

Ac de bonis quidem id habetur Lucæ 20. ubi

oobis promittitur æqualitas cum Angelis, cùm vitam puſſidebimus æternam: *Illi vero qui digni habebuntur ſæculo illo & reſurrectione ex mortuis, neque nubent..... neque ultra mori poterunt: æquales enim Angelis ſunt.* Cùm ergo æterna futura ſit juſtorum hominum beatitudo, idem judicandum eſt de ſanctorum Angelorum præmio ac beatitudine.

De malis autem expreſſa eſt Scripturarum doctrina Matth. 25. *Ite in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Et Epiſt. ſancti Judæ v. 6. dicitur Angelos qui non ſervavêrunt ſuum principatum, eſſe vinculis æternis ſub caligine reſervatos. Angeli itaque ſeu boni ſeu mali nunquam deſinent, æternumque vivent.

Probatur 2. ex SS. Patribus qui conſtanter aſſerunt *Angelos eſſe ſubſtantias incorporeas, intellectuales & immortales.* Ita S. Athanaſius Lib. de communi eſſentiâ divinitatis, S. Baſilius in Pſalmum 44. S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 8. Theſauri c. 2, idemque ſenſus eſt aliorum omnium Patrum & omnium Fidelium, quem Sophronius Patriarcha Jeroſolymitanus expreſſit in Epiſtolâ quæ lecta eſt in ſextâ Synodo Actione 11. approbata verò à Patribus ejuſdem Synodi Act. 13. in eâ enim tam Angelos quàm animas hominum incorruptibiles & immortales eſſe docet.

Probatur 3. hac ratione: animas humanas immortales credere neceſſe eſt, juxta totius Eccleſiæ ſenſum, & Concilii Lateranenſis ſub Innoc. X. definitionem: *Sacro approbante Concilio damnamus*, inquiunt Patres Lateranenſes, *& reprobamus omnes aſſerentes animam intellectivam mortalem eſſe; cùm illa non ſolùm verè & per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, verùm & immortalis.* Porrò Angeli animas & humanum genus perfectione antecellunt 2. Petri 2. & Hebr. 2. ergo & ipſos immortales eſſe credendum eſt.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angeli ſunt incorruptibiles & immortales ex ſuis principiis intrinſecis.

Probatur. Subſtantia omnino incorporea & purè ſpiritualis dici debet intrinſecè & per naturam incorruptibilis ac immortalis: atqui ſubſtantia angelica omnino incorporea eſt & purè ſpiritualis; ergo &c. Minor conſtat ex dictis priori Articulo. Major verò probatur, quia ut hic ratiocinatur Doctor Angelicus, illud eſt incorruptibile ab intrinſeco, quod intrinſecè non conſtat materiâ quæ eſt unicum corruptionis principium: atqui ſubſtantia purè ſpiritalis & incorporea intrinſecè non conſtat materiâ; ergo &c.

Et verò nihil corrumpitur niſi in quantùm vel forma ejus ſeparatur à materiâ, vel partes diſſolvuntur, vel denique propter pugnam contrariæ qualitatis: porrò ſubſtantia omnino ſpiritualis non eſt compoſita ex materiâ & formâ; non habet partes quæ diſſolvantur, nihilque habet ſibi contrarium; ergo &c.

TERTIA CONCLUSIO.

Angeli non ſunt immortales & incorruptibiles abſolutè, ſeu ratione potentiæ Dei extraordinariæ, quâ nempe agit præter exigentiam cauſarum naturalium.

Ratio à priori eſt quòd ſicuti Deus Angelos liberè produxit, ut & alias res omnes creatas, ita productos conſervat liberè: quemadmodum ergo potuit non producere, ita poteſt non conſervare, porrò ſi non conſervaret, in nihilum abirent; ſicut ſi non produxiſſet, extra nihilum nunquam fuiſſent; ergo Angeli dici non poſſunt immortales, incorruptibiles, abſolutè & reſpectu extraordinariæ Dei potentiæ.

Hoc ipſum expreſsè docent Sophronius Epiſt. ſupra citatâ, S. Hilarius in Pſalm. 148. S. Auguſtinus Lib. 5. de Geneſi ad litteram cap. 2. S. Cyrillus Lib. 8. Theſauri cap. 2. S. Gregorius Lib. 12. Moralium cap. 18.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Concluſionem. In ſacris Scripturis Deus ſolus dicitur immortalis 1. ad Timoth. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem*; ergo immortalitas nec Angelis nec animabus rationalibus competit.

Reſp. diſt. ant. Solus Deus dicitur immortalis, immortalitate abſolutâ, eſſentiali & independenti, concedo, participatâ & dependenti, nego. Scilicet ſolus Deus ex ſe & per ſe ac independenter ab omni alio eſt abſolutè immortalis, utpote qui ſit eſſentialiter vita: Angeli autem, ſicut & animæ rationales, participativè ſolùm ac dependenter ſunt immortales, cùm hoc à Deo acceperint.

Addi poteſt quòd perfecta immortalitas ſit omnimoda immutabilitas; omnis enim mutatio mors quædam eſt, ut ait S. Auguſtinus Lib. 3. contra Maximinum cap. 12. & S. Bernadus ſerm. 81. in Cantica. Sicut ergo ſolus Deus eſt prorſus immutabilis, ita ſolus eſt perfectè immortalis. Expoſitionem hanc refert S. Auguſtinus Lib. 1. de Trinitate cap. 1.

Objicies 2. contra ſecundam Concluſionem. Plurimi è SS. Patribus docent Angelos non naturâ, ſed ſolâ Dei gratiâ immortales eſſe.

S Ambroſius Lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 2. *Neque*, inquit, *Angelus immortalis eſt naturaliter, cujus immortalitas in voluntate eſt Creatoris.* Et infra generaliter de omni creaturâ ſic loquitur: *Ergo corruptelæ & mortis, etiamſi non moriatur aut peccet, capax tamen eſt omnis creatura.*

S. Damaſcenus Lib. 2. c. 3. ſic loquitur: *Immortalis eſt Angelus, non naturâ: nam quidquid initium habuit, & deſinere ſuapte naturâ poteſt.* Eadem eſt ſententia Patrum quos ad finem Concluſionis tertiæ mox laudavimus.

Denique in Epiſtolâ Sophronii ſupra memoratâ, & in ſextâ Synodo generali approbatâ ſic legitur: *Intellectualia & inviſibilia nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur: non tamen ſunt immortalia per naturam, neque in eſſentiam incorruptibilem tranſeunt; ſed gratiam eis largitus eſt Deus à corruptione & morte ea coercentem. Sic animæ hominum permanent incorruptæ, ſic Angeli immortales perſeverant, non naturam reverâ incorruptam, proprieve immortalem habentes eſſentiam, ſed gratiam à Deo ſortiti, quæ immortalitatem largitur & incorruptionem eis providet.* Hæc ille.

Ex his omnibus colligitur, in mente ac doctrinâ horumce SS. Patrum, Angelos & animas rationales non eſſe naturâ & ex principiis ſuis intrinſecis immortales, ſed gratiâ, favore, ac liberalitate Dei dumtaxat; cùm diſertè doceant 1. quidquid initium habuit *ſuapte naturâ deficere poſſe.* 2. Angelos & animas rationales non habere naturam *reverâ & propriè immortalem.* 3. intellectualia nullatenus quidem mori, neque tamen eſſe immortalia *per naturam*, ſed *per gratiam à corruptione & morte ea coercentem.*

Reſp. diſt. ant. Plurimi è SS. Patribus docent Angelos non eſſe immortales *naturâ*, id eſt, ex vi

ſuæ

ſuæ eſſentiæ & à ſe, ac independenter à cujuſvis alterius influxu, concedo: non eſſe immortales *natura*, id eſt, ex ſuis principiis non exigere in perpetuum conſervari ac nuſquam deficere, nego.

Similiter diſt. alteram ejuſdem antecedentis partem. Plurimi è SS. Patribus docent Angelos non eſſe immortales naturâ, ſed ſolâ Dei *gratia*; id eſt, Dei beneplacito ac liberâ voluntate, quâ voluit Angelos creare & perpetuò conſervare immortales, concedo: Dei *gratia*, id eſt, beneficio aliquo ordinis ſupernaturalis, nego.

Atque ut hæc ſolutio clarior fiat, & mens ac doctrina SS. Patrum circa præſentem quæſtionem pleniùs dignoſcatur.

Adverte 1. particulam, *ex natura*, dupliciter accipi poſſe.

I. ut idem ſignificet quod ex vi ſuæ eſſentiæ & à ſe, independenter à cujuſvis alterius influxu. Hoc ſenſu Patres laudati meritò negant Angelos dici poſſe immortales *ex natura ſua*; hoc enim eſſet aſſerere eos omnino eſſe independentes, quod eſt hæreticum.

II. vocabulum *ex natura* ſic accipi poteſt, ut ſignificet naturalem inclinationem & exigentiam ad ſemper ſubſiſtendum & nuſquam deficiendum. Hoc ſenſu SS. Patres citati non inficiantur Angelos eſſe *natura ſua* indefectibiles & immortales: ſiquidem cum juxta ipſos ſint incorporei ac conſequenter nullum corruptionis & defectionis in ſe principium includant, naturaliter exigunt perpetuò ſubſiſtere, ita ut interitus & defectio ipſis eſſe omnino contra naturam; ſicut igni violenta foret nativo calore ſpoliatio, & cauſis ſecundis violenta pariter foret privatio concurſus divini ipſis naturaliter debiti ad operandum.

Adverte 2. duobus etiam modis ſumi poſſe *gratiæ* nomen.

I. pro beneficio aliquo ordinis ſupernaturalis; quo ſenſu Apoſtolus ad Epheſ. 2. ait: *Convivificavit nos in Chriſto, cujus gratiâ ſalvati eſtis.*

II. pro liberali Dei dono & influxu, quo omnes creaturæ, hoc ipſo quo creaturæ ſunt, indigent, tùm ut ſint, tum ut conſerventur & agant. Hoc ſenſu beneficium creationis & conſervationis, quia gratis à Deo conceditur, gratia vocatur à Patribus Concilii Africani apud S. Auguſtinum Epiſtola 95. *Non improbandâ ratione dicitur gratia Dei qua creati ſumus ut nonnihil eſſemus.... quia non præcedentium aliquorum operum meritis, ſed gratuita Dei bonitate donata eſt.*

His ſuppoſitis patet ſolutio tùm ad ea SS. Patrum teſtimonia quæ mox objecta ſunt, tum an alia benè multa quæ refert Vaſques loco ſupra citato. Scilicet Angeli & animæ rationales ab iis SS. Patribus dicuntur eſſe non *natura* ſed *gratia* immortales & incorruptibiles, quia non ſunt immortales ex vi ſuæ eſſentiæ & à ſe, ac independenter à cujuſvis alterius influxu, ſed egent generali Dei dono & influxu, perpetua nempe omnipotentis Dei manu conſervatrice, ſine qua in nihilum ex quo formati ſunt, relaberentur: verum hac ſemel poſita conſervationis exigentia, non negant eos eſſe *natura* immortales: cùm enim idem SS. Patres doceant Angelos eſſe purè immateriales & omnino incorporeos, conſequens eſt ut pariter agnoſcant, illos ſecundùm exigentiam cauſarum naturalium deſtrui non debere; ſiquidem quod purè immateriale eſt & incorporeum, omni prorſus corruptionis & deſtructionis principio caret.

Inſtabis: Quod *natura ſua* in nihilum tendit ac inclinatur, non poteſt dici incorruptibile ſecundum inclinationem & exigentiam naturalem: atqui SS. Patres mox laudati aſſerunt Angelos eſſe *natura* corruptibiles & mortales, quia ex nihilo formati ſunt, & ad nihilum *natura ſua* propendent & inclinantur; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quod ad nihilum *natura ſua* inclinatur, id eſt ex aliquo principio intrinſeco corruptioni & defectui obnoxio, poteſtque vel à cauſis corruptivis deſtrui, vel deſinere per negationem ulterioris concurſus Dei agentis ſecundum potentiam ordinariam, illud dici nequit immortale, incorruptibile ſecundùm inclinationem & exigentiam naturalem, concedo: quod ad nihilum *natura ſua* tendit, hoc ſolùm ſenſu, quòd deſtrui poſſit per extraordinariam & abſolutam Dei potentiam, utentis ſcilicet ſuo ſupremo in creaturas dominio, etiam contra earum naturalem ordinem & exigentiam, illud dici nequit immortale & incorruptibile ſecundùm inclinationem & exigentiam naturalem, nego. Ad eundem ſenſum diſtinctâ minore nego conſeq.

Fateor itaque quòd Angeli *natura ſua* ſint in potentiâ obedientiali ut à Deo poſſint deſtrui: at nego quod hæc deſtructio foret eis connaturalis ac conformis eorum principiis intrinſecis, adeoque reverâ ſemper dicendi ſunt intrinſecè & *natura ſua* incorruptibiles.

Objicies 3. contra eandem Concluſionem Illi non intrinſecè & *ex natura ſua* ſunt immortales, incorruptibiles, qui in nihilum redigi poſſunt: atqui Angeli, ſicut & cætera omnia creata, à Deo in nihilum redigi poſſunt. Ut enim ait ſanctus Gregorius Lib. 16. Moralium cap. 18. *Omnia in nihilum tenderent, niſi ea manus omnipotentis conſervaret*, ergo Angeli non ſunt intrinſecè & *ex natura ſua* immortales.

Reſp. nego maj. ut enim obſervat Doctor Angelicus hic ad 3. *Non per hoc aliquid dicitur eſſe corruptibile, quòd Deus poſſit illud in non eſſe redigere, ſubtrahendo ſuam conſervationem; ſed per hoc quod in ſeipſo aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel ſaltem potentiam materiæ.* Porro Angeli, utpote purè immateriales & incorporei, his omnibus carent; ergo ſunt intrinſecè incorruptibiles, immortales.

Inſtabis: Quod eſt alicui connaturale & intrinſecum, infert ſecum in eo repugnantiam ad oppoſitum: atqui Angeli non habent repugnantiam ad non exiſtendum, cum poſſint per abſolutam Dei potentiam deſtrui & annihilari; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quod eſt alicui naturale infert ſecum in eo repugnantiam ad oppoſitum, quod accidat rei per cauſas agentes juxta naturæ ordinem & exigentiam, concedo: quod accidat per abſolutam & extraordinariam Dei potentiam, nego. Similiter diſtinctâ min. nego conſeq. Itaque immortalitas quæ eſt Angelo connaturalis, infert in eo repugnantiam ut deficere poſſit, vel à ſe, vel per cauſas extrinſecas naturaliter illius corruptivas: non tamen dicit repugnantiam ut à Deo præter naturam agente deſtrui poſſit & annihilari.

Et verò ſicut ignis, licet vim habeat calefactivam naturalem ac innatam, tamen poteſt non calefacere, ſi nempe Deus cum eo ad calorem producendum non concurrat: ita pariter licet Angelus vim innatam ad incorruptionem habeat, poterit deficere, ſi Deus influxum conſervativum ſubtrahat, quem poteſt illi liberè denegare, utendo ſua abſoluta poteſtate.

Urg bis: Angeli non habent repugnantiam ut à Deo annihilentur per extraordinariam ſaltem Dei potentiam: atqui hæc non repugnantia eſt vera potentia naturalis ac poſitiva ad *non eſſe*; ergo ex natura

tura ſua poſſunt deficere; adeoque non ſunt naturaliter indefectibiles.

Reſp. nego min. Hæc non repugnantia non eſt vera, naturalis ac poſitiva potentia ad *non eſſe*: neque enim ulla res ſuapte naturâ poſitivè fertur & inclinatur in malum ſuum, quale eſt ſuiipſius deſtructio; ſed ſolùm infert potentiam obedientialem, quâ quælibet creatura ſubditur Deo, ad hoc ut in ea vel ex ea faciat quidquid contradictionem non implicat.

Unde ſequitur quòd Deus Angelum annihilando violentiam illi non inferret, quia licet tunc ageret contra inclinationem particularem quam habet Angelus ad ſemper durandum; non tamen ageret contra inclinationem univerſalem, quam ut pars univerſi habet ad obediendum Creatori. Porrò ut advertit S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 5. quæ fiunt contra inclinationem particularem, dici non poſſunt ſimpliciter violenta, ſi fiant juxta generalem rei inclinationem. *Sicut,* inquit S. Doctor, *cum aliquis inflectit membrum contra naturalem diſpoſitionem, hoc eſt violentum ſecundùm quid, ſcilicet quantum ad membrum particulare, non tamen ſimpliciter quantùm ad ipſum hominem.*

ARTICULUS III.

Utrum omnes Angeli ſint unius & ejuſdem ſpeciei.

Circa præſentem quæſtionem tres ſunt præcipuæ theologorum ſententiæ.

Prima eſt S. Thomæ in 2. diſt. 3. q. 1. art. 4. & in diſt. 17. q. 2. art. 1. & in Summa 1. parte q. 50. art. 4. & alibi; Cajetani de ente & eſſentia cap. 5. q. 9. & aliorum affirmantium omnes Angelos ſive ejuſdem ſive diverſi ſint ordinis, ſpecie inter ſe differre; atque eſſe impoſſibile dari plures Angelos ſolo numero diverſos. Impoſſibile, inquam, vel abſolutè & ſimpliciter, ut ſentiunt Cajetanus, & alii per eum citati; vel de potentia ordinaria, quod videtur ſentire S. Thomas Opuſculo 16.

Secunda, priori oppoſita, vult omnes Angelos, ſive ejuſdem, ſive diverſi ſint ordinis, in eadem ſpecie conſtitui, ac ſolo numero diſtingui. Ita ſentire videtur S. Baſilius Lib. 5. contra Eunomium, ubi ſic loquitur: *Inter Angelos differentia eſt ordinis & dignitatis; & tamen ejuſdem naturæ ſunt omnes, ſicut ejuſdem appellationis.*

Tertia ſententia & media inter præcedentes, affirmat alios quidem Angelos, qui ejuſdem ſunt ordinis, ejuſdem etiam eſſe ſpecificæ naturæ; alios verò qui diverſorum ſunt ordinum, etiam naturâ ſeu ſpecie differre.

Eſt præterea aliorum nonnullorum ſententia. Volunt illi quæſtionem hanc ab humana cognitione remotam eſſe, cùm nec revelatione tradita ſit, nec lumine naturali cognoſci poſſit; adeoque planè nobis incertum eſſe, utrum Angeli ejuſdem ſpeciei ſint, an diverſæ. Sic ſanctus Auguſtinus Lib. contra Priſcillianiſtas ad Oroſium cap. 10. & S. Damaſcenus Lib. 2. de fide orthodoxâ cap. 3. His ſuppoſitis, ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Certâ fide non conſtat, utrum omnes Angeli ſint unius aut diverſæ ſpeciei.

Probatur: quia hac de re nihil certi divinitùs Eccleſiæ traditum eſt. Diſertè iſtud teſtantur SS. Auguſtinus & Damaſcenus.

S. Auguſtinus Lib. contra Priſcillianiſtas ad Oroſium cap. 10. *Eſſe itaque Sedes,* inquit, *Dominationes, Principatus, Poteſtates in cæleſtibus apparatibus firmiſſimè credo, & differre inter ſe aliquid indubitata fide teneo. Sed....... quænam iſta ſint, & quid inter ſe differant, neſcio; nec ſane ignorantiâ periclitari me puto.* Idem aſſerit Enchir. cap. 58. Quibus in locis S. Auguſtinus fatetur quidem ſe *indubitatâ fide* tenere Angelos inter ſe aliquid differre: at ibidem ingenuè profitetur ſe neſcire *quid* & qua ratione *inter ſe differant*; id eſt, utrum unius aut diverſæ ſint ſpeciei.

S. Damaſcenus Lib. 2. de fide orthodoxâ cap. 3. *Soli Deo,* inquit, *qui Angelos fecit, pro certo comperta eſt Angelorum inter ſe ſubſtantialis differentia; utrum ſcilicet ſecundum ſubſtantiam ſint æquales, an differentes.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Certum eſt dari poſſe plures Angelorum ſpecies.

Probatur: quia nulla hic apparet contradictio. Et verò cùm Deus ſit infinitus in ratione ſubſtantiæ ſpiritualis completæ, profectò in tali ratione eſt infinitâ varietate participabilis & imitabilis; adeoque dari poſſunt plures ſpecies ſubſtantiæ ſpiritualis completæ: porrò ſubſtantia ſpiritualis completa eſt Angelus; ergo &c.

TERTIA CONCLUSIO.

Certum etiam videtur, poſſibile eſſe ſub eâdem ſpecie dari plures Angelos ſolo numero differentes.

Probatur: quia non eſt aliquid denegandum omnipotentiæ divinæ, niſi quod manifeſtam involvit contradictionem: ea autem in propoſito nondum apparet.

Et certè præcipuum fundamentum quo nititur oppoſita ſententia illud eſt, quia individuatio petitur à materiâ *ſignatâ*, ut ajunt, ſeu, quod idem eſt, affectâ quantitate: at hoc falſum eſſe liquet multiplici momento.

I. De fide eſt dari unum tantummodo Deum ſecundùm numerum, ita ut impoſſibile ſit unitatem iſtam multiplicari: in Deo tamen nulla datur materia affecta quantitate.

II. Omnes animæ rationales, etiam ſeparatæ, ejuſdem ſunt ſpeciei, ſolo differentes numero: quam quidem differentiam in eis efficit, non materia, quâ dum ſeparatæ ſunt, carent; ſed proprietatum ſingularium quibus affectæ ſunt, diverſitas. Quòd ſi ita res ſe habet in animabus, idem dicendum in Angelis.

III. Gratia ſanctificans, lumen gloriæ, viſio beatifica, aliaque accidentia ſupernaturalia, ſunt ejuſdem ſpeciei in omnibus & hominibus & Angelis, in quibus proinde ſolo numero differunt, idque independenter à materiâ.

His demum accedit quòd anno 1325. à ſacrâ Facultate Pariſienſi, agente Stephano Epiſcopo, proſcripti ſunt plures articuli quorum unus ſic habet: *Deus non poteſt multiplicare individua ſub unâ ſpecie ſine materiâ.* Ergo licet Angeli ſint purè immateriales, nihil obſtat quominus intra eandem ſpeciem multiplicari poſſint; ac proinde dari poſſunt plures Angeli ſolo numero differentes.

Obſerva hic obiter, cenſurâ articuli mox laudati proſcribi *Averrois* doctrinã, quâ docuit unum numero intellectũ eſſe in omnibus hominibus. Quam doctrinam ut hæreticam S. Thomas multis in locis oppugnat, ac ſpeciatim & ex profeſſo Opuſc. 16. cui titulus, *De unitate intellectus contra Averroiſtas.*

QUAR-

QUARTA CONCLUSIO.

Probabiliùs eſt, non omnes Angelos eſſe unius & ejuſdem ſpeciei.

Probatur 1. Ex Scripturâ, quæ ſæpiùs indicat diſtinctionem & inæqualitatem inter ipſos Angelos, cùm aliquos vocat Archangelos, aliquos Principes, aliquos Dominationes &c. ut conſtat ex cap. 1. & 2. ad Coloſſenſes, & 1. ad Corinth. & aliis locis. Porro quamvis diſtinctio hæc dici poſſit accidentalis ac numerica, videlicet orta ex diverſitate meritorum & officiorum, tamen probabiliùs exiſtimatur eſſentialis ac ſpecifica: ut enim docet S. Thomas, & communiter poſt ipſum Theologi, diverſa dona gratuita fuêre Angelis diſtributa ſecundùm diverſitatem naturalium.

Probatur 2. quia huic ſententiæ plurimi SS. Patres favere videntur.

S. Dionyſius de cœleſti hierarchiâ cap. 5. *Enuntiant*, inquit, *ſanctorum voluminum Traditiones, ſuperiores ſubſtantias eſſe graduum inter ſe celſitudine differentes.* Jam verò differentia graduum ad minùs ſignificat diverſitatem ſpecificam; nam plura individua ſolo numero differentia, non differunt inter ſe diverſis gradibus, *ſeu graduum celſitudine.*

S. Hieronymus Lib. 2. contra Jovinian. cap. 15. ſic habet: *Inter inviſibiles creaturas* (loquitur de Angelis) *multiplex eſt & infinita diverſitas.*

Idem docent S. Auguſtinus in Enchir. c. 29. S. Anſelmus Lib. 1. *Cur Deus homo.* cap. 21. & alii.

Probatur 3. Id maximè aſſerendum eſt Deum conſtituiſſe, quod magis cedit in ipſius divinæ potentiæ ac ſapientiæ commendationem, & univerſi pulchritudinem, quodque ex naturâ ſuâ non repugnat: atqui plures eſſe Angelos ſpecie diverſos nullatenus repugnat, ut conſtat ex dictis præcedenti Concluſione; aliunde verò ſpecifica Angelorum diverſitas maximè conducit in Dei commendationem & univerſi pulchritudinem: quemadmodum enim ſpecierum corporalium diverſitas mundum viſibilem & ſenſibilem mirificè exornat; ſic ſubſtantiarum ſpiritualium varietas mundum ſpiritualem & intellectualem illuſtrat; ergo &c.

QUINTA CONCLUSIO.

Probabiliùs etiam eſt, non omnes Angelos differre ſpecie, ſed plures eſſe ejuſdem ſpeciei, & ſolo numero differentes.

Primum pro hac ſententiâ argumentum petitur ex S. Auguſtino loco mox citato Enchir. c. 29. ubi abſurdum reputat S. Doctor, totam aliquam ſpeciem rationalem ſeu intellectualem in æternum damnatam eſſe: quod tamen de tot angelicis ſpeciebus neceſſariò concedendum eſſet, quot numero Angeli lapſi ſunt, ſi nulli darentur inter ipſos unius ejuſdemque ſpeciei.

Secundum ducitur ex eo quòd non ſatis apparet unde plures Angeli pertineant ad eundem ordinem, niſi quia ſunt ejuſdem ſpeciei.

Et verò Angeli ejuſdem ordinis iiſdem ſpecificè ſupernaturalibus donis inſtructi ſunt, ac proinde ejuſdem ſpeciei naturam habent: cùm, uti antea obſervavimus, ſupernaturalia dona, juxta communem Theologorum ſententiam, Angelis conceſſa non fuerint, niſi ſecundùm proportionem naturalium.

Tertium eſt, ſocietatem naturæ ſpecificæ plurimùm conducere ad concordiam & amicitiam fovendam: hæc enim multò facilior, jucundior & arctior reperitur inter ejuſdem ſpeciei individua quàm diverſæ: atqui datur inter Angelos perfecta arctiſſimaque concordia & amicitia; ergo &c.

His adde, quòd ſicuti in ipſius divinæ potentiæ commendationem & univerſi pulchritudinem maximè cedit plures Angelos eſſe ſpecie diſtinctos; ita etiam ad ejuſdem potentiæ manifeſtationem & univerſi ornatum plurimùm conducit, plures eſſe Angelos ejuſdem ſpeciei, & ſolo numero differentes.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra tertiam & quartam Concluſionem. In ſubſtantiis purè ſpiritualibus & incorporeis nulla poteſt eſſe numerica diſtinctio; ſiquidem, uti docet S. Thomas pluribus in locis, & etiam hic in corpore articuli, ſola materia vel intrinſecus ordo ad illam eſt principium individuationis & multiplicationis individuorum: atqui Angeli ſunt ſubſtantiæ purè ſpirituales & incorporeæ, non tantum quoad intrinſecam ſuam entitatem, cujuſmodi ſunt animæ noſtræ rationales, ſed etiam quoad ordinem & habitudinem, quatenus Angeli nullum dicunt ordinem ad aliquam ſubſtantiam corpoream, ſicut animæ rationales, quæ intrinſecè ordinantur ad informanda corpora; ergo in Angelis nulla poteſt eſſe numerica diſtinctio, ac proinde ſub eadem ſpecie non poſſunt dari plures Angeli ſolo numero differentes.

Antequam reſpondeam, obſerva, variè invicem diſſentire authores, à quo petenda ſit differentia numerica, ſeu, quod idem eſt, principium individuationis: aliqui illud repetunt ex materiâ, ſive affectâ quantitate, & aliis accidentibus, ſive tantum ſecundùm ſe conſideratâ: alii illud colligunt ab exiſtentiâ rei; alii ex unitate numericâ proprietatum ſingularium quibus res affecta eſt: alii aliter ſentiunt. Docet Scotus eam differentiam eſſe aliquam entitatem poſitivã, ſed in diſtinctam formaliter à naturâ quæ individuatur. Hoc prænotato.

Reſp. Ex dictis Concluſione tertiâ, patere majorem propoſitionem eſſe falſam. Enim verò Deus unus eſt numero, nec tamen in Deo datur materia. Præterea anima habet individuationem ſuam ſine materiâ & ordine ad illam, cùm animæ ſubſtantia priùs concipi debeat numero diſtincta ab aliâ animâ, quam concipiatur dicere ordinem ad corpus. Denique in omnibus & hominibus beatis & Angelis, gratia ſanctificans, lumen gloriæ, & viſio beatifica ſunt ejuſdem ſpeciei independenter à materiâ.

Quòd verò ſpectat ad authoritatem ſancti Thomæ. Reſpondet Eſtius in 2. Sentent. diſt. 3. §. 2. deſerendam eſſe hâc in parte S. Doctoris ſententiam. *Quamvis*, inquit, *opinio ſancti Thomæ eſſe videatur quòd ſit abſolutè, etiam ſecundùm divinam potentiam, impoſſibile plures eſſe Angelos in eadem ſpecie, potiùs tamen iis ſubſcribendum, qui hoc divinæ potentiæ non ſubtrahunt.* Addit ibidem, *hanc eſſe omnium ferè Doctorum ſententiam.*

Reſpondet verò Sylvius 1. p. q. 50. art. 4. cujus expoſitio magis videtur appoſita ad mentem & doctrinam ſancti Thomæ; quòd cùm S. Doctor, tùm hic, tùm aliis locis dicit eſſe impoſſibile ut plures ſubſtantiæ ſpirituales ejuſdem ſpeciei, pluraque individua producantur, quæ nullum ordinem ſive habitudinem importent ad materiam vel ad corpus; id exponendum non eſſe de abſolutâ & omnimodâ impoſſibilitate, ſed potiùs intelligendum eum Banneſio, Cumel & aliis, de impoſſibilitate ſecundùm potentiam ordinariam, & ſecundùm eum rerum creatarum curſum vel ordinem qui nunc cognoſcitur eſſe.

Hanc expoſitionem confirmat ibidem Sylvius ex eo quod S. Doctor contra Averroïſtas diſputans Opuſc. 16. expreſsè aſſerit individua quæ nec materiam habent, nec naturalem cauſam ſuæ multiplicationis poſſe tamen *ex ſupernaturali cauſa*, id eſt, abſolutâ Dei potentiâ, multiplicari; ex quo apertè ſequitur, ipſam immaterialitatem non impedire multiplicationem individuorum in eâdem ſpecificâ natura ſpirituali. En S. Doctoris verba: *Sic ergo intellectus ſi naturaliter eſſet unus omnium, quia non haberet naturalem cauſam multiplicationis, poſſet tamen ſortiri multiplicationem ex ſupernaturali causâ, nec eſſet implicantia contradictionis.*

Eadem ſancti Doctoris expoſitio rurſus confirmari poteſt ex eo quòd in 1. Sentent. diſt. 34. q. 1. art. 1. expreſſis verbis aſſerat naturam communem individuari & determinari ad hoc ſingulare per materiam, *vel per aliquid quod loco materiæ ſeſe habet in creaturis* Quo in loco addendo hanc poſtremam particulam disjunctivam, clarè ſignificat ſe nolle materiam communi modo loquendi Philoſophorum acceptam, eſſe unicum individuationis principium in omnibus rebus creatis, ſed tantum vel ipſam materiam, vel aliquid materiæ correſpondens, cujuſmodi eſt potentia in rebus ſpiritualibus, quæ ex actu & potentiâ componuntur.

Objicies 2. Illi differunt ſpecie, quorum differentia petitur à forma: ſiquidem omnis differentia formalis eſt ſpecifica, rem enim conſtituit in ſua ſpecie, & eam diſtinguit à cæteris; unde homo ideo ſpecie differt à brutis, quod aliam ab iis formam, animam nempe rationalem habeat: atqui Angelorum ab invicem differentia petitur à forma. Scilicet omnis differentia petitur vel à forma, vel à materia: atqui in Angelis non petitus à materia, cum ſint ſubſtantiæ purè immateriales; ergo &c.

Reſp. conceſſa maj. neg. min. & ad probationem, diſtinguo: omnis differentia eſſentialis petitur vel à forma, aut à materia, concedo: differentia accidentalis, nego. Porro differentia quæ inter Angelos (ejuſdem ſaltem ordinis) reperitur, non eſt eſſentialis, ſed accidentalis tantum: unde non petitur à forma, ſed à differentia individuali; id eſt, ab unitate numerica proprietatum ſpecialium quibus ſinguli afficiuntur: ac proinde Angelus unius ordinis differt ab alio Angelo ejuſdem ordinis. quòd hanc non autem illam in individuo naturam habear, licet ſint ejuſdem ſpecificæ naturæ.

Objicies 3. Omnis forma ſimplex ac ſeparata à materia habet totam perfectionem ſuæ ſpeciei; ſicut albedo ſi eſſet ab omni ſubjecto ſeparata, haberet totam perfectionem albedinis: atqui Angelus eſt forma ſimplex ac ſeparata à materia; ergo habet totam perfectionem debitam ſuæ ſpeciei; adeoque non poſſunt eſſe plures Angeli numero diſtincti in unica ſpecie.

Reſp. diſt. maj. omnis forma ſimplex ac ſeparata à materia habet totam perfectionem ſuæ ſpeciei, intenſivam, concedo: extenſivam, nego. Et conceſſa minori, ſimiliter diſt. conſeq.

Itaque duplex eſt ſpeciei perfectio, una *intenſiva*, altera *extenſiva*: prior attenditur penes omnia eſſentialia & propria ipſius ſpeciei attributa: poſterior verò ſpectatur penes multitudinem ſubjectorum, in quibus hæc eſſentialia ac propria ſpeciei attributa reperiri poſſunt.

Equidem forma ſimplex ac ſeparata à materia habet omnem perfectionem *intenſivam*, ſuæ ſpeciei, quatenus habet totam ejus eſſentiam, ſeu omnia ejus prædicata eſſentialia: at non habet omnem perfectionem ejus *extenſivam*; cum eam non habeat illis omnibus ſingulis modis, quibus poteſt haberi à pluribus individuis, ad quæ poteſt ultimate contrahi per differentiam individualem ac numericam: & ſic licet quilibet Angelus, etiam exiſtens unicus in ſua ſpecie, totam habeat *intenſivam* perfectionem eſſentialem ſuæ ſpeciei, attamen non habet totam *extenſivam*, nec proinde ei repugnat habere plura individua ejuſdem ſecum ſpeciei.

Objicies 4. contra quartam Concluſionem. Plurimi SS. Patres affirmant Angelos eſſe ejuſdem naturæ & ſpeciei. S. Baſilius Lib. 3. contra Eunomium: *Angeli omnes*, inquit, *ut & appellationis unius, ſic & naturæ omnino ſunt ejuſdem invicem.* Et rurſus ibidem addit, *Angeli priores ſunt aliis alii, & tamen ſunt ejuſdem eſſentiæ.* Subſcribit S. Cyrillus Lib. 2 in Joannem. *Angelus*, inquit, *ab altero Angelo nullâ re differt ſecundum id quod ſunt Angeli....., cum ſint omnes ejuſdem ſpeciei.* His planè conſentiunt SS. Greg. Nyſſenus, Damaſcenus, Maximus martyr & alii.

Reſp. 1. prædictis SS. Patribus meritò opponi poſſe authoritatem SS. Dionyſii, Hieronymi, Iſidori, & aliorum quorum teſtimonia ſuperiùs Concluſione 4. relata ſunt.

Reſp. 2. SS. Patres mox laudatos nomine eſſentiæ, naturæ, vel ſpeciei, intelligere gradum ſpeciei, non quidem infimæ, ſed ſubalternæ, nempe ſpiritualitatem & intellectualitatem, in quibus omnes Angeli univocè conveniunt: quo ſenſu omnes creaturæ corporeæ dici poſſunt ejuſdem naturæ habent quippe rationem materiæ & corporis communem.

Objicies 4. Omnes animæ rationales ſunt ejuſdem ſpeciei; ergo etiam & omnes Angeli Conſequentia videtur certa: ſicut enim animæ rationales in gradu rationalitatis, ita & omnes Angeli in gradu puræ ſpiritualitatis & intellectualitatis conveniunt: ac proinde ſicut intra latitudinem rationalitatis nullæ ſunt differentiæ ſpecificæ, ſed ipſa eſt ultima; ita neque intra latitudinem intellectualitatis.

Reſp. nego conſeq. & ad probationem nego paritatem. Ratio diſparitatis hæc proferri poteſt, quòd animæ rationales cum ſint ſoiæ natura ſua ordinatæ ad informandum corpus, ut cum eo conſtituant hominem qui mortalis eſt; idcirco, ne univerſum unius aut alterius hominis interitu privaretur tota aliqua ſpecie vel pluſibus, debuit tota hominum multitudo eſſe unius & ejuſdem ſpeciei. Non ſic autem eſt de Angelis: cum enim unuſquiſque ex natura ſua ſit forma ſimplex, completa, incorruptibilis, nec ad ſui conſervationem indigeat multiplicatione aut aliqua propagatione individuorum in ſua ſpecie infima; hinc eſt quod nihil obſtet quin Angeli potuerint eſſe diverſæ ſpeciei.

Alteram diſparitatis rationem aſſignat Doctor Angelicus quæſt. unica de ſpiritualibus creaturis art. 8. ad 10. his verbis: *Quod autem eſt una ſola ſpecies animalis rationalis, multis exiſtentibus ſpeciebus rationalium, ex hoc provenit; quia animal rationale conſtituitur ex hoc, quod natura corporea attingit in ſui ſupremo naturam ſubſtantiarum ſpiritualium in ſui infimo. Supremus autem gradus alicujus naturæ, vel etiam infimus, eſt unus tantum.* Scilicet, uti explicant Salmanticenſes diſput. 1. de Angelis dubio 5. parag. 3. rationalitas, ut convenit homini, habet rationem extremi & termini: quia natura corporea in rationalitate attingit infimum ordinis ſubſtantiarum ſpiritualium: de ratione autem extremi eſt carere ſecundum ſe latitudine, adeoque non eſſe diviſibile: at verò intellectualitas, ut convenit Angelis, non habet rationem extremi, cùm ſit medium inter Dei intellectualita-

tem

tem ſuperiorem, & hnminum inferiorem; & ſic poreſt optimè habere ſecundùm ſe latitudinem, ac pioinde eſſe diviſibilem in plures ſpecies. Hæc Salmaticenſes.

QUÆSTIO TERTIA.

De intellectu Angelorum.

ABſolutis iis quæ ad exiſtentiam & naturam Angelorum ſpectant, ordo videtur poſtulare ut de intellectu, qui eſt prima ac præcipua ſubſtantiæ angelicæ facultas, diſſeramus.

Nemini autem dubium eſſe poteſt Angelos præditos eſſe intelligendi virtute, ſunt enim ſubſtantiæ naturâ ſuâ prorſus immateriales & incorporeæ, liberi arbitrii compotes, perfectæ beatitudinis capaces, Deique imaginem & ſimilitudinem præſtantiſſimè referentes, quæ omnia totidem ſunt veluti demonſtrationes & argumenta quibus in eis virtutem intellectivam eſſe ſuadetur ac evincitur.

Itaque præſuppoſito, tanquam certo ac conſtanti quòd Angeli vi intellectivâ & actuali cognitione præditi ſint, quinque hic potiſſimùm ſuperſunt pertractanda.

Primum, de naturâ intellectûs angelici.

Secundùm, de illius objecto.

Tertium, de medio cognitionis angelicæ.

Quartum, de dotibus ſeu proprietatibus quibus angelica rognitio ab humanâ differt.

Quintum denique de Angelorum locutione.

ARTICULUS PRIMUS.

De naturâ intellectûs angelici.

COnveniunt omnes Theologi, Angelos eſſe vi intellectivâ præditos; diſſentiunt verò in his tribus: 1. an & quâ ratione diſtincta ſit vis illa intellectiva à ſubſtantia Angeli. 2. an & qua ratione intellectio diſtinguatur, tùm ab intellectu, tùm à ſubſtantia Angeli. 3. an intellectus *agens & patiens*, ut ajunt, in Angelis ſit admittendus.

Tria hæc paucis hic ſeorſim attingemus.

An & quâ ratione vis intellectiva Angeli diſtincta ſit ab ipſius ſubſtantiâ.

Circa hanc quæſtionem variæ ſunt Theologorum ſententiæ. Alii exiſtimant vim intellectivam diſtingui realiter ab ipſa ſpirituali ſubſtantia: ita Thomiſtæ. Alii volunt diſtingui formaliter duntaxat ex natura rei: ita Scotiſtæ. Alii denique ſolam admittunt inter hæc duo diſtinctionem virtualem, cum quibus ſit

CONCLUSIO.

Intellectus angelicus non realiter, ſed virtualiter duntaxat à ſubſtantia ipſius Angeli diſtinguitur. Hæc Cnnclusio duas habet partes.

Probatur 1. pars. 1. authoritate SS. Patrum.

S. Auguſtinus Lib. 1. de Trinit. cap. 11. ſic loquitur: *Hæc tria igitur, memoria, intelligentia & voluntas, quoniam non ſunt tres vitæ, ſed una vita, nec tres mentes ſed una mens, conſequenter utique nec tres ſubſtantiæ ſed una ſubſtantia*; ergo illæ facultates non ſunt accidentia ſeu qualitates realiter ab anima diverſæ, ut volunt Thomiſtæ.

S. Bernardus ſerm. 11. in Cantica, *Quædam*, inquit, *in anima intueor, memoriam, intelligentiam & voluntatem; & hæc tria ipſa anima ſunt.* Sed quod eſt diſtinctum re ab animâ, non eſt ipſa anima; ergo &c.

Accedit & Hugo Victorinus Lib. de ſpiritu & anima, ubi ait: *Anima ſecundum ſua opera variis nominibus nuncupatur: dicitur namque anima dum vegetat, ſenſus dum ſentit, animus dum ſapit, mens dum intelligit..... iſta verò non differunt in ſubſtantiâ, quemadmodum & in nominibus, quoniam omnia una eſſentia, proprietates quidem diverſa.* Nihil certè diſertius ad excludendam diſtinctionem realem.

His conſtat intellectum humanum, aliaſque animæ facultates ab eſſentiâ animæ realiter non eſſe diſtinctas: porro eadem eſſe prorſus ratio de intellectu angelico, ut patet; nulla enim poteſt aſſignari cauſa cur intellectus humanus ab animæ ſubſtantia re non diſtingueretur, benè verò intellectus angelicus ab ipſa Angeli ſubſtantia; ergo intellectus angelicus realiter non differt ab ipſa Angeli ſubſtantia.

II. idem probatur iis omnibus rationum momentis quibus, ubi de anima, demonſtratur facultates animæ non eſſe realiter ab ipſa diſtinctas. Unam aut alteram ex his rationibus hic retuliſſe ſufficiat.

Prima ſic eſt: Si angelicus intellectus ſit facultas ab ipſius ſubſtantia realiter diſtincta, quæ illius erit cauſa, niſi hæc ipſa Angeli ſubſtantia? Porro ſi angelica ſubſtantia poſſit producere facultates à ſe realiter diſtinctas; multò facilius actiones ipſas exerer.

Secunda: Tam poteſt ſpiritualis ſubſtantia ſuas exercere operationes per ſemetipſam, quam ſuas movere facultates à ſe diſtinctas per ſemetipſam: atqui qui aſſerunt facultates ſubſtantiæ ſpiritualis diſtinctas eſſe realiter ab illa, ii pariter dicunt hanc ſpiritualem ſubſtantiam applicare ſuas facultates, eiſque uti per ſemetipſam immediatè; ergo pari ratione affirmari poteſt, animam aut Angeli ſubſtantiam ſuas exercere operationes per ſemetipſam immediatè.

Tertia: Diſtinctio virtualis, utpote æquivalens reali, ſufficit intellectum angelicum inter & ipſam Angeli ſubſtantiam; ergo major diſtinctio non eſt abſque neceſſitate admittenda, cum ad perfectionem non pertineat.

Addo, adverſarios mirificè torqueri in explicandis illis facultatibus ab anima aut Angeli ſubſtantia re diſtinctis. Et enim quæri poteſt ab illis, quales ſint hujuſmodi facultates, ſintnè ſubſtantiæ, vel accidentia? ſintnè ſeparabiles ab ipſa anima & Angeli ſubſtantia? &c. Certè dici non poſſunt ſubſtantiæ, ut per ſe competum eſt, ac fatentur adverſarii: non etiam dici poſſunt accidentia, tum quia facultates illæ ſunt proprietates eſſentiales; ſiquidem conceptus adæquatus ſubſtantiæ ſpiritualis eas neceſſariò importat ac includit: tum quia non poteſt accidens intelligere, aut percipere, aut velle: ſiquidem accidentis tanta vis eſſe nequit, ut actionem immanentem, quæ principio ſuo ineſt, exerat: ea quippe eſt ſubſtantiæ notio, ut in ſe exiſtat & operetur; neque id ulli accidenti competit.

Probatur ſecunda pars. 1. iiſdem SS. Patrum teſtimoniis quæ ad adſtruendam primam Concluſionis partem adduximus.

II. Illa diſtinguntur virtualiter, quæ licet ſint unica entitas, æquivalent tamen pluribus realiter diſtinctis: atqui ſubſtantia & vis intellectiva Angeli ſunt ejuſmodi? tùm quia habent diverſas definitiones, diverſoſque conceptus objectivos; tùm quia ad diverſos proprios actus per ſe ordinantur, cùm eſſentia ſeu ſubſtantia ordinetur ad exiſtentiam,

potentia verò ad operationem: exiſtentia autem & operatio ſunt actus diverſi; ergo &c.

Dices: Diverſi actus diverſas requirunt potentias: ſed ſubſtantiæ actus eſt exiſtentia, actus verò facultatis intellectivæ eſt intellectio: hi porro actus, exiſtentia nempe & intellectio, inter ſe differunt; ergo & facultas intellectiva eſt quid à ſubſtantia vel eſſentia rei intelligentis diſtinctum.

Reſp. diſt. maj. diverſi actus diverſas requirunt potentias, ſi actus illi non ſint ſubordinati, concedo; ſi ſint ſubordinati, nego. At verò intellectio ſupponit exiſtentiam, ut actio voluntatis ab actione intellectûs pendet; ergo nihil neceſſe eſt inter ſubſtantiam ſpiritualem & ejus vires diſtinctionem realem comminiſci, cùm diſtinctio virtualis omnino ſufficiat.

Et verò alias intellectus ipſa ut & voluntas iterum ſecandi eſſent in alias vires; ita ut alia ſit vis percipiendi, alia judicandi, aut ratiocinandi.

Quòd ſi lux corporea cùm eadem ſit & ſimplex tot effectus diverſos producit, multò magis ſubſtantia angelica, quæ ſpiritualis eſt & purè incorporea, in plura ac diſtincta officia vim ſuam impendet.

An & quâ ratione intellectio diſtinguatur tùm ab intellectu, tùm à ſubſtantiâ Angeli.

Obſerva 1. cum Suares. Tom. 2. Lib. 2. de Angelis cap. 1. variis modis concipi poſſe, intellectionem identificari cum ſubſtantiâ aliquâ ſpirituali. 1. formaliter & eſſentialiter adæquatè, ſcilicet ut tota rei eſſentia. 2: formaliter & eſſentialiter inadæquatè, ſicuti differentia eſſentialis rei conſtitutiva. 3. identicè tantùm, non tamen eſſentialiter & formaliter, ſicut motus eſt idem realiter cum mobili, licet de eſſentia ejus non ſit.

Similiter variis modis concipi poteſt, intellectionem diſtingui à ſubſtantiâ intelligente. 1. virtualiter, quo ſenſu proprietas metaphyſica ab eſſentiâ fluens, ab ipsâ diſtinguitur. 2 modaliter, ſcilicet, tanquam modus extra rei eſſentiam exiſtens, licet non ſit res, vel qualitas omnino diſtincta. 3. realiter, tanquam entitas ex æquo & adæquatè diſtincta.

Obſerva 2. circa præſentem controverſiam, multiplicem eſſe ſententiam.

Prima exiſtimat intellectionem formaliter, eſſentialiter & adæquatè identificari cum Angeli ſubſtantia, ſeu eſſe totam ejus eſſentiam. Quo ſenſu quidam dicunt mentem humanam eſſe formaliter ipſam cogitationem.

Secunda docet intellectionem indentificari cum ſubſtantia Angeli, non quidem formaliter, eſſentialiter & adæquatè, ſed inadæquatè duntaxat, ita ut non ſit tota Angeli eſſentia, ſed differentia eſſentialis ipſius conſtitutiva.

Tertia vult intellectionem identicè tantùm, non verò eſſentialiter & formaliter identificari cum angelica ſubſtantia, ea ferè ratione qua modus eſt quid idem realiter cum re modificata, licet de ejus eſſentia non ſit.

Quarta eorum eſt, qui cenſent intellectionem diſtingui quidem realiter diſtinctione reali majori à ſubſtantia Angeli; at verò intellectionem inter & vim intellectivam nonniſi modalem intercedere diſtinctionem.

Quinta denique eorum eſt, qui volunt intellectionem tùm à ſubſtantia Angeli, tùm ab ejus virtute intellectiva diſtingui realiter, tanquam entitas ex æquo & adæquatè diſtincta.

Addi poteſt & ſpecialis ſententia quæ diſtinguit inter naturales & ſupernaturales Angeli cognitiones: priores modaliter duntaxat, tùm à ſubſtantia, tùm ab intellectu Angeli diſtingui contendit; poſteriores verò realiter diſtinctione reali majori.

Quid in hac intricata quæſtione ſentiamus, ſequentes aperient Concluſiones.

PRIMA CONCLUSIO.

Intellectio nec eſt tota angelicæ ſubſtantiæ eſſentia, nec differentia eſſentialis ipſius conſtitutiva.

Probatur 1. Si intellectio actualis eſſet tota angelicæ ſubſtantiæ eſſentia, aut differantia eſſentialis ipſius conſtitutiva, Angelus tam immutabilis eſſet in intelligendo, quantùm eſt in eſſendo, ſeu in eſſentia; quia non poſſet mutari in intellectione, quin mutaretur in eſſentia: atqui conſtat Angelum mutari in ſua intellectiona, non mutata eſſentia, vel ſubſtantia ſua; ergo &c. Major conſtat, minor verò probatur: tùm quia multa cognoſcit Angelus in habitu, quæ non ſemper actu conſiderat, quia non poteſt ſimul ad omnia attendere, vel quia non volt; tùm etiam quia futura contingentia non cognoſcit, priuſquam fiant, & poſtea illa poteſt intueri.

Probatur 2. Omnis modificatio & omnis actus ex principio activo fluens ſupponit ſuum ſubjectum & ſuum principium eſſentialiter conſtitutum; adeoque non eſt tota ipſius eſſentia, aut differentia eſſentialis ac conſtitutiva: atqui omnis Angeli intellectio eſt aut modificatio paſſivè recepta in ſubſtantia angelica, aut actus procedens ab ipſa tanquam à principio activo; ergo &c.

Probatur 3. Quod eſt intrinſecè ſupernaturale, non poteſt eſſe tota eſſentia, aut differentia eſſentialis ſubſtantiæ angelicæ; alias Angelus eſſet eſſentialiter ſubſtantia ſupernaturalis: atqui prima ac nobiliſſima Angelorum intellectio, ſcilicet viſio beatifica, eſt intrinſecè ſupernaturalis; ergo &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Intellectio Angelica differt à vi intellectiva Angeli, non realiter, tanquam res à re ex æquo & adæquatè diſtincta; ſed modaliter, tanquam modus à re modificata.

Probatur 1. Ex S. Auguſtino qui huic ſuffragatur ſententiæ, lib. 9. de Trinitate, cap. 2. 3. 4. & ſequentibus; ſiquidem ibi generatim docet 1. quòd mens per ſeipſam ſe novit. 2. quòd amor & cognitio tanquam in ſubjecto inſunt menti. 3 addit, quòd *mens & notitia ejùs unum ſunt, ac una ſubſtantia.* Ergo intellectio non differt à vi intellectiva, tanquam res à re, ſed tanquam modus à re modificata. Idem ſæpiùs ibi repetit S. Doctor, ac præſertim lib. 10. 11. 15. &c.

Probatur 2. Vix concipi poteſt quid ſit entitas intellectionis angelicæ ab ejus intellectu ex æquo diſtincta; foretne ſeparabilis à virtute intellectiva, necne? Si ſit diſtincta tanquam res à re, non eſt cur ab ipſa ſeparari non poſſit: at ex altera parte, intellectionem poſſe extra ſubſtantiam intellectûs ſeparatim exiſtere, quàm ſit abſurdum nemo non videt.

Probatur 3. Poſita ſola diſtinctione modali per varios reſpectus ſubſtantiæ angelicæ ad objecta optimè explicantur natura, proprietates, aliaque intellectionis angelicæ officia; quemadmodum per variam partium diſpoſitionem rectè exponuntur diverſæ modificationes materiæ ergo ſuperfluum eſt recurrere ad entitates vi intellectivæ ſuperadditas.

TERTIA

TERTIA CONCLUSIO.

Non alia etiam admittenda eſt diſtinctio quàm modalis, intellectionem inter & Angeli ſubſtantiam.

Probatur : quia iſtud manifeſtè ſequitur ex dictis. Scilicet, vis intellectiva Angeli identificatur cum ipſius ſubſtantiâ, uti probatum fuit Articulo præcedenti: atqui ex mox dictis Concluſione ſecundâ, intellectio nonniſi modaliter diſtinguitur ab intellectu Angeli; ergo nec magis diſtinguitur ab ipſius ſubſtantiâ.

Dices: Viſio beatifica, quæ præcipua eſt inter intellectiones angelicas, eſt profectò intrinſecè ſupernaturalis; imò actionum ſupernaturalium merces ac finis ultimus: atqui nullâ ratione concipi poteſt actum intrinſecè ſupernaturalem realiter identificari cum intellectu & ſubſtantiâ Angeli, aliàs Angelus in ſuâ ſubſtantiâ eſſet intrinſecè ſupernaturalis; ergo, &c.

Reſp. diſt. min. Nullâ ratione concipi poteſt actum intrinſecè ſupernaturalem identificari cum vi intellectivâ & ſubſtantiâ Angeli, in ſe præcisè ſpectatis, concedo: ad ordinem ſupernaturalem beneficio auxilii ſupernaturalis, nego. Duplici modo ſpectari poteſt intellectus angelicus (idem dic de angelicâ ſubſtantiâ) 1. in ſe præcisè: 2. prout auxilio ſupernaturali adjutus; utroque autem modo ſumptus ſuas producit modificationes: ſicut ergo intellectus in ſe ſpectatus producit ſuas modificationes ordinis naturalis, & eas producendo ſibi identificat; ita etiam intellectus auxilio ſupernaturali adjutus producit ſuas modificationes ordinis ſupernaturalis, & eas producendo ſibi identificat. Itaque, ſicut intellectio naturalis eſt modificatio intellectûs in ſe præcisè ſpectati; ita intellectio ſupernaturalis eſt modificatio ejuſdem intellectûs beneficio gratiæ aut luminis gloriæ ad ordinem ſupernaturalem evecti.

An intellectus agens *&* patiens *in Angelis ſit admittendus.*

Obſerva duobus modis *intellectum agentem* dici poſſe. 1. latè, prout eſt facultas quomodocunque activa, ſive productiva actuum, aut ſpecierum vel habituum intellectualium. 2. ſtrictè, prout eſt facultas ſolùm productiva ſpecierum intelligibilium in intellectu poſſibili carente illis, ſive abſtrahendo ſpecies illas à phantaſmate, ſive agendo aliter.

Similiter *intellectus poſſibilis* vel *patiens* dupliciter accipitur. 1. latè, pro facultate quomodocunque paſſivâ & receptivâ, quæ ſcilicet eſt in potentiâ ad recipiendum actus proprios, & ſpecies, & habitus intellectuales. 2. ſtrictè, pro facultate quæ ſit prius nuda potentia in genere intelligibilium, & veluti tabula raſa, quæ poſtea per ſuſceptionem ſpecierum vel verbi mentis, exhibet quodcunque intelligibile. Hoc præſuppoſito ſit

CONCLUSIO.

Admittendus non eſt in Angelo intellectus *agens* & *patiens* propriè & ſtrictè dictus. Ita S. Thomas hic, Cajetanus, Suares, Vaſques, &c. contra Scotum in 2. diſt. 3. quæſt. ult. & quoſdam antiquiores Scholaſticos.

Probatur : Intellectus *agens* propriè & ſtrictè dictus, eſt facultas immediatè productiva ſpecierum intelligibilium : intellectus verò *patiens* ſeu *poſſibilis* propriè eſt facultas quæ nullas habet in ſe ſpecies intelligibiles, & eſt nuda potentia in genere intelligibilium : atqui neutra ex illis facultatibus locum habet in Angelis; ſiquidem Angeli rerum quas intelligunt ſpecies habent concreatas ſibi, & coævas, ut docet S. Thomas quæſt. 55. art. 2. & uti oſtendemus art. 3. hujuſce Quæſtionis : ergo,

Dixi: *propriè & ſtrictè*: Si quis enim intellectum *agentem* vocare velit eum qui agit ſeu producit intellectionem; & intellectum *poſſibilem*, eum qui eſt in potentia ad recipiendam intellectionem; ſic nemo Theologorum negat unum eundemque intellectum Angeli ſub diverſâ ratione ſpectatum, poſſe dici intellectum *agentem*, & intellectum *poſſibilem*: verùm, quemadmodum ſupra notavimus, ſtrictæ ac propriæ non ſunt hæ acceptiones intellectûs *agentis* & *poſſibilis*.

ARTICULUS II.

De objecto intellectus Angelici.

Objectum intellectûs angelici eſt id omne circa quod verſari poteſt angelica cognitio : id autem quod ab ea attingi poteſt ad iſta capita revocatur.

1. Ad ſubſtantias ſpirituales & incorporeas, Deum nempe, naturam angelicam, & animam rationalem.

2. Ad ea quæ ex corpore conſtant, cujuſmodi ſunt corpora omnia.

3. Ad futura, ſive neceſſaria, ſive libera.

4. Ad ſecretas & occultas hominum, vel etiam aliorum Angelorum cogitationes, ſive ſint præteritæ, ſive præſentes, ſive futuræ.

5. Denique ad fidei noſtræ myſteria. Quid ſuper his quinque propoſitis articulis ſentiamus, ſequentibus Concluſionibus aperiemus.

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli poſſunt aliquam cognitionem de Deo habere per ſua naturalia : ſe ipſos quoque, necnon alios Angelos ac ſubſtantias per ſe ſubſiſtentes cognoſcere poſſunt. Ita S. Th. hic art. 1. 2. & 3.

Probatur prima pars : quia vis intellectiva Angelorum multò perfectior eſt ac ſubtilior vi intellectiva hominum : at homines poſſe aliquam Dei notitiam habere per ſua naturalia, ex cap. 1. Epiſt. ad Rom. liquet: *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis manifeſtavit: inviſibilia enim ipſius à creaturâ mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.*

Et verò Deus, ut aliquo modo cognoſcibilis, continetur intra latitudinem naturalis objecti intellectûs angelici; ergo nihil obſtat quominùs Angelus per ſua naturalia aliquam de Deo notitiam habeat.

Hæc autem cognitio imperfecta eſt & abſtractiva, ex creaturis deducta; non autem perfecta & intuitiva: quia neque eſſentia Dei videri poteſt ab intellectu creato, ſolis naturæ viribus relicto, ſecundùm ea quæ dicta ſunt ubi de viſione Dei; neque ulla Dei ſpecies dari poteſt, præſertim naturaliter, per quam perfectè cognoſcatur.

Probatur ſecunda pars : Ad cognitionem objecti tria hæc requiruntur & ſufficiunt. 1. facultas intellectiva. 2. objectum intelligibile. 3. unio objecti cum facultate. Atqui Angelus, utpote immaterialis, maximè intellectivus eſt & intelligibilis; aliunde verò eſſentia Angeli ſemper eſt ejus intellectui præſens : ergo Angelus ſeipſum cognoſcit.

Nec obſtat quòd anima, licet proportionem habeat cum vi hominis intellectivâ, ipſique ſit intimè præſens, tamen ſemetipſam ſaltem perfectè non

cognoſcat: id enim ex eo contingit, quia anima, quamdiu eſt forma corporis ac ipſi remanet unita, ab ipſo impeditur ne ſpiritualia perfectè contempletur.

Probatur tertia pars. 1. Scriptura nobis exhibet Angelos ſibi invicem quaſi colloquentes. Iſaiæ 6. Seraphim *clamabant alter ad alterum*. Zach. 2. unus Angelus ad alium dicebat: *Curre, loquere ad puerum iſtum*. Apoc. 7. unus Angelus *loquebatur quatuor Angelis: Nolite nocere terræ & mari*. Porrò colloquium Angelorum mutuam illorum cognitionem arguit.

2. Angeli conſtituunt unam Rempublicam & ſocietatem, ad eamque pertinent ut concives: ſocietas autem illa non poteſt conſiſtere abſque mutuâ notitiâ.

3. Omnis potentia poteſt attingere objectum ſibi proportionatum: ſed omnis Angelus eſt objectum proportionatum reſpectu intellectûs alterius, cùm ſit immaterialis, & naturalem univerſi perfectionem ſpectet, ideoque ſit res ejuſdem ordinis in ratione intelligibilium; ergo quilibet Angelus quemlibet Angelum naturaliter cognoſcere poteſt.

CONCLUSIO SECUNDA.

Angeli cognoſcunt res materiales, tam univerſales, quàm ſingulares. Ita S. Thomas hic, art. 1. & 2. &c. Et alii communiter.

Probatur prima pars quam hic indicat ſanctus Doctor. Quidquid poteſt inferior virtus, poteſt & ſuperior: atqui intellectus hominis, qui naturaliter eſt inferior intellectu angelico tum in eſſendo, tum in cognoſcendo, attingit res materiales ut univerſales, id eſt, ſecundùm communes earum rationes ſpectatas, & prout abſtrahunt à ſingularibus; ergo &c.

Probatur ſecunda pars. 1. Angelus eſt ſuprà hominem: cùm igitur homines cognoſcant ſingularia, inconveniens eſt dicere quòd Angeli ea non cognoſcant.

2. Cùm Angeli ſint partes quædam univerſi, naturale deſiderium habent cognoſcendi ea quæ apud nos geruntur: ipſi autem ſunt naturaliter perfecti; ergo iſta cognitio eis non deeſt.

3. Quemadmodum ratiocinatur S. Thomas hic, Angeli ea nôrunt quorum adminiſtratio ipſis eſt commiſſa: atqui ſingularium adminiſtratio Angelis eſt commiſſa, juxta illud ad Hebræos 1. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus*; ergo, &c.

TERTIA CONCLUSIO.

Angeli certò cognoſcunt futura neceſſaria, qualis ſunt ortus ſolis, eclypſis, &c. Hæc Concluſio certa eſt apud omnes.

Probatur. Scilicet Angeli propter naturæ perfectionem agnoſcunt omnes cauſas naturales, ut docet ſanctus Thomas quæſt. 3. de veritate, art. 12. atqui effectus qui ex ſuâ causâ neceſſariò provenit, certò cognoſci poteſt ab eo qui cauſam cognoſcit; ergo, &c.

QUARTA CONCLUSIO.

Futura contingentia quæ à ſolis naturalibus cauſis nullo interveniente concurſu liberi arbitrii proveniunt, poſſunt ab Angelis certò cognoſci. Ita Alenſis 2. part. quæſt. 26. membro 4. Suares lib. 2. de Angelis cap. 9. Vaſques, Wigers, Meratius, &c.

Hæc concluſio videtur etiam extra controverſiam, niſi aliqua æquivocatio vel quæſtio de nomine intercedat, quæ ut tollatur.

Obſerva, futura eſſe in triplici differentia: aliâ ſunt *neceſſaria*, quæ ſcilicet ſunt immediatè à causâ naturali neceſſariâ, quæ naturaliter impediri non poteſt, ut ſunt ortus ſolis, lunæ, futura eclypſis, &c.

Alia ſunt *contingentia, non libera*; ea ſcilicet quæ ſunt à cauſis quidem naturalibus & neceſſariis, ſed quæ tamen poſſunt impediri per accidens, per concurſum alicujus alterius cauſæ naturalis. Exempli causâ, terra rectè aptata producit, & quidem neceſſariò, ſi nihil obſtet, fructus ſuos: ab iis tamen producendis per nimium ardorem, repentinam tempeſtatem, aut aliam ſimilem cauſam naturalem impediri poteſt. Sic etiam dici poteſt contingens, mors ſecuta ex morbo qui per ſe cauſa mortis ſufficiens eſſe non poterat, ſed ſubitaneâ aliquâ & merè naturali causâ, ut aëris mutatione adjutus mortem attulit.

Alia denique ſunt futura *contingentia & libera*, ea ſcilicet quæ proveniunt ex libertate alicujus cauſæ, quæ effectum promovere, vel impedire pro arbitrio ſuo poteſt. Hoc prænotato,

Probatur Concluſio hac unica ratione. Futura ſimpliciter neceſſaria certò cognoſcuntur ab Angelis, ut conſtat ex dictis ſuperiori Concluſione: atqui futura quæ à ſolis naturalibus cauſis nullo interveniente concurſu liberi arbitrii procedunt, ſunt ſimpliciter neceſſaria: licet enim hæc futura, ut comparantur ad ſuas cauſas proximas, ſint contingentia & indeterminata, attamen ut comparantur ad totam ſeriem cauſarum, non ſunt propriè contingentia vel indeterminata, ſed prorſus neceſſaria ac determinata, ſaltem in ſuis cauſis, quas cùm Angelus penetret, novit etiam certò ejuſmodi futura; ergo &c.

Hæc autem futura certò cognoſcit Angelus, non quidem ſcientiâ abſolutâ & independenti ab omni prorſus conditione; Deus enim ex ſpeciali diſpoſitione, eaque ſuperioris ordinis, v.g. propter orationes Sanctorum, vel ad punienda quædam peccata, vel ad alios occultos fines, naturales cauſas ejuſmodi futurorum immutare ac interturbare poteſt, ſicque abſolutè futura non erunt: ſed ea certò novit Angelus, ſcientia duntaxat conditionata, id eſt, ſub iſta conditione, quòd cauſæ naturales ſibi permittentur, nec earum concurſus impedietur interventu alicujus cauſæ liberæ.

Atque ex his facilè ſolvitur quod hic ex SS. Auguſtino & Thomâ ſolet objici. Cùm enim videntur negare Angelos certò cognoſcere futura contingentia, de cognitione abſolutâ, non conditionatâ intelligendi ſunt: ſubintellectâ enim & applicatâ mox adductâ conditione, quòd cauſæ naturales ſibi permittentur, nec earum concurſus interventu alicujus cauſæ liberæ impedietur, jam futura hujuſmodi ſpectantur & reipſa ſunt neceſſaria. Porrò neceſſaria certò ab Angelis cognoſci, apertè docent multis in locis SS. Auguſtinus & Thomas, idque etiam omnes confitentur.

QUINTA CONCLUSIO.

Angelus non cognoſcit certò futura contingentia, Concluſio eſt de fide.

Probatur 1. Ex Scripturis. Iſaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dii eſtis vos*. Danielis 2. *Eſt Deus in cælo revelans myſteria, qui indicavit tibi Rex Nabuchodonoſor quæ ventura ſunt in noviſſimis temporibus*: ergo &c.

Probatur 2. Ex SS. Patribus qui id conſtanter docent.

docent. Sanctus Hilarius Lib. 9. *Quid eſt tam proprium Deo, quam futurorum cognitio?* Sanctus Cyrillus lib. 4. in Joan. *Nulli alii*, inquit, *quam uni ac ſoli naturali Deo futura noſſe convenit.* S. Aug. lib. 5. de civit. Dei cap. 9. *Qui non eſt præſcius omnium futurorum non eſt ubique Deus.* & ante hos omnes Tertullianus Apologetici cap. 20. ſic loquitur: *Idoneum opinor teſtimonium divinitatis veritas divinationis.* Eadem eſt ſententia SS. Chryſoſtomi, Hieronymi, Damaſceni & aliorum.

Probatur 3. ratione. Si Angeli futura contingentia libera certò cognoſcerent, ea viderent aut in ſe ipſis, aut in futurorum cauſis: porrò nullum ex his dici poteſt.

Non primum: nam ut Angelus videret futura in ſeipſis, neceſſe foret ut eſſet futuris præſens: porrò Angelus non eſt futuris præſens: id enim ſoli Deo eximium eſt, qui ut eſt æternus, æternitate ſua omnia tam futura quàm præterita habet præſentia.

Non ſecundùm: quia Angelus non poteſt in causâ indifferente & indeterminatâ certò cognoſcere effectum determinatum: atqui cauſæ futurorum contingentium liberorum ſunt indifferentes & indeterminatæ; ergo &c. Scilicet liberum arbitrium quod eſt futurorum liberorũ cauſa, ex ſe indifferens eſt ad unam & alteram partem; ac proinde ex illo non magis intelligitur eventus futurus, quam non futurus.

SEXTA CONCLUSIO.

Angeli cognoſcunt naturaliter cogitationes & affectiones aliorum, tam Angelorum quam hominum, naturales & neceſſarias: liberas verò propriis naturæ viribus, nec certo cognoſcunt, nec poſſunt cognoſcere.

Antequam probetur Concluſio, obſerva non unam eſſe Theologorum ſententiam circa hanc quæſtionem, an ſcilicet Angeli cognoſcant ſecretas cordium cogitationes. Varias illas ſententias referunt Suares lib. 2. de Angelis cap. 22. & Sylvius in ſecundum diſt. 7. §. 12. non abs re erit eas hic paucis recenſere.

Prima eorum eſt qui aſſerunt affectiones & cogitationes quaſcunque etiam liberas, eſſe naturaliter cognoſcibiles Angelis bonis & malis; cæterum eas actu ab illis non cognoſci, eò quòd Deus nolit concurrere auxilio generali cum intellectu Angeli ut cogitationes hujuſmodi cognoſcat; ſed eum ſibi ſoli hoc reſervaſſe, idque ad excludendam ordinis confuſionem, quæ eſſet in naturâ intellectuali, ſi quiſque Angelus cognoſceret quaslibet alterius aut etiam hominis cogitationes. Ita docent Scotus, Ochamus, Gabriel, & ex recentioribus Fraſſen, & alii.

Secunda eorum eſt qui exiſtimant probabiliter dici poſſe Angelos actu cognoſcere quaſcunque mentis tum cogitationes tum affectiones, quæ præſentes ſunt, non autem præteritas & futuras, & in hoc volunt Angelorum cognitionem à divinâ diſcrepare. Ita Durandus.

Tertia quorundam eſt qui diſtinguunt inter liberas mentis cogitationes, & voluntatis affectiones. Fatentur equidem Angelos non poſſe liberas voluntatis affectiones certò cognoſcere; at liberas intellectus cogitationes poſſe ab illis certò detegi contendunt. Ita quoſdam eruditos recentiores ſenſiſſe refert Vaſques diſput. 210. cap. 2. à qua ſententia alienum ſe non eſſe ibidem indicat.

Quarta ſententia docet Angelos naturaliter noſſe cogitationes & affectiones cordium, quantum ad ipſarum ſubſtantiam, licet non quantum ad reſpectum quem habent ad propria objecta: aut ut alii, quantùm ad ſubſtantiam & ad objecta, non tamen quantùm ad finem ſeu intentionem: aut rurſum ut alii, quantùm ad ſubſtantiam & objecta formalia, ſed non quantùm ad objecta materialia & circumſtantias ſingulares. Primum docet Guillelmus Pariſienſis. Secundum, Henricus Gandavenſis Quodlibet. 3. quæſt. 13. Tertium Hervæus in 3. diſt. 8. quæſt. 3.

Quinta denique ſententia eſt, Angelos noſſe quidem naturaliter cogitationes & affectiones aliorum tam Angelorum quàm hominum naturales & neceſſarias: at verò cogitationes & affectiones aliorum liberas neque noſſe de facto, neque ſolis naturæ viribus poſſe cognoſcere. Hoc prænotato

Probatur prima Concluſionis pars, ſcilicet Angelos noſſe propriis naturæ viribus aliorum Angelorum cogitationes naturales & neceſſarias; quia naturales Angelorum operationes pertinent ad naturalem eorum perfectionem; ergo cùm quiſque Angelus naturaliter cognoſcat, non ſolum eſſentiam alterius, verùm etiam omnia naturali neceſſitate ei competentia, tanquam naturales ejus perfectiones, conſequens fit ab hac generalitate non poſſe excludi naturales affectiones. Atque hanc Concluſionis partem communiter omnes docent.

Probatur ſecunda pars, ſcilicet Angelos certò non cognoſcere liberas cogitationes mentis & affectiones cordium. Hæc Concluſionis pars omnino certa eſt & tenenda, *Eam enim*, inquit Eſtius loco ſupra citato, *tam Scriptura quàm Patres valdè confirmant.* Imò Suares, Meratius & alii eam de fide eſſe cenſent, prout reſtringitur ad liberas voluntatis affectiones. Itaque

Probatur ex Scripturis, iis ſcilicet textibus quibus ſecretorum cordis notitias ſoli Deo reſervari ſignificatur. 1. Regum 16. *Homo videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor.* 2. Paralip. 6. *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.* Pſalmo 7. *Scrutans corda & renes Deus.* Jerem. 17. *Pravum eſt cor omnium & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor & probans renes.*

Hanc ipſam veritatem præter Scripturarum teſtimonia etiam SS. Patres nos docent.

S. Hilarius in Pſalmum 159. *Cogitationes cordis*, inquit, *noſſe non noſtrum eſt, ſed ejus de quo dictum eſt, Scrutans corda & renes Deus*: ejus quoque qui dixit, *Sciens cogitationes eorum, quid cogitatis mala in cordibus veſtris?*

Subſcribit S. Ambroſius Lib. 5. in Lucam cap. 3. *Dominus*, inquit, *volens ſalvos facere peccatores, occultorum cognitione Deum ſe eſſe demonſtrat.*

His planè conſentit S. Chryſoſtomus Homiliâ 30. in Matth. his verbis, *Quod verò Dei ſolius ſit ſecreta cordium noſſe, audi Prophetam dicentem, Tu noſcis corda ſolus &c.* Ita cæteri vulgò Patres disertè teſtantur: S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 2. in Joannem, S. Fulgentius lib. 2. ad Traſimundum cap. 16. S. Chryſologus ſerm. 5. Origines, Caſſianus &c.

Ex quibus omnibus abundè colligitur Angelos, in ſententia SS. Patrum, minimè noſſe ſecretas cordium cogitationes, cum aſſerant ejuſmodi cognitionem certiſſimum eſſe divinitatis argumentum, ac Chriſtum oſtendiſſe ſe eſſe verum Deum, per hoc quòd Phariſæorum aliorumque cogitationes, præſentes quidem, ſed ſecretas certò cognoſceret.

Accedit multiplex ratio. Prima ea eſt quam variis in locis innuit D. Thomas Angeli naturaliter ea tantum cognoſcere poſſunt, quæ ſpectant ad ordinem naturæ: atqui liberæ cogitationes & affectiones cordium, niſi ſponte manifeſtentur à cogi-

tante,

tante, non continentur ſub ordine naturæ, quia non habent connexionem & dependentiam à cauſis naturalibus, ſed ſolùm à cauſâ liberâ ut tali, ſcilicet voluntate humana; ergo eas naturaliter nequeunt cognoſcere.

Secunda ratio hæc eſt: Agentia libera poſtulant ut eorum liberæ cogitationes & cordium affectiones tamdiù occultæ remaneant, quamdiu eas non manifeſtant, ſic enim magis elucent eorum dominium & poteſtas in actus ſuos; ergo Angeli certò non cognoſcunt ſecreta cordium, niſi vel appareant per effectus, vel revelentur, vel ad eos dirigantur.

Tertia denique. Si omnibus Angelis omnium aliorum tam Angelorum quàm hominum cogitationes paterent, ita ut eas ſtatim noſſent cùm vellent, fruſtra eſſent illuminâtiones & locutiones Angelorum mutuæ: harum enim uſus eſt ut alii aliis manifeſtent ſua cogitata, & notitiam inter ſe communicent; ergo &c.

Probatur tertia pars, nempe quòd Angeli virtute naturali liberas cogitationes & affectiones mentis certò detegere non poſſint. Ita S. Thomas hic, Alenſis, Richardus cum aliis pleriſque, nec non omnes S. Thomæ ſequaces contra Scotum in 3. diſt. 9. quæſt. 9. n. 27.

I. Scripturæ & Patres locis mox citatis apertè ſoli Deo tribuunt, tanquam proprium ejus privilegium, ſcire ſecreta cordium, quandoquidem aſſerant ejuſmodi cognitionem certiſſimum eſſe divinitatis argumentum, ac Chriſtum oſtendiſſe ſe eſſe verum Deum, per hoc quòd ſecretas & liberas cogitationes videret; ergo Angeli non cognoſcunt liberas mentis affectiones, non præcisè quia Deus non vult concurrere cum intellectu angelico ut aliorum cogitationes cognoſcat, ne confuſio ordinis inde naſcatur in Angelorum Republicâ, ut volunt Scotus, Gabriel &c. ſed quia ex propriâ virtute ac naturâ ſuâ eas non poſſunt noſſe.

II. idem ſuadent rationes theologicæ mox adductæ ad probandam ſecundam Concluſionis partem: ex iis enim ac primâ potiſſimùm conſtat liberas cordium cogitationes & affectiones, niſi manifeſtentur, non pertinere ad ordinem naturæ cum non dependeant ab ullâ cauſâ naturali (prout cauſa naturalis opponitur liberæ) ac proinde Angeli naturaliter eas cognoſcere non poſſunt.

III. ſi Angeli ex naturâ ſuâ poſſent liberas mentis affectiones certò detegere, ſaltem Angeli boni eas viderent: cur enim Deus impediret eos univerſaliter ab eo quod ipſis foret naturale? atqui tamen ex dictis in ſecundâ Concluſionis parte certum eſt Angelos actu non cognoſcere ſecreta cordium; ergo &c.

Et verò veriſimile non eſt Deum dediſſe Angelis potentiam iſta ſecreta agnoſcendi, omnino fruſtra; quod tamen eſſet, ſi eam haberent, & in univerſum ipſos impediret ab iis cognoſcendis.

SEPTIMA CONCLUSIO.

Angeli non poſſunt propriis naturæ viribus certò cognoſcere myſteria gratiæ, ſive ſint futura, ſive facta. Hæc Concluſio certa eſt ac conſtans.

Antequam probetur, obſerva, myſteria gratiæ propriè vocari illa opera quæ ex ſolâ gratuitâ Dei voluntate pendent & totum naturæ ordinem excedunt, ac in ſalutem humani generis ordinantur, cujuſmodi ſunt myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, Incarnatio Verbi divini ſeu unio hypoſtatica, viſio beatifica &c. Hoc præſuppoſito.

Probatur 1. Concluſio ex Scripturis. 1. ad Cor. 2. *Quis hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.* Quaſi diceret quæ ex ſolâ Dei liberâ voluntate pendent, qualia ſunt myſteria gratiæ, nullus niſi illo largiente cognoſcit.

Idem ſuaderi poteſt ex illo ad Epheſ. 3 ubi ſic loquitur Apoſtolus: *Mihi...... data eſt gratia hæc, in gentibus evangeliſare inveſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes*, (id eſt inſtruere ac docere) *quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſeculo in Deo, qui omnia creavit, ut innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* In quæ verba fusè probat S. Chryſoſtomus, ab Apoſtolis arcana illa aperientibus illuminatos fuiſſe principatus & poteſtates, hoc eſt, ſupremos Angelorum ordines, & quæ hactenus ignorabant, ea ab illis didiciſſe.

Probatur 2. ex SS Patribus quos ſæpius eam in rem laudavimus. Unus hic ſufficiet S. Ambroſius Commentario in caput 2. 1. Epiſt. ad Cor. *Senſum Dei*, inquit, *nemo novit, niſi qui de Deo eſt ſpiritus Dei: inferiora enim non poſſunt ſuperiorum ſcire conſilium, neque creatura conditoris ſui dignoſcere voluntatem.* Idem docent SS. Athanaſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Auguſtinus, Leo, Gelaſius aliique quos refert Petavius Lib. 1. de Angelis cap. 9. & ſequentibus.

Probatur 3. multiplici theologicâ ratione. Prima ſic eſt. Angelus id ſolùm noſſe poteſt quod ſuæ virtuti naturali proportionatum eſt, nam inter principium cognoſcens & objectum cognitum debet eſſe proportio: atqui myſteria gratiæ non ſunt proportionata activitati naturali intellectus angelici: iſta enim myſteria ſunt ordinis penitùs ſupernaturalis, intellectiva verò facultas Angelorum ordinis omninò naturalis; ergo &c.

Secunda: Naturalis cognitio debet haberi ex aliquâ naturali cauſâ, vel effectu vel ſigno, neceſſariam connexionem habente cum re cognoſcenda: atqui myſteria gratiæ, utpote altioris & ſuperioris ordinis, nullam habent neceſſariam connexionem cum aliquâ naturali cauſâ, neque cum effectu, vel ſigno naturali; ergo &c.

Tertia: unus Angelus non poteſt naturaliter cognoſcere cogitationes alterius ex voluntate ejus dependentes; ergo multò minùs poteſt cognoſcere ea quæ ex ſolâ Dei voluntate pendent, qualia profectò ſunt myſteria gratiæ.

Quæres, an, quando, & quâ ratione Angeli cognoverunt myſterium Incarnationis.

Reſp. 1. cum Eſtio 1. parte quæſt. 57. art. 5. probabilius videri Angelos viatores ab initio ſtatim creationis aliquam habuiſſe notitiam Incarnationis per fidem.

I. id indicat S. Auguſtinus Lib. 5. de Geneſi ad litt. cap. 19. ubi de Angelis ſecundùm quod primitùs conditi ſunt ſcribens, ait: *Nec illud eos latuit myſterium regni cœlorum, quod opportuno tempore revelatum eſt pro ſalute noſtra.*

II. idem innuit S. Thomas 1. 2. quæſt. 2. art. 7. ad 1. *Angelos*, inquit, *non omnino latuit myſterium regni Dei, ſicut dicit Auguſtinus.* Et hujus partis quæſt. 94. art. 2. ad 4. *Myſterium regni Dei quod eſt impletum per Chriſtum, omnes quidem Angeli à principio aliquo modo cognoverunt, ſed maximè ex quo beatificati ſunt viſione Verbi, quam dæmones nunquam habuerunt.*

III. Chriſtus ut homo futurus erat caput hominum & Angelorum in gratia perſeverantium, quemadmodum docet S. Thomas 3 parte quæſt. 8. ergo cùm omnes Angeli ab initio habuerint fidem ſibi divinitus infuſam, omnino probabile eſt quod

ali-

aliquam ſui capitis notitiam habuerint, præſertim cùm nullum inde ſequatur incommodum.

Reſp. 2. Omnibus electis Angelis ab initio ſuæ beatitudinis revelatum fuiſſe myſterium Incarnationis, quantùm ad ſubſtantiam, & in communi, hoc eſt, prout dicit hominem Deum ſuper omnes principatus exaltandum; non verò quantùm ad particulares ejus & ſpeciales circumſtantias; cauſas nempe, effectus, modum & tempus quo futura eſſet. *Dicendum*, inquit Doctor Angelicus hic, *quòd de myſterio Incarnationis dupliciter contingit loqui. Uno modo in generali, & ſic omnibus revelatum eſt à principio ſuæ beatitudinis. Alio modo poſſumus loqui de myſterio Incarnationis, quantùm ad ſpeciales conditiones; & ſic non omnes Angeli à principio de omnibus ſunt edocti, imò quidam, etiam ſuperiores Angeli poſtmodum didicerunt.*

Reſp. 3. Proceſſu temporis, partim ante Chriſtum natum, partim poſtea, Angelos cognoviſſe plures ſpeciales ejuſdem myſterii circumſtantias, aut Deo, prout ferebant occaſiones, plenius revelante, aut Apoſtolis ejuſmodi circumſtantias prædicantibus; unde Apoſtolus citato jam cap. 3. ad Epheſios ait ſibi datam eſſe evangeliſandi gratiam, *ut innoteſcat principibus & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei, ſecundùm præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

ARTICULUS III.

De medio cognitionis angelicæ.

Circa præſentem quæſtionem tria potiſſimum quærit S. Thomas hic.

I. An & ad quæ objecta intelligenda Angeli indigeant ſpeciebus tanquam medio.

II. Unde & quando illas ſpecies habeant: an ſint connaturales ac congenitæ, an verò adventitiæ & à rebus acceptæ.

III. Utrum Angeli ſuperiores cognoſcant per ſpecies magis univerſales, quàm inferiores.

Super his tribus capitibus prolixas quæſtiones inſtituunt plerique Theologi, quas nonniſi obiter ac paucis pertractabimus; utpote cùm hæc omnia levioris ſint momenti, vixque quidquam de his certò ſcire ac definiri poſſit.

An & ad quæ objecta intelligenda Angeli indigeant ſpeciebus tanquam medio.

Obſervandum 1. Ex dictis ubi de viſione, duplicem vulgò diſtingui ſpeciem, unam impreſſam, alteram expreſſam.

Species impreſſa definitur, virtualis objecti ſimilitudo, ſeu imago & repræſentatio objecti, quæ facultati imprimitur, & ſimul cum eâ ad cognitionem objecti concurrit: unde dicitur objecti vicaria & quaſi ſemen.

Scilicet ut notitia pariatur, oportet objectum & mentem ſecum invicem conjungi: ut enim ait S. Auguſtinus Lib. 5. de Trinit. cap. 12. *A cognoſcente & cognito paritur notitia.* Jam verò cùm plerumque contingat objectum eſſe aut diſtans aut craſſius quàm ut facultati per ſe conjungatur, neceſſe eſt ipſius vices ſuppleri per quamdam ſimilitudinem ſeu imaginem illius, quæ vocatur ſpecies impreſſa.

Species expreſſa dicitur, formalis & actualis objecti ſimilitudo ab intellectu expreſſa, quæ dicitur *verbum mentis*, ſeu *ſermo interior*.

Vel, ut alii volunt, ſpecies expreſſa eſt terminus internus cognitionis, à mente proinde & cognitione pariter diſtinctus, qui in intellectu dicitur *verbum* mentis, in imaginatione *phantaſma*, eſtque ipſe ab intellectu & objecto concurrente formatus ut ejuſdem objecti imago & expreſſio.

De utraque illa ſpecie quæritur utrum locum habeat in cognitione angelica.

Obſervandum 2. varia eſſe (uti diximus Articulo ſuperiori) cognitionis angelicæ objecta. 1. Deum 2. ipſam Angeli naturam, 3. res corporeas ac materiales. 4. ſecreta cordium. 5. fidei noſtræ myſteria.

Obſervandum 3. circa præſentem quæſtionem non unam eſſe Theologorum ſententiam.

Prima nonnullorum eſt qui cenſent Angelos abſque ullâ ſuperadditâ ſpecie innatâ vel acquiſitâ, ſed per ſolam ſuam eſſentiam & intellectum omnia cognoſcere quæcunque intelligunt. Ita Durandus in 2. diſt. 3. quæſt. 6. Gabriel ibidem quæſt. 2. Altiſſiodorenſis Lib. 2. ſuæ ſummæ tract. 5. cap. 4. Ocham, Greg. Arimin. & alii

Secunda aliorum eſt, qui exiſtimant Angelos intelligere quæcunque intelligunt per ſpecies ab objectis, mente ac cognitione re diſtinctis. Ita Alenſis 2. parte quæſt. 23. Henric. Quodlib. 5. q. 14. circa finem: in eandem ſententiam ex parte videtur inclinare Scotus in 2. diſt. 3. quæſt. 10. in fine corporis.

Tertia denique eorum eſt, qui docent intellectum angelicum ad cognoſcenda quædam objecta indigere quidem ſpecie ab ipſo objecto & cognitione re diſtincta; ſed non ad omnia. Ita S. Thomas hic art. 1. & 2. contra gentes cap. 98. & quæſt. 8. de veri. art. 6. Conſentiunt Eſtius, Suares, Sylvius &c. Juxta hanc ultimam ſententiam ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli Deum vident abſque ulla ſpecie impreſſâ aut expreſſâ, ab ipſa cognitione aut Deo ſeſe repræſentante, re diſtincta.

Probatur prima pars. Quia talis ſpecies impreſſa planè inutilis videtur; admittitur enim vulgò à Philoſophis, ad ſupplendam objecti vel abſentiam, vel improportionem: atqui Deus per ſe præſentiſſimus eſt intellectui angelico, eſt etiam eidem attemperatus beneficio luminis gloriæ; ergo &c.

Probatur ſecunda pars. 1. ex S. Auguſtino L. 15. de Trinit. cap. 16. *Cogitatio noſtra*, inquit, *pervemiens ad id quod ſcimus, atque inde formata, verbum noſtrum verum eſt.*

II. Quando objectum maximè intelligibile per ſeſe menti immediatè præſens eſt, ipſique proportionatum, tunc nulla videtur requiri ſpecies expreſſa, ab ipſâ cognitione & objecto ſeſe repræſentante, re diſtincta: porro Deus ſummè intelligibilis eſt, utpote purus ac ſimplex ſpiritus, per ſeſe etiam intellectui angelico intimè præſens eſt, eidemque attemperatus beneficio luminis gloriæ, ergo &c.

III. Vix concipi poteſt quid ſit *ſpecies illa expreſſa* à mente, cognitione & objecto, re diſtincta: multò autem faciliùs res intelligitur, ſi cognitio dicatur bifariam ſpectari poſſe, nimirum 1. quatenus directa eſt & tendit in objectum. 2. quatenus repræſentativa eſt objecti, illudque exprimit: eam autem, quatenus directa eſt in objectum, dici ſimpliciter cognitionem ſeu ideam formalem; quatenus verò eſt ipſiſſima objecti repræſentatio, verbum, ſimilitudinem ac ſpeciem expreſſam appellari, id eſt ideam objectivam.

SE-

SECUNDA CONCLUSIO.

Angeli ſeipſos vident independenter ab ullâ ſpecie re diſtinctâ à cognitione & objecto.

Probatur momentis mox adductis ad adſtruendam primam Concluſionem. Scilicet cùm objectum per ſeſe intelligibili eſt, & unitum facultati intellectivæ, tunc ſuperflua videtur ſpecies impreſſa aut expreſſa ab intellectu, cognitione & objecto, re diſtincta: porrò Angelus intellectivus eſt & intelligibilis, aliunde verò ſibi intimè præſens; ergo &c.

TERTIA CONCLUSIO.

Angeli nullis egent ſpeciebus ad cognitionem aliorum Angelorum, cæterarumque ſubſtantiarum ſpiritualium, modo ſint ipſis immediatè præſentes. Ita innuit S. Thomas quæſt. 8. de veritate art. 7. & 2. contra gentes c. 98. & Ferrarienſ. ibid. &c.

Concluſio ſequitur & conſtat ex principiis mox adductis in utrâque præcedenti Concluſione.

Et verò Angelus ſeipſum cognoſcit independenter ab omni ſpecie, quia eſt ſpiritualis & ſibi intimè præſens: porrò quilibet Angelus æquè ſpiritualis eſt; ergo ſi unus Angelus ſit immediatè præſens alteri Angelo, nihil videtur obſtare quin per ſeſe independenter ab omni aliâ ſpecie, ad ſui cognitionem concurrat: ſiquidem eo in caſu realis angeli præſentia præſtat quod ſpecies impreſſa præſtaret.

Neque vim hujuſce ratiocinii elevat quod regerunt nonnulli, nimirum principium concurrens ex parte objecti debere neceſſariò inhærere facultati intellectivæ ut ipſam determinet: iſtud enim falſum eſſe apertè liquet exemplo viſionis beatificæ, in quâ divina eſſentia loco ſpeciei concurrit, neque tamen inhæret.

QUARTA CONCLUSIO.

Angeli indigent ſpeciebus ad cognitionem aliorum Angelorum, & cujuslibet alterius ſubſtantiæ ſpiritualis, ſi ſit ab ipſis diſtans.

Probatur: quia ad hoc ut fiat cognitio, debet objectum vel aliquid loco ejus ſimul concurrere cum facultate cognoſcitivâ; ut enim ſupra vidimus ex S. Auguſtino Lib. 5. de Trinitate c. 12. *ab utroque notitia paritur, à cognoſcente & cognito*: atqui Angelus aut quælibet alia ſubſtantia immaterialis ſi ſit diſtans ab intellectu angelico non poteſt cum ipſo concurrere ad efformandam cognitionem, neque enim naturaliter actio poteſt eſſe indiſtans; ergo debet concurrere per aliquid aliud, quod illius vices gerat: hoc autem nihil aliud eſt quàm ſpecies intelligibilis.

Neque eſt quòd quis aſſerat cum Vaſquesio & aliis paucis, intellectum non minus quàm voluntatem, eſſe completum ad eliciendum ſuum actum: porrò, ut ratiocinatur Vaſques, voluntas licet egeat objecto determinante, per modum puri termini, non tamen eget objecto determinante per modum cauſæ concurrentis; ergo &c.

Verùm diſparitas eſt aperta, quia actus voluntatis non eſt imago objecti, atque adeò neceſſe non eſt ut procedat ab objecto concurrente: ècontra verò cùm intellectio ſit eſſentialiter repræſentatio & imago objecti, neceſſe eſt ut ab illo procedat: de ratione enim imaginis eſt procedere ab eo cujus eſt imago: activè quidem & productivè, ſi ſit imago naturalis; objectivè verò duntaxat, ſi ſit ſolùm imago intentionalis ac repræſentativa.

QUINTA CONCLUSIO.

Angeli in ſeipſis vident communes ac generales rationes rerum omnium corporearum.

Probatur. Angeli vident in ſeipſis rationes quæ in illorum naturâ continentur, ſeipſos ſcilicet comprehendunt: atqui communes & generales rerum omnium corporearum rationes continentur in Angelorum naturâ: namque naturæ ſuperiores continent rationes communes naturarum inferiorum; ſic vivens includit perfectiones communes non viventis, animal v. g. perfectiones lapidis: ſed Angelorum natura ſuperior eſt naturâ corporeâ; ergo continet rationes communes rerum corporearum.

SEXTA CONCLUSIO.

Angeli in ſeipſis non vident rationes ſpecificas ac ſingulares rerum corporearum, ſed in propriis ipſarum ſpeciebus.

Probatur prima pars. Angeli id tantùm in ſeipſis vident, quod in eorum naturâ continetur; ut enim aliquid cognoſcatur in aliquo medio, neceſſe eſt ut in illo contineatur: atqui rationes ſpecificæ ac ſingulares rerum corporearum non continentur in naturâ angelicâ: lapis v. g. in ratione ſpecificâ lapidis non continetur in naturâ Angeli, alioquin Angelus eſſet lapis, quòd implicat; ergo &c.

Probatur ſecunda pars. Angeli vident rationes ſpecificas & ſingulares rerum corporearum in eo per quod res illæ uniuntur eorum intellectivæ facultati, & per quod repræſentantur: atqui res corporeæ ſpectatæ quoad rationes ſpecificas ac ſingulares, per ſpecies dumtaxat uniuntur facultati intellectivæ Angelorum, & per eas repræſentantur, ut patet ex dictis; ergo &c.

Unde Angeli habeant ſpecies quibus indigent, & quando illas accipiant.

Diviſi ſunt hac in parte Theologi.

Alii volunt Angelos ab ipſis objectis ſpecies recipere. Ita Alenſis 2. part. quæſt. 23. membro 3. & 4. & quæſt. 24. membro 4. Richardus in 2. diſt. 3. quæſt. 2. Hervæus quæſt. 2. & Quodlibet 5. quæſt. 6. &c.

Alii cenſent Angelos nullas à rebus ſpecies accipere, ſed à ſolo Deo ad præſentiam objectorum infundi, idque ſucceſſivè, prout ſcilicet objecta ſucceſſivè fiunt apta ut intuitivè poſſint cognoſci. Sententiam hanc refert Suares Lib. 2. de Angelis cap. 6.

Alii exiſtimant Angelos ſuas habere ſpecies à ſolo Deo infuſas initio ſuæ creationis. Ita docet ſanctus Thomas hic, & 2. contra gentes cap. 96. quem ſequuntur Cajetanus, Ferrarienſis, Salmaticenſes, Suares, Eſtius, Sylvius, aliique communiter.

Eſt præterea aliorum opinio qui aſſerunt ſpecies produci per emanationem à ſubſtantiâ, vel intellectu ipſius Angeli, tanquam naturales ejus proprietates. Ita Bannes 1. p. qu. 55. art. 2. Medina & alii.

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli non cognoſcunt res materiales per ſpecies ab ipſis rebus acceptas.

Probatur

Probatur 1. quia res materiales non poſſunt agere in res merè ſpirituales, qualis eſt intellectus angelicus; omnis quippe actio corporea conſiſtit in motu: motus autem corporeus ut effectum producat mutuam exigit moventis & moti reſiſtentiam atque impenetrabilitatem, cujus incapax eſt quælibet res ſpiritualis; ergo &c. 2. materialia non poſſunt tranſmittere ſpeciem ſui uſque ad cœlum, vel etiam uſque ad profundum inferni, niſi factâ penetratione, quæ naturaliter non fit. 3. quod corporeum eſt, ſpiritualem qualitatem producere non valet, qualis tamen debet eſſe omnis ſpecies in angelico intellectu producta & recepta.

Neque dici poteſt cum Scoto, Angelos ſibi ſpecies à rebus materialibus abſtrahere, per quas ſpecies res ipſas intelligant. Non enim poterit Angelus abſtrahere ſpecies à rebus incognitis: eſſet enim temeraria & cæca abſtractio.

CONCLUSIO SECUNDA.

Angeli non cognoſcunt res ſpirituales per ſpecies ab ipſis rebus ſpiritualibus emiſſas.

Probatur 1. Angeli (idem dicendum de cæteris ſubſtantiis immaterialibus) nihil poſſunt ad extra, niſi motum localem, & quæ ſunt illi connexa: nemo enim Theologorum agnoſcit in Angelis potentiam operativam ad extra diſtinctam à vi motrice, quæ ad motum duntaxat localem, aliaque motui annexa ſeſe extendit: atqui emittere ſui ſpeciem, eſt aliquid ad extra omnino independens à potentia loco motrice propriè ſumptâ; quia talis actio eſt tantum intentionalis, cujus principium nullo modo eſt potentia motrix; ergo &c.

II. Species emiſſæ ab objectis diſtantibus recipì deberent in ſpatio intermedio, eique inhærere: namque ſpecies illæ forent accidentia quædam, ac proinde quid reale non ſubſiſtens, ſed naturâ ſuâ inhærens: atqui ſpatium non poteſt aſſignari velut medium quod recipiat in ſeipſo ſubjectivè ſpecies tranſmiſſas ab objectis ſpiritualibus: ſiquidem abſurdum eſſet ſingulas ſpatii partes ſucceſſivè fieri ſubjectum talium ſpecierum motu citiſſimo ad intellectum Angelorum pervenientium; ergo &c.

III. Si Angelus poſſet ex ſeſe effundere ſpecies ſui repræſentativas, eaſque tranſmittere ad intellectum alterius Angeli, vel id efficeret ex neceſſitate naturæ ad modum agentis naturalis; vel liberè, ita ut dominium habeat ſupra talem efficientiam: porrò nullum ex his dici poteſt.

Non primum, quia omne agens liberum ex naturâ ſuâ habet dominium ſupra omnes actiones, quas extra ſe producere poteſt: ita videre eſt in Deo, imò etiam in homine, quantum ad omnes actiones tranſeuntes, quæ ab animâ, ut rationalis eſt, procedere poſſunt; ergo idem dicendum de Angelis, qui ſunt quaſi medii inter Deum & homines.

Non etiam ſecundum: vix enim concipi poteſt, quomodo Angelus abſque præviâ aliquâ aliorum Angelorum cognitione habere potuerit liberam voluntatem imprimendi aliis ſpeciem ſui; hæc enim voluntas ad alios aliquo modo terminatur, & non poteſt fieri in incognitum.

TERTIA CONCLUSIO.

Species quibus agnoſcunt Angeli, non producuntur per emanationem à ſubſtantiâ, vel intellectu angelico, tanquam naturales ejus proprietates.

Probatur: quia ſi ſubſtantia ipſius Angeli produceret in ſe ſpecies eorum quæ poteſt intelligere, produceret in ſe ſpecies omnium poſſibilium, quia nullum eſt poſſibile quod non poſſit intelligere; nec eſt major ratio, cur de facto producat nunc ſpecies hujus objecti, quàm alterius: atqui abſurdum eſt aſſerere ſubſtantiam Angeli in ſe producere ſpecies omnium poſſibilium, cùm ipſa in infinitum multiplicari poſſint; ergo &c.

Et verò, ut ratiocinatur Sylvius 1. part. q. 55. art. 2. proprietates rerum ſunt certæ ac determinatæ, ſemperque (naturaliter loquendo) eædem, quando ipſæ res ſunt eædem; ſpecies autem Angelorum non ſunt ita certæ ac determinatæ. Si enim Deus eoſdem creaſſet Angelos qui nunc ſunt, & mundum aliis rerum ſpeciebus conſtantem, Angeli eſſent iidem in naturâ, & tamen non haberent eaſdem ſpecies; illarum namque rerum ſpecies intelligibiles ſunt Angelis connaturales & congenitæ, quæ ad univerſi in quo ſunt, perfectionem ſpectant, non autem aliæ. Hinc Divus Thomas quæſt. 56. *art.* 2. ad 4. *Si Deus inſtituiſſet plures Angelos facere, vel plures naturas rerum, plures ſpecies intelligibiles mentibus angelicis impreſſiſſet.*

QUARTA CONCLUSIO.

Angeli ſuas omnes habent ſpecies infuſas à Deo.

Probatur: quia ſpecies angelicæ non poſſunt eſſe niſi vel ab objectis cognitis, vel ab ipſa ſubſtantia & intellectu agentis cognoſcentis, vel denique ab ipſo Deo, qui, utpote prima ac univerſalis cauſa ſupplere debet defectum aliarum cauſarum dum non poſſunt agere: atqui ex dictis in ſuperioribus Concluſionibus, ſpecies angelicæ neque ab objectis, neque à ſubſtantia aut intellectu ipſius Angeli oriri poſſunt; ergo &c. Amplius conſtabit præſens Concluſio ex dicendis ſequenti Concluſione.

QUINTA CONCLUSIO.

Angeli res omnes quas naturaliter cognoſcere poſſunt, intelligunt per ſpecies non à rebus acceptas, ſed ſibi à Deo initio ſuæ creationis infuſas. Ita S. Thomas hic, qui hanc in rem citat authoritatem S. Dionyſii cap. 7. de divinis nominibus, & S. Auguſtini Lib. de Geneſ. ad litteram cap. 8. hancque ſententiam ſequuntur Salmaticenſes, Suares, Eſtius, Sylvius & alii.

Probatur 1. Angelus creatus eſt perfectus & ſapiens, ut colligi poteſt ex Ezechielis 28. at perfectus non eſt intellectus cui deſunt ſpecies rerum quas naturaliter cognoſcere poteſt.

Probatur 2. Ex dictis patet Deum ſolum eſſe cauſam efficientem ſpecierum per quas Angeli intelligunt: jam verò videtur gratis dici quòd Deus novas jugiter ſpecies per ſeipſum formet, quas æquè producere potuit ab initio.

At, inquies, ſi Angeli intelligerent res individuas & ſingulares per ſpecies ſibi concreatas, ſequeretur ipſos cognoſcere diſtinctè futura contingentia, antequam eſſent: ſufficit enim ut aliquid diſtinctè cognoſcatur, quòd ſit præſens potentiæ cognoſcitivæ, per ſpeciem perfectè repræſentantem, & quòd potentia cognoſcitiva advertat ad rem repræſentatam per ejuſmodi ſpeciem: atqui ex dictis Articulo præcedenti, liquet Angelos non poſſe naturaliter cognoſcere futura contingentia, ſaltem libera; ergo &c.

Reſpondet Sylvius loco mox citato, negando ſequelam & ejus probationem: quia licet Angeli habeant ſpecies quæ aptæ ſunt repræſentare omnia ſingularia, nihil tamen futurorum contingentium eſt in rerum naturâ, quod ſpeciebus illis aſſimile-

tur, adeoque per illas ſpecies futura contingentia non valent cognoſcere. Ut enim notat ibidem Sylvius, quemadmodum qui leonem nuſquam vidit, nec quidquam de illo audivit, præſente leonis tabella prorſus ignorat cujus rei ſit imago, donec occurrente leone, hanc eſſe illius imaginem cognoſcat; ita proportione ſervatâ dicendum de ſpeciebus futurorum contingentium repræſentativis, quæ inſunt intellectui angelico.

Eadem reſponſio iterum explicari poteſt ac illuſtrari exemplo viſionis corporeæ, quæ ſive per reflexionem luminis, ſive per ſpecies ab objectis emiſſas, fiat, requirit certum corporis ſitum & objecti præſentiam, adeò ut niſi oculus ad objectum, & quidem in debitâ diſtantiâ expoſitum converſus fuerit, potentia viſiva viſionem non eliciat: ſic intellectus angelicus, quàmvis ſpeciebus rerum naturalium inſtructus, earum exiſtentiam non percipiet, niſi cùm præſentes objiciuntur. Namque ſpecies innatæ utpote generales, non repræſentant ſingularia, niſi modificentur & quodammodo determinentur per illorum præſentiam.

Addo, non ſufficere ad cognitionem diſtinctam futuri contingentis, exiſtentiam ejuſdem, ſi futurum hoc contingens ſit liberum, ſed inſuper neceſſariam eſſe illius manifeſtationem, ut dicemus infra Articulo quinto, ubi de locutione Angelorum.

Urgebis: Si Angelus intelligit res individuas materiales & immateriales per ſpecies ſibi concreatas, concedendæ erunt infinitæ propemodum ſpecies concreatæ in quolibet Angelo.

Reſp. negando ſequelam: non enim neceſſe eſt, ut tot ſpecies habeat, quot cognoſcit objecta; quia per unicam ſpeciem eò plura poteſt apprehendere, quòd eſt perfectior, quemadmodum homo ex uno principio multa colligit. Et verò ſicuti unica potentia quamvis finita poteſt plura objecta percipere, imò & infinita ſucceſſivè; ita pariter una & eadem angelica ſpecies licet finita, plura imò & infinita objecta ſucceſſivè repræſentare poteſt.

Inſiſtes: Angeli de novo cognoſcunt multas res præſentes quæ priùs erant futuræ; ergo de novo recipiunt ſpecies earum rerum repræſentativas.

Reſp. Cum ſancto Thoma negando conſeq. ut enim advertit S. Doctor quæſt. 8. de veritate art. 9. ad 3. cùm cognitio fiat per aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum, ſicut dupliciter contingit aliquid de novo aſſimilari alteri; ſcilicet vel per motum ſuum, vel per motum alterius ad ipſum; ita dupliciter contingit facultatem cognoſcitivam habere novam cognitionem: uno modo, per hoc quòd cognoſcens de novo accipit formam rei quam cognoſcit, ſicut in nobis accidit: alio modo, per hoc quòd res cognita de novo aſſimilatur illi formæ quæ eſt in cognoſcente; & hoc poſteriori modo Angeli de novo cognoſcunt eas res præſentes, quæ priùs erant futuræ, ſine novâ ſpecierum receptione.

An quantò ſuperiores ſunt Angeli, tantò per univerſaliores ſpecies intelligant.

CONCLUSIO.

Quò ſuperior eſt Angelus, eò per pauciores & univerſaliores ſpecies intelligit. Ita S. Thomas hic, & quæſt. 8. de verit. art. 10. Cajetanus hoc loco; ibidem Suarez, Sylvius, & plerique alii contra Scotum.

Probatur: quia, ut ratiocinatur S. Thomas, quò perfectior eſt aliqua natura intellectualis, eò debet eſſe Deo magis ſimilis in modo cognoſcendi & perfectione intellectionis: porrò perfectio intellectionis divinæ in eo maximè poſita eſt, quòd per unicam ſuam eſſentiam omnia intelligat; ergo perfectio cognitionis angelicæ in eo etiam erit, ut per pauciores & univerſaliores ſpecies plura intelligat.

Dices: Id quod cognoſcitur in univerſali, cognoſcitur imperfectè: ſuperiorum autem Angelorum cognitio eſt perfecta; ergo non eſt per ſpecies univerſaliores.

Reſpondet S. Thomas quæſt. 8. de verit. art. 9. ad 1. quòd cognoſcere aliquid in univerſali, dupliciter poteſt intelligi. Uno modo, *ex parte rei cognitæ*, cùm ſcilicet ſolummodo cognoſcitur univerſalis natura rei; & ſic id quod cognoſcitur in univerſali, cognoſcitur imperfectè. Alio modo, *ex parte medii cognoſcendi*, quando nempe aliquid cognoſcitur per medium univerſale: ſic autem cognoſcere in univerſali, perfectius eſt, modò cognitio ſit rei ſecundùm ea quæ ſunt ei propria; perfectior eſt enim intellectus qui per unum univerſale medium poteſt rem aliquam cognoſcere ſecundùm omnia quæ ipſi conveniunt, quàm qui ad hoc opus habet diverſis mediis: Angeli autem ſuperiores, juxta hunc poſteriorem modum intelligunt in univerſali, ac proinde perfectior eſt eorum cognitio.

ARTICULUS IV.

De dotibus ſeu proprietatibus cognitionis angelicæ.

Hic cùm ſancto Thoma 1. parte qu. 58. quinque quæremus ac breviter reſolvemus. 1. utrum cognitio angelica ſemper ſit in actu. 2. utrum multa ſimul attingat. 3. an ſit diſcurſiva. 4. an componat ac dividat. 5. denique quid ſit Angelorum tùm matutina tùm veſpertina cognitio.

An Angeli cognitio ſemper ſit in actu.

PRIMA CONCLUSIO.

Angelorum cognitio ſemper eſt in actu, quantùm ad cognitionem Verbi, & eorum quæ vident in Verbo formaliter, hoc eſt, illâ ipsâ viſione quâ vident Verbum.

Probatur. Cognitio angelica ſemper eſt in actu reſpectu illius objecti, quod ſine intermiſſione attingit: atqui Angeli ſemper & abſque ullâ intermiſſione contemplantur eſſentiam divinam; in hoc enim conſiſtit ipſorum beatitudo: contemplantur etiam perpetuò ea quæ vident in Verbo formaliter; ſcilicet Verbum eſt veluti ſpeculum in quo res illæ neceſſariò repræſentantur; ergo &c. Vide quæ diximus Tractatu de Attributis, ubi de objecto ſecundario viſionis beatificæ.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angelorum cognitio non eſt ſemper in actu reſpectu eorum myſteriorum quæ vident in Verbo ſolùm cauſaliter, aut quæ aliter eis revelantur; neque etiam reſpectu eorum omnium ad quæ naturalis illorum vis intellectiva ſeſe poteſt extendere.

Probatur: quia cognitio angelica non ſemper hæc omnia conſiderat actualiter, ſed quandoque ſolùm: in hoc enim angelica cognitio differt à cognitione divinâ, quòd hæc ſemper actu in objectum ſuum feratur.

Quòd

Quòd ſi quæras, unde fiat quòd Angelus interdùm hoc, interdum aliud actu conſideret, cùm antea illud non conſideraret? Reſponderi poteſt, interdum hoc provenire à ſolo Deo; ut in eis quæ naturalem cognitionem excedunt, ac etiam in quibuſdam aliis: interdum etiam provenire ab Angeli liberâ voluntate, quæ ex prævia cognitione eſſentiæ ſuæ, ſpecierumque ſibi connaturalium, intellectum determinat ad conſiderandum, nunc unam rem, nunc aliam. Reſponſionem hanc indicat S. Thomas Lib. 2. contra gentes cap. ultimo, & quæſt. 8. de verit. art. 14. ad 4.

TERTIA CONCLUSIO.

Quantùm ad cognitionem ſuæ propriæ eſſentiæ ſeu ſui ipſius, Angelus ſemper eſt in actu ſecundo, & nunquam in potentiâ. Ita tradit S. Thomas q. 8. de verit. art. 6. ad 7. Subſcribunt Cajetanus, Bannes, Eſtius, Sylvius & Suares Lib. 2. de Angelis cap. 33.

Probatur. Eſſentia Angeli eſt objectum maximè proportionatum ejus intellectui, & eſt ei intimè unita in ratione intelligibilis; neque eſt aliquid quod intellectum impediat à continuâ ipſius conſideratione: ergo ſemper eam intelligit. Adde quòd ad perfectionem ſubſtantiæ angelicæ ſpectet, ut ſemper ſit in actu ſecundo, ut ſic Deum magis imitetur qui nunquam eſt in potentia: nullus autem actus ſecundus ſeu nulla operatio potiori jure poteſt Angelo ſine intermiſſione tribui, quàm cognitio ſui ipſius; ergo &c.

Ex his ſequitur, quòd Angelus nuſquam ceſſet, imò nec ceſſare poſſit à cognitione Dei ſecundùm quod eſt author naturæ: cognoſcendo enim ſe, etiam cognoſcit Deum, ſicut cauſa cognoſcitur in effectu.

An Angeli cognitio plura ſimul attingat.

PRIMA CONCLUSIO.

Plura quæ per unam ſpeciem repræſentantur, poteſt Angelus uno & eodem actu ſimul intelligere.

Probatur. Plura quæ per unam ſpeciem repræſentantur, mediante illa ſpecie præſentia ſunt intellectui, ut unum quoddam intelligibile: ergo uno & eodem actu ab intellectu ſimul percipi poſſunt.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angelus poteſt ſimul diverſa intelligere per diverſas ſpecies ac intellectiones.

Probatur. Nam Angelus v. g. ſimul intelligit. 1. divinam eſſentiam, quæ cognitio ſupernaturalis eſt. 2. ſeipſum per ſuam ſubſtantiam, quæ cognitio independens eſt à ſpecie. 3. res quarum ſpecies habet congenitas. 4. res ſupernaturales & liberas, per novas ſpecies infuſas. 5. in omnibus beatis admittitur cognitio matutina & veſpertina. Porrò hæ cognitiones ſive intellectiones profectò diverſæ ſunt; ergo &c.

Nec obſtat quod aſſerunt nonnulli, ejuſdem intellectûs duas non poſſe ſimul eſſe intellectiones; quemadmodum nec ejuſdem corporis duas figuras: ſiquidem ejuſdem corporis non poſſunt ſimul eſſe duæ figuræ totales, benè verò partiales. Deinde verò lata eſt inter utrumque diſparitas: namque ex duplici figurâ duplex ſitus ſequitur, qui naturaliter repugnat; at verò ex duplici intellectione quæ ſimul & ſemel ineſſe ſupponuntur in eodem intellectu, nihil repugnans ſequitur.

TERTIA CONCLUSIO.

Poſſibile videtur Angelum ſimul cognoſcere res omnes quarum habet ſpecies.

Probatur 1. Ex ſancto Auguſtino Lib. 4. de Geneſi ad litt. cap. 32. ubi id ipſum docet. 2. activitas intellectivæ facultatis angelicæ proportionata eſt univerſalitati ſpeciei infuſæ ipſi Angelo; ergo &c. 3. ſpecies Angeli pendet quoad uſum à liberâ ipſius voluntate, ut ſæpius tradit Doctor angelicus; ergo &c.

Accedit quòd Angelus ita attentionem ſuam diſpenſare poſſit, ut ad ſingulas ſpecies extendatur: maximè cùm ejuſmodi attentio ſit intenſionis capax, neque tam exigua dari poſſit, quin adhuc minor ſit poſſibilis; ſicque quo major erit attentio *extenſivè*, minor erit *intenſivè*. Par eſt ratio reſpectu animæ ſeparatæ à corpore, non autem ubi eſt unita corpori. Cùm enim dependens ſit à phantaſiâ, eaque ut plurimùm uni objecto addicta ſit, nec ejus attentionem moderari poſſit, ex eo fit ut ad unam ferè rem attendat.

An cognitio angelica ſit diſcurſiva.

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli reſpectu eorum quæ ab ipſis naturaliter cognoſcuntur, *propriè* non diſcurrunt. Ita S. Thomas hic, & S. Auguſtinus Lib. de Geneſi ad litteram cap. 32. & 33.

Probatur Diſcurrere *propriè* eſt unum ex alio, & per aliud cognoſcere: at Angelus reſpectu eorum quæ ab ipſo naturaliter, ſed unico actu mox in principiis & cauſis cognoſcuntur, cognoſcit effectus qui ex iis naturaliter cognoſci poſſunt; ita ut eodem intuitu quo principia & cauſas intelligit, etiam plenè videat effectus naturaliter in illis latentes: idque tùm propter plenitudinem luminis intellectualis & ſummam virtutem intelligendi, tùm etiam propter perfectionem ſpecierum quibus in intelligendis rebus naturalibus utuntur Angeli, quæ quidem ſpecies ea omnia perfectiſſimè exhibent quæ rei naturaliter conveniunt aut inſunt; ergo &c. Sic v. g. unico ſimpliciſſimo intuitu videt Angelus per ſpeciem ſibi concreatam, eſſentiam hominis, proprietates omnes ejuſdem, conditiones individuantes &c. eò quòd iſta omnia perfectè repræſententur per hujuſmodi ſpeciem concreatam.

Quæres an angelica cognitio ſit diſcurſiva reſpectu earum rerum, quæ ab eis naturaliter non cognoſcuntur, ut ſunt cogitationes cordium, & res aliquo modo ſupernaturales?

Reſpondent aliqui cum Cajetano, negativè; alii verò, & quidem multò plures, cum Suares, Yſambert, Vaſques &c. negativè: idque ex eo probant, quia ex his aut illis motibus quos in alicujus hominis corpore percipiunt, colligunt eum has ut illas cogitationes animo volvere: ſic etiam dæmones ex Chriſti miraculis inferebant eum eſſe Meſſiam in Lege promiſſum.

Ex dictis ſequitur, Angelos res naturales unico intuitu cognoſcere, abſque compoſitione aut diviſione *propriè* dicta, id eſt, abſque comparatione unius rei cum alia, ex quâ colligeretur convenientia vel diſconvenientia, ſiquidem hæc fieri nequeunt ſine diſcurſu: ac proinde unico ac ſimpliciſſimo actu cognoſcunt Angeli ſubjectum & proprietates, cauſam & effectus, non proprietates ex ſubjecto, neque cauſam ex effectibus, ſed proprietates in ſubjecto, & effectus in cauſis.

An cognitio Angelorum poſſit eſſe falſa.

Reſp. 1. Angelos ſive, bonos, ſive malos, non poſſe falli reſpectu eorum quæ ab illis naturaliter cognoſcuntur. Ratio eſt, quia perfectiſſimo modo illa omnia penetrant, & naturalia manſerunt integra in dæmonibus.

Reſp. 2. circa res vel ſupernaturales, vel liberas, vel etiam contingentes, ſecundùm quod divinæ diſpoſitioni ſubſunt, bonos Angelos falli non poſſe, licet eas naturaliter non cognoſcant.

Ratio eſt, quia propter prudentiam quâ pollent cohibent ſe à ferendo certo & determinato judicio. Sic boni Angeli de rebus ſupernaturalibus, quamdiu non habent certas revelationes, non judicant ita eſſe vel non eſſe abſolutè; ſed ex ſignis probabilibus tantùm judicant hoc eſſe probabile, & poſſe ita evenire. Similiter de rebus naturalibus, ſecundum quod ſubſunt divinæ diſpoſitioni (per quam circa illas varia mutatio accidere poteſt) non proferunt abſolutum judicium. Unde fit quod licet in naturalibus cauſis videant v. g. peſtem aut ſiccitatem, non tamen abſolutè judicent eam eſſe eventuram, quia ſciunt vel ſancti alicujus oratione vel etiam ſine illâ, poſſe per divinam ſapientiam aliter fieri.

Reſp. 3. malos Angelos circa res vel ſupernaturales, vel liberas: vel etiam contingentes, ſecundùm quod illæ ſubſunt divinæ diſpoſitioni, plerumque falli; id autem ex eo contingit, quoniam ex pravitate ſuæ voluntatis à divinâ ſapientia removentur, eamque nolunt attendere: nec ei ſe ſubmittere; unde ſæpe ſecundùm conjecturas aut argumenta probabilia vel curſum rerum naturalium judicant abſolutè, atque ita ſæpe falluntur. Totum iſtud clarè docet S. Thomas hic: *Angeli boni*, inquit, *habentes rectam voluntatem, per cognitionem quidditatis rei non judicant de his quæ ſupernaturaliter ad rem pertinent, niſi ſalva ordinatione divinâ; unde in eis non poteſt eſſe falſitas aut error. Dæmones verò per voluntatem perverſam, ſubducentes intellectum à divinâ ſapientiâ, abſolutè interdum de rebus judicant ſecundum naturalem conditionem. Et in his quæ ad rem naturaliter pertinent, non decipiuntur, ſed decipi poſſunt quantum ad ea quæ ſupernaturalia ſunt: ſicut ſi conſiderans hominem mortuum judicet eum non eſſe reſurrecturum: & ſi videns hominem Chriſtum, judicet eum non eſſe Deum.*

An & quid ſit Angelorum tùm matutina, tùm veſpertina cognitio

Sanctus Thomas hic art. 5. & 6. ſecutus S. Auguſtinum Lib. 4. de Geneſi ad litt cap. 22. & 23. docet in Angelis beatis rectè diſtingui cognitionem matutinam & veſpertinam. Communis hæc eſt ac certa Theologorum ſententia, quæ ex ipſa utriuſque cognitionis notione manifeſtè patet.

Cognitio matutina vocatur, qua Angeli cognoſcunt res in Verbo divino, ubi omnia clariſſimè lucent, tanquam in ſole æterno. Veſpertina dicitur, qua res eaſdem cognoſcunt per illarum ſpecies ſibi congenitas; quæ cognitio, facta comparatione ad eam qua Verbum divinum videtur & res in Verbo, obſcurior eſt, & idcirco dicitur veſpertina. *Cognitio creaturæ in ſeipſa*, inquit S. Auguſtinus Lib. 11. de civit. Dei cap. 7. *decoloratior eſt, ut ita dicam, quam cum in Dei ſapientiâ cognoſcitur, velut in arte per quam facta eſt; ideo veſpera congruentius dici poteſt.*

Hæc autem diſtinctio cognitionis angelicæ in matutinam & veſpertinam, à ſancto Auguſtino excogitata fuit, ut caput primum Geneſeos, in quo mundus ſex dierum ſpatio à Deo creatus narratur, facilius exponeret. Cùm enim quarto die ſol factus deſcribatur, difficile apparet qua ratione ante quartum diem potuerit eſſe diſtinctio inter manè & veſpere, & ſeries illa dierum, qui ſolis circuitu peraguntur. Unde ut ab hac difficultate ſe expediret, de die ſpirituali ſeu cognitione angelica, illud expoſuit: ita ut ſicut ex manè & veſpere fit unus dies conſuetus, ſic ex utrâque notitiâ matutina & veſpertinâ, unus dies angelicæ cognitionis exurgat. Videri poteſt hac de re S. Thomas quæſt. 8. de verit. art. 17. ubi duplicem hanc Angelorum cognitionem latè exponit.

ARTICULUS V.

De locutione Angelorum.

Locutio generatim eſt *manifeſtatio conceptuum*; unde patet locutionem Angelorum eſſe expreſſionem proprii conceptûs quam ipſi ad alios dirigunt.

Quæritur hic, an & quibus loquantur Angeli, & quomodo ipſorum locutio fiat. Tria hæc ſequentibus Concluſionibus obiter reſolvemus.

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli inter ſe colloquuntur. Ita S. Thomas 1. p q. 107. art. 1.

Probatur 1. Ex Scripturis. Iſaiæ 6. *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus &c.* 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum.* Et in Epiſt. B. Judæ legitur, quod cùm Michaël Archangelus cum diabolo diſputaret de Moyſi corpore, *dixit: Imperet tibi Dominus.*

Hanc eandem de Angelorum ad invicem locutionibus doctrinam tradunt SS. Dionyſius cap. 7. cœleſtis hierarchiæ, Chryſoſt. in cap. 13. Epiſt. 1. ad Cor. Greg. Lib. 2. Moralium cap. 5. Damaſcenus Lib. 2. de fide cap. 3. & alii.

Suffragatur etiam ratio: nam qui perfectam inter ſe ſocietatem habent, ſibi invicem mutuò loquuntur; id enim neceſſariò videtur exigere perfectio ſocietatis: atqui Angeli perfectam inter ſe ſocietatem habent, ſcilicet cœleſtis Hieruſalem præcipui ſunt cives, Reſpublica cœleſtis ex Angelis potiſſimum conſtituitur; ergo &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angeli poſſunt loqui & hominibus, & Angelis ſuperioribus, & etiam Deo. Ita S. Thomas hic art 1. 2. & 3.

Probatur prima pars, quòd nempe Angeli poſſint hominibus loqui: nam poſſunt illis ſuos conceptus exprimere ac manifeſtare, ut eos vel doceant, vel ut aliquid diſcant ab ipſis. Sic legimus Lucæ 1. Archangelum Gabrielem beatiſſimam Virginem Mariam allocutum fuiſſe.

Probatur ſecunda pars, ſcilicet quòd Angeli inferiores poſſint loqui ſuperioribus. Angelum Angelo loqui, eſt conceptum per propriam voluntatem ordinare ad hoc ut ei innoteſcat: Angelus autem inferior ſic ordinare poteſt ſuum conceptum, ut is Angelo ſuperiori innoteſcat; ergo &c.

Et verò ut obſervat Doctor Angelicus hic art. 3. ad 1. locutio poteſt eſſe non ad manifeſtandum alteri aliquid ipſi ignotum, ſed ad quærendum ab eo diſcere id cujus notitiam non habet ille, qui loquitur: at Angeli inferiores, cùm non omnia cognoſcant quæ ſuperioribus nota ſunt, poſſunt à ſuperioribus quærere notitiam eorum quæ neſciunt; ergo poſſunt loqui ſuperioribus. Huc pertinere videtur illud Pſalmi 23. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* ſcilicet, conformiter his quæ tradunt S. Dionyſius, Chryſoſtomus, Hieronymus &c. intelligitur eſſe interrogatio

gatiu quædam Angelorum inferiorum admirantium gloriam Chriſti in Cœlum aſcendentis, & poſtulantium edoceri à ſuperioribus.

Probatur tertia pars, quòd nempe Angeli etiam Deo loquantur. Sic Zachar. 1. Angelus refertur Deo reſpondiſſe & dixiſſe; *Domine exercituum uſquequò tu non miſereberis Jeruſalem & urbium Judæ.* Sic etiam Job 1. & 2. Sathan introducitur varia locutus ad Deum. Loquitur porro Angelus Deo, non ut ei quidpiam manifeſtet, ſeu vel conſulendo ejus voluntatem & ſapientiam, vel laudando & admirando ejus potentiam.

TERTIA CONCLUSIO.

Probabilius eſt Angelorum loquendi modum poſitum eſſe. 1. in eo quòd Angeli cogitationes ad ſe invicem dirigant. 2. in eo quòd Deus ex impoſitâ ſibi lege excitet in Angelo ideam cogitationis, quæ ad ipſum ab alio Angelo directa fuit.

Hæc videtur eſſe expreſſa Doctoris angelici ſententia. *Ex hoc*, inquit S. Doctor 1. parte qu. 107. art. 1. *quod conceptus mentis angelicæ ordinatur ad manifeſtandum alteri voluntatem ipſius Angeli, conceptus unius Angeli innoteſcit alteri; & ſic loquitur unus Angelus alteri. Nihil eſt enim aliud loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifeſtare.*

Et verò his duobus præciſè poſitis, ſcilicet directione & ordinatione cogitationis ex parte Angeli loquentis, & excitatione à Deo factâ in intellectu Angeli ad quem dirigitur hæc cogitatio, ſatis clarè intelligitur mutua angelorum locutio; ergo &c.

Ex his quæ dicta ſunt in præſenti Articulo circa locutionem Angelorum colligitur 1. localem diſtantiam non obſtare quominus Angeli cuſtodes qui in terris verſantur, cum iis colloquantur qui ſunt in cœlis: ratio eſt, quia locutio Angeli eſt planè ſpiritualis à loco prorſus abſtracta ac independens. Colligitur 2. unius Angeli collocutionem cum altero cæteris Angelis non innoteſcere; non enim, ut ſupponitur, Angelus ille intendit cogitationes ſuas omnibus aliis manifeſtare. Colligitur 3. nonnihil diſcriminis eſſe inter locutionem & irradiationem ſeu illuminationem Angelorum. Irradiatio ſeu illuminatio, inquiunt, eſt illuſtratio unius ab alio, inferioris à ſuperiori; locutio autem eſt manifeſtatio conceptuú: unde omnis quidem irradiatio eſt locutio, non omnis tamen locutio eſt irradiatio: quia nempe Angelus inferior alloquitur ſuperiorem, nec tamen ipſum irradiat: ordo enim inditus ſubſtantiis ſpiritualibus, ait ſanctus Thomas quæſt. 106. art. 3. poſtulat ut inferiores moveantur & illuminentur per ſuperiores.

QUÆSTIO QUARTA.

De voluntate Angelorum.

Certum eſt 1. Angelis ineſſe voluntatem; nam in omni ſubſtantiâ intelligente eſt appetitus ſeu voluntas rationalis. Hinc in Scripturâ multoties ſupponitur Angelos hâc facultate eſſe præditos, eiſque tribuuntur peccatum, deſiderium &c. 1. Petri 1. *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* 2. ejuſdem ſancti Patri 2, *Angelis peccantibus Deus non pepercit.* Peccatum autem, deſiderium &c. nonniſi voluntati rationali competere poſſunt.

Certum eſt 2. objectum illius voluntatis eſſe bonum quodlibet, ſeu quodcunque ens ſub ratione boni: voluntas ergo Angeli verſatur circa Deum, ſeipſum, alios Angelos, homines & alias creaturas, quatenus in omnibus aliqua ratio boni inveniri poteſt. Ratio autem boni triplex diſtinguitur honeſtum ſcilicet, jucundum & utile; ac proinde Angelus ferri poteſt in finem & in media.

Certum eſt 3. voluntatem Angelorum diſtingui tùm à ſubſtantia angelica, tùm ab intellectu: diſtinguitur autem ab utroque, diſtinctione duntaxat virtuali, quemadmodum generatim una potentia ab aliâ & à propriâ ſubſtantiâ diſtingui ſolet. Vide quæ ſupra diximus Articulo primo præcedentis Quæſtionis.

His præſuppoſitis, tria hic ſolum ſuſcipimus examinanda circa proprietates & characteres voluntatis angelicæ.

I. an angelica voluntas reverâ ſit libera.
II. circa quæ objecta libera ſit.
III. denique an ſit immutabilis.

ARTICULUS PRIMUS.

An angelica voluntas ſit libera.

Obſervandum libertatem eſſe indifferentiam activam omnibus vinculis neceſſitatem inferentibus expeditam. Duplex autem diſtinguitur libertas, exercitii ſeu contradictionis, quæ eſt indifferentia ad actum vel non actum; & libertas ſpecificationis ſeu contrarietatis, quæ eſt indifferentia ad actum unum vel ad oppoſitum, ad bonum v. g. vel ad malum.

CONCLUSIO.

Admittenda eſt in Angelis libertas. Ita S. Thomas 1. p. q. 59. art. 3.

Probatur 1. ex iis Scripturæ locis ex quibus oſtenditur Angelos eſſe capaces juſtitiæ, ſanctitatis, meriti, præcepti & peccati ſeu culpæ moralis. Referuntur autem hæc loca in decurſu Tractatus. Porro ſine libertate hæc ſtare non poſſunt: liberum quippe arbitrium neceſſarium eſt ad merendum vel demerendum, uti conſtabit ex dicendis in Tractatu de gratia; ergo &c.

Probatur 2. ex ſanctis Patribus qui unanimi calculo Angelos libertate donatos affirmant. Sic ſanctus Auguſtinus L. 22, de civ. Dei c. 1. *Qui (Deus) liberum arbitrium eidem naturæ intellectuali tribuit tale, ut ſi vellet deſerere Deum, continuò miſeria eſſet ſecutura.* Idem docent SS. Baſilius Lib. de Spiritu ſancto cap. 16. Greg. Nazianz Oratione 38. Greg, Nyſſen Leo Magnus, Gelaſius &c. ergo &c.

Probatur 3. ratione Theologica. Libertas arbitrii ſequitur intelligentiam ſeu rationem: atqui Angeli habent perfectam rationem ſeu intelligentiam; ergo & libertatem. Minor conſtat ex dictis ſuperiori Quæſtione. Major verò probatur inductione: etenim ſuprema intellectualis natura, nempe divina, eo ipſo quòd intellectualis eſt, libera eſt infima etiam rationalis natura, videlicet humana, libertate donatur ex eo quòd intelligentia & ratione polleat: ergo idem dicendum de natura intellectuali media, id eſt angelica. Rationem hanc nobis ſuppeditat S. Damaſcen. Lib. 2. cap. 3. his verbis: *Eſt Angelus naturâ ſua intelligens, arbitrii libertate præditus. .... quoniam id omne quod ratione utitur, libertate quoque præditum eſt.*

Et verò libertas ſpectat ad perfectionem naturæ intellectualis, alioqui Deo non ineſſet; ergo natura intellectualis Deo vicinior & propinquior, qualis eſt angelica, libertate maximè donari debet.

Qua autem ratione Angelorum confirmatio in gratia, & obfirmatio in malo concilientur cum eorum libertate, commodiùs diſcutiemus ubi tractabi-

ctabimus de gloria bonorum, & pœna malorum Angelorum.

ARTICULUS II.

Circa quæ objecta voluntas Angeli ſit libera.

Certum eſt ac indubitatum Angelos Deum clarè ac intuitivè videntes liberos non eſſe circa amorem Dei viſioni beatificæ correſpondentem: ſummum enim bonum, dùm intuitivè videtur, nullam in intellectu relinquit judicii indifferentiam, totamque voluntatis capacitatem replet, adeoque non poteſt non amari; igitur de hoc non movetur quæſtio: verùm quæritur an voluntas angelica ab omni gratiâ, Dei dono, ſtatuque termini abſtracta, poſſit ceſſare ab omni actu: an ſeipſum ſemper ac neceſſariò amet, & utrum neceſſariò Deum aut quodlibet aliud objectum diligat. Hæc autem quæſtio ut faciliùs ſolvatur

Obſervandum 1. omnem actum voluntatis ex amore ſeu dilectione derivari, licet non ſit formaliter amor. Idipſum expreſſè docet Doctor angelicus 2. 2. q. 17. art 8 *Spes*, inquit, *& omnis appetitivus motus ex amore derivatur*. Idem antea dixerat S Doctor 1. 2. quæſt. 25 art. 1. & 2.

Obſervandum 2. cum eodem ſancto Doctore, duplicem diſtinguendum eſſe amorem, naturalem ſcilicet ſeu neceſſarium; alterum electivum ſeu liberum.

Amor naturalis hic vocatur, qui elicitur à voluntate ut eſt natura, ad unum ſcilicet ex inclinatione naturæ determinata; ſive qui eſt quidem actus voluntatis, ſed neceſſarius ſaltem quoad ſpecificationem.

Amor electivus ſeu liber, ille eſt qui ex electione procedit; ſeu qui elicitur à voluntate ut eſt facultas ad utrumlibet activè expedita.

Obſervandum 3. amorem naturalem ſeu neceſſarium, alium eſſe neceſſarium duntaxat quoad ſpecificationem, liberum autem quoad exercitium: alterum verò neceſſarium, tum quoad ſpecificationem, tùm quoâd exercitium His præſuppoſitis, ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli tenentur ad aliquem actum voluntatis ſemper ac neceſſariò exercendum. Hanc ut probabiliorem defendimus ſententiam,

Probatur 1. Hoc admittendum eſt in Angelis, quòd cum ſit perfectius, eſt ipſis poſſibile nullamque involvit contradictionem: ſed talis eſt hæc neceſſitas ad aliquem actum voluntatis ſemper ac neceſſariò exercendum; actus enim eſt perfectio potentiæ: porro poſſibile eſt angelicæ naturæ hoc perpetuum voluntatis exercitium, neque in eo Angelus laſſatur aut fatigatur ergo &c.

Probatur 2. Ad illud neceſſitatur voluntas, in quo nulla ratio mali invenitur, nec in ejus carentiâ ratio boni apprehendi poteſt: hâc enim ratione amor Dei in Patriâ neceſſarius probatur: ſed in carentiâ omnis actus voluntatis nulla ratio boni cogitari poteſt, nec in actuali exercitio alicujus actus indeterminatè ſumpti, poteſt eveniri ulla ratio mali; cùm & melius ſit actu operari quàm ab omni actione ceſſare, & aliunde in totâ actuum latitudine non poſſunt non eſſe multi convenientes; ergo &c.

* * *

SECUNDA CONCLUSIO.

Angeli ſemper ſeipſos amant aliquo naturali amore, Ita S. Thomas hic.

Probatur: quia naturali appetitu deſiderant ſibi aliquod bonum, nimirum ſuam perfectionem.

Ex verò dictis Concluſione primâ, Angeli ſemper aliquem exercent voluntatis actum: atqui omnis naturalis actus voluntatis eſt quidem innatus amor ſui, quo unuſquiſque juxta neceſſariam naturæ inclinationem ſuam beatitudinem quærit in cujuslibet objecti aut fuga aut proſecutione: hæc autem inclinatio, uti docet S. Thomas 1. p. q. 60. art. 1. ad 3. ſemper eſt recta, utpote ab authore naturæ indita; ergo &c.

TERTIA CONCLUSIO.

Probabilius videtur amorem illum naturalem quo Angeli ſeipſos diligunt, neceſſarium eſſe, tùm quoad ſpecificationem, tùm etiam quoad exercitium,

Probatur: quia Angelus ſeipſum neceſſariò, non tantùm quoad ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitium, cognoſcit: ea autem cognitio eſt ſufficiens ad cauſandum ſui amorem, nec Angelus poteſt ullam cauſam reperire quæ ipſum moveat ad ceſſandum ab illo amore; ergo &c.

Et certè actus quo Angelus ſeipſum diligit, eſt omnino proportionatus voluntati angelicæ, nec obſtat cuilibet alteri operationi; ergo eſt neceſſarius etiam quoad exercitium.

QUARTA CONCLUSIO.

Angeli ſeipſos diligunt dilectione electiva, id eſt, amore libero. Ita etiam S. Thomas hic.

Probatur. In tantùm quis amat ſeipſum dilectione electivâ, in quantùm ſibi deſiderat aliquod bonum per electionem? porro Angeli ſibi deſiderant aliquod bonum ex liberâ electione, ut ſcientiam, ſapientiam, & alia hujuſmodi; ergo &c.

QUINTA CONCLUSIO.

Angeli naturali dilectione diligunt Deum plus quàm ſeipſos.

Probatur ratione ſancti Thomæ. Quælibet pars magis diligit naturaliter ſuum totum quàm ſeipſam: videmus enim quòd naturaliter pars ſe exponat ad conſervationem totius; ſicut manus exponitur ictui abſque deliberatione, ad conſervationem totius corporis: porro Angeli ſunt partes univerſitatis; ergo magis diligunt naturaliter bonum commune univerſi, hoc eſt, Deum: quam ſeipſos.

Accedit quòd ſi Angelus plùs ſe quàm Deum naturáliter diligeret, ſequerentur tria abſurda. Primum, quòd naturalis dilectio eſſet perverſa, utpote minùs diligens id quod eſt magis diligibile. Secundum, quòd Deus eſſet author perverſi illius amoris, ſiquidem *dilectio naturalis eſt quadam naturalis inclinatio naturæ indita à Deo*, ait S. Thomas Quodlibeto 1. art. 8. Tertium, quòd hæc naturalis dilectio non perficeretur per ſupernaturalem, ſed deſtrueretur: cùm tamen gratia non deſtruat naturam, naturalemque amorem, ſed perficiat; ergo &c.

Licet autem Angeli naturali propenſione ferantur in dilectionem Dei ſuper omnia, non eſt tamen ipſis neceſſaria hæc dilectio, ſi abſtrahantur à ſtatu termini; ſic enim ſpectari poſſunt ſe à Deo avertere, ad creaturas convertere, imò & Deum odio habere:

habere: ſic enim aliquando eorum plurimi peccaverunt; imò dæmones, divinâ eos cruciante juſtitiâ, omnipotentem ſcelerum vindicem odio habent.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra ſecundam Concluſionem. Omnis dilectio aut eſt recta, aut non recta: dilectio autem recta pertinet ad charitatem; dilectio verò non recta pertinet ad vitioſam cupiditatem: porro charitas eſt ſupra naturam, vitioſa autem cupiditas locum non habet in Angelis? ergo nulla eſt in ipſis dilectio naturalis:

Reſp. cum ſancto Thoma 1. parte q. 60. art. 1. ad 3. non omnem dilectionem rectam pertinere ad charitatem: omnis enim dilectio naturalis, cum ſit ab authore naturæ, ſemper eſt recta, & tamen eſt aliquid minus charitate per quam Deus diligitur ut ſupernaturaliter cognitus. *Dicendum*, inquit S. Doctor loco mox laudato, *quod ſicut cognitio naturalis ſemper eſt vera, ita dilectio naturalis ſemper eſt recta; cum amor nihil aliud ſit quam inclinatio naturæ indita ab authore naturæ: dicere ergo quòd inclinatio naturæ non ſit recta, eſt derogare authori naturæ. Alia tamen eſt rectitudo dilectionis naturalis, & alia eſt rectitudo charitatis & virtutis; quia una rectitudo eſt perfectiva alterius: ſicut etiam alia eſt veritas naturalis cognitionis, & alia eſt veritas cognitionis infuſa vel acquiſita.* Licet ergo charitas ſit ſupra naturam, vitioſa autem cupiditas locum non habeat in Angelis in puris naturalibus, inde non ſequitur nullam eſſe in ipſis dilectionem naturalem.

Objicies 2. contra tertiam Concluſionem. Dæmones vellent ſe non eſſe; ergo non ſe amant neceſſariò.

Reſp nego conſeq. non enim volunt non eſſe, niſi apprehendendo, non eſſe, tanquam ſibi bonum, ut ſcilicet ita liberentur ab infelicitate in quâ ſunt.

Inſtabis: Amor quo dæmones ſe naturaliter amant, pravus eſt; ergo non poteſt eſſe neceſſarius, tùm quoad ſpecificationem, tum quoad exercitium.

Reſp. nego ant. quamvis enim ille dæmonum amor pravus ſit, quo ſeipſos diligunt ex electione ſeu liberè, eò quòd non recta intentione ſe diligant; amor tamen eorum naturalis, qui eſt inclinatio naturam voluntatis neceſſariò conſequens, non eſt pravus.

Objicies 3. contra quintam Concluſionem. Nemo poteſt ſolis naturæ viribus Deum diligere ſuper omnia, quemadmodum docet S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 3. ergo Angeli non diligunt naturaliter Deum plùs quam ſe.

Reſp. 1. cum Sylvio 1. p. q. 60. art. 5. negando conſeq. quia *naturaliter* hoc loco non idem ſonat quòd ſolis naturæ viribus, ſed perinde eſt ac ſi diceretur, ex naturali inclinatione & propenſione: porro, ut obſervat idem author 2. 2. q. 26. art. 3. non omnis inclinatio naturalis ejuſmodi eſt, etiam præveniendo naturæ corruptionem, ut ſolâ naturæ vi poſſit impleri; nam anima ſeparata naturaliter inclinatur ad corpus, cui tamen conjungi non poteſt niſi per virtutem ſupernaturalem.

Reſp. 2. cum eodem Sylvio ibidem, diſtinguo ant. nemo poteſt propriis viribus Deum ſuper omnia diligere dilectione electivâ & liberâ; eſto: naturali ſeu neceſſariâ, nego. Unde quod in noſtrâ Concluſione diximus, S. Thomas communiter de Angelo & homine docet 1. p. q. 60. art. 5. quòd *naturali dilectione plus & principalius diligat Deum quam ſe.*

Reſp. 3. cum ſancto Thoma 1. p. q. 109. art. 3. 2. 2. q. 26. art. 3. cui ſubſcribunt Eſtius in 2. diſt. 26. paragr. 38. Sylvius 1. 2. q. 109 art. 3. Alvarez Lib. 6. de auxiliis diſput. 1. Abulenſ. quæſt 177. in cap. 19. Matth &c. quòd in ſtatu purè naturali, ſi nimirum homo conditus eſſet cum bonis naturæ extra gratiam, (idem dicendum de Angelo) ipſe ex viribus naturæ abſque Dei gratiâ poſſet Deum ut naturæ & naturalis beatitudinis authorem ſuper omnia diligere. Ratio Doctoris angelici eſt, 1. quia ſic diligere Deum eſt bonum connaturale homini, nec natura fuiſſet peccato vitiata. 2. quælibet pars naturaliter magis diligit ſuum totum quam ſeipſam. 3. homo ſic conditus habuiſſet præceptum diligendi Deum ſuper omnia: nec tamen in illo ſtatu fuiſſet ei præſcriptum, aliquid operari ſupra facultatem naturæ. Verum de his fuſius ubi de gratiâ.

ARTICULUS III.

De immutabilitate voluntatis angelicæ.

Obſervandum eſt hic quæſtionem moveri de adhæſione voluntatis angelicæ alicui objecto poſt factam electionem, & quæritur utrum firma ſit & immutabilis hæc adhæſio, vel non? Duplex autem eſt ſententia è diametro oppoſita: prima eſt plerorumque Thomiſtarum, qui duce ſancto Thoma exiſtimant Angelos firmiter & immutabiliter adhærere objecto: ſecunda eſt cæterorum Theologorum quorum doctrina eſt Angelos ita eligere aliquod objectum, ut poſſint facta electione mutare ſententiam.

CONCLUSIO.

Sicut liberè eligit Angelus, ita liberè poteſt electionem mutare; ac conſequenter factâ etiam electione non eſt immutabilis angelica voluntas.

Probatur 1. ex illis SS. Patribus qui præſentem voluntatis angelicæ immutabilitatem gratiæ tribuunt. S. Fulgentius L. de fide ad Petrum c. 23. *Hoc ipſum quod...... mutari deterius non poſſunt, non eſt eis naturaliter inſitum, ſed poſtquam creati ſunt gratia divina largitate collatum eſt* Iſidorus L. 1. de ſummo bono c. 12. *Gratiâ dicimus non naturâ eſſe immutabiles Angelos; nam ſi naturâ immutabiles eſſent, diabolus non utique cecidiſſet.* Quam autem angelicam immutabilitatem gratiæ tribuunt hi SS. Patres, ex divinâ eam deſertione deſumit pro malis Angelis S. Auguſtinus L. 22. de civit. Dei c. 1. Porro ſi ex naturâ immutabiles eſſent Angeli in ſemel arrepto propoſito, vana falſaque eſſet ex gratiâ quæ à SS. Patribus repetitur immobilitas; ergo &c.

Probatur 2. evertendo adverſariorum principium. Ideo enim immutabiles aſſeruntur Angeli, quia eorum intellectus immobiliter objectum apprehendit, omneſque rationes amoris & odii attingit ante electionem: ſed, quidquid ſit de hâc apprehenſionis immobilitate, de quâ Quæſtione præcedenti, non idcirco probatur voluntatem angelicam eſſe immutabilem: nam hac apprehenſionis immobilitate non imponitur voluntati angelicæ neceſſitas ante electionem; ergo neque poſt electionem factam: ſicut enim apprehenſis amoris & odii rationibus poteſt Angelus alterutram eligere partem; ita etiam factâ electione iiſdem rationibus poſitis ſuam poteſt mutare voluntatem; ergo &c.

Dicet: Angelus non poteſt ſuam mutare electionem, niſi aliquâ influente ratione ab intellectu propoſitâ: atqui ubi intellectus ante electionem immobiliter apprehendit objectum, nulla poteſt admitti ratio quæ moveat voluntatem contra electionem jam factam; ergo ſi ſemel admittatur intellectum Angeli immobiliter apprehendere objectum, admittendum eſt quoque voluntatem angelicam eſſe immutabilem.

Reſp. nego min. prop. nam ſicut ante electionem nulla erat in intellectu ratio quæ voluntatem neceſſariò inclinaret in unam partem præ aliâ, ita etiam nulla poteſt aſſignari poſt electionem jam factam; & quemadmodum poſitis odii & amoris rationibus voluntas angelica poteſt pro nutu amorem aut odium eligere, cùm nullum ex his motivis ei neceſſitatem inferat, ita quoque jam factâ electione contrarium amplecti poteſt.

Neque idcirco dicendum erit, ſine ratione angelicam voluntatem à jam factâ electione deficere: aliud quippe eſt intellectum nullam proferre rationem mutandæ electionis; & aliud, ipſum non proponere novam rationem illius mutationis. Equidem ſi intellectus angelicus immobiliter & abſque diſcurſu apprehendit objectum, non poteſt novum proponere novæ electionis fundamentum; at cùm jam ſemel factâ electione permaneant in intellectu rationes quibus moveri poterat voluntas ad contrarium eligendum, nihil obſtat quominus Angelus eas pro nutu amplectatur, ſicut ante quemcunque actum liberum eas pro nutu amplecti potuit: ac proinde nullâ de novo accedente ratione, ſed antiquo perſeverante motivo, rectè poteſt voluntas angelica eam mutare ſententiam, quàm ut liberè fuerat amplexa, ita liberè poteſt rejicere.

Ratio à priori eſt, quia quamdiu intellectus voluntati liberæ nullam infert neceſſitatem, tamdiu hæc voluntas poteſt aut ab omni actu ceſſare, quia propoſito non perfectè ſatiatur objecta; aut actum mutare, quia propoſitum ab intellectu objectum rationem ſubminiſtrat, ob quam amore vel odio pro voluntatis nutu dignum videtur.

QUÆSTIO QUINTA.

De potentiâ motrice.

POtentiæ motricis nomine, illam intelligimus virtutem quâ Angelus & ſeipſum de loco in locum transfert, & ſubſtantias à ſe diſtinctas variè movet ac exagitat. Unde quatuor erunt præſentis Quæſtionis Articuli. Primus de loco Angelorum, ſecundus de eorum motu, tertius de naturâ potentiæ motricis relativè ad ſubſtantias ab Angelo diſtinctas, quartus tandem de iis ad quæ ſe extendit hæcce potentia motrix.

ARTICULUS PRIMUS.

De loco Angelorum.

PLurima hic quærunt Veteres: at cùm ex iis nonnulla nullius penè momenti ſint, tria duntaxat inveſtigabimus: primum, an Angelus ſit in loco; ſecundum, quomodo Angelus ſit in loco; tertium, per quid Angelus ſit in loco.

An Angelus ſit in loco.

Hervæus de motu Angeli q. 1, art. 1. docet Angelum non eſſe in loco, ſed tantùm in loco operari; affertque in gratiam ſuæ ſententiæ S. Auguſtinum L. 83. quæſtionum q. 20. & Lib. 8. de Geneſi ad litteram c. 20. & 26. & Damaſcenum L. 1. c. 17. Ad hanc ſententiam accedere videntur ex Recentioribus qui contendunt ſpiritum non eſſe in loco, ſed ibi eſſe de quo cogitat.

Durandus in 1. diſt. 37. aſſerit Angelum eſſe ubicunque ſimul vel ſucceſſivè operari poteſt; cùm ergo poteſtatem habeat in ſingula univerſi corpora, per totum diffunditur orbem, non quidem præſentiâ ſitus, cujus Angelum incapacem opinatur Durandus, ſed præſentiâ, ut ait, ordinis, quatenus ordinem dicit ad ſingula in quæ valet operari.

PRIMA CONCLUSIO.

Angelus eſt verè in loco.

Probatur 1. Ex Scripturâ in quâ varius aſſignatur Angelorum locus: de bonis enim Angelis dicitur Marci 13. *De die illo vel horâ nemo ſcit, neque Angeli in cœlo.* Lucæ 2. *Diſceſſerunt ab eis Angeli in cœlum.* Mathæi 28. *Angelus Domini deſcendit de cœlo &c.*

De malis autem Angelis aſſerit S. Petrus 2. Epiſt. 2. quòd Deus *Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Verus ergo datur Angelorum locus; ac proinde & ipſi verè ſunt in loco.

Probatur 2. Ex SS. Patribus qui expreſsè aſſerunt Angelos eſſe creatos in cœlo, unde cœlum S. Gregorius Nyſſen. Oratione de infantibus, vocat *naturale domicilium Angelorum*; alii dicunt Angelum circumſcribi loco, moveri localiter &c. quorumdam illorum textus referemus Concluſionibus ſequentibus.

Probatur 3. ratione. Quod non exiſtit in loco, nullibi exiſtit: ſed quod nullibi exiſtit realiter non exiſtit, exiſtens quippe ſubſtantia alicubi reperitur & eſt; ergo quidquid exiſtit iſtud eſt verè in loco. Igitur cùm Angeli realiter exiſtant, ſunt verè in loco.

SECUNDA CONCLUSIO.

Finitus atque limitatus eſt locus à quolibet Angelo occupatus.

Probatur 1. Ex Scripturæ locis ſuperiori Concluſione adductis, in quibus Angeli dicuntur mutare loca, ab uno ad alium locum mitti, transferri, ejici &c:

Probatur 2. Ex SS. Patribus qui aſſerunt Angelos loco circumſcribi: ſic S. Gregorius L. 3. Moralium c. 2. Porrò hæc verba neceſſariò important fines & limites ratione loci. Unde S. Ambroſius ait L. 1. de Spiritu ſancto c. 10. *Seraphim de loco ad locum tranſit; non enim complet omnia.* Ergo ex SS. Patribus limitatus eſt, quem Angelus occupat, locus.

Probatur 3. ratione. Cùm Angelus ſit in loco, ex Concluſione primâ, ſi ille locus non ſit finitus & limitatus, ſed ſeſe extendat, ut vult Durandus, ad ea omnia quæ virtuti angelicæ poſſunt ſucceſſivè ſubjici, jam immenſa erit agnoſcenda Angeli ſubſtantia; etenim hæc tria velut certa ſupponi debent: 1. Angelum habere hanc ſuam extenſionem à ſuâ naturâ & virtute operandi; ac proinde ad ea ſeſe extendere actu, quæ ſuæ poſſunt virtuti ſubjici, ita ut ſit jam præſens iis omnibus locis in quibus aliquid operari valet. 2. mundum corporeum in infinitum poſſe extendi. 3. nullum eſſe corpus quod non poſſit ſaltem per partes virtuti angelicæ ſubjici; porrò his tribus ſuppoſitis angelica ſubſtantia ad quæcunque loca extendi concipitur; ergo &c.

Dices

Dices contra primam Conclusionem. Quidquid eſt in loco, debet correſpondere variis partibus loci quem occupat; iis autem correſpondere nequit niſi per partes proprias, quarum una uni loci parti reſpondeat, altera alteri &c. atqui Angelus, utpote ſpiritus, partium eſt expers; ergo &c.

Reſp. conc. maj. ad cujus probationem diſtinguo: non poteſt correſpondere niſi per partes proprias, aut reales, aut virtuales, concedo: niſi per partes proprias, eaſque reales & à ſe invicem actu diſtinctas, nego. Equidem ſubſtantia exiſtens in loco illius partibus correſpondere debet; nec poteſt dari talis correſpondentia, niſi hæcce ſubſtantia ſingulis loci partibus correſpondeat: at partes virtuales ſufficiunt ad hanc correſpondentiam, cùm realibus & à ſe invicem actu diſtinctis æquivaleant; ſic quippe exponitur immenſa Dei diffuſio quâ præſens eſt omnibus corporibus. Porrò Angelus, ſicut & quilibet ſpiritus, partes habet virtuales quibus totus ponitur extra ſe totum: nihil igitur vetat Angelum eſſe verè & realiter in loco.

Quæres utrum locus ab Angelo occupatus ad magnum ſeſe extendat ſpatium.

Reſp. Planè nobis incertam eſſe loci ab Angelo occupati peripheriam, ſicut & nobis incognita eſt ejuſdem loci dimenſio: verùm certum eſt quoſdam dari illius fines, quilibet tandem ii ſint; probabile quoque videtur Angelum unum poſſe ſeſe extendere ad majus ſpatium quàm alterum Angelum, cùm poſſit dari Angelus unus Angelo alio perfectior: probabile adhuc eſt, Angelum determinari ſuæ naturæ loci modò plus modo minus poſſe occupare ſpatii; quemadmodum, ſervatâ ſemper proportione inter ſpiritum & materiam, corpus quod cedit compreſſioni, modo minus, dum comprimitur, modo majus, dum ipſi nulla vis infertur, ſpatium replet & occupat: porro ſi integrum illud occupet ſpatium, hic erit adæquatus Angeli locus; ſi ad aliquam duntaxat ſeſe extendat prædicti ſpatii partem, hic erit locus Angeli inadæquatus.

Quomodo Angelus ſit in loco.

Duplici modo res aliqua eſſe poteſt in loco, circumſcriptivè ſcilicet, & definitivè. Eſt in loco circumſcriptivè, dum per varias ſui partes variis correſpondet ſpatii partibus; eſt autem in loco definitivè, dum tota eſt in toto loco, & tota in qualibet parte loci.

CONCLUSIO.

Angeli non ſunt in loco circumſcriptivè, ſed duntaxat definitivè.

Probatur prima pars. Quidquid exiſtit in loco circumſcriptivè, illud habet partes varias & reales quæ ſingulæ ſingulis reſpondeant loci partibus: atqui Angeli, utpote ſubſtantiæ omnino immateriales, nullas habent varias ac reales partes; ergo &c.

Probatur ſecunda pars. Ex ſuperiùs dictis, rem aliquam eſſe in loco definitivè, eſt eam totam eſſe in toto loco, & totam in quâlibet parte loci: atqui ſubſtantia ſimplex & expers partium, quales ſunt Angeli, non poteſt verè eſſe in loco, quin ſit tota in toto, & tota in qualibet parte loci; ergo &c.

Per quid Angelus ſit in loco.

Duplex eſt generatim circa præſentem controverſiam ſententia: prima eorum eſt, qui dicunt Angelum eſſe in loco per ſolam præſentiam ſubſtantiæ ſuæ indiſtantis à loco: tales ſunt Scotiſtæ. Secunda Thomiſtarum eſt aſſerentium: Angelum in loco conſtitui per operationem. Verùm & ii dividuntur: alii quippe ſolam admittunt operationem propriè dictam; alii, ut Nazarius & Sylvius, nomine operationis intelligunt applicationem virtutis ad operandum, etiamſi operatio non ſequatur, Deo nolente, aut aliâ de causâ, aut etiam ex libero Angeli arbitrio; quemadmodum ſi quis ſeſe applicet ad trahendam navem. Tandem Eſtius & alii docent nomine operationis intelligi debere operationem communiter dictam, quæ quamcunque unitionem importat operandi, applicando virtutem, præſidendo, continendo, invigilando, impedimenta removendo &c.

CONCLUSIO.

Angelus eſt in loco per ſolam præſentiam ſubſtantiæ ſuæ indiſtantis à loco.

Probatur. Vel Angelus formaliter conſtituitur in loco per ſolam præſentiam ſuæ ſubſtantiæ, vel per operationem, quidquid tandem intelligatur nomine operationis. Atqui Angelus non conſtituitur in loco per operationem: tùm quia ſicut priùs eſt eſſe quàm operari, ita priùs eſt eſſe in loco quàm in loco operari: tùm quia ſi nullum eſſet corpus in quod operari poſſet Angelus, nihilominus tamen in loco adhuc intelligeretur: tum quia tandem rectè concipitur exiſtens in loco, etiamſi non concipiatur operans aut etiam applicans ſuam operandi virtutem; ergo Angelus formaliter conſtituitur in loco per ſolam præſentiam ſuæ ſubſtantiæ indiſtantis à loco.

Objicies 1. Si Angelus eſt in loco per ſuam ſubſtantiam, aut cenſetur occupare aliquantum ſpatium, aut indiviſibilem illius ſpatii partem: ſed ſecundum repugnat, neque enim datur locus indiviſibilis: primum quoque admitti non poteſt, tunc quippe Angelus eſſet ſecundùm ſubſtantiam extenſus; ergo Angelus non eſt in loco per ſuam ſubſtantiam.

Reſp. Angelum in loco aliquantum ſpatium occupare, illiuſque partibus reſpondere per partes ſuas virtuales, quemadmodum Deus etſi ſpiritus, inextenſus & indiviſibilis, per virtuales ſuæ immenſitatis partes ſingulis correſpondet locorum partibus.

Objicies 2. Deus potuiſſet Angelos creare ante mundum corporeum: ſed in eâ hypotheſi non fuiſſent in loco, nulla quippe tunc extitiſſet extenſio; ergo ratione ſuæ ſubſtantiæ non ſunt in loco.

Reſp. nego min. Namque ante mundi creationem erat locus internus, quæcunque ſit natura illius loci: ſive enim ſit ſpatium quoddam reale, negativum, æternum & immenſum, ut volunt plurimi poſt Gaſſendum; ſive ſit immenſitas ipſa divina cum ſuis partibus virtualibus, ut docent Thomiſtæ, nihilominus ſemper extabat locus ille ante mundi creationem: ſi ergo ante illam creati fuiſſent Angeli, verè extitiſſent in loco, & ſubſtantia illorum de facto correſpondiſſet cuidam parti determinatæ illius loci interni.

ARTICULUS II.

De motu Angelorum.

Circa motum Angelorum tria potiſſimùm quæruntur. Primum, utrum Angeli moveantur motu locali. Secundum, an moveantur in inſtanti. Tertium, cum moveantur impertranſito medio.

dio. Quid de his tribus ſentiendum ſit paucis aperiemus.

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli moventur motu locali. Hæc Concluſio certa eſt apud omnes.

Probatur 1. Ex Scripturis, tùm ex veteri Teſtamento ex Gen. 18. & 19. ubi Angeli loquuntur veniſſe ad Abraham & Loth. Tùm ex novo Teſtamento Lucæ 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel.* Matth. 28. *Angelus Domini deſcendit de cœlo; & accedens revolvit lapidem.* Ex his porrò & aliis Scripturæ locis conſtat Angelos nulli loco eſſe neceſſariò adſtrictos, ſed poſſe à loco in locum tranſire; ergò &c.

Probatur 2. Ex SS. Patribus; unus ſufficiat ſanctus Ambroſius L. 1. de Spiritu ſancto c. 10. *Seraphim de loco ad locum tranſit. Seraphim deſcendit cum aliquo ſecundùm naturam ſuam tranſitu.* Eadem eſt omnium ſanctorum Patrum doctrina ex quâ liquet Angelos eſſe capaces motûs localis; ergo &c.

Probatur 3. ratione. Nulla poteſt aſſignari cauſa quæ Angelos certo cuidam loco adſtrictos detineat: quæ enim illa eſſet? non natura Angeli; namque nullum ex ſe exigit locum, & ad quemlibet concipitur indifferens; ergo nulli loco Angelum alligat: non voluntas libera omnipotentis; de tali quippe voluntate nulla probatio afferri poteſt: non tandem incapacitas ad motum, cùm Angelus, utpote ſpiritus, ſit activus; ergo Angelus poteſt ſe movere motu locali.

CONCLUSIO SECUNDA.

Citiſſimo motu ſeſe movent Angeli; non tamen inſtantaneo.

Probatur prima pars. Illa ſubſtantia citiſſimè movetur quam nulla gravat moles, nullus obex moratur: atqui talis eſt Angelus. Hinc Pſaltes regius eum vento & igni comparat: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem.* Ergo citiſſimus eſt Angelorum motus.

Probatur ſecunda pars, nempe Angelos non moveri in inſtanti. Ita cenſent S. Auguſtinus L. 12. de civit. Dei cap. 15. & S. Thomas hic. Idem etiam tradit S. Bernardus ſermone 78. in Cantica, dum ait: *Angelus non abſque motu operatur tam locali quàm temporali.*

Equidem fateor quòd non ita opinari videantur nonnulli SS. Patres, ut Tertullianus Apolog. c. 22. & S. Petrus Chryſologus ſermone 2. Verùm forſan benigniùs interpretandi ſunt; & de motu citiſſimo intelligendi, cùm aſſerunt Angelos momento totum orbem peragrare; neque enim uſque adeo urgenda illorum verba. Cæterum quidquid ſit de illorum ſententiâ, SS. Auguſtino, Bernardo & Thomæ hic potiſſimùm adhæremus.

Et verò ea eſt motûs localis natura, ut ejus velocitas concipiatur poſſe augeri in infinitum; ſuſcipit quippe hæc velocitas magis & minus, atque partes ſpatii decurrendi ſunt in infinitum diviſibiles: ſed ubi velocitas motûs poteſt augeri in infinitum, jam nullus eſt motus ita velox quo velocior dari non poſſit: porrò ſi agnoſceretur in Angelis motus inſtantaneus, illo velocior dari non poſſet, cum velocitas cujuſcunque motûs penſetur ex ſpatio quod decurritur relativè ad tempus per quod decurritur illud ſpatium; ergo, &c.

TERTIA CONCLUSIO.

Angeli non poſſunt mutare locum impertranſito medio.

Probatur. Ea concipitur motûs localis natura, ut ſit eſſentialiter ſucceſſivus; tùm ratione temporis, tùm ratione ſpatii: & ſicut motus ſucceſſivus ratione temporis tria neceſſariò importat inſtantia; ita motus ſucceſſivus ratione ſpatii tres exigit ſpatii partes: prima ea eſt à quâ ſe movere incipit ſubſtantia; ſecunda eſt terminus ad quem pervenit ſubſtantia mota; tertia eſt ſpatium per quod fit tranſitus à termino *à quo* ad terminum *ad quem*; ergo &c.

ARTICULUS III.

De naturâ virtutis motricis Angelorum relativè ad ſubſtantias ab ipſis diſtinctas.

Dari in Angelis virtutem ſeipſos & alia à ſe movendi, conſentiunt omnes: at quæritur utrum hæc virtus ſit moralis duntaxat ſeu occaſionalis; vel phyſica, id eſt efficiens. Doctrina eſt quorundã Recentiorum, omnem creaturam; ac proinde & Angelos, eſſe tantum cauſam occaſionalem cujuſcunque modificationis corporeæ, Deumque ſolum habere rationem cauſæ phyſicæ & efficientis.

Quæri etiam adhuc poteſt, utrum virtus motrix Angelorum diſtinguatur ab intellectu & voluntate: alii enim intellectui angelico, nonnulli voluntati adſcribunt hanc motricem potentiam, cæteri eam ab utraque prædicta facultate diſtinguunt. Quid de his duabus quæſtionibus ſit ſentiendum ſequentes aperient Concluſiones.

PRIMA CONCLUSIO.

Virtus motrix Angelorum eſt phyſica & efficiens.

Probatur 1. Ex iis Scripturæ locis in quibus Angelorum facta recenſentur: ſic bonis Angelis tribuuntur Sodomitarum concrematio, colluctatio cum Jacob, cædes primogenitorum Ægypti, cuſtodia Iſraelitarum per deſertum, liberatio trium puerorum è fornace Babylonicâ, translatio Habacuc, revolutio lapidis ab oſtio monumenti, ſolutio catenarum Petri &c.

Malis verò operantibus Angelis Job eſt afflictus, concuſſa illius domus, necati filii, conſumpti & greges & paſtores; Achab decipitur, Magi Ægyptii monſtra producunt, homines obſidentur, grex porcorum mare petit, puella pythone exagitatur &c.

Porro hæc omnia juxta ſenſum litteralem de effectione reali & phyſica ſunt intelligenda, cùm nihil exigat ut detorqueantur in ſenſum metaphoricum. Ergo Angeli non ſunt meræ cauſæ occaſionales motûs, cæterarumque modificationum quæ ipſis attribuuntur.

Et verò ex his Angelorum effectibus mox recenſitis, plurimi, Deo non ſolùm permittente, ſed volente & jubente, ſunt patrati: atqui ſi voluntas divina eſſet unica cauſa efficiens cujuſcunque modificationis, inutilis prorſus fuiſſet voluntas angelica ad eorum effectuum productionem: quis enim fuiſſet illius uſus? num ut voluntates Dei generales determinaret ad caſus particulares? Ita quidem reſpondent qui hic nobis adverſantur: ſed 1. jam Deus fuiſſet Angelorum miniſter; nempe deſiderante Angelo, illiuſque voluntati obſequente Deo omnipotente, Moſaïca lex datur, cremantur Sodomitæ, occiduntur Ægyptii, Iſraelitæ liberantur,

Job

Job affligitur, dæmoniaci torquentur &c. 2. perſumdatur providentia Dei ſpecialis, Angelis eſt tribuenda peculiaris de rebus inferioribus cura; ipſi ſcelus vindicant, virtutem remunerantur, juſtorum vires tentant &c. hæc autem quàm ſint abſurda nemo non videt. Reſtat ergo Angeli phyſicum Deo jubenti aut permittenti obſequium præſtent; ac proinde eſt in Angelis agnoſcenda virtus motrix realis & phyſica.

Probatur 2, ex SS. Patribus, quorum hæc unanimis eſt & conſtans doctrina Angelos plurima realiter operari. Ita Tertullianus Lib. 5. contra Marcionem, L. de patientiâ & in Apologetico; Lactantius, Juſtinus Apologiâ 2. Minutius Felix, Origenes L. 5. contra Celſum, S. Chryſoſtomus in Ep. ad Coloſſ. Caſſianus collatione 7. S. Hieronymus in cap. 2. Habacuc.

Verùm his omnibus expreſſior eſt S. Auguſtinus multis in locis, ac præſertim Lib. 3. de Trinitate, in quo ut probet Deum ſolum eſſe creatorem & univerſi rectorem, non recurrit ad adverſariorum principium, quo nulla facilior ſolutio dari poteſt ad exponendos mirabiles dæmonum effectus, ſed ait cap. 9. *Mali Angeli pro ſubtilitate ſui ſenſus in occultioribus elementorum ſeminibus norunt, unde ranæ ſerpenteſque naſcantur, & hæc per certas & notas temperationem opportunitates occultis motibus adhibendo faciunt creari, non creant.* Et paulo poſt: *Quibuſcunque Angelis vicinas cauſas ab elementis contrahere, quantò facilius eſt, tantò mirabiliores in hujuſmodi operibus eorum exiſtunt celeritates. Sed non eſt creator, niſi qui principaliter iſta format..... & ipſe eſt unus creator Deus, ex cujus ineffabili potentatu fit etiam ut quod poſſint hi Angeli ſi permitterentur, ideo non poſſint, quia non permittuntur. Neque enim occurrit alia ratio, cur non potuerint facere minutiſſimas muſcas, qui ranas ſerpenteſque fecerunt, niſi quia major aderat dominatio prohibentis Dei &c.*

Ex iſto longiori textu patet quæ ſit ſententia S. Auguſtin. Et enim probat Angelos non creare, non quia non agunt, ſed quia ad nutum voluntatis divinæ agentes, occultis motibus diverſa ſemina rerum celeriter temperantes mirabilia operantur. Ergo S. Doctor agnoſcit in Angelis veram motricem potentiam, occultè quidem ſed realiter operantem, dum permittit aut jubet Deus.

Probatur 3. ratione. Non poteſt denegari Angelis hæc virtus phyſicè activa, niſi quia repugnat aut naturæ modificationis generatim, in quantum modificatio exigeret cauſam infinitæ virtutis, aut naturæ motus, quaſi non poſſet produci niſi per impetum phyſicum, aut naturæ ſpiritus, nempe quatenus ſpiritus non poſſet agere in corpus. Atqui nullum horum dici poteſt.

I. ea non eſt modificationis natura, ut non poſſit produci niſi à cauſâ infinitæ virtutis: namque certum eſt tùm fide tùm ratione, dari creaturas liberas, ac proinde activè indifferentes; ergo virtus activa creaturis competit: ſed hujus virtutis activæ terminus profectò eſt ipſa modificatio, intellectio ſcilicet, volitio &c. ergo natura modificationis non exigit cauſam virtutis infinitæ ut producatur.

II. non eſt de eſſentia motus ut producatur per impetum phyſicum in corpus: ſiquidem Deus non poteſt eſſentias mutare, nec efficere quod repugnat, attamen de facto motum producit, idque ſolâ ſuâ voluntate abſque ullo impetu phyſico in corpus quod movet, talis quippe impetus mutuam reſiſtentiam & impenetrabilitatem moventis & moti exigit: atqui ſi de eſſentia motus eſſet ut produceretur per impetum phyſicum in corpus, jam Deus illud movens mutare deberet eſſentiam motus; ergo &c.

III. tandem, motus corporalis non eſt talis ex naturâ ſuâ ut non poſſit produci à ſpiritu 1. quia producitur à Deo qui eſt ſpiritus. 2. quia ſpiritus poteſt eſſe cauſa modificationis nobilioris motu, (ſcilicet modificationis ſpiritualis), ergo nihil prohibet quominus poſſit eſſe cauſa efficiens motus. Ac proinde nullatenus repugnat vis motrix, realis, phyſica & efficiens quam Angelis tribuunt Scriptura, Patres & Theologi omnes conſtanti & unanimi conſenſu.

Probatur 4. evertendo fundamenta adverſariorum. Primum eſt, Deum ſolum eſſe cauſam efficientem cujuſcunque etiam modificationis. Secundum eſt, quòd in tantùm creaturæ intelligentes dicuntur operari, in quantùm deſideriis ſuis Deum ad operationem determinant. Tertium, deſideria illa ſemper & ſtatim exaudiri: atqui hæc principia in ſe falſa ſunt, & inter ſe duo prima pugnant.

I. hæc principia ſunt falſa. Primum quidem, quia, ut jam dixi, evertit prorſus libertatem ſeu activam creaturarum indifferentiam; quòd ſi modificationes liberæ à principio generali excipiuntur, jam non eſt de ratione cauſæ ut ſit infinitæ virtutis, nullumque momentum aſſignari poteſt cur denegetur creaturæ virtus producendi alias modificationes. Secundum etiam, quia tunc Deus non præeſſet creaturis, nec Angeli amplius eſſent *adminiſtratorii ſpiritus*, ut loquitur Apoſtolus; ſed Deus ipſe miniſter eſſet creaturarum & opificii manuum ſuarum. Tertium tandem pariter falſum eſt: quis enim mente capere poteſt, dæmones v. g. noluiſſe præſtigiis ſuis ſemper obſcurare vera Moyſis miracula, Cur ergo Deus eos non exaudivit? Quod autem dicimus de dæmonibus hoc in caſu, intelligendum quoque eſt de cæteris creaturis intelligentibus; ergo &c.

II. prima duo adverſariorum fundamenta inter ſe pugnant: ſi enim Deus eſt author cujuſcunque modificationis, quomodo poſſunt creaturæ producere deſideria quibus determinatur Deus ad operandum? Deſiderium eſt modificatio; ergo non poteſt creatura illud efformare ex primo principio: ſed Deus non poteſt illud deſiderium producere, niſi determinante creatura per illud idem deſiderium, neque enim admitti debet progreſſus in infinitum; ergo nullatenus conciliari inter ſe poſſunt adverſariorum principia quibus innixi angelicam rejiciunt virtutem phyſicè motricem, ac proinde &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Virtus motrix Angelorum virtualiter diſtinguitur ab eorum intellectu & voluntate.

Probatur. Ibi eſt virtualis diſtinctio, ubi reale agnoſcitur fundamentum illius diſtinctionis: atqui reale datur fundamentum diſtinguendi inter motricem Angelorum potentiam, eorumque intellectum & voluntatem; etenim varii ſunt illarum potentiarum effectus, diverſique termini: motus alius eſt ab intellectione & volitione, atque terminatur præcisè ad ſubſtantiam, ut eam de loco in locum transferat; ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Concluſionem. Corpus movere, eſt corpus in diverſis ſucceſſivè locis conſervare: atqui Angeli non poſſunt phyſicè influere in conſervationem corporis, cum conſervatio ſit continuata creatio, ipſi autem creare nequeunt, ergo neque phyſicè movere corpora.

Reſp.

Reſp. nego maj. nam corpus movere, eſt corpus conſtituere præſens diverſis ſucceſſivè locis, ſiquidem motus eſt ſucceſſiva corporis præſentia variis locis, ſed aliud eſt corpus conſtituere præſens diverſis ſucceſſivè locis, & corpus, conſervare in diverſis locis; ergo &c. Equidem ut corpus moveatur, neceſſaria eſt illius conſervatio; neque enim moveri poteſt corpus, niſi exiſtat: ſed non idcirco motus cenſetur produci per conſervationem.

Ratio à priori eſt, quia conſervatio eſt continuata creatio, imò ipſiſſima eſt volitio creatrix quæ cenſetur perſeverans; proindeque actio conſervatrix eumdem habet terminum ac creatio: porrò terminus creationis, eſt ſubſtantiæ, non modificationis, exiſtentia, & per eam ſola producitur ſubſtantia: Deus enim creando vult duntaxat exiſtentiam ſubſtantiæ cum ſuis attributis eſſentialibus, abſtrahendo à diverſis modificationibus accidentalibus quarum poteſt eſſe ſubjectum; ergo conſervatio quoque terminatur ad continuandam ſubſtantiæ exiſtentiam, abſtrahendo à modificationibus quæ ipſi accidentariò adveniunt; & quæ non conſervantur à Deo, niſi quia ſubſtantiæ inhærent. Unde ſi per impoſſibile motus v. g. exiſtere poſſet ſeparatus à corpore, volitio quâ Deus conſervaret corpus, nihil conferret ad conſervationem motus. Igitur modificatio non eſt terminus quem ſpectat conſervatio, & volitio conſervatrix non tam producit modificationem, quàm eam ſupponit productam.

Objicies 2. Quælibet modificatio eſt entitas realis ſuperaddita entitati ſubſtantiæ: ſed entitas realis non poteſt produci niſi per creationem, cujus incapaces ſunt Angeli; ergo &c.

Reſp. 1. nego maj. ſiquidem varii ſubſtantiæ ſitus diverſaque in corporibus partium diſpoſitio quaſcunque nobis exhibent modificationes; 3. neceſſè ergo non eſt ad illas recurrere entitatulas quæ prorſus inutiles videntur & intelligibiles.

Reſp. 2. nego min. demus enim adverſariis modificationes reales eſſe entitates, ipſis fatendum erit has entitates produci poſſe abſque creatione, & per ſolam eductionem è ſubſtantiâ: ſiquidem, ut jam diximus, activæ ſunt & liberæ creaturæ ſpirituales; ergo modificationes producunt, licet non ſint virtute creandi præditæ, ac proinde &c.

Objicies 3. Nulla concipitur connexio inter ſpiritum & corpus, ut iſtud moveatur ab illo: motus enim intelligitur produci per impetum phyſicum mutuamque moventis & moti impenitrabilitatem; ſpiritus autem penetrabilis eſt, nullamque aliam intelligitur habere actionem præter volitionem quæ ſanè ad motum quidquam præſtare nequit; ergo Angelus non poteſt phyſicè movere corpus.

Reſp. hæc duo maximè inter ſe differre, nullam eſſe connexionem, & nullam concipi. Ex eo quòd non concipiatur connexio inter volitionem ſpiritus & motum corporis, non eſt ſtatim concludendum hanc connexionem non eſſe, præſertim ſi ex aliis argumentis eam de facto reperiri probetur: porro inter volitionem ſpiritus & motum corporis realis datur connexio; Deus enim eſt ſpiritus, & tamen quodcunque movet corpus; ergo impetus & impenetrabilitas non eſſentialiter prærequiruntur motui.

Jam verò ſi mutua moventis & moti impenetrabilitas non eſſentialiter exigitur ad motum; & ſi volitio ſpiritus habet connexionem cum motu corporis, quid prohibet quominus agnoſcamus Angelum voluntate imperante, exequente potentiâ motrice, poſſe movere corpus. Sanè motus in ſua idea non concipitur exigere ad ſui productionem virtutem infinitam, Angelus intelligitur & eſt cauſa modificationis ſuperioris & nobilioris motu, nempe modificationis ſpiritualis; ergò ſat virtutis habet Angelus ut poſſit corpus movere, neque ulla ratio occurrit cujus pondere preſſi debeamus Scripturas ad alienum & metaphoricum ſenſum detorquere, & à ſententiâ, unanimi SS. Patrum & Theologorum omnium authoritate comprobatâ recedere.

ARTICULUS QUARTUS.

Ad quæ ſe extendit virtus motrix Angelorum.

CONCLUSIO.

Quanta ſit virtus motrix Angelorum prorſus incertum eſt.

Probatur 1. ex S. Auguſtino L. 3. de Trinitate cap. 9. *Quid autem*, inquit, *poſſint*, Angeli, *per naturam, nec poſſint per prohibitionem, & quid per ipſius naturæ ſuæ conditionem facere non ſinantur, hominis explorare difficile eſt, imò verò impoſſibile, niſi per illud donum Dei, quod Apoſtolus commemorat dicens, Alii dijudicatio ſpirituum.*

Probatur 2. ratione. De his quæ pertinent ad liberam Dei voluntatem, nullum certum proferre poſſumus judicium, niſi præeunte atque ducente revelatione: atqui majorem vel minorem potentiam motricem Angelis tribuere iſtud pendet à liberâ voluntate Dei, cujus hoc proprium eſt poſſe plures vel pauciores gradus alicujus perfectionis concedere creaturæ; aliunde verò nulla eſt revelatio circa gradus potentiæ motricis Angelis conceſſæ; ergo &c.

Cæterùm licet non nobis planè conſtet de perfectione virtutis motricis Angelorum, aut de illius extenſione ad objecta; quædam tamen ſunt quæ, nec immeritò, velut certa habentur à Theologis.

Certum eſt 1. Angelos non poſſe producere corpus abſque materia præjacente: hoc enim eſſet creare; creatio autem ſoli Deo propria eſt.

Certum eſt 2. materiam corporalem non obſequi Angelis ad nutum & immediatè ad tranſmutationem formalem, ita ut pro ſolo voluntatis imperio poſſint immutare corpora ſecundùm formas eſſentiales vel accidentales: iſtud docet S. Auguſtinus L. 3. de Trinitate cap. 8. dum ait, *Non eſt putandum iſtis tranſgreſſoribus Angelis ad nutum ſervire hanc viſibilium rerum materiam, ſed ſoli Deo.* Ratio autem deſumitur ex eo quòd certum ſit 3. Angelos teneri ad obſervandas leges phyſicas à Deo ſancitas ad ordinem univerſi ſtabiliendum; tùm quia aliter Angeli vera poſſent patrare miracula, cùm miraculum ſit præter & contra naturalem rerum ſeriem, atque adeò ſupra omnem virtutem cauſarum naturalium, unde verum miraculum opus eſt ſolius divinitatis: tùm quia leges quibus regitur univerſus orbis, ſunt à ſolo Deo dependentes; ac proinde ad illarum obſervationem tenentur Angeli.

Igitur quæ mirabilia operantur Angeli, ea triplici modo fieri poſſunt.

Primus eſt per motum localem citiſſimum humaniſque ſenſibus nullatenus obvium, ſic enim unam ſubſtituere poſſunt ſubſtantiam in locum alterius & ita quæ oculis offertur ſubſtantia, cenſetur de novo creata atque producta.

Secundus eſt per applicationem activorum paſſivis: nimirum profundâ quâ pollent Angeli naturæ ſcientia, cognoſcunt varia ſemina & quæ vis re-

quiratur ad rerum efformationem ; unde occultis viis ſubſtantiam videntur ad nutum aut creare aut transformare , uti docet S. Auguſtinus Articulo præcedenti, Concluſione primâ.

Tertius modus eſt dum Angeli nihil quidē operantur exteriùs, ſed ſecretis motibus ſpirituum animalium curſum in homine dirigentes , ita ei illudunt ut exiſtimet præſentem videre ſubſtantiam , quæ tamen præſens non eſt.

Verùm, quantacunque ſit Angelorum potentia, ea divinæ ſubjicitur Majeſtatis imperio ; unde ipſi ita agunt ut juſſu aut ſaltem permiſſione omnipotentis inter agendum dirigantur.

QUÆSTIO SEXTA.

De Authore Angelorum.

ANgelos à Deo fuiſſe creatos docet fides , tradit Scriptura, Coloſſenſium 1. *In ipſo condita ſunt univerſa in cœlis & in terrâ , viſibilia & inviſibilia , ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus ſive Poteſtates.* Hinc Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. *Firmiter.* expreſsè definit Deum *utramque de nihilo condidiſſe creaturam, angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam.*

Si ergo de Angelorum creatione ſilere videtur Moyſes, hoc fit, ut notat S. Thomas q. 61. art. 1. ad 1. vel quia ſub nomine cœli & lucis comprehenduntur ; vel quia cùm Judaicus populus rudis eſſet & ad idololatriam proclivis, ideo de iis ſiluit Moyſes, ne adorarent Iſraelitæ quod intelligere nō poterant, utpote ſupra materiam & ſenſus elevatum: eorum tamen poſtea ſæpius meminit idem ſacer Author, nempe quoties illos probare poteſt Dei adminiſtros.

Igitur prætermiſſâ diſputatione de creatione Angelorum, quæ nullam videtur faceſſere difficultatem, duo duntaxat inquiremus ; ſcilicet quando & quo in loco creati fuerint Angeli.

ARTICULUS PRIMUS.

Quando creati fuerint Angeli.

DUplex eſt circa præſentem materiam controverſia : prima eſt de tempore creationis Angelorum ; ſecunda, utrum aliquid ſit tanquam de fide tenendum circa iſtud punctum.

Quoad primam quæſtionem quadruplex eſt ſententia : prima eorum eſt qui Angelos ante conditum mundum corporeum multo aut ſaltem nonnullo tempore extitiſſe volunt. Ita poſt Origenem plerique Græci, ut SS. Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus & Damaſcenus ; è Latinis verò SS. Hilarius, Ambroſius & Hieronymus, Iſidorus, Caſſianus, Hugo Victorinus &c.

Secunda opinio illorum eſt qui Angelos aſſerunt creatos poſt mundum viſibilem ; tales ſunt Philo Judæus Lib. de Saule arreptitio , Eucherius ſuper cap. 1. Gen. &c.

Tertia eorum eſt qui ſentiunt creatos Angelos ſimul cum mundo viſibili; ita S. Gregorius, Caſſiodorus , Beda , Magiſter, Hugo Victorinus &c. illam quoque opinionem amplectuntur omnes Lateranenſi Concilio poſteriores Theologi.

Quarta tandem ſententia rem prorſus dubiam relinquit, eo quòd nullum ſat firmum illius defenſoribus occurrat momentum quo innixi certò poſſint quæſtionem definire : hanc tuentur opinionem Prudentius in apotheoſi, author Lib. de Incarnatione Verbi inter S. Auguſtini opera , & S. Ambroſius Lib. de ſacramento Incarnationis dominicæ c. 3.

Quid autem ſenſerit S. Auguſtinus non ita ſtatim liquet ; dubitanter enim loquitur Lib. de civit. Dei 1. cap. 32. & 12. cap. 15. verùm tum ibi tùm etiam Lib. 11. c. 6. & 9. & Lib. 12. Confeſſ. c. 13. in tertiam videtur inclinare ſententiam, unde inter illius aſſertores vulgò recenſetur, nec immeritò.

Circa ſecundam quæſtionem, Gregorius Ariminenſis, Ferrarienſis , Melchior Canus & nonnulli alii , tertiam ſententiam velut de fide defendunt , nempe propter decretum Concilii Lateranenſis ; illo tamen non obſtante decreto , rem non eſſe de fide ſentiunt Cajetanus , Bannes , Sixtus Senenſis &c. His prænotatis ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli neque ante mundum viſibilem, neque poſt, ſed ſimul cum illo creati fuerunt.

Probatur prima pars: Geneſis 1. *In principio* (id eſt primum omnium) *creavit Deus cœlum & terram.* in quem locum ſic habet S. Auguſtinus Lib. 11. de civit. Dei cap. 6. *Hoc potius in principio Deus feciſſe dicitur, ut nihil antea feciſſe intelligatur.*

Probatur ſecunda pars. Job. 38. *Ubi eras cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei* ; vel ut vertunt Septuaginta. *cùm me magnâ voce laudarent omnes Angeli mei.* Loquitur autem ibi Deus de momento in quo aſpectabilem producebat mundum ; ergo non poſt illum creati ſunt Angeli.

Probatur tertia pars 1. ſequitur ex dictis ; ſi enim neque ante neque poſt mundum corporeum creati fuerint Angeli , reſtat ut ſimul cum illo producti ſint.

II. Exodi 20. dicitur : *Sex diebus fecit Deus cœlum & terram , & omnia quæ in eis ſunt.* ſed Angeli intra cœli & terræ ambitum continentur ; ergo &c.

III. Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. *Firmiter.* docet , *Deum omnipotenti ſuâ virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidiſſe creaturam, ſpiritualem & corporalem , angelicam videlicet & mundanam.*

SECUNDA CONCLUSIO.

De fide non eſt Angelos *ſimul* cum mundo corporeo fuiſſe creatos.

Probatur 1. Sententia quæ affirmat Angelos ſimul cum mundo corporeo creatos fuiſſe , nullo ſatis aperto Scripturæ teſtimonio innititur. 2. in diverſas opiniones ſuper eâ re abiêre SS. Patres ; unde, ut ait Eſtius, una pars præ alterâ non eſt dicenda ut fidei contraria. 3. S. Thomas qui ſcripſit poſt Concilium Lateranenſe , quo potiſſimum hanc veritatem adſtrui, & ita ut fide tenendam dici poſſet, de adverſâ opinione loquitur velut de ſententiâ innoxiâ 1. p. q. 61. art. 3. in corpore : idem tradit S. Bonaventura. 4. nulla proferri poteſt hanc in rem expreſſa Eccleſiæ definitio.

Namque decreti Lateranenſis vox hæc , *ſimul* , aut non importat idem inſtans temporis , ſed idem tempus ſecundùm aliquam latitudinem; aut ſignificat Deum æquè directâ intentione & per ſe utramque produxiſſe creaturam, non autem , ut volebat Origenes , creaturam corpoream productam tantùm fuiſſe propter peccatum & demeritum ſubſtantiæ ſpiritualis: hanc fuiſſe mentem Concilii docet S. Thomas Opuſculo 23. aut tandem vox hæc , *ſimul*,

ſimul, inſerta fuit non ad definitionem, ſed ut ſententiam, quam ut probabiliorem habebat Concilium, exponeret.

Nihilominus ex verbis decreti Lateranenſis ſatis apparet, inquit Sylvius 1. p. q. 61. art. 3. *ſi non eſt fides Angelos non fuiſſe creatos ante mundum; illi tamen valde eſſe conſentaneum.*

ARTICULUS II.

Quo in loco creati fuerint Angeli.

DE loco creationis Angelorum ſilet Scriptura, ſilent & SS. Patres ferè omnes: communis tamen eſt ſententia, & ab omnibus, poſt ſanctum Thomam hic, propugnata, Angelos fuiſſe creatos in cœlo quod eſt Beatorum ſedes.

Ratio autem eſt, quia conveniens erat ut in loco nobiliori crearetur nobilior creatura, quæ ſanè eſt angelica: unde Venerabilis Beda in 1. Gen. aſſerit ſupremum cœlum cùm primùm creatum fuit, Angelis repletum fuiſſe. Hanc eandem ſententiam Straboni aſcribunt Magiſter & S. Thomas.

Nec obſtant quæ leguntur verba apud Iſaiam c. 14. *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum*: hæc enim verba quæ Sathanæ vulgò tribuuntur, ad litteram de Rege Babylonis ſunt intelligenda; ipſi enim propter inſignem ſuperbiam iſte ſermo hyperbolicus attribuitur. Quòd ſi hæc verba de diabolo quis vult exponere, nomine cœli intelligenda eſt metaphoricè Dei celſitudo & majeſtas quam appetebat Sathan: unde ſubjungitur, *& ero ſimilis altiſſimo.* Hanc expoſitionem tradunt Magiſter & S. Thomas; innuunt quoque SS. Auguſtinus L. 14. de civit. Dei cap. 13. & Ambroſius Epiſt. 84.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De gratiâ Angelorum.

PRæſentem Quæſtionem tribus Articulis abſolvemus. 1. quæremus an Angeli ab initio ſeu in primo creationis inſtanti gratiam ſanctificantem acceperint. 2. an præter gratiam ſanctificantem ipſis neceſſaria fuerit gratia actualis ad benè agendum & perſeverandum. 3. denique, an gratia Angelis bonis conceſſa ad perſeverandum, fuerit ex ſeſe efficax.

ARTICULUS PRIMUS.

An Angeli in primo creationis inſtanti gratiam ſanctificantem acceperint.

NEgarunt Hugo à ſancto Victore, Magiſter Sententiarum, Rupertus & alii Scholaſtici non pauci, qui Angelos fatentur in juſtitiâ quâdam naturali fuiſſe creatos, non autem dono ullo ſupernaturali gratiæ inſtructos, contra quos ſit

CONCLUSIO.

Probabilius eſt Angelos omnes ab initio & in inſtanti ſuæ creationis gratiam ſanctificantem, atque adeo juſtitiam & ſanctitatem accepiſſe. Ita præter ſanctum Thomam ſentiunt Cajetanus, Major, Eſtius, Sylvius & alii communiter.

Probatur ex Scripturis, in quibus de Lucifero ſub figurâ Regis Tyrii dicitur: *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te.* Et ſub figurâ Regis Babylonis Iſai. 14. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer qui manè oriebaris?* Quæ loca de donis gratiæ interpretantur SS. Ambroſius, Gregorius, Bernardus & alii.

Hanc eandem veritatem expreſsè docet S. Auguſtinus Lib. 12. de civit. Dei cap. 9. ubi aſſerit Deum *Angelos cum bonâ voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærent, creaſſe, ſimul in eis condendo naturam & largiendo gratiam.*

Accedit & ratio. Angeli non fuerunt creati in minori perfectione quàm primus homo: atqui communiter docent Theologi protoparentem in juſtitiâ & ſanctitate originali fuiſſe conditum; idque 1. non obſcurè teſtatur Scriptura dum ait Eccleſ. 7. *Deus fecit hominem rectum*: rectitudo enim in Scripturis gratiam & ſanctitatem ſignificat. 2. idem innuit Concilium Trid. Seſſ. 5. ubi docet, *Adam per peccatum, juſtitiam & ſanctitatem perdidiſſe in quâ fuerat conſtitutus.* 3. denique, filii qui ex Adamo nati fuiſſent, ſi ille in ſtatu innocentiæ perſeveraſſet, gratiam quaſi congenitam habuiſſent; ergo & ipſe Adam, qui erat ipſorum caput, illam à principio ſuæ conditionis habuit; ergo & idem dicendum videtur de Angelis.

Dices 1. Job. 4. ubi legimus, quòd *Deus in Angelis reperit pravitatem*, in hebræo habetur, *in Angelis ſuis non poſuit laudem vel lucem*: atqui gratia & juſtitia in ſacris Litteris appellantur lumen & lux, juxta illud 1. Petri 2. *Vocavit vos in admirabile lumen ſuum.* Et Epheſ. 5. *Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate*; ergo &c.

Reſp. quòd etſi mox laudatus Job textus intelligatur de laude vel luce, non propterea obſtabit veritati Concluſionis; ſiquidem hoc unum ſignificat, ſcilicet Angelos non habuiſſe laudem, vel lucem conſummatam & perfectam, qualem habent beati Angeli, qui idcirco ibidem cap. 38. dicuntur *aſtra matutina Deum laudantia.*

Dices 2. S. Auguſtinus Lib. de correpr. & gratiâ cap. 10. ſcribit: *Sic Deum ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in eâ priùs oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium*; ergo Angeli non fuerunt creati in gratiâ, cùm Deus in eis oſtendere voluerit quid abſque gratiâ poſſet liberum arbitrium.

Reſpondet Eſtius in 2. diſt. 3. parag. 8. *teſtimonium iſtud ſancti Auguſtini ad rem præſentem non pertinere*: agit enim eo loci S. Doctor de gratiâ reparante poſt caſum; unde ſubjungit, *deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium*: quæ quidem verba, pergit Eſtius, *non ad Angelum referenda ſunt, ſed ad hominem qui gratiæ beneficio poſt lapſum erectus eſt, cùm per liberum arbitrium ſtare noluiſſet.* Verùm de hoc argumento alibi occurret amplior dicendi locus.

Dices 3. Si omnes Angeli fuiſſent in gratiâ ſanctificante creati, nullus eorum cadere potuiſſet: falſum conſequens; ergo & antecedens. Probatur ſequela majoris, quia ſi in gratiâ ſanctificante fuiſſent creati, etiam fuiſſent ad Deum ſupernaturaliter converſi: non enim ſolet Deus gratiam ſanctificantem conferre perſonis propriâ voluntate utentibus, niſi ipſis conſentientibus & volentibus illam habere; adeoque ad Deum converſis. Porro ſi Angeli ſemel ad Deum fuiſſent converſi, nunquam ab eo averti potuiſſent: tùm quia Angelorum voluntas vel omnino mutari non poteſt ab eo quod ſemel elegit, vel difficillimè mutatur, & ideo poſtulat ſtatim confirmari in ſuâ electione: tùm quia ſi in primo inſtanti converſi fuiſſent ad Deum per gratiam, meruiſſent beatitudinem; ergo in ſecundo

inſtanti

inſtanti in ſui præmium eam accepiſſent, & ſic cadere non potuiſſent.

Reſp. Nego maj. & ad ejus probationem dico, quòd licet Angeli tenaces ſint in eo quod ſemel elegerunt, tamen omnino ex ſe non ſunt in ſuâ electione prorſus immobiles, ut conſtat ex dictis Q. 3. Art. 3. atque ideo, quamvis Angelus in primâ ſuâ operatione converſus fuerit ad Deum, tamen ab illâ converſione recedere potuit, quippe cùm liber eſſet & adhuc in ſtatu viæ; & inſuper, quia nova occaſio peccandi ipſi occurrit, ut expreſsè docet S. Gregorius Nazianzenus Oratione 38. ubi de lapſu Angelorum.

ARTICULUS II.

An præter gratiam ſanctificantem neceſſaria fuerit & collata Angelis gratia actualis ad benè agendum & perſeverandum.

CONCLUSIO.

Præter gratiam habitualem ſeu ſanctificantem neceſſaria fuit ac collata Angelis gratia actualis ad benè agendum & perſeverandum.

Probatur prima pars, ſcilicet Angelos præter gratiam ſanctificantem, quam in ipsâ creatione acceperant, indiguiſſe gratiâ actuali ad benè agendum & perſeverandum: idipſum docet S. Auguſtinus Lib. de naturâ & gratiâ cap. 26. *Sicut*, inquit, *oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere; ſic homo etiam juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere.* Quo in loco ſignificat S. Doctor gratiam actualem homini etiam maximè ſano & innocenti neceſſariam fuiſſe ad bonum ſupernaturale operandum: porrò eadem eſt ratio hac in parte Angeli & hominis ſani; ergo &c.

Tom. 1 p. 140.

Idem colligitur ex Conc. Arauſ. II. Can. 19. *Natura humana*, inquit, *etiamſi in illa integritate in quâ condita eſt permaneret, nullo modo ſeipſam, creatore ſuo non adjuvante, ſervaret.*

Probatur ſecunda pars, nimirum gratiam actualem ad benè agendum & perſeverandum neceſſariam omnibus Angelis fuiſſe conceſſam. Ita S. Auguſtinus Lib. de correpr. & grat. cap. 11. ubi poſtquam aſſeruit Angelos per gratiam in creatione acceptam non potuiſſe perſeverare, niſi præterea aliud quoddam adjutorium datum eis fuiſſet, tale nimirum ſine quo perſeverare non poſſent, & per quod perſeverare poſſent ſi vellent, ſubdit: *Quod adjutorium ſi vel Angelo vel homini cùm primùm facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio manere poſſet ſi vellet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent; adjutorium quippe defuiſſet ſine quo manere non poſſent.* Ex quibus verbis ſancti Doctoris manifeſtè patet, omnibus Angelis fuiſſe conceſſum adjutorium ſine quo perſeverare potuiſſent.

ARTICULUS III.

An gratia actualis Angelis bonis ad perſeverandum conceſſa ex ſeſe fuerit efficax.

QUæritur quale fuerit auxilium conceſſum bonis Angelis ad perſeverandum: utrum nempe tale per quod certò & infallibiliter daretur ipſum perſeverare; an verò tantùm ejuſmodi, ut per illud poſſent Angeli perſeverare ſi vellent.

CONCLUSIO.

Gratia Angelis bonis ad perſeverandum conceſſa non fuit ex ſeſe efficax, ſed verſatilis.

Probatur diſertis ſancti Auguſtini teſtimoniis Lib. de correpr. & gratiâ cap 10. 11. & 12.

Cap. 10. ſic loquitur S. Doctor: *Angeli quidam, quorum princeps eſt qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium à Deo refugâ facti ſunt..... cæteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt.*

Ibidem cap. 11. *Poſſet ergo* (primus homo) *permanere ſi vellet..... ſed quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet, ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus permanſionis debitam mercedem recipere meruerunt.*

Rurſus cap. 12. *Primo itaque homini*, (ut & Angelis) *datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet.*

Ex his ſic arguere licet. Gratia ex ſeſe efficax dat certò & infallibiliter effectum: atqui gratia bonis Angelis ad perſeverandum data non erat hujuſmodi: ſcilicet tale erat adjutorium, *non quo fieret ut perſeverarent, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſent; ergo &c.*

Et verò illud auxilium non eſt ex ſe & naturâ ſuâ efficax, quod omnibus ex æquo Angelis conceſſum, alii per illud ſolum libero arbitrio perſeverarunt; alii verò illud libero arbitrio per peccatum deſeruerunt: atqui tale fuit auxilium perſeverantiæ Angelis conceſſum; ergo &c.

Verùm de hacce difficultate & aliis in præſenti Quæſtione agitatis, ubetiùs & ex profeſſo dicemus Tractatu de gratiâ, ubi de ſtatu naturæ innocentis.

QUÆSTIO QUARTA.

De merito Angelorum.

QUæremus 1. an meruerint Angeli. 2. quid meruerint.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Angeli meruerint.

CONCLUSIO.

Angeli ſancti reverâ meruerunt.

Probatur. Illi meruerunt, in quibus fuerunt conditiones omnes ad meritum requiſitæ: atqui in Angelis fuerunt conditiones omnes ad meritum requiſitæ; ergo &c. Probatur minor. Scilicet in merito tria potiſſimum attenduntur ex parte operantis, ut ſit liber, viator, in ſtatu gratiæ ſanctificantis: ex parte verò operis duo deſiderantur, nempe ut ſit bonum tùm ratione objecti, tùm ratione finis; deinde ut fiat ex impulſu gratiæ actualis: atqui hæ omnes conditiones locum habuerunt in bonis Angelis.

Nam 1. Erant liberi: neque enim ex neceſſitate determinati erant ad alicujus actûs ſive ſpeciem ſive exercitium: unde, ut mox vidimus ex S. Auguſtino, *aliis cadentibus per liberum arbitrium, per idem liberum ſteterunt alii.*

II. Erant viatores: licet enim creati fuerint beati beatitudine inchoatâ, quæ poſita eſt in imperfectâ Dei cognitione & imperfecto illius amore, non fuerunt tamen creati in ſtatu beatitudinis conſummatæ quæ in intuitivâ Dei viſione poſita eſt, ac

proinde aliquamdiu fuerunt in viâ, nec ſemper in termino. Unde S. Auguſtinus Lib. de corrept. & gratiâ cap. 10. illos docet creatos in beatitudine quadam naturali: *Ut ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, ſummæ beatitudinis plenitudinem* (id eſt beatitudinem ſupernaturalem) *tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent.*

III. Ab initio ſeu in primo creationis inſtanti gratia habituali & ſanctificante inſtructi fuêre, uti Articulo primo Quæſtionis præcedentis probatum eſt.

IV. Elicere potuerunt opera quæ bona eſſent tùm ratione objecti, tùm ratione finis, actus ſcilicet fidei, ſpei, charitatis, obedientiæ aliarumque virtutum.

V. Denique ad ea opera efficienda præſentem habuerunt gratiam actualem, uti diximus Art. 2. ſuperioris Quæſtionis, & fusiùs dicemus Tractatu de gratia; ergo in Angelis locum habuêre omnes conditiones ad merendum requiſitæ.

ARTICULUS II.

Quid meruerint Angeli.

PRIMA CONCLUSIO.

Probabilius videtur omnes Angelos gratiam ſanctificantem accepiſſe per propriæ voluntatis cooperationem & veluti diſpoſitionem.

Probatur. Homines adulti non recipiunt gratiam ſanctificantem niſi mediante propriâ diſpoſitione, eo quòd libertatis uſum habeant quo carent parvuli in quibus illa prævia diſpoſitio non exigitur: atqui Angeli conditi fuerunt cum perfecto uſu liberi arbitrii; ergo veriſimilius eſt quòd gratiam ſanctificantem aliter quàm per propriam diſpoſitionem & conſenſum non receperint.

Et verò ſanctificatio quæ fit per propriam diſpoſitionem, nobilior eſt & præſtantior, quàm quæ fit abſque propria diſpoſitione, quia ex ſuo genere & cæteris paribus, ſemper perfectius eſt aliquid à ſe habere, quàm ab alio tantùm, & eſſe ſaltem ex parte cauſam ſuæ perfectionis, quàm illam totaliter ab alio emendicare: atqui Angeli ſanctificati fuerunt nobiliori modo qui creaturam rationalem decebat; ergo &c.

Ex his ſequitur, Angelos meruiſſe ſaltem de congruo gratiam ſanctificantem quâ ab initio fuêre inſtructi: qui enim ſeſe diſponit ad gratiam ſanctificantem, illam impetrat à Deo & meretur ſaltem de congruo.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angeli meruerunt augmentum gratiæ ſanctificantis & beatitudinem ſupernaturalem quæ poſita eſt in intuitivâ Dei cognitione.

Probatur prima pars: quia homo viator per actus ſupernaturalis ordinis meretur augmentum gratiæ ſanctificantis; ergo & Angelus promeritus eſt.

Probatur ſecunda pars: Id promeriti ſunt Angeli quod fuit præmium illorum in bono perſeverantiæ: atqui beatitudo ſupernaturalis fuit hujuſmodi, juxta ſanctum Auguſtinum Lib. de corrept. & gratiâ cap. 11. antea citato, ubi ſic loquitur: *Angeli ſancti cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus manſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, quâ eis certiſſimum ſit ſemper ſe in illa manſuros.*

Dices contra primam Conclusionem: Angeli habuerunt gratiam ſanctificantem ſibi concreatam; ergo ad illam non potuerunt ſeſe diſponere. Probatur conſequens. Diſpoſitio præcedit formam: ſed quod eſt concreatum non poteſt præſupponere aliquid prævium in ſubjecto quod ſit diſpoſitivum ad ſui receptionem; ergo cùm gratia ſanctificans fuerit Angelis concreata, ad eam non potuerunt ſeſe diſponere.

Reſp. nego conſeq. & ad probationem diſt. maj. diſpoſitio præcedit formam, inſtanti naturæ, concedo: temporis, nego. Similiter diſtinctâ minore, nego conſeq. actus contritionis perfectæ, qui eſt diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem, ſimul eſt cum ipsâ gratiâ ſanctificante, licet naturâ eam præcedat; ergo à pari, Angeli cum auxilio ſupernaturali ſibi ab initio conceſſo, eodem inſtanti quo creati ſunt, potuerunt ſeſe ad Deum convertere per actum amoris perfecti, atque ita ſeſe diſponere ad gratiam ſanctificantem recipiendam.

QUÆSTIO NOVA

De gloriâ Angelorum.

MUlta quærit hic S. Thomas, quæ, ſi unum aut alterum excipias, nullam faceſſere videntur difficultatem.

Primò enim certum eſt perfectiores ſecundùm dona gratiæ Angelos, majorem fuiſſe conſecutos gloriâ; hæc quippe ſumma ſpiritûs felicitas merces eſt, quæ proinde proportionata eſt actioni meritoriæ: porro quò perfectiore gratiâ inſtruitur Angelus, eo fortiùs & efficaciùs ad Deum ſe convertit, ac conſequenter altioris eſt meriti.

Certum eſt ſecundò, cognitionem & dilectionem naturalem in Beatis Angelis remanere: ſicut enim gloria non deſtruit ſed perficit naturam intellectualem, ita beatitudinis actus non deſtruit ſed perficit operationem naturalem.

Tertiò tandem certum eſt Beatos Angelos non poſſe amplius in beatitudine proficere. Ratio eſt quia jam ſunt in termino in quo nullum eſt meritum; aliunde verò cùm Angeli ſint à Deo ordinati ad gloriam, ab ipſo etiam ordinati ſunt ad modum gloriam hanc conſequendi.

His igitur præſuppoſitis velut certis, duo duntaxat quæremus. Primum, quomodo gloria fuerit Angelis conceſſa: ſecundum, utrum Angeli Beati poſſint peccare.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo gloria fuerit Angelis conceſſa.

QUæſtio eſt utrum ante vel poſt præviſa merita Angelis fuerit conceſſa beatitudo. Pendet hæc ſanè quæſtio ab ea quæ Tractatu de Attributis movetur de prædeſtinatione & reprobatione: eædem ſunt ſententiæ, eædem occurrunt ſolvendæ difficultates, eadem quoque ſunt litis dirimendæ momenta: unde quod Angelis utcunque peculiare videri poteſt paucis enucleabimus.

CONCLUSIO.

Prædeſtinatio Angelorum facta eſt ex præviſis meritis, ſaltem conditionatè futuris.

Probatur ex ſancto Auguſtino, qui Libro ſæpius citato de correptione & gratia cap. 10. ait: *Cæteri autem* (Angeli) *per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt, eamque de ſuo caſu nunquam futuro certiſſimam ſcire meruerunt.* Et cap. 11. loquens de

Adamo hæc habet: *Quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet, ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus permanſionis debitam mercedem recipere meruerunt &c.*

Accedit & ratio juxta mentem ſancti Doctoris: Ubi gratia verſatilis eſt & libero arbitrio ſubjecta, ibi prædeſtinatio fit ex prævisis meritis ſaltem conditionatè futuris: atqui ex dictis Quæſtione præcedenti, & ex teſtimoniis mox allatis, gratia Angelis conceſſa ad perſeverandum fuit gratia verſatilis; ergo &c.

ARTICULUS II.

Utrum Angeli beati jam peccare poſſint.

CEnſuit Origenes poſt certas annorum revolutiones futurum, ut & Angeli boni peccarent, ac peccati merito in gehennam mitterentur; atque è diverſo dæmones pœnitentiam agerent, & ad felicitatem pervenirent.

Conſtans verò Catholicorum doctrina eſt, Angelos beatos & animas ſanctas felicitate donatas non poſſe amplius peccare: verùm ex his Scotus, Gabriel & alii,nonnulli tenent hanc Angelis ineſſe impeccabilitatem, non ex ſtatu & natura beatitudinis, ſed ex dono & privilegio gratiæ.

CONCLUSIO.

Angeli beati jam amplius peccare nequeunt, idque habent ex ſtatu & naturâ beatitudinis.

Probatur prima pars. 1. quia Scriptura docet regnum Chriſti ſine fine duraturum, hujus autem concives ſunt Angeli: eadem Scriptura nobis promittit vitam æternam cum Angelis. Porro regnum Dei & vita æterna conſiſtunt in pace, juſtitia & gaudio ſancto; ex Apoſtolo Rom. 14. 2. Traditio conſtans eandem nos edocet doctrinam. SS. Epiphanius & Auguſtinus, Philaſtrius opinionem Origenis inter hæreſes recenſent; ideo præcipuè ab utraque Synodo V. & VI. hæreſeos notatur ille author.

Tandem hæc ſententia evincitur ex iis quibus ſecunda pars oſtenditur.

Probatur ſecunda pars, ſcilicet quòd Angeli ſint impeccabiles ex ſtatu & naturâ beatitudinis.

I. Quia, ut ratiocinatur S. Thomas, ſpiritus intuitivè videns Deum, ſe habet ad illud ens ſupremum, quemadmodum homo nunc ſe habet ad rationem boni in genere: ſicut ergo homo nunc nihil poteſt velle niſi intendat in bonum in genere, & in quantum objectum volitionis habet rationem boni, ita ſpiritus videns Deum velle aut agere quidquam non poteſt niſi intendens in Deum; ac proinde peccare non poteſt.

II. Beati videntes Deum, cognoſcunt omnia quæ ad ſe ſpectant, quæque ipſis agenda ſunt; nullus ergo reperitur error in eorum intellectu, ac proinde nulla perverſitas, nullum peccatum in eorum voluntate.

III. Beatus non poteſt nolle beatitudinem, miſeriam amplecti & Deo diſplicere; ergo neque peccare: peccatum enim Deo diſplicet, felicitatem adimit, ſummaque miſeria eſt.

Denique Beatus non poteſt Deum non amare: intellectûs quippe indifferentia tollitur per claram Dei viſionem, quam judicium de ſupremo ente diligendo, neceſſariò ſequitur; ergo beata voluntas invictè & neceſſariò in dilectionem Dei rapitur: ſed qui Deum invictè ac neceſſariò diligit, peccare non poteſt; igitur aut Angelus beatus ceſſat Deum diligere, quod repugnat ſuppoſitâ viſione intuitivâ, aut impeccabilis eſt ex naturâ & ſtatu ſuæ beatitudinis.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Danielis 10. referuntur diſcordiæ & pugnæ inter Angelos diverſis regnis præſidentes excitatæ; ergo &c.

Reſp. 1. Hunc locum exponi à Caſſiano & Ruperto, de malis angelis bonorum conatus impedire volentibus. 2. idem teſtimonium metaphoricè explicatur à SS. Gregorio & Thoma, eo ſcilicet ſenſu, quòd boni Angeli ſibi invicem reſiſtant in quantùm de diverſis hominum meritis divinam conſulunt voluntatem, & ideo inter ſe dicuntur pugnare, quia de quibus conſulunt, aut quæ afflagitant, ea ſunt inter ſe invicem pugnantia.

Objicies 2. SS. Patres tùm contra Arianos, tùm contra Pelagianos aſſerunt Deum ſolum eſſe in quem peccatum non cadit; ergo &c.

Reſp. SS. Patres agere non de ſuppoſitis & individuis naturæ, ſed de naturâ ipſâ. Quælibet natura, quæ Deus non eſt, obnoxia quidem peccato eſt & defectui; aſt non idcirco quælibet perſona naturæ intellectualis, præſertim dum ſupremâ fruitur felicitate, debet quoque peccato ſubjici.

Objicies 3. Angeli etiam beati ſuo fruuntur libero arbitrio, nec enim beatitudo deſtruit ſed duntaxat perficit naturam: atqui natura creata ſuo fruens arbitrio peccabilis eſt; ergo &c.

Reſp. Naturam cum beatitudine remanere quidem integram, verùm dum intuitivâ Dei viſione gaudet, clara ſummi boni viſio tollit judicii indifferentiam, quæ radix eſt libertatis; ac proinde Angelus beatus liber non eſt ratione objecti primarii beatitudinis, quod Deus eſt: ratione verò objectorum ſecundariorum, id eſt cæterorum bonorum à Deo diſtinctorum, liberi ſunt Angeli libertate contradictionis, dum poſſunt agere vel non agere illud bonum; ſed liberi non ſunt libertate contrarietatis inter bonum & malum: cùm autem hæc libertas contrarietatis non ſit de liberi arbitrii eſſentiâ, uti docet S. Thomas variis in locis, maximè verò quæſt. 24. de verit. art. 3. ad 2. & cùm libertas peccandi mera ſit imperfectio, nihil obſtat quominùs aſſeratur ſimul Angelos & liberos eſſe & impeccabiles, atque in gratiâ confirmatos.

QUÆSTIO DECIMA.

De peccato Angelorum.

CErtum eſt 1. nullum eſſe ex Angelis qui ex naturæ ſuæ conditione & inclinatione malus ſit, quidquid enim à Deo creatum eſt, per ſe & ex naturâ ſuâ bonum eſt: ſolus Manichæiſmo infectus dixerit aliquid eſſe ex naturâ ſuâ malum, quem errorem perpetuò deteſtata eſt Eccleſia. Extat eâ de re definitio in Conc. Carthag. IV. Can. 1. Bracarenſi I. Can. 1. & ſpeciatim in Concilio Lateranenſi IV. ubi de dæmonibus ſic habetur: *Diabolus & alii dæmones à Deo quidem naturâ creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali.*

Certum eſt 2. quoſdam ex Angelis in peccatum prolapſos fuiſſe, onde è Cœlorum ſublimi in inferni profundum æterno & irrevocabili lapſu ruerunt, juxta illud 2. Petri 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* His præſuppoſitis

Tria maximè veniunt in hacce Quæſtione determinanda. Primum, quodnam fuerit primum Angelorum peccatum. Secundum, quæ fuerit ipſius radix & origo. Tertium, an voluntas dæmonum ita ſit in malo obfirmata, ut nec poſſit aliquatenus reſipiſcere, nec bonum aliquod operari.

ARTICULUS PRIMUS.

Quodnam fuerit primum Angelorum peccatum.

DE primo Angelorum peccato variæ reperiuntur opiniones. Communis eſt ac pervulgata Theologorum ſententia, ipſos ſuperbiæ peccato primùm corruiſſe. Juxta hanc ſententiam ſit

CONCLUSIO.

Primum Angelorum peccatum fuit peccatum ſuperbiæ.

Concluſionem apertè docent Scripturæ. Tobiæ 4. *Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permitte, in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.* Eccleſiaſtici 10. *Initium omnis peccati ſuperbia.* Huc etiam pertinet quod Iſaiæ 14. ſub figurâ Regis Babylonis de diabolo dicitur: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua. Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui dicebas in corde tuo, In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum.* Accedit quòd Job 41. tanquam principale diaboli peccatum recenſeatur ſuperbia his verbis, *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.*

Suffragantur SS. Patres S. Ambroſius in Pſalm. 36. ad illud, *Vidi impium ſuperexaltatum.* & in Pſalmum 118. ad verſum, *Increpaſti ſuperbos*, & rurſus ad iſtum, *Superbi iniquè agebant uſquequaque.* S. Auguſtinus Lib. 12. de civit. Dei cap. 6. de Angelis apoſtatis ſic loquitur: *Ab illo qui ſummus eſt, averſi, ad ſe converſi ſunt, & hoc vitium nihil aliud eſt quam ſuperbia.* His conſentiunt SS. Athanaſius, Chryſoſtomus, Cyrillus Alexandrinus, Hieronymus, Proſper &c.

Hoc ipſum probat S. Thomas hic iſta ratione. In ſpiritualibus quæ ſecundùm ſe bona ſunt, appetendis, non poteſt eſſe peccatum, niſi appetantur contra regulam aut præceptum ſuperioris: porrò non ſubdi ſuperiori in eo in quo debet, eſt peccatum ſuperbiæ; ergo &c.

Nec dici poteſt, nolle ſubdi ſuperiori, pertinere ad inobedientiam: ut enim advertit Sylvius, nolle ſubdi ſuperiori, ſic ad inobedientiam pertinet, ut vel ea conjuncta ſit ſuperbiæ, vel ex ſuperbiâ originem habeat; præſertim quando agitur de primo peccato ejus qui nondum habuit judicium intellectûs depravatum, ac per conſequens nec voluntatem depravatam.

Quæres in quo poſita fuerit Angelorum apoſtatarum ſuperbia.

Reſp. In eo ſitam fuiſſe, quòd reverà æqualitatem cum Deo appetierint: quam quidem ſententiam variis in locis innuunt Scripturæ. Iſaiæ 14. diabolus in perſonâ Regis Babylonis legitur dixiſſe: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Ezechielis 28. irridetur quòd dixerit, *Deus ego ſum.* Ad Philipp. cap. 2. de Chriſto ait Apoſtolus: *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo,* nempe ut diabolus arbitrabatur.

Cæterùm, in modo explicandi, quâ ratione Angelus prævaricator æqualitatem cum Deo appetierit, non una eſt ſententia. Cenſet Doctor Angelicus hic, Angelum æqualitatem cum Deo ſecundum naturam abſolutè non appetiiſſe, quia naturali cognitione ſciebat hoc eſſe impoſſibile: nullus autem poteſt appetere abſolutè id quod novit eſſe impoſſibile, niſi præcedat aliquis error in intellectu id quod impoſſibile eſt apprehendente tanquam poſſibile, cujuſmodi error non poterat eſſe in Angelo ante peccatum. Igitur in mente ejuſdem S. Doctoris, in hoc Angelus appetiit indebitè eſſe ſimilis Deo, quia appetiit, ut finem ultimum beatitudinis, id ad quod virtute ſuæ naturæ poterat pervenire, beatitudinem ſcilicet naturalem, avertens ſuum appetitum à beatitudine ſupernaturali, quæ eſt ex gratiâ Dei, utpote nihil de illâ beatitudine cogitans, neque in eam ſe ſuamque operationem ordinans, contentus ſuâ propriâ excellentiâ & perfectione, nec eam referens in Deum. Ita S. Thomas hic, de quo etiam Lib. 3. contra gentes cap. 109. In hanc eandem ſententiam ſcripſit S. Auguſtinus Lib. 12. de civit. Dei cap. 1. de Angelis dicens: *Suâ poteſtate delectati velut bonum ſuum ſibi eſſent, à ſuperiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt.*

Cenſent alii in eo poſitam fuiſſe Angelorum ſuperbiam, quòd deſideraverint eſſe æquales Deo, ſi id foret poſſibile, atque in eo deſiderio mirum in modum ſibi complacuerint.

ARTICULUS II.

Origo primi Angelorum peccati.

CUm peccatum in hominibus poſt lapſum primi parentis oriri ſoleat, vel ex fomite concupiſcentiæ cum quo naſcimur, quique hac vitâ durante remanet, vel ex prava conſuetudine, vel ex immoderata paſſione, vel ex ignorantia rerum agendarum, quorum nihil in Angelis ipſum peccatum præceſſiſſe videtur; quæri meritò poteſt quo modo quave via peccatum in Angelis ortum atque ingreſſum habere potuerit. Quæ quæſtio ut reſolvatur, ſit

CONCLUSIO.

Origo primi peccati in Angelis non fuerunt aut ignorantia mentis, aut prava aliqua inclinatio, ſed ſola voluntatis poteſtas.

Probatur. Illud non fuit origo ſeu cauſa primi peccati in Angelis, quod in eis locum non habuit ante peccatum: atqui nec mentis ignorantia, nec prava aliqua inclinatio, locum habuêre in Angelis ante peccatum: neque enim in præſenti hypotheſi ignorantia aut prava aliqua inclinatio culpam præceſsêre, ſed culpa ignorantiam & pravam inclinationem tanquam pœnam comitem ſecum traxit, tam in Angelis, quàm in primo homine, uti expreſsè docet S. Auguſtinus Lib. 14. de civit. Dei cap. 10. 11. 13. idemque ſentit S. Thomas hic art. 1. & in 2. diſt. 5. quæſt. 1. art. 1. ergo &c.

Atque hinc Patres Angelorum caſum libero ipſorum arbitrio adſcribunt. *Angeli ſancti,* inquit S. Auguſtinus loco antea citato, *cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi.*

Eſt ergo prima origo peccati Angelorum ponenda in defectibili ipſorum voluntate ſeſe avertente à majori bono ad minus bonum, dum videlicet ſuam excellentiam conſiderantes, eamque non comparantes cum excellentia divina, inordinato amore ſibiipſis inhæſerunt, ſicque à Deo averſi ſunt.

Dices: Non poteſt eſſe peccatum in voluntate, niſi ex præcedenti errore judicii practici in intelle-

ctu

ctu; ergo Angeli, cùm peccaverint, errarunt: error igitur & ignorantia fuêre cauſa primi eorum peccati. Conſeq. certa eſt. Probatur autem antecedens: 1. ex illo Proverbiorum 14. *Errant qui operantur iniquitatem.* 2. idem docet S. Thomas multis in locis & nominatim hic art. 1. ad 4. ubi negat peccatum poſſe eſſe in voluntate, niſi ſit aliquo modo deceptio in ratione. 3. id evincit ratio: nam voluntas eſt appetitus rationalis; ergo non poteſt eligere, niſi quod ratio judicaverit eligendum; aliàs non rationalis ſed planè temeraria & cæca erit electio. Nuſquam igitur voluntas peccat eligendo, quin ratio aberret judicando.

Ut hæc ſolvatur difficultas adverte cum Sylvio 1. p. q. 63. art. 1. ad 4. *Ignorantiam & errorem dupliciter accipi poſſe; uno modo, vel pro aſſenſu quo quiſpiam aſſentitur falſo tanquam vero, vel pro hoc judicio quo reputat eſſe bonum, quod eſt malum: alio modo pro actuali inconſideratione quâ quis non attendit, neque actu conſiderat ea quæ poſſet ac deberet conſiderare; hanc enim inconſiderationem ſub ignorantiâ generaliter dictâ meritò comprehendi, ex ſancto Thoma* 1. 2. *quæſt.* 6. *art.* 8. *intelligi poteſt.* Hoc prænotato

Reſp. Cajetanum 1. p. quæſt. 63. art. 1. ad 4. & 1. 2. quæſt. 77. art. 2. Medinam, Banneſium, Sylvium &c. aſſerere in primo Angeli peccato fuiſſe ignorantiam & errorem, non quidem priori, ſed poſteriori dumtaxat ſenſu mox expoſito, defectum ſcilicet actualis conſiderationis; non autem judicium erroneum. Econtra verò Eſtius in 4. diſt. 6. paragr. 1. & diſt. 22. paragr. 21. exiſtimat dici poſſe primum Angeli peccatum proceſſiſſe tùm ex inconſideratione, tùm ex errore judicii practici, quo judicabat Angelus hunc actum, qui utique peccatum erat, ſibi eſſe faciendum: negat autem hinc eſſe conſequens, quòd error aliquis primum peccatum præceſſerit, ſi peccatum totum conſideretur. *Ignorantia enim illa*, inquit Eſtius loco mox citato, *ſive inconſideratio, ſive error, ſecundùm quem omnis peccans ignorat & errat, propriè non eſt cauſa peccati, ſed potius pars peccati ipſius. Peccat enim creatura rationalis eo ipſo quòd ratio pravè judicat. Peccat, inquam, veluti inchoativè, ſicuti conſummativè peccat in eo quòd voluntas malè eligit. Nam omne peccatum quaſi duabus illis partibus conſtat & conſummatur, inconſideratione ſcilicet, aut falſo judicio & electione malâ; & utramque fit liberè ſuo quodam modo, quia radix & origo libertatis in ratione eſt, terminus & perfectio in voluntate. Quapropter ſicut actus intellectûs non eſt ſeparandus ab actu voluntatis (eſt enim ille quaſi de hujus ratione) ita error judicii non eſt ſeparandus a peccato, ſed in plenâ & perfectâ ejus ratione includitur. Et quamvis inconſideratio aut error judicii, naturâ prior ſit mala electione; tempore tamen ſimul eſt.* Hactenus Eſtius.

Juxta hanc Eſtii ſententiam, cui ſubſcribimus, patet expedita via ad ſolvendas difficultates in objectione propoſitas. Scilicet fatemur in primo Angeli peccato fuiſſe inconſiderationem, quæ ex S. Thoma 1. 2. quæſt. 6. art. 8. meritò dici poteſt ignorantia: fatemur etiam in eodem peccato fuiſſe errorem judicii. Nec tamen ex his conſequens eſt, in Angelo locum fuiſſe errori aut ignorantiæ priuſquam peccaret; quia iſta ſive inconſideratio, ſive ignorantia, ſive error judicii practici, quem nonnulli vocant malæ electionis, non præceſſit peccatum, ſed fuit pars peccati ipſius, fuitque actus ſeu defectus voluntarius (ſaltem interpretativè, quatenus potuit & debuit illum vitare) & proinde culpabilis, ſuoque modo verè peccatum, ut mox ex Eſtio vidimus.

Reſponſionem hanc conſentaneam eſſe menti S. Thomæ, ex eo patet, quia 1. 2. quæſt. 76. art. 4. ad 1. docet inconſiderationem ſive ignorantiam ſecundùm quam omnis malus eſt ignorans, non eſſe cauſam peccati: aliunde conſtat hanc ignorantiam ex ſuo genere non eſſe effectum peccati: nam ea quæ fuit in primo peccato, ex nullo peccato orta eſt. Reſtat ergo, quòd ſit aliquid ipſius peccati, tanquam de ejus ratione. Quocirca rectè & propriè dicitur, omnem eum qui peccat, eo ipſo quo peccat, errare; impropriè autem, minuſque rectè, omnem peccantem ex errore peccare.

ARTICULUS III.

An voluntas dæmonum ſtatim poſt peccatum ita fuerit in malo obfirmata, ut nec poſſit aliquatenus reſipiſcere, nec bonum aliquod operari.

Celebris eſt præſens quæſtio, circa quam tria potiſſimum pertractari ſolent. Primum, an dæmonum voluntas ſtatim poſt peccatum ita fuerit in malo, id eſt, peccato ſemel commiſſo, obdurata, ut nullatenus reſipiſcere poſſit. Secundum, an ratione iſtius obdurationis in malo, dæmones nullum bonum opus elicere poſſint. Tertium, unde proveniat hæc obduratio.

PRIMA CONCLUSIO.

Dæmonum voluntas, ſicut & aliorum damnatorum, ita eſt in malo obfirmata, ut nuſquam reverà ad juſtitiæ ſtatum ſit revocanda. Concluſio eſt de fide.

Probatur 1. ex Scripturis. 2. Petri 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari.* Et in Epiſtolâ ſancti Judæ: *Angelos verò qui non ſervaverunt ſuum principatum.... in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Conſequens ergo eſt, quòd illi omnes in malo ſint obſtinati: neque enim Deus æternis ſuppliciis quempiam damnat, qui non eſt in malo obſtinatus.

Accedunt ea omnia Scripturæ teſtimonia quibus generaliter ſignificatur, damnatos perpetuis & nuſquam finiendis pœnis addici; ac proinde eos commiſſi peccati veniam nuſquam aſſecuturos, nec delictorum fructuoſam ac ſalutarem pœnitentiam acturos. Ita Matth. 25. de reprobis dicitur: *Ite in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Et rurſus: *Ibunt hi in ſupplicium æternum.* Et Marci 9. de iiſdem reprobis Chriſtus ait: *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

Probatur 2. ex Conciliis in quibus hæc veritas definita fuit. 1. in quinta Synodo proſcripta fuit Origenis doctrina, uti colligitur ex Libro diurno Romanorum Pontificum, in ſecundâ fidei profeſſione, in qua ſic habetur: *Hæc igitur ſancta & univerſalia quatuor Concilia, etiam ſanctum quintum Concilium venerandum..... in hoc Origenes cum impiis diſcipulis & ſequacibus..... æterna cenſuræ ab Eccleſia Dei projecti ſunt.* Porro unum ex præcipuis dogmatibus Origenis iſtud erat, nempe poſt certas temporum revolutiones, futurum ut dæmones animæque damnatæ pœnitentiam agerent veniamque conſequerentur. Ita teſtantur SS. Auguſtinus Lib. de hæreſibus cap. 43. & Hieronymus Epiſt. 61. ad Pammachium. 2. ejuſdem erroris condemnatio, & contrarii dogmatis definitio legitur in ſextâ Synodo Actione 21. 3. in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. capite *Firmiter.* decernitur de reprobis, quòd *cum diabolo pœnam æternam recipient.*

Probatur 3. ex SS. Patribus, qui conſtanter docent dæmones eſſe ſalutaris pœnitentiæ & gratiæ recuperandæ protſus incapaces. S. Auguſtinus Ep. 107. *Nemo ſana fidei*, inquit, *credit aut dicit, apoſtatas angelos ad priſtinam pietatem correctâ aliquando voluntate converti*. Et L. 11 de civit. Dei cap. 13. *Nemo Catholicus ignorat, quòd nullus dæmon in ſocietatem bonorum Angelorum aliquando ſit rediturus*. Idem docent SS. Proſper Reſp. 6. ad Objectionem Vincent. & Fulgentius Lib. de fide ad Petrum cap. 3. His adde Patres qui diverſam Origines ſententiam, ſemper ut fidei adverſam rejecerunt, ut S. Epiphanius in hæreſi Origeniſtarum, Philaſtrius in Lib. de hæreſibus, S. Hieronymus in Apologiâ contra Ruſſinum, & alii plerique.

Probatur 4. ex unanimi ac conſtanti omnium Theologorum ſententiâ, quæ huic doctrinæ tanquam certiſſimæ conſentit. Unde S. Thomas hic art. 2. in corpore conceptis verbis docet, *tenendum eſſe firmiter ſecundum fidem catholicam, quod & voluntas bonorum Angelorum confirmata ſit in bono, & voluntas dæmonum obſtinata in malo*.

Probatur 5. ratione theologicâ. Similis eſt ratio confirmationis in bono, & obſtinationis in malo: atqui Angeli boni ſtatim ut benè operati ſunt, confirmati ſunt in bono; ergo & mali ſtatim ut peccaverunt, obſtinati ſunt in malo; ſicut ergo boni non poſſunt cadere, ita nec mali reſurgere.

CONCLUSIO SECUNDA.

Tanta eſt in dæmonibus obſtinatio, ut nullum uſquam eliciant opus bonum, nequidem moraliter. Concluſio certa eſt eamque expreſsè docent S. Thomas hic art. 2. ad 5. Cajetanus, Ferrarienſis, Adrianus, Eſtius, Sylvius, aliique omnes pauciſſimis exceptis.

Probatur 1. ex Scripturis Joan. 9. *venit nox quando nemo poteſt operari*. Et cap. 12. *Ambulate dum lucem habetis; ut non tenebræ vos comprehendant*. Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum*. Addi poteſt & illud Eccleſ. 9. *Neque opus, neque ratio, neque ſapientia, neque ſcientia erunt apud inferos*. Porro opus bonum ſine aliquâ prudentiâ & rectâ ratione non fit: ubi autem neque ratio, neque ſapientia eſt, profectò neque opus bonum eſſe poteſt.

Probatur 2. ex SS. Patribus. S. Ignatius ad Philipp. *Sapiens eſt dæmon*, inquit, *ad malè faciendum; bonum autem, quid ſit, ignorat*. S. Fulgentius Lib. de fide cap. 3. *In quo* (id eſt, in igne) *omnes illi prævaricatores angeli nec malâ unquam poſſunt voluntate carere, nec pœna*. Eodem modo loquuntur SS. Proſper Lib. 3. de vitâ contemplativâ cap. 12. Bernardus Epiſt. 253. &c.

Probatur 3. quia, uti conſtabit ex dicendis ſequenti Concluſione, dæmones in omnibus actibus quos deliberatè exercent, malè operantur; ergo &c.

TERTIA CONCLUSIO.

Omnis damnatorum voluntas deliberata, moraliter mala eſt. Ita S. Thomas, loco antea laudato, & quæſt. 16. de malo art. 5. & in 2. diſt. 7. qu. 1. art. 2. & in Supplem. 4. quæſt. 98. art. 1. & 2. aliique authores mox citati; quibus adde Alenſ. 2. p. q. 102. memb. 2. & 3. Altiſſiodor. Lib. 2. Summæ Tract. 2. cap. 7. quæſt. 1. & 2. Bonav; Richard. Greg. Gabriel, Major, Suares, Bellarm. Iſambert &c.

Probatur 1. authoritate ſimul & ratione ſancti Thomæ loco mox laudato: *Actus dæmonis*, inquit, *eſt duplex: unus quidem ſcilicet ex voluntate deliberatâ procedens, & is propriè dici poteſt actus ejus; & talis actus dæmonis ſemper eſt malus, quia etſi aliquando bonum faciat, non tamen bene facit: ſicut dum veritatem dicit ut decipiat; & dum non voluntariè credit & confitetur, ſed rerum evidentiâ coactus; alius autem actus dæmonis eſt naturalis; qui bonus eſſe poteſt & atteſtatur bonitati naturæ; & tamen tali bono actu abutitur ad malum*. Ex quibus Doctoris angelici verbis patet, omnes dæmonum actus qui à deliberatâ ipſorum voluntate procedunt, ſemper malos eſſe; ita ut ne unum quidem opus exerceant, quod vel moraliter bonum ſit; ſemper enim operantur, vel ex odio quo contra divinam Majeſtatem flagrant, vel ex affectione ad malum finem, vel cum aliquâ aliâ pravâ circumſtantiâ; adeò ut etiam tunc, quando aliquod opus ex objecto bonum faciunt, malè agant, non benè id quod bonum eſt facientes.

Probatur 2. Sicut ſe habet voluntas Beatorum ad bonum, ita ſe habet voluntas damnatorum ad malum: atqui Beati nihil unquam volunt, niſi benè; ergo nec damnati aliquid volunt, niſi malè.

Probatur 2. Voluntas obſtinata in malo nunquam flectitur niſi in malum: atqui damnatorum omnium voluntas eſt obſtinata in malo; ergo &c.

Ex dictis in hâc tertiâ Concluſione maximè verò ex duabus poſtremis rationibus facilè eſt colligere, damnatos non poſſe elicere aliquod opus morale ex omni parte bonum, quod expreſsè docent Ferrarienſis 4. contra gentes cap. 95. Cajetanus ſuper art. 2. hujuſce quæſt. Salmaticenſes diſp. 13. de Angelis dub. 2. parag. 4. & alii.

Dices: Dona naturalia manſerunt integra in dæmonibus, ut ex ſancto Dionyſio docet S. Thomas hic art. 1. in corpore: atqui opus morale ex omni circumſtantiâ bonum non excedit naturalem facultatem liberi arbitrii angelici; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. dona naturalia in Angelis manſerunt integra, quantum ad ea quæ pertinent ad ordinem naturæ conc. quantùm ad ea quæ pertinent ad ordinem moralem, nego. Similiter diſt; min. opus morale ex omni circumſtantiâ bonum non excedit naturalem facultatem voluntatis angelicæ in ſe abſolutè ſumptæ, concedo: Jam obſtinatæ, & ſub pravâ affectione mali finis conſideratæ, nego: & nego conſeq. Scilicet, cùm totus ordo moralis ex intentione finis pendeat, & finis intentio in dæmonibus depravata ſit; inde ſequitur, quod licet opus moraliter bonum non excedat naturalem facultatem voluntatis angelicæ abſolutè ſumptæ, ipſius tamen jam obſtinatæ, & ſub pravâ affectione mali finis ſpectatæ, non ſolum ſuperet facultatem, ſed etiam omnino illi repugnet. Solutio eſt Salmaticenſium loco mox citato.

Juxta hanc ſenſum intelligenda ſunt quæ de integritate Angelorum quoad naturalia docet ſanctus Thomas hic art. 1. in corpore: ita ſemetipſum exponit S. Doctor quæſt. 16. de malo art. 5. ad 1. ubi de dæmonibus ſic habet: *Dicendum quod bona naturalia in Angelis ſunt integra, quantum pertinet ad naturæ ordinem: ſunt tamen corrupta vel depravata, ſeu diminuta, per comparationem ad capacitatem gratiæ vel gloriæ*. Unde, ut antea obſervavimus, idem S. Doctor hic art. 2. ad 5. docet, quod actus qui in dæmonibus ſunt naturales, ut cognitio naturalis Dei & dilectio ipſius, ſi conſiderentur ut antecedunt omnem libertatem voluntatis, ſunt boni bonitate duntaxat naturali, non morali. Si autèm, ſubdit S. Thomas, prædicti actus ex voluntate dæmonis ingrediantur ordinem moralem, & referantur

tur in finem tunc referentur in pravum finem, & efficientur mali moraliter, *eiſque dæmones certò abutentur.*

Quæ hic diximus ad exponendam mentem ſancti Thomæ circa integritatem naturalium poſt peccatum, illuſtrari poſſunt ex his quæ docet S. Doctor 1. 2. q. 85. art. 1. in corpore. Triplex ibi diſtinguit naturæ bonum: ſcilicet ipſa principia naturam humanam conſtituentia; ipſam inclinationem ad virtutem ex naturâ râtionali fluentem; & ipſum juſtitiæ originalis donum, quod ideo naturæ bonum vocat, quia tota naturæ conceſſum erat. Sic deinde proſequitur: *Primum igitur bonum naturæ, nec tollitur, nec diminuitur per peccatum; tertium verè bonum naturæ totaliter eſt ablatum per peccatum primi parentis; ſed medium bonum naturæ, ſcilicet ipſa naturalis inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum.* Non quidem quaſi peccatum ipſam inclinationis entitatem auferat aut minuat; ſed quatenus, ut inquit ibidem, voluntatem in malum convertit, & à Deo avertit. Voluntas autem à Deo averſa & in bonum delectabile converſa, pronior eſt profectò ad malum, & multò minus ad bonum expedita.

Quæres, an illi omnes dæmonum aliorumque damnatorum deliberati actus, verè ac propriè ſint peccata.

Circa hancce quæſtionem non una eſt Theologorum ſententia.

Reſpondent 1. Alexander Alenſis, Richardus à Media-villâ, & alii pauci, omnes deliberatos dæmonum actus eſſe verè ac propriè peccata, iiſque novas pœnas mereri. En verba Alenſis 2. p. quæſt. 102. membro 3. *Exceptis naturæ motibus, diabolus in cæteris quibuſcunque peccat. Scilicet duplex eſt motus diaboli: unus naturæ alius liberi arbitrii: ſi eſt motus naturæ, non eſt peccatum .... ſi eſt ex ipſo libero arbitrio, tunc omni motu demeretur.* Paulò ante dixerat idem Alenſis: *Diabolus continuò peccat, quia continuè nocere ſtudet..... neque eſt in eo tantum voluntas habitus, ſed voluntas actus.* Eadem ferè habet Media-villa, in 2. diſt. 7. art. 2. quæſt. 2. in corp. & ad 3. & 4.

Reſpondent 2. alii, dæmones in omnibus actibus quos liberè exercent, verè ac propriè peccare, nihil tamen amplius demereri, quia ratio meriti & demeriti non abſolutè ſequitur bonitatem & malitiam operis, ſed quatenus iſtud opus fit à viatore: porrò dæmones ſunt in termino Vulgatiſſima eſt hæc Theologorum ſententia. Ita Cajetanus 1. parte quæſt. 64. art. 2. Ferrarienſis 4. contra gentes cap. 95. Soto in 4. diſt. 50. art. 4. concluſ. 2. Bannes 1. p. q. 64. art. 2. ad 4. Salmanticenſes diſput. 13. de Angelis dub. 2. parag. 1. 2. 3. & 4. Eſtius in 4. diſt. 7. parag. 8. Sylvius in Supplem. q. 98. art. 6. Gonetus diſput. 14. de Angelis art. 1. parag. 2. & 3. Suares Lib. 8. de Angelis cap. 8. Vaſques 1. p. q. 64. diſput. 241. cap. 4. Tannerus diſput. 5. de Angelis quæſt. 6. dub. 5. Iſambert 1. p. q. 64. art. 2. & 1. 2. quæſt. 109. diſput. 5. art. 5. Grandin Tract. de gratia quæſt. 1. ſect. 3. punct. 4. Petavius Lib. 5. Theolog. dogmat. cap. 10. n. 11. aliique plures quos fusè refert Suares loco mox laudato.

Verùm nonnihil diſcriminis eſt (quod obſervandum) inter illos authores, in explicanda libertate ad peccandum requiſita, cum dæmonum in malis obfirmatione. Cajetanus, Ferrarienſis, Salmanticenſes, Banneſius, Eſtius, Sylvius, Gonetus locis mox citatis, aliique nonnulli exiſtimant impotentiam dæmonum ad bonum morale, non obſtare eorumdem libertati ad peccandum neceſſariæ: quia, juxta hos authores, ad eam ſalvandam minimè requiritur, quòd poſt electionem perverſi finis ſint indifferentes ad bonum & malum, ſed ſufficit indifferentia ad diverſa mala, ſervato ordine ad eundem finem: ſicut ad ſalvandam libertatem in Beatis non requiritur indifferentia ad bonum & malum, ſed ſufficit indifferentia ad diverſa bona, ſervato ordine ad eundem finem. Ita totidem fermè verbis Salmanticenſes loco antea citato? *Nam*, inquiunt, *ut ex ſancto Thoma diximus, ad dæmonum libertatem non eſt neceſſe, ut poſt electionem perverſi finis ſint indifferentes & ad malum & ad bonum, ſed ſatis eſt indifferentia ad diverſa mala, ſervato ordine ad eundem finem. Sicut contrà in Beatis non requiritur ad libertatem eorumdem indifferentia ad bonum & ad malum; ſed ſufficit indifferentia ad diverſa bona, ſervato ordine ad eundem finem.* Ita etiam Cajetanus, Bannes, Gonetus &c. Unde appoſitè ad præſentem materiam obſervat idem Bannes 1. p. q. 64. art. 2. dubit. 2. ad 4. *quòd Angelo aut homini non competat libertas ad bonum & malum per ſe & neceſſario, ſi conſideremus hominem & Angelum abſolute, abſtrahendo ab hoc vel illo ſtatu. Si tamen*, pergit idem author, *conſideretur homo vel Angelus prout eſt in ſtatu viæ, in quo ſtatu non eſt confirmatus in bono aut in malo fine, per ſe illi competit libertas ad bonum vel malum: ſi autem è contra conſideretur in ſtatu termini, nullo modo poteſt illi competere illa libertas ad bonum & malum, ſed damnatis neceſſariò competit libertas ad malum præciſe, Beatis verò ad bonum præciſè.*

Econtra verò Suares, Vaſques, Tannerus, Yſambert, Grandin, Petavius &c. videntur aſſerere dæmones alioſque damnatos gaudere verâ ac propriè dictâ, non quidem *morali*, ſed *phyſicâ* electionis indifferentiâ, non certè ad bonum ſupernaturale, cùm omni prorſus gratiâ deſtituantur, ſed ad aliquod bonum morale ordinis naturalis, Unde, juxta hos authores, dæmonum ad bonum morale impoſſibilitas, phyſica non eſt, ſeu per carentiam phyſicæ potentiæ activæ ex parte voluntatis dæmonis; (cum ſit inter bonum morale ordinis naturalis & dæmonis voluntatem proportio) ſed moralis duntaxat, propter obſtinationem, quæ tanta eſt ut infallibiliter nunquam, nec etiam raró contingat, damnatum benè ſimpliciter operari.

Horum Theologorum fundamenta hæc ſunt 1. quod vis electiva, ſeu indifferentia electionis, ſit aliquid naturale & intrinſecum ſubſtantiæ ſpirituali quod prorſus inamiſſibile eſt, ac proinde in dæmonibus & damnatis ſuperſtes manet. 2. quòd illa vis electiva reſpectu boni moralis non ſit ligata ullo impedimento phyſicè invincibili, quia ſupponunt dæmones graviſſimâ & perpetuâ tentatione ad malè agendum ita provocari, ut non omnino eorum judicium abſorbeatur, atque adeò non careant indifferentiâ judicii ad bonum & malum morale; quòd ſufficit ex mente eorumdem Theologorum, ut tentatio quâ damnati continuò urgentur, non ſit penitus invincibilis. 3. contendunt quòd licet dæmones non careant indifferentiâ judicii, nec viribus *phyſicis*, proportionatis & expeditis relativè ad vincendas graviſſimas tentationes quas patiuntur & ad bonum morale naturalis ordinis eliciendum; nuſquam tamen futurum ut bonum operentur, propter eorum in malis obſtinationem, quâ fit, neceſſum eſſe neceſſitate *morali*, ipſos ſemper exercere, ſaltem indeterminatè, aliquem actum moraliter malum.

Hanc eſſe Suareſii aliorumque authorum, quos mox indicavimus, ſcientiam apertè patet diſertis eorum teſtimoniis.

Sua-

Suares Lib. 8. de Angelis cap. 9. n. 7. *Admittimus imprimis*, inquit, ... *dæmonem non ita deſtitui cogitatione honeſtâ, quin ſaltem ſufficientem habeat ad operandum bonum morale, ſi velit..... Primo quia dæmon liberè eligit inter bonum & malum: ergo neceſſe eſt ut utriuſque ſufficientem habeat cogitationem ad volendum quodcunque illorum, quia inter ea quæ ſufficienter non cognoſcuntur, non eſt electio nec libertas.*

Et cap. 8. n. 3. ſic habet: *Angelus ex naturâ ſuâ eſt liber, vel in omnibus, vel ferè in omnibus actibus ſuis quoad ſpecificationem, ſeu determinationem inter bonum & malum, ut eſt certiſſimum de Angelo in pura natura ſpectato: ſed in dæmone manet voluntas naturalis integra & perfecta, quia non eſt læſus in naturalibus, juxta commune axioma Dionyſii & Theologorum; ergo retinet eandem libertatem.*

Rurſus cap. 11. n. 22. & 23. ſic loquitur: *Reſpondeo concedendo iſtam impoſſibilitatem non eſſe per carentiam phyſicæ potentiæ activæ ex parte voluntatis dæmonis. Cum enim fateamur, hos actus eſſe liberos dæmoni ſaltem quoad exercitium, neceſſe eſt ut in illo ſit aliquo modo potentia ad agendum, & non agendum, etiam ſuppoſitis omnibus conditionibus & impedimentis, quæ determinationem voluntatis antecedant, ipſumque ante illas conſenſum liberam efficiunt, quia hoc eſt intrinſecè neceſſarium ad libertatem.*

Tannerus diſput. 5. de Angelis quæſt. 6. dub. 5. n. 20 21. 22. & 23. *Mihi*, inquit, *in hac re quatuor videntur dicenda. 1. dæmones poſſe aliquid opus morale ſaltem ex objecto bonum operari, quod tamen aliqua circumſtantia mala depravatur...... 2. omnes illorum actus deliberatos reipſa eſſe malos, ut aperte docet S. Thomas hic art. 2. & communis habet Doctorum ſententia..... 3. non poſſe dæmones moraliter loquendo bonum operari, ad eum modum & majori etiam ratione, quâ aſſuetus diu, immerſuſque vitio, & prava peccandi conſuetudini, occaſione durante, moraliter cenſetur à peccato ſe non poſſe continere... Quæ impotentia etiam non tollit libertatem & facultatem phyſicam, non committendi hoc vel illud peccatum. Præterquam quod dæmones ex actibus malis poſſint modò hos, modo alios exercere; liberi proinde non ſolum quoad exercitium, ſed in pleriſque etiam quoad ſpecificationem. Dico in pleriſque, quia actum dilectionis Dei ſuper omnia, oppoſitum odio Dei, verius eſt eos non poſſe in hoc ſtatu elicere.... 4. poſſe tamen* (dæmones) *abſolute & phyſice loquendo, potentia nunquam in actum redigenda, bonum aliquod opus morale facere, cum nullum illis principium ad ejuſmodi potentiam requiſitum deſit. Siquidem etſi gratia omnis, etiam ſufficiens illis denegetur, ea tamen minime neceſſaria eſt ad quodlibet opus bonum morale peragendum. Atque in hunc modum plures authores conciliantur: quem etiam video tradi à Suare Lib. 8. cap. 8. & 11. præſertim n. 23.* Deſcribendum fuit, tametſi prolixius iſtud teſtimonium, quo Tanneri, Suareſii, aliorumque quos ſupra laudavimus, mens atque doctrina plenè ac clarè dignoſcitur.

Petavius Lib. 5. Theologic. dogmat. cap. 10. n. 11. de obduratis & dæmonibus ſic ſcribit; *Nec excuſſa illis eſt penitus libertas arbitrii, nec alia eſt iſta quam moralis neceſſitas, cui licet abſolute reluctari poſſint, & in contrarium niti, ſi velint, non tamen hoc facturi ſunt, Quod in dæmonibus ac damnatis multo evenit magis, qui & libere peccant, ut quæ faciunt, poſſint non facere: nec tamen facturi non ſunt, nec uſuri liberæ poteſtatis arbitrio.* Idem non minus diſertè docent Vaſques, Yſambert, Grandin & alii. *Dæmones & animæ damnatæ*, inquit Grandin Tract. de gratiâ quæſt. 1. ſect. 3. puncto 4. pag. 61. *vires quidem phyſicas habent ad opus bonum, (cum ſit inter illud & eorum voluntates proportio) non morales propter obſtinationem.*

Quidquid autem ſit de hacce Suareſii aliorumque ſententiâ, longius certè diſtat ac errore tertiæ Janſenii Propoſitionis: tum quia authores hujus ſententiæ non agunt de libertate hujuſce ſtatus; tum quia loquuntur de libertate ad peccandum, non autem ad merendum & demerendum neceſſariâ; tùm denique quia admittunt in dæmonibus & damnatis veram ac propriè dictam ad bonum morale potentiam, vincendis omnibus occurrentibus impedimentis *phyſicè* proportionatam: unde ſi quid durius in eâ ſententiâ occurrat, non in eo certè eſt quòd libertatem nimiùm deprimat, ſed potius quod libertati dæmonum aliorumque damnatorum plùs æquo tribuat, quatenus nempe hujuſce ſententiæ authores gratis ſupponunt damnatorum judicium non abſorberi graviſſimis illis tentationibus & miſeriis quibus obruuntur; atque adeò illos veram ac propriè dictam ad bonum morale retinere indifferentiam.

Reſpondent 3. Bellarminus Lib. 5. de gratiâ & libero arbitrio cap. 14. Ruardus Tappetus in articulum 7. Facultatis Lovan. pag. 271. 272. 273. Deſchamps de hæreſi pelag. diſput. 4. cap. 7. quo etiam recidit ſententia Eſtii in 2. diſt. 7. parag. 8. & Sylvii in Supplem. quæſt. 98. art. 1. & 8. eodem modo ſtatuendum eſſe de damnatis qui generali peccandi conſuetudine adſtringuntur, ac de Beatis qui contraria & generali benè agendi neceſſitate devincti ſunt, porro Beati liberi ſunt, non quidem reſpectu finis ultimi, ſeu amoris beatifici, qui ex clarâ Dei viſione neceſſariò profluit; ſed circa alia bona quæ ab illis fieri poſſunt aut omitti, & in iis benè ac laudabiliter operantur: ita etiam de dæmonibus & damnatis reſpectu mali ſtatuendum eſt. Operæ pretium erit hic audire Cardinalem Bellarminum, Calvini argumentum eâ de re refellentem. *Ad tertiam*, inquit Bellarminus L. 5. de gratiâ & libero arbitrio cap. 14. (Calvini rationem) *de peccatis dæmonum & bonis operibus Angelorum, reſpondeo, tam Angelos ſanctos, quam malos dæmones reſpectu finis ultimi non habere liberum arbitrium à neceſſitate, ſed ſolum à coactione: tamen reſpectu mediorum liberum arbitrium etiam à neceſſitate habere, quia multa faciunt, quæ poſſent non facere, & contra: & in hujuſmodi dæmones vere peccare, & bonos Angelos opus vere laudabile facere, quamvis nec pœna, nec præmium eſſentiale creſcere poſſit, cum utrique ſint in termino, & omnia ipſorum opera ad exercitium damnationis, vel gloriæ ſempiternæ pertineant. Itaque propoſitio illa Calvini, Dæmones ſemper neceſſariò male agunt; in aliquo ſenſu falſa eſt, in aliquo vera. Verum ſiquidem eſt in genere, eos non poſſe niſi male agere; falſum tamen eſt in particulari, omnia mala quæ faciunt, illos neceſſario facere: poſſent enim, ut diximus, multa non facere quæ faciunt, & ideo non neceſſitate, ſed voluntate peccata committunt.* Eodem planè modo loquuntur Ruardus Tappetus, Deſchamps locis antea adductis, & alii plerique. Paulò aliter rem explicat Eſtius loco mox citato. *Dubitatur*, inquit, *utrum dæmones peccent in eo quod malum volunt aut faciunt: ſunt enim obdurati in malo, non ergo libertatem habent ad malum, & proinde non peccant malum volentes; nullus enim peccat in eo circa quod non eſt liber.* Nodum hunc ut ſolvat, reſpondet dæmones liberos non eſſe circa finem, cui ſe ſemel applicuerunt, adeòque non amplius peccare novo peccato per hoc quòd finem illum volunt. At verò

Digitized by Google

rò, pergit Eſtius, voluntas dæmonum libera manet reſpectu mediorum quæ ad hunc pravum finem ordinabilia ſunt: unde concludit, ipſos peccare novo peccato, quoties aſſumunt & ordinant hujuſmodi media ad pravum finem cui ſunt affixi, Juvat Eſtii verba exſcribere. *Malum in hoc dubio*, inquit, *poteſt bifariam intelligi; ſcilicet aut ipſum malum finem cui dæmones ſe ſemel applicuerunt, aut medium ad hunc finem. Si finis ipſe intelligatur; fatendum videtur dæmones poſt primam electionem qua malo fini ſeſe applicuerunt, non amplius peccare novo peccato per hoc quòd finem illum volunt, ſed affectionem mali finis in iis ſine intermiſſione perdurantem eſſe continuatum & unum peccatum, tum ab iis commiſſum quando hoc liberè elegerunt. Si verò medium ad hunc finem ordinabile intelligatur; cùm reſpectu mediorum..... maneat voluntas Angelorum libera, manifeſtum eſt dæmones peccare novo peccato, quoties aſſumunt & ordinant hujuſmodi media ad pravum finem cui ſunt affixi; vel, quod eodem recidit, quoties aſſumunt ipſum pravum finem ut rationem eligendi hæc aut illa media...... Quamvis enim affectio mali finis verſa ſit eis quaſi in naturam, adeoque illa non fiat novum peccatum; ejuſdem tamen finis per hujuſmodi affectionem aſſumptio ad certa media eligenda*, (circa quæ libera manet Angelorum voluntas) *novi ſubinde peccati rationem habet.* Hæc Eſtius.

Reſpondent denique 4. alii nonnulli, omnes dæmonum aliorumque damnatorum deliberatos actus non eſſe verè, propriè ac *formaliter* peccata, ſed *materialiter* duntaxat & minus propriè, defectu libertatis ad peccatum propriè dictum requiſitæ. Scilicet, inquiunt, ad peccatum materialiter & minus propriè, ſufficit ut actio ſit deformis & contra rectam rationem; ut autem actus ſit verè, propriè ac *formaliter* peccaminoſus, neceſſaria eſt inſuper libertas ad utrumlibet, quam quidem dæmones & damnati non habent. Pro hâc ſententiâ ſtant Gamachæus in 1. p. q. 13. art. 5. teſte P. Deſchamps Lib. 3. de hæreſi pelag diſput. 4. cap. 7. Horantius Lib. 1. c. 29. & Pennotus Lib. 1. cap. 17. ubi ſic loquitur, *Verum objicit Calvinus, quoniam diabolus & damnati peccant, & tamen neceſſariè peccant, cum ſint in malo obſtinati. Reſpondetur, diabolum & damnatos minimè peccare in eo quòd omnino vitare non poſſunt: licet enim ſint in malo obſtinati, tamen habent quoſdam actus quos liberè exercent. Dato autem, & non conceſſo, quod etiam modo propriè peccent, in his ſolum peccare poterunt, in quibus habent libertatem, non neceſſitatem.*

Ex variis omnibus mox recenſitis Theologorum ſententiis circa propoſitam quæſtionem de peccatis dæmonum, præ cæteris nobis arridet opinio Bellarmini, Ruardi Tapperi & aliorum in reſponſione tertia.

Dicimus itaque 1. cum iis authoribus, dæmones reſpectu finis ultimi non habere liberum arbitrium à neceſſitate, ſed ſolùm à coactione; adeoque non amplius peccare novo peccato per hoc quòd finem illum volunt.

Finem hunc nonnulli reponunt in odio Dei, quod in damnatis omnibus neceſſarium eſſe arbitrantur, quodque proinde in ipſis verè ac propriè eſſe peccatum negant.

Dicimus 2. dæmones & damnatos liberos eſſe non ſolum á coactione, ſed etiam à neceſſitate reſpectu mediorum, quia multa faciunt quæ poſſent non facere, & contra: unde manifeſtum eſt in hujuſmodi ipſos peccare novo peccato, quoties ſcilicet aſſumunt & ordinant hujuſmodi media ad finem cui ſunt affixi.

Dicimus 3. nec pœnam dæmonum, nec præmium eſſentiale Beatorum creſcere poſſe, Ratio eſt, quia utrique ſunt in termino, & omnia ipſorum opera ad exercitium damnationis vel gloriæ ſempiternæ pertineant. Verum iſtud poſtremum amplius conſtabit ex dicendis ſequenti. Concluſione.

QUARTA CONCLUSIO.

Dæmones actibus malis quos continuò & liberè eliciunt, non demerentur.

Probatur 1, ex Scripturis. Idipſum ſignificat Eccleſiaſtes cap. 11. his verbis: *Lignum in quocunque loco ceciderit, ibi erit.*

Probatur 2. ex ſancto Thoma, qui licet quandoque exiſtimaverit non improbabile, Beatos ante diem Judicii præmium accidentale, damnatos verò pœnam ſecundariam mereri poſſe, poſtea tamen, neque Beatos, neque damnatos quidquam mereri poſſe poſt mortem, variis in locis docet. 1. p. q. 62. art. 9. ad 2. *Melius eſt*, inquit, *ut dicatur quod nullo modo aliquis Beatus mereri poteſt. niſi ſit ſimul viator & comprehenſor, ut Chriſtus.* Et 2. 2. q. 13. art. 4. ad 2. *In Beatis*, ait, *bona non ſunt meritoria, ſed pertinentia ad eorum beatitudinis præmium; & ſimiliter mala in damnatis non ſunt demeritoria, ſed pertineat ad damnationis pœnam.* Similia habet S. Doctor quæſt. 7. de malo art. 11.

Probatur 3. ex conſtanti Theologorum conſenſu, qui omnes, ſi unum aut alterum excipias, ut antea obſervavimus de Alenſi & Media-villa, cenſent in 4. diſt. 50. damnatos per opera, quæ extra viam faciunt, non mereri augmentum pœnæ eſſentialis damni aut ſenſus.

Probatur 4. quia ſicut ſanctiſſima electorum voluntas in cœlis nullam ampliorem gratiam meretur, ita mala damnatorum voluntas ſine meritò ulterioris pœna futura eſt. Cujus ratio eſt, quia utrique jam in ultimo ſine bonorum vel malorum, tanquam in termino conſiſtunt, tranſacta hujus vitæ via, quæ illis ad merendum eſt conſtituta. Ideoque ſicut bona voluntas in bonis non erit meritum, ſed præmium; ita mala Voluntas in malis non demeritum erit, ſed ſupplicium, niſi fortè, ut notat Eſtius in 4. diſt. ultima parag. 1. quis fingat in utraque illorum voluntate rationem meriti & demeriti reſpectu perpetuæ continuationis ejuſdem ſtatus. Quod tamen, pergit ibid. Eſtius, non eſt neceſſarium, cum illius perpetuitati ſufficiens meritum comparatum fuerit in præſenti vita.

Dices: Peccatum omne pœnam meretur; id enim poſtulat naturalis ordo juſtitiæ divinæ; ergo cum damnati perpetuò peccent in omnibus ſuis actibus deliberatis, extra ſtatum merendi & demerendi non ſunt conſtituti; alioquin peccarent impunè, quod juſtitia Dei non patitur.

Reſp. cum Suareſ. Lib. 8. de Angelis cap. 11. diſt. ant. peccatum omne pœnam meretur, in præſenti vitæ ſtatu, concedo, in futuro damnatorum ſtatu, nego. Et ratio eſt, inquit ibidem Suares, quia damnati jam ſunt in termino: mereri autem & demereri, ſunt in proprietates operum viatorum, non eorum qui ad terminum pervenerunt.

Ex his intelligi poteſt, quo ſenſu SS. Patres interdum negent damnatos peccare, imò & peccare poſſe. Loquuntur ſcilicet de merito & augmento peccatorum ac vitiorum: quod vel ex eo patet, quia

quia ſimiliter de bonis & malis loquuntur, dicentes mortuos nec juſtè agere poſſe, nec peccare, nec virtutes adjicere nec vitia: porrò quis dixerit, Patres negaſſe ſanctiſſimam Beatorum voluntatem, quæ divinæ voluntati totius juſtitiæ fonti ſemper conformis eſt, juſtè agere poſſe? Ita exponenda ſunt eâ de re ſanctorum Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini & aliorum teſtimonia.

QUINTA CONCLUSIO.

Ratio formalis ob quam dæmones aliique damnati in malo ſunt obfirmati, non eſt neque habitus vitioſus cauſatus à Deo in voluntate damnatorum, eamque neceſſitans ad malè agendum, quæ ſententia tribuitur Aureolo: nec actus (odium ſcilicet Dei) à Deo immediatè productus in eorundem voluntate, ut placet Ochamo & Gabrieli: nec privatio auxilii divini gratuiti, quo negato fieri nequit ut dæmones per veram & fructuoſam pœnitentiam convertantur ad Deum, uti volunt Scotus, Richardus, Durandus: nec denique inflexibilitas vel immobilitas voluntatis dæmonum, ut contendunt Cajetanus, Ferrarienſis, Salmaticenſes; ſed illa oritur præcisè & formaliter ex miſerrimâ conditione ſtatûs eorum in termino, junctâ naturali conditione & fragilitate voluntatis creatæ, ſuis tantùm viribus relictæ, ſine ullo gratuito Dei auxilio, cum ſolâ generali & quaſi phyſicâ Dei influentiâ ad operandum. Ita Suares, Verigers, Iſambert, &c. Concluſio quinque præcipuas partes complectitur.

Probatur prima pars, nempe quòd dæmonum obduratio non proveniat ex infuſo vitioſo habitu inclinante & neceſſitante voluntatem dæmonum ad malè agendum. Hæc enim opinio injurioſa eſt in divinam bonitatem, cùm ex eâ conſequens appareat, Deum authorem eſſe mali culpæ, ſive pravæ voluntatis, quod ab eo maximè alienum eſt, *qui odit impium & impietatem ejus.*

Probatur ſecunda pars, quòd illa in malo obfirmatio non fiat per actum aliquem à Deo productum in voluntate dæmonum, eâdem prorſus ratione: cùm enim talis obfirmatio ſit cauſa continuationis odii in Deum, & omnium peccatorum quæ perſeveranter dæmones operantur; ſi hujus obdurationis Deus eſſet author, eſſet pariter eorum peccatorum author cenſendus; quod eſt hæreticum.

Probatur tertia pars, quòd obduratio non oriatur ex negatione divini auxilii ad fructuoſam pœnitentiam neceſſarii. Scilicet hæc Scoti & Durandi ſententia aſſignat equidem cauſam impœnitentiæ de peccato commiſſo, non verò obſtinationis ſemper malè moraliter operandi; quæ duo longiſſimè diſtant. Porrò hìc potiſſimùm quæritur ratio quâ fit ut dæmones in omnibus ſuis actibus deliberatis malè moraliter operentur.

Probatur quarta pars, ſcilicet dæmonum obſtinationem non provenire ex inflexibilitate aut immobilitate voluntatis eorum. 1. ſententia hæc ſupponit voluntatem dæmonum eſſe inflexibilem, atque objecto ſemel electo fixè & immobiliter adhærere: porrò principium iſtud falſum eſſe ſuperiùs Quæſt. 4. probavimus, & ſic iterum convincitur: Angelus malus in primo inſtanti benè operatus eſt; ergo ſi Angeli voluntas in primâ electione eſt immobilis, neceſſariò ſemper benè ſic debuit operari; quod conſequens cùm ſit falſum, fatendum eſt ejus voluntatem ex naturâ ſuâ non eſſe inflexibilem. 2. prædicta ſententia ſolùm probat dæmonem ſemper ac neceſſariò in ſtatu peccati eſſe; ſeu ita obſtinatum eſſe circa peccatum ſemel commiſſum, adhærendo & complacendo in illo, ut illius affectum deponere non poſſit: at verò non explicat undenam oriatur quòd voluntas dæmonis nonniſi malè moraliter operari poſſit; iſtud autem poſtremum eſt, cujus ratio hic maximè inquiritur: uno verbo cauſam aſſignat cur dæmonum voluntas obfirmata ſit circa malum ſemel commiſſum, non verò circa malum futurum, ſeu in ipſomet ſtatu damnationis committendum. 3. obſtinatio voluntatis omnibus damnatis tam hominibus quàm Angelis communis eſt; ergo valde veriſimile eſt, cauſam obſtinationis in ipſis omnibus eſſe communem: atqui tùm ex conſenſu adverſariorum, tùm ex ipſa rei natura conſtat, inflexibilitatem voluntatis non eſſe cauſam & rationem obfirmationis in malo, reſpectu hominum damnatorum; ergo &c.

Probatur denique quinta pars, nimirum obſtinationem in omnibus damnatis, ſive Angelis, ſive hominibus, oriri ex miſerrimâ conditione ſtatûs damnatorum junctâ, naturali fragilitate voluntatis creatæ ſuis tantùm viribus relictæ. 1. nec ex parte Dei, nec aliunde poteſt alia aſſignari cauſa obſtinationis dæmonum, ut ex refutatione aliarum ſententiarum ſufficienter patet. 2. in hominibus prædicta cauſa eſt ſufficiens, nec alia aſſignari poteſt; ergo ſimilis erit etiam ſufficiens in Angelis; ergo fruſtra quæritur alia. 3. idem probatur recenſendo nonnullas miſerrimi ſtatûs damnatorum conditiones: ſcilicet graviſſimâ & continuâ tentatione urgentur, ortâ nimirum ex acerbiſſimâ triſtitiâ ob amiſſam beatitudinem; ex acutiſſimis conſcientiæ ſtimulis, quibus ſemper vexantur, juxta illud Marci 9. *Vermis eorum non moritur.* ex intolerando ignis tormento; denique ex deſperatione veluti rabidâ, quod tot & tanti cruciatus longè acerbiſſimi nullum finem habituri ſint: ex iis autem omnibus reprobi ſic in odium Dei commoventur, ut voluntas eorum malè affecta, & omni gratiæ auxilio destituta, ſemper & neceſſariò ad malum determinetur. Totum iſtud paucis his verbis complectitur Soto in 4. diſt. 50. art. 4. & 5. *Sicut ex viſione Dei ſequitur in Beatis confirmatiſſimus ipſius amor; ita in damnatis ex conſideratione ſuæ miſeriæ ſequitur obſtinatiſſimum Dei odium, quo velut hoſtem eum perpetuò perſequuntur.*

QUÆSTIO UNDECIMA.

De pœnâ dæmonum.

Quatuor ſunt in præſenti Quæſtione reſolvenda. Primum, an dæmones ſtatim poſt peccatum fuerint in infernum detruſi. Secundum, an vero & propriè dicto igne torqueantur. Tertium, quonam modo ignis ille agat in dæmones, qui puri videlicet ſpiritus ſunt. Quartum, an dæmonum ſupplicia nullum unquam finem habitura ſint.

ARTICULUS PRIMUS.

An dæmones ſtatim poſt peccatum fuerint in infernum detruſi.

CONCLUSIO.

Dæmones ſtatim poſt peccatum ad ima tartara præcipitati fuêre, ibique damnationis ſuæ pœnam modò & ante ultimi Judicii diem patiuntur.

Proba-

Probatur 1. ex Scripturis quæ apertis verbis id declarant. Sic S. Petrus 2. Epiſt. cap. 2. *Deus*, inquit, *Angelis peccantibus non pepercit; ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reſervari.* Conſonat S. Judas in Canon. v. 6. *Angelos verò qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Huc etiam pertinet iſtud Iſaiæ 14. *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*, & infra, *Verumtamen ad inferos detraheris uſque ad profundum laci.*

Hoc ipſum non obſcurè colligitur ex Concilio Florent. ubi definitur, *illorum animas qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.* Quamquam autem de dæmonibus nihil ibi definiant Patres, tamen idem de ipſis ac de animabus ſentiendum eſſe, manifeſtum eſt.

Eandem veritatem adſtruunt SS. Patres. Ita namque docent Ambroſius in cap. 8. S. Lucæ, ubi de legione dæmonum agitur, Hieronymus in Iſai. 14. ad illud, *Infernus ſubter te conturbatus eſt.* S. Auguſtinus Lib. 21. de civit. Dei cap. 3. Gregorius Nazianz. Oratione in S. Cyprianum, Chryſoſt. Homil. 24. in Matth. ad illud cap. 8. *Veniſti ante tempus torquere nos.* Cyrillus Lib. 6. contra Julian. ante medium, quem & S. Thomas citat in catenâ ad Luc. 6. & S. Gregor. Lib. 4. Dialog. cap. 28. Satis ſit hic S. Greg. verba exſcribere: *Si eſſe*, inquit loco citato, *Sanctorum animas in cœlo ſacri eloquii ſatisfactione credidiſti, oportet ut per omnia eſſe credas, & iniquorum animas in inferno: quia ex retributione æternæ juſtitiæ, ex quâ juſti jam glorianturr, neceſſe eſt per omnia ut & injuſti crucientur. Nam ſicut electos beatitudo lætificat, ita credi neceſſe eſt, quod à die exitûs ſui, ignis reprobos exurat.* Porro eadem omnino eſt ratio de dæmonibus ac de reprobis animabus.

Favent etiam & nonnulla momenta Theologica minimè ſpernenda.

Primum eſt, quia admodum veriſimile eſt dæmonum ſupplicium ita ſe habere, ſicuti gloriam ac mercedem bonorum Angelorum: atqui bonorum Angelorum beatitudo non differtur uſque ad ultimi Judicii diem, ſed ea fruuntur in cœlis, ex quo fuerunt in gratiâ confirmati, juxta illud Matth. 18. *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris*; ergo & dæmones in infernum dejecti ſunt ac præcipitati, ex quo à Deo averſi peccaverunt.

Secundum eſt, quia certum eſt dæmones in inferno tortores eſſe animarum damnatorum hominum, ibique eorum ſuppliciis eſſe præfectos: atqui abſurdum eſſet dicere dæmones in inferis torquere animas damnatorum, nec tamen ipſos ibi pœnis ſibi deſtinatis ſubjici; ergo pœnam pro merito nunc in inferis patiuntur, nec expectabunt Judicii diem.

Tertium eſt, quia animæ damnatæ non ſunt pejoris conditionis quàm dæmones: atqui animæ damnatæ ſtatim & ſine intermiſſione pœnam peccato debitam in inferis patiuntur, juxta illud Job 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Et Luc. 16. *Mortuus eſt dives & ſepultus eſt in inferno*; ergo à fortiori dæmones.

Objicies 1. ex Scripturis: Matth. 8. dæmones dicunt Chriſto, *Veniſti ante tempus torquere nos.* Matth. 25. in extremo Judicio dicetur malis: *Ite in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* 1. Cor. 6. ſic loquitur Apoſtolus, *Neſcitis quoniam Angelos judicabimus?* Ex iis apparet 1. dæmones nondum torqueri. 2. nondum miſſos eſſe in ignem æternum, ſeu in infernum. 3. denique nondum eſſe judicatos, ſed in judicium reſervari.

Ut hæc ſolvatur difficultas, triplex cum Eſtio in 2. diſt. 6. parag. 14. diſtinguenda eſt diaboli damnatio.

Prima, quâ damnatus eſt initio, quando propter ſuperbiam dejectus eſt è cœlo, & in æternam miſeriam præcipitatus; de quâ damnatione loquitur Petrus Apoſtolus loco ſupra citato, *Non pepercit eis &c.*

Secunda, quâ per Chriſtum ſuâ poteſtate in homines cecidit, ut non ampliùs longè latèque dominetur eâ libertate, eoque ſucceſſu, quo ante Chriſti adventum dominari permiſſus fuerat: de hac damnatione ait Chriſtus Joan. 12. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.*

Tertia denique diaboli damnatio erit in extremo, univerſali & manifeſto judicio, in quo licet nulla futura ſit acceſſio ad pœnam ejus principalem, ſicut nec animabus damnatis, maxima tamen fiet ad ſecundariam. 1. quia cùm dæmones ſint ſuperbiſſimi, maximam confuſionis pœnam patientur ex eo, quòd tunc ipſorum malitia toti mundo manifeſtabitur, palamque omnibus fiet quàm ſint viles & contemptibiles. 2. quia judicabuntur non tantùm à Deo, ſed etiam à SS. hominibus quos extremo odio proſecuti ſunt, atque ab iiſdem publico & irretractabili judicio condemnabuntur. 3. auferetur ab eis omnis impoſterum electis nocendi poteſtas; quod illi, pro ingenti malitiâ & odio quo bonos omnes perſequuntur, pro maximo tormento reputabunt. Hoc præſuppoſito,

Reſp. Adducta Scripturæ teſtimonia, aliaque multa in quibus judicii, ſeu damnationis dæmonum ac ſupplicii eis irrogandi in fine ſæculi, mentio fit, intelligenda eſſe de damnatione non quidem primi, ſed tertii duntaxat generis. Non ergo per ea teſtimonia ſignificatur quòd dæmones ante ultimi Judicii diem principali pœnâ non crucientur, aut minùs quàm poſtea, ſed quòd tunc ſuppliciorum ſuorum complementum ac plenitudinem ita accipient, acceſſione pœnarum accidentalium quas mox recenſuimus, ut verum ſit dicere, quòd illo tempore in extremam & ſummam miſeriam projicientur, cui ſcilicet nihil ſit ultra acceſſurum: atque ita exponenda eſſe Scripturæ teſtimonia, quæ nobis objiciuntur, manifeſtè patet ex adductis inter probationes SS. Petri & Judæ textibus.

Objicies 2. varia SS. Patrum teſtimonia quæ videntur aſſerere dæmones non eſſe torquendos pœnâ gehennæ ante diem Judicii. Ita S. Juſtinus Apolog. 1. & 2. ſæpius repetit *dæmones igni ſempiterno tradendos eſſe, nondum tamen traditos.* Sancto Juſtino conſentiunt S. Irenæus Lib. 5. contra hæreſes, Euſebius Lib. 5. Hiſtoriæ cap. 17. Oecumenius in cap. ultimum 1. Petri, Epiphanius in hæreſi Sethianorum. Idem etiam docent SS. Ambroſius in Comment. cap. 8. S. Lucæ, Hieronymus & Chryſoſt. in cap. 8. Matth. Auguſtinus Lib. 8. de civit. Dei cap. 23. Gregorius Lib. 4. Moralium cap. 10. Bernardus ſerm. de ſancto Malachiâ, & alii plerique.

Reſp. Cum Bellarmino Lib. 1. de beatitudine Sanctorum cap. 6. deſerendam eſſe hâc in parte SS. Juſtini, Irenæi, Epiphanii, nec non Euſebii & Oecumenii ſententiam. Quod autem attinet alios SS. Patres mox recenſitos, non negant, inquit ibidem Bellarminus, dæmones hoc tempore torqueri tam pœnâ damni, quàm pœnâ ſenſûs; ſed hoc unum volunt, poſt extremum Judicium pleniùs quàm antea miſeriores fore, atque tunc pœnarum

ſuarum complementum habituros, acceſſione ſcilicet pœnarum accidentalium, de quibus ſuperiori objectione diximus: quod quidem pœnarum complementum adeò timent, ut in exorciſmis nullâ re magis torqueri videantur, quàm commemoratione & comminatione futuri Judicii; unde exorciſmi ferè omnes his verbis concludi ſolent, *Per eum qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.*

Atque hoc pacto dilui poteſt objectio quæ proponitur ex cæremoniis Eccleſiæ quæ veteri ritu Baptiſmo præmittuntur, in quibus inter exorcizandum hæc & hujuſmodi verba diabolo dicuntur: *Nec te lateat imminere tibi pœnas, tormenta, diem judicii, diem ſupplicii æterni, qui venturus eſt velut clibanus ardens, in quo tibi & univerſis angelis tuis æternus veniet interitus: & ideo pro tuâ nequitiâ damnate & damnande da honorem Deo; appropinquabit enim judicium Dei.* Per hoc enim quòd diabolus dicitur damnatus & damnandus, ſignificatur eum jam torqueri in inferno, ſed pœnarum ſuarum complementum in die Judicii accepturum, quatenus ſcilicet tunc ipſius malitia palàm omnibus manifeſtabitur, atque auferetur ab eo omnis inpoſterum electis nocendi poteſtas.

Objicies 3. ex ratione: Non omnes dæmones ſunt io inferno, ſed multi adhuc in aëre, ac ſupra terras vagantur: communis hæc eſt ſanctorum Patrum ſententia, teſte S. Hieronymo io Comment. ad Epiſtolam S. Pauli ad Epheſ. ubi explicans illa verba cap. 7. *Contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*, vocabulum, *cæleſtium*, de aëre interpretatur, & poſtea ſubdit: *Hæc autem omnium Doctorum opinio eſt, quòd aër iſte qui cælum & terram medius dividens, inane appellatur, plenus ſit contrariis fortitudinibus*; ergo cùm multi ex dæmonibus nunc in inferno non ſint, conſequens eſt non omnes eos igne inferni cruciari: ignis enim non urit ubi non eſt; unde & Chriſtum rogant Luc. 8. ne in abyſſum, id eſt, infernum mittantur, ſcilicet metuentes pœnam ignis infernalis.

Reſpondeo, equidem eam fuiſſe plurimis è SS. Patribus communem ſententiam, non omnes prorſus dæmones ſtatim poſt peccatum in inferorum clauſtris fuiſſe reſeratos; ſed eorum pleroſque in tartarum fuiſſe deturbatos, reliquos verò io aëre, viciniſque locis vagari, atque ultrò citroque commeare. Ita docent S. Hieronymus loco mox citato, & Euſebius L. 7. Præparationis Evangelicæ: at exinde non licet colligere dæmones qui in aëre verſantur non torqueri, nec damnationis ſuæ pœnam pati: uti enim rectè notat Beda in caput 3. Epiſt. S. Jacobi, *Quocunque dæmones volitent, ii ubique ſuam gehennam circumferunt.*

Et verò ſicut ſancti Angeli, etiam dum apud nos agunt, *ſemper vident faciem Patris*, & hac ratione in cœlis eſſe à Chriſto dicuntur Matth. 18. quomodo & Tobiæ 12. Raphaël Angelus dicit ſe ex iis eſſe qui ſemper aſtant ante Dominum; & Gabriel Lucæ 1. profitetur ſe aſtare ante Deum; ita dæmones etiam dum hoc in aëre verſantur, pœnas inferni ſuſtinent: quatenus ſcilicet gehennam ſuam, uti mox ex Beda vidimus, quocunque pergunt, ſecum portant. Quâ autem ratione fieri poſſit, ut gehenna ignis agat in dæmones etiam per aëra volitantes, inferiùs Articulo 3. hujuſce Quæſtionis expendemus.

* * * *

ARTICULUS II.

An dæmones igne vero & corporeo in inferno torqueantur.

IN præcedenti Articulo diximus Angelos malos, ſtatim atque peccaverunt, in inferorum clauſtris fuiſſe reſeratos, ibique damnationis ſuæ pœnam, ignis ſcilicet ſupplicium experiri non expectato ultimi Judicii die; nunc inveſtigandum utrum ignis ille verus ſit & corporeus. Antequam ſtatuatur Concluſio.

Obſervandum, nonnullos ex antiquioribus cum Origene ſenſiſſe ignem cui jam addicti vel addicendi ſunt dæmones, non eſſe corporeum, nec aliud ſignificare, quàm peccatorum ſtimulantem conſcientiam. Hanc fuiſſe Origenis ſententiam ſcribit S. Hieronymus Apolog. 2. contra Ruffinum, ubi ait: *Ignes autem æternos, quos intelligere ſolet Origenes, puto quòd te non fugiat, conſcientiam videlicet peccatorum & pœnitudinem cordis interna urentem, de quâ Iſaias loquitur cap. 66. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Id ipſum fuſiùs exponit Epiſt. 69. ad Avitum, ubi de Origene loquens ſic habet: *Ignis quoque gehennæ, & tormenta quæ Scriptura ſacra peccatoribus comminatur, non ponit in ſuppliciis, ſed in conſcientiâ peccatorum, quando Dei virtute & potentiâ omnis memoria delictorum ante oculos noſtros ponitur..... & quidquid feceramus in vitâ vel turpe, vel impium, omnis eorum in conſpectu noſtro pictura deſcribitur, ac præteritas voluptates mens intuens, conſcientiæ punitur ardore, & pœnitudinis ſtimulis confoditur.*

Eandem ſententiam Theophilactus amplectitur in caput 9. ſancti Marci: *Vermis autem*, inquit, *& ignis qui peccatores puniunt, uniuſcujuſque conſcientia eſt, & memoria eorum quæ in hâc vitâ turpia commiſſa ſunt; quæ tanquam vermis conſumit, & ſicut ignis incendit.* Subſcribit Catharinus Lib. de præmio bonorum & ſupplicio malorum: ibi contendit Scripturam intelligendam eſſe de igne metaphorico, ſicut de verme, Marci 9. Imò S. Ambroſius in cap. 4. Lucæ, & S. Gregorius Lib. 15. Moralium cap. 17. videntur aſſerere ignem tartareum eſſe incorporeum. Nihilominus ſit.

CONCLUSIO.

Dæmones igne vero & propriè dicto in inferno cruciantur. *Hæc Concluſio*, inquit Sylvius in Suppl. quæſt. 70. art. 4. *etſi non ſit fidei, cùm de eâ non extet aperta definitio Eccleſiæ, communiter tamen aſſeritur, propter frequentes Scripturæ ſacræ ſententias, in quibus damnatorum ſupplicium* ignis *nomine deſignatur.* Addit Yſambert. quæſt. ultimâ de Angelis art. 3. *propoſitionem hanc ita eſſe certam, ut oppoſita cenſeatur eſſe temeraria.*

Probatur 1. ex Scripturis. Matth. 3. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Et cap 5. *Reus erit gehennæ ignis.* Marci 9. *In ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur.* 2. Theſſal. 2. *In flammâ ignis dantis vindictam.* 2. Petri 3. *Igni reſervati in die Judicii.* Judæ v. 7. *Ignis æterni pœnam ſuſtinentes.* Apocalypſ. 20. infernus deſcribitur tanquam ſtagnum ignis: *Diabolus miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, ubi & beſtia & pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte.* Dixerat Iſaias c. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante... cum ardoribus*

bus ſempiternis? Et rurſus c. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Tam conſtans autem loquendi modus Scripturæ metaphoricum ſenſum minimè redolet : nam juxta regulam à S. Auguſtino traditam Lib. 3. de doctrinâ Chriſtianâ cap. 10. verba Scripturæ proprio & naturali ſenſu intelligi debent, quoties naturalis ſenſus, nec ullam contradictionem, nec abſurditatem aliquam præ ſe fert ; quæ regula maximè locum habet, quando uſus eſt frequens & uniformis, & quando proprius ſenſus, non ſolùm inconveniens non habet, ſed etiam ad bonos mores utilior eſt : utrumque autem in præſenti reperitur ; ergo &c. His accedit expreſſa Chriſti ſententia, Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Quis autem dixerit Judicem contra reum decernentem metaphoricè loqui ?

Probatur 2. Ex SS. Patribus qui hancce veritatem diſertè & conſtanter docent.

S. Juſtinus Apolog. 2. conceptis verbis aſſerit *ignem æternum peccatoribus eſſe paratum.* S. Baſilius Homil. 1. in Pſalm. 28. verbis iſtis, *Vox Domini intercidentis flammam ignis*; ſignificari credit ignem corporeum quo cruciantur dæmones : *Ut quoniam*, inquit, *duæ ſunt in igne vires, urendi & illuminandi, prior, quæ eſt acerrima, & ad puniendum idonea, iis attributa ſit, qui exuſtione digni ſunt ; illuminandi verò ſplendida vis ad eos exhilarandos, qui gaudio perficiuntur, attineat.* S. Cyprianus Lib. de laudibus martyrii cap. 12. infernum ſic eleganter deſcribit : *Sæviens locus cui gehenna nomen eſt... eructantibus flammis per horrendam ſpiſſæ caliginis noctem ſæva ſemper incendia camini fumantis expirat, globus ignium arctatus obſtruitur, & in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc ſæviendi plurima genera, ſàm in ſeipſo convolvit, quidquid ardoris emiſſi edax flamma cruciavit ora.* Sanè non ſpiritualis & metaphorici, ſed materialis & corporei ignis eſt iſta deſcriptio. S. Hieronymus Epiſt. 59. arguit Origenem, quod ignem tartareum ad metaphoram tranſtulerit. S. Ambroſius in Pſal. 118. exhibet confeſſorem in tormentis, *cogitantem illum ignem perpetuum, illud ſine fine incendium perfidorum.* Equidem ignem illum *incorporeum* vocat in caput 14 Lucæ, ſicut & S. Gregorius c. 17. Lib. 15. Moralium; tùm quia pabulo non indiget, tùm quia non virtute corporeâ, ſed fortè ſpirituali torquet ſpiritus ; nam Lib. 4. Dialog. cap. 29. idem S. Gregorius ſic de igne tartareo affirmat, *Corporeum eſſe non ambigo.* Paulò ante dixerat cap. 28. *Sicut electos beatitudo lætificat, ita credi neceſſe eſt, quòd à die exitûs ſui, ignis reprobos exurat.*

Id ipſum præ cæteris luculentiùs adſtruit S. Auguſtinus Lib. 21. de civit. Dei cap. 10. *Adhærebunt*, inquit, *ſpiritus incorporei corporeis ignibus cruciandi.* At quomodo? reſpondet ibidem, *quamvis miris, veris tamen modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœnâ corporalis ignis affligi.* Et rurſus ibidem: *At verò*, ait, *gehenna illa, quod etiam ſtagnum ignis & ſulphuris dictum eſt, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum & dæmonum, ſolida hominum, aërea dæmonum, aut tantùm hominum corpora cum ſpiritibus, dæmones autem ſpiritus ſine corporibus habentes, ſumendo pœnam non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Unus quippe utriſque ignis erit; ſicut veritas dicit.* Hæc illic, qui & alibi eamdem doctrinam tradit, ut in Pſalm. 49. & 57. & Lib. 1. de ſerm. Domini in monte tractans illud Matth. 5. *Reus erit gehennæ ignis.*

Probatur 3. ex conſtanti Theologorum conſenſu S. Thomas tùm 1. parte quæſt. 64. art. 4. & Lib. 4. contra gentes c. 90. & Opuſcul. 2. c. 179. ubi pœnam ignis corporalem vocat, ibique addit, *omnia quæ in Scripturis de hoc inferni igne dicuntur, ad litteram & non per metaphoram eſſe intelligenda.* Hugo Victor. Lib. 2. de Sacram. p. 16. cap. 3. *Veriſſimè*, inquit, *authoritate ſacri eloquii, & Catholicæ veritatis probatur teſtimonio, corporali & materiali igne, animas etiam nunc ante ſuſceptionem corporum cruciari.* Idemque de dæmonibus ſubjungit, imo inde probat animas licet ſpirituales poſſe ab igne corporeo cruciari, quia dæmones de facto igne corporeo torquentur : quod cap. 4. & 5. ex SS. Auguſtino & Gregorio proſequitur. Idem ſentiunt S. Bonaventura, Alexander Alenſis, Guillelmus uterque, Scotus, Durandus, Salmaticenſes, Eſtius, Sylvius, aliique omnes quorum plures refert Suareſius Lib. 8. de Angelis cap. 12. 13. 14. & Unde & doctiſſimus Petavius Theologicorum dogmatum de Angelis Lib. 3. cap. 6. ſic habet: *Corporeum & materiâ conſtantem eſſe inferorum ignem quo dæmones & animæ damnatæ torquentur, Theologi hodie omnes, imò & Chriſtiani conſentiunt.*

Probatur 4. ex ſacrâ Facultate Pariſienſi quæ anno 1270. varios articulos proſcripſit, inter quos iſte legitur octavus numero, *Anima ſeparata poſt mortem, non patitur ab igne corporeo*; ergo &c.

Probatur 5. rationibus Theologicis. Prima ſic proponitur : Corpora damnatorum puniuntur igne poſt reſurrectionem, ut patet Matth. 25. *Ite in ignem æternum.* At corpora non poſſunt uri niſi igne corporeo ; eſt ergo in inferno ignis corporeus ; porrò ab eodem igne nunc torquentur dæmones, à quo patientur homines poſt diem Judicii ; nam ibidem dicitur, *qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Ergo ignis crucians dæmones verus eſt & corporeus.

Altera petitur ex conſenſu Eccleſiæ latinæ : Scilicet in Concilio Florentino Latini Patres ſe credere dicunt, in Purgatorio ignem eſſe, & quidem corporeum, quo animæ levioribus peccatis obnoxiæ expiantur : porrò ſi juxta Latinorum Patrum confeſſionem, corporeus eſt ignis, in quo animæ ſine corporibus levioribus peccatis obnoxiæ purgantur ; igitur à fortiori corporeus dicendus eſt ignis in quo animæ ſolæ ſine corporibus, gravioribus peccatis oneratæ, ante Judicium una cum dæmonibus cruciantur ; ac multò magis is in quo poſt reſurrectionem animæ ſuis corporibus rurſum unitæ cruciabuntur.

Tertia denique ex eo ſumitur, quòd ſicuti Deus, quamvis animam mundare poſſit à peccato, non adhibitâ re corporeâ, vult tamen eam mundare per elementum corporeum, non quodcunque, ſed maximè mundativum, id eſt, per aquam : ita quamvis ſpiritum & animam pro peccato punire poſſit non adhibito corporeo elemento, vult tamen utrumque per elementum corporeum, tanquam inſtrumentum ſuum miris & ineffabilibus modis punire, idque per illud elementum quod maximè & activum & proinde maximè afflictivum eſt, id eſt, per ignem. Rationem hanc ſæpius indicat Doctor Angelicus poſt S. Auguſtinum variis in locis, maximè verò Lib. 21. de civit. Dei cap. 3. & 10.

Eſt & alia ratio congruentiæ quam iidem SS. Doctores non ſemel innuunt. Scilicet, juſtum eſt tam ſpiritus quàm animas ſeparatas, quæ peccando à Deo creatore ſuo receſſerunt, puniri per crea-

turam eamque corpoream: tùm ut quantùm unoſquiſque in creaturarum amore delectatus eſt, tantùm ab aliquâ creaturâ ut inſtrumento Dei patiatur, juxta illud Apocalyp. 18: v 7. *Quantùm glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum & luctum*: tùm etiam quia congruit ut ſpiritus & animæ quæ per ſuperbiam quod ſupra eſt appetiverunt, luere cogantur per id quod infra ſe eſt, id eſt, per rem corpoream, tanquam divinæ juſtitiæ inſtrumentum, quomodo Ægyptii & Chananæi per vilia quædam animalia graviter afflicti leguntur in Exodo & Lib. Sapient.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. ex Scripturis. Varii ſunt Scripturæ textus quibus apertè ſignificatur ignem quo dæmones torquentur, non realiter & propriè, ſed metaphoricè eſſe intelligendum. Quod utique conſtat.

I. Ex illo Lucæ 16. ubi dives ille qui dicebat: *Crucior in hac flammâ*, poſtmodum dicitur elevaſſe oculos ſuos, & vidiſſe Abraham à longè, eique dixiſſe: *Mitte Lazarum ut intingat digitum ſuum in aquam, & refrigeret linguam meam.* Manifeſtum eſt autem oculos, digitum & linguam, nonniſi metaphoricè animabus ſeparatis tribui; ergo pari ratione intelligenda eſt metaphoricè flamma illa in quâ anima cruciari dicitur.

II. Idem ſuadetur ex illo Job 24. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium, & uſque ad inferos peccatum illius.* Porrò ſive hæc intelligantur de frigore peccatorum hujus vitæ ad calorem pœnarum inferni; ſive de viciſſitudine pœnarum in ipſo inferno, ſemper illæ aquæ nivium debent metaphoricè accipi; nec enim credibile eſt propriam pœnam aquarum & nivium eſſe in inferno; ergo pari modo ignis tantùm eſt metaphoricè dicendus.

III. Denique, eo modo ignis damnatos torquere accipiendus eſt, quomodo vermes dicuntur eos corrodere; nam Scriptura ſacra pari ratione de igne ac de vermibus loquitur: ſic Iſaiæ 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Quæ verba de damnatorum pœnis interpretatus eſt Chriſtus Dominus Marci 9. Atqui vermes in inferno ſunt tantùm metaphoricè, nempe ſtimuli illi quibus pungitur, & veluti corroditur damnatorum animus; ergo & ignis metaphoricè intelligendus eſt juxta illud Iſaiæ 33. *Spiritus veſter ut ignis vorabit vos.*

Reſp. 1. Negando paritatem cum Suareſ. Lib. 8. de Angelis cap. 12. tùm quia in allatis exemplis non adeo claræ ſunt ac frequentes locutiones Scripturæ: tùm quia nec circumſtantiæ textûs in his Scripturæ locis, nec rationes, vel conjecturæ quæ ex illis ſumuntur, ita indicant proprium ac litteralem ſenſum, ſicut ubi agitur de igne: tùm quia Patrum, Theologorum & Fidelium omnium conſenſus multò magis expreſſior eſt pro vero ac ſenſibili igne.

Reſp. 2. Sigillatim ad ſingula.

Ad primum dico, quod quamvis in eâ divitis narratione, ſive hiſtoricâ, ſive parabolicâ, plura ſint metaphoricè accipienda, conſtat tamen quòd ignis ibi commemoratus, verè ac propriè ſit accipiendus; cùm ex probationibus noſtris ſupra adductis pateat Scripturam ſacram & SS. Patres clarè & conſtanter aſſerere ignem eſſe in inferno; porrò, juxta regulam ex S. Auguſtino antea allatam, quæ in Scripturis (idem dicendum de SS. Patribus) clarè & frequenter exprimuntur, non metaphorico, ſed proprio & naturali ſenſu ſunt accipienda: ſufficienter autem liquet, nonniſi metaphoricè oculos, manus & linguam ſeparatis animabus poſſe tribui. Unde non idem de flammâ in quâ cruciabatur dives ille, ac de cæteris ferendum eſt judicium.

Ad ſecundum, dico quoſdam authores exiſtimare quòd ſicut ignis, ita & nix aut aqua frigida torquens ſit in inferno, ut ſcilicet ex alternante frigoris & caloris cruciatu acerbius damnati torqueantur. Ita inprimis S. Hieronymus in caput 24. Job, & in caput 10. Matth. exponendo nomen *gehenna*. Idem ſentiunt Beda in dictum locum Job, Hugo Cardinalis in caput 5. Matth. & Hugo Victorinus Lib. 4. de anima cap. 13.

Nihilominus prædicta ſententia omnino eſt incerta, imò videtur minùs in Scripturis fundata: tùm quia Chriſtus pœnam ignis perpetuam & irremiſſibilem, & quaſi unicam expreſsè & perpetuò comminatur; de alia verò pœna nivium & aquarum, ne verbum quidem habet: tùm etiam quia Zachar. 9. dicitur, *Eduxiſti eos de lacu in quo non erat aqua*: ubi locus ille, locus eſt inferni, qui carere aqua dicitur, & conſequenter nive ac grandine: tùm denique quia præfatus ille Jobi contextus alio ſenſu poteſt exponi, juxta mentem ſancti Gregorii Lib. 16. Moralium cap. 27. qui per aquas nivium & calorem nimium, non pœnas, ſed culpas præſentis vitæ intelligit, quia peccatores de quibuſdam vitiis ad alia extremè contraria feruntur. Huic interpretationi concordant SS. Hieronymus, Thomas & alii.

Ad tertium, reſpondeo cum Eſtio in 4. diſt. 44. parag. 13. & Suareſ. loco mox citato, non idem dicendum de vermibus ac de igne: tùm quia Scriptura cùm de pœnis inferni loquitur, & aſſiduè ignem nominat, & de eo ſingulariter & quaſi per antonomaſiam dixit Chriſtus, *Qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.* Vermem autem rariùs commemorat Scriptura; & proinde non eſt ſimile de igne & verme: tùm quia de ignis veritate & proprietate conſtans eſt ſanctorum Patrum & Theologorum ſententia: tùm denique quia ſatis liquet, quòd vermes non poſſint rodere ſpiritum, nec ejus ſubſtantiam laniare; quia ille dolor non cauſatur à viventе, niſi per actionem vitalem ipſius vermis qui aliquid de ſubſtantiâ alterius ſubtrahit, cujus ſubtractionis, & quaſi diviſionis capax non eſt ſubſtantia ſpiritualis, & conſequenter repugnat vermem talem actionem circa ſpiritum exercere: at ita non eſt de igne, qui tanquam ſupernaturale inſtrumentum potentiæ ac juſtitiæ Dei agit actione merè extrinſecâ, non ſubtrahendo nec dividendo ſubſtantiam; & ideo non eſt neceſſaria metaphora, quæ in verme reſpectu dæmonis vel animæ ſeparatæ neceſſaria eſt.

Atque hinc patet ſolutio ad id quod opponi ſolet, nimirum ignem in ſacris Scripturis quandoque metaphoricè quamcunque gravem afflictionem ſignificare, ut in Pſalmis, *Tranſivimus per ignem & aquam.* Et rurſus, *Igne me examinaſti.* Et apud Eccleſiaſticum, *In medio ignis non ſum æſtuatus.* Neque enim, ut notat Eſtius mox laudatus, ulla conſequentiæ neceſſitas exigit, ut vox uno aut altero loco figuratè ſumpta, etiam alibi ſic accipiatur. Certè metaphora continua non eſt apud unum & eundem Scriptorem, multò minùs apud diverſos qui diverſis temporibus ſcripſêre, quemadmodum authores ſacri, qui conſtanter ignem æternum juſtam peccatorum pœnam referunt.

Cæterùm, licet contendamus vermem reſpectu ſpiri-

ſpirituum eſſe metaphoricè intelligendum, non abnuimus tamen reverâ in inferno materiales ac viventes eſſe vermes voraces qui hominum damnatorum corpora perpetuò corrodant. Nam 1. id ſignificant iſta Eccleſ. 7. verba: *Vindicta carnis impii, ignis & vermis.* Similia ſunt illa Judith 16. *Dabit ignes & vermes in carnes eorum.* 2. eandem ſententiam approbat S. Auguſtinus Lib. 21. de civ. Dei c. 9. his verbis: *Cur ergo dictum eſt*, Vindicta carnis impii, ignis & vermis, *niſi quia utrumque, id eſt, & ignis & vermis, pœna erit carnis?* 3. ſic ad litteram interpretari licet illud Iſaiæ cap. 66. ubi cum Deus dixiſſet, *Videbunt cadavera virorum qui prævaricati ſunt in me*; ſtatim ſubdit: *Vermis eorum non morietur*, quaſi diceret, vermes victuros ſemper, & inſatiabili morſu damnatorum cadavera corroſuros. Unde S. Maximus Epiſt. ad Cubicularium de reprobis ait, *Quòd homines ad ſiniſtram locati ignem æternum ſortientur, ac tenebras exteriores, ac vigilem vermem & ſtridorem dentium.*

Objicies 2. ex SS. Patribus. S. Hieronymus in caput ultimum Iſaiæ tractans locum de igne & verme, dicit, *à quibuſdam utrumque referri ad conſcientiam peccatorum, id eſt, ad animam, non ad corpus.*

S. Auguſtinus Lib. 21. de civit. Dei cap. 10. adducens pro veritate ignis inferni verba illa divitis, *Crucior in hac flamma*, ait: *Decerem utique flammam illam eſſe corpoream, niſi congruenter reſponderi poſſet, talem eſſe illam flammam, quales oculi; qualis lingua, qualis digitus, ubi erant ſine corporibus animæ.* Unde concludit, *Sic ergo incorporalis eſt illa flamma quâ exarſit, & illa guttula quam popoſcit, qualia etiam ſunt viſa dormientium, ſive in extaſi cernentium res incorporales habentes tamen ſimilitudinem corporum.* Exiſtimat ergo ſanctus Auguſtinus ignem tartareum verum non eſſe ac corporeum.

S. Joannes Damaſcenus Lib. 4. de fide orthod. cap. 28. ſic habet: *Tradentur diabolus & dæmones ejus, & homo ejus, id eſt, Antichriſtus & impii & peccatores in ignem æternum, non materialem qualis eſt apud nos, ſed qualem novit Deus.* Eodem ferè modo loquuntur Lactantius Lib. 7. cap. 21. Theophylact. in caput 9. & alii.

Reſp. SS. Patres qui hic nobis opponuntur, favere omnino, nedum adverſari noſtræ Concluſioni, ut conſtat ex adductis inter probationes teſtimoniis. Itaque,

Ad S. Hieronymum, dico ſanctum Doctorem non negare verum ac ſenſibilem gehennæ ignem quo corpora torqueantur, ſed quid alii quidam errando ſenſerint, indicat. Et verò, uti antea vidimus, Epiſt. 59. ad Avitum, arguit Originem, quòd ignem tartareum ad metaphoram tranſtulerit.

Ad S. Auguſtinum reſpondeo, præfatis in objectione verbis, dubium quidem ac ancipitem videri; at mentem ſuam ſtatim dilucidè aperit verbis immediatè ſubſequentibus: *At verò*, inquit, *gehenna illa, quod etiam* ſtagnum ignis & ſulphuris *dictum eſt Apocalip.* 20. *corporeus ignis erit, & cruciabit hominum corpora cum ſpiritibus; dæmones autem ſpiritus ſine corporibus hærentes... unus quippe utriſque ignis erit ſicut veritas dicit.* Adde quòd idem S. Doctor alibi conſtanter affirmat ignem gehennæ eſſe corporeum, maximè verò ſerm. 181. de tempore & aliis locis inter probationes adductis.

Quod ſpectat ad S. Joannem Damaſcenum, Lactantium & Theophylactum, non aliud volunt quàm ignem inferni non fore impurum & craſſum, qualis hic noſter eſt. Cæterum, eum vocant corporeum ac materialem, ſed purum, liquidum, ſubtilem ac ſine fomentis perpetuum: ita à Lactantio deſcribitur elegantiſſimis his verbis Lib. 7. cap. 21. *Cujus*, inquit, *natura diverſa eſt ab hoc noſtro, quo ad vitæ neceſſaria utimur, qui niſi alicujus materiæ fomite alatur, extinguitur: at ille divinus per ſeipſum ſemper vivit, ac viget ſine ullis alimentis, nec admixtum habet fumum; ſed eſt purus ac liquidus, & in aquæ modum fluidus. Non enim vi aliquâ ſurſum versùs urgetur, ſicut noſter; quem labes terreni corporis, quo tenetur, & fumus intermixtus exilire cogit, & ad cæleſtem naturam cum trepidatione mobili ſubvolare.* Ex quo Lactantii teſtimonio liquet, non eos omnes exiſtimandos eſſe verum & corporeum negaſſe ignem in inferno, qui hunc eſſe alium & à noſtro diſſimilem ſtatuunt. Solutio amplius conſtabit ex dicendis paulò poſt quæſito 1.

Objicies 3. ex ratione. 1. dæmones & animæ damnatorum incorporeæ ſunt; igitur ab igne corporeo pati non poſſunt: tùm quia ſpiritus non poteſt pati à corpore: tùm quia corporeus ignis agit per qualitates, quarum capax non eſt natura incorporea. 2. dæmones & animæ ſeparatæ non habent ſenſum: atqui ignis corporeus non infert niſi ſenſibilem pœnam; ergo &c. 3. ignis corporeus agit naturaliter; ergo ſi gehennæ ignis corporeus eſſet, reprobos omnes ſine diſcrimine æqualiter cruciaret, quod conſtat eſſe falſum.

Nec apta videtur ad duas priores rationes, eorum reſponſio qui dicunt, Deum miraculosè uti igne corporeo ad puniendas naturas incorporeas, cùm miracula non ſint affirmanda niſi vel evidenter pateant in Scripturâ, vel aliundè certò conſtent: apertè autem non conſtat nec ex Scripturâ, nec aliundè, ignem illum eſſe corporeum; ergo talis non eſt affirmandus.

Reſp. Ea omnia quæ hic objiciuntur, procedere de igne agente naturaliter, non autem ut eſt ſupernaturale inſtrumentum potentiæ ac juſtitiæ divinæ: ſic enim modo quodam ſupernaturali ac nobis incomperto, licet verò, ignis agit in dæmones & animas ſeparatas, de quo S. Auguſtinus citato cap. 10. Lib. de civit. Dei: *Cur non dicamus*, inquit, *quamvis miris, veris tamen modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœnâ corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum etiam ipſi incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari.* Quâ autem ratione ignis corporeus agat in ſpiritus, an phyſicè, ut volunt Thomiſtæ; an moraliter ſolùm & intentionaliter, ut volunt alii plerique, expendemus Articulo ſequenti.

Ad id quod additur, affirmanda non eſſe miracula, niſi vel evidenter pateant in Scripturâ, vel aliunde certò conſtent: reſpondeo nos induci ad aſſerendum ignem inferni eſſe corporeum, eoque miraculosè torqueri dæmones, animaſque damnatas; tùm divinâ Scripturæ ſacræ authoritate, hanc in rem ſatis expreſsâ; tùm etiam SS. Patrum ac Theologorum unanimi conſenſu, quo conſtat ignem inferni reverâ corporeum eſſe, & dæmones, licet omnino ſpirituales, illo verè ac realiter cruciari.

Quæres 1. utrum ignis inferni ſit ejuſdem naturæ ac ſpeciei cum noſtro elementari, an diverſæ.

Reſpondet Alfonſus à Caſtro Lib. 1. contra hæreſes cap. 9. *Si quis credat ignem inferni eſſe ſimilem aut diſſimilem huic, quem apud nos hic cernimus, non cenſebitur hæreticus, eò quod lis eſt adhuc ſub judice.* Sic ille. Soto in 4. diſt. 50. Suares Lib. 8. de

Angelis cap. 12. Eſtius in 4. diſt. 44. paragr. 12. & alii pleriqueprobabiliùs ſentiunt ejuſdem eſſe naturæ, licet ſecundùm accidentia ſit multùm diverſus. Ratio eſt, quia Scriptura ſacra & SS. Patres ignem inferni conſtanter & abſque addito ignem appellant; unde veriſimiliter credi debet, talem eſſe, ut univocâ ratione ſub appellatione ignis comprehendatur. Adde quòd nomen ignis ſpecificum ſit, ſicut nomen aquæ: quare quicunque verè ac propriè ignis eſt, non poterit non ejuſdem eſſe ſpeciei cum noſtro elementari igne.

Quod autem ſecundùm accidentia gehennæ ignis multum ſit à noſtro diſſimilis, non eſt dubium: nam ignis noſter lucidus eſt, pabulo eget extinguibilis, conſumens ea in quæ agit, non agens niſi in corpora: ignis autem tartareus erit in loco infimo poſitus, ubi ſunt tenebræ exteriores, pabulo non indigens, erit omnino inextinguibilis, uti ſæpiſſimè inculcatur in ſacris Scripturis, aget in animas damnatorum & dæmones, quos non conſumet; igitur erit noſtri diſſimilis. Ita teſtantur Patres ut S. Gregorius Lib. 15. Moral. cap. 17. Lactantius Lib. 7. c. 21. & alii. Adde quòd longè acriùs urat, ac noſter elementaris.

Quæres 2. utrum fidei ſit ignem tartareum eſſe corporeum.

Reſpondet Petavius Lib. 3. de Angelis cap. 5. his verbis: *Cæterùm uti corporeum & materiâ conſtantem eſſe inferorum ignem, quo dæmones & animæ damnatæ torquentur, Theologi hodie omnes, imò & Chriſtiani conſentiunt; ita nullo Eccleſiæ decreto adhuc obſignatum videtur, ut rectè Vaſqueſius obſervat. Neque enim ullâ in Synodo ſancitum illud eſt, etſi nonnulli rem eſſe fidei pronuntient.* Eodem modo ſentiunt Bellarminus Lib. 2. de Purgatorio cap. 11. Vaſques in 1. partem diſp. 243. cap. 1. Eſtius loco mox citato, Sylvius in Supplem. quæſt. 70. art. 4. & alii.

ARTICULUS III.

Quâ ratione ignis inferni agat in dæmones.

NAſcitur hæc quæſtio ex eo quòd ſupra docuimus, & dæmones ex unâ parte eſſe veros ſpiritus omnino incorporeos; ex aliâ verò parte ignem inferni verè corporeum eſſe: non levis quippe occurrit difficultas in exponendo quomodo id quod corporeum eſt agat in ſpiritum.

Mirum profectò quàm multùm in hacce ſolvendâ difficultate laborent Theologi, dùm, ut ait Petavius loco mox citato, *quod inveſtigari non poteſt, inexhauſtâ curioſitate perquirunt.*

Septem eâ de re ſententias enumerat, ac ſigillatim expendit Abulenſis in caput 25. Matth. quæſt. 506. & 509. eas ad quatuor aut quinque revocari poſſe obſervat Suares Lib. 8. de Angelis 14.

Prima ſententia eorum eſt qui cenſent, certum eſſe ex Scripturis, ignem verè ac realiter cruciare ſpiritus: quomodo autem id fiat, neque revelatione innoteſcere, neque ratione inveſtigari poſſe; & ideo conſultius eſſe fateri modum illum nobis eſſe occultum: idque, inquiunt, ſignificaſſe videtur S. Auguſtinus, cùm dixit, dæmones torqueri ab igne, *miris ſed veris modis.* Ita ſentiunt Bellarm. Lib. 2. de Purgat. cap. 12. Vaſques diſp. 243. cap. ultimo, & alii. In eundem ſenſum aſſerit Hugo Victorinus: *Quomodo animæ ſine corporibus à rebus corporalibus patiantur; ecce dicamus, neſcimus: nunquid hoc verum non eſt, quia neſcimus quomodo eſt?*

Altera ſententia eorum eſt qui exiſtimant dæmones & animas damnatas torqueri ab igne, non quòd reverâ ignis ipſis contrarius ſit, ſed quòd dæmones eum ut ſibi contrarium, nocivum ac diſconvenientem apprehendant, & ad talem apprehenſionem afficiantur timore & dolore, ut impleatur id quod dicitur Pſalmo 13. *Trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Ita Albertus, Guillelmus Pariſ. & alii pauci. Refellitur hæc ſententia à Doctore Angelico in Supplem. quæſt. 70. art. 3. quia eo modo equidem dæmones & animæ damnatæ à falſâ ſua apprehenſione, non tamen ab igne paterentur; quod non ſatis cohæret cum Scripturis aſſerentibus ſpiritus à verò igne & verè torqueri, Lucæ 16. *Crucior in hac flammâ.*

Tertia eorum eſt qui volunt ignem torquere ſpiritus, ſupernaturaliter producendo qualitatem ſpiritualem, quæ dolorem ſpiritibus inferat, ſicut calor humanis corporibus. Ita Suares loco mox citato, ubi aſſerit *negari non poſſe quin* iſta ſententia *conſentanea ſit Patribus Gregorio, Auguſtino & aliis, imo & Scripturis Luc. 16. Apocal. 20.* Fatetur tamen ibidem, *ſententiam hanc parùm fundatam eſſe in Scholaſticis antiquis.*

Quarta docet dæmones animaſque damnatas verè & realiter pati ab igne corporeo, non quidem quatenus res eſt quædam corporea; hac enim ratione nequit in ſpiritus agere: ſed quatenus eſt inſtrumentum vindicis juſtitiæ Dei, quæ exigit, ut anima quæ peccando ſe rebus corporeis ſubjecit, eis etiam patiendo ſubdatur. Sententiam hanc refert Eſtius in 4. diſt. 44. parag. 13. ubi obſervat, eâ non explicari quo pacto & ſecundùm quem modum Deus igne ut inſtrumento ad animæ punitionem utatur.

Quinta denique ſententia inter Doctores Scholaſticos communior, affirmat dæmones ab igne torqueri per alligationem ad eundem ignem, in quo tanquam in carcere inviti tenentur, ita ut ſe neque inde liberare, nec liberè actiones ſuas, ubi & quomodo voluerint exercere poſſint, ex quo maximè affliguntur & torquentur. Ita S. Thomas in 4. diſt. 44. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 3. 1. p. q. 64. art. 4. ad 5. & in Supplem. quæſt. 70. art. 3. S. Bonaventura 2. parte art. 3. quæſt. 1. Scotus diſt. 44. q. 2. Gabriel ibid. quæſt. 3. art. 2. Durandus qu. ultimâ, Major quæſt. 8. Cajetanus, Ferrarienſ. Paludanus, Salmaticenſes, Sylvius, Eſtius & alii.

Poteſt autem, uti obſervat Suares, hæc ſententia duobus modis exponi. 1. ita ut ſenſus ſit dæmones & animas damnatas non aliter torqueri ab igne corporeo quàm per *ſolam* alligationem; ita nonnulli ex authoribus mox citatis. 2. ita ut ſenſus ſit, torqueri quidem dæmones ab igne corporeo per alligationem, non excluſo tamen alio ſpeciali & graviori paſſionis modo, quem indicat S. Auguſtinus cùm ait animas ab igne cruciari *miris, ſed veris modis.* Hæc ultima ſententia hoc poſteriori ſenſu intellecta, præ cæteris nobis arridet. Itaque juxta ipſam ſit

CONCLUSIO.

Dæmones, aliique damnati ab igne corporeo torquentur, quatenus ipſi inſolubiliter alligantur, tanquam perpetuo carceri & inſtrumento juſtitiæ divinæ: inſuper & adhuc cruciantur alio quodam ſpeciali paſſionis modo nulli mortalium ſatis cognito. Ita S. Thomas locis mox citatis, Henricus Quodlib. 8. quæſt. 34. Soto in 4. diſt. 50. q. 1. art. 2. Eſtius, Suares, Sylvius & alii. Tres ſunt Concluſionis partes.

Pro-

Probatur prima pars, ſcilicet dæmones pati ab igne corporeo per alligationem. 1. ex Scripturis quæ pœnam dæmonum interdum per alligationem declarant. 2. Petri 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Cui conſonat S. Judas in ſuâ Epiſtola verſu 6. *Angelos verò qui non ſervaverunt ſuum principatum..... in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Item illud Apoc. 20. *Apprehendit draconem, & alligavit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum, & clauſit.*

Probatur 2. ex SS. Patribus. S. Auguſtinus L. 21. de civit. Dei cap. 10. de pœnis dæmonum loquens ſic habet: *Adhærebunt ergo, ſi eis nulla ſunt corporea, ſpiritus dæmonum, imo ſpiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi.* S. Gregorius Lib. 4. Moralium cap. 29. *Si incorporeus ſpiritus*, inquit, *in hoc teneri poteſt quod vivificat: quare non pœnaliter & ibi teneatur, ubi mortificatur? Teneri autem per ignem, ſpiritum dicimus, ut in tormento ignis ſit, videndo atque ſentiendo..... ſicque fit ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne viſibili ardor & dolor inviſibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flammâ crucietur*; ergo &c.

Idem expreſſè docet S. Thomas variis in locis, præſertim Lib. 4. contra gentes cap. 90. ubi aſſerit quòd *ſubſtantia incorporea patiuntur ab igne corporeo per modum alligationis cujuſdam.* Et paulò poſt ſubdit: *Multò igitur magis virtute divinâ ſpiritus damnandi igni corporeo alligari poſſunt, & hoc ipſum eſt eis in afflictionem, quòd ſciant ſe rebus infimis alligatos in pœnam.*

Probatur 3. ratione: quia poſſibilis eſt & valde afflictiva ac pœnalis hæc dæmonum alligatio. Quamvis enim ſpiritus incorporei ita loco definiantur, ut tamen ab eo non detineantur, ſed virtute ſuâ naturali poſſint quemcunque locum in quo ſunt, relinquere dum volunt: per divinam tamen juſtitiam dæmones & animæ impiorum ita igni conjunguntur, & ſunt in igne, ut ab eo tanquam carcere detineantur, eique tanquam vinculis quibuſdam violentè ſint alligati, ſicut naturaliter anima detinetur in corpore, eique quodammodo alligatur. Porrò violenta hæc dæmonum in igne detentio, ſummam in eorum voluntate triſtitiam efficit: tùm quia illos privat naturali ſuâ libertate, ſecundùm quam ſunt abſoluti ab omni obligatione ad locum corporalem. tùm quia maximè derogat naturali eorum conditioni, cùm illos infimis rebus ſubdat, qui nati erant Deo per fruitionem uniri. Neque dæmonibus, aliiſque damnatis liberum eſt ab hac utraque conſideratione ceſſare; quia Deus eodem illo igne utitur, quo tanquam motivo excitetur & applicetur intellectus eorum ad actualem conſiderationem miſerrimi ſui ſtatûs; ergo &c. Rationem hanc indicat S. Thomas loco mox laudato, & in Supplem. quæſt. 70. art. 3. in corpore.

Probatur ſecunda pars. nempe dæmones ab igne corporeo torqueri, non ſolum per alligationem, ſed etiam alio quodam ſpeciali paſſionis modo. 1. ex Scripturis, Luc. 16. dives epulo ſic inducitur loquens: *Crucior in hac flamma*; quibus verbis indicatur, præter detentionem in igne pati ſpiritus peculiarem cruciatum ab alligatione diſtinctum. Neque enim dives cupiens refrigerium petit libertatem inde exeundi, ſeu diſſolutionis & ſeparationis ab igne; ſed guttam aquæ, quâ refrigeraretur in hac flammâ: per quam metaphoram ſignificata eſt pœna ſpecialis inflicta ab igne præter detentionem in ipſo.

Idem probant verba Chriſti Matth. 22. v. 13. dicentis de homine non veſtito veſte nuptiali, & cap. 25. v. 30. de ſervo inutili, *Mittite illum in tenebras exteriores.* Et ne quis fortè exiſtimaret pœnam illam eſſe ſolùm incarcerationis in loco tenebroſo & viliſſimo, protinus adjunxit, *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Per quæ verba metaphoricè declaratur ſpecialis & acerba pœna ſenſûs, quam in illo loco ſpiritus paſſuri ſunt.

Idem denique evincunt ea omnia teſtimonia, in quibus aſſeritur reprobos non ſolùm eſſe mittendos in infernum, ſed etiam ibi eſſe cruciandos: 2. Petri 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit*, additur, *cruciandos.* Judith 16. ſic habetur, *Ut urantur & ſentiant.* Apocal. 14. *Cruciabitur igne.* Clarius cap. 20. *Miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, ubi & beſtia & pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte*, utique ab eodem igne, uti legitur cap. 14. 18. 19. & 21. Porrò ſi cruciatus ille eſſet tantùm detentio in igne, ſatis fuiſſet dicere, reprobos mittendos eſſe in ignem: at non ſolùm hoc dicitur, ſed additur, & ibi cruciabuntur ab igne; ergo &c.

Probatur 2. ex SS. Patribus Art. 1 & 2. hujuſce Quæſtionis adductis, qui conſtanter docent dæmones & animas damnatorum ab igne torqueri, cruciari, cremari & ſimilia; quæ vix de ſolâ afflictione ob detentionem & incarcerationem exponi poſſunt. Unde & S. Cyprianus Lib. ad Demetriadem n. 3. in fine, carcerem à pœna ignis diſtinguit, dicens: *Manet poſtmodum carcer æternus, & jugis flamma, & pœna perpetua.*

Probatur 3. ratione. Ut enim ratiocinatur Eſtius, non videtur negandum: quin ſicut ſpiritus poteſt uniri corpori ut ei vitam communicet, ita poſſit ſpiritus uniri igni, ut ab eo pœnam trahat, eamque prorſus ſimilem illi quam ab igne traheret, ſi in corpore eſſet, licet tam utriuſque unionis, quàm hujus actionis & paſſionis modum explicare non valeamus.

Præterea, ſicuti cùm corpus animatum uritur, anima ſentit inde peculiarem afflictionem, diverſam ab eâ quam haberet ſi ab aquâ vel gladio pateretur, Deo ſcilicet ad præſentiam ignis corpus afficientis, excitante hanc ſenſationem in animâ: quidni pariter, Deo ſimili modo agente, cùm à corpore ſeparata eſt, cruciatum ab igne percipere poſſit ſimilem ei quem percipiebat dum corpori uniretur, & quem perceptura eſt poſt corpus reſumptum.

Probatur tertia pars, nempe nulli mortalium ſatis cognitum eſſe ſpecialem illum cruciatum ab alligatione diſtinctum, quo dæmones & animæ patiuntur ab igne. Idipſum diſertè teſtatur S. Auguſtinus, dum citato ſæpius cap. 10. Libri 21. de civ. Dei aſſerit, *Spiritus malignos ab igne corporeo torqueri, quamvis miris & ineffabilibus, veris tamen modis.* Et rurſus, *Cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœnâ corporalis ignis affici?* Idem cenſet S. Gregorius Lib. 4. Moralium cap. 29. dicens, *animas ex igne viſibili trahere pœnam inviſibilem*; id eſt, intellectui noſtro occultam & imperceptibilem.

Quæres, an ſit locus quidam determinatus, puniendis reprobis deſtinatus, & in quâ mundi parte poſitus ſit locus ille.

Reſp. 1. Unum eſſe locum corporeum puniendis damnatis, ſive dæmonibus, ſive hominibus, à Deo deſtinatum. Ita Catholici contra Calvinum, Bezam, Bucerum, & alios quos latè refert & con-

ſutat Bellarminus Lib. 4. de Chriſto cap. 8. & ſeq. & Lib. 2. de Purgatorio cap. 6.

Probatur 1. ex Scripturis, in quibus ſub nomine *inferni*, locus hic determinatus deſignatur. Sapientiæ 5. *Talia dixerunt in inferno, hi qui peccaverunt.* Pſalm. 93. *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea*: ibi infernus diſtinguitur à ſepulchro in quo anima non jacet. Matth. 11. *Et tu Capharnaum numquid uſque in cœlum exaltaberis? uſque ad inferos deſcendes.* Luc. 16. *Mortuus eſt dives & ſepultus eſt in inferno.* Ibi vox *inferni* non generaliter, ſed pro loco damnatorum ſumitur: nam & à ſinu Abrahæ diſtinguitur, & inter utrumque locum magnum chaos interjectum eſſe dicitur, & per antonomaſiam, *locus tormentorum appellatur.* Apocal. 20. draco mittitur in abyſſum, & ibi clauditur, *ut non ſeducat amplius gentes.* Quod interpretes communiter intelligunt de Lucifero non ſolvendo uſque ad tempora Antichriſti.

Probatur 2. ex SS. Patribus. S. Juſtinus Lib. de neceſſariis quæſtionibus quæſt. 75. *Improborum animæ*, inquit, *ad inferorum loca deducuntur ſtatim ut à corporibus ſolvuntur.* S. Chryſoſtomus Homil. 49. & 50. *Ad populum*, ex profeſſo impugnat eos, qui *locum gehennæ negant, ut ejus pœnas non timeant.* Et in illud Iſaiæ 5. *Dilatavit infernus animam ſuam*, textum hunc de loco extremæ ultionis exponit. Idē docent SS. Cyrillus Alexandr. Lib. 1. in Iſai. cap. 5. Auguſtinus Lib. 1. Retract. cap. 5. & alii.

Accedit ratio congruentiæ ex eo petita, quòd conſentaneum ſit, ut ſicut boni in certo quodam loco præmium recipiunt; ita etiam quidam ſit locus determinatus puniendis reprobis deſtinatus.

Reſp. 2. Locum puniendis reprobis deſtinatum, qui infernus ſeu gehenna dicitur, ſubterraneum eſſe.

Favent Scripturæ iis in locis in quibus infernus ſpecialiter vocatur *abyſſus.* Lucæ 8. dæmones rogant Chriſtum, *ne illos in abyſſum mitteret.* Apoc. 20. *Angelus miſit & clauſit diabolum in abyſſum.* Et, Pſalm. 85. juxta S. Auguſtini interpretationem dicitur *infernus inferior.*

Idem colligitur ex SS. Patribus. Satis ſit hic retuliſſe S. Auguſtini ſententiam Lib. 9. Retractationum cap. 24. ubi recognoſcens Libros de Geneſ. ad litt. ſic habet: *De inferis magis mihi videor docere debuiſſe quòd ſub terris ſint, quam rationem reddere, cur ſub terris eſſe credantur, ſive dicantur, quaſi non ita ſint.*

Denique idem probari poteſt ex ipſo *inferni* vocabulo, quod apertè ſignificat locum infimum, occultum, & ſubterraneum. Atque in eo conſentiunt Theologi quos recenſent Abulenſis Lib. de ſtatu animæ Concluſ. 5. 6. & 7. & Suares Tomo 4. in 3. partem diſput. 45.

Utrum autem infernus non ſolùm ſit ſubterraneus, ſed etiam profundiſſima pars terræ, non ita apertè exprimit Scriptura: probabilior tamen & communior eſt ſententia affirmans, quæ ex modò dictis ſatis clarè eruitur.

ARTICULUS IV.

An dæmonum ſupplicia nullum unquam finem ſint habitura.

NEgavit Origenes, uti conſtat ex quintâ Synodo, in quâ damnati ſunt Origenis errores, inter quos hic recenſetur, quòd diceret, *omnium impiorum hominum, ipſorumque etiam dæmonum tormenta finem habitura; atque impios & dæmones in priorem ſuum ſtatum reſtitutum iri.* Eundem errorem Origeni adſcribunt SS. Epiphanius Epiſt. ad Joannem Jeroſolymitanum, & Hieronymus Epiſt. 55. ad Pammachium. Eum quoque poſtremis hiſce temporibus amplexi ſunt Sociniani: impiè ſcilicet arbitrantur juſtum non fore Dei judicium, ſi creaturas ob unum vel cogitationis peccatum lethale, æternis pœnis addixerit.

CONCLUSIO.

Æterna ſunt, id eſt, nullum unquam finem habitura, tùm dæmonum, tùm aliorum reproborum ſupplicia. Concluſio eſt de fide.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ quoties damnatorum pœnas commemorant, toties illas æternas fore ſignificant. Iſai. 33. *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Matth. 25. Judex aſſeritur dicturus reprobis, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Et infra: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Marci 9. de impiis ter repetitur, *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*; ſcilicet ne quis, uti obſervat S. Auguſtinus, dubitet verè & propriè verum eſſe quod ibi exprimitur. Apocal. 20. dicitur quòd *beſtia & pſeudopropheta* (quibus univerſitas impiorum deſignatur) *in ſtagno ignis & ſulphuris cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.* Innumeri ſunt ejuſmodi textus qui damnatorum pœnas æternas, ſicut & Beatorum perpetuam felicitatem declarant.

Nec valet dicere ignem quidem fore æternum, non verò combuſtionem æternam: iſtud enim effugium invictè refellit S. Auguſtinus Lib. de fide cap. 15. his verbis: *Neque illud dici hic poteſt, ignem æternum dictum, non ipſam combuſtionem æternam.... ut videlicet ignis æternus ſit; combuſtio vero eorum, hoc eſt operatio ignis, non ſit in eos æterna: tùm & hoc prævidens Dominus ſententiam ſuam concluſit ita dicens: Sic ibunt illi in combuſtionem æternam; juſti autem in vitam æternam*: erit ergo æterna combuſtio, ſicut ignis.

Probatur 2. Ex judicio ac decretis Eccleſiæ, quæ perpetuò & conſtanter Origenis doctrinam, eo quòd pœnarum æternitatem negaret, ſummo conſenſu rejecit & proſcripſit, tanquam ſanæ & catholicæ fidei prorſus adverſam. Ita teſtatur S. Auguſtinus Lib. de hæreſibus, ubi ait: *Sunt & alia hujus Origenis dogmata, quæ Catholica Eccleſia omnino non recepit...... Quis enim Catholicus, vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat..... diabolum atque angelos ejus, quamvis poſt longa tempora purgatos regno Dei lucique reſtitui.* Unde idem ſanctus Auguſtinus Libro 21. de civitate Dei cap. 17. Philaſtrius, ſanctus Epiphanius hæreſi 6. quæ eſt Origeniſtarum, & quotquot alii de hæreſibus ſcripſerunt, doctrinam Origenis inter hæreſes recenſuerunt.

Atque hûc referri poteſt authoritas Concilii V. ſub Vigilio S. Pontifice & Juſtiniano Imperatore, in quo, teſte Evagrio Lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 17. damnatus fuit Origenes quòd diceret, *omnium impiorum hominum, ipſorumque etiam dæmonum tormenta finem habitura; atque impios & dæmones in priorem ſuum ſtatum reſtitutum iri.* Evagrio conſentiunt Nicephorus Lib. 17. Photius in Libello de Synodis, Theophanes, Zonaras, Cedrenus. Idem teſtantur ſexta Synodus Actione 18. Leo II.

in

in Epiſtola ad Conſtantinum Pogonatum, Synodus ſeptima Actione 1. &c.

Probatur 3. Ex SS. Patribus, quorum omnium conſtans eſt firmaque hâc de re doctrina.

S. Irenæus Lib. 4. cap. 67. *Quibuſcunque*, inquit, *dixerit Dominus, Ite maledicti in ignem æternum, iſti erunt ſemper damnati: & quibuſcunque dixerit, Venite benedicti Patris mei.....hi ſemper percipient regnum, & in eo proficient ſemper.*

Tertullianus Lib. de teſtimonio animæ cap. 4. animam ait *pro meritis aut cruciatui deſtinari, aut refrigerio, utroque ſempiterno.* Idem repetit Apologet. cap. 45.

S. Cyprianus Lib. de mortalitate ad Demetrianum verſus finem, ſic loquitur: "Quando iſtinc ex-„ceſſum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus eſt, „nullus ſatisfactionis effectus: hic vitâ aut amitti-„tur, aut tenetur."

S. Auguſtinus Lib. de hæreſibus hæreſi 43. ubi origeniſtarum hæreſim deſcribit circa finem pœnarum tùm impiorum tùm dæmonum, eam vocat hac in materiâ *vaniſſimam impietatem, propter quam Origenes ab Eccleſiâ meritò proſcriptus fuit.*

S. Fulgentius Lib. de fide ad Petrum cap. 43. "Firmiſſimè, *inquit*, tene, & nullatenus dubi-„tes, ex ore Dei juſti æternique Judicis ſempiter-„nâ atque incommutabili prolatâ ſententiâ, iniquos „omnes ituros in combuſtionem æternam, juſtos „autem in vitam æternam: iniquos ſemper arſuros „cum diabolo, juſtos autem ſine fine regnaturos „cum Chriſto."

Eadem eſt cæterorum SS. Patrum de æternitate pœnarum ſententia. Qui eorum teſtimonia conſulere voluerit, adeat Petavium Lib. 3. de Angelis cap. 6. 7. & 8.

Probatur 4. variis rationibus Theologicis.

Prima eſt, quia ſtatus hominis poſt mortem immutabilis eſt ex bono in malum, & contra: *Lignum* enim *ubicunque ceciderit, illic erit.* Eccleſ. 11. Cujus ratio eſt; quia per mortem homo conſtituitur in termino, ubi jam non eſt ex altero in alterum mutatio.

Secunda eſt, quia non licet orare pro damnatis, nec pro iis ſacrificium offerre. Ita docent S. Auguſtinus Lib. 21. de civit. Dei cap. 24. & S. Gregorius Lib. 4. Dialogorum cap. 44. Idem plenius probatur ex totius Eccleſiæ praxi, quâ conſtat nihilo magis pro hominibus damnatis, quàm pro diabolo & angelis ejus, ut ſalventur, orari poſſe: atqui pro damnatis orare liceret & pro iis ſacrificium offerre, ſi damnatio eorum finem aliquando eſſet habitura; quemadmodum pro iis orare & ſacrificium offerre licet, qui in Purgatorio detenti, nonniſi piaculares & temporarias patiuntur pœnas; ergo ex perpetuâ ac conſtanti Eccleſiæ praxi colligitur ſempiternas fore damnatorum pœnas.

Tertia ratio petitur ex miſerrimo damnatorum ſtatu: ideo enim hi ſummè miſeri ſunt, uti paſſim in ſacris Litteris deſcribitur, quòd nempe ex miſeriâ in quâ ſunt nunquam liberandi, atque inſuper certi nuſquam ſe inde liberatum iri. Iſtud certè non ignoravit dives epulo de quo Lucæ 16. unde non auſus eſt liberationem è tormentis ſperare, ſed tantùm mitigationem incendii petere.

Et verò ſicuti vera & perfecta beatitudo, quæ juſtis in præmium ex Dei gratiâ promittitur, non conſiſtit ſine æternitate & ſecuritate boni nuſquam amittendi: ita econtra ſumma miſeria quæ reprobis in punitionem & vindictam ex Dei juſtitiâ deſtinatur, non ſtat ſine perpetuitate & ſecuritate damnationis æternùm duraturæ.

His omnibus per modum coronidis adjungemus authoritatem Concilii Lateranenſis IV. cap. *Firmiter.* ubi legitur *reprobos cum diabolo in pœnam æternam ituros.* Nec non & Concilii Tridentini, quod reproborum ſupplicia nullum unquam finem habitura decernit Seſſ. 6. Can. 25. & Seſſ. 14. Can. 5.

Dices: Non videtur juſtum, ut pro peccato quantumlibet gravi, pœna quiſque plectatur æterna: gravitas enim ſupplicii debet eſſe proportionata peccato, juxta illud Deuteronomii 25. *Pro menſurâ peccati erit & plagarum modus.* Porro peccatum temporaneum eſt, imò plerumque momentaneum; ergo æterna non debet eſſe illius pœna.

Reſp. 1. cum S. Auguſtino Lib. 21. de civit. Dei cap. 11. negando majorem propoſitionem: *Nam*, inquit ibidem S. Doctor, *nulla unquam juſtitia nec lex decrevit ut tantâ morâ temporis quiſque puniatur, quantâ morâ temporis unde puniretur admiſit. Octo genera pœnarum in legibus eſſe ſcribit Tullius, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, ſervitutem. Quid horum eſt quod in breve tempus pro cujuſcunque peccati celeritate coarctetur, ut tanta vindicetur morulâ quantâ deprehenditur perpetratum?*

Reſp. 2. cum S. Gregorio Lib. 34. Moralium cap. 16. peccatum mortale æternum eſſe atque infinitum ratione affectûs peccantis, quatenus nimirum qui peccat ſic animo affectus eſt, ut peccatum cupiat eſſe perpetuum: porrò juſtum eſt ut qui affectum habet & voluntatem in æternum peccandi, pœnis etiam plectatur æternis; ſeu, ut loquitur ibidem S. Doctor, *Juſtum eſt, ut qui in ſuo æterno* (affectu videlicet) *peccavit contra Deum, in æterno Dei puniatur.* Verba S. Gregorii adeò egregia ſunt & præſenti Quæſtioni elucidandæ accommodata, ut ea ex integro referre operæ pretium ſu rit. *At inquiunt*, ait, *fiat ſine non debet puniri culpa cum fine: juſtus nimirum eſt omnipotens Deus, & quod non æterno peccato commiſſum eſt, æterno non debet puniri tormento. Quibus reſpondemus, quòd rectè dicerent, ſi judex juſtus diſtrictuſque veniens, non corda hominum ſed facta penſaret. Iniqui enim, ideo tùm cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt: voluiſſent quippe ſine fine vivere, ut ſine fine potuiſſent in iniquitatibus permanere.... Ad diſtricti ergo judicis juſtitiam pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, quorum mens in hâc vitâ nunquam voluit carere peccato; & nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quamdiu valuit noluit habere terminum criminis.* Etſi autem S. Doctor de damnatis duntaxat hominibus loquatur, nihilominus quæ ibi aſſerit, dæmonibus etiam adaptari poſſunt: quippe quamdiu fuerunt in via, ita pertinaciter peccato adhæſerunt, ut ab eo reſilire noluerint, & in ea prava ac perduelli voluntate perpetuò ſtetiſſent, ſi perpetuus fuiſſet eorum viæ ſtatus.

Reſp. 3. cum S. Thoma 1. 2. q. 87. art. 3. ad 1. diſtinguendo iſtam propoſitionem: gravitas ſupplicii debet eſſe proportionata peccato, id eſt, gravitas ſupplicii debet eſſe proportionata gravitati peccati, quatenus ſcilicet pro graviori peccato major infligi debet pœna, minor verò pro leviori, concedo: gravitas ſupplicii debet eſſe proportionata peccato; id eſt, durationi ejus; quaſi diuturnitas pœnæ, peccati diuturnitatem excedere non debeat, nego. En verba S. Doctoris: *Dicendum*, inquit *quòd pœna peccato proportionatur ſecundum acerbitatem, tam in judicio divino, quam in humano: ſed ſicut Auguſtinus dicit 21. de civit. Dei cap. 11. in nullo judicio requiritur ut pœna adæquetur culpæ ſecundùm durationem: non enim quia adulterium vel homicidium in momento committitur propter hoc momentaneâ pœnâ punitur; ſed quando-*

que

quæ quidem perpetuo carcere vel exilio ; quandoque etiam morte, in quâ non conſideratur occiſionis mora, ſed potius quòd in perpetuum auferatur à ſocietate viventium , & ſic repræſentat ſuo modo æternitatem pœna inflicta divinitùs : juſtum tamen eſt ſecundùm Gregorium , quòd qui in ſuo æterno peccavit contra Deum, in æterno Dei puniatur. *Dicitur autem aliquis* in ſuo æterno *peccaſſe , non ſolùm ſecundùm continuationem actûs in totâ hominis vitâ durantis , ſed quia ex hoc ipſe quòd finem in peccato conſtituit , voluntatem habet in æternum peccandi.*

Alias rationes divinam æquitatem vindicantes in hâc decernendâ pœnarum æternitate ſubjiciemus in Tractatu de peccatis , expendendo an peccatum mortale induat reatum pœnæ æternæ.

QUÆSTIO DUODECIMA.

De variis ordinibus & hierarchiis Angelorum, atque de eorundem miſſione.

DUplex erit duntaxat hujus Quæſtionis Articulus. Primus de numero,hierarchiis & ordinibus Angelorum. Secundus, de eorum miſſione.

ARTICULUS PRIMUS.

De numero , hierarchiis & ordinibus Angelorum.

MAgnum eſſe Angelorum numerum fatentur omnes, & teſtatur Scriptura. Legitur enim Danielis 7. *Millia millium miniſtrabant ei , & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Apocal. cap. 5. *Et erat numerus eorum millia millium.*

Eraſmus , Beza & alii negant Apoſtoli verba , in quibus varia tribuit Angelis nomina,eſſe intelligenda de certis eorum ordinibus ; contra illos ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Novem diſtinguuntur Angelorum ordines.

Probatur 1. Ex Scripturâ. Iſai. 6. *Seraphim ſtabant, ſex alæ uni , & ſex alæ alteri.* Ezech. 10. *Cherubim autem ſtabant à dextris domûs.* 1. Theſſal. 4. *Quoniam ipſe Dominus in juſſu , & in voce Archangeli &c.* Rom. 8. *Certus ſum quia..... neque Angeli , neque Principatus , neque Virtutes.* Coloſſ. 1. *Sive Throni , ſive Dominationes , ſive Principatus , ſive Poteſtates.* Sunt ergo ſeptem enumerati ab Apoſtolo Angelorum ordines, quibus ſi addantur Cherubim & Seraphim ex Prophetis, accurata erit exercitûs cœleſtis diviſio in novem ordines.

Probatur 2. Ex conſtanti Traditione Patrum. S. Ignatius Epiſt. ad Trallianos , S. Irenæus Lib. 2. c. 54. Author Librorum de cœleſti hierarchiâ cap. 6. & alii quos recenſet Petavius L. 1. de Angelis c. 1. Unicus ſufficiat S. Gregorius Hom. 34. *Novem Angelorum ordines diximus , quia videlicet eſſe , teſtante ſacro eloquio, ſcimus Angelos, Archangelos , Virtutes , Poteſtates , Principatus , Dominationes , Thronos, Cherubim atque Seraphim.*

Dices 1. S. Hieronymus & alii nonnulli pauciores enumerant Angelorum ordines ; ergo &c.

Reſp. Ex SS. Patribus nonnullos aliquando non omnes enumeraſſe Angelorum ordines , quia nec ſcopus illorum talem exigebat enumerationem; verùm cæteros alibi recenſent, aut ſaltem eos non excludunt.

Dices 2. De conſecratione , diſtinctione primâ capite *Hi duo.* Leo X. decem Angelorum ordines agnoſcere videtur , cùm dicit *decimum ordinem per ſuperbiam corruiſſe.* Hinc Gloſſa quædam ait , *Nomen decimi ordinis non habemus.*

Reſp. Senſum eſſe tantum extitiſſe lapſorum numerum , ut potuiſſet decimum conſtituere ordinem , qui decimus ordo dicitur ex hominibus reparari ; ad Gloſſam autem alia reſpondet Gloſſa his verbis : *Nec habere poſſumus , cùm non fuerint niſi novem.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Hi novem ordines in tres diſtribuuntur hierarchias.

Probatur ex mirabili Patrum & Theologorum poſt Authorem de cœleſti hierarchiâ, conſenſu. In primâ & ſuperiori hierarchiâ recenſentur Seraphim, Cherubim & Throni ; in ſecundâ , Dominationes, Principatus & Poteſtates ; in tertiâ, Virtutes, Archangeli & Angeli.Hunc Ordinem aſſignant SS. Gregorius & Thomas , Magiſter & alii Theologi ; nec ab illo recedit Author de cœleſti hierarchiâ,niſi in quantùm Virtutes ad ſecundam,Principatus verò ad tertiam refert hierarchiam.

Porrò hierarchiæ nomine generatim intelligitur ſacrorum præfectura ſeu poteſtas : hinc hierarchia cœleſtis certus eſt Angelorum numerus qui ſibi invicem , ac uni tanquam principi in ordine ad cœleſtes actiones ſubordinantur. Is autem qui Princeps cenſetur omnium Angelorum , eorumque ſupremus hierarcha , eſt ſanctus Michaël : hic Princeps dicitur in Scripturis Populi Iſraëlitici , cuſtos Eccleſiæ , victor diaboli &c. huncque ſub titulo Principis omnium Angelorum veneratur ſancta piaque mater Eccleſia.

TERTIA CONCLUSIO.

Variæ ſunt variorum ordinum Angelorum proprietates.

Probatur : quia hæc varietas petitur tùm ex diverſis perfectionibus intrinſecis , quas enumerat S. Bernardus ; tum ex variis miniſteriis & functionibus , ut cenſet S. Gregorius : hinc Seraphim Deo maximè conjuncti ſummâ ardent charitate quam in alios transfundunt ; Cherubim mirâ pollent ſcientiâ quâ & cæteros illuminant ; Throni ſpeciales ſunt ipſis inhabitantis Dei ſedes , hinc pax & ſecuritas quâ fruuntur & aliis communicant ; Dominationes mirâ in res creatas potentiâ præeminent , atque ad eos velut ad Principes inferiorum Angelorum miniſteria referuntur ; Poteſtates peculiari gaudent authoritate in dæmones,eorumque malitiam ad Dei nutum aut cohibent aut diffundi permittunt ; Principatus Omnipotentis majeſtatem ac dignitatem referunt , atque in divinorum mandatorum executione Virtutibus principantur ; Virtutes in recipiendis Dei illuminationibus maximè ſunt conſtantes , atque per eos miracula patrantur ; Archangeli ſublimium Dei arcanorum præ cæteris conſcii ſunt , eorumque nuntii ; Angeli verò minima nuntiant.

ARTICULUS II.

De miſſione Angelorum.

MIſſionem convenire Angelis docet Scriptura multis in locis. Sic Exodi 33. *Mittam præcurſorem tuum Angelum.* Lucæ 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo.*

Qui

Qui tamen ab Omnipotente mittuntur Angeli, ii miniſtri quidem ſunt & ſervi Dei, non autem hominum. Hinc Apocalyp. 19. & 22. Angelus ſe conſervum Joannis vocat, non ſervum; & qui regnis præſunt Angeli, eorum Principes, non ſervi aut miniſtri dicuntur, Daniel. 10. *Princeps autem regni Perſarum* &c.

His igitur duobus ſuppoſitis velut certis, quæremus 1. utrum omnes Angeli mittantur. 2. num homo quilibet habeat Angelum ſuum cuſtodem. 3. an regnis, nationibus & populis aſſignatus ſit Angelus cuſtos. 4. utrum unuſquiſque ſicut bonum, ita etiam & malum habeat Angelum.

PRIMA CONCLUSIO.

Omnes Angeli à Deo mittuntur.

Probatur Hebr. 1. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis?* Iſte autem locus de omnibus abſolutè intelligendus eſt, cùm Apoſtolus tali ratiocinio probet Chriſtum ſuperiorem atque majorem eſſe quibuslibet Angelis.

Hinc unus è Seraphim, id eſt ex ſupremo Angelorum ordine mittitur, Iſaiæ 6. ad Prophetam: Michaël ordinum Angelicorum Princeps miſſus probatur, tùm ex Daniele 10. tum ex altercatione cum diabolo pro corpore Moyſis, de qua S. Judas in Epiſtola. Nec deſunt Patrum authoritates in locum Apoſtoli mox citatum, ipſi enim nullam faciunt exceptionem; tales ſunt præcipuè Græci.

SECUNDA CONCLUSIO.

Quilibet homo habet Angelum ſuum cuſtodem.

Probatur 1. Ex Scripturâ Matth. 18. *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei.* In quem locum S. Hieronymus ait: *Magna dignitas animarum, ut unaquaque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum deputatum.*

Actuum 12. Fideles, Petro foras pulſante, dicunt: *Angelus ejus eſt*; ex quo colligere eſt hanc intimam fuiſſe Fidelium perſuaſionem, unicuique demandatum fuiſſe Angelum.

Probatur 2. ex SS. Patribus. S. Hieronymus in Eccleſ. 5. ad hæc verba: *Ne dicas coram Angelo, Non eſt providentia. Non enim*, inquit, *in ventum dicta tranſeunt, ſed à præſente Angelo, qui unicuique adhæret comes, ſtatim perferuntur ad Dominum.* S. Ambroſius in Pſal. 38. *Angelus in circuitu eſt hominis qui præcendit ne quis noceat ei.* S. Bernardus L. 5. de Conſideratione cap. 4. *Putemus Angelos dici qui ſingulis hominibus dati creduntur*, ergo &c.

Cæterùm, etſi ſingulis deputetur hominibus Angelus cuſtos, nihilominus tamen Fidelibus ac præcipuè prædeſtinatis hæc dos competit, unde de iis potiſſimum loquuntur SS. Patres de Angelorum cuſtodia agentes.

TERTIA CONCLUSIO.

Valde probabile eſt, ſingulis nationibus, regnis, imò & civitatibus deputatum eſſe Angelum cuſtodem.

Probatur 1. ex Danielis 10. *Princeps regni Perſarum reſtitit mihi viginti & uno diebus, & ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remanſi ibi juxta Regem Perſarum.*

II. Ex S. Baſilio de Angelis agente, *Alii ipſorum*, inquit, *gentibus præpoſiti ſunt, alii Fidelium ſingulos conſequuntur.* Theodoretus quæſt. 3. in Geneſ. ait, *Cuique genti Angelum præeſſe, affirmat Scriptura.* Idem tradunt SS. Ambroſius & Damaſcenus, atque alii ex veteribus multi.

QUARTA CONCLUSIO.

Probabile non eſt ſingulis hominibus deputatum eſſe Angelum malum. Concluſio eſt contra Origenem, Caſſianum, Magiſtrumque Sententiarum.

Probatur: quia Deus nemini mandavit impiè agere, neminem ipſe tentat; ergo nulli dæmonum mandavit ut homines ad malum incitaret.

Et verò natura humana ſatis ad malum ex ſe proclivis eſt, & dæmones ſat ſuperque ad tentandos homines ſeſe concitant, nec ulla ad irritandam eorum malitiam exigitur ordinatio divina; unde ſanctus Proſper Lib. contra Collatorem cap. 17. Caſſianum arguit de illa doctrina.

Atque hæc de Angelis, fuſiori forſan quàm par erat modo pertractata, ſi communis ac uſitatus mos attendatur; preſſiori tamen, ſi expendantur utilitas & materiæ dignitas. Etenim ignotus pleriſque de Angelis haud ita facilis Tractatus, & in fuſioribus Prælectionibus omiſſus, quandam poſtulabat prolixitatem: brevitati, jam premente voluminis mole, libenter poſthac ſtudebimus.

TRACTA-

TRACTATUS
DE
OPERE SEX DIERUM.

QUinque erunt præſentis Tractatûs Quæſtiones. In prima quæremus an & à quo creatus fuerit mundus. In ſecunda expendemus num mundus creatus fuerit ab æterno. Tertia Quæſtio erit de fine quem ſibi propoſuit Deus in creatione mundi. Quarta, de legibus quas ſecutus eſt Creator dum creaturas produceret. Quinta tandem Quæſtio erit utrum ſex dierum ſpatio creatus fuerit mundus.

QUÆSTIO PRIMA.

An, & à quo creatus fuerit mundus.

QUæſtionis hujus quinque erunt Articuli. Primus, an aliquid ſit creatum. Secundus, utrum mundus ſit creatus. Tertius erit de virtute creandi, an ſoli Deo competat. Quartus, utrum plures mundi ſint poſſibiles. Quintus, an omnis creatura ſit bona.

ARTICULUS PRIMUS.

An aliquid ſit creatum.

ERrant circa præſentem quæſtionem quotquot aſſumunt in principium iſtam propoſitionē, *Ex nihilo nihil fit*. Hujuſmodi autem ſunt veteres Stoici & Epicurei, quos hìc in parte ſecuti ſunt Vaninus, Hobbeſius, atque Spinoſæ recentioris diſcipuli. Ipſis ſubſtantia eſt à ſe, unica, quæ infinitas experitur formarum & modificationum vices ſucceſſivè, juxta leges motûs neceſſarias: hæc etiam eadem eſt, ſecundum nonnullos, Platonis & Anaxagoræ ſententia.

CONCLUSIO.

Certâ fide tenendum eſt aliquid eſſe creatum.

Probatur 1. ex Scripturâ multis in locis, præſertim Geneſeos 1. Sapientiæ 1. Pſalmo 145. & Exodi 20. *Sex diebus fecit Dominus cælum & terram & mare, & omnia quæ in eis ſunt.*

Probatur 2. ex Symbolis fidei. Symbolum Apoſtolorum, *Credo in Deum...... Creatorem cæli & terræ.* Symbolum Nicænum & Conſtantinopolitanum idem expreſsè docent.

Probatur 3. ex Conciliis. Concilium Bracarenſe I. Can. 13. contra Manichæos & Priſcillianiſtas. Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. *Firmiter.* tit. de ſummâ Trinitate confitetur, *Deum unum, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum eſſe unum, univerſorum principium, Creatorem omnium, viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium & corporalium.*

Probatur 4. ex SS. Patribus, quorum conſtans eſt hæc doctrina, ens nullum eſſe in rerum naturâ, quod à Deo factum non ſit. Hanc ſententiam contrariam inter hæreſes recenſent Epiphanius, Philaſtrius, Auguſtinus, aliique antiqui Patres; noſtram verò Concluſionem multis evincunt argumentis S. Cyrillus Lib. 2. contra Julianum, & ſanctus Auguſtinus Lib. 3. de Trinit. cap. 8. & L. 11. de civit. Dei cap. 4. Lib. 12. cap. 24. & alibi.

Probatur 5. ratione Theologicâ. Vel datur aliquid creatum, vel omnia quæ exiſtunt ſunt à ſe: ſed ſecundum repugnat; quod enim eſt à ſe, Deus eſt, nullos agnoſcit in perfectionibus limites. A quo enim limitaretur? Ab alio? ſed à nullo dependet. A ſe? ſed rationes entis, ſubſtantiæ & neceſſitatis exiſtendi, quibus primùm componeretur, & ex quibus velut ex fonte & radice cæteræ pullularent perfectiones, nullum excludunt attributum; ergo illud ens eſſet infinitum in perfectionibus: ſed multa dantur entia finita & limitata, quæ indigent ab alio determinati ad hanc vel illam perfectionem; datur materia cui motus non eſt eſſentialis præ quiete, quæ proinde à naturâ motum non habet; ergo &c.

Objicies 1. Verba quæ leguntur Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram*, non ſunt intelligenda de creatione propriè dictâ, ſiquidem vox hebraica quæ reſpondet latinæ, *creavit*, non exigit hanc interpretationem. Uſurpatur hæc vox ab authore ſacro, pro homine quem ex materia præexiſtente plaſmavit Dominus; & in veteribus Codicibus legitur, In principio *fecit* Deus &c. pro *creavit*. Tandem Sapientiæ 11. hæc habentur, *Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materiâ inviſâ*; ergo ex materia jam & à ſe exiſtente formatus & creatus eſt mundus: nullus proinde admittenda eſt propriè dicta creatio.

Reſp. nego ant. Ad probationem ex Geneſ. 1. dico vocem, *creavit*, accipiendam eſſe de creatione propriè dicta; ſic eam ſemper acceperunt ſancti Patres: vox hebraica, etſi ex ſe non exigat hanc interpretationem, tamen optimè transfertur à latino interprete; aliqui enim agnoſcendum eſſet ens aliquod increatum & à ſe, à Deo diſtinctum, quod Deus, id eſt ens infinitè perfectum non eſſet, quod ex dictis repugnat. Veteres Codices vulgatæ lectioni non nocent, eaque minùs accurati videntur.

Ad locum ex Sapientiæ 11. reſpondet S. Auguſtinus Lib. 1. de Gen. ad litteram, materiam primam confuſam & informem productam fuiſſe, ex quâ omnia quæ fierent formata & diſtincta ſunt: ſed addit S. Doctor cap. 6. *& hanc materiam primam ex omni nihilo factam eſſe.*

Obji-

Objicies 2. Nihil poteſt fieri ex nihilo ; ergo creatio eſt impoſſibilis.

Reſp. in principium aſſumi id de quo controvertitur; creatio enim eſt productio ſubſtantiæ ex nihilo, & quæritur utrum hæc creatio ſit poſſibilis, ſeu utrum poſſit aliquid fieri ex nihilo; unde negatur antecedens. Nam exiſtunt res creatæ, ut probatum eſt: ſed hæ res ex nihilo factæ ſunt; ergo ex nihilo poteſt aliquid fieri.

Inſtabis 1. Inter ens & nihilum eſt diſtantia infinita: atqui diſtantia infinita non poteſt ſuperari; ergo &c.

Reſp. proportionatam eſſe potentiam infinitam diſtantiæ infinitæ; poteſt ergo diſtantia infinita ſuperari à potentiâ infinitâ: ſed infinita eſt Dei potentia; ac proinde Deus poteſt ſuperare diſtantiam quæ eſt inter ens & nihilum, licet hæc aſſeratur infinita.

Reſp. 2. diſt. maj. inter ens & nihilum eſt diſtantia infinita, negativè, concedo: poſitivè, nego. Diſtantia inter nihilum & ens, eſt infinita negativè duntaxat, quia non eſſe termini tendit ad eſſe termini: porro ſicuti virtute propriâ poteſt agens finitum tranſire à *non eſſe* modificationis *ad eſſe* modificationis, v. g. à non eſſe talis cogitationis & affectus actualis, ad eſſe talis cogitationis & affectus actualis; ita poteſt agens infinitum efficere ut aliquid tranſeat à *non eſſe* ſubſtantiæ ad *eſſe* ſubſtantiæ.

Inſtabis 2. Non poteſt explicari creatio ſaltem ex parte termini. Creatio enim eſt actio: porro actio eſt relatio agentis ad terminum; ſupponit ergo terminum ad quem referatur: ſed non refertur ad nihilum, cujus nullæ ſunt proprietates; neque etiam ad creaturam, quæ creatione poſterior concipitur; ergo &c.

Reſp. iterum aſſumi in principium id de quo controvertitur: porro actio eſt relatio agentis ad terminum aut productum aut producendum, recipiturque in termino dum illum producit.

Reſp. 2. non eandem eſſe rationem creationis ac actionum quæ phyſico & mechanico motu producuntur: creatio enim eſt ex parte Dei voluntas omnipotens; ex parte verò termini, creatura eſt quæ ex vi volitionis divinæ exiſtit, nulluſque intermedius reperitur impetus phyſicus qui ſubjecto indigeat in quo recipiatur.

ARTICULUS II.

An mundus creatus fuerit.

CReationem eſſe poſſibilem, & materiam fuiſſe creatam conſtat ex Articulo præcedenti; quæritur nunc utrum mundus fuerit creatus: nomine autem mundi, nòn materiam primam informem & indigeſtam, ſed materiam diſtinctam, diverſiſque ornatam formis quibus nunc donata videtur, intelligimus.

Nonnulli ex Cartheſianorum grege hypotheſim Magiſtri velut theſim propugnant. Ipſis ergo Deus author eſt materiæ informis, quam in partes cubicas diviſit, ſinguliſque partibus impreſſo motu non amplius de formatione mundi ſollicitus fuit. Materia in motu poſita, ſibi ipſi relicta juxta phyſicas motus leges agitur; hinc percelebres ex fractis angulis materiæ, ſubtilis ſcilicet, globoſa, & ſtriata, ex quibus mirabilis aſpectabilis univerſi exurgit ordo.

Quæſtionem hanc ſtricto de jure Philoſophorum eſſe nemo non novit; verùm & aliquatenus ad Theologos eam pertinere fatendum eſt; unde miſsâ ad Phyſicos placiti Cartheſiani diſcuſſione, quod noſtri juris eſt, uno aut altero verbo expediemus.

CONCLUSIO.

Cartheſiana hypotheſis in theſim aſſumpta, videtur adverſari Scripturæ ſacræ.

Probatur ex Gen. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Hæc prima rerum omnium creatio ex Scripturâ: atqui in hac prima creatione non materia rudis producitur, ſed jam invenitur donata formis cœli, terræ, aquæ & aeris; ergo &c.

Probatur 2. Non potuit expreſſius ſignificare author ſacer voluntatem Dei ſpecialem in productione cunctarum ſpecierum, quam dicendo, *Dixit Deus, Fiat lux & facta eſt lux.... Dixit quoque Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* & ſic de cæteris rerum ſpeciebus. Hic, ni fallor, non reperitur mera productio materiæ & motus, permiſſis deinde phyſicis legibus.

Probatur 3. ex SS. Patribus, quibus ignota prorſus fuit hæc Cartheſianorum doctrina. Hanc ignorabat S. Auguſtinus dum exarabat Librum 3. de Geneſi ad litteram, in quo exaltat peculiarem Dei providentiam ſpecialiaque decreta quibus *Omnipotens creat minima corpore acuta ſenſu animantia, ut majori attentione ſtupeamus agilitatem muſcæ volantis, quam magnitudinem jumenti gradientis, ampliuſque miremur opera formicularum, quam camelorum.* Hanc eandem doctrinam ignorarunt Tertullianus Lib. de reſurrectione carnis, S. Gregorius Nazianzenus Orat. 38. & alii Patres qui corporis humani ſtructuram mirantur, & laudant illius opificem.

Probatur 4. rationibus theologicis. Prima: Poſitis Cartheſianis principiis creatio propemodum evaneſcit, & impugnatur Dei exiſtentia. Nam univerſi mirabilis ordo Deo nihil agente exiſtit: reciproca materiæ & extenſionis idea, materia debet eſſe æterna; imò qua ratione materiam indefinitè extenſam defendunt, eadem prorſus ratione illam debent agnoſcere neceſſariò exiſtentem, adeo quippe materia juxta illos indefinitum extenditur; quia quolibet poſito materiæ termino adhuc ultra concipitur extenſio, ac proinde materia: ſed quolibet determinato æternitatis puncto, in inſtanti præcedenti concipitur extenſio, & qualibet ſuppoſita in Deo volitione de non creanda materia, ſemper concipimr extenſio; ergo extenſio eſt neceſſariò & à ſe exiſtens, ac proinde & materia: porro data materia neceſſaria jam evaneſcit creatio, & rejicitur Dei ſeu alterius entis neceſſarii exiſtentia; ergo &c.

Secunda ratio eſt, quia vel leges motus ſecundum quas diſtinctus & efformatus eſt orbis, vel, inquam, hæ leges ſunt liberæ & à Deo liberè agente determinatæ; vel ſunt neceſſariæ & independentes à quacunque Dei volitione, ita ut, ſive velit Deus ſive nolit, corpus motum juxta illas leges agi & moveri debeat.

Si primum dicatur, non poteſt negari Deum prævidiſſe omnes & ſingulos effectus futuros ex motu materiæ juxta illas leges; ac proinde cum eas elegit ac decrevit ſpeciali providentia, elegit conſequenter ac decrevit hunc orbis ordinem, mirabilemque illius ſtructuram.

Si autem aſſeratur ſecundum, jam miracula evaneſcunt quæ contra leges motus patrantur; illæ quippe, utpote neceſſariæ, ab Omnipotente violari nequeunt. Deinde quis mente capere non poteſt, facilem eſſe Deo tranſgreſſionem legum motus? Sanè qui ſola ſua voluntate poteſt montem tranſ-

ferre de loco in locum, is poterit lapidem tenere ſuſpenſum, corpus quieſcens præſtare immotum, rapidum ſolis curſum ſiſtere, & alia efficere quæ phyſicis legibus motûs rectâ fronte adverſantur.

Tertia ratio: Admiſſis ſemel Cartheſianorum principiis, jam à ſorte habent creaturæ, ut hos potius quàm illos producant effectus, ut ad hos non illos impendantur uſus. Sol exurgens juxta leges motûs, à caſu habuit ut cunctam illuſtraret terram; nec creatum eſt illud luminare majus ut præeſſet diei, nec luminare minus ut præeſſet nocti: fructus ſponte ex arboribus naſcentes, olera & legumina ex terrâ juxta leges motûs germinantia in eſcam ab animalibus arripiuntur quidem, ſed in cibum ſanè à motu non deputantur; de illis tamen ait Dominus Gen. 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & univerſis quæ moventur in terrâ, & in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum.*

Dices: Ille modus productionis rerum eſt admittendus, qui ſimplicior eſt & magis naturalis; Deum quippe decet poſthabitâ viâ compoſitâ ſimplicem eligere: atqui talis eſt Carthesianorum doctrina; ergo &c.

Reſp. Cùm omnia nuda ſint & aperta oculis Dei, cùm omnia ſint æquè poſſibilia voluntati illius ad cujus imperium omnia fiunt, ille modus ſimplicior eſt ac magis naturalis, qui magis divinæ conſonat voluntati: ecquis modus ſimplex eſſe poteſt vel compoſitus reſpectu illius qui dicit & fiunt, mandat & creantur omnia?

Deinde ſi ſimplicitati magis congrueret doctrina Carthesiana, minùs ſanè conveniret omnipotentiæ, ſapientiæ & providentiæ: omnipotentiæ quidem, dum reſpuit imperium ſpeciale quo author ſacer exaltat ſupremam Dei poteſtatem, quo dicente *Fiat lux*, ſtatim lux apparet; ſapientiæ autem & providentiæ minus congruit hæc doctrina, cùm omnia peragantur cæco motu, nec amplius inveniatur illud ens ſapientiſſimum ſimul & providum, attingens à fine uſque ad finem fortiter, dum diſponit omnia ſuaviter.

ARTICULUS III.

An virtus creandi ſoli Deo competat.

Duo hic quæruntur: primum, an detur creatura creatrix. Secundùm, an ſaltem poſſit dari divinâ ordinante potentiâ.

Circa primum errarunt pleſique Hæretici, aut attribuendo materiam malo principio, ut Marcionitæ, Manichæi &c. aut mundum prædicando opus inferioris Deo potentiæ, ut Simoniani, Gnoſtici &c. aut aliquam ex creaturis divinæ potentiæ ſurripiendo, tales ſunt Seleuciani, Severiani &c.

Contra hos & ſimiles Hæreticos una vox eſt, nullam ex creaturis poſſe virtute propriâ creare; imò conſentiunt omnes Theologi, divinâ etiam ordinante potentiâ, non poſſe enti creato concedi ſupremam ex nihilo aliquid producendi virtutem.

Nodus ergo controverſiæ in eo conſiſtit; an ſcilicet Deus poſſit uti creaturâ tanquam inſtrumento phyſico creationis; de morali enim inſtrumento, id eſt de causâ occaſionali, quis negare audeat?

PRIMA CONCLUSIO.

Virtus creandi ſoli Deo competit, ac proinde Deus omnium author eſt creaturarum.

Probatur hæc Concluſio omnibus momentis quibus ſtabilitæ manent duæ præcedentes; aliaque congerere teſtimonia prorſus ſupervacaneum eſſet.

Probatur adhuc ratione: quia creatio proprius eſt naturæ ſpiritualis effectus, & à ſolâ voluntate poteſt procedere; omnis quippe motus phyſicus & mechanicus inutilis eſt, ubi nullum quod exagitet ſubjectum reperitur: ſed ſola voluntas infinita intelligitur potens ad educendum aliquid ex nihilo, huic omnia juxta nutum peraguntur: voluntas verò finita & limitata quò minores reperit in ſubjecto diſpoſitiones, eò majores experitur difficultates; ubi ergo nullæ ſunt diſpoſitiones, ibi ſumma difficultas: porrò nullæ ſunt diſpoſitiones in nihilo ut tranſeat ad rationem entis; ergo &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Nulla creatura poteſt donari virtute creandi, nec etiam rationem habere poteſt inſtrumenti phyſici reſpectu creationis.

Probatur prima pars, 1. ex SS. Patribus qui adversùs Arianos probant divinitatem Chriſti, ex eo quòd ſit Creator omnium; appendix ergo divinitatis eſt virtus creandi. Hinc S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 6. Theſauri versùs finem, *Præcipua Dei veri proprietas eſt, ut à nihilo poſſit ſubſtantias producere.* Et Lib. 14. c. 6. *Poteſtas creandi divinæ ſolummodo ineſt naturæ; & hæc eſt inter alias Deo convenientes dignitates præcipua.*

2. Ex ratione: Certum eſt Deum non poſſe tribuere voluntati creatæ virtutem infinitam, quæ tamen ad creationem requiritur: tùm quia exhauſta tunc videretur potentia divina, quàm, utpote infinitam, exhauriri repugnat; tùm quia independentia & voluntas virtutis infinitæ ſeparari non poſſunt, cùm virtus infinita cuilibet potentiæ reſiſtere poſſit; ergo &c.

Probatur ſecunda pars, nempe quod creatura non poſſit eſſe inſtrumentum phyſicum creationis. Ea quippe eſt phyſici natura inſtrumenti, ut phyſicè attingat ſubjectum & in illud mechanicè agat; aut ſaltem ſi de naturâ ſpirituali quæritur, debet illius volitio habere proportionem cum effectu producendo, ita ut hujus volitionis virtus ſit par effectûs productioni, ſervatâ ſemper ſubordinatione cauſæ principali: ſed hæc creaturæ cuilibet convenire nequeunt reſpectu creationis, ut mox dictum eſt; ergo &c.

Dices: Deus potuit elevare ignem inferorum ad cruciandas animas; potuit & efficere ut Sacramenta operentur gratiam; ergo à pari poterit præſtare ut creatura ſit inſtrumentum phyſicum creationis.

Reſp. Quidqoid ſit de conſequentiâ & paritate ad ſenſum Thomiſtarum, nego antecedens: quæ enim hic afferuntur in exemplum, habent duntaxat rationem cauſæ moralis; hæc communior eſt Theologorum ſententia, ex quâ nihil adversùm nos educi poteſt. Cæterùm, qui plura voluerit circa præſentem quæſtionem, veteres percurrat Theologos, aut Metaphyſicos adeat ubi tractant de potentiâ obedientiali.

ARTI-

ARTICULUS IV.

An plures mundi ſint poſſibiles.

PEripateticis unicus erat mundus poſſibilis ab æterno & in æternum exiſtens : Stoici ex fato variationibus obnoxio, Epicurei ex fortuito atomorum concurſu mundum repetebant. Hinc variæ juxta illos mundi ſucceſſiones, ac proinde plures ipſis mundi, non ſolùm poſſibiles, ſed ſucceſſivè exiſtentes.

Carteſianis mundus eſt indefinitè extenſus, ac proinde unicus eſt poſſibilis.

PRIMA CONCLUSIO.

Unicus creatus fuit mundus.

Probatur 1. omnibus momentis quibus probavimus veritatem creationis, & mundum fuiſſe creatum; nam his momentis funditùs concutiuntur adverſariorum principia.

Probatur 2. quia videtur author ſacer hiſtoriam narrare ac ſeriem operum Dei. Porrò unius duntaxat meminit mundi; ergo &c.

Et verò quandonam creatus fuiſſet ille alter mundus? non ſimul aut poſt illum quem inhabitamus; cur enim hoc alterum Dei opus ſiluiſſent authores ſacri? Non antea, dicente Moyſe Deum creaſſe cœlum & terram *in principio*, id eſt initio ſuarum operationum, teſte Tertulliano contra Hermogenem; initio temporum, juxta ſanctum Baſilium Homiliâ primâ in Geneſim; ergo &c.

Objicies 1. Ante creationem mundi, infinita fluxêre durationis ſpatia : ſed incredibile eſt Deum manſiſſe otioſum per hæc infinita ſpatia; ergo &c.

Reſp. Deus, ſi voluiſſet, noſtrum nuſquam creaſſet mundum, illum quippe liberè creavit; ergo nihil abſurdi infert divina hæc otioſitas : ſcilicet Deus ſibi ſufficit, nullatenuſque indiget creaturis. Et verò hoc ſemel admiſſo ratiocinio, jam mundus neceſſariò debuit eſſe æternus : ſi enim in tempore creatus ſupponatur, jam infinita fluxiſſent durationis ſpatia in quibus otioſus fuiſſet Omnipotens, quod adverſariis prorſus fide indignum videtur.

Objicies 2. Plerique ſancti Patres cenſent Angelos fuiſſe creatos ante cœlum & terram : ita Origenes, SS. Baſilius, Gregorius Nazianzenus &c. Iſtius autem ſententiæ fundamentum repetitur ex his Lib. Job verbis c. 38. *Ubi eras quando ponebam fundamentum terræ.... cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* Ergo quam ex Scripturâ attulimus probationem nulla eſt.

Reſp. 1. Illos Patres qui Angelos aſſerunt creatos ante cœlum & terram, eos, inquam, negaſſe quidquam materiale, corporale & viſibile operatum fuiſſe Deum ante cœlum & terram. Ita S. Baſilius Homiliâ ſuperiùs citatâ.

Reſp. 2. Multos plures eſſe Patres pro ſententia contraria ei quæ nobis objicitur : tales ſunt S. Epiphanius hæreſi 3. S. Auguſtinus multis in locis, ipſe S. Baſilius Commentario in Geneſim, ex quo videtur mutaſſe ſententiam, Theodoretus interrogatione quarta, quique locum ex Job exponit eo ſenſu quòd aſtra quartâ die formata ſint, Angeli verò creati ſunt die prima ſimul cum cœlo & terra; nec magis ex eo loco erui poteſt creatos fuiſſe Angelos ante mundum viſibilem, quàm aſtra.

SECUNDA CONCLUSIO.

Repugnans videtur Scripturæ & Patribus ſententia quæ mundum admittit indefinitè extenſum, ac proinde poſſibiles ſunt plures mundi.

Probatur : Mundum eſſe indefinitum, eſt mundum carere limitibus, ac proinde, velint nolint Carteſiani, eſſe extenſionis infinitæ : atqui hæc opinio videtur Scripturæ adverſa. Deus enim omnia in numero, pondere & menſura fecit, ex Sapientiæ 11. Et ex Iſaiæ 40. Deus menſus eſt pugillo aquas, cœlos palmo ponderavit, tribus digitis appendit molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in ſtatera; ergo &c.

Hinc SS. Patres dicunt Dei immenſitatem extendi ultra mundi fines; ergo aliquos agnoſcunt mundi limites. Ita inter cæteros S. Auguſtinus ſermone 1. de verbis Apoſtoli: *Omnipotens Deus ultra omnia, extra omnia, præter omnia eſt.*

Probatur 2. evertendo fundamentum adverſariorum. Ideo enim aſſerunt mundum eſſe indefinitum, quia juxta illos idea extenſionis & idea materiæ ſunt quid unum & idem : atqui hoc falſum eſt : nam extenſio & ſpatium concipiuntur æterna, à ſe, & velut quædam excluſio impedimentorum quæ obſtarent quominus corpus poſſet occupare locum; talis ſanè non eſt idea materiæ. Aliunde corpus intelligitur naturaliter impenetrabile, ſecus ſpatium; materiæ proprietates ſunt poſitivæ, attributa verò ſpatii ſunt merè negativa : illud enim eſt infinita quædam dimenſio trina, inſtar immenſæ capedinis ad recipienda corpora idoneæ; ergo &c. Porrò hac ratione ruunt omnes Carteſianorum objectiones.

ARTICULUS V.

An omnis creatura ſit bona.

NEgarunt Manichæi & alii quidam Hæretici, adverſus quos ſit

CONCLUSIO.

Omnis creatura eſt bona, nullaque reperitur ſua ſubſtantia mala.

Probatur 1. ex Scripturâ. Conſummato creationis opere, *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, inquit author Geneſ. Hinc legitur Sap. 11. *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.*

Probatur 2. ex authoritate Eccleſiæ, quæ Manichæos & alios Hæreticos circa præſentem quæſtionem è ſinu ſuo ſtatim rejecit, ut in Concilio Bracarenſi contra Priſcillianiſtas &c.

Probatur 3. ex ſanctis Patribus qui contra Manichæos acriter inſurrexerunt : ita in primis S. Auguſtinus in Libris contra Fauſtum, Secundinum, Epiſtolam Fundamenti &c.

Probatur 4. iis omnibus momentis quibus demonſtratur Dei unitas : cùm enim Deus ita bonus ſit, ut ſit ipſa bonitas, ideo in ſuo opere ab hoc quod bonum eſt deficere non poteſt; ac proinde ſi aliqua creatura ex ſubſtantia ſua admittitur mala, agnoſcenda erunt duo principia.

Probatur 5. refellendo fundamentum quo innixi adverſarii duo admittunt principia. Hoc enim fundamentum eſt, dari in rerum naturâ malum : ſed malum à Deo ſummè bono eſſe non poteſt; ergo &c.

Porrò malum triplex diſtinguitur, malum naturæ, malum pœnæ, & malum culpæ; ſed ex horum nullo poſſunt probari duo principia.

I. Non ex malo naturæ: malum quippe naturæ eſt ſubſtantiæ imperfectio; debuiſſet ergo Deus ut hoc malum devitaret, creaturas omnes producere infinitè perfectas: quis uſquam ita deſipuit? Certè cùm diverſæ ſint creaturarum ſpecies, aliæ aliis perfectiores, nunquam potuit Deus effugere malum naturæ; aut unicam creaturarum ſpeciem, eamque in ſingulis individuis ſummè perfectam debuit producere.

II. Non ex malo pœnæ. Conſequitur enim neceſſariò ex corpore corruptibili; perutile eſt ad conſervationem corporis, & ad promerendam juſtitiæ coronam quam reddet unicuique Deus juſtus Judex.

III. Non ex malo culpæ; illud quippe permittit duntaxat Deus. Etenim certum eſt exiſtere ens infinitè perfectum, ac proinde ſummè bonum & ſapiens. Certum eſt etiam creaturas rationales præditas eſſe libero arbitrio, & conſequenter ita poſſe peccare, ut poſſint etiam à peccato abſtinere. Certum adhuc, non dari in nobis ideam adæquatam illius entis ſummè perfecti; quod ergo de illo clarè cognoſcimus, illud de eo debemus affirmare: at non continuò rejicienda veniunt quæ evidenter non percipimus. Etenim non ſunt neganda clara, quia quædam ſunt obſcura quæ mente capi non poſſunt; & ex imperfectione ideæ noſtræ neceſſariò infertur Deum plura poſſe præſtare, quorum rationes non valemus inveſtigare.

His poſitis, cùm ſit ex permiſſione Dei peccatum in rerum naturâ; ex illo peccato ſequitur Deum infinitè ſapientem prudenti motivo ductum fuiſſe ad conceſſionem illius permiſſionis.

Et verò Deus ſummè ſapiens & providus, peccatum futurum prævidit, & tamen permiſit: tùm quia proviſor eſt generalis, *ad cujus providentiam pertinet*, uti obſervat S. Thomas 1. p. q. 22. art. 2. ad 2. *& boni productio & permiſſio mali, ne ſcilicet impediatur bonum univerſi perfectum*: tùm quia uſque adeò potens eſt, ut ex malo majus bonum eruere poſſit; ſic ex permiſſione peccati, Filii ſui incarnationem, quæ omnium bonorum præſtantiſſimum eſt, edoxit. Rationem hanc indicat S. Auguſtinus in Enchirid. cap. 11. *Deus omnipotens*, inquit, *nullo modo fineret malum aliquod in operibus ſuis, niſi uſque adeò eſſet omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo.* Et rurſus cap. 95. *Nec dubitandum eſt Deum facere benè, etiam ſinendo fieri quæcunque fiunt malè. Non enim hoc niſi juſto judicio ſinit: & profectò bonum eſt, omne quod juſtum eſt..... nam niſi eſſet hoc bonum, ut eſſent & mala, nullo modo eſſe ſinerentur ab omnipotente bono: cui procul dubio quàm facile eſt quod vult facere, tam facile eſt quod non vult eſſe non ſinere.*

Tandem cuinam Dei attributo repugnat hæc permiſſio peccati? An omnipotentiæ? An ſapientiæ? An bonitati? Non omnipotentiæ, cùm ita permittat peccatum, ut poſſit illud impedire ubicunque & quotieſcunque voluerit. Non ſapientiæ, cùm ex jam dictis ſapiens ſit mali permiſſio, cùm ſumma adeſt poteſtas ex malo educendi bonum. Non tandem bonitati ſeu ſanctitati quæ ſeipſâ clarè manifeſtat per prohibitiones, adhortationes & gratiæ largitionem; & ſi lædatur, ultricibus flammis quamcunque vindicat offenſam.

His adde malum culpæ merum eſſe defectum: nihil ergo in rerum naturâ ſuâ ſubſtantiâ malum eſt; illud enim deberet integrè à ratione ſubſtantiæ deficere, ac proinde nihil eſſet.

Dices: Ens ſummè bonum impedit malum quantùm in ipſo eſt; ergo &c.

Reſp. 1. Ens quod admittitur ſummè bonum, eſt etiam ſummè potens; ergo ſi permiſſione peccati evaneſcit illius ſanctitas, poſito peccato, illo Ente invito, evaneſcet omnipotentia. Reſtat igitur ut divina ſerventur attributa, ut agnoſcamus illæſa ſanctitate Deum poſſe permittere peccatum.

Reſp. 2. Deum ratione ſuæ ſanctitatis neceſſariò excludere à ſemetipſo peccatum, excludere etiam illud à creaturis per præcepta & gratiarum largitionem; at non teneri ad omnis peccati ſubtractionem.

Inſtabis 1. Ente ſummè bono non poteſt dari melius: ſed ens quod nullum permitteret peccatum melius eſſet & ſanctius ente quod peccatum permitteret; ergo &c.

Reſp. nego min. Nihil enim dependit ſanctitas divina per peccati permiſſionem, nihil quoque acquireret per illius ſubtractionem. Certè Deus nihil poteſt habere à creaturis, præter gloriam: gloria hæc accidentalis eſt, non eſſentialis Deo, libera eſt reſpectu Dei qui eâ caruiſſet ſi mundum creare noluiſſet, non verò neceſſaria; igitur ſi Deus non creato mundo fuiſſet ſummè ſanctus, cur non æquè erit permiſſo peccato? Poſito quolibet poſſibili ſiſtemate mundi, Deus non eſt ſanctior nec melior: cur ergo poſito præſenti ſiſtemate erit minùs bonus aut minùs ſanctus? Nunquid quia peccatum lædit ſanctitatem Dei, & eſt rebellio nihili adverſus Deum? Sed hæc rebellio contra leges & mandata divina punitur à Juſtitiâ omnipotente; ſicque ſemper gloriam habet à creaturis Deus, aut per dona miſericordiæ, aut per ſupplicia juſtitiæ. Ita colligitur ex S. Auguſtino Lib. de ſpiritu & litt. cap. 33. *Qui contra voluntatem Dei faciunt*, inquit S. Doctor, *non ideo tamen eam vincunt: verùm ſeipſos fraudant magno & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.*

Inſtabis 2. Nullam potuit Deus habere rationem permittendi peccati; vana quippe eſt quæ à nonnullis affertur, ſcilicet Deum permittere peccatum, quia non potuit impedire illæſâ libertate: namque poſſibilis eſt hypotheſis creati mundi, in quâ nullum eſſet peccatum, & ſalvum remaneret liberum arbitrium per conceſſionem gratiarum efficacium; ergo &c.

Reſp. 1. Et in hac hypotheſi aliquid divinæ deperire ſanctitati, juxta principia adverſariorum; etenim illud ens ſanctius eſt, ſub quo nullum eſt peccatum poſſibile: porrò in allatâ hypotheſi nullum quidem daretur peccatum, ſed eſſet poſſibile; ergo &c.

Reſp. 2. Nego ant. Etenim aliud eſt nullam excogitari rationem cur Deus permittat peccatum, aliud eſt nullam eſſe; nec ex eo quòd aliquid non intelligimus aut cauſam ejus non poſſumus aſſignare, ſtatim concludendum eſt rem non eſſe, aut etiam eſſe impoſſibilem: quod quidem cùm generatim loquendo verum ſit, verius eſt cùm de motivis quibus determinatur Deus ad agendum, ſermo habetur. Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? inveſtigabiles ſunt viæ ejus, teſte Apoſtolo; præſertim cùm imperfectam duntaxat habeamus divinitatis ideam.

Inſtabis 3. Deus diligit ſe amore actuali, neceſſario & infinito; ergo econtra proſequitur odio actuali, neceſſario & infinito peccatum, quod ſibi omnibuſque divinis attributis directè & eſſentialiter

ter adverſatur, ac proinde illud permittere non poteſt.

Reſp. diſt. ant. Deus diligit ſe amore actuali, neceſſario & infinito, *intenſivè*; concedo: ſcilicet ſeipſum amat amore eſſentiali, qui intenſivè perfectiſſimus eſt; ſicut ejuſdem amoris objectum perfectiones omnes in ſe complectitur: *extenſivè*, nego: amor enim quo ſeipſum diligit, non ſe extendit ad omnia, quæ ipſi bona ſunt.

Ratio autem à priori, cur Deus non ſe diligat amore infinito *extenſivè*, licet ſeipſum amet amore infinito *intenſivè*, hæc eſt, quia ſcilicet cùm omnes omnino perfectiones contineat, nec ullius rei indigeat quæ ſit extra ſe; hinc certè in nullo deficit, etiam non poſito quocunque exteriori bono. At non ita eſt de homine ſummè ſe amante: hic enim, quia non complectitur in ſe omnes perfectiones, boniſque exterioribus perficitur, naturaliter deſiderat id quod ſibi melius eſt.

Atque ita ruunt mera Baylii ſophiſmata, quibus probare conatur rationem humanam planè imparem eſſe diſſolvendis Manichæorum objectionibus circa duo ſuprema principia, unum bonum, alterum malum.

Unum hîc obiter addo, non minùs, imò multò magis laborare humanam rationem, ſi principium mali admittat: nam vel illud principium mali æquè potens erit ac Deus, vel magis potens, vel minùs potens.

Si primum, id eſt, ſi ſit æquè potens, nullum exiſtere poterit, neque bonum, neque malum, quia non erit potior ratio cur ſit, ac cur non ſit.

Si ſecundum, id eſt, ſi principium mali ſupponatur potentius Deo, jam ſtando Baylii principiis nullum poterit eſſe bonum, quia potentius mali principium omne bonum prohibebit, utpote cùm ipſi eſſentialiter adverſetur.

Si tertium, id eſt, ſi Deus ſit potentior principio mali, jam propter rationem oppoſitam nullum erit malum. Itaque admiſſis duobus principiis, non minùs, imò multò magis implicat ſe ratio humana, quàm admiſſo uno tantùm Deo.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quando creatus fuerit mundus.

MUndum habuiſſe ſuæ durationis initium, etſi è Philoſophis veteribus plurimi contradicant, certâ tamen fide tenendum eſt: ita definit Concilium Lateranenſe IV. Hoc tradit Scriptura Joan. 17. *Clarifica me Pater claritate quam habui priuſquam mundus eſſet.* Adde quæ de ſapientiâ dicuntur Lib. de Sapientiâ & Eccl. Hinc SS. Patres unanimi conſenſu eandem tenent doctrinam, cujus veritatem evincunt ex artium recenti adinventione, defectu hiſtoriarum & monumentorum antiquorum &c.

Duo igitur ſuperſunt quærenda: primum, an mundus potuerit eſſe ab æterno; ſecundum, quâ anni tempeſtate creatus fuerit mundus.

ARTICULUS PRIMUS.

An mundus potuerit eſſe ab æterno.

QUæſtio hæc, licet meræ poſſibilitatis & juris Philoſophici, quibuſdam Theologis maximi videtur ponderis. Affirmant nonnulli, ne lædere videantur omnipotentiam divinam: negant cæteri, ne cogantur admittere ens neceſſariò exiſtens à Deo diſtinctum. Quid ſit ſentiendum ſequentes aperient Concluſiones.

Contin. Præl. Theol. H. Tournely.

PRIMA CONCLUSIO.

Si mundus conſideretur ex parte principii & authoris, potuit eſſe ab æterno.

Probatur: quia quo inſtanti Deus concipitur exiſtens, eodem concipitur omnipotens; ergo ſi ex parte ſui authoris mundus conſideretur, potuit eſſe ab æterno.

SECUNDA CONCLUSIO.

Si mundus conſideretur ex parte ſui, & ratione termini creationis, non potuit eſſe ab æterno.

Probatur. Mundus in ſe creatus eſt; quod autem creatur, educitur ex nihilo: ſed quod eſt æternum, non poteſt nec potuit educi ex nihilo, cùm ſemper extiterit, nec uſquam in nihilo fuerit; ergo &c.

TERTIA CONCLUSIO.

Non exiſtimarunt ſancti Patres mundum potuiſſe eſſe ab æterno.

Probatur S. Athanaſius Epiſt. ad Serapionem de Spiritu ſancto, *Quemadmodum*, inquit, *Filius quia ſemper eſt, non eſt creatura: ita quoniam ſemper eſt Trinitas, nulla eſt in eâ creatura, quapropter non eſt creatura Spiritus.* S. Baſilius Lib. 2. contra Eunomium, *Nos id quod æternum eſt creaturis atteſtari, & Creatorem hâc profeſſione privare, ejuſdem amentiæ ducimus.* S. Ambroſius in Hexameron, in præfatione contra Peripateticos ait: *Quid tam inconveniens, ut æternitatem operis cum Dei omnipotentis æternitate conjungerent?* S. Auguſtinus Lib. 8. de Geneſi ad litt. cap. 23. *Omnino incommutabilis eſt illa natura Trinitatis, & ob hoc ita æterna, ut ei coæternum aliquid eſſe non poſſit.* Damaſcenus Lib. 1. de fide cap. 8. *Res natura non patitur, ut quod ex non eſſe ad eſſe deducitur, coæternum ei ſit, quod ſine principio & ſemper eſt.* His addi poſſunt Lactantius, Richardus à ſancto Victore, qui L. 2. de Trinit. cap. 1. dicit: *De nihilo fieri non potuit, qui nunquam nihil fuit* &c.

Non mirum ergo ſi in Concilio Nicæno hæc uſurpata fuerit ſententia, *Quicunque dicit Filium creaturam, dicit eum cœpiſſe.* Imò illius doctrinæ veritatem fatebantur Arius atque primi ejus diſcipuli, unde dicebant de Filio Dei: *Erat quando non erat.* Poſteriores Ariani inſidioſâ ſubtilitate luſerunt Patres Ariminenſes, dum damnarunt hanc prædictam Doctoris ſui propoſitionem, atque diſtinxerunt inter ſempiternum & increatum, ſed hoc præter ſuorum antecеſſorum mentem.

Ex his inferes, reipſa mundum non poſſe eſſe ab æterno: cùm enim creatio ſit actio, ac proinde relationem dicat agentis ad terminum; quantumcunque agens ex parte ſui operari poſſit, nuſquam tamen erit actio quamdiu terminus non poterit produci: porrò mundum non poſſe ab æterno produci jam oſtendimus, *nec natura res patitur*, ut ait S. Damaſcenus, *ut quod ex non eſſe ad eſſe deducitur, æternum ſit*; ergo &c. Hac unicâ obſervatione cunctæ ruunt objectiones, quæ omnes & ſingulæ petuntur ex vi & efficaciâ voluntatis divinæ.

ARTICULUS II.

Quâ anni tempeſtate creatus fuerit mundus.

HOc in præſenti Articulo quæritur præcisè, quæ fuerit anni tempeſtas iis in locis in quibus erat

Paradiſus terreſtris, id eſt, in Septentrionalibus partibus noſtri Hemiſpherii versùs Orientem; aut, quod idem erit, quo in Zodiaci puncto primùm conſtitutus fuerit ſol recens à Deo conditus.

Gerardus Mercator, Julius Firmicus & alii in æſtate mundum produiſſe volunt; Lyranus, Toſtatus, Petavius, Scaliger multique recentiores contendunt mundum ab autumno cœpiſſe. Cæteri tandem cum SS. Patribus aſſerunt mundum fuiſſe conditum verni temporis periodo.

CONCLUSIO.

Cùm creatus fuit mundus, ver regnabat in partibus ſeptentrionalibus noſtri hemiſpherii: id eſt, ſol cùm primùm conditus, in ſigno Arietis fuit conſtitutus.

Probatur: quia ex antiquâ Traditione unicè repeti poteſt hujus quæſtionis definitio, cùm de eâ Scripturæ ſileant. Porrò Patres ad vernum tempus referunt creationem mundi: ſic inter cæteros SS. Cyrillus Hieroſolymitanus Catec. 14. Baſilius in Hexameron, Gregorius Nazianzenus Orat. de Nativitate Domini. Sufficiant S. Ambroſius L. 1. in Hexameron. *In hoc principio quo Paſcha juſſu Dei celebrant Judæi, cœlum & terram fecit Deus, quòd inde mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies.* Et Theodoretus, qui quæſtione 12. in Exodum hanc confirmat opinionem, ex eo quòd *incipiente vere, prata florere ſolent, ſegetes ſemina concipiunt, arbores fructum emittunt.*

Patribus, ſi liceret, adderem Aſtronomos qui ſignum Arietis cæterorum Zodiaci ſignorum caput eſſe docent: adderem & Ethnicos, quorum interpres Virgilius Lib. 2. Georgicorum ad vernum tempus refert originem mundi. Verùm miſſis talibus authoritatibus, SS. Patrum teſtimoniis ducti eam tenemus ſententiam quæ ipſis magis arridet.

Nec obſtet initium anni apud Orientales tempore autumnali: ſiquidem & Iſraëlitæ ſacrum incipiunt annum tempore verno; & Orientales ad uſum popularem magis attendebant, nempe ad agricolarum & pecuariorum, mutuoſque in agris locandis contractus; quæ omnia frugibus collectis opportuniùs in autumno fiebant, quàm in aliâ anni periodo.

Cæterùm, etſi creatus fuerit mundus verno tempore; nihilominus tamen crediderim tunc Deo jubente fructus maturos floribus fuiſſe conſociatos: divinâ nempe ſic ordinante providentiâ, ut amœnitatem atque ſuavitatem orbis ſimul conſpicerent ac deguſtarent recens creata animalia.

QUÆSTIO TERTIA.

Quo fine Deus creaverit mundum.

ERravit hac in parte Origenes, teſte S. Thoma 1. p. q. 65. art. 2. Scilicet exiſtimabat creaturas viſibiles non eſſe à Deo conditas, ex primâ ac directâ intentione, ſed ſolùm occaſione deſumptâ ex peccato creaturarum ſpiritualium. Volebat enim Deum feciſſe à principio creaturas ſpirituales, hoc eſt, Angelos & animas; & quia cùm eſſent liberi arbitrii, quædam earum peccaverunt: ad earum peccata punienda ipſum feciſſe corpora, in quæ illas detruderet, ut in iis tanquam in carceribus includerentur. Ita S. Thomas loco mox laudato, qui doctrinam hanc multiplici ex capite erroneam eſſe demonſtrat. Eundem errorem refert ac ſugillat S. Auguſtinus Lib. 11. de civit. Dei cap. 23.

Hoc omiſſo errore duo ſuperſunt hâc in quæſtione determinanda. Primum, an in creando mundo ſibi propoſuerit Deus aliquem finem. Secundùm, quiſnam ſit ille finis. Utrumque unico complectemur Articulo: Sit itaque

ARTICULUS UNICUS.

An, & quem finem ſibi Deus propoſuerit in condendo mundo.

CIrca præſentem controverſiam triplex eſt potiſſimùm ſententia.

Prima eorum eſt qui negant dici poſſe Deum aliquem finem ſibi propoſuiſſe in condendo mundo: quia, inquiunt, Deus perfectiſſimus eſt & nullius indigens; & ſicut efficientem cauſam non habet, ita nec finalem. In hanc ſententiam propendet Eſtius in 2. diſt. 1. parag. 12.

Fatentur hujuſce ſententiæ authores, rerum à Deo creatarum eſſe aliquem finem, nempe gloriam Dei, quia huic manifeſtandæ inſerviunt. Fatentur etiam inter res creatas, aliquas eſſe quæ conditæ ſint propter alias, v. g. ſolem ad illuſtrandam lumine terram, oculum ut ſit animæ inſtrumentum ad videndum.

Secunda eorum eſt qui contendunt Deum non potuiſſe rerum univerſitatem condere, quin ſimul Chriſtum ſeu Incarnationem, aut potius gloriam ex Incarnatione ſibi obventuram, tanquam finem ſibi præſtiterit. Ita quondam Raymundus Lullus, de quo Vaſques, ubi de Incarnatione, quæſt. 1. art. 2. diſput. 1. cap. 2. Ita etiam noſtris temporibus magni nominis Philoſophus Malebranca in ſuo *de naturâ & gratiâ* opere, aliiſque locis.

Tertia denique ſententia eorum eſt, qui diſtinguunt duplicem finem, alium extrinſecum, & ab ipſo Deo diſtinctum; alterum verò intrinſecum, & ab ipſo Deo divinâque bonitate indiſtinctum. Fatentur in creatione mundi Deum non ſibi propoſuiſſe finem extrinſecum, at pro fine habuiſſe ſemetipſum ſuamque bonitatem. Ita S. Thomas variis in locis, maximè 1. p. q. 19. art. 1. ad 1. ibidem art. 5. & quæſt. 44. art. 4. Ita etiam Cajetanus, Salmaricenſes, Sylvius & alii.

Eſt & alia ſpecialis quorundam ſententia, qui diſtinguunt inter iſta duo, ſcilicet 1. eſſe propriè finem divinæ operationis, 2. eſſe Deo rationem volendi & agendi. Contendunt divinam bonitatem non eſſe propriè finem ſuæ operationis: quia finis propriè dictus cauſalitatem ac diſtinctionem realem importat, actio autem Dei nihil aliud eſt quàm ejus eſſentia & bonitas: volunt tamen rectè dici quòd divina bonitas ſit ratio operationis divinæ, ſive quòd ſit Deo ratio volendi. Ita Sylvius 1. p. quæſt. 44. art. 4. Concluſ. 2. qui ibidem pro hac ſententia refert Banneſium, Tannerum, Vaſqueſium & alios. His præſuppoſitis ſit

PRIMA CONCLUSIO.

In creando mundo ſibi propoſuit Deus aliquem finem.

Probatur Concluſio. Omne agens rationale propter finem agit, cùm finis ſit motivum ſeu conſideratio quâ excitatur agens ad producendum ſuum effectum: atqui Deus eſt agens intellectuale; ergo &c. Hinc Prov. 16. dicitur, *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Gloria ex rerum univerſitate & ex Incarnatione in Deum redundatura, non eſt unicus ac neceſſarius finis quem in condendo mundo ſibi Deus propoſuit.

Probatur: quia gloria illa extra Deum eſt; at Deus ipſe ſuus ſibi finis eſt, ſeipſo beatus eſt, omnia in ſe habet, ſi verò aliquid extra ſe appeteret ut finem ſuum, jam non eſſet infinitus, non ſibi ſufficeret ipſe, ſed indigeret aliis, quod ipſo prorſus eſt indignum; non ergo dici poteſt eam gloriam appetiiſſe ut finem ſuum.

Et verò Deus neceſſariò amat finem ſuum, nec poteſt eo carere, utpote felix ac beatus: unde ſi ejuſmodi gloria eſſet ipſius finis, in illam ita inclinaſſet Deus, ut nec ab Incarnatione decernendâ & peragendâ, nec à mundo creando potuiſſet ullo modo abſtinere: porrò fatentur adverſarii, nec Incarnationem nec mundi fabricam fuiſſe Deo omnino neceſſariam; ergo gloriam hanc ut finem ſuum nec voluit nec quæſivit Deus.

TERTIA CONCLUSIO.

Bonitas divina creaturis communicanda propriè ac meritò dici poteſt ratio & finis quem Deus in creando mundo ſibi propoſuit.

Probatur 1. ex Scripturis. Proverb. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Ergo &c.

Probatur 2. ex S. Auguſtino, qui ſæpius aſſerit creationis rerum cauſam eſſe bonitatem Dei. Sic Enchirid. c. 9. Lib. 11. Confeſſ. c. 4. & in expoſitione Pſalmi 138. expreſſiùs verò L. 11. Confeſſionum c. 21. ubi ait, *hanc juſtiſſimam mundi condendi cauſam fuiſſe, ut a Deo bono bona opera fierent.* Addit ibidem, hoc intereſſe inter operantem Deum, & creaturam, quòd omnis creatura operatur *ut bona ſit*, id eſt, ut perfectionem ſuam acquirat aut conſervet; Deus autem operatur tantùm *quia bonus eſt*, id eſt, ut perfectionem ſuam operando aliis communicet, cùm ipſe nullius perfectionis indigeat, nec ullius aſſequendæ capax ſit.

Probatur 3. authoritate ſimul & ratione ſancti Thomæ 1. p. qu. 44. art. 4. Illud quod primum agens intendit omnibus communicare, quodque omnia creata intendunt conſequi, eſt finis omnium: atqui divina bonitas eſt res illa quam Deus intendit omnibus rebus communicare, & quam omnes res creatæ, prout poſſunt, intendunt conſequi; ergo divina bonitas, quatenus nimirum creaturis communicatur, eſt finis rerum omnium: unde quærenti quare Deus mundum condiderit, rectè reſpondetur, ut bonitatem ſuam ad extra communicaret. Plures aliæ rationes videri poſſunt apud S. Th. Lib. 3. contra gentes cap. 17. & 18.

Dices 1. S. Auguſtinus Lib. 1. de Geneſ. contra Manichæos cap. 2. & Lib. 83. quæſtionum qu. 28 quærenti cur fecerit Deus cœlum & terram, ait reſpondendum, *quia voluit*: ulteriùs quærenti, quare voluerit, ait *ſtultam eſſe eam quæſtionem, cùm nulla ſit cauſa voluntatis divinæ*; ergo negat S. Doctor Deum condidiſſe mundum propter aliquem finem.

Reſp. nego conſeq. S. Auguſtinus locis mox citatis ait ſtultam eſſe hanc quæſtionem, quare Deus voluerit creare mundum: quia ſcilicet nulla eſt voluntatis divinæ cauſa efficiens, nec etiam finalis quæ indigentiam & paupertatem in Deo arguat: at non negat S. Doctor, Deum aliquâ ratione motum fuiſſe ut mundum crearet potius quàm non crearet, ut hoc tempore potius quàm alio id faceret: imò oppoſitum conceptis verbis docet locis in probandâ Concluſione mox adductis; maximè verò citato Lib. 11. Confeſſ. cap. 21. ubi aſſerit, *hanc condendi mundi juſtiſſimam cauſam fuiſſe, ut à Deo bono bona opera fierent*; id eſt aliis verbis, ut perfectionem ſuam aliis rebus communicaret.

Dices 2. ex S. Thoma 1. parte quæſt. 19. art. 1. ad 1. *Non poteſt aliquis finis Deo aſſignari.* Ergo ex S. Doctore, Deus non condidit mundum propter aliquem finem.

Reſp. diſt. ant. Deo aſſignari non poteſt finis ab ipſo diſtinctus, concedo: finis qui ſit ipſe Deus: nego: ſimiliter diſt. conſeq. Deus non condidit mundum propter finem, extrinſecum & à ſe diſtinctum, concedo: qui ſit à ſe & à ſuâ bonitate indiſtinctus, nego. Solutio colligitur ex S. Thoma loco mox citato: *Dicendum*, inquit, *quòd licet nihil aliud a Deo ſit finis Dei, tamen ipſemet eſt finis reſpectu omnium quæ ab eo fiunt, & hoc per eſſentiam; cùm per ſuam eſſentiam ſit bonus..... finis enim habet rationem boni.* Et rurſus ibidem art. 2. ad 2. ſic habet: *Cùm Deus alia à ſe non velit, niſi propter finem qui eſt ſua bonitas, non ſequitur quod aliquid moveat voluntatem ejus, niſi bonitas ſua.* Ex quibus patet ſanctum Doctorem exiſtimare, quòd divina bonitas ſit Deo ratio & finis volendi ac agendi. Atque ex his facilè ſolvitur quod ex eodem ſancto Doctore ſolet objici, qui ibidem art. 5. in corpore ſic loquitur: *Vult ergo hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult.* Hâc enim loquendi ratione, uti obſervat Sylvius, id unum intendit S. Doctor, rationem cur Deus velit, non eſſe eam rem creatam vel creabilem quam vult, ſed eſſe ſolam ſuam bonitatem.

Dices 3. Qui agit propter finem, caret eo propter quod agit; niſi enim eo careret, non propter illud aſſequendum ageret: atqui Deus perfectiſſimus eſt & nullius indigens; ergo non poteſt agere propter finem.

Reſp. diſt. maj. Qui agit propter finem extrinſecum & à ſe diſtinctum, caret eo propter quod agit, concedo: qui agit duntaxat propter finem à ſe & ſuâ bonitate indiſtinctum, nego. Porrò, uti mox ex ſancto Thoma vidimus, *Deus non vult alia à ſe, niſi propter finem qui eſt ſua bonitas*: unde agendo propter finem non quærit aliquid quo ipſe indigeat. Sic in condendo mundo bonitatem ſuam cum aliis rebus communicavit; ſed ipſe non indigebat eâ communicatione, imò eâ indigebant res quæ creatæ fuerunt.

Dices 4. Si bonitas divina eſſet cauſa finalis ſuæ operationis oporteret quòd illa operatio Dei à divinâ bonitate diſtingueretur, atque ad illam ordinaretur; neque enim intelligi poteſt unum eſſe finem alterius, abſque diſtinctione & ordine unius ad alterum: atqui divina operatio nec ordinatur ad divinam bonitatem, nec ab ipsâ diſtinguitur; quia in Deo, utpote ſimpliciſſimo, omnino idem eſt bonitas & operatio: non ergo dici poteſt, vel quòd Deus Deive operatio habeat pro ſuo fine divinam bonitatem; vel quòd divina bonitas ſit cauſa finalis divinæ operationis.

Reſp. Cum Sylvio loco ſupra citato, duplicem eſſe Dei operationem; aliam quæ recipitur in creatura, & vocari ſolet actio Dei tranſiens; alteram verò quæ in Deo manet, & vocari poteſt actio Dei immanens. Certum eſt omnino actionem Dei tranſeuntem, ut & reliquas omnes creaturas, prò fine habere Deum Deique bonitatem, à quâ re diſtinguitur; quod autem ſpectat ad actionem

Dei immanentem, rectè etiam dici poteſt divinam bonitatem propriè eſſe finem ipſius: licet enim talis operatio à Dei bonitate re non diſtinguatur, ab ipſâ tamen virtualiter diſtinguitur, quæ diſtinctio ſufficit, ut divina bonitas dici poſſit cauſa finalis divinæ operationis; ſicuti eadem diſtinctio ſatis eſt, ut attributa ab ipſa Dei eſſentia tanquam à radice fluere meritò concipiantur. Ita Cajetanus, Eſtius & alii.

QUÆSTIO QUARTA.

Quas leges ſecutus ſit Deus in creatione mundi.

TRia maximè hac in Quæſtione veniunt diſcutienda. Primum, an Deus condiderit omnia quæ condi potuerunt. Secundum, an in creando mundo fecerit quæque optima facere potuit. Tertium, an leges generales eaſque pauciores ſecutus ſit Deus, permiſſis cauſis occaſionalibus, phyſiciſque legibus motûs.

ARTICULUS PRIMUS.

An Deus condiderit omnia quæ condi potuerunt.

ERrarunt hac in parte 1. nonnulli è veteribus Philoſophis, qui exiſtimabant nihil eſſe poſſibile præter id quod actu eſt, adeoque Deum omnia feciſſe quæ ipſi poſſibilia erant.

II. In hunc errorem impegit Petrus Abailardus, ut conſtat ex Lib. 3. introductionis ad Theologiam, ubi ſic loquitur: *Profectò id ſolùm poſſe Deum facere arbitror, quod quandoque facit, licet hæc opinio noſtra paucos aut nullos habeat aſſectatores, & plurimùm à doctrinis Sanctorum, & aliquantulum à ratione diſſentire videatur.* Errorem hunc poſtmodum revocavit Abailardus Epiſtolâ univerſis Chriſti Fidelibus inſcriptâ.

III. Eumdem errorem amplexus eſt Wicleffus Lib. 1. Trialogi cap. 11. *Deus*, inquit, *nihil poteſt producere, niſi quod producit.* Et rurſus ibid. *Deus mundum ampliſicare vel imminuere non poteſt.*

IV. Hoc idem docuerunt Calvinus & Bucerus, qui tamen ne Deum negare videantur omnipotentem, aſſerunt ad hoc ut omnipotens dicatur, ſufficere quòd facere poſſit & faciat quæcunque vult.

V. Ab his omnibus eamdem erroneam doctrinam mutuatus eſt Spinoſa, qui 1. parte Ethicæ docet, *nihil eſſe poſſibile, niſi quod actu exiſtit.*

Ad hunc errorem accedunt nonnulli ex recentioribus Philoſophis abutentes iſto principio, *Nihili nullam eſſe proprietatem*: porrò, inquiunt, ſi quod non extat poſſibile eſſet, nihili aliqua eſſet proprietas, nempe poſſibilitas. Satis ſit hanc in rem referre verba authoris inter recentiores philoſophos celeberrimi, in Libro cui gallicè titulus, *Uſage de la raiſon & de la foi.* Lib. 1. parte 2. cap. 8. pagin. 124. ſic loquitur: *Dieu étant éternel & immuable on ne peut ſuppoſer en lui aucune puiſſance qui ſoit ſeparée de l'acte.* Et paulò poſt: *On ne peut pas attribuer à une ſubſtance un degré de poſſibilité qui ſoit diſtingué de l'actualité.* Idem clariùs expreſſit ibid. cap. 5. *C'eſt une eſpece de temerité d'oſer dire que Dieu, dont la puiſſance eſt infinie, a fait moins de creatures que nous n'en pouvons concevoir.* Ergo reverà dicendum eſt juxta illum authorem, ea omnia quæ creari poſſunt & concipiuntur creabilia, reverà à Deo fuiſſe creata.

His omnibus addi poteſt peculiaris eorum opinio, qui aſſerunt Deum non alia facere poſſe, quàm quæ facit, nec omittere poſſe quæ facit: non quòd agat neceſſitate naturæ, ſed quòd agat neceſſitate ſapientiæ & juſtitiæ ſuæ, quæ non patiuntur res vel alias vel alio ordine fieri, quàm prout nunc inſtitutum videmus. Contra hos omnes ſit

CONCLUSIO.

Certiſſimum eſt Deum poſſe alia facere, quàm quæ facit: unde abſurdum eſt dicere, nihil eſſe poſſibile niſi quod actu exiſtit. Ita S. Thomas hic & quæſt. 1. de potentiâ art. 1.

Probatur ex Scripturis tùm veteris tùm novi Teſtamenti, quæ veritatem hanc manifeſtè declarant. Iſai. 59. *Non eſt*, inquit, *abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat; ſed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum.* Quaſi dicat Propheta, Deus poteſt ſalvare, ſed propter iniquitates veſtras non vult. Daniel 3. tres pueri ſic Regem alloquuntur: *Deus noſter poteſt nos eripere de camino ignis, & de manibus tuis liberare: Quod ſi noluerit, notum ſit tibi &c.* Scilicet ita loquuntur, ut certi de potentiâ, incerti de voluntate & effectu. Matth. 26. *An putas quia non poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Poterat ergo Chriſtus rogare, poterat & Pater exhibere, quorum tamen neutrum factum eſt. Atque hinc Matth. 19. legitur, *Apud Deum omnia poſſibilia ſunt*: ſub quâ ſententiâ plura comprehenduntur quæ tamen nuſquam eveniunt, qualia ſunt iſta, *camelum intrare per foramen acûs*, & Deum *de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ.*

Hæc eadem conſtans eſt & certa Patrum doctrina, quorum iſta duntaxat teſtimonia indicabimus. S. Cyprianus Lib. 4. Epiſt. 1. ad Confeſſores, S. Ambroſius in Lucam ad illud capitis 3. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis &c.* S. Hieronymus in Matth. 3. ad eadem verba, S. Auguſtinus Ench. cap. 65. *Fatemur*, inquit, *Deum multa poſſe quæ non vult.* Idem repetit Lib. de Geneſ. ad litt. cap. 17. & 18. Lib. 13. de civit. Dei cap. 18. & Lib. de ſpiritu & litt. cap. 1. ubi adductis aliquot exemplis oſtendit *multa eſſe Deo poſſibilia, quæ nuſquam fiunt.* S. Cyrillus L. 8. contra Julianum ſub finem, S. Leo ſerm. 14. de paſſione Domini, & poſt hos omnes S. Bernardus Epiſt. 190. in quâ diſſerit contra errores Abailardi. Eadem eſt cæterorum SS. Patrum doctrina, quibus conſentiunt omnes Scholaſtici.

Suffragantur & variæ rationes. Prima, Si Deus non poſſet alia facere quàm quæ facit, ſequeretur quòd non ſit omnipotens, & quòd potentia ejus non ſit infinita: non enim ille poteſt omnia abſolutè, qui ſolùm poteſt ea quæ facit; neque potentia illa eſt infinita, quæ eſt limitata ad eos effectus quos producit.

Nec valet ſi aſſeratur Deum eſſe omnipotentem, quia poteſt omnia quæ vult. Namque ſi ideo tantùm omnipotens eſſet Deus, quia poteſt omnia quæ vult, non autem quia & alia velle & facere poteſt; erunt hac ratione omnes Beati omnipotentes: poſſunt quippe omnia quæ volunt, nihil enim volunt inordinatum aut impoſſibile, cùm ſuam voluntatem divinæ voluntati conforment. Quod etiam competebat primo homini in ſtatu innocentiæ, teſte S. Auguſtino Lib. 14. de civit. cap. 26.

Secunda: Si Deus non poſſet alia facere quàm quæ facit, nec omittere quæ facit, tolleretur profectò divina libertas: porrò ſummam & perfectam

eſſe

eſſe in Deo agendi libertatem agnoſcit & confitetur fides catholica, atque contrarium damnat tanquam manifeſtam hæreſim: quod conſtat ex dictis in Tractatu de Attributis, ubi de libertate.

Tertia: Si Deus non poſſet alia facere quàm quæ facit; ergo non poteſt plures nec alios convertere, juſtificare, ſalvare, quàm qui convertuntur, juſtificantur, ſalvantur. Porrò fide catholicâ conſtat, Fideles juſtificatos qui à fide deficiunt & damnantur, potuiſſe in bonis perſeverare ac ſalvari. Item ſi Deus non poſſit alia facere quàm quæ facit, non poteſt hodie ſiſtere ſolem, ſicut in diebus Joſue; nec obſcurare diem, ſicut in paſſione Domini; nec tempeſtatem excitare, ſicut in diebus Samuëlis, & alia hujuſmodi innumera; quæ omnia quantum ſint abſurda, nemo non videt.

Quarta: Si Deus agit neceſſitate; ergo & homines quæcunque agunt, neceſſitate agunt: libertas enim agendi cùm ſit perfectio, non poteſt creaturæ competere, ſi non primùm competat Deo. Hoc autem ſemel dato jam tolluntur in univerſum conſilia, exhortationes, præcepta, minæ, promiſſa, pœnæ, præmia. Neque refert ſive naturæ ſive ſapientiæ neceſſitate aſſeratur Deum agere, nec poſſe alia facere quàm quæ facit, aut omittere quæ facit: ex utralibet enim neceſſitate eadem abſurda mox recenſita certò conſequuntur.

Quinta denique ratio petitur ex infirmitate fundamentorum quibus nititur adverſariorum ſententia. Duo potiſſimùm ſunt.

Primum iſtud eſt, nihil eſſe poſſibile niſi quod actu exiſtit: ita Abailardus, Wiclef, Spinoliſtæ &c. locis ſupra citatis: at nihil ſanè abſurdiùs tali principio. Namque 1. concipimus multa eſſe poſſibilia quæ numquam extitura ſunt: v. g. poſſibile erat ut Petrus heſterna die proficiſceretur Romam, quò tamen profectus non eſt. 2. multa ſunt futura, ac proinde poſſibilia, quæ tamen actu non extant, v. g. craſtinus ſolis ortus & occaſus: pariter craſtinæ hominum actiones hodie poſſibiles ſunt, nec tamen extant. 3. antequam extarent res creatæ, poſſibiles erant; ſi enim falſum eſt eas fuiſſe poſſibiles, verum eſt eas fuiſſe non poſſibiles, ſeu fuiſſe impoſſibiles: at abſurdum eſt dicere res fuiſſe impoſſibiles antequam extarent: ſi enim non fuiſſent poſſibiles, neutiquam extitiſſent; ergo &c.

Alterum adverſariorum fundamentum non minus falſum eſt & abſurdum. Scilicet, inquiunt, Deus non poteſt niſi ſapienter & juſtè agere; ergo nihil aliud agere poteſt, quàm quod curſus rerum à divina ſapientia inſtitutus habet. Ita Calvinus, Bucerus & alii. Equidem fatemur Deum non poſſe niſi ſapienter & juſtè agere, quia nimirum ſi quid agat, neceſſarium eſt ut ſapienter & juſtè agat: non tamen per ſapientiam ſuam & juſtitiam ulla neceſſitate alligatus eſt ad certum agendi modum & ordinem; quandoquidem & infinita alia agere poteſt, quæ ſi ageret, ſapienter & juſtè ageret: hujuſmodi ſunt autem quæcunque continentur in Dei potentia. Nam ut ait Thomas 1. p. q. 25. art. 5. *Divina ſapientia totum poſſe potentiæ comprehendit.* Et verò, ut ibidem ratiocinatur S. Doctor, ordo quem divina ſapientia rebus tradidit, non adæquat divinam ſapientiam, ac proinde divina ſapientia non limitatur ad hunc ordinem; ſed quemadmodum ipſa eſt infinita, ita poteſt alios & alios ordines rerum ſtatuere, pro ſuæ voluntatis beneplacito. Atque ea ratione Magiſter Sententiarum Lib. 1. diſt. 43. ſolvit argumentum mox propoſitum ex dicta neceſſitate ſapientiæ & juſtitiæ divinæ.

Meritò ergo ab Epiſcopis Gallicanis in Concilio Senonenſi celebrato anno 1140. damnatus eſt Abailardus & coactus errorem ſuum hanc in rem his verbis ejurare. *Credo Deum ea ſolummodo facere poſſe quæ ipſum facere convenit, & quod multa poteſt facere quæ nuſquam faciet.*

Dices 1. cum Abailardo Lib. 3. introductionis ad Theologiam: Deus nihil poteſt facere, niſi quod convenit & quod juſtum eſt fieri: atqui non poteſt non facere quod convenit ac juſtum eſt fieri; ergo nihil poteſt facere niſi quod facit.

Reſp. diſt. maj. Deus nihil poteſt facere, niſi quod convenit & quod juſtum eſt fieri: id eſt, nihil poteſt facere niſi id, quod ſi faceret, eſſet conveniens & juſtum, concedo: id eſt, niſi quod *modo* & in præſenti hypotheſi conveniens eſt & juſtum, nego: ſimiliter diſtinctâ min. nego conſeq. Scilicet ſi Deus, ſicut eum poſſe aſſerimus, vel non faceret ea quæ facit, vel cum his faceret alia, nihil faceret niſi quod eſſet conveniens & juſtum ſeu rationabile: quia hujus convenientiæ & juſtitiæ ſeu condecentiæ ratio non eſt metienda ex rebus ipſis quæ fiunt, ſed ex bonitate & ſapientiâ divinâ; hæc autem plures convenientiæ & condecentiæ modos novit, eiſque res varias adaptare poteſt, ſive eas quas facit, ſive alias quas facere poteſt, etſi nuſquam ſit facturus. Ita Sylvius 1. p. q. 25. art. 5. poſt S. Thomam ibidem.

Dices 2. cum Calvino, Bucero & aliis: Si Deus poſſet alia facere quàm quæ facit, fruſtranea erit & otioſa ipſius ad eas res potentia: atqui abſurdum eſt fruſtraneam in Deo admittere potentiam; ergo &c.

Reſp. negando maj. Tum quia potentia qua Deus tam multa quotidie operatur, nec eſt, nec dici poteſt otioſa & fruſtranea: porro eadem omnino eſt potentia per quam iſta operatur, & per quam poteſt alia operari. Tùm quia id duntaxat fruſtraneum dicitur, quod non aſſequitur finem in quem erat deſtinatum: at potentia Dei, cùm ſit ejus eſſentia, non eſt medium ad aliquem finem, ſed ipſa rerum omnium finis eſt; ergo &c.

Dices 3. cum nonnullis ex recentioribus. Nihili nulla eſt proprietas: atqui ſi quid eſſet poſſibile quod tamen non extaret, nihili foret aliqua proprietas, quia poſſe eſſe eſt aliqua proprietas; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. nihili nulla eſt proprietas, poſitiva, concedo: negativa, nego. Similiter diſt. min. nego conſeq. Equidem nihili nulla eſt proprietas poſitiva, ſed eſt aliqua proprietas negativa, quæ eſt excluſio impedimenti ne res aliqua quam cognoſcimus poſſibilem, exiſtat. Sic res quæ extitit & jam non extat, poteſt dici merum nihil, & tamen de illâ dici poteſt quòd præterita fuit; ratio illa præteriti eſt quædam proprietas, ſed negativa. Sic & futuritio eſt quædam proprietas rei quæ nondum eſt, ſed aliquando erit. Si adverſarii conſentaneè ſuis principiis loquerentur, negare cogerentur aliquid dici poſſe futurum aut præteritum, quâ quidem opinione nihil abſurdius fingi poſſet.

Inſtabis: Poſſibile plus aliquid ſignificat quàm merum nihil; ergo quod eſt poſſibile non eſt merum nihil; ergo eſt aliquid, quia inter nihil & aliquid non videtur medium; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. plus aliquid ſignificat negativum, concedo: poſitivum, nego. Poſſibile, licet nomine poſitivo exprimatur, non eſt tamen per ſe aliquid poſitivum, ſignificat enim meram non repugnantiam attributorum: hoc autem negativum tantùm eſt.

Eadem ratione argumentari quis poſſet dicendo futurum vel præteritum eſſe aliquid actu, quia plus aliquid ſignificant quàm merum nihil.

Dices

Dices 4. Intellectus divinus neceſſariò intelligit omnia quæ ſunt intelligibilia; ergo idem dicendum de omnipotentiâ, ſcilicet ipſam neceſſario operari omnia, quæ fieri poſſunt.

Reſp. Negando conſeq. & paritatem. Ratio diſparitatis eſt, quòd rerum intelligibilitas, independens ſit ab intellectu divino, & interſit ſupremæ ejus ſapientiæ cognoſcere omnia quæ ſunt intelligibilia: at verò rerum exiſtentia pendet à Dei omnipotentia & libera voluntate, nihil autem Dei intereſt, ut omnia quæ poſſunt fieri ſimul exiſtant; imò id non placet ejus voluntati, quæ omnia facit in pondere & menſura.

Præterea poſſibile non eſt, ut quidquid fieri poteſt ſimul actu exiſtat: v. g. licet utraque contradictionis pars de ſe ſit poſſibilis; ſi tamen exiſtat altera pars, ſtatim eo ipſo quamdiu eſt, altera fit impoſſibilis. V. g. poſſibile eſt Petrum in momento temporis proximè futuro ambulare vel non ambulare: ſi ambulet in illo temporis puncto, eo ipſo fit impoſſibile ut eodem tempore non ambulet, quia non poteſt eodem momento, qui ambulat non ambulare; ergo impoſſibile eſt ut omnipotentia divina actu faciat omne quod de ſe poſſibile eſt: at verò impoſſibile non eſt ut intellectus divinus omnia ſimul intelligat quæ ſunt intelligibilia, imò id exigit ſuprema ac infinita Dei ſapientia.

Denique, ut obſervat S. Thomas 1. p. q. 19. art. 3. ad 6. *Scientia habetur de rebus ſecundum quod ſunt in ſciente; voluntas autem comparatur ad res ſecundum quod ſunt in ſeipſis: quia igitur omnia alia habent neceſſarium eſſe ſecundum quod ſunt in Deo, non autem ſecundum quod ſunt in ſeipſis......propter hoc, Deus quæcumque ſcit, ex neceſſitate ſcit; non autem quæcumque vult, ex neceſſitate vult.* Eandem diverſitatis rationem aſſignat S. Doctor Lib. 1. contra gentes cap. 82. & quæſt 24. de veritate art. 4. ad 13. ubi aliam diſcriminis rationem indicat, quòd nempe intelligere arguat perfectionem in intelligente & non in re intellectâ; unde ſi Deus non intelligeret omnia, non haberet omnem perfectionem, ideoque neceſſarium eſt eum ſcire alia à ſe, ea ſcilicet omnia, quæ ſunt poſſibilia; è contra velle & producere tendit ad perfectionem rei volitæ & productæ: unde ſi Deus nec vellet nec operaretur alia à ſe, nihil in eo eſſet imperfectionis, & idcircò non eſt neceſſe ipſum velle aut operari alia à ſe.

ARTICULUS II.

An Deus in condendo mundo neceſſariò fecerit quæcunque optima facere potuit.

1

OBſervandum 1. duplicem eſſe neceſſitatem, abſolutam ſcilicet, & hypotheticam. Abſoluta ea eſt quæ ex nullâ conditione pendet. Hypothetica, quæ ex aliquâ ſuſpensâ eſt hypotheſi.

Obſervandum 2. Opus aliquod variis modis dici poſſe magis vel minùs perfectum. 1. in ſe & ratione ſuæ entitatis. 2. ratione modi quo agens operatur; ſeu, quod idem eſt, habita ratione viarum magis aut minùs ſimplicium, (ac conſequenter perfectiorum) quas agens in productione operis adhibet. 3. denique opus dici poteſt magis vel minùs perfectum in ordine ad finem quem operans inter agendum ſibi proponit.

Obſervandum 3. duplicem in Deo diſtinguendam eſſe potentiam; aliam abſolutam, alteram verò ordinatam vel ordinariam.

Potentia abſoluta ea eſt quâ Deus poteſt omne id, in quo ſalvari poteſt ratio entis, uti indicat S. Thomas 1. p. q. 25. art. 5. ad 1. hoc eſt, ſecundùm quam Deus poteſt omnia quæ ſimpliciter & abſolutè ſunt poſſibilia, utpote nullam contradictionem implicantia; ſic poteſt dæmones alioſque damnatos ex inferno liberare.

Potentia ordinata vel ordinaria dicitur, quâ Deus operatur ſecundùm communem rerum ordinem ab ipſo inſtitutum; ſeu, ut alii loquuntur, ea eſt, quâ Deus poteſt ea omnia quæ & quatenus conſentiunt cum aliis Dei attributis, ſapientiâ, juſtitiâ, miſericordiâ &c.

Obſervandum 4. conſtare apud omnes, Deum poſſe operari ad extra, aut non operari pro arbitrio; ideoque neceſſitate abſolutâ non teneri ad facienda optima quæque facere poteſt: is enim fuit unus ex palmaribus Wiclefi erroribus in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 8. meritò proſcriptis, *Omnia ex neceſſitate abſolutâ eveniunt.* Verùm hic quæritur utrum ex hypotheſi, quòd Deus operetur, poſſit facere id quod magis aut minùs perfectum eſt: an verò teneatur ad id quod perfectiſſimum eſt in ſe & ratione ſuæ entitatis, aut ſaltem in ordine ad vias ſimpliciores, & habitâ ratione finis quem inter agendum ſibi proponit.

Obſerv. 5. non unum eſſe hâc de re nonnullorum tùm veterum, tùm recentiorum ſententiam.

Abailardus Lib. 3. introductionis ad Theologiam expreſsè aſſerit, *Deum poſſe ea duntaxat facere quæ optima ſunt*: atque inde concludit, *eum non potuiſſe alia facere quam quæ fecit.* Hugo Victorinus obſervat ſuo tempore nonnullis arriſiſſe hanc ſententiam. Eidem poſtea adhæſit Raymundus Lullus.

Malebranchius inter recentiores magni nominis Philoſophus, ſiſtema iſtud plurimùm illuſtravit, ac multis argumentis fulcire conatus eſt in ſuo *de gratiâ & naturâ* opere, aliiſque in locis: non abs re erit hujus authoris doctrinam paucis hic referre.

Docet 1. Deum fuiſſe omnino liberum circa hujuſce viſibilis mundi creationem.

Docet 2. Ex hypotheſi quòd Deus voluerit mundum condere, non potuiſſe abſtinere à decernendâ Incarnatione. Idipſum expreſsè aſſerit variis in locis, maximè verò initio Libri *de naturâ & gratiâ* his verbis: *Dieu ne pouvant agir que pour ſa gloire, & ne la pouvant trouver qu'en lui-même, n'a pû auſſi avoir d'autre deſſein dans la création du monde, que l'etabliſſement de ſon Egliſe. Jeſus-Chriſt qui en eſt le Chef, eſt le commencement des voyes du Seigneur ..... c'eſt en lui que tout ſubſiſte. Car il n'y a que lui qui puiſſe rendre l'ouvrage de Dieu parfaitement digne de ſon auteur.... Le monde, quelque parfait qu'il puiſſe être, n'eſt point infiniment aimable, & ne peut rendre à Dieu un honneur digne de lui. Ainſi, ſeparez J. C. du reſte des creatures, & voyez ſi celui qui ne peut agir que pour ſa gloire, & dont la ſageſſe n'a point de bornes, pourra prendre deſſein de rien produire au dehors.* Quibus verbis manifeſtè patet, juxta Malebranchium, non modò Deum condidiſſe mundum propter Chriſtum, ſed nec propter alium finem creare potuiſſe.

Docet 3. Ex infinitis poſſibilibus mundis quos Deus in theſauris ſuæ ſapientiæ deprehendit, eum præ cæteris creandum ſelegiſſe, qui ſimpliciori viâ condi, conſervari ac gubernari poterat; idque ex neceſſitate naturæ ſuæ, quæ, utpote ſimpliciſſima, nonniſi ſibi ſimilia facere poteſt. Ita mentem ſuam hanc in rem clarè exponit Malebranchius citato mox Lib. *de naturâ & gratiâ*, Oratione proœmiali, n. 12. ubi ſic habet: *D'un nombre infini de voyes par leſquelles Dieu a pû executer ſon deſſein de créer le monde, voyons quelle eſt celle qu'il a dû preferer*

à toutes les autres : & commençons par la creation de ce monde viſible.....Ayant decouvert dans les treſors infinis de ſa ſageſſe une infinité de mondes poſſibles, comme des ſuites neceſſaires des loix des mouvemens qu'il pouvoit établir, il s'eſt determiné à créer celui qui auroit pu ſe produire & ſe conſerver par les loix les plus ſimples, ou qui devoit étre le plus parfait, par rapport à la ſimplicité des voyes neceſſaires à ſa production ou à ſa conſervation. Et rurſus n. 13. ſequenti : *Dieu pouvoit ſans doute faire un monde plus parfait que celui que nous habitons : il pouvoit, par exemple, faire en ſorte que la pluie qui ſert à rendre la terre feconde, tombat plus regulierement ſur les terres labourées, que dans la mer, où elle n'eſt pas neceſſaire. Mais pour faire ce monde plus parfait, il auroit fallu qu'il eut changé la ſimplicité de ſes voyes, & qu'il eût multiplié les loix de la communication des mouvemens par leſquels notre monde ſubſiſte.*

Docet 4. Deum in creando mundo tres tantùm ſtatuiſſe leges, ex quibus naſcituri erant omnes naturales effectus, qui in rerum univerſitate deprehenduntur.

Prima lex in eo poſita eſt, ut corporum motus tendat ad rectam lineam.

Secunda, ut quantitas motus communicetur pro quantitate molis corporum quæ in ſeſe invicem impingunt.

Hæ duæ leges ſpectant corpora.

Tertia lex ſpectat ſubſtantias rationales, & in eo conſtituta eſt, ut Deus ea duntaxat faciat circa illas ſubſtantias rationales, ad quæ illarum precibus ac votis ritè factis determinatur.

Docet 5. Deum id ſolum ſibi propoſuiſſe ordinariè facere quod juxta has tres leges fieri debet; adeò ut per ſeipſum nullum effectum ſigillatim & voluntate ſingulari velit, ſed duntaxat quatenus ex illis legibus ſequitur. Exiſtimat ergo voluntatem Dei non determinari ad aliquid faciendum circa corpora, niſi ex concurſu eorum juxta prædictas leges, & non determinari ad aliquid faciendum circa rationales ſubſtantias, niſi ex earum votis ac precibus ritè factis. Hanc agendi rationem ordinem naturalem appellat Malebranchius; huncque concurſum corporum, & hæc vota quibus determinatur Deus, cauſas occaſionales.

Itaque prædictus author nobis exhibet Deum inſtar alicujus Principis qui ad gubernandum regnum cui præeſt, miniſtros inſtituit quorum voluntate & arbitrio cuncta voluit regi, ita ut nihil deinceps decernat, niſi illorum miniſtrorum nutu determinatus.

Docet 6. quandoque tamen Deum voluntate ſpeciali & à cauſis occaſionalibus independendi aliquid velle: verùm addit, id præter naturæ ordinem fieri; idque miraculum appellat.

Docet 7. hanc agendi rationem ita convenire Deo, ut ab eâ non poſſit abſtinere, niſi ſeipſum neget, ut loquitur Apoſtolus, id eſt, niſi indignum aliquid perfectione naturæ ſuæ faciat. Contendit enim hanc ſolam agendi rationem, per vias, ſcilicet ſimpliciores, generales, conſtantes & uniformes convenire infinitæ Dei ſapientiæ: *Il eſt évident*, inquit Malebranchius medit. 11. n. 13. *que Dieu ne peut pas ſe démentir ſoi-même, & étant infiniment ſage, ne pas agir ſagement; & ce ſeroit ne pas agir ſagement : que de faire par des voyes compoſées & des volontés particulieres, ce qu'il peut executer par des voyes ſimples & des volontes generales.* Idem repetit mox citatâ Orat. proœmiali Lib. de natura & gratia art. 42. *Dieu eſt obligé d'agir d'une maniere digne de lui, par des voyes ſimples, generales, conſtantes & uniformes.....ſa ſageſſe qu'il aime plus que ſon ouvrage, l'ordre immutabile & neceſſaire qui eſt la regle de ſes volontés, ne permet pas qu'il agiſſe autrement.*

Docet deniquè 8. his præſuppoſitis, manifeſtum eſſe unde orta ſint illa vitia quæ in rerum univerſitate occurrunt : ſcilicet exiſtimat ea referenda eſſe in cauſas occaſionales quibus obſequitur Deus, eumque ſatius judicaſſe hæc non impedire vitia, quam diſcedere à ſimplici agendi via quam ſemel elegit.

Hæc leguntur paſſim in Libris Malebranchii, ſed præſertim in tractatu de natura & gratia, in meditationibus, in Libro de inquirenda veritate &c.

Eandem, proportione ſervata, agendi rationem Deo tribuit circa ordinem ſupernaturalem. Sed de ea altera Malebranchii ſiſtematis parte alias agendi locus erit.

Communis ac conſtans Theologorum ſententia docet poſt S. Thomam 1. parte quæſt. 25. art. 6. Deum non ſemper ac neceſſariò facere id quod in ſe, aut relativè ad vias ſimpliciores, melius eſt ac perfectius: ſed poſſe operari meliora iis quæ facit, & majorem operis perfectionem, majori viarum ſimplicitati præferre. His præmiſſis ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Deus in creando mundo, ſeu ex hypotheſi creationis mundi, non tenetur neceſſitate naturæ aut ſapientiæ ſuæ ad facienda ea quæ in ſe optima ſunt & perfectiora, ita ut meliora facere non potuerit. Ita Doctor Angelicus loco mox citato, cæterique paſſim Theologi.

Probatur 1. ex Scripturis quæ veritatem hanc ſæpius indicant. Epheſ 3. *Potens eſt Deus omnia facere ſuperabundanter quam petimus aut intelligimus.* Non ergo ad unum duntaxat, optimum ſcilicet, neceſſitate naturæ aut ſapientiæ ſuæ adſtrictus eſt Deus, Rom. 11. *Incomprehenſibilia ſunt judicia Dei, & inveſtigabiles viæ ejus.* Job. 9. *Nemo poteſt Deo dicere, Cur ita facis?* Porro ſi Deus neceſſitate naturæ aut ſapientiæ adſtringeretur ad facienda quæ in ſe optima ſunt & perfectiora, jam hæc falſa forent: quippe cognoſceremus ideo Deum aliquid fecisse, quia illud eſt perfectiſſimum. Idem colligitur ex illo Iſaiæ 40. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt.* At ſi quæcunque exiſtunt inſtar nihili ſint in conſpectu Dei, non ergo adſtringitur ad unum præ alio eligendum, ſed omnia pro ſua ſumma libertate & beneficentia facit.

Probatur 2. ex SS. Patribus. Plurima hanc in rem SS. Patrum teſtimonia collecta reperies apud Petavium Lib. 5. de Deo cap. 6. ubi contra Abalardum fusè probat ex Patribus, Deum poſſe alia longè perfectiora quam fecerit pro voluntate & arbitrio operari. Pauca de multis hic retuliſſe ſufficiat.

Tertullianus L. contra Praxeam cap. 10. *Planè nihil*, inquit, *Deo difficile.... Dei enim poſſe, velle eſt. Sed ſi tam abrupte in præſumptionibus noſtris hac ſententia utamur, quidvis de Deo confingere poterimus, quaſi fecerit, quia facere potuerit. Non autem quia omnia poteſt facere, ideo utique credendum illum feciſſe, etiam quod non fecerit ſed an fecerit, requirendum.* Ergo multa potuit, & quidem ab iis diverſa quæ facta ſunt, moliri Deus; ac proinde neceſſariò non facit quidquid ſimpliciter & abſolutè melius eſt.

S. Athanaſius Lib. 3. contra Arianos pag. 239. idipſum egregiè explicat his verbis, *Poterat : etſi nuſquam*

nuſquam adveniſſet Chriſtus, ſolummodo loqui Deus, & maledictionem ſolvere. Sed conſiderandum eſt quid hominibus expediat; neque in omnibus æſtimare quid poſſit Deus..... quidquid enim facit, hoc & utile eſt hominibus, nec aliter decebat fieri. Quibus certè verbis nihil ad propoſitum noſtrum dici poteſt expreſſius.

His germana ſunt illa Theodoreti, ſermone quarto contra Gentiles: *Voluit autem non quanta poterat, ſed quanta ſufficere judicavit. Nam ipſi facile quidem erat, decem, aut viginti millia creare mundorum: quandoquidem velle effectionum omnium facillimum eſt; ſiquidem etiam nobis omnium eſt velle facillimum: ſed voluntatem noſtram vis & facultas non ſequitur. At univerſorum Deo poſſibilia ſunt quæcunque vult: quippe cum voluntate conjuncta eſt poteſtas. Nihilominus non potentiâ menſus eſt creaturam, ſed quæcunque voluit fecit.*

Theophilus Alexandrinus In Epiſtolâ 1. Paſchali Origenem refellens, *Neceſſe eſt*, inquit, *numero, menſuraque factorum Dei fortitudinem coæquari, ſi non potuit majora facere, quam fecit.*

Diſertiſſima ſunt eâ de re S. Auguſtini teſtimonia Lib. 11. de civit. Dei cap. 22. contra Manichæos diſputans clarè docet S. Doctor, Deum nihil ſic operari aut quovis modo exequi, ut non poſſit alio efficere, vel eo deteriore, quem reipsâ conſtituit, ſed bono tamen & commodo: "A terrenis, *inquit*, „uſque ad cœleſtia, & à viſibilibus uſque ad inviſi„bilia ſunt aliis bonis alia bona meliora, ad hoc in„æqualia, ut eſſent omnia. Deus autem ita eſt arti„fex magnus in magnis, ut minor non ſit in parvis: „quæ parva non ſuâ granditate, nam nulla eſt, ſed „artificis ſapientiâ metienda ſunt." Itaque ex S. Auguſtino, cur eo, quod videtur melius, rejecto, id quod inferius eſt eligat Deus, ſi ita velit, ſola ratio poteſt voluntas facientis ac libertas. Et in Lib. 28. contra Fauſtum, Chriſtum ait aliunde naſci potuiſſe quam ex fœminâ. *Potuit*, inquit, *ſed noluit; & hoc melius eſt quod voluit.* Non ergo Deus neceſſariò facit quod eſt optimum: Rurſus in Enchiridio ad Laurentium cap. 95. *Tunc in clariſſimâ luce ſapientiæ videbitur...... quam certa & immutabilis & efficaciſſima ſit voluntas Dei, quam multa poſſit, & non velit: nihil autem velit quod non poſſit.* Denique in Lib. de naturâ & gratiâ cap. 7. *Quia Dominus Lazarum ſuſcitavit, ſine dubio potuit; quia verò Judam non ſuſcitavit, numquid dicendum eſt, Non potuit? Potuit ergo, ſed noluit: nam ſi hoc voluiſſet, etiam hoc poteſtate feciſſet.* Non igitur ſic conſtrictam & coarctatam Dei vim ac potentiam credidit S. Auguſtinus, ut nihil, præterquam quod perfectiſſimum, potuerit efficere.

Accedunt in noſtræ Concluſionis confirmationem, ii SS. Patres qui nedum ſentiant poſitâ hypotheſi creationis mundi Incarnationem fuiſſe omnino neceſſariam, unanimi econtra conſenſu docent, quòd ſi primus homo non peccaſſet, neutiquam Verbum carnem aſſumpſiſſet: horumce SS. Patrum verba referemus in Tractatu de Incarnatione, ſatis erit hic eorum nomina appellare.

S. Irenæus Lib. 5. cap. 14. Tertullianus de carne Chriſti cap. 14. S. Athanaſius Oratione 3. contra Arianos, S. Baſilius Homil. 29. adversùs eoſdem, Gregorius Nazianzenus Oratione 36. S. Ambroſius de Incarnat. cap. 6. S. Chryſoſtomus Homil. 31. in Matth. S. Cyrillus Lib. 5. de Trinitate, S. Auguſtinus ſermone 3. de verbis Apoſtoli & alibi ſæpe, S. Leo ſermone 5. de Pentecoſte, ſanctus Gregorius in Lib. 4. Regum cap. 1. Ergo omnes illi SS. Patres non exiſtimabant Deum teneri ad illud quod in ſe melius eſt ac perfectius.

Probatur 3. variis rationibus Theologicis.

Prima. Ideo, ſecundùm adverſarios Deus neceſſitate naturæ aut ſapientiæ ſuæ adſtringitur ad perfectiſſimum, quia agens perfectiſſimum ſi ordinatè agat tenetur facere id quod in ſe perfectius eſt: atqui hæc ratio nulla eſt; nam inde ſequeretur Deum etiam non potuiſſe abſtinere à creando mundo; ſiquidem mundus exiſtens eſt aliquid melius quàm non exiſtens: falſum conſequens ex adverſariis, qui volunt Deum liberè creaſſe mundum; ergo &c.

Secunda. Si Deus teneretur agere id quod eſt perfectiſſimum, nihil omnino operari poſſet ad extra: cùm enim nulla creatura ita perfecta dari poſſit, quin perfectior adhuc in infinitum ſit poſſibilis, Deus nuſquam quidquam agere poſſet quod ſimpliciter & abſolutè perfectius eſſet, adeoque ad extra non poſſet operari.

Tertia. Si Deus teneretur agere quod eſt perfectiſſimum, debuit mundum hunc creare multò perfectiorem quàm ſit: ſiquidem poſſibilis eſt mundus hoc noſtro perfectior, & in noſtro poſſent eſſe plures mentes, plures Angeli &c.

Quarta. Bonum, ut ajunt, additum bono facit melius; ergo quo major erit numerus hominum aut Angelorum aut aliorum entium, eò & perfectior res erit; ergo in adverſariorum ſententiâ adſtrictus fuit Deus ad producendos quos potuit plurimos homines vel Angelos, & plurima quæ potuit entia perfecta: atqui tamen id falſum eſt, imò & impoſſibile; exinde enim ſequeretur Dei potentiam poſſe limitari & exhauriri, atque adeo illam non eſſe infinitam, ac per conſequens Deum non eſſe omnipotentem.

Quinta. Unio hypoſtatica divinæ naturæ cum humanâ, vel aliâ naturâ rationali, eſt quid perfectiſſimum, ipſo conſentiente Malebranchio, & longè perfectius quam non unio hypoſtatica; ergo Deus neceſſariò adſtrictus fuiſſet ad hanc unionem, & quidem non ſolùm cum unâ naturâ individuali, ut factum eſt in Chriſto, ſed etiam cum aliis individualibus quibuſcunque naturis. Porrò nemo non videt quàm ſit iſtud abſurdum, & quàm adverſum Scripturis quæ Incarnationem nobis exhibent non ut arctæ neceſſitatis, ſed contra ut inſignis miſericordiæ opus.

Ex dictis in hacce Concluſione manifeſtè patet, falſum eſſe quod Malebranchius initio Libri de naturâ & gratiâ, veluti principium conſtans ac indubitatum ſtatuit, ſcilicet Deum in condendo mundo neceſſariò ſibi propoſuiſſe Chriſtum tanquam finem, adeoque non potuiſſe rerum univerſitatem condere, quin ſimul Incarnationem decerneret.

SECUNDA CONCLUSIO.

Deus non ſemper ac neceſſariò facit id quod melius eſt ac perfectius in ordine ad vias ſimpliciores: & fictitium eſt circa eaſdem generaliores & ſimpliciores vias, Malebranchii ſiſtema.

Probatur 1. ex præcedenti Concluſione. Scripturæ, Patres, aliaque momenta ibi adducta ex æquo evincunt Deum non ſemper ac neceſſariò efficere id quod in ſe aut relativè ad vias ſimpliciores melius eſt & perfectius.

Probatur 2. ex dicendis Articulo ſequenti. Scilicet palmare fundamentum quo nititur Malebranchii ſiſtema circa vias ſimpliciores, iſtud eſt, quòd nempe cauſa univerſalis & perfectiſſima in producendis & regendis rebus univerſi non debeat uti ſingulari voluntate, ſed generali duntaxat quæ per cauſas occaſionales determinetur: at iſtud princi-

pium

pium falſum eſſe, toto Articulo ſequenti ex profeſſo demonſtrabimus.

Probatur 3. Supponit Malebranchii ſiſtema Deum agere propter gloriam & honorem, tanquam propter finem ſibi acquirendum: atqui falſum eſt Deum agere propter gloriam ſuam, tanquam propter finem ſibi acquirendum. Quod quidem conſtat.

I. ex Scripturis Pſalmo 15. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*: imò ipſe eſt omnium bonorum noſtrorum fons & origo; non ergo Deus agit ut quidquam ſibi acquirat, ſed ut bonitatem ſuam aliis communicet.

II. ex Patribus. S. Auguſtinus Lib. de Geneſ. contra Manichæos cap. 2. & L. qu. 83. q. 28. quærenti cur Deus fecerit cœlum & terram, tantùm reſpondet, *quia voluit*: ulteriùs autem quærenti quare voluerit, ſtultam eſſe dicit eam quæſtionem, *cum nulla ſit cauſa voluntatis divinæ*: *nihil enim ea prius eſt aut majus, ſed ipſa prima & ſumma eſt omnium cauſa. Compeſcat ergo*, pergit S. Doctor, *ſe humana temeritas, & id quod non eſt non quærat, ne id quod eſt non inveniat.* Ergo ex S. Auguſtino, gloria ex rerum creatione Deo obventura non eſt propriè finis quem Deus in creando mundo ſibi propoſuit. Unde idem S. Doctor Lib. 11. de civit. Dei cap. 21. aſſerit, *hanc condendi mundi juſtiſſimam cauſam fuiſſe, ut à bono Deo bona opera fierent*: id eſt, non ut perfectionem aliquam acquireret, ſed ut perfectionem ſuam operando aliis communicaret.

Idem ſæpius expreſſis verbis Doctor Angelicus, 1. p. q. 19. art. 2. in corp. *Sic igitur*, inquit, *vult* (*Deus*) *& ſe & alia; ſed ſe ut finem, alia verò ut ad finem, in quantum condecet divinam bonitatem, alia ipſam participare.* Et art. 5. in corpore: *Velle finem non eſt Deo cauſa volendi ea quæ ſunt ad finem, ſed tamen vult ea quæ ſunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult*: id eſt, ut hic exponit Sylvius, Deus vult unam rem eſſe propter aliam, ſicut media vult eſſe propter finem, *ſed non propter hoc vult*; id eſt ratio cur ipſe velit, non eſt res creata vel creabilis quam vult, ſed eſt ſola ſua bonitas: quod quidem clarè exprimit ibidem S. Thomas ad 1. his verbis: *Dicendum quod voluntas Dei rationabilis, eſt non quia aliquid ſit Deo cauſa volendi, ſed in quantum vult unum eſſe propter aliud.* Et quæſt. 44. art. 4. ad 1. *Non agit Deus propter ſuam utilitatem, ſed ſolum propter ſuam bonitatem.* Ex his teſtimoniis patet in ſententiâ Doctoris Angelici nihil eſſe extra Deum, quod eum quaſi moveat ad volendum vel agendum quippiam, neque ut efficiens cauſa, neque ut finis; ſed ipſum ex ſuâ bonitate, quam aliis communicare vult, ad operandum procedere; ac proinde ipſum univerſorum cauſam eſſe efficientem atque finalem.

III. Idem evincunt momenta è ratione petita.

Primum ſic eſt. Nihil extra Deum poteſt eſſe Dei finis: Deus enim ipſe ſuus ſibi finis eſt, ſeipſo beatus eſt, omnia in ſe continet: atqui gloria ex rerum univerſitate Deo obventura extra Deum eſt; ergo non poteſt eſſe Dei finis. Et verò ſi Deus extra ſe aliquid appeteret ut finem ſuum, jam non eſſet perfectiſſimus, infinitus, non ſibi ſufficeret ipſe, ſed indigeret aliis, quod ipſo prorſus indignum eſt. Adde quod ſicuti Deus efficientem cauſam non habet, ita nec finalem; ipſe eſt rerum omnium primum principium & ultimus finis.

Secundum, Deus neceſſariò amat finem ſuum, nec poteſt eo carere, utpote Felix ac Beatus: unde ſi gloria ex mundi fabricâ in Deum redundatura eſſet ipſius finis, in illam ita propenderet Deus, ut nec ab Incarnatione decernenda & peragenda nec à mundo condendo potuiſſet ullo pacto abſtinere: at fides docet & ratio evincit, nec diffitentur adverſarii, Incarnationem & mundi fabricam non fuiſſe Deo omnino neceſſariam; ergo gloriam hanc ut finem ſuum nec voluit nec quiſivit Deus.

Tertium denique deſumitur ex diſcrimine quod intercedit inter operantem Deum, & creaturam. Scilicet, ut obſervat Eſtius in 2. diſt. 1. art. 12. poſt S. Thomam 1. parte q. 44. art. 4. ad 1. omnis creatura operatur ut bona ſit, id eſt, ut perfectionem ſuam acquirat, aut conſervet; Deus autem operatur tantùm quia bonus eſt, id eſt, ut perfectionem ſuam operando aliis communicet, ipſe nullius perfectionis indigens, nec ullius aſſequendæ capax *Deus ſolus*, inquit S. Thomas loco mox citato, *eſt maximè liberalis*, *quia non agit propter ſuam utilitatem, ſed ſolùm propter ſuam bonitatem*: ut eam nimirum *aliis communicet ſecundùm quod eſt poſſibile*, ut loquitur idem S. Doctor 1. p. q. 19. art. 2. Ergo gloria ex creatione mundi in Deum redundatura, non eſt finis quem Deus in condendo mundo ſibi neceſſariò præſtituit: ac proinde fictitium eſt Malebranchii ſiſtema, quod iſtud tanquam certum ſupponit. Vide quæ diximus Quæſtione 4. Articulo 1. Concluſione 2.

Probatur 4. Malebranchii ſiſtema circa vias generaliores & ſimpliciores; ſupponit Deum aſſumere propter ſe media tanquam media ad finem: ſiquidem Deus in eo ſiſtemate nihil vult agere, niſi determinatus ab aliquâ cauſâ occaſionali, tam in ordine naturali quam ſupernaturali. Atqui Deus non aſſumit propter ſe media tanquam media ad finem: nam ille non aſſumit propter ſe media tanquam media ad finem, cur media neceſſaria non ſunt ad finem ſuum aſſequendum: atqui nulla media ſunt neceſſaria Deo ad finem ſuum aſſequendum: Deus enim quæcunque vult, per ſolam & propter ſolam ac unicam ſuam voluntatem operatur, ita ut præter ſimplicem Dei voluntatem nulla ſit quærenda ulterior facti ratio, ut docent SS. Auguſt. & Thomas locis ſuperiùs laudatis; ergo &c.

Reſpectu ergo Dei nihil poteſt eſſe medium ad finem, ſed tantum reſpectu creaturarum: ubi accuratè diſtinguendum inter iſta duo, velle aliquid tanquam medium ad finem, & velle ut aliquid ſit medium. Equidem Deus vult ut creaturæ ſint medium ad finem reſpectu noſtri, ſed reſpectu ſui non vult illas creaturas tanquam medium ad finem. Sic voluit ut Sacramenta forent medium ad noſtram ſanctificationem, neque tamen ipſe indiget Sacramentis ad producendam in nobis gratiam ſanctificantem. Similiter voluit creationem mundi cæteraque omnia ordinari ad gloriam nominis ſui, juxta illud Proverb. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt.* neque tamen gloria ex mundi creatione ſibi obventura, ratio eſt cur ipſe velit, ſed ſola ſua bonitas. Unde ut loquitur S. Thomas loco antea citato: *Deus vult hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult.*

Probatur 5. Malebranchii ſiſtema circa vias generaliores & ſimpliciores iterum ſupponit 1. aliquid ad extra eſſe melius reſpectu Dei. 2. vias illas generales compenſare ſimplicitate ſuâ omnes defectus qui ex ipſis proveniunt; ita ut major viarum ſimplicitas, majori operis perfectioni præponderare debeat. 3. impoſſibilem eſſe alium mundum in quo pauciora forent monſtra quam in noſtro, ſi Deus velit (ut tenetur) ordinatè agere & vias generales ſequi: atqui hæc omnia gratis conficta ſunt, falſa & abſurda.

I. falſum eſt & gratis confictum aliquid ad extra

(in ordine phyſico, de quo hic quæſtio) eſſe melius & perfectius reſpectu Dei. Namque ſi reſpectu Dei aliquid eſſet melius, vel tale eſſet bonitate finis, vel bonitate medii: atqui tale non eſt bonitate finis: ſiquidem Deus ipſe ſuus ſibi finis eſt, & ſibi ipſe ſatis eſt ſolus: non bonitate medii, quia medium non eſt reſpectu Dei; ergo &c.

Et verò major rei bonitas & perfectio potiſſimum deſumitur á ſupremâ Dei voluntate, cui ſatisfieri optimum eſt, imò melius quam ei, re meliore poſitâ non ſatis fieri, cùm ſit abſolutus & ſupremus rerum omnium dominus. Ita ſæpius indicant SS. Auguſtinus & Thomas locis antea citatis.

II. falſum etiam eſt vias generales quas Deus in condendo mundo adhibuit ſimplicitate ſuâ compenſare omnes defectus qui ex ipſis proveniunt, quique non orirentur ſelectâ hypotheſi magis compoſitâ: ad hoc enim ſatis eſt quòd major operis perfectio præponderare debeat majori viarum ſimplicitati, & non èontra major viarum ſimplicitas majori intrinſecæ operis perfectioni: atqui experientiâ & omnium conſenſu conſtat majorem operis perfectionem anteponendam eſſe majori viarum ſimplicitati, quas in condendo opere artifex adhibuit: quod quidem maximè locum habet, ubi artifex pari facilitate exequitur opus per vias ſimpliciores aut compoſitas, & utrarumque viarum perinde author eſt & inſtitutor, quod in Deo locum habet; ergo &c.

III. falſum pariter eſt & gratis confictum, impoſſibilem eſſe alium mundum in quo pauciora forent monſtra quam in noſtro, ſi Deus velit vias generales ſequi, ut tenetur. Ut enim iſtud meritò aſſerere poſſet Malebranchius, debuiſſet cognoſcere omnes combinationes poſſibiles quæ oriri poterant ex tribus ſupra recenſitis viis generalibus quas proponit: atqui &c. ergo &c.

Probatur 6. Cùm aſſerit Malebranchius, agens perfectiſſimum & maximè prudens neceſſariò agere per vias ſimpliciores. vel id intelligit de viis ſimplicioribus duntaxat relativè ad finem quem ſibi proponit; vel id intelligit de viis non ſolùm relativè, ſed etiam in ſe & abſolutè ſimplicioribus.

Si primum, equidem concedi poteſt Deum, cum ſibi proponit aliquid agere, ut plurimum ſeligere agendi vias ſimpliciores, habitâ ratione ſuæ voluntatis ſuique conſilii, ac finis quem ſibi in hoc opere præſtituit: at exinde nihil commodi accedere poteſt authori ſiſtematis. Non enim in eâ hypotheſi conſtare poteſt quænam agendi ratio ſit ſimplicior, ac proinde magis conveniens ſapientiæ divinæ, niſi priùs conſtet de ſcopo & fine quem Deus in agendo ſibi proponit, porro, ut loquitur Apoſtolus Rom. 11. v. 33. *Incomprehenſibilia ſunt judicia Dei, & inveſtigabiles viæ ejus.* Et rurſus v. 34. *Quis cognovit ſenſum Domini? aut quis ejus conſiliarius fuit?* Itaque ex eo quòd agens perfectiſſimum ſeligat vias ſimpliciores habitâ ratione conſilii ſui, inde nihil certi ſtatui poteſt quo judicetur quâ agendi ratione utatur Deus, tùm in ordine naturali, tum in ordine ſupernaturali.

Secundum verò nullatenus dici poteſt, nempe Deum ſemper ac neceſſariò aſſumere vias in ſe & abſolutè ſimpliciores. Namque 1. fatente Malebranchio Lib. 6. parte 2. cap. 4. & in elucidation. pag. 579. cœlum, ſtellæ, planetæ, terra, aqua &c. uno verbo omnia elementa, aliaque corpora non viventia produci poterant viâ ſimpliciori, poſita ſcilicet materia in motu juxta ſeriem duarum legum generalium ſupra recenſitarum, circa motum materiæ inditum: *Je ſuis perſuadé*, inquit loco mox citato, *que ces deux loix naturelles qui ſont les plus ſimples de toutes, ſçavoir que tout mouvement ſe faſſe, ou tende à ſe faire en ligne droite, & que dans le choc les mouvemens ſe communiquent ſelon la proportion de la grandeur des corps qui ſe ſont choques, ſuffiſent pour produire le monde tel que nous le voyons: je veux dire le ciel, les étoiles, les planetes, la terre..... en un mot les elemens & tous les corps qui ne ſont point organiſes ou vivans.* Atqui tamen ex primis Geneſ. capitibus apertè conſtat, idque agnoſcit idem Malebranchius locis proximè laudatis, cœlum, terram, aliaque corpora vitæ expertia non eâ ratione condita fuiſſe; ergo Deus non tenetur agere viâ in ſe ſimpliciter & abſolutè ſimpliciori.

II. Poterat Deus ſtatim & immediatè, atque adeò viâ ſimpliciori, omnes rerum ſpecies creare; nihilominus ſex dies inſumpſit creandis rebus: ex arboribus fructus naſci voluit; ex mari piſces & aves; ex luto hominem finxit. Præterea poſſet animalium vitam abſque alimentis ſuſtentare, & tamen illa nonniſi alimentorum exquiſitâ ratione conſervatur. Idem agnoſcere eſt in pleriſque aliis naturæ operibus; ergo &c.

III. denique, cum Deus omnipotens ſit, ea omnia poteſt facere quæ in ſe non repugnant: porro opera quæ nonniſi maximè compoſitis mediis fieri poſſunt ſunt poſſibilia, imò plerumque magis perfecta iis quæ ſimplicioribus viis fieri poſſunt: ideo quippe exigunt magis complexas in ſui productione vias, quia pluribus ornata ſunt dotibus, undè opera hujuſmodi magis apta ſunt manifeſtandæ ſupremæ Dei potentiæ aliiſque attributis, quam alia ſimpliciora. Iſtud Illuſtrari poteſt exemplo: palatium v. g. columnis, ſtatuis & picturis mirâ varietate decoratum longè magis commendat peritiam architecti, quam ſimplex domus nullis ornamentis inſtructa, & tamen palatium hujuſmodi fit ratione multò magis compoſita quam ſimplex domus; ergo &c.

Probatur denique 7. Malebranchii ſiſtema circa vias generaliores & ſimpliciores repugnat tùm pro ordine naturali, tum pro ordine ſupernaturali; ergo fictitium eſt ac rejiciendum.

Primò repugnat pro ordine naturali. Namque illud ſiſtema repugnat pro ordine naturali, quod tollit divinam providentiam, omnipotentiam, & quod falſum eſt etiam ſuppoſitis viis generalibus: atqui tale eſt Malebranchii ſiſtema.

I. tollit divinam providentiam. Nam ſecundum ipſum viæ illæ generales quantùm ad motum corporum ſunt: prima, ut corpus motum ſecundum lineam rectam moveri pergat; ſecunda, ut corpus motum alteri occurrens ſuum illi motum communicet: atqui ſi viæ illæ ſunt perfectiores, & ſecundum ipſas Deus teneatur agere, jam tollitur divina providentia, qualis in Scripturis & Scriptis ſanctorum Patrum explicatur: jam inutiliter & fruſtra à Deo petimus ut mala quædam phyſica avertat, & bona ejuſdem ordinis conferat: jam Epicureiſmus ex parte introducitur, cùm in ea hypotheſi commoda & incommoda quæ piis aut malis hominibus accidunt, non peculiari Dei voluntate contingant, ſed propter neceſſariam motuum inter corpora communicationem ſemel initio mundi à Deo decretam.

Et verò Scriptura peculiari Dei providentiæ adſcribit ea quæ eveniunt viris probis aut improbis. Job. 1. *Dominus dedit*, inquit, *Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt.* Tobiæ 5. *Quoniam non obedivimus præceptis tuis Domine, ideo traditi ſumus in direptionem & captivitatem, & mortem, & improperium omnibus gentibus.*

ibidem

Ibidem cap. 12. Angelus cæcitatem Tobiæ peculiari voluntati Dei tribuit: *Quià acceptus eras Deo*, inquit, *ideo neceſſe fuit ut tentatio probaret te.* Sic etiam in Scripturâ peculiari Dei voluntati & providentiæ tribuuntur quæ contigêre Abrahamo, Iſaac, Jacob, Joſeph, Moyſi, Davidi, Abimelech filio Gedeon, Achab Regi Iſrael, aliiſque: pariter eidem ſpeciali voluntati & providentiæ adſcribuntur calamitates quæ acciderunt urbi Jeruſalem, cùm à Tito everſa eſt; ſalus eorum qui in eadem navi comites erant ſancto Paulo &c. atqui tamen in principiis ſiſtematis quod hic impugnamus, hæc omnia, utpotè cùm fiant juxta ſeriem legum naturalium ſupra relatarum, non magis tribui debent peculiari Dei voluntati, quàm quivis alius naturalis effectus, v.g. nutantis cujuſdam ædificii caſus ingruente gravi quadam procellâ; ergo &c.

Scripturæ conſentiunt Patres, qui calamitates & proſpera quæ piis aut malis hominibus accidunt, cæteraque omnia peculiari Dei voluntati & providentiæ adſcribunt. S. Auguſtinus Lib. 3. Confeſſ. cap. 3. ſic habet. *Sic Deus curat unumquemque noſtrum, tanquam ſi ſolum curet; & ſic omnes, tanquam ſingulos.* Non ergo, juxta doctrinam S. Auguſtini, in regimine univerſi Deus utitur generali duntaxat voluntate & providentiâ, ad ſenſum Malebranchii, ſed etiam ſpeciali. Unde idem S. Doctor obſervat quòd ſi Deus non ſit author liberæ alicujus hominum determinationis, ſaltem ſit ejus ordinator, id eſt, quòd non fiat abſque ſpeciali Dei permittentis providentiâ: ſic Lib. 1. Confeſſ. cap. 10. *Deus*, inquit, *creator eſt & ordinator rerum naturalium; peccatorum autem tantum ordinator.* Et in Pſalm. 7. *Aliud fecit & ordinavit Deus, aliud autem non fecit, ſed tamen ordinavit.* Rurſus Lib. 11. de civit. Dei cap. 17. *Deus ſicut naturarum bonarum optimus eſt creator, ita malarum voluntatum juſtiſſimus eſt ordinator.* Eadem prorſus eſt aliorum SS. Patrum hac de re doctrina.

II. Siſtema Malebranchii circa vias generaliores & ſimpliciores divinæ nocet omnipotentiæ. Namque illud ſiſtema divinæ nocet omnipotentiæ, quo ſuppoſito ſic conſtricta eſt & coarctata Dei vis ac potentia, ut nihil aliud aut aliter potuerit efficere, præterquam quod ſemel fecit: atqui ita res ſe habet in principiis ſiſtematis circa vias ſimpliciores. Scilicet Deus in eo ſiſtemate nihil aliud efficere poteſt, quàm quod perfectiſſimum eſt habitâ ratione viarum ſimpliciorum: v. g. ex hypotheſi quòd voluerit mundum creare, non potuit non creare mundum perfectiſſimum in ordine ad vias ſimpliciores, non potuit alium aut aliter, aut eo perfectiorem quem inhabitamus producere; ergo &c.

III. Falſum eſt iſtud ſiſtema, etiam ſuppoſitis viis generalibus: ad hoc enim ſatis eſt quòd poſitis duabus legibus Malebranchii circa motum materiæ inditum, pauciora potuiſſent eſſe monſtra quàm nunc ſunt, atque adeò mundus hic potuerit eſſe perfectior: atqui poſitis duabus legibus motûs &c. Nam ad mundi conformationem & eorum quæ in ipſo ſunt conſervationem ſufficere non potuerunt duæ illæ leges, ſed præterea debuit materia certo quodam modo projici: porrò ſi debuit certo modo projici, fieri potuit ut non eſſent tot quàm nunc ſunt monſtra, quia in projectione materiæ potuerunt fieri aliæ combinationes. Et verò quæri poteſt à Malebranchio, unde ſciat impoſſibilem fuiſſe projectionem ex quâ pauciora quàm nunc ſunt monſtra ſecuta fuiſſent; ergo admiſſis duabus ſupra adductis legibus circa motum corporum, pauciora potuiſſent eſſe monſtra; atque adeò & mundus potuit eſſe perfectior: ac per conſequens etiam poſitis iiſdem legibus, falſum eſt mundum hunc perfectiſſimum eſſe qui exiſtere potuerit.

Secundò, multò magis repugnat Malebranchii ſiſtema pro ordine ſupernaturali: hæc ſecunda pars ſeptimæ noſtræ probationis non eſt priori probatu difficilior: iiſdem ſcilicet evincitur argumentis quibus prima pars probata fuit.

I. Divinam in ordine ſupernaturali providentiam, ſpecialem Dei erga ſalutem electorum voluntatem funditùs evertit. Namque in principiis hujuſce ſiſtematis, in ordine ſupernaturali perinde ac in ordine naturali, Deus non agit particulari voluntate, ſed generali duntaxat quæ per cauſas occaſionales (ſcilicet per deſideria Chriſti, ut hominis) determinatur: hæc enim agendi ratio, utpote ſimplicior, perfectior eſt, & ſola ſupremæ ac infinitæ Dei ſapientiæ conſona.

II. Supremæ Dei circa ſalutem hominum potentiæ nocet & adverſatur. Etenim, ut notat S. Auguſtinus in Enchirid. c. 98. & alibi ſæpe, *Quis tam impie deſipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum non poſſe convertere?* Porro ſtando principiis Malebranchii, quovis tempore, quovis in loco & in quibuſcunque circumſtantiis non poſſet Deus malas hominum voluntates in bonum convertere. Namque tunc Deus non poteſt malas hominum voluntates convertere, cùm, ne eam converſionem operetur, obſtat ſuprema ipſius ſapientia; ſiquidem Deus ſeipſum negare non poteſt: atqui ſuprema Dei ſapientia, ſi credimus adverſario, quandoque obſtat ne prædictam converſionem operetur; cùm ſcilicet eam perficere non poſſit niſi recedendo à viis ſimplicioribus, & agendo ſpeciali voluntate. "N'eſt-il pas evident, *inquit author Meditat.* 11. *n.* „13. que Dieu ne peut ſe démentir ſoi-même, mé„priſer ſa ſageſſe? Qu'étant ſage il doit agir ſage„ment; étant immuable il doit agir conſtamment; „étant une cauſe univerſelle, agir par des loix gene„rales? ..... & ſi une conduite uniforme, conſtante, „reglée peut former un ouvrage digne de lui, „ſuivra-t il une conduite bizarre, changeante, de„reglée, & qui marque de l'inconſtance & de l'ig„norance dans celui qui la ſuit? *Ergo &c.*

III. Ex eodem ſiſtemate multa alia ſequuntur falſa, abſurda, erronea, quæ fusè proſequitur ac refellit Author Libri cui gallicè titulus, *Reflexions Philoſophiques & Theologiques ſur le nouveau ſiſteme de la nature & de la grace.* De his dicemus ſuo loco. Unum hic obſervabo, ex ſententiâ Malebranchii ſequi, ſtatum naturæ puræ eſſe impoſſibilem, quod tamen proſcriptum eſt in Baji propoſitionibus à ſummis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra utramque Concluſionem. Agens perfectiſſimum, ea hypotheſi quòd agat, neceſſariò ſe determinat ad id quod eſt melius & perfectius; ſapientia enim poſtulat ut id ſemper fiat quod melius eſt: atqui mundus perfectiſſimus eſt aliquid melius quàm mundus minùs perfectus; ergo &c.

Reſp. 1. Ex hâc diſputandi ratione ſequi mundum eſſe in ſe & abſolutè neceſſarium; ſic enim retorqueri poteſt argumentum. Agens ſapientiſſimum, ea hypotheſi quòd agat, ſe determinat neceſſariò ad id quod eſt melius: atqui mundus exiſtens eſt aliquid melius quàm mundus non exiſtens ergo &c. Imò ſi ſapientia neceſſariò Deum adducit, ut id faciat quòd melius ſit; exinde conſe-

quens eſt Deum adactum fuiſſe ad condendos omnes mundos qui eſſe poſſunt, ad creandas omnes mentes quæ excogitari poſſint, & ad omnes perfectionis gradus, qui eis tribui poſſunt, adſeribendos; iſta enim omnia, ſi ſint, longè melius quid erunt, quam ſi non ſint: atqui id ne adverſarii quidem noſtri confitentur; ergo &c.

Reſp. 2. diſtinguendo maj. Agens ſapientiſſimum neceſſariò ſe determinat ad id quod melius eſt & perfectius, habita ratione ſuæ voluntatis ſuique conſilii, ac finis quem inter agendum ſibi præſtituit, eſto: quod melius eſt & perfectius ſimpliciter & abſolutè, nego. Alias 1. Deus nihil omnino poſſet agere ad extra. 2. neceſſariò ſeſe determinaſſet ad mundum creandum; mundus enim exiſtens eſt quid melius quam mundus non exiſtens. 3. exhauriretur Dei omnipotentia.

Reſp. 3. diſtinguendo minorem. Mundus perfectiſſimus eſt aliquid melius reſpectu ſui: concedo. reſpectu ipſius Dei, nego. Melius quidem eſt creaturis eſſe, quam non eſſe; melius eſt iiſdem perfectiſſimas eſſe, quam minus perfectas: ſed Deo perinde eſt, ſive ſint, ſive non ſint; ſive perfectiſſimæ ſint, ſive minus perfectæ. A rebus enim creatis minimè pendet Deus, & ſibi ipſe ſatis eſt ſolus, ut loquitur Tertullianus.

Et verò ſi mundus perfectiſſimus eſſet aliquid melius reſpectu Dei, vel talis eſſet bonitate finis, vel bonitate medii: atqui 1. talis non eſt bonitate finis, quia ſolus Deus ipſe ſuus ſibi finis eſt. 2. non bonitate medii, quia medium non eſt reſpectu Dei; ergo. Vide quæ mox dicta ſunt inter probationes 2. Concluſ. Argum. 3. 4. & 5.

Objicies 2. Deus non poteſt agere niſi propter ſe ac gloriam ſuam; ut ſcilicet ſibi gloriam comparet, eamque ſe dignam, hoc eſt infinitam: minor enim gloria, nec Deo digna eſt, nec talis quæ Deum ad agendum impellere atque adducere queat: atqui non poteſt ſibi gloriam ſeipſo dignam, id eſt infinitam comparare, niſi producendo id quod perfectiſſimum eſt, vel ratione ſui, vel ratione perſonæ divinæ cui hypoſtaticè unitus ſit; ergo ſaltem ratione Chriſti ad quem omnia quæ facta ſunt referuntur, mundus qui nunc productus eſt poteſt dici opus perfectiſſimum quod eſſe potuerit. Iſtud eſt palmare Malebranchii ratiocinium quo ſæpius utitur Lib. de natura & gratia, ut probet Incarnationem fuiſſe hypotheticè neceſſariam.

Antequam reſpondeam obſervandum, variis modis meritò dici Deum non poſſe agere niſi propter ſe ac gloriam ſuam. 1. quia cum primum ſit omnium principium, ultimus eorundem finis eſſe debet. Id ratio jubet & ordo poſtulat, ideoque illud vult Deus. Omnia ergo propter ſemetipſum operatus eſt, tanquam primum rerum omnium principium & ultimum earundem finem, ad quem proinde omnia neceſſariò referri debent. 2. univerſa operatus eſt Dominus propter gloriam ſuam *internam*, id eſt bonitatem, aliaſque ſuas dotes (in quibus ejus interna gloria ſita eſt) cum creaturis pro earum modo gratis & liberaliter communicandas ita ut quærenti, quare Deus mundum condiderit, rectè reſpondeatur. ut ſupra ex SS. Auguſtino & Thoma vidimus, ut bonitatem ſuam, cæteraſque ſuas perfectiones ad extra communicaret. Verum, quemadmodum obſervat Eſtius in 1. diſt. 44. parag. 4. & in 2. diſt. 1. parag. 12. cum in Deo idem ſit creaſſe mundum, & communicaſſe ſuam bonitatem ad extra; hinc eſt quòd aſſerere Deum voluiſſe creare mundum, quia voluit communicare ſuam bonitatem, in rei veritate perinde ſit ac aſſerere, Deum voluiſſe mundum condere, quia voluit. Unde ex parte Dei tota ratio facti, eſt voluntas facientis, omniumque proinde voluntas divina cauſa eſt efficiens atque finalis. 3. dici etiam poteſt Deum univerſa operatum fuiſſe propter gloriam ſuam *externam*, quatenus ſcilicet voluit ut omnia quæ in mundo eſſent, ut par erat, ipſius gloriæ tanquam ultimo eorum fini inſervirent. Omnia enim corpora propter mentes creata ſunt: mentes verò ipſæ in gloriam Dei tanquam in ultimum finem ſunt ordinatæ; id idque per ſe tendunt, ut Deum cognoſcant, diligant, eique ſeſe ſubdant veluti primo omnium principio, ultimo fini ac ſupremo Domino; in quo propriè ſita eſt, quæ dicitur *externa* Dei gloria. Hoc triplici ſenſu *univerſa propter ſemetipſum operatum fuiſſe Dominum*, ſicut dictum eſt Proverb. 16. v. 4. fatentur omnes.

Verùm alio inſuper ſenſu addit Malebranchius, Deum univerſa propter ſemetipſum ac gloriam ſuam operatum fuiſſe. Scilicet exiſtimat gloriam hanc *externam* ex rerum univerſitate in Deum redundaturam, finem eſſe quem Deus in rerum fabricâ ſibi neceſſariò præſtituit, ut voluntatis ſuæ finem aut operis ſui pretium: at in eo certè recedit à conſtanti Theologorum doctrinâ qui Deo indignum eſſe cenſent, aliquid eſſe extra Deum, quod eum quaſi moveat ad volendum vel agendum quidpiam: volunt equidem gloriam externam ex creaturis Deo obventuram, eſſe finem quem Deus neceſſariò præſtituit rebus ab ipſo volitis; at negant eam eſſe aut poſſe eſſe finem voluntatis divinæ. Quod quidem probant.

I. ex Scripturis quæ indicant 1. omnia à Deo eſſe pro arbitrio facta Pſalmo 113. *Omnia quæcunque voluit, fecit.* 2. voluntatem divinam eſſe regulam ac menſuram magnitudinis ſeu perfectionis operum ejus. Pſalm. 110 *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus.* 3. Deum non indigere creaturis, nec ullo honore ab eis exhibito. Job. 35. *Si peccaveris, quid ei nocebis? Si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies adverſus eum? Porro ſi juſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tuâ accipiet?* Et Pſalm. 15. *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Non ergo Deus indiget honore à creaturis exhibito, nec proinde in condendo mundo gloriam ex creaturis obventuram, inſtar finis ſibi neceſſariò propoſuit. Deus ipſe ſibi gloria eſt ſua & honor.

II. idem evincitur ex SS. Patribus, qui docent nullam afferri poſſe cauſam cur Deus mundum condiderit, præter ejus voluntatem: aut ſi quæ alia afferatur, ſolam adduci poſſe (quod in idem recidit) ejus benevolentiam ac ſtudium communicandæ bonitatis. Pleraque hanc in rem SS. Auguſtini & Thomæ teſtimonia ſupra allegavimus Argumento 3. inter probationes 2. Concluſionis.

III. ſuffragantur variæ rationes quas adduximus loco mox citato. Quibus adde, quod gloria ex creaturis in Deum redundans, honor ipſi exhibitus totus præcipuè poſitus ſit, in eo quod creaturæ intelligentes Deum noſcant, ament, eique ſeſe ſubmittant tanquam primo principio, ultimo fini, ac ſupremo Domino cui omnia debentur. Porro quis dixerit Deum indigere hujuſmodi honore? Anne quidquam accedit Deo cum ei defertur, aut quidquam ei decedit cum negatur? minimè profectò: perinde enim ipſi eſt colatur nec ne: utrumvis fiat peræquè beatus eſt ac perfectus. Quod ergo voluerit hujuſmodi gloriam & honorem ſibi deferri à men-

mentibus quas condidit, noſtra intereſt, non ipſius. Id diſertè notant Patres, imprimis verò SS. Auguſtinus & Thomas.

S. Auguſtinus Lib. 13. Confeſſ. cap. 1. *Feciſti me*, inquit, *non ut ſic tibi ſerviam..... quaſi minor ſit poteſtas tua carens obſequio meo..... ſed ut ſerviam tibi & colam te, ut de te mihi benè ſit, à quo mihi eſt ut ſim, cui benè ſit.* Et Epiſt. 120. n. 17. *Nobis*, ait, *prodeſt colere Deum, non ipſi Deo. Cum ergo inſpirat & docet quomodo colendus ſit, non ſolum ſuâ nullâ indigentiâ facit, ſed noſtrâ maximâ utilitate.* Rurſus Epiſt. 138. ad Marcellinum n. 6. *Nihil Deus jubet quod ſibi proſit, ſed illi cui jubet. Ideo..... dictum eſt*, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

S. Thomas 2. 2. quæſt. 132. de inani gloriâ art. 1. ad 1. ſic habet: *Dicendum quod ſicut Auguſtinus dicit..... ille qui ſuper omnia eſt* (Deus) *quantumcunque ſe laudet, non extollit ſe: nobis namque expedit eum noſſe, non illi; nec eum quiſque cognoſcit, ſi non ſe indicet ipſe qui novit.* Et ſtatim ſic concludit S. Doctor: *Unde patet quòd Deus ſuam gloriam non quærit propter ſe, ſed propter nos.* Ergo Deus non indiget creaturis aut honore ab eis exhibito; ergo quod honorem hunc ac cultum voluerit ſibi à nobis deferri, noſtra intereſt, non ipſius; ergo in condendo mundo hujuſmodi gloriam & honorem ut finem ſuum nec voluit nec quæſivit Deus. His præſuppoſitis facilis eſt & obvia ad argumentum propoſitum reſponſio. Itaque.

Reſp. diſtinguendo maj. Deus non poteſt agere niſi propter ſe ac gloriam ſuam, triplici ſenſu mox expoſito: id eſt 1. non poteſt agere niſi omnia referendo ad ſemetipſum, tanquam primum principium, ultimum finem, ac ſupremum rerum omnium Dominum. 2. non poteſt agere niſi ut omnia quæ operatur ipſius gloriæ manifeſtandæ tanquam ultimo eorum fini inſerviant. 3. non poteſt agere niſi propter gloriam ſuam, id eſt bonitatem, aliaſque ſuas perfectiones (in quibus interna Dei gloria ſita eſt) cum creaturis pro earum modo ac capacitate liberaliter & gratis communicandas, concedo: non poteſt agere niſi propter gloriam ſuam, ad ſenſum Malebranchii, id eſt propter gloriam quandam externam ex creaturis inſtar operæ pretii percipiendam, aut inſtar finis aſſequendam, nego. Hoc ſenſu Deum agere propter gloriam ſuam Deo indignum eſt; ac nedum in idea & notione Dei contineatur, ut prædicat Malebranchius, nihil eſt magis ab ipſâ alienum. Scilicet Deus eſt ens à ſe, neceſſarium, infinitum, fons, origo & ultimus omnium finis, inexhauſtum potentiæ, bonitatis, juſtitiæ, ſapientiæ, &c. pelagus, undequaque beatum, nullius rei indigum: non ergo extra ſe operatur ut aliquid inde in ſe redundet honoris & boni; ſed ècontra ut ex immenſo & inexhauſto perfectionum ac bonorum omnium, quibus abundat, theſauro, aliquid perfectionis rebus creatis pro ſua benevolentia communicet, juxta illud Jacobi 1. *Dat omnibus affluenter & non improperat.*

Totum iſtud paucis his verbis eleganter exprimit S. Auguſtinus Lib. 11. de civit. Dei cap. 21. ubi rationem indicans cur Deus mundum condiderit, ſic habet: *Ut à bono Deo bona opera fierent.* Et Lib. de Geneſi ad litt. cap. 5. *Ineſt Deo benignitas ſumma, & ſancta & juſta: & quidem non ex indigentia, ſed ex beneficentia veniens amor in opera ſua.* Rurſus Lib. 3. Confeſſ. cap. 4. *Quid ergo tibi deeſſet ad bonum quod tu tibi es, etiamſi iſta omnino nulla eſſent..... quæ non ex indigentia feciſti, ſed ex plenitudine bonitatis tuæ.* Ergo, judice S. Auguſtino, nulla afferri poteſt cauſa cur Deus mundum creaverit, præter ejus voluntatem, aut ſi quam aliam afferre juvat, ſola eſt ejus bonitas creaturis pro earum modo gratis communicanda.

Eadem omnino eſt Doctoris Angelici mens & doctrina. *Pertinet*, inquit 1. parte quæſt 19. art. 2. *ad voluntatem divinam, ut bonum ſuum aliis communicet, ſecundum quod poſſibile eſt. Sic igitur vult & ſe & alia: ſed ſe ut finem: alia verò ut ad finem, in quantum condecet divinam bonitatem, alia ipſam participare.* Et quæſt. 44. ad 4. ad 5. *Ipſe ſolus* (Deus) *eſt maximè liberalis, quia non agit propter ſuam utilitatem: ſed ſolum propter ſuam bonitatem.* Non ergo ex ſancto Thoma, gloria externa ex creaturis in Deum redundatura cauſa eſt ac motivum conditæ rerum univerſitatis, ſed ſola Dei liberalitas, benevolentia, ac ſtudium communicandæ ſuæ bonitatis.

Sanctis Auguſtino & Thoma conſentiunt Scholaſtici qui cum Eſtio ſupra citato obſervant, hoc intereſſe inter operantem Deum, & creaturam, quòd omnis creatura operatur *ut bona ſit*, id eſt, ut perfectionem ſuam acquirat aut conſervet: Deus autem operatur tantùm *quia bonus eſt*, id eſt, ut bonitatem & perfectionem ſuam creaturis pro eadem capacitate ac modo communicet; ſeu, ut loquitur S. Thomas. *ſecundum quod poſſibile eſt, & in quantum condecet divinam bonitatem ab aliis participari.*

Atque ex his patet quam infirmum ſit & labile iſtud præcipuum ac ferè unicum fundamentum quo innititur integrum Malebranchii ſiſtema; ſcilicet Deum non poſſe ad extra agere, tum in ordine naturali, tum in ordine ſupernaturali, quin gloriam externam inſtar operæ pretii à ſe percipiendam, aut inſtar finis aſſequendam, ſibi proponat.

Objicies 3. Debet eſſe aliquod motivum quo Deus ad extrinſecus agendum determinetur: atqui nullum aliud aſſignari poteſt motivum, præter gloriam externam ex rerum univerſitate in Deum redundaturam; ergo &c. Porro citra mundum perfectiſſimum, vel ratione ſui, vel ratione perſonæ divinæ incarnatæ, gloria illa non poteſt eſſe infinita, ac proinde Deo digna; ergo &c.

Reſp. negando min. indignum foret Deo, ſi extra ſe quæreret agendi cauſas & rationes, non autem in ſeipſo haberet. Dignius certè de Deo ſentit, qui cum SS. Auguſtino & Thoma, locis antea adductis, exiſtimat ſolam ad id ſufficere ipſius voluntatem, ſeu, quod idem eſt, benevolentiam, ac ſtudium communicandæ bonitatis.

Neque verò, uti notant Sylvius & Eſtius, hinc ſequitur voluntatem Dei eſſe irrationabilem. Quamvis enim nulla ſit extra Deum cauſa quæ eum quaſi moveat ad volendum, Deus tamen unam rem vult eſſe propter aliam: imò vult bonitatem ſuam, eſſe cauſam finalem omnium rerum; juxta illud Proverb. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* Rationem hanc aſſignat ſanctus Thomas 1. parte quæſt. 19. art. 4. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quòd voluntas Dei rationalis eſt, non quòd aliquid* (extra Deum) *ſit Deo cauſa volendi, ſed in quantum vult unum eſſe propter aliud.* Vult etiam Deus ea quæ ſunt ad finem, ordinari in finem; & ideo, quamvis voluntas ſeu volitio ipſius propter nihil aliud ſit, unus tamen divinæ volitionis effectus eſt propter alium: quod ibidem ſignificat S. Doctor his verbis antea laudatis: *Vult ergo* (Deus) *hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult.*

Ad id verò quod ſubjungitur circa mundum perfectiſſimum, vel ratione ſui, vel ratione perſonæ incarnatæ, nullam eſſe gloriam infinitam ac proinde Deo dignam. Reſpondeo, id quidem verum eſſe ſi

ſermo ſit de gloria Dei *ad intra*, non autem de gloria *ad extra*: ea enim, etſi non infinita, tamen Deo digna eſt adoratio quæ fit in ſpiritu & veritate, juxta illud Chriſti Domini Joan. 4. v. 23. *Venit hora .... quando veri* (proindeque Deo digni) *adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum.* Et etiam vita Deo digna eſt quæ juxta Chriſtianæ Legis præcepta ducitur: unde Apoſtolus Coloſſ. 1. v. 10. Fideles hortatur ut ambulent *dignè Deo.* Exiſtimabat ergo id poſſe à Fidelibus præſtari: attamen noverat ab iis duci non poſſe vitam infinitæ perfectionis; ergo poteſt aliquid eſſe dignum Deo, nec tamen infinitum. Atque hinc in Scripturis ſæpe commemorantur oblationes Deo dignæ, homines Deo digni, opera Deo digna: cùm tamen conſtet iis non adeſſe infinitam aut Deo parem dignitatem.

Objicies 4. Debet eſſe aliquid in effectis Dei quod æquivaleat actioni per quam condita ſunt: atqui actio per quam productus eſt mundus, eſt ſummè perfecta; ergo & mundus qui productus fuit debuit eſſe ſummè perfectus.

Reſp. 1. retorquendo argumentum: Non exiſtentia mundi, utpote merum nihil, nil habet quod æquivaleat decreto per quod Deus ſe determinaſſet ad non creandum mundum; ergo Deus non potuit decernere ut mundus non exiſteret.

Reſp. 2. negando maj. neceſſum non eſt, imò fieri nequit ut effecta Dei æquivaleant ipſius actioni, niſi velit Malebranchius aliquid creatum poſſe infinitas Dei perfectiones adæquare. Scilicet actio Dei ab ejus potentia & eſſentia non diſtinguitur: eſt ipſe Deus agens, ac proinde infinita eſt; at verò effecta Dei, utpote quid creatum, per ſeſe neceſſariò finita ſunt.

Reſp. 3. diſtinguendo min. actio Dei eſt ſummè perfecta, ex parte principii, concedo: ex parte termini & objecti, ſubdiſtinguo: eſt ſummè perfecta, quandoque, concedo: ſemper, nego. Actio, ut ajunt Philoſophi, nihil aliud eſt niſi relatio principii ad effectum ſeu terminum, & effectûs ſeu termini ad principium; unde ſuam perfectionem deſumit, tùm à principio, tùm à termino ſeu objecto. Si principium & terminus ſint infinitè perfecta, quod reperitur in generatione divinâ Verbi, & proceſſione Spiritûs ſancti, actio eſt perfectiſſima quantùm eſſe poteſt in genere actionis. Si principium ſit perfectiſſimum, & effectus minùs perfectus, actio erit perfectiſſima ratione principii, minùs verò perfecta ratione termini ſeu effectûs; & ita eſt in actione quâ mundus conditus fuit: eſt infinitè perfecta ex parte principii, Dei ſcilicet agentis; & minùs perfecta ratione termini, Deus enim, utpote ſummè potens, potuiſſet producere mundum centies, millies, infinities perfectiorem eo qui nunc exſtitit.

Objicies 5. Deus perpetuò contemplatur, & neceſſariò amat ſuas perfectiones, in iiſque infinitè complacet; non poteſt ergo ullum opus efficere, quin illas perfectiones exprimat & quaſi repræſentet: imò ex hypotheſi quòd agat, neceſſariò debet illum operandi modum ſeligere quo melius & perfectius exprimantur: atqui mundus quo perfectior eſt, eo meliùs perfectiones divinas exprimit, & ſi ſit perfectiſſimus qui eſſe poteſt, illas perfectè & accuratè exhibet; ergo &c.

Reſp. 1. Argumentum iſtud nimis probare. Nam exinde ſequeretur Deum ſeſe neceſſariò determinaſſe ad mundum creandum, quia neceſſariò ſe determinavit ad illud quod magis perfectiones ſuas exprimit: atqui mundus exiſtens perfectiones divinas meliùs exprimit, quàm non exiſtens; ergo &c.

Reſp. 2. Omnia Dei opera ſuo modo divinas perfectiones exprimere: opus enim quodcumque Dei multos ad ipſum dicit reſpectus.

Reſp. 3. Conceſſo antecedente, diſt. conſeq. Deus non poteſt ullum opus efficere quin ſuas perfectiones exprimat, modo magis vel minus perfecto, concedo: modo perfectiſſimo, nego. Nam ſi Deus non neceſſitatur ad volendum ut ſuæ perfectiones exprimantur, non neceſſitatur etiam ut hoc vel illo modo, quoad hunc vel illum gradum exprimantur: atqui Deus non neceſſitatur ad ſuas exprimendas perfectiones, (fatetur enim adverſarius, Deum liberum fuiſſe circa mundi creationem) ergo nec ad exprimendas hoc vel illo modo, quoad hunc potius quàm illum gradum.

Objicies 6. Deus amat ſe amore actuali, neceſſariò & infinito; ergo non poteſt non rapi actuali appetitu ad id quod melius eſt, & magis conducit ad gloriam ſuam: atqui ſolus mundus qui eſt perfectiſſimus maximè conducit ad Dei gloriam, ipſioſque perfectiones poteſt accuratè exhibere & repræſentare; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. Deus amat ſe amore actuali, neceſſario & infinito, *intenſivè & ad intra*, concedo: *extenſivè & ad extra*, nego. Neque enim amor Dei neceſſariò ſe extendit ad ea omnia quæ ipſi bona ſunt, quæque ad ejus gloriam maximè conducere poſſunt. Aliàs 1. unio hypoſtatica divinæ naturæ cum humanâ abſolutè neceſſaria fuiſſet. 2. neceſſaria etiam fuiſſet eadem unio non ſolùm cum una natura individuali, ut factum eſt in Chriſto, ſed etiam cum aliis quibuſcunque individualibus naturis intelligentibus. 3. quidquid produceret in infinitum uſque perfectum producere deberet: atqui hæc omnia falſa ſunt, erronea & abſurda; ergo &c.

Ratio autem cur Deus non ſe amet amore actuali, neceſſario & infinito *extenſivè & ad extra*, licet ſeipſum neceſſario diligat amore actuali, infinito *intenſivè & ad intra*, hæc eſt, quia nimirum rebus extra ſe poſitis nullatenus indiget, cùm ex ſeſe ſit omni ex parte infinitus & undequaque beatus. Vide quæ diximus Quæſt. 1. Art. 5. circa finem.

Objicies 7. Deus ſemper operatur modo perfectiſſimo; ergo ſemper quoque producit id quod eſt in ſe melius & perfectius.

Reſp. 1. Argumentum iſtud nimis probare: exinde enim ſequeretur Deum nullam naturam rationalem ſeu intelligentia præditam creare potuiſſe, niſi perfectiſſimam, imò infinitè perfectam, quia perfectiones creaturarum poſſunt in infinitum augeri; nullam quantitatem niſi immenſam; nullum numerum niſi infinitum &c.

Reſp. 2. diſtinguendo ant. Deus ſemper operatur modo perfectiſſimo, ex parte ſui, concedo: ex parte termini ſeu objecti, nego: & nego conſeq. Actio qua Deus viliora producit non eſt minus perfecta, quàm perfecta ſit ea per quam Angelos & univerſam cœli militiam creavit; juxta illud tritum S. Auguſtini, *Creavit in cœlo Angelos, in terrâ vermiculos, nec major in illis, nec minor in iſtis.* Ratio eſt, quia utraque actio ex parte Dei ſpectata, perinde eſt infinita, cùm ſit Deus ipſe agens; imò magis elucent ſumma Dei virtus ac ſapientia in rerum viliorum creatione: unde Eccleſia in orationibus ſuis ſic ad Deum preces fundit: *Deus qui licet ſis magnus in magnis, mirabilia tamen glorioſius operaris in minimis &c.*

Objicies 8. Deus ſemper & neceſſariò agit

quantùm

quantùm eſt ex parte ſui modo perfectiori : atqui via & ratio agendi ſimplicior , eſt quoque profectior; ergo Deus neceſſariò ſeligit in operando vias ſimpliciores.

Reſp. diſt. min. via ſimplicior *relativè*, ſeu in ordine ad finem quem agens inter operandum ſibi proponit, eſt quoque profectior, tranſeat: *abſolutè*, ſeu in ſe ſimpliciter, nec ullo habito reſpectu ad finem quem operans ſibi præſtituit, nego : ſolutio abundè conſtat ex dictis inter probationes ſecundæ Concluſ. Argument. 5. & 6. quæ hic conſuli poſſunt.

Dixi, tranſeat: ſi enim opus quod reſultat ex via ſimpliciori, ſit minùs perfectum eo quod reſultat ex via magis compoſita, tunc nemo dixerit viam agendi ſimpliciorem eſſe perfectiorem, via magis compoſita. Interim obſervabimus, etiam dato quòd Deus ſemper ac neceſſariò ageret via ſimpliciori in ordine ad finem, quem ſibi proponit, nihil exinde commodi accedere ſiſtemati Malebranchii : ſiquidem contendit Malebranchius Deum ita teneri agere per vias ſimpliciores, ut judicandum ſit de fine quem Deus ſibi proponit, ex viarum ſimplicitate; adeo ut ex duobus finibus (idem dicendum de operibus) eum præ altero, licet perfectiori, ſeligere debuerit, qui via generaliori & ſimpliciori potuit abſolvi. At econtra ſi Deus agat via ſimpliciori, relativè duntaxat ſeu in ordine ad finem quem ſibi propoſuit, jam non ex viis de fine, ſed potius ex fine propoſito de ſimplicitate viarum dijudicandum eſt: qua etiam in hypotheſi, opus minùs perfectum, imò in quo manifeſta inſunt vitia, quodque via ſimpliciori perficitur, neceſſariò præponendum non eſt, uti putat Malebranchius, operi multò magis exquiſito & perfecto, quod via tam ſimplici perfici nequit.

Objicies 9. Deus neceſſariò operatur id quod optimum judicat, atque adeo quod in ſe melius eſt & perfectius. Namque 1. vel impotens eſſet ſi illud non poſſet efficere, vel invidus ſi nollet. Hoc argumento utuntur Patres, ac præſertim S. Auguſtinus L. 83. quæſt. qu. 50. ut probent Filium in divinis eſſe Patri æqualem. *Si Deus,* inquit S. Doctor loco mox citato, *potuit æqualem ſibi gignere Filium & noluit, invidus fuit.* 2. nullum poteſt aſſignari motivum quo Deus determinari queat, ut rejecto eo quod melius judicavit, id quod inferius eſt eligat. 3. homo bonus facit opera bona, melior meliora, & optimus optima; ergo Deus qui optimus eſt, ſemper facit, quod eſt optimum.

Reſp. negando ant. & ad primam probationem, dico Deum equidem poſſe efficere id quod melius judicat; at exinde minimè ſequitur ipſum argui poſſe invidiæ, eo quòd id quod perfectius eſt nolit operari. Ratio eſt, quia, ut obſervat Eſtius poſt Magiſtrum, invidia inter eos tantummodo locum habet, qui non multùm diſtant naturâ & dignitate: porrò Deum inter & creaturas infinita reperitur diſtantia; ergo &c. Longè autem alia eſt Filii in divinis ratio & conditio : cùm enim Filius Patri in omnibus par & æqualis eſſe debeat, ut qui ſit ejuſdem cum ipſo ſubſtantiæ, ſi Deus potuit æqualem ſibi gignere Filium, & noluit, certè invidus fuit. Atque hinc validum eſt ſupra adductum argumentum quo Patres perfectam Filii cum Patre æqualitatem contra Arianos adſtruunt.

Ad ſecundam probationem reſpondeo, nihil *ad extra* eſſe magis vel minùs bonum reſpectu Dei, quemadmodum antea ex SS. Auguſtino & Thoma demonſtravimus: cur ergo eo, quod videtur melius, rejecto, id quod inferius eſt Deus eligat, ſi ita velit, ſola ratio poteſt eſſe voluntas facientis ac libertas : maximè cùm ad ipſum pertineat, ut cum in rebus ordinem ſtatuere queat, cui ſit illud, quod deterius videtur, aptiſſimum ; proindeque melius relativè.

Ad tertiam probationem, dicendum aliud eſſe de homine, aliud de Deo exiſtimandum. Scilicet homo per operationes ſuas perficitur ac proficit in bonitate, cùm ſit finitè & accidentaliter bonus & perfectus, ac rurſum ex bonitate acquiſitâ operatur, ideoque quantò facit meliora, tantò fit melior, & quantò melior eſt, tantò meliora facit: Deus autem infinitè & eſſentialiter bonus eſt ac perfectus, nec ullo modo bonitas ejus & perfectio dependet á bonitate operum, quæ facit : unde ſalvâ bonitate & perfectione ſuâ poſſet nihil omnino facere, poſſet etiam facere minùs bona his quæ facit idque ad manifeſtandum quòd non ſola majora bona, ſed etiam minora ab ipſo tanquam totius boni principio dimanant.

Objicies denique varia SS. Patrum teſtimonia, quibus conſtat ſemper optima quæque Deum efficere. S. Cyrillus L. 2. Theſauri c. 2. *Quia,* inquit, *omnia Pater poteſt, & meliora ſemper vult, conſubſtantialis ſibi ex Deo Filius naſcitur.* S. Auguſtinus Lib. de quantit. animæ c. 33. *Juſtitiâ ſummi Dei factum eſt, ut non modo ſint omnia, ſed etiam ſic ſint, ut omnia meliùs eſſe non poſſint.* Et Lib. 3. de lib. arb. cap. 5. *Quidquid,* inquit, *tibi verâ ratione melius occurrerit, ſcias feciſſe Deum, tanquam bonorum omnium conditorem.* Rurſus Lib. 1. contra adverſ. Legis & Prophet. cap. 14. ſic habet : *Aut verò, uſque adeò deſipiendum eſt, ut homo videat melius aliquid fieri debuiſſe, & hoc Deum vidiſſe non putet: aut putet vidiſſe, & credat facere noluiſſe; aut voluiſſe quidem, ſed minimè potuiſſe?* S. denique Damaſcenus Lib. de orthod. fide cap. 19. *Neceſſe eſt omnia quæ Dei providentiâ fiunt, ſecundùm rectam rationem, & optima & Deo decentiſſima fieri, & ita ut nequeant meliora fieri.* Conſtans eſt eâ de re aliorum SS. Patrum mens ac doctrina, à quorum teſtimoniis recenſendis hic ſuperſedemus; ergo &c.

Reſp. 1. diſt. ant. SS. Patres aſſerunt Deum ſemper facere id quod eſt optimum, bonitate extrinſecâ, petitâ ſcilicet à Dei voluntate, cui ſatisfieri optimum eſt, imò meliùs, quàm ei, re meliore poſitâ, non ſatisfieri, cùm ſit ſupremus rerum omnium Dominus, concedo: bonitate intrinſecâ, ſubdiſtinguo: optimum abſolutè & ſimpliciter, nego: optimum relativè & ſecundùm quid id eſt, connaturalius & magis ſpectans ad proportionem pulchritudinis & decoris univerſi, iterum diſtinguo: id facit ut plurimùm, vel illud ſemper facere præſumitur, concedo: ex neceſſitate, omni in caſu, ita ut nulla ſit prorſus exceptio, nego. Aliàs, non tantum libertas ſed & omnipotentia Deo adimeretur, quæ tota in quolibet opere ſupponeretur exhauſta. Quemadmodum ergo potuit Deus nihil extra ſe moliri, quia liber; ita & potuit, quos voluit perfectionis majoris vel minoris gradus creaturæ ſuæ impertiri, ad finem quem intendit ſemper idoneos & proportionatos, quia & liber & ſapientiſſimus. Ita exponenda ſunt adducta SS. Patrum, ac præſertim S. Auguſtini, teſtimonia ; uti liquet ex textibus ejuſdem S Doctoris inter probationes relatis.

Reſp. 2. diſtinguendo : Deus ſemper facit id quod eſt optimum, *quantum ad modum*, concedo: quidquid enim Deus facit, ex ſummâ potentiâ & ſapientiâ operatur; omnia namque Dei opera ab unâ eâdemque operatione potentiæ ac ſapientiæ ejus procedunt: *quantum ad rem*, nego. Qualibet enim re poteſt Deus facere aliam meliorem; ipſam verò

rem eandem poteſt facere meliorem accidentaliter, etſi non eſſentialiter. Solutio eſt ſancti Thomæ 1. p. q. 25. art. 6. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quod cùm dicitur, Deum poſſe facere aliquid melius quàm facit, ſi* ly melius...... *importet modum ex parte facientis, ſic Deus non poteſt facere melius quam ſicut facit, quia non poteſt facere ex majori ſapientiâ & bonitate: ſi autem importet modum ex parte facti, ſic poteſt facere melius, quia poteſt dare rebus à ſe factis meliorem modum eſſendi, quantùm ad accidentalia, licet non quantùm ad eſſentialia.* In hunc ſenſum S. Auguſtinus Lib. 11. de civit. Dei cap. 22. ait, *Deum ita eſſe artificem magnum in magnis, ut minor non ſit in parvis; quæ parva, non ſuâ granditate, nam nulla eſt, ſed artificis ſapientiâ metienda ſunt.*

Juxta hanc ſecundam reſponſionem accuratè loquendo, quidquid Deus facit optimè facit, id eſt, ex ſummâ potentiâ & ſapientiâ: at non facit optimum, quaſi non poſſit adhuc aliud facere melius. Nam alioqui neque potentiam neque ſapientiam haberet ſummam, id eſt, infinitam, ſed utraque finiretur in opere jam facto, tanquam extremo potentiæ atque ſapientiæ, quia nihil poſſet melius.

Reſp. 3. diſtinguendo ant. quidquid facit Deus eſt optimum, eſſentialiter, concedo: accidentaliter, nego. Reſponſio eſt ſancti Thomæ loco mox citato, quæ quidem ut clariùs percipiatur, adverte cum eodem ſancto Thoma, duplicem eſſe rei alicujus bonitatem: una eſt eſſentialis, quæ ſcilicet eſt de eſſentiâ rei, ſicut *eſſe rationale* eſt de eſſentiâ hominis: alia eſt accidentalis, quæ nimirum non eſt de rei eſſentiâ, ſed ei accidit; ſicut virtus & ſapientia ſunt bonitates homini accidentales: hoc præſuppoſito. Si ſermo ſit de bonitate eſſentiali, meritò dici poteſt, quidquid Deus facit ſemper neceſſariò eſſe optimum; quatenus ſcilicet non poteſt efficere ut res aliqua manens eadem ſit eſſentialiter melior, quia, ut obſervat ibidem S. Doctor, eſſentiæ rerum, ſunt ſicut numeri, quibus ſi addatur vel ſubtrahatur unitas, mutatur ſpecies. At verò ſi ſermo ſit de bonitate accidentali, nullatenus dici poteſt Deum ſemper ac neceſſariò facere quidquid eſt optimum: poteſt enim hoc ſenſu quamlibet rem facere meliorem quàm ipſa ſit, nec uſquam perveniri poteſt ad terminum in quo verum ſit aliquam rem eſſe tam bonam, ut non poſſit Deus eam adhuc multò magis efficere meliorem.

Verba S. Doctoris juvat hic referre. *Dicendum*, inquit art. 6. mox citato in corp. *quòd bonitas alicujus rei eſt duplex: una quidem quæ eſt de eſſentiâ rei, ſicut eſſe rationale eſt de eſſentia hominis; & quantùm ad hoc bonum, Deus non poteſt facere aliquam rem meliorem quam ipſa ſit, licet poſſit facere aliquam aliam eâ meliorem..... Alia bonitas eſt quæ eſt extra eſſentiam rei, ſicut bonum hominis eſt eſſe virtuoſum, vel ſapientem; & ſecundum tale bonum Deus poteſt res a ſe factas facere meliores. Simpliciter autem loquendo, qualibet re à ſe factâ poteſt Deus facere aliam meliorem.*

Atque ex his tribus mox adductis reſponſionibus facili negotio dilui poſſunt ea SS. Patrum teſtimonia in quibus videntur affirmare Deum id operari ſemper quod eſt optimum. Addi poteſt nonnullos ex iis ita locutos fuiſſe, quia Deus ſine ullo defectu ſeu imperfectione, malitiâ aut imprudentiâ operatur, ita ut nulla ſint vitia in operibus Dei quæ argui poſſint; idque dicebant appoſitè ad eorum ſcopum: agebant ſcilicet contra Manichæos, qui Deum malum mali authorem admittebant.

ARTICULUS III.

An leges generales eaſque pauciores ſecutus ſit Deus, permiſſis cauſis occaſionalibus, phyſicisque legibus motûs.

OCcurrit hic iterum nobis refellendus Malebranchius, qui docet Deum, utpote cauſam univerſalem, leges generales eaſque pauciores & ſimpliciores ita neceſſariò ſequi, ut in producendis & dirigendis rebus univerſi ſingularem voluntatem non adhibuerit aut etiamnum adhibeat, ſed generalem duntaxat ex paucis illis ſimplicioribus ac maximè generalibus legibus pendentem, & à cauſis occaſionalibus determinatam. Quæ quidem Malebranchii doctrina ut plenius ac perfectiùs dignoſcatur.

Adverte 1. cauſæ generalis ſeu univerſalis nomen variis modis ſumi poſſe. 1. pro eâ cauſâ quæ generali duntaxat & mediatâ ratione confert ad aliquos effectus. ita Princeps in ampliſſimo regno cui præeſt: non aliter providet ſui regni rebus, quàm præficiendo plures miniſtros & duces, quorum voluntate & arbitrio cuncta gubernantur. 2. cauſæ generalis nomen ſumi poteſt pro eâ quæ influxu generali & immediato, ſed à cauſis occaſionalibus dependenti, ſe extendit ad ſingula quævis effecta. Hoc tantùm ſenſu, ſi credimus Malebranchio, Deus eſt univerſalis rerum omnium cauſa, quia ſcilicet in ipſius ſiſtemate, Deus non aliter providet rebus, quàm ex nutu & arbitrio cauſarum occaſionalium: unde nihil aliud vult directè & poſitivè, niſi juxta generales naturæ leges agere. 3. denique cauſæ generalis nomine ea intelligi poteſt, quæ ſingulari, directa, poſitiva & immediata voluntate ad ſingula ſeſe extendit, ita ut nihil fiat quod immediatè, directè & poſitivè non attingat & efficiat. Hoc poſteriori ſenſu Theologi poſt ſanctum Thomam docent Deum eſſe cauſam & proviſorem generalem rerum omnium.

Adverte 2. cum ſupra citato authore operis cui gallicè titulus, *Reflexions philoſophiques & theologiques ſur le nouveau ſiſteme de la nature & de la grace*, L. 1. c. 1. multùm eſſe diſcriminis inter duas iſtas loquendi rationes, *Deus vult agere juxta leges generales naturales*; &, *Deus nihil aliud vult, niſi agere juxta leges generales naturæ.* Prima propoſitio vera eſt, nec à Deo excludit voluntatem ſingularem, directam & poſitivam; nihil enim obſtat quin Deus ſingulari, directâ & poſitivâ voluntate intendat aliquem effectum, qui tamen fiat juxta generales naturæ leges: ſic v. g. cùm lapis ex alto decidens confregit caput Abimelech filii Gedeon, nihil certè factum eſt niſi juxta naturæ leges; & tamen ex Scripturâ conſtat huncce effectum ſpeciali & directâ voluntate à Deo intentum fuiſſe: ſcilicet ut plecteretur Abimelech crudelitas, qui fratres ſuos contra fas & jura interfecerat. Altera verò loquendi ratio omnem à Deo excludit voluntatem ſingularem & determinatam, & ſolam in ipſo ſupponit voluntatem generalem & indeterminatam, quâ ſcilicet hoc unum præciſè velit, nempe id efficere quod exigunt leges naturales, quodcunque tandem illud ſit. Malebranchius non ſatis diſtinguit inter duas iſtas loquendi rationes, & poſteriorem ex priori immeritò colligit: licet enim Deus in condendo mundo certas leges generales ſtatuerit, à quibus niſi edito miraculo non diſcedit; non inde ſequitur ipſum non velle ſpecialiter & determinatè effectus ex iis legibus certò ſecuturos.

Adverte 3. Malebranchium tres exigere conditiones ut res aliqua dici poſſit cauſa occaſionalis. Prima, ut ea poſita effectus certò, ſtatim, ac ſemper ſequatur. Secunda, ut ea abſente effectus nuſquam fiat. Tertia denique, & quidem præcipua conditio eſt, ut cauſa occaſionalis non determinetur à Deo, ſed ipſa Deum determinet: ſi enim à Deo determinaretur, nec ipſa Deum determinaret, jam non ipſi cauſæ occaſionali, ſed ipſi tantum Deo ea omnia mala adſcribenda eſſent, quæ non in Deum, ſed in cauſam occaſionalem duntaxat vult refundi Malebranchius.

Adverte 4. In eodem ſiſtemate Deum in creando mundo tres duntaxat ſtatuiſſe leges generales, quæ ſunt veluti totidem cauſæ occaſionales à quibus voluntas Dei generalis pendet ac determinatur ad certos quoſdam effectus potius quàm ad alios. Prima lex in eo poſita eſt, ut corporum motus tendat ad rectam lineam. Secunda, ut quantitas motûs communicetur pro quantitate molis corporum quæ in ſeſe invicem impingunt. Duæ illæ leges ſpectant corpora. Tertia lex reſpicit ſubſtantias rationales, & in eo ſita eſt, ut Deus ea duntaxat faciat circa illas ſubſtantias, ad quæ illarum votis ac precibus determinatur.

Adverte 5. Ex his conſtare quæ ſit Malebranchii circa præſentem controverſiam mens ac doctrina. Scilicet exiſtimat prædictus author, in producendis & dirigendis rebus univerſi Deum ex ſeſe nullum effectum velle voluntate ſingulari, directâ & poſitivâ; ſed generali duntaxat & indeterminatâ, quatenus nempe ex prædictis tribus legibus ſequitur: adeò ut voluntas Dei non determinetur ad aliquid faciendum circa corpora, niſi ex eorum concurſu juxta ſeriem legum duarum generalium ſupra relatarum circa motum materiæ inditum; nec etiam determinetur ad aliquid faciendum circa intellectuales ſubſtantias, niſi ex eorum votis ac precibus: hunc autem concurſum corporum, & hæc vota quibus Deus determinatur, appellat Malebranchius cauſas occaſionales. Eadem fermè eſt ipſius doctrina circa ordinem ſupernaturalem, de quo agemus ſuo loco. Conſuli poſſunt quæ diximus Articulo præcedenti inter prænotata, ubi de ſiſtemate Malebranchii.

Communis econtra ac conſtans Theologorum poſt SS. Auguſtinum & Thomam, doctrina aſſerit, nihil omnino eſſe (excepto peccato) quod Deus non velit voluntate ſingulari, directâ & poſitivâ. His præmiſſis ſit

CONCLUSIO.

Deus in producendis ac dirigendis rebus univerſi, non generali duntaxat, quæ determinetur per cauſas occaſionales, utitur voluntate, ſed ſingulari, directâ & poſitivâ: adeò ut nullus omnino ſit effectus quem Deus ſigillatim & voluntate ſingulari non velit.

Probatur 1. Ex Scripturis. Occurrunt imprimis ea teſtimonia in quibus diſertè ſignificatur Deum ſpeciali & directâ voluntate creaſſe ſingulas rerum ſpecies. Geneſ. 1. *Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux.....Dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem a nocte.....Fecit Deus beſtias terræ juxta ſpecies ſuas, & jumenta & reptile terræ in genere ſuo &c.* Non potuit certè ſignificantioribus verbis exprimi ſpecialis, directa & poſitiva Dei voluntas quâ uſus eſt in producendis rebus univerſi. Et verò, ſi, ut contendunt adverſarii, iſta omnia quæ in hoc aſpectabili mundo cernimus, non aliter efformaſſet Deus, quàm voluntate generali, impreſſo ſcilicet, juxta ſupradictas generales naturæ leges, motu materiæ, ex quo cunctæ rerum ſpecies naſci debebant; nulla poſſet aſſignari ratio cur certa rerum ſpecies potius quàm alia dicatur à Deo facta tali determinato die; imò in ea hypotheſi neceſſariò admittendum foret, cuncta Deum produxiſſe eodem temporis inſtanti, quo ſcilicet materiæ motum impreſſit.

Accedunt innumera tùm veteris tùm novi Teſtamenti teſtimonia, in quibus diſertè ſignificatur Deum eſſe propriè & immediatè cauſam effectuum naturalium, atque univerſa ab ipſo ſpeciali providentiâ dirigi & ordinari. Job. cap. 38. *Ubi eras*, inquit Deus alloquens Job, *quando ponebam fundamenta terræ? Indica ſi habes intelligentiam; Quis poſuit menſuras ejus, ſi noſti? .....Quis concluſit oſtiis mare? ..... Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia, ac dixi: Uſque huc venies, & non procedes amplius.* Iſai. 44. *Hæc dicit Dominus Redemptor tuus & formator tuus, Ego ſum Deus faciens omnia, extendens cœlum ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum &c.* Actorum 17. *Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt...... dat omnibus vitam & inſpirationem & omnia: fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum.* Porrò ſi non ſpeciali voluntate & providentiâ, ſed generali duntaxat nutu & arbitrio cauſarum occaſionalium determinatâ, cuncta fierent, certè Deus non poſſet *propriè* dici cauſa & proviſor rerum omnium.

Huc etiam pertinet quod Chriſtus affirmat Matth. 6. Deum paſcere aves, veſtire lilia, eumque comparat ſollicito patri qui ſtudiosè nutrit filios ſuos. *Reſpicite*, inquit Chriſtus alloquens diſcipulos, *volatilia cœli, quoniam neque ſerunt neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa: nonne vos magis pluris eſtis illis? ...... Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, non laborant neque nent: dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloriâ ſuâ coopertus eſt ſicut unum ex iſtis. Si ergo fœnum quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit; quantò magis vos modicæ fidei?* Ibi Chriſtus Fideles hortatur ne nimiùm anxii ſint & ſolliciti de comparandis veſtibus, alimentis, aliiſque ad vitam ſuſtentandam neceſſariis, eâ potiſſimùm de causâ, quòd ſcilicet Deus ſingulari voluntate & ſtudio de hiſce rebus provideat, non ſolùm hominibus, ſed etiam animalibus brutis, imò ipſis rebus inanimatis: non ergo Deus in regendis rebus univerſi utitur generali duntaxat voluntate ad ſenſum Malebranchii. Et verò ſi Deus in dirigendis & ordinandis rebus omnibus uteretur generali duntaxat voluntate ad certos quoſdam effectus determinatâ per cauſas occaſionales quas non determinaret ipſe, atque ita eſſet adſtrictus legibus naturæ ut ab iis nuſquam diſcideret, aut iis ſeſe ſpeciatim immiſceret, obſtante ſcilicet ſummâ ipſius ſapientiâ; non erat profectò quòd Chriſtus Fidelibus ſuaderet ut ab omni curâ & ſollicitudine eſſent liberi & expediti: imò ſolliciti eſſe deberent ut ea cauſæ occaſionalis conditio poneretur, qua poſita Deus certò determinaretur ad agendum.

His teſtimoniis addenda ſunt ea in quibus teſtatur Scriptura, calamitates & proſpera quæ bonis & malis hominibus occurrunt, peculiari Dei providentia contingere: in principiis enim Malebranchii, iſta omnia non ſpeciali Dei providentia & diſpoſitione accidunt, ſed propter neceſſariam motuum inter corpora communicationē ſemel initio mundi à Deo ſtatutam, aut ſaltem propter voluntatem homi-

hominum, cujus occaſione determinatur Deus. Ea teſtimonia ſupra laudavimus Articulo præcedenti inter probationes ſecundæ Concluſionis.

Probatur 2. Ex Eccleſiæ precibus: *Lex* enim *ſupplicandi*, inquit S. Cœl. ſt. *ſtatuit legem credendi*. Et S. Auguſtinus Lib. de dono perſever. cap. 7. obſervat, Eccleſiam non ſolùm Symbolis & Decretis quæ condit, ſed etiam orationibus ſuis Fideles edocere. Porrò Eccleſia preces ad Deum dirigit, ut nos eximat à lethalibus morbis, inſtantibus periculis, ingruentibus tempeſtatibus, graſſantibus contagiis &c. Hæ autem preces manifeſtè declarant perſuaſum eſſe Eccleſiæ, Deum generalibus naturæ legibus quas ſtatuit non ſic adſtrictum eſſe, quin ab iis quandoque peculiari ac beneficâ voluntate diſcedat: non quidem manifeſtâ ſemper ac publicâ ratione (in quo conſiſtit miraculum propriè dictum) ſed verò, licet occulto & inviſibili modo.

Et certè ſi exiſtimaret Eccleſia Deum nuſquam eſſe receſſurum à ſtatuto ſemel à ſe legum naturalium ordine, certè agnoſceret ſe fruſtra orationes & vota fundere ad obtinenda ea quæ nonniſi interturbato legum naturalium curſu contingere poſſent. V. g. aliquis graviſſimo morbo vexatur; ſi juxta leges naturales debet à morbo liberari, neceſſum non eſt ut Eccleſia preces effundat, quia iis prætermiſſis æger nihilominus ſanabitur: cùm ergo Eccleſia enixè Deum rogat ut ægroto reddatur ſanitas, ſperat profectò id futurum, etiamſi leges naturales ad mortem huic ægro inferendam ex ſe determinatæ ſint.

Probatur 3. Ex SS. Patribus quorum conſtans eſt doctrina, Deum ſingula velle non generali duntaxat, ſed etiam ſpeciali voluntate; adeò ut nihil omnino ſit in rerum natura quod ſigillatim & peculiari Dei opera ac intentione factum non fuerit, aut ſpeciali Dei providentia diſpoſitum & ordinatum. Plura hanc in rem SS. Patrum teſtimonia collecta reperies apud Petavium Theologicorum dogmatum Tom. 1. Lib. 8. cap. 2. 3. & ſeq. Omnium inſtar nobis erunt SS. Auguſtinus & Thomas.

S. Auguſtinus Lib. 11. de civit. Dei cap. 17. "Deus, *inquit*, ſicut naturarum bonarum optimus „creator eſt, ita malarum voluntatum juſtiſſimus „ordinator; ut cùm illæ malè utuntur naturis bo„nis, ipſe benè utatur etiam voluntatibus malis. *Ibi„dem c.* 18. Neque enim, *ait*, Deus ullum, non di„co Angelorum, ſed vel hominum crearet, quem „malum futurum eſſe præſciſſet, niſi pariter noſſet „quibus eos bonorum uſibus commodaret, atque „ita ordinem ſæculorum tanquam pulcherrimum „carmen ex quibuſdam quaſi antithetis, (*id eſt oppo„ſitis*) honeſtaret. *Rurſus Lib. imperfecto de Geneſ. „ad litt. cap.* 5. Vitiorum noſtrorum non eſt author „Deus, ſed tamen ordinator eſt, cùm eo loco pec„catores conſtituit, & ea perpeti cogit quæ meren„tur..... Quædam ergo & facit Deus & ordinat: „quædam verò tantùm ordinat. Juſtos & facit & „ordinat; peccatores autem in quantùm peccatores „ſunt, non facit, ſed ordinat tantùm..... Ita ſpecies „naturaſque ipſas & facit & ordinat, privationes „autem ſpecierum defectuſque naturarum non fa„cit, ſed ordinat tantùm." Denique idem clarius inculcat Enchir. cap. 11. his verbis: *Deus omnipotens ... cùm ſummè bonus ſit, nullo modo fineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi uſque adeò eſſet omnipotens & bonus, ut benè faceret & de malo.* Nemo eſt qui in his locis non advertat, nihil eſſe in rerum natura, juxta S. Auguſtinum, quod fiat abſque ſpeciali Dei operantis aut ſaltem permittentis voluntate & providentiâ. Scilicet ſpecialis eſt author ſimul & ordinator rerum omnium naturalium; peccatorum autem aliorumque defectuum ordinator tantùm. Idipſum diſertis verbis tradit S. Doctor citato antea Lib. 1. Confeſſ. cap. 10. *Deus*, inquit, *ordinator eſt & creator rerum naturalium; peccatorum autem tantùm ordinator.*

Accedit, quòd ſi S. Auguſtinus in ea fuiſſet ſententiâ, Deum in producendis & regendis rebus univerſi, non particulari voluntate uti, ſed generali duntaxat & indifferenti quæ per cauſas occaſionales determinetur, profectò diſputans adversùs Manichæos, hanc uſurpaſſet rationem, utpote refellendis eorum argutiis & vitilitigationibus maximè opportunam. Scilicet Manichæi ex eo efficere conabantur Deum ſummè bonum rerum viſibilium authorem non eſſe, quia in rerum univerſitate occurrunt monſtra aliique defectus naturales: at obvia fuiſſet & facilis ſancto Auguſtino reſponſio; nempe hæc omnia vitia non in Deum, ſed in cauſas occaſionales duntaxat eſſe refundenda: at nuſquam ita reſpondet S. Doctor, imò contrarium expreſſis verbis docet Lib. 3. cap. 2. "Alia ſunt, *in„quit*, quæ multi ſtupeant..... ſicuti ſunt defectus „luminarium, & rarò exiſtentes quædam ſpecies ſi„derum, & terræ motus, & monſtruoſi partus ani„mantium, & quæcunque ſimilia, quorum nihil fit „niſi voluntate Dei, ſed pleriſque non apparet. „*Quod repetit cap. 8. his verbis*: Exceptis illis quæ „in eodem ordine rata ſunt, ſicut defectus lumina„rium, & ſpecies inuſitatæ, ſiderum, & monſtra, & „terræ motus, & ſimilia..... quorum quidem prima „& ſumma cauſa non eſt niſi voluntas Dei. Itaque „licuit vanitati Philoſophorum etiam aliis cauſis ea „tribuere, vel veris, ſed proximis, cùm omnino „videre non poſſent ſuperiorem omnibus cauſam, „id eſt voluntatem Dei; vel falſis &c." Quibus verbis nihil poteſt dici ad propoſitum noſtrum expreſſius.

Eandem ſpecialem Dei voluntatem quæ ad ſingula ſigillatim ſeſe extendat non minùs clarè exprimit S. Thomas variis in locis, præſertim verò 1. p. q. 22. art. 2. in corp. "Neceſſe dicere, *inquit*, omnia „divinæ providentiæ ſubjacere, non in univerſali „tantùm, ſed etiam in ſingulari..... unde neceſſe eſt „omnia quæ habent quocunque modo *eſſe*, ordina„ta eſſe à Deo in finem, ſecundùm illud Apoſtoli ad „Rom. 13. Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt." Unde idem S. Doctor ibidem ad primum obſervat aliquid dici *caſuale* vel *fortuitum* reſpectu cauſæ particularis duntaxat; at verò reſpectu cauſæ univerſalis à cujus ordine nihil totaliter recedere poteſt, dici debere *proviſum ac intentum*. *Dicendum*, inquit, *quod in quantùm aliquis effectus ordinem alicujus cauſæ particularis effugit, dicitur eſſe* caſuale, *vel* fortuitum, *reſpectu cauſæ particularis; ſed reſpectu cauſæ univerſalis, à cujus ordine ſubtrahi non poteſt, dicitur eſſe* proviſum: *ſicut & concurſus duorum ſervorum, licet ſit caſualis quantùm ad eos, eſt tamen proviſus à domino, qui eos ſcienter, ſic ad unum locum mittit, ut unus de alio neſciat.* Vides ex ſancto Doctore omnes effectus naturales, etiam ii qui dicuntur fortuiti, eſſe à Deo non generatim duntaxat, ſed & ſpecialiter intentos: eo ferè modo quo concurſus duorum ſervorum quos herus eo fine dirigit ad certum locum, ut ſibi invicem occurrant, ſpecialiter intentus eſt ab hero, licet quantùm ad ſervos fortuitus & caſualis dici poſſit ac debeat.

Idipſum diſertiùs ibidem explicat S. Doctor ad 2. his verbis: *Dicendum*, inquit, *quod aliter de eo eſt, qui habet curam alicujus particularis, & de proviſore univerſali: quia proviſor particularis excludit defectum ab eo quod ejus curæ ſubditur, quantùm po-*

teſt;

teſt; ſed proviſor univerſalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius: unde corruptiones & defectus in rebus naturalibus dicuntur eſſe contra naturam particularem; ſed tamen ſunt de intentione naturæ univerſalis, in quantùm defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius univerſi: nam corruptio unius eſt generatio alterius, *per quam ſpecies. Cùm igitur Deus ſit proviſor generalis totius entis, ad ipſius providentiam pertinet ut permittat quoſdam defectus eſſe in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum univerſi perfectum: ſi enim omnia mala impedirentur, multa bona deeſſent univerſo: non enim eſſet vita leonis, ſi non eſſet occiſio animalium; nec eſſet patientia Martyrum, ſi non eſſet perſecutio tyrannorum: unde dicit Auguſtinus in Enchir. Deus omnipotens nullo modo ſineret aliquod malum eſſe in operibus ſuis, niſi uſque adeò eſſet omnipotens & bonus, ut benè faceret etiam de malo.*

Hæc mox adducta Doctoris Angelici teſtimonia, tametſi prolixiora, hic omnino deſcribi oportuit: ſunt enim peremptoria, ac ex iis clarè liquet quàm aliena ſit Malebranchii ſententia à mente & doctrinâ ſancti Doctoris.

I. Aſſerit Malebranchius Lib. de naturâ & gratiâ, in Medit. & alibi, Deum per ſeipſum nullum effectum ſigillatim & voluntate ſingulari velle, ſed duntaxat quatenus ex ſupra dictis generalioribus ac ſimplicioribus legibus ſequitur. Econtra Doctor Angelicus, articulo mox laudato in corp. aſſerit, *neceſſe eſſe dicere omnia divinæ providentiæ ſubjacere, non in univerſali tantùm, ſed & in particulari.*

II. Contendit idem Malebranchius, Deum non velle monſtra alioſque defectus qui in rerum univerſitate occurrunt (in ordine phyſico) voluntate ſpeciali, directâ & poſitivâ, ſed generali duntaxat & indifferenti quæ per cauſas occaſionales determinatur. Ita expreſsè docet in Inquiſitione veritatis pag. 494. his verbis: *Or qui eſt l'homme qui oſe dire que Dieu n'agit point par les voyes les plus ſimples, qu'il eſt deregle dans ſes deſſeins, qu'il fait des monſtres par une volonté poſitive, directe & particuliere, & non par une eſpece de néceſſité?* Et rurſus in Lib. de naturâ & gratiâ: *Dieu n'aime point les monſtres: il n'a point fait les loix de la nature pour les engendrer; & s'il avoit pû par des voyes auſſi ſimples faire & conſerver un monde plus parfait, il n'auroit point établi des loix dont un ſi grand nombre de monſtres ſont des ſuites néceſſaires.* At econtra Doctor Angelicus expreſsè aſſerit, citato articulo ad 2. corruptiones alioſque defectus qui in rebus naturalibus occurrunt, equidem eſſe contra naturam particularem, *ſed tamen eſſe de intentione naturæ univerſalis,* (Dei ſcilicet) *in quantùm defectus unius cedit in bonum alterius;* ergo, juxta ſanctum Doctorem, *Deus poſitivè intendit & vult hujuſmodi defectus.* Et verò Deus directè & poſitivè vult quod cedit in bonum totius univerſi: *Forma,* inquit S. Thomas 1. p. q. 49. art. 2. *quam principaliter Deus intendit in rebus creatis, eſt bonum ordinis univerſi:* at idem S. Doctor loco jam laudato docet, corruptiones alioſque defectus in ordine phyſico, *cedere in bonum totius univerſi;* ergo &c.

III. Denique docet Malebranchius locis mox citatis, vitia alioſque defectus *naturales* qui in rerum univerſitate occurrunt, non in Deum refundenda eſſe, ſed duntaxat in cauſas occaſionales quibus obſequitur Deus, & veluti *quâdam neceſſitate* adſtringitur ad ea permittenda. At verò cenſet S. Thomas articulo mox laudato in corp. exceptis defectibus moralibus, cætera omnia Deo eſſe adſcribenda, qui ſummâ ſuâ ſapientiâ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter;* atque ita dirigit & ordinat cauſas occaſionales, ut ex iis enaſcantur certi quidam defectus qui plurimùm conducunt in bonum & pulchritudinem totius univerſi: ſicuti umbræ in picturâ, & in muſicâ concors vocum diſcordia maximè proſunt ad picturæ ornamentum & concentûs ſuavitatem, quibus comparationibus plerumque utitur S. Auguſtinus variis in locis, ac præſertim Epiſt. 166. alias 28. & 138. aliàs 3.

Probatur 4. ex conſtanti Theologorum doctrinâ, qui ſummo conſenſu, uti rem certam & indubitatam tradunt, Deum, excepto peccato, cætera omnia ſigillatim directè & poſitivè velle. Et verò ii omnes agnoſcunt ſpecialem Dei providentiam quæ ad res quaslibet ſeſe extendat; at ſpecialis providentia ſpecialem voluntatem neceſſariò includit: unde & Petavius loco ſupra laudato cap. 4. ſic habet: "Nec dubitare licet Chriſtiano ulli, „quin Deus rerum omnium tam animâ carentium, „quàm animatarum, peculiarem, & cujuſque naturæ congruentem habet curam, quod & ſacrarum „Scripturarum conſtans authoritas demonſtrat..... „Etenim cùm nulla ſit res, quàm non ſigillatim ac „per ſe Deus effecerit, fieri non poteſt, quin particulatim quoque, tanquam operi ſuo, illi curam adhibeat. *Paulò ante dixerat:* Innumera ſunt teſti„monia omnibus in Scripturæ libris..... quæ hoc „docent, Deum non univerſè ſolùm, ſed minutatim „quoque rationem habere ſingularum rerum, iiſ„que propriâ & accommodatâ unicuiq; providen„tiâ conſulere, & quæ opus habent ſuppeditare."

Probatur denique 5. variis rationibus Theologicis.

Prima ſic proponitur: Ea Deus ſigillatim, directè & poſitivè vult, quæ ſunt in ſe bona, quæque maximè conducunt in bonum, pulchritudinem & ordinem totius univerſi: ut enim vidimus ex ſancto Thoma loco antea laudato, *forma quam principaliter Deus intendit in rebus creatis, eſt bonum ordinis univerſi.* Atqui omnia quæ occurrunt in rerum univerſitate, ne exceptis quidem monſtris aliiſque defectibus naturalibus, ſunt in ſe bona, ac plurimùm cedunt in ornamentum & decorem totius univerſi; ergo &c. Major certa eſt, minor verò conſtat 1. ex illo Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* 2. ex SS. Auguſtino & Thoma locis ſupra citatis, quibus adde quòd S. Auguſtinus agens contra Manichæos frequenter aſſerat & probet, nihil corporeum ac viſibile vitioſum eſſe, niſi per comparationem cum re perfectiori. *Nihil vituperatur,* inquit S. Doctor, *niſi in comparatione melioris.* 3. monſtra aliique defectus naturales eo ferè modo ſe habent in hoc viſibili mundo, ſicuti umbræ in picturis, & in muſicâ concors vocum diſcordia, & interpoſitiones ſilentiorum certis moderatiſque intervallis ordinatæ: porrò hæc omnia, quamvis meræ privationes ſint, nonnihil conferunt & tabellæ ornamento & concentûs ſuavitati; ergo &c.

Præſtat hic referre verba S. Auguſtini eleganter & accuratè idipſum explicantis Lib. imperf. de Geneſi ad litteram capite 5. *Tenebras à Deo ordinatas intelligimus cum dicitur;* Et diviſit Deus inter lucem & tenebras, *ne vel ipſa privationes non haberent ordinem ſuum Deo cuncta regente atque adminiſtrante: ſicut in cantando interpoſitiones ſilentiorum certis moderatiſque intervallis, quamvis vocum privationes ſint, benè tamen ordinantur ab iis qui cantare ſciunt, & ſuavitati univerſæ cantilenæ aliquid*

quid

quid conferunt , & umbra in picturis eminentiora quæque diſtinguunt, ac non ſpecie,ſed ordine placent : ..... ita & Deo faciente pulchra ſunt ſingula , & ipſo ordinante pulchra ſunt omnia. Rem eandem iterum egregiè illuſtrat S. Doctor Lib. 1. de ordine cap. 1. comparatione exquiſiti operis vermiculati , mitâ ſcilicet lapillorum varietate decorati , cujus quis modicam duntaxat partem ob infirmam oculorum aciem cernere valens,opus ipſum incautè vituperaret ; ibique obſervat , idem minùs eruditis hominibus contingere , qui univerſam rerum coaptationem atque ordinem obtuſâ mente complecti & conſiderare non valentes , defectus & vitia in rerum univerſitate reperiri, affirmare non verentur : "Si quis, *inquit*, tam minutum cerneret, ut in vermiculato pavimento nihil ultra unius teſſellæ modulum, acies ejus valeret ambire, vituperaret artificem, velut ordinationis & compoſitionis ignarum , eo quòd varietatem lapillorum perturbatam putaret , à quo illa emblemata in unius pulchritudinis faciem congruentia ſimul cerni collustratique non poſſent : nihil autem aliud minùs eruditis hominibus accidit , qui univerſam rerum coaptationem atque concentum imbecillâ mente complecti & conſiderare non valentes, ſi quid eos offenderit, quia ſuæ cogitationi magnum eſt, magnam putant rebus inhærere fœditatem." Quibus quidem ſancti Doctoris teſtimoniis manifeſtum eſt, monſtra aliaque hujuſmodi quæ dicuntur vitia naturalia, reipsâ vitia non eſſe & defectus, imò potiùs perfectiones , habitâ nimirum ratione univerſæ rerum coaptationis ac concentûs; atque adeò ſub hoc reſpectu à Deo ſigillatim directè ac poſitivè volita fuiſſe.

Secunda ratio hæc eſt : Deus ea intendit voluntate ſingulari , directâ & poſitiva , quorum author eſt ac principium: atqui Deus eorum omnium quæ in rerum univerſitate occurrunt, author eſt ac principium ; ergo &c. Major certa eſt , in Deo enim velle & efficere ſunt quid unum & idem : porrò quidquid efficit Deus, illud actione ſingulari, directa & poſitiva operatur ; ac proinde illud etiam intendit voluntate ſingulari, directa & poſitiva. Minor autem conſtat innumeris Scripturæ & SS. Patrum teſtimoniis , eamque perpetuo docet S. Auguſtinus contra Manichæos & alibi ſæpe , ac præſertim Lib. 3. de Trinit. cap. 8. *Quæ*, inquit, *uſitatiſſimo tranſcurſu temporum in rerum natura ordine corporaliter fiunt , ſicuti ſunt caſus & occaſus ſiderum,generationes & mortes animalium.... nebula & nubes, nives & pluviæ , fulgura & tonitrua , fulmina & grandines, venti & ignes, frigus & æſtus , & omnia talia;..... ſicut defectus luminum , & ſpecies inuſitata ſiderum, & monſtra, & terræ motus , & ſimilia..... Horum prima & ſumma cauſa non eſt niſi voluntas Dei : unde & in Pſalmo* 148. *cum quædam hujus generis eſſent commemorata* , Ignis, grando , nix , glacies , ſpiritus tempeſtatis ; *ne quis ea vel fortuitu , vel cauſis tantummodo corporalibus , vel etiam ſpiritualibus , tamen præter Dei voluntatem exiſtentibus, agi crederet , continuò ſubjecit* , quæ faciunt verbum ejus. Ergo in mente ſancti Auguſtini, voluntas Dei prima eſt & ſumma cauſa rerum quæ *in natura ordine corporaliter fiunt* ; atque ad ea omnia ſigillatim & ſpecialiter , directè ac poſitivè ſeſe extendit.

Tertia : disertè fatetur Malebranchius corpora organica animalium facta eſſe non generali dumtaxat voluntate , juxta ſeriem legum duarum generalium ſupra relatarum circa motum materiæ , ſed ſpeciali Dei voluntate : *Lorſqu'on conſidere* , inquit Medit. 7. n. 5. *les corps organiſés, c'eſt-adire, les plantes & les animaux , on ne peut dire que le moindre inſecte ſoit l'ouvrage du hazard : tout y eſt formé dans un deſſein determiné & par des volontés particulieres..... Car les corps organiſés ne peuvent être produits par les ſeules loix de la communication des mouvemens , qui peuvent ſe reduire à deux..... mais on voit bien que ces deux loix & autres ſemblables ne peuvent pas former une machine dont les reſſorts ſont infinis, & dont chacun à ſon uſage.* Ergo falſum eſt, vel ipſo fatente Malebranchio, ſupradictas duas leges circa motum materiæ inditum ſufficere explicandis omnibus motibus qui corporibus eveniunt , nullâ admiſsâ ſpeciali Dei voluntate circa illos motus. Porrò ſi non repugnet ſapientiæ aliiſque Dei attributis ut ſingularem providentiam ac ſpecialem voluntatem adhibuerit in formandis corporibus organicis plantarum & animalium , cur repugnabit ut eandem providentiam & voluntatem adhibeat in gubernandis ſingulis rebus univerſi ?

Quarta : fide conſtat , idque confitetur Malebranchius , Deum ſpeciali voluntate ſingulas ſubſtantias ſpirituales creaſſe : ergo fateri etiam debet, eâdem ratione Deum ſe geſſiſſe erga res corporeas : alioquin non ſpeciali Dei voluntati tribuendum eſſet quòd his potiùs quàm aliis circumſtantiis nati ſimus , quòd hoc potiùs quàm illo corpore prædìti ſumus &c. Porrò ſi Deus in creandis ſubſtantiis tùm ſpiritualibus tùm corporalibus , non generali duntaxat ſed ſpeciali voluntate uſus fuerit , quidni pariter eâdem ſpeciali voluntate ac providentia utetur in iis ordinandis ac dirigendis ?

Quinta petitur ex ſumma Dei ſapientia , potentia, aliiſque Dei perfectionibus. Nam ſi Deus in gubernandis rebus univerſi generali duntaxat,non ſpeciali utitur voluntate, id eò fit,vel quia non omnia ſigillatim novit , ut ſigulis ſpeciatim conſulat ; vel quia non poteſt omnibus ſpeciali ratione conſulere ; vel denique quia nec decet nec expedit ut omnibus ita provideat, tametſi poſſit : nullum autem ex his Deo convenit.

Non primum : infinitam enim eſſe Dei ſcientiam , eamque ad omnia etiam minima , ſeſe ſigillatim extendere, demonſtravimus in Tract. de Attributis, ubi de ſcientia.

Non etiam ſecundum : vis enim competit Deo , infinitæ ipſius cognitioni par ; ac proinde quemadmodum omnia ſigillatim novit , ita & omnibus ſigillatim conſulere poteſt.

Non denique tertium : nam decet ſummam Dei ſapientiam, quæ omnia ſigillatim novit, iiſque ſpeciatim gubernandis vim habet idoneam, ut non ſolùm cauſas , ſed etiam effectus peculiari & ſingulari voluntate decernat , cùm cauſæ & principia ſint propter effectus. Itaque , (etiam poſitâ hypotheſi de motu materiæ ſemel impreſſo , ex quo cuncta deinceps nata ſunt , quam hypotheſim hic non expendimus an ſit poſſibilis) non ſolùm Deus voluit motum materiæ primitùs imprimere ac poſtmodum communicare , ſed etiam voluit ſpeciali voluntate omnia quæ ex motu materiæ ſecutura eſſe prævidit : imò voluit motum materiæ imprimere propter effecta quæ inde vidit & deſtinavit ſecutura ; quia motus ille in allatâ hypotheſi , ſupponitur eſſe tanquam medium ad producenda illa quæ ſecuta ſunt effecta : porrò Deus vult media eſſe propter finem , & non vice verſâ , juxta illud tritum ſancti Thomæ antea laudatum , *Vult ergo* [Deus] *hoc eſſe propter hoc , ſed non propter hoc vult.* Ergo &c.

Sexta ratio deſumitur ex idea & notione cauſæ occaſionalis , juxta Malebranchium. Scilicet in

ipſius

ipſius ſententiâ, cauſa occaſionalis ea eſt quæ certò, ſtatim ac ſemper generalem Dei voluntatem ad ſingularem quemdam effectum determinat, nec ipſa à Deo determinatur: ſi enim determinaretur à Deo, inquit ille Libro de naturâ & gratiâ, non cauſæ occaſionali, ſed ipſi Deo tantùm tribuenda eſſent monſtra aliique defectus naturales qui rerum univerſitate occurrunt. Atqui in principiis ſiſtematis Malebranchii non poteſt admitti hujuſmodi cauſa occaſionalis quæ Deum determinet ad agendum; non poſſet enim Deum determinare ad agendum, niſi per actionem: ipſe autem aſſerit omnia fieri à Deo immediatè, creaturarum nullam eſſe actionem, & ſi quæ videantur creaturarum actiones, illas à Deo immediatè proficiſci; ergo &c. Certè in hypotheſi Malebranchii nullatenus concipitur, quâ ratione poſſit aſſeri Deum determinari à cauſis occaſionalibus duntaxat, & non immediatè ac peculiari voluntate velle actiones quaslibet creaturarum, ſive rationalium, ſive irrationalium, cùm, juxta ipſum, Deus ſolus, exceptâ voluntate circa proprias volitiones, ſit cauſa effectrix & activa.

Et verò cauſæ occaſionales, reſpectu corporum, ſunt, ſi fides Malebranchio, concurſus horumce corporum juxta ſuprà recenſitas generales leges motûs; quoad verò creaturas rationales, vota & preces earundem ſubſtantiarum rationalium: ut enim ait Inquiſit. verit. pag. 593. *Il y a deux ſortes de cauſes occaſionelles, les mouvemens des corps, & les volontés des eſprits.* At conſtat nec concurſus corporum, nec vota & preces ſubſtantiarum rationalium eſſe cauſas occaſionales.

Nam I. quæ à ſubſtantiis rationalibus & liberis circa corpora fiunt, v. g. ab Angelis & hominibus, ea non pendent à legibus univerſalibus circa motum corporum, ſed à libertate illis ſubſtantiis innatâ; ergo illæ ſubſtantiæ liberæ interrumpunt leges generales à Deo ſtatutas circa motum corporum: ac proinde leges iſtæ non poſſunt dici cauſæ occaſionales omnium motuum qui in corporibus contingunt.

II. Deus ſæpè ſubſtantiis rationalibus immittit cogitationes & affectus ex quibus multa oriuntur bona; aliunde verò aliorum comprimit ac diſſipat mala conſilia, quæ plurimorum malorum cauſæ fuiſſent, juxta illud I. Cor. I. *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Et Job 5. *Qui apprehendit ſapientes in aſtutiâ eorum, & conſilia pravorum diſſipat..... Porrò ſalvum faciet egenum à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.* Ergo falſum eſt vota & preces ſubſtantiarum rationalium eſſe cauſas occaſionales ſine quibus Deus non determinatur ad quidquam faciendum circa eaſdem creaturas rationales.

Septima ducitur ex variis abſurdis & incommodis quæ neceſſariò conſequuntur ſemel admiſſâ Malebranchii ſententiâ.

Namque I. Si Deus nihil velit voluntate ſingulari, ſed generali duntaxat per cauſas occaſionales determinatâ, prima cauſa & ratio diverſitatis omnium humanorum eventuum, non à Deo, ſed à ſola voluntate humana eſſet repetenda; quod quidem familiari exemplo illuſtrari poteſt. Quemadmodum enim vera ratio diverſitatis ſonorum ac harmoniæ quæ ab organis muſicis editur, non à vento qui tabulis inſeritur, ſed ab organico cantore qui ventum moderatur, ac juxta regulas muſices diſpenſat, deſumenda eſt: ita pariter in prædicta hypotheſi, humanorum eventuum varietas non ipſi Deo adſcribenda eſſet, ſed humanæ voluntati, quæ perinde ſe haberet ad varios illos effectus quorum eſſet cauſa occaſionalis, ſicuti manus organici modulatoris ad ſonorum diverſitatem.

II. Si vera eſt hypotheſis Malebranchii, plùs deberemus motui materiæ aliiſque cauſis occaſionalibus, quàm ipſi Deo: quia ſcilicet cauſa proxima vitæ noſtræ eſſet motus materiæ, nec Deus imprimendo motum materiæ, directè, poſitivè ac immediatè ſibi propoſuiſſet vitam nobis largiri, ſed duntaxat permiſiſſet rem ita fieri.

Nec eſt quòd regerat Malebranchius, Deum prævidiſſe ex tali motu materiæ vitam nobis obventuram. Equidem ita eſt: at non ideo nobis obventura eſt, quia Deus id prævidit, ſed econtra prævidit quia reverâ ex motu materiæ ſecutura erat; adeò ut ſi ex motu materiæ ſecutura non fuiſſet, reipſa Deus vitam nobis non dediſſet. Vera ergo ratio cur haberemus vitam in illa ſententia, eſſet motus materiæ, non ipſe Deus; ac proinde plùs deberemus motui materiæ quàm ipſi Deo: quemadmodum ſi Princeps id ſibi duntaxat reſervaret ut miniſtros præficeret ærariis ſuis & exercitibus, nec ſpeciali voluntate curaret ea quæ ab illis miniſtris fierent, ii qui ab illis miniſtris ſpeciali quodam affectu officia & munera ſuſciperent, plùs deberent illis miniſtris quàm Regi.

III. Abſurdum eſt & in fide periculoſum, aſſerere ea omnia quæ in rerum univerſitate accidunt, ſine ſpeciali Dei ordinatione contingere, ne iis quidem exceptis quæ cum perſeverantia finali ac ſalute neceſſariò connexa ſunt, qualis eſt v. g. mors adultorum qui improviſo quodam caſu ex hac vita tàm opportunè rapiuntur, cùm juſti ſunt: ut enim ait S. Auguſtinus Lib. de utilitate credendi cap. 16. *Si Dei providentia non præſidet rebus humanis, nihil eſt de Religione ſatagendum.* Et Lib. de dono perſeverantiæ cap. 7. *Prorſus,* inquit, *in hàc re non operoſas diſputationes expectat Eccleſia: ſed attendat quotidianas orationes ſuas..... Orat, ut credentes perſeverent: Deus ergo donat perſeverantiam uſque in finem.* Porrò ſi Deus, ut contendit Malebranchius, nihil velit voluntate ſingulari, ſed generali duntaxat per cauſas occaſionales determinatâ, planum eſt ea omnia (exceptis miraculis) quæ in hoc viſibili mundo contingunt, Deo equidem præſciente & exequente, ſed non ſpecialiter ordinante contingere.

Idipſum disertè fatetur variis in locis Malebranchius Lib. de natura & gratia his verbis: "De tous „les effets particuliers, il n'y a que les miracles „que Dieu veuille par une volonté particuliere. *Et „rurſus ibidem:* Tous les effets miraculeux ne ſont „point voulus de Dieu poſitivement & directe„ment, parce que Dieu ne les veut pas par des vo„lontés particulieres, mais ſeulement par une vo„lonté générale, qui ne ſe porte à un effet plûtôt „qu'à un autre, qu'autant que ſon efficace généra„le eſt determinée par quelque choſe qui arrive „dans la creature." Et ſpeciatim de juſto qui improviſo lapidis caſu protinus opprimitur, ſic habet eodem in Libro: "Lorſqu'une pierre tombe ſur la „tête d'un homme de bien, & le delivre de la vie, „elle tombe en conſéquence des loix des mouve„mens: ce n'eſt point à cauſe que cet homme eſt „juſte, & que Dieu par une volonté particuliere le „veut actuellement recompenſer. Lorſqu'un ac„cident pareil écraſe un pécheur, ce n'eſt point „parce que Dieu le veut actuellement punir." Quàm hæc aliena ſint à doctrina SS. Auguſtini & Thomæ, conſtat ex teſtimoniis horumce SS. Doctorum antea adductis.

IV. Siſtema Malebranchii nocet perfectiſſimæ

Dei providentiæ. Scilicet, ut obſervat Doctor Angelicus 1. parte quæſt. 22. art. 3. duæ ſunt providentiæ partes, quarum altera in rerum futurarum ordine ſeu diſpoſitione; altera in certâ ordinis illius ſeu diſpoſitionis executione poſita eſt. Hæc autem duo ita ſe habent ad ſeſe invicem, ut cùm diverſæ ſunt perſonæ quarum una ordinat, altera exequitur, nobilior ſit & dignior ordinatio quàm executio. Sic v. g. Rex ordinat, miniſtri verò exequuntur; Dux imperat, milites perficiunt; architectus diſponit ædificium, artifices aptando lapides illud conficiunt. Porro ſi credimus Malebranchio, Deus res omnes immediatè ac ſigillatim exequitur, & quidem ipſe ſolus, negat enim cauſas ſecundas eſſe activas (in quo certè, niſi ejus loquendi ratio benigniùs exponeretur, ut alibi diximus, ab errore excuſari non poſſet:) at non ordinat niſi generatim duntaxat, & quatenus per cauſas occaſionales ad certum quemdam effectum determinatur; ac proinde id quod præſtantius eſt in ipsâ providentiâ, imò in quo eſſentialiter repoſita eſt juxta S. Thomam loco mox citato, non Deo ſed creaturæ potiſſimùm adſcribendum eſſet. Siſtema ergo illud divinam evertit providentiam, aut ſaltem illam maximâ ex parte labefactat.

V. Concordia divinæ providentiæ quæ ad univerſa quæque ſummo imperio ſeſe extendit cum libertate creaturarum rationalium, ſemper viſa eſt ad explicandum perdifficiles; atque iſtud dogma firmiter credendum & adorandum, non curioſiùs ſcrutandum, conſtanter docent SS. Patres: at, quæſo, quis, quantumvis ſtupidus & hebes ſupponeretur, ſuſpicari poterit divinam providentiam ad ſenſum Malebranchii intellectam, libertatis humanæ jura vel tantillùm lædere? Agnoſcendum ergo divinam providentiam ac voluntatem, non generali duntaxat, ſed & ſpeciali voluntate decernere quidquid in rerum univerſitate contingit.

Septima denique & ultima ratio ex eo deſumitur, quòd infirma omnino ſint ac nullius roboris fundamenta quibus innititur Malebranchius ad vindicandum recens quod excogitavit ſiſtema. Tria potiſſimùm ſunt quæ perpetuò inculcat. Primum petitur ex ideâ ac notione cauſæ univerſalis, quæ, ut ipſe putat, exigit ut nihil velit niſi generali duntaxat voluntate. Secundùm, ex monſtris aliiſque vitiis naturalibus quæ in hac rerum univerſitate occurrunt, quæque non in Deum ſed in cauſas duntaxat occaſionales refundi poſſunt. Tertium ex eo oritur, in quo vim maximam facit, quòd ſcilicet tanquam certiſſimum ſtatuat, omnem vim activam, quantumcunque exigua ſupponatur, aliquid infiniti ac divini includere: ſic loquitur Medit. 9. n. 7. *Hors de Dieu il n'y a point de puiſſance véritable; & toute efficace, quelque petite qu'on la ſuppoſe, eſt quelque choſe de divin & d'infini.* Porrò tria hæc falſa eſſe ac gratis conficta, conſtat ex dictis antea, & ampliùs conſtabit ex dicendis mox in ſolutione Objectionum.

Solvuntur Objectiones.

Variæ Malebranchii objectiones ex dictis paſſim iſto & præcedenti Articulo præoccupatæ manent ac expeditæ, nonnullas ſpecialiores quas nondum attigimus, hic referemus & ſolvemus.

Objicies 1. In ideâ & notione cauſæ univerſaliſſimæ clarè & evidenter continetur quòd agat voluntate non ſingulari, ſed generali ad certos quoſdam effectus per cauſas occaſionales determinatâ: atqui Deus eſt cauſa omnium univerſaliſſima; ergo agit voluntate duntaxat generali, neque ipſum aliter agere ſinit ſumma & infinita ipſius ſapientia. Argumentum iſtud ſæpius proponit Malebranchius. Lib. de naturâ & gratiâ ſerm. 1. a. 22. ſic habet: *La cauſe générale ne doit point produire ſon ouvrage par des volontés particulieres.* Ibidem art. 42. *Sa ſageſſe que Dieu aime plus que ſon ouvrage, l'ordre immuable & néceſſaire qui eſt la regle de ſes volontés, ne permet pas qu'il agiſſe par des volontés particulieres.* Addit Meditat. 11. n. 13. iſtud principium altè menti infigendum, ex quo innumera eruuntur conſectaria. *C'eſt un principe qu'on ne doit pas oublier, parce que de tous les principes c'eſt le plus fecond.*

Reſp. negando maj. Namque 1. fatetur Malebranchius Lib. 6. de inquiſitione veritatis parte 2. cap. 4. poſſibilem eſſe Carteſii hypotheſim, juxta quam dicitur nonniſi motum fuiſſe materiæ à Deo impreſſum, & ex illo motu abſque ſpeciali Dei voluntate ſolem, lunam, ſtellas, aliaque eximia corpora ex quibus coaleſcit aſpectabilis hic mundus, ſucceſſu temporis nata fuiſſe; quâ certè in hypotheſi Deus generali duntaxat uſus fuiſſet voluntate: attamen authoritate Scripturæ ductus fatetur ibidem, ſpeciali voluntate mundum conditum fuiſſe; non ergo in ideâ ac notione Dei includitur quòd neceſſariò agere debeat voluntate duntaxat generali per cauſas occaſionales ad certos effectus determinatâ. Et verò non magis in ideâ Dei continetur quòd agat voluntate generali in dirigendis & ordinandis rebus univerſi, quàm in iis producendis: porrò fatetur Malebranchius, ſpeciali voluntate conditas fuiſſe res univerſi; ergo &c.

II. Idem eſt apud Malebranchium, Deum agere juxta leges generales, & ipſum agere voluntate generali per cauſas occaſionales determinatâ; unde loco mox laudando & alibi ſæpe opponit modum agendi generali voluntate, rationi agendi juxta leges particulares: porrò agnoſcit Malebranchius, non neceſſariam ſed liberam duntaxat intercedere connexionem Deum inter & modum agendi juxta leges generales; ſic enim loquitur Libro de naturâ & gratiâ ſerm. 1. art. 21. "La communication des „mouvemens eſt une loi arbitraire qui doit être „ſoumiſe à la loi de l'ordre. *Addit ibidem*: Il y a „quelques occaſions aſſez rares où ces loix généra„les des mouvemens doivent ceſſer de produire „leur effet; mais c'eſt qu'il eſt à propos que les hom„mes ſçachent que Dieu eſt tellement maître de la „nature, que s'il ſe ſoumet aux loix qu'il a établies, „c'eſt plutôt parce qu'il le veut bien, que par une „néceſſité abſoluë." Ergo non neceſſaria etiam, ſed libera duntaxat intercedit connexio Deum inter & rationem agendi voluntate generali; ac proinde non continetur clarè in ideâ Dei quòd neceſſariò agat generali duntaxat voluntate quæ per cauſas occaſionales ad certos quoſdam effectus determinetur.

III. Poſſibilia ſunt miracula, eaque in mente Malebranchii non fiunt niſi quatenus Deus agit voluntate ſpeciali; ſic enim loquitur Lib. de naturâ & gratiâ ſerm. 1. n. 59. "Les mirales ne ſont tels, que par„ce qu'ils n'arrivent point ſelon les loix générales: „mais pour les effets ordinaires, ils demontrent „clairement & directement les loix & les volontés „générales. *Et rurſus*: De tous les effets particu„liers, il n'y a que les miracles que Dieu veuille „par une volonté particuliere."

Porrò ſi miracula poſſibilia ſint, eaque nonniſi voluntate ſpeciali fiant, non ergo in ideâ ac notione Dei includitur quòd generali duntaxat voluntate operetur: aliàs miracula, contra hypotheſim, non forent poſſibilia: Deus etenim ſeipſum

negare

negare non poteſt, nec operari modo ipſius naturæ adverſanti.

IV. Non negat Malebranchius quin Deus ſingulas ſubſtantias ſpirituales ſpeciali voluntate creaverit: cogitur etiam fateri Meditat. 7. n. 6. plantas aliaque corpora organica animalium facta eſſe non juxta ſeriem legum generalium circa motum materiæ, ſed ſpeciali Dei voluntate: at quâ ratione hæc ſtarent, ſi in ideâ Dei contineretur quod ageret voluntate duntaxat generali?

Atque ex his exteriſque iuter probationes allatis patet, quam infirmum ſit ac labile præcipuum & palmare principium quo innititur Malebranchii doctrina circa modum agendi, tam in ordine naturali, quam in ordine ſupernaturali.

Inſtabis: Si Deus vellet voluntate ſpeciali aliquem effectum creatum, terminus actionis divinæ ipſâmet Dei actione dignus non eſſet; ergo reipsâ Deus nihil ex rebus creatis vult voluntate ſpeciali. Ita Malebranchius ſæpius citato ſermone 1. Lib. de natura & gratia art. 42. *La ſageſſe de Dieu..... ne permet pas qu'il agiſſe par des volontés particulieres: l'effet qui arriveroit de chacune de ſes volontés, ne vaudroit pas l'action qui le produiroit.*

Reſp. 1. retorquendo: Si enim effectus creati non ſunt digni peculiari Dei voluntate, nec etiam digni cenſendi ſunt generali Dei voluntate quod tamen negat Malebranchius.

Reſp. 2. ſupponere iſtud argumentum, Deum non agere niſi propter gloriam & utilitatem quandam externam ex creaturis inſtar operæ pretii à ſe percipiendam, aut inſtar finis aſſequendam: utrumque autem falſiſſimum eſſe conſtat ex dictis ſupra Quæſt. 3. & Articulo præcedenti hujuſce Quæſtionis, ubi fusè ex Scripturâ, Patribus & ratione demonſtravimus, Deum extrinſecus non operari ut aliquid inde in ſe redundet honoris & boni, quod ſummâ Dei majeſtate indignum; ſed ècontra ut ex immenſo & inexhauſto perfectionum ac bonorum quibus affluit, pelago, aliquid rebus creatis pro ſua benevolentia gratis communicet.

Reſp. 3. diſt. ant. effectus creati non ſunt digni actione Dei, principiativè ſpectata; concedo: terminativè ſumpta, nego. Equidem creaturæ non ſunt dignæ actione Dei principiativè ſpectata, actio enim Dei ſpectata ex parte principii eſt, ipſamet Dei eſſentia; creaturæ autem dignitatem & perfectionem eſſentiæ divinæ attingere non poſſunt: attamen non ſunt indignæ ut à Deo pro ſuâ infinita bonitate & omnipotentiſſima voluntate producantur: quemadmodum non ſunt indignæ ut ut à Deo agnoſcantur: non eſt enim potior ratio cur dignæ ſint ut attingantur à Deo per actionem divinæ potentiæ, quam ut attingantur per actionem divini intellectus. Vide quæ diximus hanc in rem Articulo præcedenti in ſolutione Objectionum.

His adde quod fatetur Malebranchius, Deum ſpeciali actu & voluntate attingere corpora organica animalium; ergo non ſunt indigna actione divinæ voluntatis etiam ſpecialis, ac divinæ omnipotentiæ; ergo idem dicendum de aliis effectis naturalibus, quia hæc non ſunt minùs præſtantia corporibus organicis animalium: neque enim dici poteſt muſcum, v. g. eſſe opus nobilius ipſo ſole & lunâ ac ſtellis.

Objicies 2. Deus ſimpliciſſimus eſt, immutabilis ac perfectiſſimus; ergo non poteſt niſi vias maximè ſimplices, immutabiles, conſtantes & perfectas in operando ſequi; ergo non poteſt niſi ea opera facere quæ ſunt maximè ſimplicia, & generali duntaxat non ſpeciali voluntate fieri poſſunt: ſic enim Deus ratione magis ſimplici, conſtanti ac perfecta operatur. In hunc ferè modum variis in locis ratiocinatur Malebranchius. Meditat. 7. n. 13. ſic habet: *Dieu étant ſage, il doit agir ſagement: étant immuable, il doit agir conſtamment:..... Un etre ſage fera-t-il par des voyes compoſées, ce qu'il peut executer par des voyes ſimples? Agira-t-il par des volontés particulieres, lorſque quelques volontés générales ſuffiſent?* Ibidem n. 15. *Soit que tu conſidere l'idée que tu as de Dieu, ſoit que tu examine ſa conduite, tu vois clairement qu'il ..... n'agit point par des volontés particulieres; parce qu'agir par des loix générales, eſt une marque certaine d'une ſageſſe infinie qui prevoit tout, & qui eſt immuable & conſtante dans ſes deſſeins & dans ſa conduite.*

Reſp. 1. hic recurrere ea omnia quæ ſupra fusè diximus in reſponſione ad primam & ſecundam Objectionem.

Reſp. 2. ſummam ſimplicitatem (idem dicendum de immutabilitate ac omnimoda perfectione) quærendam eſſe in Dei ſubſtantia, non in ipſius operibus. Ratio eſt, quia perfectio eſt ſubſtantiæ ut ſit ſimplex, ut nempe non componatur ex partibus à ſe invicem ſeparabilibus aut re diſtinctis: at operatio compoſita non ideo eſt imperfecta; imò perfectiſſima eſt, ſi opus habet perfectum, & operanti nullatenus noxia ſit. Et verò cum Deus liber ſit in agendo, expedit ut pro arbitrio eliciat operationes ſimplices aut compoſitas prout ipſi libuerit; & major ejus concipitur perfectio, ut non eligat ſolas operationes ſimpliciores, quam ſi iis ſolis natura ſua adſtrictus eſſet.

Reſp. 3. abſurdum eſſe ut Deus aliquod opus ſibi proponat & amet duntaxat propter modum quo fit, cùm econtra modus operandi ametur & eligatur propter opus.

Reſp. 4. falſum eſſe illas agendi rationes ſemper eſſe ſimpliciſſimas, quæ generali duntaxat voluntate diriguntur; namque generali voluntate Deus potuiſſet decernere opera maximè compoſita. Et certè, ſtando Malebranchii principiis, mundus qualis nunc eſt, generali duntaxat voluntate Dei conditus eſt & gubernatur: attamen negari non poteſt, hoc opus maximè compoſitum eſſe, & dari poſſe aliud multò ſimplicius.

Reſp. 5. quod etiamſi Deus generales leges ſibi præfixiſſet, quas ſequeretur in dirigenda ac gubernanda hacce rerum univerſitate, non inde inferendum eſſet, eum peculiarem voluntatem non adhibere circa ſingulos naturæ effectus: ſicuti enim Chriſtus ſibi generatim propoſuit agere quæcumque placita erant Patri, & nihilominus peculiari voluntate ſingula executus eſt, ſic etiam quamvis Deus generales leges ſibi præſtituiſſet in gubernando univerſo, exinde minimè ſequeretur ipſum peculiari ac ſingulari voluntate univerſa quæ contingunt ſpeciatim non exequi.

His adde, quod omnibus Malebranchii argutiis diſſolvendis aptiſſimum eſt, ſcilicet in principiis SS. Auguſtini & Thomæ Deum æterno conſilio & ſempiterna ac immutabili voluntate ſingula in tempore ſpeciatim operari; unde manifeſtum eſt ipſum levitatis, inconſtantiæ aut mutabilitatis non poſſe argui, licet in dirigendis rebus univerſi ſpeciali utatur voluntate; ubi enim æternum ac ſempiternum adeſt conſilium, ibi nulla certè reperitur inconſtantia aut mutatio. Id ipſum eleganter & accuratè explicat S. Auguſtinus Lib. 12 de civit. Dei cap. 12. his verbis: *Poteſt ad opus novum, non novum, ſed ſempiternum adhibere conſilium..... Si prius ceſſavit, & poſtea operatus eſt..... hoc procul dubio quod dicitur prius & poſterius, in rebus prius*

non exiſtentibus & poſterius exiſtentibus fuit. In illo autem non alteram præ cedentem altera ſubſequens mutavit, aut abſtulit voluntatem; ſed una eademque ſempiterna & immutabili voluntate res quas condidit, & ut prius non eſſent, egit, quamdiu non fuerunt, & ut poſterius eſſent, quando eſſe cœperunt: hinc eſt qui talia videre poſſunt, mirabiliter fortaſſis oſtendeas, quam eis non indiguerit, ſed eas gratuita bonitate condiderit, cum ſine illis ex æternitate initio carente in non minore beatitate permanſit. Et Lib. 1. Confeſſ. cap. 4. *Nunquam*, inquit, *novus; nunquam vetus: innovat omnia..... opera mutat, nec mutat conſilium.*

Eadem eſt Doctoris Angelici doctrina quæſt. 3. de potentia art. 17. ad 12. & 21. & in. 1. diſt. 8. quæſt. 3. art. 1. ad 4. *In omnibus*, inquit. *in quibus differt operatio à ſubſtantia, oportet eſſe aliquem modum motûs, ex hoc quod exit de novo in operationem, quia acquiritur in ipſo operatio qua prius non erat. in Deo autem operatio eſt ſua ſubſtantia.* Clara ſunt iſta, quæ cum Malebranchii objectiones ex inconſtantia ac mutabilitate petitas penitus exhauriant, ab aliis SS Doctorum teſtimoniis, recenſendis hic ſuperſedemus.

Objicies 3. Manifeſti defectus occurrunt in rerum naturalium ordine. 1. multa monſtra quotidie accidunt in rerum natura & naſcuntur. 2. animalia quæ nata ſunt ut vivant, ab aliis comeduntur. 3. imbres uberrimi in mare cadunt, qui deſunt multis Africæ & Aſiæ regionibus, quibus tamen maximè utiles eſſent. 4. ex arboribus à grandine excutiuntur fructus immaturi proximè diſpoſiti ut ad maturitatem pervenirent. 5. varia naturæ opera ſeſe invicem deſtruunt: quæ quidem omnia vitioſa ſunt, aut inutilia, aut levitatis argui poſſunt. Porro ſi Deus ſpeciali voluntate univerſa quæ in rerum naturâ contingunt, dirigeret & ordinaret, profectò nihil fieret vitioſè, inutiliter, aut quod levitatis argui poſſet; ergo &c.

Ita variis in locis ratiocinatur Malebranchius, Sic Medit 7. *Pour iuger de l'ouvrier par l'ouvrage, il ne faut pas tant conſiderer l'ouvrage, que la maniere d'agir de l'ouvrier, Or comme les hommes groſſiers & ſtupides ne voyent que l'ouvrage de Dieu, & ne ſçavent point la maniere dont Dieu s'eſt servi pour le conſtruire, les defauts viſibles de l'ouvrage les frappent, & la ſageſſe incomprehenſible des voyes ne les porte point à en admirer l'auteur.* In Inquiſitione veritatis pag. 493. jam citatâ ſic habet: *On ne peut répondre ſans crainte de ſe tromper ſi certaines qualités conviennent ou ne conviennent pas à un ſujet, ſi on n'a point d'idée de ce ſujet. Or qui eſt l'homme qui oſe dire que Dieu n'agit point par les voyes les plus ſimples, qu'il eſt deregle dans ſes deſſeins, qu'il fait des monſtres par une volonté poſitive, directe & particuliere, & non par une eſpece de néceſſité?* Lib. de naturâ & gratiâ ſerm. 1. *Dieu pouvoit ſans doute faire un monde plus parfait que celui que nous habitons. Il pouvoit par exemple, faire en ſorte que la pluie qui ſert à rendre la terre féconde, tombât plus regulierement ſur les terres labourées que dans la mer ou elle n'eſt pas néceſſaire. Mais pour faire ce monde plus parfait, il auroit fallu qu'il eût changé la ſimplicité de ſes voyes.* Hoc argumento ex imbribus decidentibus in mare, flumina, vias publicas, ſuper domos & in urbibus, ſæpius utitur Malebranchius. Ibidem art. 23. *Dieu a donné à chaque ſemence un grain qui contient en petit la plante & le fruit,..... Ne marque-t-il pas aſſez par là qu'il veut en un ſens tres-veritable, que toutes ces ſemences produiſent leur ſemblable?...Cependant tous ces grains ne profitent point; ou s'ils profitent, la grêle ou quelqu'autre accident facheux, qui eſt une ſuite des loix générales de la nature, les empêche de nourrir leur epi. Ce qui n'arriveroit pas, ſi Dieu n'étoit la cauſe generale qui ne doit point agir par des volontés particulieres.* Denique in Inquiſitione veritatis pag. 600. ſic loquitur; *Il me paroit évident que ſi Dieu avoit comme nous des volontés particulieres pour chaque choſe qu'il produit, il n'arriveroit point qu'un de ſes ouvrages en detruiſit jamais un autre. Comme Dieu ne peut avoir des volontes contraires, il faudroit avoir recours à un principe du mal, pour geler par exemple les fruits que Dieu feroit naitre.*

Reſp. nego antecedens: falſum enim eſt ac temerarium aſſerere manifeſtos defectus manifeſtaque vitia in Dei operibus reperiri. *Vidit Deus*, inquit ſacer contextus, *cuncta quæ fecerat & erant valdè bona.* Non ſatis nobis cognita eſt rerum natura, non ſatis perſpecti fines, ut in rerum naturalium univerſitate vitioſi quidquam & imperfecti arguamus. Id egregiè docet S Auguſtinus Lib. 3. Confeſſ. cap. 40. cujus verba, quoniam Malebranchii & ſimilia ſentientium argutias penitus diſſolvant, libenter hic adtexam. "Ita *inquit*, ordinan-
„tur officiis & finibus ſuis in pulchritudinem uni-
„verſitatis, ut quod horremus in parte, ſi cum toto
„conſideremos, plurimùm placeat: quia nec in ædi-
„ficio judicando unum tantùm angulum conſide-
„rare debemus, nec in homine pulchro ſolos capil-
„los, nec in bene pronuntiante ſolum digitorum
„motum, nec in lunæ curſu aliquas tridui tantùm
„figuras. Iſta enim, quæ propterea ſunt infima, quia
„partibus imperfectis tota perfecta ſunt,.... tota
„conſideranda ſunt ſi rectè volumus judicare. Sed
„ſicut niger color in pictura cum toto ſit pulcher;
„ſic totum iſtum agonem decenter edit incommu-
„tabilis Dei providentia, aliud victis, aliud certan-
„tibus, aliud victoribus, aliud ſpectatoribus, aliud
„quietis & ſolum Deum contemplantibus tribu-
„ens: cum in his omnibus non ſit malum, niſi pec-
„catum" Quibus ſancti Doctoris verbis nihil certè ad propoſitum noſtrum dici poteſt expreſſius. Docet 1. omnia quæ in rerum univerſitate occurrunt ita ordinari in pulchritudinem univerſi, ut quæ ſpectata *in parte*, hoc eſt, in ſe præciſè ac ab aliis ſeparata, vitioſa videntur, ſi cum toto conſiderentur, quemadmodum conſideranda ſunt ſi rectè volumus judicare, perfecta videri, Docet 2. quod ſicuti vocum diſſonantia in muſicâ, & umbræ ac nigri colores in picturâ, ſi rectè ac congruè ſint diſpoſita, plurimum placent; ſic totus iſte rerum concentus incommutabili Dei providentiâ decenter ordinatus ac diſpoſitus, ad Dei ſapientiam & mundi pulchritudinem manifeſtandam maximè conducit. Docet 3. diſertis verbis, in hâcce rerum univerſitate nihil eſſe malum ac vitioſum, niſi peccatum. Idem inculcat ac paſſim tanquam rem certiſſimam adſtruit S. Doctor Libris de civit. Dei.

Id ipſum variis comparationibus illuſtrat Lib. 1. de ordine cap. 2. præſertim verò exemplo alicujus hominis imperiti qui ingreſſus officinam alicujus artificis, inutilia crederet inſtrumenta quæ ibi videret, eò quòd uſum eorum neſciret; aut alterius qui ita minutum cerneret, ut in vermiculato pavimento nihil aliud ultra unius teſſeræ modulum acies ejus valeret cernere & ambire, & tamen vituperaret artificem velut ordinationis & compoſitionis ignarum, eò quod varietatem lapillorum perturbatam putaret, à quo illa emblemata in unius pulchritudinis faciem congruentia ſimul cerni colluſtrarique non poſſent. *Nihil aliud*, inquit S. Doctor, *minus eruditis hominibus accidit, qui*

univer-

univerſum rerum coaptationem atque concentum imbecillâ mente complecti & conſiderare non valentes, ſi quid eos offenderit, quia ſuæ cogitationi magnum eſt, magnam putant rebus inhærere fœditatem. Vides ex ſancto Doctore, prætenſa vitia quæ in rerum univerſitate deprehendi videntur, in ſolam mentis humanæ imbecillitatem ac ignorantiam eſſe refundenda.

Ad primam probationem reſpondeo cum ſancto Auguſtino, defectus luminum, ſpecies inuſitatas ſiderum, terræ motus, monſtra & quæcunque his ſimilia quæ multi admodum ſtupeor, ſpeciali, directæ & poſitivæ Dei voluntati eſſe tribuenda. Ita diſertè aſſerit S. Doctor Lib. 3. ſupra citato de Trinit. c. 2. *Defectus luminarium*, inquit, *& rarè exiſtentes quædam ſpecies ſiderum, & terræ motus, & monſtruoſi partus animantium, & quæcunque ſimilia, horum nihil fit niſi voluntate Dei, ſed pleriſque non apparet. Itaque licuit vanitati Philoſophorum, etiam cauſis aliis ea tribuere, vel veris, ſed proximis, cùm omnino videre non poſſent ſuperiorem cæteris omnibus cauſam, id eſt voluntatem Dei; vel falſis &c.* Audis ſanctum Auguſtinum aſſerentem monſtra aliaque ſimilia divinæ voluntati tanquam primæ & ſummæ cauſæ eſſe adſcribenda, quamquam placuerit vanis quibuſdam Philoſophis ea aliis cauſis tribuere. Cap. 9. ejuſdem Libri idem reperit his verbis: *Species inuſitata ſiderum, defectus luminum, terræ motus, monſtra & ſimilia, horum quidem prima & ſumma cauſa non eſt niſi voluntas Dei: unde & in Pſalmo cùm quædam hujus generis eſſent commemorata*, ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus tempeſtatis: *ne quis ea fortuitu, vel cauſis tantummodo corporalibus, vel etiam ſpiritualibus, tamen præter voluntatem Dei exiſtentibus, agi crederet, continuò ſubjecit*, quæ faciunt verbum ejus. Non poterat S. Doctor clarioribus verbis affirmare, Deum ſingulari ac ſpeciali voluntate velle ut exoriantur inuſitatæ ſpecies ſiderum, naſcantur monſtra, eveniant terræ motus & ſimilia. Equidem dici poteſt, hanc ſpecialem Dei voluntatem niti concurſu legum generalium, quarum ordinem interturbare non vult Deus: at nihilominus verum eſt hanc Dei voluntatem ſpecialem eſſe, ſaltem permiſſivam.

Et verò id Deus vult ſpecialiter, directè ac poſitivè, quod conducit in ordinem & pulchritudinem univerſi. *Forma*, inquit S. Thomas 1. p. q. 40. art. 13. *quam principaliter Deus intendit in rebus creatis, eſt bonum ordinis univerſi*: porro, fatente Malebranchio, monſtra nonnihil ad pulchritudinem hujuſce univerſi conducunt: poſtquam enim aſſeruit Lib. de naturâ & gratiâ ſerm. 1. art. 22. "Si „Dieu avoit pû par des voyes auſſi ſimples conſer„verun monde plus parfait, il n'auroit point établi des loix dont un ſi grand nombre de monſtres „ſont des ſuites neceſſaires; *ſtatim ſubdit*: Mais il „auroit été indigne de ſa ſageſſe, de multiplier ſes „volontés pour empêcher certains deſordres parti„culiers, qui font même dans l'univers une eſpece „de beauté;" ergo &c.

Ad ſecundum, quod ſpectat animalia quorum alia ab aliis vorantur, alia verò maturam ætatem non adipiſcuntur, reſpondet S. Auguſtinus Epiſt. 166. aliàs 28. iſta omnia ordinatiſſimæ Dei diſpoſitioni eſſe adſcribenda, qui ſingulis naturis naſcentibus & occidentibus temporum ſpatia, breviùs vel productiùs largitur, prout univerſitatis moderamini ac pulchritudini meliùs expedire judicaverit: idque mirè illuſtrat ibidem exemplo periti muſici qui apprimè novit quas quibus moras vocibus tribuat, ut illud quod canitur, decedentibus ac ſuccedentibus ſonis pulcherrimè currat ac tranſeat. En ſancti Doctoris verba: „Nam quod dicitur, Quare „facit animas eis, quos novit citò morituros? ..... „Poſſumus rectè illius moderationi iſta relinquere, „quem ſcimus omnibus temporaliter tranſeuntibus „rebus, ubi ſunt etiam animalium ortus & obitus, „curſum ornatiſſimum atque ordinatiſſimum dare; „ſed nos iſta ſentire non poſſe, quæ ſi ſentiremus, „delectatione ineffabili mulceremur. Non enim „fruſtra per Prophetam..... dictum eſt de Deo, *Qui „profert numeroſè ſæculum.* Unde muſica, id eſt „ſcientia benè modulandi, ad admonitionem ma„gnæ rei, etiam mortalibus rationales habentibus „animas Dei largitate conceſſa eſt. Unde ſi homo „faciendi carminis artifex novit quas quibus moras „vocibus tribuat, ut illud quod canitur, deceden„tibus ac ſuccedentibus ſonis pulcherrimè currat ac „tranſeat, quantò magis Deus, cujus ſapientia, „per quam fecit omnia, longè omnibus artibus „præferenda eſt, nulla in naturis naſcentibus & oc„cidentibus temporum ſpatia, quæ tanquam ſillabæ „ac verba, ad particulas hujus ſæculi pertinent, in „hoc labentium rerum tanquam mirabili cantico, „vel breviùs, vel productiùs, quàm modulatio præ„cognita & præfinita depoſcit, præterire permit„tit? Hoc cùm etiam de arboris folio dixerim, & „de noſtrorum numero capillorum; quantò magis „de hominis ortu & occaſu, cujus temporalis vita „breviùs productiùſve non tenditur, quàm Deus „diſpoſitor temporum novit univerſitatis modera„mini conſonare?" Egregium hoc, prolixius licet, ſancti Auguſti teſtimonium exſcribendum fuit, ex quo manifeſtè liquet, ordinatiſſimum rerum omnium temporaliter tranſeuntium curſum, ubi ſunt etiam viciſſitudines ortûs & occaſûs animalium, vigilantiſſimæ Dei ſapientiæ, atque adeo ſpeciali ipſius voluntati eſſe deputandum.

Itaque ex eo quòd quædam animalia apta ad vitam diutiùs protrahendam, ab aliis animalibus devorentur, v. g. agni à lupis, lupi à leonibus &c. immeritò infert Malebranchius Deum ſingula velle, non ſpeciali, ſed generali duntaxat voluntate, ac quaſi coactus per generales naturæ leges quas ſibi ipſe impoſuit. Et certè agnoſcit in eâ mutuâ animalium deſtructione nihil vitioſi eſſe ac inordinati, imò in eo elucere potentiam, ſapientiam ac bonitatem Dei. Sic habet elucidatione in caput tertium Libri ſextò de inquiſitione veritatis: "Ce „n'eſt point un deſordre que les lions mangent les „loups, & les loups brebis, & les brebis l'herbe „dont Dieu prand un ſi grand ſoin..... mais c'eſt „une marque certaine de la grandeur, de la ſa„geſſe & de la magnificence de Dieu. Car Dieu „ne fait que des ouvrages d'une ſageſſe infinie, & „il les fait avec une profuſion qui marque aſſez ſa „puiſſance & ſa grandeur. Tout ce qui ſe détruit, „ſe repare par la même loi qui le détruit, tant eſt „grande la ſageſſe, la puiſſance & la fécondité de „cette loi." Nihil ergo obſtat quin Deus ſingulari ac ſpeciali voluntate velit quædam animalia ab aliis comedi.

Atque ex his patet reſponſio ad tertium: quod enim de hominis aliorumque animantium ortu & occaſu affirmat S. Auguſtinus loco mox laudato, temporalem ſcilicet uniuſcujuſque vitam *breviùs productiùſve tendi, ſicut Deus diſpoſitor temporum novit univerſitatis moderamini conſonare*, id etiam de arboris folio dicendum ibidem aſſerit S. Doctor; ac proinde, quòd ex fructibus alii matureſcant, alii verò ex arboribus à grandine excutiantur priuſquam ad maturitatem pervenerint, id ſpeciali Dei providentiæ ac voluntati tribuendum eſt.

Ad quartum reſpondeo 1. quòd licet minimè cognoſcamus omnium, quæ eveniunt in rerum natura, effectorum fines & utilitates, exinde inferendum non eſt ea eſſe prorſus inutilia. 2. quando accuratè expendimus rerum naturam, deprehendimus multa maximè utilia eſſe quæ vulgò inutilia videntur: v. g. imbres utiles ſunt viis publicis, ne nimio pulvere ſordeſcant; urbibus, ut ex aquis pluvialibus ciſternæ colligi poſſint; fluminibus, ne prorſus areſcant; mari, ne nimis ſalſæ ſint ejus aquæ, ita ut nutriendis piſcibus inutiles non fiant &c. 3. quod maximè obſervandum, vel ipſe ſanctus Auguſtinus ſæpius ſibi proponit ac ex profeſſo refellit argumentum iſtud ex uberrimis imbribus qui in mare inutiliter cadere videntur, cùm deſint multis Aſiæ aliarumque regionum locis in quibus maximè utiles eſſent: mirum certè id non advertiſſe Malebranchium, atque in eo ratiocinio tantam vim feciſſe.

Sic ſibi objicit ſanctus Doctor in Pſalmum 148. *Si Deus plueret, numquid plueret in mare? Qualis, inquiunt, providentia? Getulia ſitit, & mare compluitur.* En ipſiſſimum Malebranchii argumentum, cui ita reſpondet S. Auguſtinus: *Et quare in mare pluit? quaſi non ſint in mari quæ alantur pluviâ: quaſi non ibi fecit piſces, quaſi non ibi fecit animalia. Attendite quomodo currunt piſces ad aquam dulcem. Et quare, inquit, piſci pluit, & mihi aliquando non pluit? ut cogites te in regione eſſe deſerti, & in peregrinatione vitæ, & amareſcat tibi vita præſens, ut futuram deſideres; aut ut flagelleris, & corripiaris & corrigaris.* Poſtea ſubdit: *Omnibus Deus locis, regionibus, temporibus ſua quæque diſtribuit..... non tibi ergò videantur caſibus moveri, quæ verbo Dei in omni motu ſuo deſerviunt. Quò vult Deus, illuc ignis, illuc fertur nubes, ſive pluviam, ſive nivem, ſive grandinem portet.* Et rurſus: *Quidquid ergo hîc accidit, noveritis non accidere, niſi de voluntate Dei, de providentiâ ipſius, de ordine ipſius, de nutu ipſius, de legibus ipſius: & ſi nos non intelligimus quid quare fiat, demus hoc providentiæ ipſius, quia non fit ſine causâ.....* Demùm ſic concludit: *Ergo quemadmodùm* ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus tempeſtatis faciunt verbum ejus; *ſic omnia quæ vanis videntur in rerum naturâ temerè fieri, non faciunt niſi verbum ejus, quia non fiunt niſi juſſu ejus.* Quid expreſſiùs ad adſtruendam ſpecialem, directam ac poſitivam Dei voluntatem quæ ad minima quæque ſeſe extendat?

Addit ibidem exemplum imperiti cujuſdam hominis qui ingreſſus officinam experientiſſimi artificis ipſum reprehenderet, & inutilia crederet inſtrumenta quæ ibi deprehenderet, eo quòd uſum ipſorum neſciret: "Si intrares fortè, *inquit*, in officinam fabri ferrarii, non audetes reprehendere „folles, incudes, malleos; & da imperitum hominem neſcientem quid quare ſit, & omnia reprehendit. Sed ſi non habeat peritiam artificis, & habeat ſaltem conſiderationem hominis, quid ſibi „dicit? non ſine cauſa folles hoc loco poſiti ſunt, „artifex novit quare, etſi ego non novi. In officina „non audet vituperare fabrum, & audet in hoc „mundo reprehendere Deum."

Meritò ergo exclamare poſſumus cum S. Doctore Lib. 7. Confeſſ. c. 14. *Non ſanitas quibus diſplicet aliquid creaturæ tuæ, ſicut mihi non erat cùm diſplicerent multa quæ feciſti..... ſed poſtquam clauſiſti oculos meos ne viderent iniquitatem, conſopita eſt inſania mea..... & vidi quia non ſolùm locis ſua quæque ſuis conveniunt, ſed etiam temporibus.*

Ad ultimum reſpondeo 1. deſtructionem operis non eſſe ſemper & in omnibus circumſtantiis, etiam reſpectu hominum, certum levitatis & inconſtantiæ ſignum. Equidem levis ac inconſtans dicendus eſt ille qui temerè & abſque conſilio diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis &c. non verò qui ex præconcepto fine opus antea conſtructum, ceſſante eodem fine, poſtea deſtruit: viri enim ſapientes ac providi quandoque aliqua ædificia conſtruunt quæ deinde demoliuntur, videlicet quia ea deſtinant quibuſdam uſibus momentaneis & tenuioribus quæ diu duratura non ſunt. Sic arcus triumphales ad gloriam Principis tranſeuntis erecti, ſolemnibus ritibus abſolutis ſtatim dejiciuntur: ſtultus ſanè eſſet qui neſcius cui fini eſſent illa opera deſtinata, irrideret eos qui ea conſtruxerunt. 2. multò minùs deſtructio operis reſpectu Dei dici poteſt ſignum levitatis & inconſtantiæ: ad hoc enim ſatis eſt quòd Deus una eademque ſempiterna voluntate velit res quas condidit tali determinato tempore exiſtere, & alio deinde non exiſtere, juſtis ſemper licet occultis quandoque de cauſis; in hac enim agendi ratione ne vel minima quidem occurrit viciſſitudinis obumbratio: atqui ex modo citatis SS. Auguſtini & Thomæ textibus conſtat Deum una eademque ſempiterna & immutabili voluntate velle &c. ergo &c. 3. Malebranchius comment. 1. in tract. de natura & gratia fatetur Deum aliquando permittere procellas peculiari voluntate, quibus ſcilicet plectat homines, meſſes eorum devaſtando; ergo falſum eſt Deum obſtante ſua immutabilitate non poſſe effecta quædam naturalia, quorum ipſe author eſt, peculiari voluntate deſtruere. Imò elucidat. in caput 3. 2. partis Lib. 6. aſſerit in ea deſtructione quandoque elucere ſapientiam, potentiam, aliaque Dei attributa: ita ſibi objicit: *N'eſt-ce pas une choſe extravagante que de dire, que Dieu combat contre lui-même, & qu'il détruit ſes ouvrages?* Sic autem reſpondet: *Ce n'eſt point un deſordre..... mais c'eſt une marque certaine de la grandeur, de la ſageſſe & de la magnificence de Dieu..... Tout ce qui ſe détruit, ſe repare par la même loi qui le détruit, tant eſt grande la ſageſſe, la puiſſance, & la fécondité de cette loi.*

His adde quòd in ſiſtemate Malebranchii ſolus Deus, exceptâ voluntate creatâ, ſit cauſa activa & effectrix: ac proinde velit, nolit fateatur neceſſe eſt, mutuam operum Dei deſtructionem in ſolam directam & poſitivam Dei voluntatem eſſe refundendam, non verò in cauſas occaſionales quæ minimè activæ ſunt. Quid enim ad determinandam Dei voluntatem efficere poſſunt cauſæ illæ quæ ex ſeſe ſteriles ſunt ac otioſæ, nec agunt ſed aguntur duntaxat ac moventur à Deo?

Objicies 4. Si omnia in rerum naturâ evenirent directâ, poſitivâ & peculiari Dei voluntate, non liceret quidquam vitare ordine naturali contingens, etiamſi nobis noxium eſſet: v. g. non liceret adversùs imbres & ventos ſe includere ac munire; non liceret declinare occurſum leonis, lupi, aut alicujus beſtiæ venenoſæ; alioquin directæ ac peculiari Dei voluntati reſiſteremus: atqui abſurdum eſt aſſerere licitum non eſſe vitare quæ ordine naturali contingunt, maximè ſi nobis noxia ſint; ergo &c. Ita Malebranchius in reſponſione ad tract. de veris & falſis idæis: " Suppoſé que Dieu „agiſſe par des volontés particulieres; je dis, que „s'il pleut ſur nous par exemple, c'eſt péché que „de ſe mettre à couvert: car c'eſt péché que de „reſiſter à la volonté de Dieu. Or dans cette ſup„poſition il n'y a point d'action particuliere ſans „volonté particuliere: ainſi reſiſter à l'action de „Dieu,

»Dieu, c'eſt reſiſter à ſa volonté connuë ; ce qui cer»tainement eſt péché.

Reſp. 1. Retorquendo adversùs generalem Dei voluntatem quam ultrò agnoſcit Malebranchius : neque enim magis licet reſiſtere generali Dei voluntati quàm ſpeciali ; ac proinde admiſsâ generali duntaxat Dei voluntate circa effecta naturalia, idem poſſet objici.

Reſp. 2. Negando ſequelam. Cùm Deus imbres immittit, ipſius voluntas non eſt ut his imbribus omnia corpora etiam animalium madefiant ; licet ergo adverſus imbres tectis ſe includere ac munire: unde & cùm ad preces Eliæ cœlum dediſſet pluviam, ſeſe ſubduxit Elias ac nuntium miſit Achabo qui proprio nomine ipſi diceret : *Junge currum tuum, & deſcende ne occupet te pluvia.* Similiter cùm leones emittuntur à Deo ex ſpeluncis ſuis ut quærant eſcam ſibi, non hæc eſt Dei voluntas ut quiſquis eis occurrerit, ſe iis vorandum offerat ; imò Deus terrorem omnibus incuſſit de iis animalibus, non alia certè de cauſa quàm ut fugiantur ne exitium inferant. Idem dicendum de aliis animalibus venenoſis.

Reſp. 3. cum Sylvio poſt ſanctum Thomam 1. 2. quæſt. 19. art. 10. duobus modis poſſe voluntatem humanam conformari divinæ : ſcilicet, aut *in volito materiali*, quando nimirum vult idem objectum ſeu eandem rem, quam vult Deus : aut *in volito formali*, cùm vult ſub eâdem ratione qua Deus vult. Equidem homo tenetur ſemper voluntatem ſuam conformare divinæ voluntati *in volito formali*, non verò *in volito materiali*, quaſi debeat actu poſitivo velle quidquid ſcit, etiam per rerum eventum, Deum directâ & poſitivè velle. *Voluntas humana*, inquit S. Doctor loco mox laudato, *tenetur conformari divinæ voluntati in volito formaliter..... ſed non materialiter.* Et quæſt. 23. de verit. art. 8. poſtquam aſſeruit hominem teneri conformari divinæ voluntati in volito formali, ſubdit: *In volito autem* (materiali) *nonniſi ſecundùm quod illud volitum conſideratur ſub ordine ad finem : qui quidem ordo ſemper nobis debet placere, quamvis hoc idem volitum poſſit bonis meritò diſplicere ſecundùm aliquam aliam conſiderationem, utpote ſecundùm quod in contrarium finem eſt ordinabile.* Porro ſi homo non ſemper teneatur voluntatem ſuam in volito materiali conformare divinæ voluntati per rerum eventum, aut aliàs cognitæ ; profectò perſpicuum eſt, quòd quamvis omnia in rerum natura contingant directâ, poſitiva & ſpeciali Dei voluntate, exinde tamen non ſequitur non licere quidquam vitare ordine naturali contingens, etiamſi nobis noxium ſit, occurſum, v. g. leonis, lupi, aut alicujus beſtiæ venenoſæ ; ac proinde unum ex altero immeritò infert Malebranchius: imò ut obſervat S. Thomas in priori loco mox laudato : *Secundùm quod voluntas humana non conformatur voluntati divinæ in volito materialiter, conformatur ei ſecundùm rationem cauſæ efficientis ; quia hanc propriam inclinationem conſequentem naturam vel apprehenſionem particularem hujus rei habet à Deo, ſicut à cauſâ effectivâ : unde conſuevit dici quòd conformatur quantùm ad hoc voluntas hominis voluntati divinæ, quia vult hoc quod Deus vult eum velle.* Scilicet, uti diximus in ſecunda reſponſione, ideo Deus terrorem incuſſit hominibus adversùs feroci a & venefica animalia, ut nimirum viterentur, ne exitium inferant.

Objicies 5. Si omnia quæ in rerum univerſitate contingunt peculiari Dei voluntate evenirent, nuſquam dici poſſet Deum ab hominibus tentari, contra illud Deut. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum* ; licitum ergo erit unicuique ea quæ voluerit appetere & experiri : poterit, v. g. quis ſapiens ſperare, etiamſi ex præcelſo monte in præceps ruat, ſalvum nihilominus evaſurum ; quia nempe in ea hypotheſi Deus nullis adſtringitur generalibus legibus quæ naturales dici poſſint. Ita Malebranchius citato cap. 4. reſponſ. ad Lib. de veris & falſis ideis: *Si Dieu n'agiſſoit pas en conſéquence des loix générales qu'il a établies, on ne le tenteroit jamais. Au lieu de deſcendre, ce ſeroit bien plutôt fait de ſe jetter par les fenêtres en ſe confiant en Dieu. Apparemment on jugera que ce ſeroit être fou. Et pour moi, je le crois par mes principes;..... mais je le me ſelon les principes contraires aux miens.*

Reſp. nego ant. cujus falſitas variis exemplis demonſtratur. 1. abſque errore negari non poteſt Verbum divinum ſpecialiter rexiſſe humanitatem quam ſibi hypoſtaticè unierat : attamen Chriſtus Dominus tentatorem ſibi dicentem, *Mitte te deorſum*, citatis mox Deuteron. verbis ejecit, *Non tentabis Dominum Deum tuum* ; ergo falſum eſt Deum non poſſe tentari, quando ſupponitur ipſum agere voluntate ſpeciali. 2. Ezechias, cui à Domino per vocem Iſaiæ dictum fuerat 4. Regum 20. *Addam diebus tuis quindecim annos*, certus profecto erat Deum velle ſpeciali voluntate ut per illud temporis ſpatium viveret : an exinde inferret Malebranchius potuiſſe Ezechiam, quin tentaret Deum, toto illo tempore nec cibo, nec potu, aliiſque mediis ad vitam ſuſtentandam neceſſariis uti ? 3. cùm Angelus Dei aſtitiſſet Paulo valida tempeſtate jactato, ipſique dixiſſet : *Ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere : & ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum.* Non dubitabat certè quin, Deo ſpecialiter ordinante, & ipſe & omnes qui cum eo erant è periculo evaderent ; unde & ibidem ait : *Bono animo eſtote viri : credo enim Deo, quia amiſſio nullius animæ erit ex vobis.* Nihilominus tamen cùm nautæ quærerent fugere de navi, dixit Paulus Centurioni & militibus, *Niſi hi in navi manſerint, vos ſalvi fieri non poteſtis.* Quod aperto argumento eſt, quantumcunque certi ſimus de ſpeciali Dei voluntate, non poſſe, quin tentetur Deus, non adhiberi media quæ ad voluntatem illam adimplendam judicantur neceſſaria. Falſum eſt ergo & abſurdum quod tam confidenter aſſerit Malebranchius, ſi omnia quæ in rerum naturâ fiunt ſpeciali Dei voluntate contingerent, inde futurum ut nuſquam Deus dici poſſit tentari.

Itaque illudit Malebranchius loco in objectione laudato, atque laborat, ut ajunt, *ignoratione elenchi.* Siquidem cùm dicimus Deum ſpeciali voluntate decernere quæcunque fiunt, non diffitemur quin certas quaſdam generales regulas ſtatuerit in condendo mundo, quas ordinariè ſervari voluerit, imò id ultrò aſſerimus. Qui ergo aliquid experitur adverſus illas regulas, ille revera Deum tentat : talis ille foret cujus affertur exemplum in objectione, qui ſcilicet ſperaret quòd ſi ex prærupto monte in præceps rueret, nihilominus tamen ſalvus evaderet.

Audiendus eſt hac de re S. Auguſtinus de opere Monac. cap. 27. ubi diſertè docet ac variis adductis exemplis eleganter explicat, quâ ratione, ne Deum tentare videamur, utendum ſit induſtriâ ac mediis ad finem aſſequendum ordinariis, licet Deus univerſa ſpeciatim velit ac ſingulari voluntate moderetur. *Numquid*, ait, *quia dixit Deus*, Invoca me in die tribulationis, & eximam te, & glorificabis me, *propterea non debuit fugere Apoſtolus, & per murum in ſportâ ſubmitti, ut manus perſequentis evaderet, ſed expectaret potius ut comprehenderetur, & eum*

ſicut tres pueros de mediis ignibus liberaret? Aut propter hoc nec Dominus dicere debuit, Si vos perſecuti fuerint in unâ civitate, fugire in aliam: *quia ipſe dixit*, Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis? *Sicut ergo quiſquis perſecutionem fugientibus diſcipulis Chriſti objiceret hujuſmodi quæſtionem, cur non ſtetiſſent potius, & invocato Deo per ejus mirabilia ſic eruerentur, ut Daniel à leonibus, Petrus a vinculis: reſponderent non oportuiſſe tentare Deum, ſed tunc eum talia ſi vellet eſſe facturum, cùm ipſi quid facerent, non haberent; cùm verò eis fugam in poteſtatem dediſſet, etiamſi per illam liberarentur, nonniſi ab ipſo liberari. Sic etiam Dei ſervis vacantibus & valentibus exemplo & præcepto apoſtolico manibus ſuis victum tranſigere, ſi quis ex Evangelio moverit quæſtionem de volatilibus cæli, quæ non ſeminant, neque metunt, neque congregant; & de liliis agri, quia non laborant, neque nent: facilè reſpondebunt, Si & nos per aliquam infirmitatem vel occupationem non poſſimus operari, ſic ille nos paſcet & veſtiet, quemadmodum aves & lilia, quæ nihil operantur hujuſcemodi: cùm autem poſſumus, non debemus tentare Deum noſtrum; quia & hoc quod poſſumus ejus munere poſſumus, & cùm hinc vivimus, illo largiente vivimus, qui largitus eſt ut poſſimus, & ideo de iſtis neceſſariis ſolliciti non ſumus; quia cùm hæc poſſimus agere, ille nos paſcit & veſtit, a quo paſcuntur & veſtiuntur homines: cùm verò hæc non poſſumus agere, idem ipſe nos paſcit & veſtit, a quo & aves paſcuntur, & lilia veſtiuntur; quoniam nos plures ſumus illis.* Hæc ſanctus noctor in cujus mente ac doctrinâ negari non poteſt, quæcunque in hâcce rerum univerſitate eveniunt, ſpeciali Dei voluntate contingere, quòd clarè evincunt teſtimonia ex eodem ſancto Doctore ſuperiùs adducta. *Hoc itaque tenete, fratres mei*, in Enarrat. in Pſalm. 148. *nemo vos de fide excutiat, & de ſanâ doctrinâ..... quidquid hic accidit, noveritis non accidere niſi de voluntate Dei, de providentiâ ipſius, de ordine ipſius, de nutu ipſius, de legibus ipſius..... de juſſu ipſius.*

Objicies 6. Perinde abſurdum eſt aſſerere, aut impoſſibilia eſſe prorſus miracula, aut omnia effecta quæ hîc contingent eſſe miraculoſa: porro unum ex his duobus neceſſariò confitendum eſt ex hypotheſi quòd omnia quæ in rerum univerſitate accidunt, ſpeciali Dei voluntate contingant. Namque miracula non alia de cauſa talia dicuntur, quàm quòd ſecundùm leges ac voluntates particulares, non autem generales eveniant. Ita fermè ratiocinatur Malebranchius Lib. de naturâ & gratiâ ſerm. 1. art. 59. his verbis: "*Rien ne ſe fait dans le monde qui ne prouve ce ſentiment*, [que Dieu n'agit point par des volontés particulieres] *ſi l'on excepte ſeulement les miracles: leſquels néanmoins ne ſeroient point des miracles differens des effets qu'on appelle naturels, s'il étoit vrai que Dieu agit ordinairement par des volontés particulieres: puiſque les miracles ne ſont tels, que parce qu'ils n'arrivent point ſelon les loix générales: ainſi les miracles ſuppoſent ces loix, & prouvent le ſentiment que j'ai établi.*

Reſp. negando min. Miraculum enim eſt opus divinum, ſupernaturale, omnes cauſarum naturalium vires excedens; vel ut alii volunt, illud eſt quod contingit contra rerum ordinem quem Deus in condendo mundo ſtatuit ut paſſim ac ordinariè deinceps obſervaretur. *Miraculum voco*, inquit S. Auguſtinus Lib. de utilit. credendi cap. 16. *quidquid arduum aut inſolitum ſupra facultatem mirantis apparet.* Et Lib. 27. contra Fauſtum cap. 3. *Quæ contra cognitum nobis ſolitumque naturæ curſum Deus operatur, magnalia vel mirabilia nominantur.* Porrò etſi omnia ſpeciali Dei voluntate fiant, quandoque tamen contingunt effecta contra conſuetum ſolitumque naturæ ordinem, quia Deus ſupremus naturæ author & arbiter, legibus quas naturæ impoſuit, obſtrictus non eſt: imò cùm decrevit & ſancivit ordinem naturalem, ſimul etiam decrevit quandoque ſe facturum aliquid præter & contra hunc ordinem: v. g. in condendo mundo Deus hanc legem ſtatuit, ut ſcilicet ignis combureret; & tamen hanc legem non ita conſtanter obſervari voluit, quin aliquando aliter faceret, uti contigit tribus pueris in fornace babylonicâ detentis: cùm ergo Deus aliquid operatur contra legem naturalem quam ordinariè ſervari voluit, miraculum operari dicitur.

Objicies 7. Deum in agendo ſequi leges generales, idem eſt ac ipſum agere voluntate generali: atqui Deus in producendis & regendis rebus univerſi ſemper ſequitur leges generales; idque unum directè & poſitivè intendit: v. g. voluntas Dei non determinatur ad aliquid faciendum circa corpora, niſi ex concurſu eorum juxta ſeriem duarum legum generalium ſupra recenſitarum circa motum materiæ: non determinatur etiam ad aliquid faciendum circa rationales ſubſtantias, niſi ex earum votis quæ ſunt veluti preces quædam naturales; ergo &c. Hac ratione utitur Malebranchius in reſponſione ad Librum de veris & falſis ideis citato jam cap. 4. n. 6. "Dieu agit par des volontés générales, lorſqu'il agit
„en conſéquence des loix générales..... Or je pré-
„tends que Dieu ne fait rien dans le monde que
„des loix générales; j'excepte les miracles.......
„en voici la preuve. Dieu ne meut jamais les corps,
„s'ils ne ſont choqués; & lorſqu'ils ſont choqués il
„les meut toujours...... Dieu ne remuë jamais mon
„bras, que lorſqoe j'ai la volonté de le remuer; &
„Dieu ne manque jamais à le temoer, lorſque j'ai
„la volonté qu'il ſe remuë..... en un mot ce que
„Dieu fait en nous, & dans ce qui nous environne,
„n'arrive jamais qu'en conſéquence des loix géné-
„rales, que Dieu a établies pour exécuter ſes deſ-
„ſeins par des voyes qui portent le caractere de ſes
„attributs... Dieu n'agit donc point comme nous
„par des volontés particulieres.

Reſp. negando maj. nihil enim obſtat quin Deus ſpeciali voluntate intendat aliquem effectum qui tamen fiat juxta generales naturæ leges: v. g. cùm, uti refertur Judic. 9. lapis miſſus manu mulieris confregit caput Abimelech, filii Gedeonis, iſtud contigit juxta generales naturæ leges; & tamen ille effectus ſpeciali voluntate à Deo intentus fuit, ut ſcilicet plecteretur Abimelec qui contra fas omne fratres ſuos occiderat, quemadmodum ibidem expreſsè docet ſacer contentus. Sic etiam Chriſtus generalem hanc legem ſibi ſemper propoſuit, perficere ſcilicet quæcunque Pater decrevit: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Nihilominus tamen negari non poteſt quin peculiari voluntate ſingula executus ſit, maximè verò ea quæ pertinent ad redemptionem humani generis & electorum ſalutem. Denique quilibet Fidelis generale propoſitum concipere poteſt, ut v. g. ſecundùm regulas & præcepta Chriſtianæ Religionis exactè vivat; iſtud autem propoſitum non impedit quin peculiari voluntate univerſa Chriſtianæ Religionis præcepta ſpeciatim adimpleat & exequatur. Unde ex eo quòd Deus in agendo ut plurimùm ſequatur leges generales naturæ, perperam colligit

Male-

Malebranchius ipſum ſemper agere voluntate generali.

Reſp. 2. negando etiam min. Equidem Deus in agendo ordinariè ſequitur generales naturæ leges; at non ſemper agit *duntaxat* juxta illas leges, ſed quandoque vias & leges particulares immiſcet viis & legibus generalibus, ut manifeſtè demonſtrat mox adductum Abimelech exemplum: lapis enim manu femineâ è præcelsâ turri in caput ipſius immiſſus, utique cecidit juxta generales leges motûs, & juxta eaſdem generales communicationis motuum leges ejus cerebrum confregit; negari tamen non poteſt quin ibi intercesſerit ſpecialis Dei voluntas: unde poſtquam Scriptura factum iſtud commemoravit, ſtatim ſubdit: *Et reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem ſuum, interfectis ſeptuaginta fratribus ſuis.*

Itaque tres iſtæ loquendi rationes, quas plerumque confundit Malebranchius, ſedulò hic ſunt diſtinguendæ. 1. Deus ordinariè agit juxta generales naturæ leges. 2. Deus ſemper agit *duntaxat* juxta generales naturæ leges. 3. Deus nihil aliud directè & poſitivè vult, quàm agere juxta illas leges. Prima propoſitio vera eſt, à Theologis communiter admittitur, nec favet ſiſtemati Malebranchii, cum eâ enim rectè ſtat Deum directè, poſitivè & ſpecialiter velle id quod ex legibus generalibus ſequitur, uti mox vidimus, & patet attendenti. Secunda & tertia, quæ excludunt voluntatem ſingularem & particularem, (ex quibus proinde colligeretur Malebranchii ſiſtema) falſæ ſunt, Scripturæ, SS. Patribus, & conſtanti Theologorum doctrinæ omnino adverſæ, quod liquet ex fusè dictis inter probationes.

Objicies 8. Certa ſunt in naturali rerum ordine quædam principia, ex quibus ſequi poſſunt omnes quas videmus rerum ſpecies, omnia quæ videmus effecta: v. g. ex motu ſemel impreſſo materiæ juxta ſupra recenſitas communicationis motûs leges, naſci potuerunt res omnes hujuſce univerſi eo ordine, eâ pulchritudine quam in iis demiramur: porrò non poteſt dubitari quin Deus præviderit ex illis principiis, ex motu v. g. taliter impreſſo, ea omnia ſecutura eſſe; cùm ergo Deus voluit principia illa rerum creare, & talem motum materiæ imprimere, eo ipſo voluit ea omnia quæ ex illis principiis & motu ſecutura erant effecta: inutilis eſt ergo peculiaris Dei voluntas circa hæc omnia ſigillatim ſumpta; ac proinde ſufficit generalis quædam & indeterminata voluntas quæ ad unumquemque ſingularem effectû per cauſas occaſionales determinetur.

Rationem hanc indicat Malebranchius Lib. de naturâ & gratiâ ſerm. 1. n. 16. his verbis: "Je ſuis „perſuadé que les loix du mouvement néceſſaire à „la production & à la conſervation de la terre, & „de tous les aſtres qui ſont dans les cieux, ſe reduiſent à ces deux-ci: la premiere, que les corps mûs „tendent à continuer leur mouvement en ligne „droite: la ſeconde, que lorſque deux corps ſe „rencontrent, leur mouvement ſe diſtribue dans „l'un & dans l'autre à proportion de leur groſſeur, „en ſorte qu'ils doivent ſe mouvoir enſuite avec „une égale viteſſe. Ces deux loix ſont cauſe de „tous les mouvemens qui cauſent cette varieté de „formes que nous admirons dans la nature..... Or „ces deux loix ſont ſi ſimples & ſi naturelles, & en „même tems ſi fécondes, que quand on n'auroit „point d'autres raiſons pour juger que ce ſont celles qui s'obſervent dans la nature, on auroit tout „ſujet de croire, qu'elles ſont établies par celui..... „qui opere une infinité de merveilles par un très„petit nombre de volontés." Eodem fermè modo ratiocinantur nonnulli recentiores Malebranchii diſcipuli, ac Carthesii placitis hâc in parte addicti. Supponunt ſcilicet initio creatam à Deo indefinitam molem materiæ extenſæ, impenetrabilis, quæ deinde in indefinitas partes quadratas ſecta à Deo fuerit; & poſtea ſingulis partibus inditum fuiſſe motum circa centrum, ex quo motu abſque ſpeciali Dei providentiâ & ductu cuncta eo ordine, conſtantiâ & pulchritudine quæ attoniti ſuſpicimus, enata ſunt.

Reſp. 1. Nonnullis impoſſibilem videri hypotheſim in quâ ſupponitur ex certo quodam motu ſemel impreſſo materiæ, abſque ſpeciali Dei voluntate, res omnes hujuſce univerſi naſci potuiſſe eo ordine, varietate, conſtantia & pulchritudine quam ſatis mirari non poſſumus: hæc enim omnia ſuprema quadam intelligentia, ac ſapientiſſimo Dei conſilio regi & ordinari poſtulant. Quis ſibi perſuadeat ex motu ſemel indito, corpus v. g. hominis productum fuiſſe tam infinita organorum multitudine inſtructum, quæ tam variis tamque mirabilibus operibus apta ſint?

Reſp. 2. Gratis admiſſa poſſibilitate hujuſce hypotheſis, negari non poteſt quin præviderit Deus ex motu ſemel impreſſo materiæ ea neceſſariò ſecutura eſſe quæ contigerunt: porro ſi prævidit, neceſſariò confitendum eſt illa intendiſſe ac voluntate ſpeciali decreviſſe; non ergo abſque peculiari Dei voluntate ea acciderunt. Et verò in eâ hypotheſi agnoſcenda ſpecialis Dei voluntas quæ motum, & certam quandam motûs quantitatem ac determinationem materiæ impreſſerit.

Reſp. 3. Argumentum in objectione propoſitum vel ipſi Malebranchio perinde ac nobis eſſe ſolvendum. Namque 1. fatetur Libro de natura & gratia, ſingulas ſubſtantias ſpirituales ſpeciali voluntate à Deo conditas fuiſſe. 2. fatetur etiam medit. 8. corpora organica animalium facta eſſe, non juxta ſeriem ductum legum generalium circa motum materiæ, ſed peculiari Dei voluntate. 3. Comment. 1. in tract. de natura & gratia aſſerit procellas, aliaque hujuſmodi quæ in rerum univerſitate occurrunt, ſpeciali Dei voluntate ac conſilio quandoque contingere: verba Malebranchii ſupra retulimus; falſum eſt ergo Deum in gubernandis ſingulis rebus univerſi generali duntaxat voluntate uti, eamque ſufficere explicandis omnibus motibus qui contingunt circa corpora.

Reſp. 4. Malebranchium non ut exiſtentem, ſed ut poſſibilem duntaxat admittere Carthesii hypotheſim, in qua ex motu materiæ primitùs impreſſo cuncta dicuntur nata: imò obſervat idem Malebranchius inquiſit. verit. Lib. 6. parte 2. cap. 4. prædictam hypotheſim ut merè poſſibilem à Carthesio fuiſſe propugnatam. Sic loquitur loco mox laudato: *M. Deſcartes n'a jamais prétendu que les choſes ſe ſoient faites peu à peu comme il les decrit: Car dans le premier article de la quatriéme partie de ſa Philoſophie qui eſt*; que pour trouver les vraies cauſes de ce qui eſt ſur la terre, il faut retenir l'hypotheſe deja priſe, non obſtant qu'elle ſoit fauſſe, *il dit poſitivement le contraire en ces termes*: Bien que je ne veuille point qu'on ſe perſuade que les corps, qui compoſent ce monde viſible, ayent jamais été produits en la façon que j'ai décrite, ainſi que j'ai ci-deſſus averti; je ſuis néanmoins obligé de retenir ici la même hypotheſe pour expliquer ce qui eſt ſur la terre, afin que..... nous ayons ſujet de conclure que bien que le monde n'ait pas été fait au commencement en cette façon, & qu'il ait été immédiatement créé de Dieu; toutes les choſes qu'il contient ne laiſſent

pas

pas d'être maintenant de même nature que ſi elles avoient été ainſi produites. Porrò, ut patet, non excluditur ſpecialis Dei voluntas in formandis & dirigendis rebus univerſi, niſi admiſſâ prædictâ hypotheſi, non ſolùm ut poſſibili, ſed etiam ut exiſtenti: unde eam non ut merè poſſibilem, ſed ut exiſtentem proponit objectio; immeritò ergo ac vitioſè arguit Malebranchius: ut enim fert tritum axioma, *à poſſe ad actum non valet conſecutio.*

Imò ex adducto argumento quod nobis hic objicit Malebranchius, invictum adverſùs ipſū eruitur ratiocinium. Scilicet, viâ ſimpliciori & per pauciores voluntates conditus fuiſſet mundus admiſſâ prædictâ hypotheſi, non ut merè poſſibili, ſed etiam exiſtenti, ut per ſe patet ac confitetur Malebranchius: atqui tamen Malebranchius & Carthesius allatam hypotheſim ut poſſibilem duntaxat propugnant; ergo Deus non tenetur ſemper agere per vias ſimpliciores & generaliores voluntates.

Reſp. Denique 5. etſi omnia quæ in naturâ deprehendimus effecta, eo ordine, eâ conſtantiâ, eâ pulchritudine quam mirantes ſuſpicimus, enaſci abſolutè potuiſſent ex motu materiæ ſemel impreſſo, juxta generales ſupra allatas motûs leges, exinde tamen non liceret inferre, velut inutilem ac ſuperfluam rejiciendam eſſe ſpecialem Dei voluntatem quæ ad ſingula quæque ſpeciatim ſeſe extendat: ſiquidem hanc admittendam eſſe tradunt Scripturæ, docent SS. Patres, ac demonſtrant invicta rationum momenta quæ inter probationes adduximus. Et verò concors eſt ac conſtans Theologorum doctrinâ poſt ſanctum Thomam 1. parte quæſt 22. art. 2. agnoſcendam eſſe perfectiſſimam in Deo providentiam quæ ad omnia non tantùm in univerſali, ſed etiam in ſingulari ſpeciatim extendatur, ipſiſſima ſunt Doctoris Angelici verba: porrò ut ibidem art. 1. ad 3. docet idem S. Doctor, *Providentia eſt in intellectu, ſed præſupponit voluntatem finis*; ergo &c.

Ad id autem quod objicitur ex nonnullis recentioribus Philoſophis Carthesianam hypotheſim ut theſim propugnantibus; reſpondeo plura ex mox dictis hic recurrere: quibus adde 1. incertam imò potiùs falſam eſſe illam hypotheſim: falſum enim videtur quantitatem materiæ eſſe indefinitam, ſeu carere terminis, quia certa eſt SS. Patrum ſententia, quam ſupra quæſt. 1. probavimus, mundum hunc eſſe finitum, ac plures poſſe eſſe mundos. 2. gratis videtur confictum ac experientiæ adverſari, id quod tanquam certum ſupponunt, eandem ſemper à Deo conſervari motûs quantitatem: nam plerumque apparet motum variis corporibus impreſſum, quandoque ſic extingui, ut nullis aliis corporibus communicetur. 3. denique, quod certè gravius eſt, ſi nihil aliud in hacce rerum univerſitate accidit, niſi quòd neceſſariò conſequitur ex motu ſemel impreſſo materiæ juxta certas quaſdam leges; inde colligendum erit nullum ſupereſſe locum miraculis, nullum etiam liberis ſubſtantiarum rationalium actionibus circa movenda corpora: nihil tándem aliud fieri poterit in hocce viſibili terrarum orbe, niſi quod ex illo motu ſemel impreſſo fatali quâdam neceſſitate ſequetur.

Objicies ultimo. Ea ſententia præ cæteris ſeligenda eſt, quæ neceſſaria aut ſaltem aptior ac facilior videtur explicandis Dei operibus, tùm ordinis naturalis, tùm ordinis ſupernaturalis, atque diluendis athæorum aliorumque impiorum objectionibus adverſùs divinam providentiam, aliaque Dei attributa: atqui ſiſtema cauſarum occaſionalium quibus excluditur ſpecialis Dei voluntas circa rerum eventa, neceſſarium videtur, aut ſaltem aptius ac facilius explicandis Dei operibus, ac ſolvendis objectionibus deſumptis ex his præſertim quæ deprehenduntur in rerum naturâ vitiis, & ex variâ ſorte hominum, ſive bonorum ſive malorum; ergo &c. Argumentum iſtud innuit Malebranchius citato ſæpius cap. 4. reſponſionis ad tract. de veris & falſis idæis, ubi aſſerit generalem eſſe totius Libri de naturâ & gratiâ ſcopum, ſcilicet occurrere athæorum aliorumque erga Religionem minùs benè affectorum hominum objectionibus. En verba Malebranchii: *J'y prétends*, (dans le traité de la nature & de la grace) *faire taire les libertins & les impies qui attribuent à une nature aveugle les déreglemens de l'univers...... mais les principes que j'ai establis, vont encore infiniment plus loin. Je n'en ſcai point dont les conſequences ſoient plus avantageuſes à la Religion.*

Reſp. 1. Non eam ſemper in rebus Theologicis ſeligendam eſſe præ cæteris ſententiam, quæ clarior, facilior ac expeditior videtur, præſertim ubi agitur de divinâ providentiâ in regendis ac moderandis rebus univerſi, variâ hominum proborum & impiorum ſorte, & aliis hujuſmodi: in hiſce enim quæſtionibus, quæ ſemper viſæ ſunt SS. Patribus, ac maximè SS. Auguſtino & Thomæ ad ſolvendum perdifficiles, ſententia quæ apparet facilior, quandoque ipſâ ſuâ nimiâ facilitate in ſuſpicionem falſi meritò adducitur, atque tunc potiſſimùm meminiſſe debet vir Theologus illius ſententiæ ſapientis Eccleſ. 3. *Altiora te ne quæſieris.... & in pluribus operibus ejus* (Dei ſcilicet) *non ſis curioſus: plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi.* Et Proverb. 25. *Scrutator majeſtatis opprimetur à gloriâ.*

Itaque non eo præcisè nomine deligenda opinio, quòd rebus divinis evolvendis ac explicandis clarior ſit & expeditior; ſed quòd magis in Scripturâ & Traditione fundata ſit: porrò ſententia quæ aſſerit Deum in producendis ac dirigendis rebus univerſi, non generali duntaxat ſed & ſpeciali voluntate uti, diſertiùs ac expreſſiùs fundatur in Scripturis & SS. Patribus, quemadmodum abundè demonſtravimus inter probationes. Idque vel ipſe Malebranchius nolens & quaſi invitus fatetur Lib. de naturâ & gratiâ ſerm. 1. n. 58. his verbis: *S. Paul parle de la ſanctification & de la prédeſtination des Saints, comme ſi Dieu agiſſoit ſans ceſſe en eux par des volontés particulieres. Et même J. C. parle de ſon Pere, comme s'il s'appliquoit avec de ſemblables volontés à orner les lys, & à conſerver juſqu'à un cheveu de la tête de ſes diſciples: parceque dans le fond la bonté de Dieu pour ſes creatures etant extrême, ces expreſſions en donnent une grande idée, & rendent Dieu aimable aux eſprits même les plus groſſiers, & qui ont le plus d'amour propre.* Certè ea ſententia præ cæteris admittenda eſt, quæ eximiam ac ſplendidam Dei ideam ac notionem nobis exhibet; quæ nimiam Dei erga homines charitatem prodit, quæ ipſum omnibus etiam rudioribus ſummè amabilem efficit; quam denique Apoſtolus, imò & ipſemet Chriſtus perpetuò exprimunt: atqui, fatente Malebranchio, talis eſt ſententia quæ docet Deum non generali modò ſed & ſpeciali voluntate uti, tùm in ordine naturali, tùm in ordine ſupernaturali; ergo &c. Verùm de ordine ſupernaturali aliàs aptior erit dicendi locus.

Reſp. 2. Falsò, ne dicam temerè, omnino ſupponere Malebranchium, manifeſtos defectus, manifeſta vitia in rerum univerſitate occurrere. Pugnat directâ fronte iſthæc hypotheſis cum conſtanti SS. Patrum, ac præcipuè SS. Auguſtini & Thomæ doctrina, quod benè multis utriuſque S. Doctoris

teſtimo-

teſtimoniis antea evicimus, quæ hic iterum commemorare ſuperfluum foret. Satis erit eò loci adnotaſſe cum S. Auguſtino Lib. 1. de ord. cap. 1. imperitis duntaxat ac minus eruditis hominibus contingere, vitia, defectus ac fœditates in rebus hujuſce univerſi deprehendere, cujus rationem ibidem aperit S. Doctor his verbis. *Minus eruditis hominibus accidit* (vitia & defectus univerſo advertere) *quia univerſum rerum coaptationem atque concentum imbecilla mente complecti & conſiderare non valent*. His conſimilia ſunt quæ aſſerit Lib. 7. Confeſſ. cap. 14. *Non eſt*, inquit, *ſanitas eis quibus diſplicet aliquid creatura tua*. Unde idem ſanctus Doctor Libris contra Manichæos totus eſt ut probet adverſus ipſos, nullum eſſe in rerum naturâ malum præter illud quod ex libero naturæ intellectualis arbitrio originem ducit; peccatum ſcilicet & concupiſcentiam, quæ peccati radix eſt & effectus. *Ecce ergo ex bono oritur malum*, inquit Lib. 2. de nuptiis & concupiſc. cap. 28. *nec fuit omnino unde oriri poſſet, niſi ex bono; ipſam dico voluntatem malam, quam nullum præceſſit malum*. Eadem rurſus ſæpius inculcat Libris adverſus Pelagianos. Sic Lib. 1. contra Julianum cap. 8. *Quærunt*, inquit, *à nobis*, (Manichæi) *unde ſit malum*. *Reſpondemus.... ex bonis inferioribus atque mutabilibus orta ſunt mala: quæ mala, licet intelligamus non eſſe naturas, ſed vitia naturarum; tamen ſimul intelligimus ea, niſi ex aliquibus & in aliquibus naturis eſſe non poſſe; nec aliquid eſſe malum, niſi à bonitate defectum*. Et poſtea: *Nulla natura in quantùm natura, malum eſt; ſed cum deficit à natura, quæ ſummum atque incommutabile bonum eſt*.

Non alia eſt Doctoris Angelici ſententia variis in locis antea relatis, præſertim verò 1. parte qu. 22. art. 2. Eò loci S. Doctor 1. in argumento *Sed contra*. docet cum Scriptura, divinam ſapientiam *attingere à fine uſque ad finem fortiter, & diſponere omnia ſuaviter* 2. ibidem in corp. aſſerit, *neceſſe eſſe dicere omnia divinæ providentiæ ſubjacere, non in univerſali tantum, ſed etiam in ſingulari*. Porro ſi infinita Dei ſapientia attingat à fine uſque ad finem fortiter, & ſuaviter diſponat quæcunque in hâcce rerum univerſitate occurrunt; quis dicere auſit in hocce terrarum orbe manifeſtos defectus, manifeſta vitia deprehendi? 3. ſibi objicit S. Doctor, *multa mala eſſe in rebus, quæ non occurrerent ſi omnia eſſent à Deo proviſa*: reſpondet autem ibidem ad 2. corruptiones & defectus qui occurrunt in rebus, univerſi, tales non eſſe, (id aſt, non eſſe defectus) niſi in ordine ad naturam particularem; at verò in ordine ad naturam univerſalem, Deum ſcilicet, non eſſe defectus, ſed potius perfectiones, *in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius univerſi*. Nihil ergo alienum magis à mente & doctrinâ SS. Auguſtini & Thomæ, quam manifeſta vitia, manifeſtos defectus in rerum naturâ agnoſcere: unde cum ſiſtema Malebranchii circa cauſas occaſionales quibus determinatur Dei voluntas, vitia & defectus hujuſmodi ſupponat; atque eâ præſertim de cauſâ, teſte ipſomet authore, excogitatum fuerit, ad ea ſcilicet conciliando cum divinâ providentiâ, potentiâ, ſapientiâ, aliiſque Dei attributis, inde conſequens eſt ſiſtema illud horumce SS. Doctorum ſententiæ apertè adverſari.

Reſp. 3. negando min. Nedum Malebranchii ſiſtema circa cauſas occaſionales, quibus excluditur ſpecialis Dei voluntas circa rerum eventa, aptius ac facilius ſit diluendis objectionibus athæorum aliorumque veræ Religionis adverſariorum; imò potius eo ſiſtemate. Malebranchius, licet nolens & invitus, athæis, Manichæis, aliiſque erga Religionem minus benè affectis plurimum favet, eorumque cauſam maximè adjuvat.

1. ſiſtema cauſarum occaſionalium neceſſarium non eſt refellendis athæorum aliorumque impiorum objectionibus petitis ex his præcipuè vitiis quæ videntur eſſe in rerum naturâ: ad hoc enim ſatis eſt, quod falsò ac temerè contendant athæi, nec minùs incautè fateatur Malebranchius, eſſe hujuſmodi vitia & defectus in naturali ordine ac diſpoſitione rerum hujuſce univerſi: porro manifeſtum eſt ex dictis inter probationes, & mox reſponſione 2. falsò ac temerè contendere athæos, nec minùs incautè fateri Malebranchium, aperta ac evidentia occurrere vitia in rerum univerſitate, Et verò ſæpius obſervat S. Auguſtinus, ac præſertim Lib. 1. de ord. cap. 1. jam citato, quæ videntur eſſe vitia in hocce univerſo reipsâ in ſe talia non eſſe, *ſed in mente imperitorum duntaxat ac minùs eruditorum hominum, qui univerſam rerum coaptationem atque concentum imbecillâ mente conſiderare & complecti non valentes, ſi quid eos offenderit, quia ſuæ cogitationi magnum eſt, magnam putant rebus inhærere fœditatem*. Addit S. Doctor Lib. de verâ Religione cap. 5. *ita ordinari omnia officiis & finibus ſuis in pulchritudinem univerſitatis, ut quod fœdum & vitioſum apparet in parte, ſi cum toto conſideremus, plurimum placeat, & pulchrum ac perfectum rectè judicetur* Ex tenuitate igitur ac imbecillitate duntaxat mentis, ordinatiſſimam rerum diſpoſitionem & concentum comprehendere non valentis, contingit ex ſancto Auguſtino, quod nonnulla in ſiſtemate univerſi offendant, & fœda atque vitioſa appareant.

Id ipſum variis exemplis mirè explicat S. Doctor. Primum petitur ex picturâ, in quâ nigri colores & umbræ artificiosè aptatæ & diſpoſitæ ad tabellæ ornamentum & pulchritudinem plurimùm conferunt; adeo ut perfecta & exquiſita peritis videantur, quæ rudibus ac imperitis apparent imperfecta & vitioſa. Iſta comparatione utitur Lib. de verâ Religione cap. 40. his verbis: *Sicut niger color in picturâ cum toto ſit pulcher: ſic totum iſtum agonem decenter edit incommutabilis divina providentia, aliud victis, aliud certantibus, aliud victoribus, aliud ſpectatoribus, aliud quietis & ſolum Deum contemplantibus tribuens: cùm in his omnibus non ſit malum niſi peccatum,..... hoc eſt, defectus voluntarius à ſummâ eſſentia*.

Alterum exemplum quod frequenter uſurpat S. Doctor, ducitur ex muſicâ quæ decedentibus ac ſuccedentibus ſibi invicem ſonis, & apparenti vocum diſcordiâ pulcherrimè currit ac tranſit. *Muſica*, inquit Epiſt. 166. alias 28. *id eſt, ſcientia ſenſuſve benè modulandi, ad admonitionem magna rei, etiam mortalibus rationales habentibus animas Dei largitate conceſſa eſt. Unde ſi homo faciendi carminis artifex novit quas quibus moras vocibus tribuat, ut illud quod canitur decedentibus ac ſuccedentibus ſonis pulcherrimè currat ac tranſeat; quanto magis Deus, cujus ſapientia longè omnibus artibus præferenda eſt, nulla in naturis naſcentibus & occidentibus temporum ſpatia, quæ tanquam ſillabæ ac verba ad particulas hujus ſæculi pertinent, in hoc labentium rerum tanquam mirabili cantico, vel breviùs, vel productiùs..... præterire permittit,.... quam Deus diſpoſitor temporum novit univerſitatis moderamini conſonare*.

Tertium exemplum deſumitur ex ædificio, cujus pulchritudo non ex unâ aut alterâ parte ſeorſim ſpectatâ; ſed ex aptâ & ordinatâ omnium inter ſe

par-

partium diſpoſitione emergit. *Ita ordinantur omnia,* inquit S. Auguſtinus citato mox cap. 40. Libri de verâ Religione, *officiis & finibus ſuis in pulchritudine universitatis, ut quod horremus in parte, ſi cum toto conſideremus, plurimum placeat: quia nec in ædificio judicando unum tantum angelum conſiderare debemus, nec in homine pulchro ſolos capillos, nec in benè pronuntiante ſolum digitorum motum, nec in lunæ curſu aliquas tridui tantum figuras. Iſta enim, quæ propterea ſunt infima, quia partibus imperfectis tota perfecta ſunt, ſive in motu, ſive in ſtatu pulchra ſentiantur, tota conſideranda ſunt, ſi rectè volumus judicare.* Audis ſanctum Auguſtinum diſertè aſſerentem, ita ordinari omnia in decus & ornamentum univerſi, ut quod horret in parte, & fœdum ac vitioſum apparet, ſi tamen cum toto conſideretur, quemadmodum conſiderandum eſt ſi rectè volumus judicare, plurimum placere, & partibus licet imperfectis, totum tamen ex illis reſultans perfectum eſſe & pulchrum.

Non mirum ergo ſi S. Doctor comparet eos qui vitioſi quidquam & imperfecti in rebus univerſi arguunt, rudiori cuidam ac imperito qui ingreſſus officinam alicujus artificis, Inutilia crederet inſtrumenta quæ ibi deprehenderet, eò quòd uſum eorum neſciret; dum alter qui artis peritiam habet, eorum copiam & utilitates miraretur. *Si intrares,* inquit enarrat. in Pſalm. 148. *fortè in officinam fabri ferrarii, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos; & da imperitum neſcientem quid quare ſit, & omnia reprehendit. Sed ſi non habeat peritiam artificis, & habeat ſaltem conſiderationem hominis, quod ſibi dicit? Non ſine cauſa hoc loco folles poſiti ſunt; artifex novit quare, etſi ego non novi. In Officina non audet vituperare fabrum, & audet reprehendere in hoc mundo Deum.* Scilicet, cum ſatis nobis perſpecta non ſit rerum natura, nec ſatis cogniti fines quos Deus in operando ſibi propoſuit, temerarium maximè eſt affirmare manifeſtos defectus, manifeſtaque vitia occurrere in Dei operationibus.

Et rurſus Lib. 1. de ordine cap. 1. comparat alteri qui ita parum oculis proſpiceret, ut in vermiculato pavimento nihil aliud ultra unius teſſeræ modulum acies ejus valeret cernere, & tamen temerè vituperaret artificem, velut ordinationis & compoſitionis ignarum: *Sed hoc pacto,* inquit, *ſi quis tam minutum cerneret, ut in vermiculato pavimento nihil ultra unius teſſeræ modulum acies ejus valeret ambire, vituperaret artificem velut ordinationis & compoſitionis ignarum; eò quòd varietatem lapillorum perturbatam putaret, à quo illa emblemata in unius pulchritudinis faciem congruentia ſimul cerni collustrarique non poſſent. Nihil enim aliud minus eruditis hominibus accidit, qui univerſam rerum coaptationem atque concentum imbecilla mente complecti & conſiderare non valentes.....magnam putant rebus inhærere fœditatem.* Inſcitiæ ergo ac temeritatis apertum eſt argumentum, teſte ſancto Auguſtino, aſſerere manifeſtos defectus ac manifeſta vitia in rebus univerſi reperiri; ac proinde immeritò ſiſtema cauſarum occaſionalium quibus ſpecialis Dei voluntas excluditur, excogitavit Malebranchius, ad ea ſcilicet prætenſa vitia cum potentiâ, ſapientiâ, aliiſque Dei attributis conciliandæ.

Unum addo: quod etſi ſupponeretur in rerum univerſitate manifeſta occurrere vitia, (phyſica nempe, de quibus hic duntaxat quæſtio) non propterea excludenda eſſet voluntas Dei ſpecialis; imò hujuſmodi defectus nonniſi in ſpecialem Dei voluntatem, ſaltem permiſſivam, refundi poſſent.

Id 1. diſertè teſtatur S. Auguſtinus Lib. 3. de Trinit. cap. 2. his verbis: *Defectus luminarium.... & monſtruoſi partus animalium, & quæcunque ſimilia quorum nihil fit niſi voluntate Dei, ſed pleriſque non apparet. Itaque licuit vanitati Philoſophorum, etiam aliis cauſis ea tribuere; vel veris, ſed proximis, cum omnino videre non poſſent ſuperiorem omnibus cauſam, id eſt, voluntatem Dei; vel falſis &c.* Ibidem cap. 9. *Exceptis illis quæ.:....in rerum natura ordine corporaliter fiunt, ſicuti ſunt ortus & occaſus ſiderum, mortes & generationes animalium, ſeminum & germinum innumerabiles diverſitates.... fulgura & tonitrua, fulmina & grandines, venti & ignes, & omnia talia: exceptis etiam illis quæ in eodem ordine rara ſunt, ſicut defectus luminum, & ſpecies inuſitata ſiderum, & monſtra, & terræ motus, & ſimilia......quorum quidem prima & ſumma cauſa non eſt niſi voluntas Dei.* Ergo, teſte ſancto Auguſtino, defectus luminum, mortes animalium, monſtra, aliaque hujuſmodi vitia phyſica, nonniſi voluntatem Dei tanquam primam & ſupremam cauſam agnoſcunt.

Deinde id clarè ſequitur ex his quæ docet Malebranchius; ſiquidem monſtra ſunt vitia & defectus in ordine phyſico & naturali, nemine diffitente: porro monſtra conſtant corporibus organicis; hæc autem corpora nonniſi voluntate directa & ſpeciali formari poſſe contendit multoties prædictus author. Sic Medit. 7. n. 5. *Lorſqu'on conſidere les corps organiſés, c'eſt-à-dire les plantes & les animaux, on ne peut dire que le moindre inſecte ſoit l'ouvrage du hazard. Tout y eſt formé dans un deſſein determiné & par des volontés particulieres..... Tout y eſt formé par des volontés particulieres, car les corps organiſés ne peuvent être produits par les ſeules loix de la communication des mouvemens..... ces loix ne peuvent former une machine dont les reſſorts ſont infinis, & dont chacun a ſon uſage.*

Denique idem evincit idea defectus & vitii *phyſici.* Scilicet Deus id vult directè, poſitivè & ſpecialiter quod in ſe bonum eſt, quod plurimum conducit in pulchritudinem univerſi; quod denique moderatrice infinita Dei ſapientia, & ordinatrice ſumma juſtitia diſponitur ac ordinatur: atqui defectus in ordine phyſico 1. ſunt quid in ſe bonum, licet imperfectum: nihil enim aliud ſunt quam entia aliis minus perfecta: porro ens non deſinit eſſe quid bonum, licet ſit alio minus perfectum: unde in Libris adverſus Manichæos & Pelagianos totus eſt S. Auguſtinus ut probet in hocce univerſo non eſſe malum: niſi peccatum: *Cætera autem,* inquit, *non vituperantur, niſi in comparatione meliorum.* Et Enarrat. in Pſalm. 102. *Omnes creaturæ habent quoddam bonum ſuum integritatis ſuæ, & perfectionis naturæ ſuæ.* Rurſus Libro 7. Confeſſ. cap. 7. *Quæcunque ſunt, bona ſunt.* 2. vitia phyſica ducunt in ordinem & pulchritudinem univerſi, ſicut umbræ & nigri colores in pictura, & concors vocum diſcordia in muſica. Hinc ſanctus Auguſtinus in Enchirid. cap. 10. & 11. *Creata ſunt omnia,* inquit, *nec ſummè, nec æqualiter, nec immutabiliter bona, ſed tamen bona etiam ſingula; ſimul verò univerſa valde bona: quia ex omnibus conſiſtit univerſitatis admirabilis pulchritudo, in qua etiam illud quod malum dicitur, benè ordinatum & loco ſuo poſitum eminentius commendat bona, ut magis placeant & laudabiliora ſint dum comparantur malis.* Et Lib. 1. de Geneſ. ad litt. cap. 19. *Neque,* inquit, *defectus profectuſque creaturæ.....ſine ſupplemento ſunt decoris univerſi? Nox enim ordinata ſunt tenebræ.* 3. eoſdem defectus phyſicos moderatrice & ordinatrice ſumma Dei

ſapien-

ſapientia ſuaviter diſponi, docet S. Auguſtinus Lib. contra Secundinũ Manichæum cap. 15. " Apeti ergo, *inquit S. Doctor*, jam cordis oculos, & „intuere ſi poteſt, bonum aliquod eſſe quamlibet „ſubſtantiam...nec omnem defectum eſſe culpabi„lem, ſed ſolum voluntarium... Cæteri autem de„fectus qui non ſunt voluntarii, vel pœnales ſunt, „ut peccata puniantur moderatrice ſumma atque „ordinatrice juſtitiâ; vel menſuris rerum infimarum „interveniunt ut præcedentia ſuccedentibus ce„dant atque ita omnis temporalis pulchritudo vi„cibus ſuis atque ſuo genere peragatur. Sicut enim „ſermo peragitur quaſi morientibus & orientibus „ſyllabis, quæ per morarum certa intervalla ten„duntur, & ſpatiis ſuis impletis ordinata conſe„quentium ſucceſſione decedunt, donec ad finem „ſuum tota perducatur oratio... ſic ortu & occaſu, „deceſſu atque ſucceſſu rerum temporalium, cer„tis ac definitis tractibus, donec recurrat ad termi„num præſtitutum temporalis pulchritudo con„texitur.

Egregiè paucis verbis totum iſtud complexus eſt Doctor Angelicus 1. 2. q. 22. art. 2. ad 2. " Di„cendum, *inquit*, quod aliter de eo eſt qui habet „curam alicujus particularis, & de proviſore uni„verſali: quia proviſor particularis excludit defe„ctum ab eo quod ejus curæ ſubditur, quantum po„teſt; ſed proviſor univerſalis permittit aliquem de„fectum in aliquo particulari accidere, ne impe„diatur bonum totius: unde corruptiones & defe„ctus in rebus naturalibus dicuntur eſſe contra na„turam particularem; ſed tamen ſunt de intentione „naturæ univerſalis, (*Dei ſcilicet*) in quantum de„fectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam to„tius univerſi: nam corruptio unius eſt generatio „alterius per quam ſpecies conſervatur. Cùm igitur „Deus ſit univerſalis proviſor totius entis, ad ipſius „providentiam pertinet ut permittat quoſdam de„fectus eſſe in aliquibus particularibus rebus, ne „impediatur bonum univerſi perfectum: ſi enim „omnia mala impedirentur, multa bona deeſſent „univerſo: non enim eſſet vita leonis, ſi non eſſet „occiſio animalium; nec eſſet patientia Martyrum, „ſi non eſſet perſecutio tyrannorum. Unde dicit „Auguſtinus in Enchirid. Deus omnipotens nul„lo modo ſineret malum aliquod eſſe in operi„bus ſuis, niſi uſque adeo eſſet omnipotens & bo„nus, ut bene faceret etiam de malo. " Hæc Doctor Angelicus, quibus aſſerit corruptiones, defectus, aliaque vitia phyſica quæ in rebus naturalibus dicuntur eſſe contra naturã particularẽ, *eſſe tamẽ de intentione naturæ univerſalis*, (Dei ſcilicet) ac proinde à Deo directè, poſitivè & ſpecialiter eſſe volita.

Fundamentalis autem ratio talis aſſertionis hæc eſt, quia quæ dicuntur vitia in ordine phyſico, hoc nomine donantur, non ratione ſui, quia bona ſunt; nec ratione totius, quod ex illis reſultans valde bonum eſt, ut mox ex ſancto Auguſtino vidimus; ſed appellantur defectus phyſici, dum comparantur parti nobiliori à cujus perfectione deficiunt.

Quod autem pertinet ad vitia moralia, quorum Deus author eſſe nequit, non obſcurè ibidem indicat S. Thomas, hæc à ſpeciali Dei voluntate dirigi in certos quoſdam fines, juſtos ſemper & bonos, licet quandoque occultos, quod clare obſervat S. Auguſtinus Lib. 11. de civit. Dei cap. 17. dicens: *Deus ſicut naturarum bonarum optimus creator eſt, ita malarum voluntatum juſtiſſimus ordinator; ut cùm malè illæ utuntur naturis bonis, ipſe bene utatur etiam voluntatibus malis.* Et cap. 18. *Neque enim*, inquit, *Deus ullum, non dico Angelorum, ſed vel hominũ crearet, quem malum futurum eſſe præſciſſet, niſi pariter nôſſet quibus eos bonorum uſibus commodaret; atque ita ordinem ſæculorum tanquam pulcherrimum carmen ex quibuſdam quaſi antithetis honeſtaret..... ſicut ergo contraria contrariis appoſita ſermonis pulchritudinem reddunt: ita quadam, non verborum, ſed rerum eloquentia contrariorum oppoſitione, ſæculi pulchritudo componitur.*

Siſtema ergo cauſarum occaſionalium quibus excluditur ſpecialis Dei voluntas, neceſſarium non eſt ſolvendis athæorum aliorumque impiorum objectionibus, petitis ex iis quæ deprehenduntur vitiis, ſive phyſicis, ſive moralibus: tùm quia, ut vidimus nulla ſunt vitia phyſica in orbe terrarum: tùm quia, prætenſa hujuſmodi vitia, ſi dantur, nonniſi in ſpecialem, directam & poſitivam Dei voluntatem refundi poſſent: tum denique quia etiam vitia moralia ſupponunt ſpecialem Dei voluntatem, ſaltem permiſſivam, vi cujus Deus ſit horumce vitiorum non quidem author, ſed juſtiſſimus ordinator, *Ut cùm*, inquit S. Auguſtinus antea laudatus, *liberæ voluntates malè utuntur bonis, ipſe benè utatur etiam voluntatibus malis.*

Atque hinc ſic concludit S. Doctor Lib. de vera Religione cap. 23. " Neque de peccatis pœniſque „ejus animæ efficitur, ut univerſitas ulla deformita„te turpetur: quia rationalis ſubſtantia quæ ab om„ni peccato munda eſt, Deo ſubjecta, ſubjectis ſibi „cæteris dominatur. Ea vero quæ peccavit, ibi or„dinata eſt, ubi eſſe tales decet, ut Deo conditore „atque rectore univerſitatis decora ſint omnia; & „eſt pulchritudo univerſæ creaturæ per hæc tria in„culpabilis, damnationem peccatorum, exercita„tionem juſtorum, perfectionem Beatorum.

Hinc etiam omnia quæ in mundo ſunt, pulchra eſſe, & mundi pulchritudinem confiteri docet idem S. Doctor ſerm. 231. his verbis: *Interroga pulchritudinem terræ, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem diffuſi aëris, interroga pulchritudinem cœli, interroga ordinem ſiderum, interroga ſolem fulgore ſuo diem clarificantem, interroga lunam ſplendore ſubſequentis noctis tenebras temperantem, interroga animalia quæ moventur in aquis; quæ morantur in terris quæ volitant in aere, latentes animas, perſpicua corpora, viſibilia regenda, inviſibiles regentes, interroga iſta. Reſpondent tibi omnia: Ecce vide, pulchra ſumus. Pulchritudo eorum, confeſſio eorum.*

Hinc denique mundum frequenter appellat miraculum majus & excellentius cæteris omnibus miraculis. Sic. Lib. 10. de civit. Dei cap. 12. *Quidquid igitur*, inquit, *mirabile fit in hoc mundo, profectò minus eſt quam totus hic mundus.* Et Lib. 21. cap. 7. *Cùm ſit mundus innumerabilibus miraculis plenus, procul dubio majus eſt & excellentius etiam ipſe mundus miraculum* Ibidem cap. 11. *Ipſe eſt Deus, qui omnia in hoc mundo magna & parva miracula... fecit eademque ipſo mundo uno atque omnium maximo miraculo incluſit.*

II. Idem Malebranchii ſiſtema aptum non eſt, nec ſufficiens diſſolvendis atheorum aliorumque adverſariorum Religionis chriſtianæ objectionibus petitis ex prætenſis vitiis quæ ſupponuntur occurrere in rerum univerſitate: namque ſemper ſupereſt inquirendi locus, cur eam hypotheſim ſelegerit, ex qua tot mala & vitia naſcitura prævidebat Scilicet qui liberè vult aliquid ex quo aliud neceſſario ſecuturum certo prævidet; id ipſum quod conſequitur ſpeciali voluntate velle cenſetur: cùm ergo Deus certò prænoverit vitia quæ arguit Malebranchius, neceſſario conſecutura ex ſiſtemate præſentis mundi quod elegit, non poteſt negari quin

Deus ſpeciali voluntate ea vitia voluerit & decreverit.

Vanum porro eſt ac nullius roboris, quod reſpondet Malebranchius L. de natura & gratia ſerm. 1. art. 13. Deum adſtrictum fuiſſe ut ſiſtema ex quo ſequuntur illa vitia aliis ſiſtematibus præponeret; quia nempe nullum eſt ſiſtema quod Deus ſimplicioribus viis & legibus exequi potuerit: Deum autem pro ſuâ infinitâ ſapientia addigi ad ea opera præ cæteris ſeligenda, quæ ſimplicioribus legibus & maximè expedita ratione executioni demandati poſſunt. Ita expreſsè Melebranchios loco mox laudato, his verbis: *Dieu decouvrat dans les treſors infinis de ſa ſageſſe une infinité de mondes poſſibles, s'eſt determine a créer celui qui auroit pû ſe produire & ſe conſerver par les loix les plus ſimples, ou qui devoit etre le plus parfait par rapport a la ſimplicitè des voyes neceſſaires a ſa production ou à ſa conſervation.* Et numero ſequenti: *Dieu pouvoit ſans doute faire un monde plus parfait que celui que nous habitons:... mais pour faire ce monde plus parfait, il auroit fallu qu'il eût change la ſimplicitè de ſes voyes, & qu'il eût multiplié les loix de la communication des mouvemens par leſquels notre monde ſubſiſte.* Vanum, inquam, iſtud eſt, ac merum & inane commentum.

Namque inſignis temeritatis eſt infirmum mortalem ita confidenter affirmare, ſic constrictam & coarctatam eſſe Dei vim ac potentiam, ut ex hypotheſi quod mundum creare voluerit, neceſſariò elegerit ſiſtema præſentis mundi, ex quo tot ac tam manifeſta vitia naſci ſupponuntur. Certe in eos qui ita ſentiunt, contorqueri poteſt quod in ſimili fermè caſu Semipelagianis opponit ſanctus auguſtinus Enchirid. cap. 96. *Hoc ſi credamus periclitatur ipſum noſtra confeſſionis initium, quâ nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim ob aliud veraciter appellatur omnipotens, niſi quoniam quidquid vult, poteſt.* Et rurſus: *Cui* (Deo) *procul dubio quam facile eſt quod vult facere, tam facile eſt, quod non vult eſſe non ſinere.* Quis ſane prudens dixerit, in natura cujus Deus omnipotens author, manifeſta occurrere vitia quæ ſapienter operando excludere non potuit.

Nec minoris temeritatis eſt præter præſentem mundi hypotheſim, nullum aliud velle agnoſcere, tanquam poſſibile, ſiſtema quod ſimpliciori ratione fieri potuerit, & ex quo pauciora monſtra ſecuta fuiſſent: nam præterquam quod nemo novit quidquid poſſibile eſt, quod nonniſi ab intellectu infinito comprehendi poſſe, vel ipſe fatetur Malebranchius; certe ad mundi præſentis conformationem, & eorum quæ in ipſo ſunt conſervationem ſufficere non potuêrunt duæ motûs regulæ quas recenſet prædictus author, ſed præterea debuit materia certo quodam modo projici: porro ſi debuit certo modo projici, fieri potuit ut non eſſent tot quam nunc ſunt vitia, quia in projectione materiæ fieri potuêrunt aliæ combinationes. At quæro à Malebranchio, onde ſciat impoſſibilem fuiſſe projectionem ex quâ pauciora quàm nunc ſunt, vitia ſecuta fuiſſent: profectò nonniſi temerè id affirmari poteſt.

Quod autem addit Malebranchius, Deum teneri ad ea opera præ cæteris eligenda, quæ ſimpliciora ſunt, quæque ſimplicioribus legibus & maximè expeditâ ratione executioni dari poſſunt, id falſum eſſe, omni rationum momento ſupra evicimus. Et vero cum Deus ſit omnipotens, ea omnia poteſt operari quæ in ſe non repugnant: porro opera quæ nonniſi maximè compoſitis viis fieri poſſunt, ſunt poſſibilia; ergo &c. imò opera hujuſmodi ut plurimùm perfectiora ſunt iis quæ ſimplicioribus viis fieri poſſunt; ideo quippe complexos magis in ſui productione modos poſtulant, quia pluribus dotibus prædita ſunt: unde aptiora ſunt commendandæ Dei potentiæ, ſapientiæ, aliiſque attributis, quàm alia opera ſimpliciora: v. g. palatium variis columnis & ſtatuis exornatum multò magis manifeſtat architecti peritiam, quàm ſimplex domus nullo cultu decorata; & tamen palatium longè magis compoſita ratione fit quam ſimplex domus.

Itaque ſapientia exigit quidem non facere per plura quod poteſt fieri per pauciora, quando agendi rationes minus ſimplices non ſunt neceſſariæ alicui fini quem ſibi proponit agens: ſecùs vero ſi neceſſariæ ſint, porro quis certo novit fines quos in condendo mundo ſibi propoſuit Deus? Quam inveſtigabiles ſunt viæ ejus, & quis conſiliarius ejus fuit?

III. Quod quidem gravius eſt, favet athæis Malebranchius. Nam in ſuo ſiſtemate, uti antea vidimus, in diſpoſitione rerum univerſi, & in variâ hominum ſorte, manifeſta occurrunt vitia quæ non potuit permittere Deus bonus & infinitè ſapiens, ſi ſpeciali voluntate res dirigat; ergo Deus, inferet athæus, ſpeciali providentia non curat res univerſi, ſed omnia caſu & fortuna fiunt.

Et vero, vel Deus non novit prætenſa vitia quæ in hocce orbe ſupponuntur occurrere; vel ſi novit, non poteſt ea, amovere; vel denique non vult, tametſi poſſit: ſi primum, erit inſcius, ac proinde non ſummè ſapiens: ſi ſecundum, non erit ſummè potens: ſi tertium, non erit ſummè bonus, ſed invidus. Ita Malebranchium premet athæus.

Vanum porro ac inane eſſet quod reſpondet Malebranchius ut ab illis difficultatibus ſeſe expediat, ſcilicet Deum à creaturis quibuſdam tanquam à cauſis occaſionalibus determinari ad ea omnia quæ in dirigendis rebus univerſi operatur; ac proinde vitia quæ in hâcce rerum univerſitate deprehenduntur, non in ipſum Deum, ſed in cauſas occaſionales quibus obſequitur Deus, eſſe refundenda: vanum, inquam, iſtud eſſet ac infirmum.

Tùm quia totius Malebranchii ſiſtematis baſis eſt ac fundamentum, Deo ſoli competere agendi facultatem, & creaturas eſſe merè paſſivas, nullâque vi agendi pollere: ita 2. parte Libri 6. de Inquiſitione verit. cap. 3. & elucidat. in idem caput. Porro poſito tali principio, creaturæ ſolo Deo duce determinantur ad agendum: quomodo ergo citra manifeſtam contradictionem aſſerere potuit Malebranchius, Deum nonniſi à creaturis tanquam à cauſis occaſionalibus determinari; atque adeo vitia quæ occurrunt in ſiſtemate univerſi, cauſis occaſionalibus, non ipſi Deo eſſe adſcribenda?

Tum quia nonniſi ab ipſo Deo liberè ordinante creaturæ conſtitutæ ſunt cauſæ occaſionales à quibus Deus ipſe determinari voluit; atque certò prævidit quæcunque ex illa diſpoſitione & ordinatione ſecutura erant: porro qui liberè aliquid vult, ex quo aliud neceſſario ſecuturum certò prævidet, cenſetur ſpeciali voluntate velle non ſolùm principium, ſed etiam quæ ſequuntur ex principiis; ergo cùm Deus certo præviderit vitia ex ſiſtemate cauſarum occaſionalium quod elegit, ſecutura, velit nolit Malebranchius, fateri debet hæc vitia ſpeciali voluntate intenta fuiſſe ac decreta.

Tum denique, quia una ex præcipuis conditionibus ad cauſam occaſionalem requiſitis, eſt, ut Deus expectet non vero præveniat haſce cauſas occaſiona-

occaſionales; id eſt, ut Deus non eas determinet ad eliciendam conditionem, quâ poſitâ certò & ſtatim ponitur effectus, ſed ipſa potius Dei voluntas ad varios effectus ex ſeſe indifferens, ad hunc præ alio effectum hic & nunc certò & infallibiliter ab ipſâ causâ occaſionali determinetur. Ita Malebranchius Lib. de nat. & grat. ſerm. 2. art. 6. ubi aſſerit conditionem hanc in causâ occaſionali requiri; ne ſcilicet multiplicentur voluntates ſpeciales, quod ſanè contingeret, ſi ſpecialis hæc voluntas neceſſaria foret ad determinandam ſingulis inſtantibus & in ſingulis actionibus cauſam occaſionalem: at iſta nullâ ratione ſtare poſſunt cum his quæ, ut mox vidimus, aſſerit idem author circa inefficaciam cauſarum ſecundarum; quomodo enim Deus non prævenit, ſed expectat cauſam, cujus, Malebranchio docente, nulla eſt actio? Manifeſtè ergo ſibi ipſi adverſatur prædictus author. Totum iſtud illuſtrari poteſt familiari exemplo: artifex horologii varia lamina ferrea ſic diſponit, ut vis elaſtica præcipuo latenti organo innata, motum continuum, & certa menſura temperatum eliciat, quo ſtilus horologii dirigatur; nullus certè ſapiens diceret, motum ſtili, organi, aut laminorum ferreorum determinaſſe voluntatem artificis, cùm hæc omnia motum non habeant niſi ab artifice: idem prorſus dicendum in ſiſtemate Malebranchii, in quo ſoli Deo competit agendi facultas, & creaturæ ſunt merè paſſivæ, ac proinde nonniſi ab ipſo Deo motum recipiunt. Iſtud exemplum videbitur attendenti omnino decretorium.

IV. prædictum cauſarum occaſionalium ſiſtema favet etiam Manichæis; ſequitur ex dictis: ſiquidem illud ſiſtema favet Manichæis, in quo ex una parte ſupponitur in diſpoſitione hujuſce univerſi occurrere manifeſta vitia, quæ non potuit operari aut etiam permittere Deus ſummè bonus & infinitè ſapiens, ſi ſpeciali voluntate res dirigat; ex altera vero parte ſtatuuntur principia, ex quibus conſequens eſt vitia hæc non poſſe refundi in creaturas: ſi enim defectus & vitia univerſi, nec in Deum ſummè bonum, nec in cauſas ſecundas referri poſſint, neceſſariò inde eruitur ſupremo cuidam malo principio eſſe adſcribenda, in quo potiſſimum poſitus eſt Manichæorum error, ſicuti ſæpius obſervat S. Auguſtinus. Atqui Malebranchius primum ex his ſupponit & expreſſè docet Lib. de nat. & grat. alterum verò clarè colligitur ex locis mox citatis Lib. 6. de Inquiſit. verit. parte 2. cap. 3. & Elucidat. in idem caput 3. ubi aſſerit. & multis probat, creaturas eſſe inertes ac merè paſſivas: ſi enim ſint inertes, otioſæ ac merè paſſivæ, manifeſtum eſt illas non poſſe aſſignari tanquam veras cauſas defectuum qui in hocce orbe deprehenduntur; ergo &c.

Unde in ipſum Malebranchium contorqueri poſſunt verba ſancti Auguſtini Lib. 1. contra Julianum cap. 8. *Verbis iſtis tuis Manichæum ſic adjuvas, ut nihil magis optet audire*, quâ manifeſta eſſe vitia in mundo. *Hoc enim accepto, infert & dicit ſibi*, Si manifeſta ſint vitia in diſpoſitione univerſi, *unde erunt, niſi ex malo? Neque enim mala & vitia per ſeipſa repente authore nullo exiſtere potuerunt.....Remanet ergo ut mali natura fuerit ſempiterna, quæ potuerit mala generare..... quod ſi eis te authore conceſſerimus, nihil nobis penitus remanebit, unde illorum neſaria dogmata redarguere valeamus.*

V. non ſolùm athæis & Manichæis, ſed & aliis omnibus erga Religionem minus benè affectis ſuffragatur Malebranchii ſiſtema: primum ſiquidem hujuſce ſiſtematis principium eſt, Deum adſtringi ab ea opera præ cæteris eligenda, quæ ſimplicioribus viis, generalioribus voluntatibus, & maximè expedita ratione fieri poſſunt: principium iſtud ſæpiſſimè inculcat Malebranchius variis in locis. Lib. de nat. & grat. ſerm. 1. art. 43. ſic habet: " Dieu
„eſt obligé d'agir d'une maniere digne de lui, par
„des voyes ſimples, générales, conſtantes & uni-
„formes. *Ibidem art.* 22. La cauſe générale ne doit
„point produire ſon ouvrage par des volontés par-
„ticulieres. *Medit* 11. *n.* 13. N'eſt-il pas évident que
„Dieu ne peut ſe démentir ſoi-même, mépriſer ſa
„ſageſſe ..... qu'étant ſage, il doit agir ſagement;
„étant immuable, il doit agir conſtamment; étant
„une cauſe univerſelle, âgir par des loix générales?
„Un être ſage fera-t-il par des voyes compoſées, ce
„qu'il peut exécuter par des voyes ſimples? Agira-
„t-il par des volontés particulieres, lorſque quel-
„ques volontés générales ſuffiſent? Et ſi une condui-
„te uniforme, conſtante, reglée peut former un ou-
„vrage digne de lui, ſuivra-t-il une conduite bizar-
„re, changeante, dereglée, & qui marque de l'in-
„conſtance & de l'ignorance dans celui qui la ſuit?
Certiſſimum eſt ergo in ſiſtemate Malebranchii, Deum habitâ ratione infinitæ ſuæ ſapientiæ, perfectiſſimæ immutabilitatis, aliorumque attributorum, viis ſimplicioribus, & generalioribus voluntatibus neceſſario operari.

Non minùs certum eſt in eodem ſiſtemate, ex ſolo motu materiæ impreſſo, abſque ullâ ſpeciali Dei voluntate & providentiâ, ſolem, ſtellas, aëra, aquas, aliaque corpora inanimata quæ conſpicimus naſci potuiſſe, eumque inter ſe ordinem obtinere quem miramur: id non ſolum docet, ſed & quâ ratione fieri potuerit, explicare conatur Malebranchius toto cap. 4. 2. part. Lib. 6. de Inquiſ. verit. idem expreſſè aſſerit in Elucidat. pag. 579. his verbis: *Je ſuis perſuadé que les deux regles naturelles qui ſont les plus ſimples de toutes; ſçavoir que le mouvement ſe faſſe ou tende à ſe faire en ligne droite, & que dans le choc les mouvemens ſe communiquent ſelon la proportion de la grandeur des corps qui ſe ſont choqués, ſuffiſent pour produire le monde tel que nous le voyons; je veux dirre le ciel, les étoiles, les planetes, les cometes, la terre, l'eau, l'air & le feu; en un mot les élemens & tous les corps qui ne ſont pas organiſés ni vivans.* Audis ex Malebranchio, juxta duas ſimpliciſſimas motûs leges mox recenſitas, mundum ſicuti nunc eſt coaleſcere potuiſſe.

His tanquam certis in iſto ſiſtemate ſuppoſitis, quid reponeret Malebranchius audaci cuidam ac impio ſic adverſus ipſum ratiocinanti: Ex te, Lib. de naturâ & gratiâ, Deus tenetur ad ea opera præ cæteris ſeligenda quæ ſimpliciori viâ perfici poſſunt: aliunde vero in Inquiſit. verit. veluti conſtans ac indubitatum ſupponis, ex motu materiæ impreſſo juxta duas ſimpliciſſimas motûs leges, abſque ullâ aliâ ſpeciali voluntate, mundum ſicuti nunc eſt, efformari potuiſſe; ergo velis, nolis, ſtando tuis principiis, teneris fateri, hâcce ultimâ ratione, utpote longè ſimpliciori, mundum conditum fuiſſe: non verò uti refertur in Geneſi, ubi creatio deſcribitur à Deo facta non viâ ſimpliciori, ſed per voluntates ſpeciales, quod Deo indignum pronuntias.

An dicet Malebranchius, Deum in condendo mundo occultis de cauſis receſſiſſe à communi & ordinaria agendi ratione? Verùm regeret Religionis adverſarius, ipſumque premet his quæ paſſim aſſerit in ſuis operibus. Lib de naturâ & gratiâ, *Deum adſtringi ad ea opera quæ ſimplicioribus, generalioribus, conſtantibus, certis & æqualibus legi-*

bus perfici poſſunt, Ibidem *Deum non debere operari voluntatibus ſpecialibus.* Meditat 11. *evidens eſſe, Deum*, cum ſit fidelis, non poſſe ſeipſum negare, *cum ſit ſummè ſapiens, non poſſe ſapienter non agere, cum ſit immutabilis, non poſſe non agere via uniformi certa & conſtanti.* Rurſus: *cauſam univerſalem neceſſariò operari juxta leges generales, adeoque voluntate generali.* Denique Elucidat. 3. in Lib. de nat. & grat. *agendi rationem entis ſummè ſapientis, boni, conſtantis & prorſus immutabilis: divino ita exigente ordine, neceſſario debere præ ſe ferre characteres ſapientiæ, bonitatis, conſtantiæ ac immutabilitatis*; ac proinde operari viâ ſimpliciori ac voluntate generali: unde colliget irreligioſus, nec certe videtur quid ipſi reſpondere poſſet Malebranchius, Deum in creando mundo neceſſariò uti debuiſſe voluntate generali, nec ullam, obſiſtente divinâ ſapientiâ, immutabilitate, aliiſque Dei attributis, dari aut fingi poſſe cauſam, quâ ab hâc legi eximi potuerit.

Atque ex his quæ dicta ſunt in iſto & ſuperiori Articulo, ac ſpeciatim in hàcce ultima reſponſione, perſpicuum eſt, ſiſtemata Malebranchii quo ſtatuit Deum in regendis rebus univerſi, non ſpeciali uti voluntate, ſed generali duntaxat, quæ per cauſas occaſionales ad certos quoſdam effectus determinetur; nec neceſſarium eſſe, imò nec ſufficiens diluendis athæorum objectionibus adverſus divinam providentiam petitis ex his præſertim prætenſis quæ videntur eſſe in rerum natura vitiis, & ex varia ſorte hominum ſive proborum ſive improborum, quin inſuper athæorum. Manichæorum, aliorumque erga Religionem minus benè affectorum cauſam plurimum adjuvare, iiſque novo ſuo ſiſtemate Malebranchium, licet inconſultò & incogitanter, maximè ſuffragari.

Incautè ergo ac temerè diſceſſit Malebranchius à communi & conſtanti SS. Patrum ac Theologorum doctrina in explicanda divina providentia circa illos manifeſtos defectus, illa manifeſta vitia quæ in naturali rerum diſpoſitione, & in varia hominum ſive piorum ſive improborum ſorte, occurrere, immeritò ſupponit. Sanius certè ac ſapientius athæos, aliòſque veræ Religionis adverſarios admonuiſſet, ne infirmæ ac imbecilli menti nimium confiderent, ſed potius demirarentur altitudinem ſapientiæ & ſcientiæ Dei; *Quam*, ut loquitur ſanctus auguſtinus Epiſt. 194. alias 105. *non apertè, ſed clauſam miratur Apoſtolus, clamans: O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei? Quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus* Et exclamarent cum eodem Apoſtolo ibidem: *Quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* Vel cum ſancto Auguſtino loco mox citato: *Inveſtigabiles ſunt miſericordia & veritas ejus* (Dei)..... *quæ tamen ita ſibi occurrunt, ut nec miſericordia impediat veritatem,..... nec veritas miſericordiam.* Et rurſus alio in loco: *Latere te æquitas poteſt, eſſe ibi iniquitas non poteſt.*

Ad plenam ac perfectam intelligentiam eorum quæ in præſenti Quæſtione diximus, nonnulla hic ſuperſunt expendenda. 1. an ſoli Deo competat agendi facultas, creaturæ verò ſint merè paſſivæ. 2. an Deus in condendo mundo fecerit omnia quæ naturali ordine ex rebus conditis ſequi debebant. 3. an Deus creaverit rerum omnium ſpecies quas creandas ſibi propoſuit, ita ut nullæ de novo creentur rerum ſpecies, ſed eæ duntaxat quæ ſunt conditæ propagentur. Primum aſſerit Malebranchius, illud ſtatuit tanquam baſim & fundamentum ſui ſiſtematis. Secundum ex parte negat Cartheſius, Circa tertium, ſpecialis quædam eſt recentiorum ſententia. Tria hæc totidem diſtinctis quæſitis, qua poterimus perſpicuitate ac brevitate evolvemus. Itaque

Quæres 1. an ſoli Deo competat agendi facultas creaturæ verò ſint merè paſſivæ: ſeu, quod in idem recidit; an res creatæ verè aliquid efficiant.

Reſp. non unam eſſe hàc de re, tum veterum, tum recentiorum ſententiam.

Prima ſententia, imò impius ac deteſtandus error, aut potius aperta inſania veterum athæorum eſt, qui æſtimarunt nullum omnino ens verè ac propriè activum eſſe; ita Strato Lampſacenus, teſte Plutarcho, adverſùs Coloten; Marcus Cato apud Lucanum Lib. 9. Alexander Epicureus, quem refert Albertus Magnus Lib. 1. phyſic, tract. 3. cap. 13. Almaricus, cujus dogmata commemorat Prateolus in *elencho hæreſeon*; David de Dinando, de quo S. Thomas Lib. 1. contra Gentiles cap. 17. & alii: hoc ævo noſtro errorem hunc exſuſcitavit impius Spinoſa, præcipuè in *ethicis ſuis*, inter opera ſua poſthuma, ubi addit, *omnia neceſſitate fatali atque ineluctabili regi, & ita neceſſariò quam duo & duo eſſe quatuor, & tres angulos trianguli, duobus rectis eſſe æquales, neceſſarium eſt.* Hæc Spinoſa; nomine quidem agnoſcens Deum, re autem negans, dum præcellens iſtud nomen rerum univerſitati tribuit. Abſurdam hanc monſtroſamque opinionem retuliſſe, refutaſſe eſt, ut tamen ejus amentia & impietas magis ac magis innoteſcant.

Refellitur 1. Deus eſt id quo nihil majus & perfectius aut eſſe aut etiam cogitari poteſt: quid autem vilius? quid contemptius ente quod neceſſariò iners eſt otioſum, ac merè paſſivum?

II. Fieri non poteſt ut aſpectabilis hæc ac mira rerum univerſitas ex ſeipſa exiſtentiam habeat; exigit ergo ens ſupremum à quo ſit, cui proinde competat agendi facultas.

III. ſequeretur omnia quæque nefaria, horrenda, atque crimina, æquè perfectas eſſe virtutes, ac inſignia heroum facinora ab hominibus celebrata: ſiquidem juxta ſententiam Spinoſæ, hæc omnia æquè neceſſariò ab eſſentia rerum fluunt, ac proprietates circuli ex ipſius natura.

IV. nihil amentius eſt quam admittere aliquam neceſſitatem, cujus nulla datur cauſa antecedens; hujuſmodi enim neceſſitas nihil differt à caſu & fortuna: porro in ſententia Spinoſæ nulla poteſt aſſignari antecedens cauſa neceſſitatis quam admittit.

V. ex Scripturis, Patribus ratione & ſenſu intimo unicuique evidens eſt, actiones bonas vel malas non ita neceſſariò ſequi ex natura agentis, quam proprietates circuli, v. g. ex ipſius natura fluunt: quis enim ſui compos dixerit, tam neceſſarium fuiſſe ut Cainan fratrem ſuum Abelem interficeret, quam neceſſe eſt ut duo & duo ſint quatuor? Certè ſicuti qui perſpexit duo & duo, evidenter ſcit, horumce numerorum conjunctionem efficere quatuor; ita in principiis Spinoſæ, qui Cainan cognoverat, is evidenter ſcire poterat ab ipſo occidendum Abelem: imò in eadem ſententia omnes uniuſcujuſque hominis actiones, ſive virtutes, ſive peccata etiam futura, tam neceſſariò & evidenter cognoſci poſſunt, ac cognoſcitur duo & duo eſſe quatuor: quod quam ſit abſurdum, nemo non videt.

Secunda ſententia, eaque pariter erronea & abſurda quorumdam fuit dicentium, ita Deum operari omnia in omnibus, ut ſolus ipſe agat omnia, creaturæ verò etiam incorporeæ & purè ſpirituales nihil penitus agant: adeò ut juxta hanc ſententiam,

nec

nec ignis calefaciat, nec aqua refrigeret, nec ſol illuminet, nec intellectus perceptiones, aut volun- taa volitiones verè & propriè operentur; ſed Deus calorem producat ad præſentiam ignis, & frigus ad præſentiam aquæ, & ſic de reliquis. Hanc opinionem referunt Albertus 2. phyſic. tract. 2, cap. 3. & S. Thomas 3. contra gentes cap. 69. & 1. p. q. 105. art. 5. & in 2. diſt. 1. q. 1, art. 4.

Eundem errorem renovavit authot recentior Libri cui gallicè titulus, *De l'action de Dieu ſur les creatures.* Contendit enim præfatus author, perceptiones & volitiones eſſe gradus entis & ſubſtantiæ, ac proinde non poſſe produci per eductionem, ſed duntaxat per veram creationem: unde certo ſequitur, non ab anima, ſed à ſolo Deo immediatè produci realitatea perceptionis, volitionis, aliorumque actuum qui de novo animæ adveniunt: addit idem author, realitatea illas ſeu novaa actiones non contineri in animâ antequam exiſtant, nec eminenter, nec formaliter, ant virtualiter; ac proinde ex illa educi non poſſe.

Juvat hic dicti authoris mentem propriis ipſius verbis exprimere Sect. 1, cap. 3. ſic loquitur: "Ce „premier point de determination, le mouvement „le plus leger & le plua delicat, le plus petit acte, „un ſouffle, pour ainſi dire, un rayon de volonté, „c'eſt toujours un être ajouté a la puiſſance, dont „Dieu qui eſt l'être des êtrea doit être l'auteur & la „cauſe premiere. *Ibidem cap. 4. ſic habet*: S'il a „eleve un nouveau degré d'etre dans le monde, & „que notte ame ſoule en ſeit la cauſe, il faut que „notre ame ait le pouvoit de tirer un être du néant, „ce que l'on ne peut ſoutenir. *Et paulo poſt*: Si l'ame „produiſoir ainſi de nouveaux degrès d'être, ce ſe- „roit une cauſe qui produiroit plus qo'elle ne con- „rient; elle donnera plus qu'elle n'a; elle augmente- „roit ſeule ſon être: or c'eſt ce qui eſt abſurde. Elle „ne tire done point des êtres du néant. Tout être „qui s'éleve dans le monde, ſoit dans les corps, ſoit „dans les eſprits, nous devona le reconnoître com- „me l'ouvrage de celui qui eſt le Créateur des cho- „ſes viſiblea & inviſibles.

Rurſus Sectione 1, cap. 3. Lemmate 1. ſic loquitur: "Unde intelligence creée qui ſelon la ſuppoſi- „tion, acquiert une modalité de plus, acquiert un „nouveau degré d'être; elle augmente en être; elle „en a plus depuis qu'elle a cette modalité, que lorſ- „qu'elle ne l'avoit pas. Dans le moment A, elle n' „avoit ſimplement que le pouvoir d'aimer Dieu; „dans le moment B, elle forme un acte de cet amo- „ur. Or il eſt certain que c'eſt quelque choſe de „plus d'aimer Dieu actuellement, que de pouvoir „l'aimer ſimplement..... Ce quelque choſe n'eſt pas „par conſequent un néant, un rien, une chimere; „mais un être, une realité; & par conſéquent cette „intelligence a dana ce moment une réalité; & un „être de plus qu'elle n'avoit le moment d'upera- „vant; elle eſt augmentée en être, elle en a plus. „Il n'eſt pas néceſſaire d'inſiſter plus long-tems ſur „ce lemme, tout le chapitre précedent en fait la „preuve.

Sectione 1. cap. 2. n. 6. hæc habet: *C'eſt une vérité inconteſtable, que nos ames augmentent en degrés d'être.... nous ſentons que nos penſées varient, nos plaiſirs, nos amours;.... or ces nouvelles penſées, ces nouveaux degrès d'amour étoient-ils auparavant dans l'ame, ou n'y etoient-ils pas? On ne dira pas qu'ils y étoient, puiſqu'on ſuppoſe qu'on vient de les y mettre. Tout ce qu'on pourroit dire, c'eſt qu'ils y étoient equivalemment: mais ce ſeroit une penſée abſurde & intolerable.* Cap. 4. Lemmat. 5. ejuſdem Sect. *Si l'ame produiſoit ainſi de nouveaux degrès d'être; ce ſeroit une cauſe qui produiroit plus qu'elle ne contient; elle donnera plus qu'elle n'a: elle augmenteroit ſeule ſon être. être, Or c'eſt ce qui eſt abſurde.*

Denique Sect. 3, cap. 8. dilucidè aſſerit productionem perceptionis, volitionis, aliarumque animæ modificationum, eſſe actionem omnino ſimilem primordiali rerum viſibilium & inviſibilium creationi. Eo ipſius verba: *Les verités établies dans cette Section, nous offrent une preuve bien ſenſible de l'exiſtence de Dieu & de la création. Car qui peut douter que nes modifications, nos penſées, nos amours, nos ſenſations, changent & ſe diverſifient en mille manieres? Or notre ame ne peut changer ſans perdre ou acquerir quelque nouveau degre d'être; & elle ne ſe donne pas toute ſeule ces degres qu'elle n'a pas, comme on l'a demontré... Ces nouveaux degrés d'être que l'ame acquiert, ne ſe forment point par un arrangement & par une combinaiſon de parties, ni par la compoſition de l'être qu'elle avoit; il y faut du neuf. Or ſur quel pied les impies pourront-ils conteſter la creation primordiale de tous les êtres du monde, ſi on leur montre des productions de degrés d'être tout nouveaux?*

Prolixiora hæc prædicti authoris verba conſultò deſcripſimus, ne videremur minùs ſincere ipſius ſenſa expoſuiſſe, adeò ſanè abſona ſunt & abſurda. Ex his itaque liquet, ipſum tanquam baſim ac palmare fundamentum totius ſui ſiſtematis ſtatuiſſe, ea omnia quæ vulgo dici ſolent modificationes animæ, perceptionea ſcilicet, volitiones, determinationes, aliosque actus tum intellectus tum voluntatis, eſſe non modos, ſed gradus entis & ſubſtantiæ, eſſe entia realia de novo producta, addita & ſuperaddita entitati animæ; quæ in ipſa, antequam exiſtant, nec formaliter nec æquivalenter continentur; quæque idro non per eductionem, ſed duntaxat per creationem produci poſſunt. En principium quod ſexcentis in locis inculcat præfatus author, ex quo velit, nolit, fateatur neceſſe eſt, Deum ſolum eſſe cauſam activam, ac quaſcunque volitiones, perceptiones, determinationes &c. ab anima nullatenus procedere.

Refellitur erronea hæc ſententia.

I. abſurdum eſt quod inſtar palmaris principii adſtruit author quem hic impugnamus, ſcilicet perceptiones, volitiones, aliaſque animæ actiones, eſſe tondem *entia realia de novo producta*: ſiquidem exinde manifeſtè ſequitur, prædictas animæ affectiones eſſe totidem veri nominis ſubſtantias; quidquid enim eſt, illud juxta recentiores Philoſophos, quorum placitis conſtanter adhæret author, vel eſt ens ſeu ſubſtantia, vel modus ſeu modificatio entis & ſubſtantiæ: porro apertum eſt, entia de novo animæ ſupéraddita, quæ ex ipſa educi non poſſunt, ſed per ſolam creationem a Deo produci, non eſſe meras animæ modificationea: ſupereſt ergo ut ſint veri nominia ſubſtantiæ, quo quid abſurdius vix fingi poteſt.

Certè axioma eſt ab omnibus Philoſophia receptum, & ex ipſis ſubſtantiæ viſceribus deductum; duas ſubſtantias eſſe à ſeſe invicem independentes; poſſe ſine ſeſe invicem concipi & exiſtere: quid autem ridiculum magis, quam fingere actionem mentis quæ eſſet ſubſtantia ab ipſa mente independens, realiter diſtincta, quæque ſine illa exiſtere poſſet: vel cognitionem & amorem unius & ejuſdem objecti, tanquam duas ſubſtantias à ſe invicem pariter independentes & realiter diſtinctas?

II. Non minus abſonum eſt quod ſubjungit prædictus author, perceptiones, volitiones &c. eſſe entia realia de novo *addita & ſuperaddita animæ.*

 Con-

Concipi enim nequit, quâ ratione ſubſtantia ſpiritualis per ſe ſimplex & omnis compoſitionis ac partium prorſus expers, poſſit uniri cum aliâ ſubſtantia pariter ſpirituali & ſimplici. Itaque in ſiſtemate quod hic impugnamus, anima & perceptiones, volitiones, aliæque animæ actiones debent ſpectari, ut verbis authoris utar, tanquam variæ ſubſtantiæ *parallelæ* quæ ſimul non concurrunt, ac proinde ſibi invicem uniri nequeunt.

Et verò cum ſubſtantiæ per ſe habeant exiſtentiam, illi ſubſtantiæ gradus quos animæ ſuperaddit author, ſinguli ſuâ fruerentur exiſtentiâ, & anima exiſteret diſtinctim ab illis novis gradibus & realitatibus: ac proinde illi gradus non animæ ſuperadduntur, nec ipſa ab illis augetur, præſertim cum ſubſtantia ſit realiter ſimplex, atque omnem excludat compoſitionem.

III. id quod additur in prædicto ſiſtemate, nimirum perceptiones, volitiones, determinationes &c. nequidem virtualiter contineri in animâ antequam exiſtant, ac proinde non poſſe ex ipsâ educi, ſed immediatè à Deo per creationem produci; illud, inquam, longè gravius eſt, ex quo plura præcipuis fidei capitibus è diametro adversa? neceſſario fluxu conſequuntur.

Sequitur 1. animam eſſe veluti ens inanimatum, iners, ac merè otioſum: ſi qua enim vita aut vis activa animæ competat, in eo maximè poſita eſt quòd poſſit producere volitiones, cognitiones, determinationes &c. jam verò ſi omnia quæ dicuntur animæ modificationes, ſint gradus entis, vera entia, quæ in ipsâ animâ nullatenus continentur, ſed per ſolam creationem produci poſſunt, apertum eſt non poſſe elicere hujuſmodi actiones; cum certum ſit animam virtute creandi non donari. Unde in prædicto ſiſtemate comparanda foret ſubſtantia animæ in ordine ad perceptiones, volitiones &c. cum vetuſtâ quâdam arbore & arido trunco quibus exquiſiti fructus appenſi fuiſſent. nemo certè eſt qui arborem hunc horumce fructuum cauſam aſſerat, & fructus inani trunco non præferat: ita ſanè dicendum de animâ in ſententia adverſarii.

Sequitur 2. actum omnino eſſe de humanâ libertate: res eſt per ſe certa, nec probatione indiget; libertas enim vim activam ad oppoſita eſſentialiter exigit, ut perpetuò docet Doctor Angelicus, præſertim verò in 2. diſt. 25. quæſt. 1. art. 1, ad 2. his verbis: *Ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere poſſit vel non facere*; ac proinde ubi nulla eſt vis activa, nulla facultas agendi, nulla ibi à fortiori reperitur libertas.

Sequitur 3. tolli rationem vitii & virtutis; meriti & demeriti; mercedis & ſupplicii: colligitur ex dictis. Ad meritum enim & demeritum requiritur neceſſariò libertas, teſte eodem Doctore Angelico quæſt. 6. de malo art. unico, ubi hæc habet: *Quidam poſuerunt quod voluntas hominis ex neceſſitate moveretur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur.... Hæc autem opinio eſt hæretica, tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus: non enim videtur eſſe meritorium vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſſit. Eſt etiam annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones: quia non ſolum contrariatur fidei, ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ moralis: ſi enim non ſit aliquid liberum in nobis..... tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum & punitio, & laus & vituperium, circa, quæ moralis Philoſophia conſiſtit.*

Sequitur 4. omnia opera, ſive bona ſive mala, ſoli Deo eſſe adſcribenda: ac proinde Deum eſſe authorem peccati, quod in Luthero & Calvino tanquam hæreticum & impium proſcripſit Synodus Tridentina.

Sequitur 5. ut alia plurima prætermittam, quæ vel leviter attendenti ſtatim occurrent, ſequitur, inquam, quod cogitare horret animus, Deum injuſtitiæ & crudelitatis incuſandum eſſe, cum æternis ſuppliciis addiceret creaturas intellectuales propter mala quædam opera quæ vitare non potuiſſent, imò quæ ab ipſis tanquam à causâ & principio vitaliter non procederent.

IV. idem ſiſtema refellitur iis omnibus momentis quibus mox utemur ad impugnandum hypotheſim Malebranchii circa naturam cauſarum occaſionalium, & inefficaciam cauſæ creatæ.

V. tandem quæ in portentoſæ ſuæ opinionis confirmationem adducit adverſarius, nullius planè roboris ſunt; ac in ipſum meritò contorqueri poteſt tritum illud, *Incidit in Scillam volens vitare Carybdim*: quod quidem manifeſtè patebit obiter percurrendo & expendendo præcipua momenta quibus ſuam ſententiam fulcire conatur.

Aſſerit 1. quod ſi res creatæ pollerent aliquâ efficaciâ, poſſent in ſeipſis & in aliis rebus creatis excitare aliquas modificationes ſeu entitatulas quæ appellantur motus qualitates, quibus entitatulis nihil abſurdius fingi poteſt. Ita præfatus author de actione Dei in creaturas Sect. 1. cap. 1.

Reſpondemus, authorem hunc falſo iſto, quod paſſim obtrudit principio, deluſum. *Quidquid exiſtit, vel eſt ens, vel nihil*; incautè omnino ac temerè affirmare, nihil eſſe abſurdius illis modificationibus quæ dicuntur poſſe excitari à creaturis, vel in ſeipſis, vel in aliis.

Namque I. certiſſimum eſt, nemine Catholico reclamante, animam in ſeipsâ excitare & ſupprimere multas affectiones, modificationes quæ non ſunt ſubſtantiæ, nec entia ſeparatim à ſubſtantia animæ exiſtentia: ſane niſi hæc facultas animæ concederetur, planè actum eſſet de libertate.

II. doctrina eſt ab omnibus Philoſophis veteribus & Theologis recepta, quam proinde, loco mox citato & alibi paſſim, inſulſis irridet dicteriis ex ſubſtantiis ſingularibus modos educi qui non ſint modi ſubſtantiæ, ſed accidentia phyſica realiter diſtincta à ſubſtantia: licet mira videatur & explicatu difficilis hæc doctrina; veriſſima tamen eſt, ex qua multæ aliæ deducuntur veritates maximi momenti, circa naturam v. g. gratiæ, characteris, tranſubſtantiationis &c.

III. duce ſancto Auguſtino, contendunt iidem Philoſophi & Theologi, modum quemlibet v. g. motum ab uno corpore communicari alteri; non quidem quaſi idem numericè modus per communicationem tranſeat ab uno ſubjecto in aliud; ſed ajunt communicationem qualitatum fieri *per contagionem*, ut loquuntur non *per tranſitionem*: id eſt, ex præſentia alicujus modificationis quæ eſt in aliqua ſubſtantia, putant juxta ordinem naturalem excitari ab alia ſimilem modificationem. Sic in ſimili caſu Juliano plerumque reſpondet S. Auguſtinus Lib. 6. contra ipſum cap 18. *Qualitas*, inquit S. Doctor, *non in ſubſtantiam de ſubſtantia tanquam de loco in locum migrat, ut deſerat ubi erat, & quæ fuit ibi, ipſa ſit alibi; ſed alia ejuſdem, quodam operante contagio, quod etiam de morbidis parentum corporibus ſolet evenire naſcentibus.* Et L. 4. adverſus eundem cap. 14. *Nec ſanè tibi dialectica illa mentitur, ſed tu non intelligis. Verum enim eſt quod ibi accepiſti, ea quæ in ſubjecto ſunt, ſicuti ſunt qualitates ſine ſubjecto in quo ſunt, eſſe non poſſe, ...ſed afficiendo tranſeunt, non emigrando: quemadmodum*

modum Æthiopes quia nigri ſunt, nigros gignunt, non tamen in filios parentes colorē ſuum velut tunicam transferunt; ſed ſui corporis qualitate corpus quod de illis propagatur afficiunt. Ibidem obſervat S. Doctor, *qualitates rerum corporalium quomodo de corpore ad ſpiritum, eo modo tranſire de ſpiritu ad corpus.* Demùm concludit his verbis quæ rem noſtram planè conficiunt: *Neque enim Deus ita naturas creat, ut leges auferat quas dedit motibus uniuſcujuſque naturæ: ſic & vitia cùm ſint in ſubjecto, ex parentibus tamen in filios, non quaſi tranſmigratione de ſuo ſubjecto in ſubjectum alterum, quod fieri non poſſe cathegoria illa quas legiſti veriſſime oſtendunt; ſed, quod non intelligas, affectione & contagione pertranſeunt.* Hæc S. Auguſtinus, quæ ſi legiſſet adverſarius, non profecto tot inepta ratiocinia adverſus doctrinam quam hic exponimus, effudiſſet.

Aſſerit 2. motum localem (idem dicendum de aliis modis) poſſe explicari nullâ admiſſâ modalitate; ſi dicamus nempe illum fieri hac ratione: annihilari corpus ubi jam erat, & reproduci in vicino loco, & ſic deinceps uſque dùm conſtitutum fuerit in loco ubi quieſcat: nulla ergo neceſſitas eſt admittendarum modalitatum intrinſecarum. Ita prædictus author Sect. 1. cap. 1. jam citato.

Reſp. ex mox dictis patere, creaturas poſſe modos & modificationes producere in ſeipſis & in aliis ſic poteſt intellectus producere ſuas intellectiones, & voluntas ſuas volitiones: ſic etiam corpora corporibus figuras imprimunt ſuas aut alias, ſolo contactu; quare non poterunt etiam corpora ſemel mota corporibus imprimere motus ſuos? Certè corpora quæ per motum aliunde acceptum poſſunt phyſicè & propriè impingere in alia corpora, poſſunt etiam per motum aliunde acceptum phyſicè & propriè motum imprimere in aliis corporibus; neque enim poſſunt phyſicè impingere in alia, quin faciant phyſicè motum in illa: impetum autem & motum eſſe quid idem, non diffitetur author quem hic impugnamus.

Certè hæc ratio explicandi motûs localis longè facilior eſt ac expeditior eâ quam proponit objectio: impoſſibile enim videtur eandem ſubſtantiam primum annihilari, deinde reproduci; quia ſubſtantia quæ ex nihilo educta eſt, nullo nexu videtur eſſe conjuncta & eadem eſſe poſſe cum ullâ ex ſubſtantiis quæ ante ejus ex nihilo eductionem extiterit.

Adde quod aliud ſit reproducere corpus in diverſis ſucceſſive locis, & ipſum continuo movere de loco in locum: namque reproductio corporis præciſè & uniſè tendit ad continuandam corporis exiſtentiam, motus autem corporis nullatenus tendit ad continuandam exiſtentiam, ſed unicè & præciſè ad continuandam corporis jam aliunde exiſtentis & conſervati correſpondentiam ad diverſa ſucceſſivè loca. Hinc reproductio corporis intelligitur præcedere motum ejus. Hinc ſi (per impoſſibile) corpora intelligerentur non egere perpetuâ Dei conſervatione & reproductione ad exiſtendum, adhuc tamen intelligerentur moveri poſſe de loco in locum per ſucceſſivam applicationem ad diverſa loca. Longè itaque diſtant reproducere corpus in diverſis locis, & movere corpus de loco in locum; ac proinde nullatenus explicari poteſt motus localis, uti contendit author per continuam ac ſucceſſivam reproductionem corporis uſque dùm conſtitutum fuerit in loco ubi quieſcat.

Itaque unum corpus non movet aliud, aliquid ex ſe emittendo in corpus motum, ſed ſolo ſuo contactu: quatenus nempe propriè & phyſicè in ipſum impingendo, impetum ſeu motum in ipſo efficit & excitat, dum omnes illius partes concutit & commovet ſecundùm determinationem quâ fertur corpus illud impingens. Hoc ipſum eſt quod antea dicebamus ex ſancto Auguſtino, motum ab uno corpore communicari alteri per *contagionem*, id eſt, per contactum, non per *tranſitionem*, ſeu emiſſionem alicujus modi realis ab uno corpore in aliud.

Eſt & alia ratio quam nonnulli admittunt, explicandi motus localis facilis & expedita, longè diverſa ab eâ quam velut unicam ac neceſſario admittendam confitenter aſſerit author. Scilicet ſubſtantia aliqua non movet aliam, ut jam obſervavimus, aliquid ex ſe emittendo, ſed quatenus ex præſentiâ ſubſtantiæ moventis quæ in motu actuali conſtituta eſt, ſi ſit corpus; aut ex præſentiâ, actualis ejus voluntatis, ſi ſit ſpiritus, contingit, ut motus excitetur in ſubſtantiâ motâ; idque fit juxta ordinem naturalem quo à Deo limitata eſt ac definita movendi facultas unicuique ſubſtantiæ ſingulari conceſſa. Atque hinc fit, inquiunt authores hujus ſententiæ, quod quælibet ſubſtantia, ſivè ſpiritualis ſive corporea, non poſſit æquè facilè movere maxima corpora ac minima. Cæterum addunt iidem authores, quod ſi Deus voluiſſet ut unaquæque ſubſtantia, vel corporea per ſui præſentiam, vel ſpiritualis per ſimplicem nutum voluntatis, maxima quæque corpora moveret, ita res fieret: quia, inquiunt, nexus qui eſt inter ſubſtantias creatas, eorumque affectus, ſolâ Dei voluntate definitur: hæc autem ratio explicandi motum localem, longe diverſa eſt à ſucceſſivâ & continuâ reproductione corporis moti in diverſis loci partibus. Qui autem fieri poſſit ut prædicta ratio non obſtet activitati & efficaciæ cauſarum ſecundarum corporalium, exponemus ſolvendo objectiones adverſus quintam ſententiam poſtea ſtabiliendam.

Aſſerit 3. non poſſe excitari motum in aliquâ ſubſtantia, niſi creetur entitas illius motûs: porro facultas creandi non competit creaturis; ergo nec facultas agendi: omnis ſiquidem corporalis actio per diverſam partium diſpoſitionem, cujus motus cauſa eſt, commode explicatur, Ita author citato mox loco.

Reſp. 1. ex iſto authoris ratiocinio non immeritò colligi, ipſum prima veteris Philoſophiæ principia ne leviter quidem attigiſſe. Motus, juxta veteres Philoſophos, excitatur per eductionem, non per creationem. Creatio eſt productio rei independenter à ſubjecto; ſeu ex nihilo tùm ſui, tum ſubjecti: eductio fit cùm educitur modus aliquis ex ſubjecto præjacente; & hujuſmodi effectus produci poteſt à creatâ potentiâ, cum ex fide certum ſit animam rationalem multas in ſeipſâ elicere affectiones. 2. ex mox dictis patet, motum in aliquo corpore excitari, non per *tranſitionem* ſeu emiſſionem alicujus modi realis ab uno corpore in aliud, ſed per *contactum*, quatenus nempe unum corpus phyſicè & propriè in aliud impingendo, impetum ſeu motum in ipſo efficit & excitat, dum omnes illius partes concutit ac commovet juxta determinationem quâ fertur corpus illud movens: vel, ut alii volunt, ſubſtantia aliqua movet aliam, quatenus ex præſentia ſubſtantiæ moventis quæ in motu poſita eſt, ſi ſit corpus; aut ex præſentiâ actualis ejus voluntatis, ſi ſit ſpiritus, motus excitatur in ſubſtantiâ motâ: idque contingit juxta ordinem naturalem quo à Deo limitata eſt ac definita vis motrix unicuique ſubſtantiæ ſingulari conceſſa. Porro apertum eſt, utramque hanc motus explicandi rationem neutiquam exigere facultatem creandi

creaturis conceſſam. 3. aut nimium probat, aut non eſt ad rem, prædictum authoris ratiocinium. Nimium probat, ſi ex eo velit evincere, ne quidem creaturas rationales penes voluntatem eſſe activas; cùm eas eſſe liberas, ac proinde activas, fide conſtet. Non eſt autem ad rem, ſi ex eo hoc unum demonſtrare velit, creaturas corporales nihil quidquam efficere, ſed eſſe merè inertes & otioſas. Iſtud enim impræſentiarum non inquiritur, quod poſtmodum inveſtigabimus.

Aſſerit 4. novas actiones quæ adveniunt animæ, nullatenus contineri in illa antequam exiſtant; nam alias quævis anima poſſet intenſiſſimos charitatis Dei actus elicere; ſicque ex natura ſua poſſet acquirere viſionem intuitivam, quod erroneum eſt & abſurdum. Præterea, ſi realitates actionum & habituum virtutis ac ſcientiæ præexiſterent eminenter aut ſaltem virtualiter in unaquaque ſubſtantia ſpirituali, æquè perfectè eſſent omnes ſubſtantiæ rationales, nec vir juſtus præferendus eſſet viro impio; quod pariter erroneum eſt & abſurdum. Denique, ſi anima realitates ſive actionis, ſive habituum compararet, ſuam ſubſtantiam augeret: v. g. ſi quatuor tantùm entis & ſubſtantiæ gradus habuiſſet, quintum gradum ſua agendi virtute ſibi compararet. Abſurdum conſequens; ergo &c. Argumenta hæc, ſeu potius paradoxa, congerit author Sect. 1. cap. 2. 3. & alibi ſæpe.

Reſp. prædictis ratiociniis authorem palam facere, ſanioris Theologiæ principia ab ipſo planè ignorari. Concors enim eſt ac conſtans omnium Theologorum doctrina, præeunte Doctore Angelico, in 2. diſt. 23. quæſt. 1. art. 1. in corp. & diſt. 24. quæſt. 1. art. 1. ad 1. de verit. quæſt. 22. art. 6. in corp. de malo quæſt. 16. art. 5. in corp. rurſus, 1. parte 83. q. art. 3. & 4. in corp. & aliis locis 1. animam eſſe activam. 2. actiones quæ adveniunt voluntati, in ipſa, antequam exiſtant, virtualiter contineri. 3. non exinde tamen ſequi, ipſam poſſe actus ſupernaturales propriis viribus elicere, aut propriam ſubſtantiam augere. Itaque nego antecedens.

Ad primum, diſt. ſi actiones quæ de novo animæ adveniunt, in ipſa continerentur antequam exiſterent, poſſet acquirere viſionem beatificam per potentiam obedientialem, quæ poſtulat elevari auxilio quodam ſupernaturali, concedo: per potentiam naturalem, & ſecluſo omni prorſus uberiori auxilio, nego.

Ad ſecundum, reſpondeo nihil eſſe inſulſius hoc authoris ratiocinio. Simile eſt illi quo quis contenderet nobilem quandam ſtatuam ab induſtrio artifice miro opere ex marmore elaboratam, non eſſe majoris pretii quam marmor brutum, quia ex marmore bruto confecta eſt aut confici poteſt eximia ſtatua. Sic ſolent paradoxa proponere, qui à trita; maximè in rebus theologicis, doctrina recedere amant.

Ad tertium, jam obſervavimus ſubſtantiam ſpiritualem, utpote ſimplicem, & omnis partium compoſitionis expertem, augeri non poſſe ratione ſubſtantiæ. Equidem ſubſtantia ſpiritualis ac libera poteſt acquirere novos modos intrinſecos ac poſitivos; libertas enim eſſentialiter conſiſtit in vi activa & dominio in actus: verum, ut ibidem notavimus, volitiones, perceptiones; aliique actus tum intellectus, tum voluntatis, non ſunt gradus entis aut ſubſtantiæ, ſed meræ modificationes animæ. Certè ſi, ut contendit adverſarius, actus qui adveniunt animæ ſint totidem realitates, aliunde verò nullas de novo realitates acquirere poſſit anima, profectò neceſſario fluxu ſequitur ipſam nullo ſenſu propriè dicto cauſam eſſe ſuarum actionum quod alienum prorſus eſt à conſtanti Eccleſiæ catholicæ doctrinâ circa libertatem activam unicuique homini ad merendum & demerendum in præſenti ſtatu naturæ lapſæ neceſſariam.

Aſſerit 5. ſi anima ſeſe determinaret ad agendum hic & nunc, tali ſcilicet loco, tempore, aliiſque circumſtantiis; vel illa determinatio immediatè ab anima procederet, vel ab ipsâ proficiſceretur mediante aliâ determinatione: ſi primum, ergo anima non magis poſſet ab illâ determinatione ſeparari, quam à ſeipsâ; nec poſſet aſſignari legitima ratio cur anima eadem manens potius produceret his in circumſtantiis talem determinationem, quam in aliis: ſi ſecundum, eadem rurſus quæſtio fieret de iſta altera determinatione, ſicque eſſet progreſſus in infinitum; ergo prorſus impoſſibile eſt ut anima ſeipſam determinet, ſeu eliciat & operetur in ſeipſa primam ſuam determinationem: neceſſum eſt ergo ut illa animæ determinatio ad agendum à Deo ſolo producatur. Ita fermè anonymus citata ſæpius Sect. 1. cap. 3. & 4. & alibi.

Reſp. 1. idem argumentum proponi poſſe adverſus libertatem & determinationem Dei, Chriſti, Angelorum, Beatorum, & primi hominis in ſtatu innocentiæ: qua ſcilicet ratione contingere poſſit, ut cauſa libera de non agente fiat agens, de non volente volens, de indeterminata & indifferenti determinata, abſque ulla præcedente additione vel ſubtractiône alicujus entitatis intrinſecæ. Id certè mirum, veriſſimum tamen, & ſenſu intimo notiſſimum.

Et ipſa Spinoſa hujuſmodi ductus argumento, negavit Deum liberè determinari ad agendum, aſſeruitque Deum in omnibus natura quadam & ineluctabili neceſſitate agi. Simili etiam objectione motus, imbecillique ratione nimium confiſus, de medio ſuſtulit omnem cauſam effectricem & productivam ſubſtantiæ, nec niſi materialem admiſit, ex qua modificationes duntaxat procedunt. Si ſubſtantia, inquit ille *in Ethicis ſuis* inter opera ſua poſthuma, produceret aliam ſubſtantiam, vel eam produceret immediatè per ſe, vel per aliam ſubſtantiam. Si immediatè per ſeipſam producit aliam ſubſtantiam, non poterit magis ſeparari ab illa ſubſtantia producta, quam à ſeipſa, nec erit ratio cur ab ipſa diſtinguatur. Si per aliam ſubſtantiam, rurſus quæritur quomodo illa producta fuerit, & ſic in infinitum. verùm & Spinoſæ & authori opponimus doctrina vera ac catholica quam expoſuimus ubi de attributis, nimirum Deum liberè ſeipſum determinare ad agendum & ad producendam hanc potius quam aliam ſubſtantiam abſque ullo in infinitum progreſſu.

Reſp. 2. Doctorem Angelicum jam pridem objeciſſe & ſolviſſe quod hic nobis opponit anonymos, ſcilicet quæſt. 3. de potentiâ art. 7. Lib. 1. cóntra gentes cap. 68. 1. parte quæſt. 83. art. 1. &c. cujus reſponſiones ibidem legi poſſunt: interim ex doctrina quam iis in locis & alibi tradit S. Doctor, liquet apprimè diſtinguendum eſſe inter duas iſtas propoſitiones. 1. voluntatem non eſſe primam cauſam ſuæ determinationis, nec poſſe ſeipſam movere independenter à Deo præviè aut ſaltem ſimultaneè influente, quod ſanè certiſſimum eſt, & ab omnibus cujuſcunque Scholæ Theologis conceſſum. 2. voluntatem nullatenus eſſe cauſam ſuæ determinationis, nec poſſe etiam ſub Deo influente ſeſe movere, quod certè falſiſſimum eſt, & ab omnibus Catholicis exploſum tanquam hæreticum, utpote activitati & libertati voluntatis creatæ directâ fronte adverſum. Porro

obje-

objectio quam proponit anonymus, probat dumtaxat voluntatem noo poſſe independenter à Deo & tanquam primam cauſam ſeſe ad agendum determinare.

Audiatur hanc iu rem S. Doctor 1. parte q. 83. art. 1. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quod liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus, quia homo per liberum arbitrium ſeipſum movet ad agendum, non tamen hoc eſt de neceſſitate libertatis quod ſit prima cauſa ſui id quod liberum eſt; ſicut nec ad hoc quòd aliquid ſit cauſa alterius requiritur quòd ſit prima cauſa ejus. Deus igitur eſt prima cauſa movens & naturales cauſas & voluntarias; & ſicut naturalibus cauſis movendo eas non aufert quin actus earum ſint naturales, ita movendo cauſus voluntarias non aufert quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit* Idem habet 1. 2. quæſt. 21. art. 4. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd homo ſic movetur à Deo ut inſtrumentum, quod tamen non excludit quin moveat ſeipſum per liberum arbitrium.* Idem reperir 1. p. q. 109. art. 2. ad 1. & 1. contra gentea cap. 68. jam citato. Ex quibus patet hæc duo ſimul rectè conciliari poſſe juxta ſanctum Doctorem, primum, quòd voluntas ſeſe moveat & determinet ad agendum: alterum, quòd ad hanc determinationem indigeat auxilio & influentia cauſæ ſuperioris.

Reſp. 3. Equidem non facile concipi quâ ratione aliqua determinatio ab animâ immediatè fiat, non præcedente aliâ determinatione; ſed licet id facilè concipi non poſſit, fatendum tamen eſt rem ita eſſe, de quo unuſqoiſque ſenſu intimo ſibi certò conſcius eſt. Et vero multa paſſim occurrunt in naturâ quæ ſatis mirari nou poſſumus & nulla ratione comprehendi valent, quæ tamen ſi quis negaret, planè deſiperet, ut eſt diviſibilitas contioui, natura evidentiæ, lucis &c. *Multa Deus occultat*, inquit S. Auguſtinus, *quæ nobis prode non podeſt.*

Cæterum addo de ratione entis formaliter liberi eſſe, ut per ſuam entitatem eandem, ac proinde ſeipſo immediatè ſine ſui mutatione, & abſque ullâ præcedente addirione vel ſubtractione alicujus entitatis intrioſecæ, poſſit pro libertate ſuâ (cum auxilio Dei, vel prævio, vel ſimultaneo, pro diverſis Theologorum ſententiis) cùm lubet, facere, aut determinatè hoc, aut determinatè oppoſitum aut neque hoc, neque oppoſitum, ſi poteſt habere ſe merè negativè, ut poteſt libera voluutas creaturæ: quâ raſponſiouc qui quærit aliam ulteriorem rationem phyſicam, ille ſanè naturam libertatis quæ eſt facultas activa & ſui ipſius determinatrix ad oppoſita, vel non ſatis intelligit, vel nou conſiderat.

Tandem obſervant nonnulli varias cogitationes quæ in animâ occurrunt, multùm conducere ad determinandam voluntatem, ac proinde non requiri progreſſum in infinitum in illâ animæ determinatione. Quòd ſi quis plenam ex dictis cognitionem ſe habere non ſentiat difficultatis propoſitæ, meminerit illius ſententiæ Sapientia Eccleſiaſt. 3. de quâ di imus ſupra; *In pluribus operibus ejus* (Dei) *non ſis curioſus, plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi.* Meminerit inſuper multa occurrere quæ certo cognoſcimus eſſe, licet qua ratione fiant, nullo prorſus pacto concipere valeamus, ut ſunt concordia libertatis divinæ cum ipſius immutabilitate, compoſitio continui &c.

Qui pluta volet circa erroneam hanc ſententiam, adeat authores qui ſcripſerunt adverſus anonymum ac præ cæteris Malebranchium, qui authorem hunc datâ operâ egregiè confutat in Libro cui gallicè titulus, *Reflexions ſur la premotion phyſique.*

Tertia ſententia circa vim & efficaciam cauſarum ſecundarum, eſt Malebranchii, cujus hâc in parte doctrina ad hæc capita commodè revocari poteſt.

Docet 1. Generatim Deum ſolum eſſe poſſe veram & propriam motùs aut cujuslibet alterius effectùs naturalis cauſam efficientem: ac proinde ita Deum omnia in omnibus operari, ut ſolus ipſe agat omnia; creaturæ vero nihil penitus verè & propriè agant. Ita Malebranchius de Inquiſit. verit. Lib. 6. parte 2. cap. 3. his verbis: *Il eſt néceſſaire d'établir clairement les vérités qui ſont oppoſées aux erreurs des anciens Philoſophes, & de prouver en peu de mots qu'il n'y a qu'une vraye cauſe, parce qu'il n'y a qu'un vrai Dieu, que la nature ou la force de chaque choſe n'eſt que la volonté de Dieu, toutes les cauſes naturelles ne ſont point de véritables cauſes, mais ſeulement des cauſes occaſionelles.* Et paulo poſt: *Il n'y a donc qu'un ſeul vrai Dieu & qu'une ſeule cauſe qui ſoit veritablement cauſe...., corps, eſprit, ſe pure intelligence, tout cela ne peut rien. C'eſt celui qui a fait les eſprits, qui les eclaire & qui les agite.* Idem repetit in elucidatione in præſens caput, & comment. 4. in tractatum *de natura & gratia*: atque in libello qui eſt ad calcem ejuſdem tractatus; ubi addit ſententiam quæ docet activitatem & efficaciam cauſarum ſecundarum, eſſe vanam, inanem ac paganam Philoſophiam, ex quâ facile eſt erucre plurima corollaria Religioni prorſus adverſa.

Docet 2. Creaturas rectè dici poſſe cauſas uon quidem veras & proprias, ſed naturales, occaſionales, morales & proaimas motuum, aut effectuum naturalium; quatenus nempe poſſunt aliis creaturis occaſionem præbere ut moveantur: v.g. cùm materia ſubtilis incurrit in craſſa corpora, ut cùm globus aliquis incurrit in alterum globum, incurſus iſte eſt occaſio cur author naturæ Deus corpora transferat de loco in locum juxta leges à ſe ſancitas. Ita loquitur citato modo cap. 3. Libri 6. de Inquiſit. verit. "Il eſt évindet que tous les corps, „grands & petits n' oot point. la force de ſe remüer... Ainſi lea corps n' ont aucume action, & lorſ„qu'une boulc qui ſe remuë, en rencontre & en „meut une autre, elle ne lui communique rien qu' „elle aitcar elle n'a pas elle-même l'impreſſion qu' „elle lui communique. Cependant une boule eſt „une cauſe naturelle du mouvement qu'elle com„munique. Une cauſe naturelle n'eſt donc pas une „cauſe réelle & véritable, mais ſeulement une cauſe „occaſionelle, & qui determine l'auteur de la natu„re à agir de telle & telle maniere, en telle & telle „recontre... Toutes les forces de la nature ne ſont „que la volonté de Dieu; Dieu a créé le monde par„ce qu'il l'a voulu, & il remuë toutes choſes, & pro„duit ainſi tous les effets que nous voyons arriver, „parce qu'il a voulu auſſi certaines loix ſelon leſ„quelles les mouvemens ſe communiquent à la ren„contre des corps; & parce que ces loix ſont effica„ces, elles agiſſent, & les corps ne peuvent agir. *Et „Elucidat. ultima in tract. de nat. & grat.* Dieu fait „tout; & ainſi il ne communique ſa puiſſance aux „creatures qu'en les établiſſant cauſes occaſionelles „pour produire certains effets.

Docet 3. Vim omnem ac efficaciam quantulacunque ſupponatur, eſſe quid divini ac proinde infiniti: addit eos qui talem vim ac efficaciam creaturis tribuunt, videri Paganos imitari qui plures agnoſcebant deos. Sic habet Medit. 9. n. 7. *Hors de Dieu il n'y a point de puiſſance véritable: & toute efficace, quelque petite qu'on la ſuppoſe, eſt quel-*

que

que choſe de divin & d'infini. Et Lib. 6. de Inquiſit. verit. parte 2. cap. 3. *Que ſi l'on vient enſuite a conſiderer attentivement l'idée que l'on à de cauſe en de puiſſance d'agir, on ne peut douter que cette ideé ne repreſente quelque choſe de divin..... On admet donc quelque choſe de divin dans tous les corps qui nous environnent, lorſqu'on admet des facultés capables de produire certains effets par la force de leur nature; & l'on entre ainſi inſenſiblement dans le ſentiment des Payens par le reſpect que l'on a pour leur Philoſophie. Il eſt vrai que la foi nous redreſſe, mais peut-être que l'on peut dire, que ſi le cœur eſt chrétien, le vont de l'eſprit eſt payen.*

Docet 4. ſpeciatim quod ſpectat Angelos, homines, aliaſque creaturas intellectuales, ipſas eſſe cauſas, non phyſicas & efficientes, ſed morales duntaxat & occaſionales cujuſcunque modificationis corporeæ; adeo ut Angelus ne vel minimum corpus movere, aut alium effectum naturalem verè & propriè operari poſſit. Sic habet ſæpius citato cap. 3. de Inquiſit. verit. *Non-ſeulement les corps ne peuvent être la cauſe veritable de quoique ce ſoit, les eſprits les plus nobles ſont dans une ſemblable impuiſſance.* Et poſtea: *Il me parois tres-certain que la volunté des eſpits n'eſt pas capable de mouvoir le plus petit corps qu'il y ait au monde: car il eſt évident qu'il n'y a point de liaiſon néceſſaire entre la volenté que nous avons, par exemple, de remuer notre bras, & le mouvement de notre bras.*

Docet 5. eaſdem ſubſtantias ſpirituales eſſe inertes, otioſas ac merè paſſivas reſpectu perceptionum, intellectionum, cognitionum, aliorumque actuum qui ad intellectum pertinent: unde in ſententia Malebranchii, intellectus eſt facultas merè paſſiva, quæ nullam proinde vim activam includit; atque hinc, juxta ipſum, natura intellectus unice poſita eſt in facultate recipiendi ideas: atque hinc etiam perpetuo comparat facultatem quam habet materia recipiendi diverſas figuras, diverſas configurationes, cùm illa quæ competit animæ recipiendi diverſas ideas variaſque modificationes. Ita præſertim initio Lib. 1. de Inquiſit. veritatis, ubi ſic habet: *La premiere & la principale des convenances qui ſe trouvent entre la faculté qu'a la matiere de recevoir differentes figures & differentes configurations, & celle qu'a l'ame de recevoir differentes ideés & differentes modifications, c'eſt que de même que la faculté de recevoir differentes figures & differentes configurations dans les corps, eſt entierement paſſive, & ne renferme aucune action; ainſi la faculté de recevoir differentes idees & differentes modifications dans l'eſprit, eſt entierement paſſive, & ne renferme aucune action.* Idem non minus clare exprimit Elucidat. 2. in caput 1. Lib. 1. *Il ne faut pas croire que l'entendement obéiſſe à la volonté, en produiſſant en lui-même les idées des choſes que l'ame deſire: car l'entendement n'agit point, il ne fait que recevoir la lumiere ou les idees de ces choſes.*

Docet 6. Deum animæ & cuicunque ſubſtantiæ ſpirituali perpetuo imprimere motum quemdam naturalem, indeliberatum & invincibilem verſùs bonum generatim, bonum indeterminatum, Deum ſcilicet; in quo quidem motu eſſentiam voluntatis formaliter poſitam eſſe contendit Lib. de natura & gratiâ ſerm. 3. parte 1. n. 1. his verbis: *Or le mouvement naturel & continuel de l'ame vers le bien en général, vers le bien indeterminé, vers Dieu; c'eſt-ce que j'appelle ici volonté, parce que c'eſt ce mouvement qui rend la ſubſtance de l'ame capable d'aimer differents biens.* Porro, ſubdit idem author, licet motus ille verſùs bonum generatim neceſſarius ſit & invincibilis, nec voluntas poſſit eum penitùs ſiſtere; attamen ſi conſideretur in ordine ad bona particularia, nullatenus invincibilis eſt, ſed voluntas poteſt pro nutu ſuo in quam voluerit partem, in hoc vel illud objectum, hunc motum flectere ac determinare; in eâ poteſtate libertatem voluntatis conſiſtere exiſtimat; atque in eo præcipuum conſtituit diſcrimen, voluntatem inter & materiam, quæ, utpote iners, motum quem ab authore naturæ recipit, nec ſiſtere, nec in unam potiùs quàm alteram partem flectere valet: ita citato mox capite 1. Libri 1. "Il y a une difference fort „conſiderable entre l'impreſſion ou le mouvement, „que l'auteur de la nature produit dans la matiere, „& l'impreſſion ou le mouvement vers le bien en „général que le méme auteur de la nature imprime „ſans ceſſe dans l'eſprit: car la matiere eſt toute ſans „action: elle n'a aucune force pour arrêter ſon „mouvement, ni pour le determiner & le detour„ner d'un côté plutot que d'un autre:..... mais il n'„en eſt pas de même de la volonté; on peut dire en „un ſens qu'elle eſt agiſſante, & qu'elle a en elle„même la force de determiner diverſement l'incli„nation ou l'impreſſion que Dieu lui done. Car „quoiqu'elle ne puiſſe pas arrêter cette impreſſion, „elle peut en un ſens la detourner du côte qu'il lui „plait, & cauſer ainſi tout le dereglement qui ſe „rencontre dans ſes inclinations. *Et Elucidatione in „idem caput*: Si l'on prétend que vouloit differen„tes choſes, c'eſt ſe donner differentes modifica„tions: je demeure d'accord qu'en ce ſens l'eſprit „peut ſe modifier diverſement par l'action que „Dieu met en lui. *Rurſus Lib. de naturâ & gratiâ „ſerm. 1. n. 3.* Nutré volnnté eſt libre: c'eſt-à-dire, „le mouvement naturel de l'ame vers le bien en „général, n'eſt point invincible à l'ègard du bien „en particulier.

Denique Lib. 6. de Inquiſit. verit. parte 2. cap. 3. ſic habet: *Les eſprits peuvent determiner l'impreſſion que Dieu leur done pour lui, vers d'autres objets que lui; je l'avoue, mais je ne ſçai ſi cela ſe peut appeller puiſſance..... Mais quand on ſuppoſeroit, ce qui eſt vrai en un ſens, que les eſprits ont en eux-mêmes la puiſſance de connoître la vérité & d'aimer le bien, ſi leurs penſées & leurs volontés ne produiſoient rien au dehors, on pourroit toujours dire qu'ils ne peuvent rien. Or il me paroit très-certain que la volonté des eſprits n'eſt pas capable de mouvoir le plus petit corps qu'il y ait au monde.*

Porro doctrinam quam mox expoſuimus, his potiſſimum momentis ſtabilire conatur præfatus author. 1. in Scripturis diſerte aſſeritur Deum omnia operari; ergo, inquit, vis activa creaturis non competit. 2. ſi creaturæ præditæ eſſent vi activâ, amor, timor, cultus, aliaque Religionis officia ipſis deberentur, quia per ſuam efficaciam proximæ eſſent cauſæ noſtræ beatitudinis. 3. Deus facultatem activam non poteſt creaturis communicare, quin eo ipſo omnipotentiam ſuam eis communicet: vis enim activa facultatem creandi, atque adeo aliquid divinum & infinitum importat. 4. In ideâ rei creatæ non continetur vis activa: imò quid ſit prætenſa illa vis mente concipi nequit; meritò ergo negatur talem facultatem creaturis etiam liberis communicari poſſe. 5. denique nulla apparet connexio neceſſaria inter voluntatem mentium creatarum & motum corporis, aut alium effectum naturalem; imo evidenter apparet nullam eſſe nec eſſe poſſe talem connexionem:

cùm

Cùm verò attendimus ad ideam Dei entis infinitè perfecti & proinde omnipotentis, ſtatim concipimus tantam eſſe connexionem inter voluntatem ejus & motum corporis, ut impoſſibile ſit Deum velle moveri corpus aliquod, quin illud ſtatim moveatur: ex quo infert ſolam Dei voluntatem poſſe movere corpora.

Totum iſtud ſummatim complexus eſt Malebranchius Lib. 6. parte 2. cap. 3. his verbis: „Mais non ſeulement les hommes ne ſont point les „véritables cauſes des mouvemens qu'ils produi„ſent dans leurs corps, il ſemble même qu'il y ait „contradiction qu'ils puiſſent bêtre. Cauſe véritab„le eſt une entre laquelle & ſon effet l'eſprit apper„coit une liaiſon néceſſaire. Or il n'y a que l'être in„finiment parfait, entre la volunté duquel & les ef„fets l'eſprit appercoit une liaiſon nèceſſaire, Il n'y „a donc que Dieu qui ſoit véritable cauſe, & qui ait „véritablement le pouvoir de mouvoir les corps. Je „dis de plus qu'il n' eſt pas concevable que Dieu „puiſſe communiquer aux hommes ou aux Anges „la puiſſance qu'il a de remuer les corps; & que ce„ux qui pretendent que le pouvoir que nous avons „de remuer nos bras, eſt une véritable puiſſance, „doivent avouer que Dieu peut auſſi donner aux „eſprits la puiſſance de creer, d'anéantir, de faire „toutes les choſes poſſibles, en un mot, qu'il peut „les rendre tout puiſſans. *Et paucis interjectis ſic* „*proſequitur & concludit*: Il n'y a donc qu'un ſeul „vrai Dieu & qu'une ſeule cauſe qui ſoit véritable„ment cauſe: & l'on ne doit pas s'imaginer que ce „qui precede un effet, en ſoit la veritable cauſe. „Dieu ne peut méme communiquer ſa puiſſance „aux creatures, ſi nous ſuivons les lumieres de la „raiſon: il n'en peut faire de véritable cauſe, il n'en „peut faire des dieux. *Hæc Malebranchius.*

Verum quam hæc vana ſint & infirma, ſequentia demonſtrabunt, ex quibus patebit leviotibus certe de cauſis hâc in parte receſſiſſe à communi & tritâ, ut ipſe fatetur, Philoſophorum & Theologorum doctrinâ. Itaque.

Refellitur primum caput expoſitæ mox Malebranchii doctrinæ, quia falſum eſt quod fundamenti loco generatim ſtatuit Malebranchius, Deum ſolum eſſe poſſe veram & propriam cauſam efficientem cujuſcumque, etiam modificationis: fide enim ſimul ac ratione conſtat dari creaturas liberas, ac proinde active indifferentes: porro activæ hujus virtutis terminus profectò eſt modificatio quædam ſpirituâlis. volitio ſcilicet, determinatio &c. falſum eſt ergo Deum ſolum eſſe cauſam efficientem cujuſcunque etiam modificationis.

Refellitur quod ſecundo loco docet prædictus author, nempe creaturas eſſe poſſe cauſas occaſionales ſeu morales motuum, aliorumve effectuum naturalium: in tantum enim creaturæ intelligentes, v. g. poſſent eſſe cauſæ occaſionales, in quantum deſiderius ſuis ac votis Deum ad agendum determinarent: porro ſi Deus eſt author cujuſcunque modificationis, ex primo authoris principio, quomodo poſſunt creaturæ intelligentes producere deſideria quibus Deus determinatur ad operandum? Certè deſiderium eſt modificatio: Deus ſolus eſt author cujuſcunque modificationis; ergo &c. Denique una ex præcipuis ad cauſam occaſionalem conditionibus, eſt, ut ipſa Deum determinet nec ab ipſo determinetur, ut ſupra audivimus ex authore, Lib. de naturâ & gratiâ ſerm. 2. Deſideria ergo & vota creaturarum intelligentium non poſſunt eſſe cauſæ occaſionales, niſi ita determinent Deum ut ab ipſo non determinentur, neque enim admitti poteſt aut debet progreſſus in infinitum; ergo Deus ſolus non eſt vera ac propria cauſa cujuſlibet motus ac modificationis; ergo prima duo adverſarii fundamenta inter ſe pugnant.

Refellitur quod tertio loco aſſerit Malebranchius, vim omnem activam quantumcunque exiguam, aliquid divini ac infiniti importare, nec Deum poſſe talem vim creaturis communicare, quin eo ipſo omnipotentiam ſuam ipſis communicet: refellitur, inquam, iſtud invictè, quia libertatem ſeu activam creaturarum liberarum indifferentiam funditùs evertit. Si enim valeret quod hic inſtar principii ſtatuit adverſarius, meritò poſſet inferri nulli creaturæ competere vim activam, ac proinde nec libertatem, quæ in activa indifferentia eſſentialiter conſiſtit: porro fide certum eſt, nec diffitetur Malebranchius, dari creaturas liberas; ergo &c. Sicut itaque cum Deus voluit creaturas exiſtere, non ideo voluit ipſis communicare quam ipſe habet exiſtentiam, ſed duntaxat exiſtentiam finitam ſuæ ſubordinatam: ita cum voluit creaturas modificationum ſuarum aliorumque motuum cauſas, non ideo voluit ipſis communicare ſuam omnipotentiam, ſed duntaxat potentiam finitam ſuæ ſubordinatam; quæque à divina non minus eſt diverſa, quam eſſe creatum diverſum eſt ab eſſe Dei.

Refellitur quartum Malebranchii principium quamlibet creaturam, ac proinde animas & Angelos eſſe cauſas occaſionales duntaxat cujuſcunque modificationis corporeæ: cùm enim Angeli & animæ rationales veræ & propriæ cauſæ ſint ſuarum modificationum liberarum, volitionum ſcilicet, determinationum &c. nullum certè aſſignari poteſt motivum cur ipſis denegetur virtus ac efficacia producendi alias modificationes, præſertim corporeas, quæ ſunt longè ignobiliores.

Et verò virtus illa phyſica & efficiens denegari non poteſt naturis intelligentibus, niſi quia repugnaret aut naturæ modificationis generatim, aut naturæ modificationis corporeæ, aut naturæ ſpiritus at nullum ex his dici poteſt.

Non primum: neque enim ea eſt generatim modificationis natura, ut non poſſit produci niſi à cauſa infinitæ virtutis: ſiquidem voluntas liberas ſuas modificationes producit, volitiones, ſcilicet, determinationes &c.

Non ſecundum: Deus enim nequit eſſentias mutare, aut efficere quod repugnat: porrò Deus motum & aliam quamlibet modificationem corpoream producit.

Non tertium: quia ſpiritus poteſt producere modificationem nobiliorem motu, ſcilicet modificationem ſpiritualem; ergo nihil obſtat quominus poſſit eſſe cauſa efficiens motus ac cujuslibet alterius modificationis corporeæ. Verum hæc fuſius proſecuti ſumus Quæſt. 5. de Angelis Art. 3. quæ conſuli poſſunt. Ibidem obſervavimus Scripturam, SS. Patres & Theologos unanimi conſenſu virtutem hanc phyſicam & efficientem producendi modificationes corporeas, mentibus, ac præcipuè Angelis abſcribere.

Refellitur quod quintò tradit circa diſcrimen intellectum inter & voluntatem: illud quippe conſtituit in eo quòd intellectus ſit merè paſſivus reſpectu ſuarum perceptionum, intellectionum &c. voluntas vero activa reſpectu ſuarum volitionum, determinationum &c. Nam præterquam quòd ea voluntatis activitas ſtare nequit cum iis quæ generatim ſæpius ſtatuit, Deum ſolum poſſe eſſe veram & propriam cauſam.

I. Certum eſt nullum firmum hujuſce diſcriminis

nis aſſignari poſſe momentum. Unde enim contingeret quòd anima reſpectu perceptionum potius quam volitionum merè paſſivè ſe haberet?

Non certè ratio creaturæ generatim id ipſum poſtulat, quaſi repugnaret actionem creaturæ competere: alias, cum anima non minus rationem creaturæ obtineat reſpectu volitionum, quam reſpectu perceptionum, inde conſequens foret vim ſeſe determinandi ad hanc vel illam actionem in particulari, voluntati minimè competere; quod tamen fidei, rationi ac ſenſui intimo directè adverſari, expreſsè fatetur author Elucidat. 1. in caput primum Lib. 1. de Inquiſit. verit. his verbis: " je „reponds que la foi, la raiſon & le ſentiment inté„rieur que j'ai de moi-même, m'ont obligé de quit„ter la comparaiſon de l' ame avec la matiere où je „la quitte: car je ſuis convaincu en toutes manieres, „que j' ai en moi-même un principe de mes deter„minations; & j' ai des raiſons pour croire que la „matiere n' a point de ſemblable principe."

Non etiam ratio ac natura ſubſtantiæ ſpiritalis exigit ut ſit activa penès voluntatem, paſſiva verò penes intellectum: imò potius, cùm enim ſubſtantia ſpiritalis ſimplex ſit & omnis prorſus partium compoſitionis expers, qui aſſerit eam eſſe activam reſpectu unius facultatis, nimirum voluntatis, fateatur neceſſum eſt, eam eſſe abſolutè & ex naturâ ſuâ activam, ac proinde etiam in ordine ad intellectum: maximè cùm intellectus & voluntas non ſint entia à ſe invicem re diſtincta; ſed una & eadem ſpiritualis ac ſimplex ſubſtantia diverſimodè ſpectata.

Non denique allatum diſcrimen erui poteſt ex comparatione quam perpetuò inſtituit & urget author animam inter & materiam, quæ cum paſſiva ſit reſpectu diverſarum figurarum ac configurationum quas ſuſcipit, inde concludit Malebranchius, animam quoque debere paſſivè ſe habere reſpectu idearum ac aliarum modificationum intellectus: verùm cum prædicta comparatio falſa ſit reſpectu facultatis quæ competit materiæ ſuſcipiendi diverſos motus collatæ cum facultate quæ competit animæ ſuſcipiendi diverſas inclinationes & volitiones; ſiquidem prior facultas merè paſſiva eſt, altera verò, conſentiente ipſomet Malebranchio, activa, peſſimè colligitur veram eſſe & admittendam hanc eandem comparationem intellectum inter & materiam habitâ ratione facultatis recipiendi diverſas configurationes.

Et verò ideo materia iners eſt ac merè paſſiva reſpectu variarum figurarum quas ſuſcipit, quia iners eſt ac paſſiva reſpectu ſui motus: ſi enim ſeipſam movere poſſet, profectò poſſet etiam variis ſeſe donare configurationibus, ut per ſe clarum eſt: porro, ut fatetur author, inclinationes determinationes, volitiones &c. ſe habent in ordine ad animam, quemadmodum motus, quantitas motus, & ipſius determinatio ſe habent in ordine ad materiam; ergo vis activa quæ competit animæ in ſeipsâ producendi diverſas volitiones, inclinationes &c. non obſcurè demonſtrat parem ipſi facultatem competere producendi diverſas perceptiones.

II. Explicari nequit quâ ratione voluntas ſit libera, niſi intellectus ſit activus reſpectu cujuſdam perceptionis. Namque, juxta authorem, anima ſpectata quatenus indeliberatè & neceſſariò mota versùs bonum in communi, non poteſt in hoc vel illud bonum particulare, motum hunc flectere ac inclinare; (in quo eſſentiam libertatis conſtituit Malebranchius) niſi in quantùm eadem anima ſpectata ut capax idearum & perceptionum efficere poteſt ut intellectus attendat ad hoc particulare bonum quod priùs non cognoſcebat. Ita author Lib. 1. de Inquiſit. verit. cap. 1. his verbis: *L' eſprit, conſideré comme pouſſé vers le bien en general, ne peut determiner ſon mouvement vers un bien particulier, ſi le même eſprit, conſideré comme capable d' idées, n' a la connoiſſance de ce bien particulier,* Porro mens non poteſt attendere ad objectum quod priùs ignorabat, niſi beneficio cujuſdem perceptionis quâ antea carebat; ergo etiam in principiis authoris, anima non poteſt eſſe libera, niſi penès ipſam ſit novas perceptiones perinde ac novas inclinationes in ſemetipſa efformare.

Deinde cum voluntas, juxta vulgare adagium, ſit potentia omnino cæca quæ ferri non poteſt niſi circa objecta quæ ipſi ab intellectu proponuntur, non certè concipitur qua ratione voluntas circa hoc vel illud objectum ferri poſſit, adeoque ſit libera, ſi mens ipſa omnino iners ſit & otioſa ac merè paſſiva reſpectu omnium ſuarum perceptionum.

Nec difficultatem elevat, imò potius auget, quod loco mox citato Elucidat. 1. aſſerit Malebranchius ut nodum hunc ſolvat: ſcilicet vota & deſideria voluntatis eſſe preces quaſdam naturales quæ ab authore naturæ ſemper & ſtatim exaudiuntur, quæque conſequenter ad leges ab ipſo inſtitutas, cauſa ſunt præſentiæ & claritatis idearum quibus objecta repræſentantur. Sic habet Lib. 1. de Inquiſit. verit. cap. 1. & præſertim Elucidat. 1. in idem caput, ubi ſic loquitur: *Il ne faut pas s' imaginer que la volonté commande a l' entendement d' une autre maniere, que par ſes deſirs & par ſes mouvemens, ou que l' entendement obeiſſe à la volonté, en produiſant en lui-même les idées des choſes que l' ame deſire.* Sic immediatè ſubdit: *Tout le miſtere eſt que le deſir qu' a mon ame de connitre un objet, eſt une priere naturelle qui eſt toujours exaucée; & ainſi ce deſir, en conſequence des volontes efficaces de Dieu, eſt la cauſe de la preſence & de la clarté de l' idée qui repreſente l' objet.* Iſtud, inquam, difficultatem non diluit: ſic enim recurrit ex integro argumentum mox propoſitum.

Anima ſpectata quatenus voluntas, non poteſt appetere tale bonum in particulari; bonum A, v. g. niſi eadem anima ſpectata quatenus intellectus tale bonum cognoverit: *Ignoti enim nulla cupido*, & ut fert tritum axioma, atque aſſerit author citato cap. 1. Lib. 1. de Inquiſit. verit. voluntas eſt potentia cæca quæ non fertur niſi circa objecta ab intellectu propoſita; ergo anima quatenus voluntas non poteſt eſſe libera ad deſiderandum & amplectendum tale vel tale objectum, tale vel tale bonum particulare, niſi eadem anima quatenus intellectus, hujus vel illius objecti ideam & perceptionem expreſſerit; ſicque objectum proſequendum voluntati propoſuerit.

Verbo dicam, volitio, inclinatio, deſiderium, determinatio voluntatis versùs aliquod particulare objectum, eſſentialiter includunt aut ſaltem ſupponunt ejuſdem objecti cognitionem, & quidem ita claram & diſtinctam, ut vi illius unum præ alio, bonum A; v. g. potius quàm bonum B, ſeligere poſſit; ergo anima quatenus voluntas non poteſt eſſe libera circa volitiones, inclinationes, deſideria objectorum particularium, niſi poſſit quatenus intellectus, horumce objectorum aliqualem in ſemetipsâ ideam efformare.

III. Vanum eſt ac nullius ponderis quod aſſerit Malebranchius ad novam ſuam opinionem circa inefficaciam intellectus ſtabiliendam, quæ quidem omnia, vel eo ipſo ſolo quod fateri tenetur circa voluntatis activitatem, funditus evertuntur.

Ait

Ait 1. Lib. 3. parte 2. cap. 3. Ideæ entia ſunt realia, cùm ipſis reales proprietates competant: entia ſunt ſpiritalia, ac proinde perfectiora corporibus quæ exhibent, cùm recipiantur in mente quæ ſpiritalis eſt: unde concludit eos qui intellectui vim producendi ideas tribuunt, conſequenter menti creatæ adſcribere facultatem producendi nobiliora ac perfectiora entia iis omnibus quæ in hacce viſibili rerum univerſitate Deus condidit.

Reſp. 1. idem prorſus retorqueri poſſe adverſus volitiones, determinationes &c. voluntatis: hi enim actus, utpotè ſpirituales, longè nobiliores ſunt ac perfectiores objectis corporeis circa quæ verſantur. 2. perceptiones, cognitiones, volitiones, determinationes, aliique tùm intellectûs, tùm voluntatis actus, non ſunt propriè entia, ſed modi duntaxat entis: non ſunt ſubſtantiæ, ſed ipſius modificationes: adeoque ſimpliciter & abſolutè dici non poſſunt perfectiores & nobiliores corporibus, quæ ſunt vera entia & ſubſtantiæ; licet quatenus ſpirituales corporibus præſtent.

Ait 2. Si menti competeret facultas producendi ideas ſemetipſam diverſimodè modificando, deberet ſcire diverſos ſeſe modificandi modos: at idipſum planè ignorat mens, cùm illud explicare non valeat, nec de eo rationem reddere.

Reſp. 1. retorquendo adverſus voluntatem, quæ, fatente Malebranchio, diverſa volendo, diverſimodè ſeipſam modificat, nec tamen modos illos explicare valet. 2. nego majorem. Ut intellectus ſeſe variè modificet, neceſſe non eſt ut ſciat modum modificandi, ſatis eſt ſi modificare ſe poſſit & velit. 3 nego etiam minorem: etſi enim mens creata fortè neſciat explicitè modum ſeſe modificandi, ſcit tamen implicitè & virtualiter per intimum & experimentalem ſenſum. Neque obſtat quòd modum hunc, explicare non valeat: neceſſe enim non eſt ut explicare & rationem reddere poſſimus de iis quæ ſolo experimentali ſenſu novimus: talis cognitio non eſt reflexa, ſed directa, neceſſitate naturali peragitur, & non libertate; non duce ratione, ſed ſolâ dirigente naturâ.

Ait 3. Vis producendi perceptiones, cognitiones &c. includit vim creandi: perceptio enim & quælibet alia modificatio eſt entitas realis ſuperaddita ſubſtantiæ; quæ quidem nonniſi per creationem produci poteſt.

Reſp. Ex dictis patere reſponſionem ad palmare iſtud Malebranchii argumentum quod centies repetit. 1. retorqueo adverſus volitiones, inclinationes, determinationes &c. voluntatis: quidquid enim dicet ad oſtendendum vim ſeſe determinandi non importare vim creandi, pariter demonſtrabit facultatem producendi perceptiones, vim creandi non includere: perceptiones, cognitiones &c. ſunt modificationes intellectûs, ſicuti volitiones, determinationes &c. ſunt modificationes voluntatis. 2. nego vim producendi perceptiones, includere vim creandi, ſiquidem creatio eſt productio ſubſtantiæ: atqui perceptiones intellectûs, ſicuti & volitiones, determinationes voluntatis, non ſunt ſubſtantiæ, ſed meræ intellectûs & voluntatis modificationes; ergo &c. Certè nemo dixerit exactè & philoſophicè loquendo meras modificationes creando produci. 3. reſpondeo perceptiones, volitiones, aliaſque omnes modificationes tùm ſpirituales, tùm corporeas, produci non per creationem, ſed per ſolam eductionem à ſubſtantiâ. Porrò iſtud diſcriminis eſt, ut antea jam obſervavimus, creationem inter & eductionem, quòd creatio ſit productio ſubſtantiæ, eductio verò, productio modificationis: ſeu, ut alii volunt, creatio eſt productio rei independenter à nihilo tùm ſui tum ſubjecti; eductio verò, productio rei dependenter à ſubjecto, ſeu ex nihilo ſui, ſed non ex nihilo ſubjecti; ut cùm modus aliquis elicitur ex ſubſtantiâ præjacente. Porrò niſi anima prædita eſſet facultate producendi in ſeipſa varias affectiones, varias modificationes, planè omni activâ libertate deſtituta eſſet.

Atque hæc ſunt præcipua momenta quibus utitur Malebranchius adverſus vim & efficaciam intellectûs. Juvat nunc, ne quid præſenti controverſiæ deſit, paucis recenſere ac refellere ſingula alia argumenta quibus probare conatur Deum ſolum eſſe veram & propriam cauſam efficientem, creaturas verò eſſe poſſe duntaxat cauſas occaſionales; adeò ut, nequidem Angelus poſſit eſſe vera & propria, phyſica ac efficiens cauſa alicujus modificationis, etiam corporeæ.

Objicit 1. in Scripturis clarè & conſtanter affirmari omnia à Deo fieri. Iſai. 44. *Ego ſum Deus faciens omnia, extendens cœlos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum.* Pſalm. 103. *Producens fœnum jumentis, & herbam ſervituti hominum.* Act. 17. *Cum Deus det omnibus vitam & inſpirationem & omnia.* Ita Malebranchius Elucidat. in cap. 3. 2. partis Lib. 3. de Inquiſit. verit. ex quibus concludit, omnia à Deo ſolo fieri, ac proinde negari vim activam creaturarum.

Reſp. diſt. ant. in Scripturâ clarè & conſtanter affirmatur omnia à Deo fieri, immediatè vel per ſeipſum ſolum, vel cum creaturis per concurſum aut prævium aut ſimultaneum, concedo: omnia à Deo fieri immediatè & ſolo, nego. Cùm Deus omnes creaturas produxerit, & cum illis concurrat ad omnes actiones, hoc ſenſu poteſt dici cauſa omnium effectuum quæ à creaturis producuntur. Verùm hic quæritur an immediatè Deus & quidem ſolus omnia operetur: aſſerit Malebranchius, negant verò omnes veteres Philoſophi & Theologi, præeunte Doctore Angelico, qui contrariam opinionem quæſt. 3. de potentiâ art. 7. erroneam vocat: *Dicendum*, inquit S. Doctor, *Deum operari in naturâ .... ſed quidam hoc non intelligentes in errorem inciderunt, attribuentes Deo hoc modo omnem naturæ operationem, quòd res penitus naturalis nihil ageret per virtutem propriam.* Et 1. p. q. 105. art. 5. eandem opinionem aſſerit eſſe impoſſibilem his verbis: *Dicendum quod Deum operari in quolibet operante, aliqui ſic intellexerunt, quòd nulla virtus creata operaretur in rebus, ſed ſolus Deus immediate omnia operaretur: puta quod ignis non calefaceret, ſed Deus in igne, & ſimiliter de omnibus aliis. Hoc autem eſt impoſſibile.... Sic igitur intelligendum eſt Deum operari in rebus, quod tamen ipſæ res propriam habeant operationem* Porrò Scripturæ teſtimonia quibus vis & efficacia cauſarum ſecundarum adſtruitur, proferemus poſtmodum referendo & ſtabiliendo quintam ſententiam.

Objicit 2. Mente concipi nequit quid ſit virtus illa activa quæ ſupponitur creaturis communicata; ergo meritò negatur creaturis à Deo communicatam fuiſſe facultatem activam. Ita author citatâ mox Elucidat. 1.

Reſp. 1. Argumentum iſtud Malebranchio eſſe ſolvendum: ſiquidem disertè fatetur Lib. de natura & gratia & alibi ſæpe, vim activam eliciendi actus liberos voluntati à Deo fuiſſe communicatam: aliunde verò non minùs clarè aſſerit ad calcem hujuſce Libri, & fuſiùs Elucidat. in cap. 7. 2. part. Lib. 3. de Inquiſit. vim illam nobis eſſe prorſus incognitam. Sic habet citato mox Lib. de

nar. & grat. *J'ai prouvé ailleurs que ce qu'il y a en nous qui ſe laiſſe vaincre par des determinations qui ne ſont point invincibles, nous eſt entierement inconnu.* Ergo ex eo quod mente concipere non valeat Malebranchius, in quo ſita ſit facultas activa creaturis communicata, perperam inferret vim illam creaturis minimè competere.

II. Fatetur Malebranchius ſe nullam habere ideam animæ rationalis, & tamen non poteſt negare quin exiſtat anima rationalis; ergo à pari &c.

III. Sæpiùs aſſerit idem author, certò & abſque erroris formidine affirmari non poſſe num determinata quædam facultas aut proprietas competat cuidam ſubjecto, necne, niſi talis ſubjecti propria habeatur idea. *On ne peut répondre ſans crainte de ſe tromper, ſi certaines qualitès conviennent ou ne conviennent pas à un ſujet, lorſqu'on n'a point d'idée de ce ſujet.* Ex altera verò parte contendit nullam haberi ideam animæ aliorumve ſpirituum; ſed animam ſeipſam cognoſcere *per ſenſum intimum*, alios autem ſpiritus *per conjecturam*, non verò *per ideam*; ergo certò & abſque erroris formidine aſſerere non potuit Malebranchius, ſtando ſuis principiis, nullam vim activam animæ in ordine ad perceptiones, aut Angelis in ordine ad movenda corpora fuiſſe conceſſam.

Eò validiùs premit Malebranchium iſta reſponſio, quòd non ſolùm fateatur nullam haberi ideam animæ aut aliorum ſpirituum; ſed etiam nec virtutis & efficaciæ. Ita præſertim Meditat. 9. in quâ impium Spinoſæ ſiſtema confutat his verbis. "Que „ces Philoſophes ſont ſtupides & ridicules? Ils „s'imaginent que la création eſt impoſſible, parce „qu'ils ne conçoivent pas que la puiſſance de Dieu „ſoit aſſez grande pour faire de rien quelque choſe: „mais conçoivent-ils que la puiſſance de Dieu ſoit „capable de remuer un fetu? S'ils y prennent „garde ils ne conçoivent pas plus clairement l'un „que l'autre; puiſqu'ils n'ont point d'idée claire „d'efficace ou de puiſſance." Paulò antea increatam ſapientiam ſic loquentem induxerat: "Je ne „donne point aux hommes d'idée diſtincte, qui ré„ponde au mot de puiſſance ou d'efficace, parce que „Dieu n'a point donné de puiſſance véritable aux „creatures." Hæc Malebranchius, quæ tamen in ejus ſiſtemate falſa ſunt. Nam juxta ipſum vis ac potentia vera, idem eſt ac potentia realis, quam perpetuò opponit cauſæ ac potentiæ quam appellat occaſionalem: porrò falſum eſt hujuſmodi potentiam creaturis non fuiſſe communicatam; cùm, ut mox vidimus, fateatur & doceat, naturis intelligentibus datam eſſe virtutem actus liberos in ſeipſis efformandi.

Verùm quidquid ſit, ex eo certè quòd fateatur Malebranchius, nullam haberi ideam claram & diſtinctam virtutis & efficaciæ, ſicuti nec ſpirituum, meritò infertur adverſus ipſum, incautè omninò ac temerè affirmare naturas ſpirituales omni prorſus verà reali facultate movendi etiam minima corpora eſſe deſtitutas.

IV. Ut ſupra obſervavimus, cauſæ occaſionales, juxta Malebranchium, quibus Deus determinatur ad agendum, ex ſe motum habeant neceſſum eſt, non à Deo communicatum; alioquin Deus ageret voluntate peculiari, nec à cauſis occaſionalibus primùm determinaretur, quod conſtanter negat: jam verò ſi motum ex ſe habeant, neceſſe eſt ut vis quædam aa efficacia ipſis competat. Videat ergo quâ ratione ſecum ipſe conciliari poſſit.

V. Tandem, nego ant. facultas activa in creaturis liberis, eſt vis ad varia ſeſe flectendi, præeunte rationis judicio: in creaturis autem non liberis, nihil aliud eſt, juxta nonnullos, quàm certa quædam modificatio à Deo authore naturæ corpori impreſſa, ex quâ ſecundùm ordinem naturalem ſequitur aliquis effectus; ſeu, quod in idem recidit, vis illa activa nihil aliud eſt, quàm ordo ille quem Deus inſtituit ut ex præſentia alicujus modificationis quæ in aliqua ſubſtantia occurrit, producatur ſimilis vel diverſa modificatio, aut in ipſa ſubſtantia, cujus occaſione fit actio, vel in alia ſubſtantia: v. g. ex præſentia motûs localis activi in aliquo corpore Deus ordinavit & ſtatuit ut produceretur ſimilis motus activus in alio corpore.

Subſtantiæ autem creatæ non liberæ quæ affectæ ſunt hujuſmodi modificatione; ſeu quibus Deus ſupremus omnium arbiter pro ſuo beneplacito diſtribuit certa quædam attributa, certas facultates, ex quibus ſecundum ordinem naturalem à Deo authore naturæ liberè inſtitutum, neceſſariò oriuntur certi effectus certis in circumſtantiis: ſubſtantiæ, inquam, illæ dici non poſſunt merè inertes & otioſæ; imò dici debent participes facultatis agendi, eademque eadem eſt ratio in ordine naturali, ac in ordine ſupernaturali Sacramentorum quæ verè producunt gratiam, licet eam nonniſi moraliter producant: unde quamvis hujuſmodi creaturarum actiones Deo potius quàm creaturis tribuendæ ſint, non tamen ſoli Deo immediatè, ut vult Malebranchius, adſcribi debent.

Objicit 3. nullam concipi aut eſſe poſſe connexionem ſpiritum inter & motum corporis: ut enim aliquid moveat corpus, neceſſe eſt ut ſit corporeum & impenetrabile; motus enim intelligitur produci per impetum phyſicum mutuamque moventis & moti impenetrabilitatem: unde ſi fortè corpus impenetrabilitate deſtitueretur, non poſſet movere corpus alterum: atqui ſubſtantiæ ſpirituales non ſunt impenetrabiles; ergo movere non poſſunt corpora. Argumentum iſtud ſæpius urget author, & maximè Elucidat. in caput 3. 2. partis L. 6.

Reſp. negando maj. & ejus probat. Deus enim eſt ſpiritus cujuſlibet corporis & impenetrabilitatis expers, & tamen omnes fatentur ipſum poſſe movere corpora; ergo ut aliquid moveat corpus neceſſe non eſt quòd ſit corporeum & impenetrabile. Equidem unum corpus non poteſt movere alterum niſi per impetum phyſicum, ſeu impingendo in ipſum: impingere autem non poteſt niſi ſit ſolidum & impenetrabile; econtra verò mentes creatæ & generatim ſpiritus omnes ſua volitione, exequente potentia motrice, movent corpora. Itaque impetus phyſicus, mutuaque moventis & moti impenetrabilitas eſſentialiter non prærequiruntur motui.

Et vero ſubſtantiæ ſpirituales ſunt cauſa modificationis longè ſuperioris & perfectioris motu, nempe modificationis ſpiritualis; ergo à fortiori ſat virium habent ut movere poſſint corpora, nec ulla firma ratio occurrit, cur ipſis virtus hoc & efficacia denegetur.

Objicit 4. Movere de corpus loco in locum, eſt ipſum in diverſis locis continuatâ creatione conſervare: atqui Angeli & anima create non poſſunt; ergo &c.

Reſp. negando maj. Toto cœlo diſtant, conſervare corpus in diverſis ſucceſſivè locis, & movere corpus de loco in locum: ſiquidem corpus movere, eſt corpus conſtituere præſens diverſis ſucceſſivè locis; motus enim eſt ſucceſſiva corporis præſentia variis locis: porrò aliud eſt corpus conſtituere præſens variis ſucceſſivè locis, & corpus conſervare in diverſis locis; ergo &c. Scilicet conſervatio corporis unicè & præcisè tendit ad continuandam

nuandam corporis exiſtentiam : motus autem corporis unicè & præcisè tendit ad continuandam corporis jam aliunde exiſtentis & conſervati correſpondentiam ad diverſa ſucceſſivè loca : hinc conſervatio corporis intelligitur præcedere motum ejus : hinc ſi per impoſſibile, corpora non intelligerentur egère perpetua Dei conſervatione ad exiſtendum, adhuc tamen intelligerentur poſſe moveri de loco in locum per ſucceſſivam applicationem ad diverſa loca. Vide quæ circa hanc & præcedentem objectionem diximus Tract. de Angelis Quæſt. 5. Art. 3.

Objicit 5. Vera boni & mali cauſa adoranda eſt, amanda & timenda : porrò cultus, amor & timor, ſoli Deo competunt : *Soli Deo honor & gloria* ; ergo &c. Et verò cultus debetur proximæ noſtræ beatitudinis cauſæ : aſt ſi creaturæ præditæ ſint vi activâ, proximæ ſunt noſtræ beatitudinis cauſæ per ſuam efficaciam : v. g. ſol innumera noſtris corporibus beneficia confert, ſi revera cauſa efficiens ſit eorum omnium effectuum qui à ſole proficiſci vulgò exiſtimantur. En validius Malebranchii, & ut putat achillæum ; adversùs efficaciam cauſarum ſecundarum argumentum, quod quidem fusè proponit Elucidat. in cap. 3. 2. partis Lib. 3. dilucidiùs verò & contractiùs in ſcripto cui titulus, *Defenſio adversùs criminationem Domini* de La ville, his verbis : *C'eſt une notion commune ſelon laquelle tous les hommes ſe conduiſent, qu'on doit aimer ou craindre ce qui a la puiſſance de nous faire du bien ou du mal, de nous faire ſentir du plaiſir ou de la douleur, & de nous rendre heureux ou mal heureux ; & qu'on doit aimer ou craindre cette cauſe, à proportion du pouvoir qu'elle a d'agir en nous. Or le feu, le ſoleil, les objets de nos ſens peuvent véritablement agir en nous, & nous rendre en quelque maniere heureux ou malheureux ; c'eſt le principe ſuppoſé ; nous pouvons donc les aimer & les craindre. Voilà un raiſonnement que tout le monde fait naturellement, & qui eſt le principe général de la corruption des mœurs.*

Reſp. 1. Argumentum iſtud nimium probare : ſiquidem ex eo ſequeretur, nec parentes à liberis, nec Reges à ſubditis amari debere aut timeri; quod quàm ſit abſurdum, nemo non videt.

Reſp. 2. Prædictum argumentum poſſe ſic contorqueri adverſus Malebranchium : amanda eſt & timenda non ſolùm vera & realis boni & mali cauſa, ſed etiam cauſa occaſionalis quæ certò determinat cauſam realem, nec ab ipſa determinatur ; maximè ſi cauſa illa occaſionalis, intellectualis ſit, atque ſpeciali erga nos benevolentiâ cauſam realem determinet ut bonum nobis conferat : ſiquidem paradoxum eſſet intolerandum, aſſerere nullum huicce cauſæ occaſionali deberi amorem, nullam gratitudinem, ea præcisè de cauſa quòd bonum reipſa & immediatè nobis non conferret, quod tamen certò nobis acquireret. Imò nemo eſt qui in prædicta hypotheſi non judicet ampliores rependendas eſſe gratias cauſæ occaſionali certò determinanti cauſam realem, quàm cauſæ reali erga nos prorſus indifferenti & indeterminatæ : porrò in ſiſtemate Malebranchii, voluntas divina quæ ſupponitur unica vera & realis bonorum omnium quæ nobis obveniunt cauſa, prorſus indifferens eſt, & nonniſi per cauſas occaſionales, quarum pleræque intellectuales ſunt, certò determinatur ; ergo &c. Sic ſupremus ærarii præfectus qui certam quandam pecuniæ ſummam alicui numerandam præſcribit, cauſa eſt duntaxat occaſionalis hujuſce numeratæ pecuniæ, quæſtor verò qui eam actu ad juſſa præfecti erogat, cauſa realis : nemo tamen eſt qui non magis ſe obſtrictum exiſtimet præfecto quàm quæſtori : ita omnino judicandum in ſiſtemate quod impugnamus. Hâc & variis aliis comparationibus mox allatam reſponſionem illuſtrat author Reflexionum Theologicarum Lib. 1. cap. 18. 19. 20.

Reſp. 3. diſt. maj. Vera & realis boni & mali cauſa amanda eſt amore ſubordinato, & timenda timore congruo, concedo : amanda eſt & timenda amore & timore ſummo qui ſoli Deo debetur, nego. Et verò cùm creaturæ ſint inſtrumenta Dei, in Deum tanquam in principalem cauſam referenda ſunt bona quæ per creaturas nobis conferuntur; maximè cùm Deus, utpote agens voluntate ſpeciali, bona hæc aut mala plerumque nobis advocet aut avertat. Certè Scriptura & Patres cùm facultatem activam creaturarum disertè aſſerunt, nullatenus timent, ne inde argumenta elici poſſint quibus idololatria confirmetur. Hac triplici brevi reſponſione ruit authoris ratiocinium penè immenſum.

Cætera quæ objicit Malebranchius levia ſunt ac nullius penè roboris, quæ ex dictis paſſim hic & contra authorem Libri, *De actione Dei in creaturas*, aut ex mox dicendis nullo negotio dilui poſſunt. Qui plura voluerit, conſulat Doctorem Angelicum Lib. 3. contra gentes cap. 69. quæſt. 3. de potent. art. 7. & 1. parte quæſt. 105. art. 5. Suarem de Metaphyſ. diſp. 18. Sect. 1. Sylvium 1. parte qu. 105. art. 5. Arnaldum in opere cui titulus, *Reflexions Philoſophiques & Theologiques.* Et Lib. de veris & falſis ideis c. 27. & rurſus in diſſert. circa miracula antiquæ Legis, & recentiorem authorem Libri gallicè inſcripti; *Refutation d'un nouveau ſiſteme de Metaphyſique propoſé par le Pere M...* Hi duo poſteriores authores Malebranchii ſiſtema ex profeſſo impugnant.

Quarta ſententia circa efficaciam cauſarum ſecundarum diſtinguit creaturas ſpirituales inter & corporeas ; negat creaturas corporeas poſſe quicquam efficere, ſed de ſpiritualibus id concedit. Sententiam hanc mox citatis locis & in 2. diſt. 1. quæſt. 1. art. 4. refert S. Thomas ex Avicembton. in Lib. *Fontis vitæ.* Aſſerebat author ille nullum corpus eſſe activum, ſed quandam ſpiritualis ſubſtantiæ virtutem intimè exiſtentem in corporibus, efficere omnes actiones quæ per corpora fieri videntur. Utebatur authoritate ſancti Auguſtini Lib. 5. de civit. Dei cap. 9. ubi expreſsè aſſerit ſanctus Doctor, *corporales cauſas non eſſe inter cauſas efficientes numerandas.*

Refellitur prædicta ſententia, quâ parte negat vim activam creaturis corporalibus competere, iis omnibus Scripturæ, SS. Patrum & rationum momentis quibus quintam ſententiam adſtruemus. Neque obſtat mox adductum ſancti Auguſtini teſtimonium ; citatis enim verbis hoc unum vult ſanctus Doctor, ſcilicet creaturas corporeas non eſſe cauſas efficientes principales, quæ ſe aliquo modo agunt, id eſt, quæ dominium habent ſuarum actionum, & ſeſe poſſunt applicare ad agendum ; ſed non negat eas eſſe cauſas efficientes inſtrumentales, quæ motum ex ſe non effundunt, ſed ipſum aliunde acceptum communicant : ſic enim ait, *Corporales cauſæ quæ magis fiunt quàm faciunt, non ſunt inter cauſas efficientes numerandæ, quoniam hoc poſſunt, quod ex ipſis faciunt ſpirituum voluntates.* Et Lib. 9. cap. 3. *Omnia quæ creavit Deus ſic adminiſtrat, ut etiam proprios exercere & agere motus ſinat.*

Quinta denique ſententia, cui ſubſcribimus,

Docet 1. cuilibet ſubſtantiæ creatæ competere ut ſit activa, ?en, ut ſit cauſa efficax & efficiens, vel principalis, vel inſtrumentalis.

Cauſa efficiens principalis ea eſt, quæ eſt principium ſui motûs, ſeu, quæ à ſeipſa habet motum & efficaciam, modo tamen cauſæ omnium primæ, Deo ſcilicet, ſubordinatu: ſic voluntas creata reſpectu actuum liberorum ad quos dependenter à Deo ſeſe movere & applicare poteſt.

Cauſa efficiens inſtrumentalis ea eſt, quæ motum habet ab alia cauſa impreſſum: ſic cùm ab aliquo malleus impellitur in clavum, ille qui movet malleum eſt cauſa principalis activa, quæ habet à ſe vim agendi; malleus autem eſt cauſa inſtrumentalis, quia ab alio habet efficientiam & actionem.

Cùm autem aſſeritur cauſam efficientem principalem, eam eſſe, quæ habet à ſeipsâ motum, motûs nomine generatim intelliguntur eæ modificationes quas ſubſtantiæ creatæ in ſelpſis, Deo permittente, elicere poſſunt, aut in aliis ſubſtantiis excitare: v.g. in homine anima movet ſeipſam, movet brachium, pedes &c. hæc movet per inſitam ſibi facultatem, quæ vis motrix ſolet appellari.

Docet 2. ſubſtantias liberas, ut Angelos, homines, cauſas eſſe efficientes ac principales perceptionum, volitionum, variarumque modificationum corporearum, mediante intellectu, voluntate, ac potentiâ motrice.

Docet 3. ſubſtantias non liberas cauſas eſſe efficientes, non quidem principales, ſed inſtrumentales duntaxat quæ motum ex ſe non effundunt, ſed à Deo vel ab alia cauſa impreſſum communicant; unde ſubſtantiæ hujuſmodi non poſſunt dici merè inertes & otioſæ, imò dici debent participes facultatis agendi à Deo creatore inditæ, aut ab alio agente impreſſæ.

Poſtrema hæc ſententia, quod ſpectat activitatem ſubſtantiarum liberarum reſpectu actuum voluntatis, de fide eſt; atque ex profeſſo demonſtrabitur in Tract. de actibus humanis, ubi de libertate. Quid autem ſit ſentiendum circa activitatem & efficaciam earundem ſubſtantiarum reſpectu perceptionum & modificationum corporearum, ſatis patet ex dictis contra Malebranchium, & adverſus authorem Libri *De actione Dei in creaturas*, & etiam ex iis quæ diximus Quæſt. 5. de Angelis Art. 3. ubi de potentiâ motrice Angelorum. Reſtat ergo ut hic efficaciam & activitatem ſubſtantiarum etiam non liberarum paucis adſtruamus. Itaque

Probatur 1. Ex Scripturis, quæ cauſalitatem ipſis creaturis corporeis adſcribunt. Marci 4. verſ. 28. *Ultrò enim terra fructificat, primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpicâ: & cùm ex ſe produxerit fructus, ſtatim mittit falcem.* Lucæ 21 *Videte ficulneam & omnes arbores, cum producunt jam ex ſe fructum, ſcitis quia propè eſt æſtas.* In his duobus teſtimoniis clarè exprimitur vis activa inſtrumentalis rerum etiam inanimatarum. Idem non minùs disertè aſſeritur, Geneſ. 1. v. 11. *Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen &c.* Verſ. 20. *Dixit Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram.* Verſu 24. *Producat terra herbam virentem in genere ſuo, jumenta & reptilia, & beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas; & factum eſt ita.* Verùm non eſt prætermittendus locus Sapient. 16. ubi refertur divina operante potentia, factum eſſe ut ignis tempore Moyſis virtutis ſuæ combuſtiæ oblitus fuerit: *Nix autem & glacies*, inquit ſacer Textus, *ſuſtinebant vim ignis: .... hic autem ut nutrirentur juſti, etiam ſuæ virtutis oblitus eſt.* Planè in hoc textu ſupponitur vim combuſtivam ab authore naturæ igni eſſe inſitam.

Probatur 2. ex SS. Patribus: inſtar omnium ſint SS. Auguſtinus & Thomas.

S. Auguſtinus vim ac efficaciam cauſarum ſecundarum variis in locis adſtruit. Lib. 3. de Trinit. c. 7. 8 & 9. ait, *indidiſſe Deum elementis, & aliis cauſis creatis ſeminales rerum rationes*; quæ nihil aliud ſunt, ut exponit Doctor Angelicus 1. p. q. 115. art. 2. & diſt. 18. quæſt. 1. art. 2. quàm principia motuum naturalium, quæ Deus poſuit in rebus creatis. Lib. 7. de civit. Dei cap. 30. de Deo loquens, hæc habet: *Sic omnia quæ creavit, adminiſtrat, ut etiam ipſa proprios exercere & agere motus ſinat.* Idem repetit Lib. 9. cap. 3.

S. Thomas quæſt. 3. de potent. art. 8. ſententiam quæ negat *res naturales agere per virtutem propriam*, aſſerit eſſe *abſurdam & erroneam* opinionem, quam ex profeſſo ibidem refellit: verba ſancti Doctoris antea retulimus. Eandem opinionem in 2. diſt. 1. quæſt. 1. art. 4. *ſtultam* poſitionem appellat. Et 1. p. q. 105. art. 5. obſervat, *quoſdam intellexiſſe ita Deum immediatè operari in omnibus, ut res creatæ non operarentur: puta quod ignis non calefaceret, ſed Deus in igne; & ſimiliter de omnibus aliis.* Subdit autem S. Doctor: *Hoc autem eſt impoſſibile.* Quod quidem variis argumentis demonſtrat, quibus poſtmodum utemur.

Probatur. 3. ex conſtanti Theologorum doctrinâ, qui, præeunte Doctore Angelico, tanquam certiſſimam propugnant ſententiam quæ tradit cauſas ſecundas, etiam non liberas, eſſe activas: ita Hervæus, Scotus, Salmaticenſes, Sylvius, Eſtius, & alii quamplures quos refert Suares in Metaphyſ. diſput. 18. Sect. 1. unde Sylvius 1. p. q. 105. art. 5. contrariam opinionem vocat *errorem manifeſtum contra quem pugnat Scriptura ſacra.*

Probatur 4. variis abſurdis & incommodis quæ ex adverſa opinione ſequuntur, quæque citatis mox locis proponit & urget Doctor Angelicus. Primum, quia virtutes operativæ, quæ in rebus inveniuntur, fruſtra eſſent rebus attributæ, ſi per eas nihil operarentur. Secundum: cùm omnes res ſint propter ſuam operationem, ſequeretur etiam ipſas res creatas fruſtra eſſe, ſi propriâ operatione deſtituerentur. Tertium: in ſententiâ quam hic impugnamus, non minùs verum eſſet hominem generantem creare animam rationalem, quàm ignem generare ignem: quia ſicut Deus ad præſentiam ignis producit ignem, & actio eâ duntaxat de cauſa tribuitur igni, quia eſt conditio ſine quâ non, & quâ poſitâ Deus infallibiliter facit; ita Deus ad præſentiam humani ſeminis creat animam infallibiliter, & non ſine illâ conditione: porrò conſequens iſtud eſt erroneum, ergo &c.

Probatur 5. rationibus Theologicis. Prima: vis activa creaturis non repugnat; certum enim eſt, tùm fide, tùm ratione, dari creaturas liberas, ac proinde activè indifferentes: jam verò ſi vis illa activa creaturis non repugnet, nulla firma occurrit ratio virtutem hanc creaturis etiam corporeis denegandi: imo cùm Deus unamquamque rem condiderit in naturâ ſuâ perfectam conſentaneum omnino eſt aſſerere, connaturalem vim agendi cuilibet rei à Deo eſſe inſitam. Secunda: omnis actio corporea poſita eſt in motu locali, juxta recentiores Philoſophos: porrò corpora, utpote ſolida & impenetrabilia, per motum aliunde acceptum, poſſunt phyſicè & propriè impingere in alia

alia corpora ; ac proinde propriè & phyſicè impetum ſeu motum in ipſa producere. Tertia : a trita & conſtanti Theologorum & omnium veterum Philoſophorum doctrina, aliunde experientia ſenſuque notiſſima, nonniſi gravi admodum urgente ratione recedendum eſt : aſt nullum, quod ſit alicujus ponderis, ratiocinium proponit Malebranchius ad ſtabiliendam novam ſuam, circa inefficaciam cauſarum ſecundarum ſententiam : quod quidem jam patet ex dictis, & adhuc magis patebit ex dicendis ; ergo &c.

Ait 1. non eſſe urgenda Scripturæ & SS. Patrum teſtimonia quæ videntur favere efficaciæ creaturarum, quia Scriptura & Patres iis in locis accommodant ſe vulgaribus opinionibus. Ita Malebranchius citata Elucidat. in cap. 3. Lib. 3.

Reſp. Non ſatis firma eſſe momenta quibus Malebranchius evincere conatur nullam ſubſtantiis creatis competere actionem & efficientiam, ut inde liceat concludere Scripturam & Patres, cùm tam conſtanter commendant vim activam creaturarum, appoſitè duntaxat ad vulgares opiniones loqui, non propriam ſtatuere ſententiam. Et verò Malebranchius confidenter aſſerit opinionem qua vindicatur vis activa creaturarum, manifeſtè favere idololatriæ : qua ergo ratione credere & affirmare poteſt tali doctrinæ Scripturam & Patres ſeſe accommodaſſe ?

Ait 2. omnem vim activam ſecum importare vim creandi, atque adeò aliquid divini ac infiniti, quod proinde creaturis communicari nequit.

Verùm huic argumento ſæpius ac multipliciter reſpondimus : atque obſervavimus, vanum eſſe ratiocinium, quod vel ipſo ſolo animæ rationalis exemplo, quam fide & ratione conſtat eſſe activam, invictè refellitur.

Ait 3. creaturas eſſe inſtrumenta Dei : atqui inſtrumentum, præcipuè animatum, eſt quid merè paſſivum & omni actione deſtitutum ; ergo creaturæ præſertim inanimatæ ac non liberæ omni efficacia deſtitutæ ſunt.

Reſp. diſt. min. Inſtrumentum inanimatum eſt merè paſſivum, eo ſenſu quòd ab ipſo tanquam à cauſa principe non oriatur actio, concedo : quaſi nequidem ab alio impreſſam habeat efficientiam & actionem, nec ſit via & canalis, ut ita loquar, quo actio cauſæ principalis pertingat ad effectum, nego. Certè cùm malleus ab aliquo impellitur in clavum ut in parietem trudatur, malleus ille non poteſt dici merè paſſivus, ſiquidem eſt motu vehementiſſimo agitatus. Volunt adverſarii non magis ad effecta concurrere cauſas quæ dicuntur inſtrumentales, præſertim inanimatas non liberas, quàm exemplar quod ſibi proponit pictor, ad tabellam efformandam conducat : quia nempe, inquiunt, quemadmodum ad ſolam præſentiam exemplaris pictor ſe determinat ad conficiendam tabellam ; ſic etiam ad meram & inertem præſentiam rei creatæ Deus operatur effecta quæ vulgò exiſtimantur proficiſci à cauſis ſecundis : econtra contendimus Deum ad pleraque effecta uti creaturis etiam inanimatis non liberis, eo fermè modo quo faber ferrarius utitur malleo ad fingendum ferrum : aut ſicuti horologii artifex qui dicitur cauſa motûs quo dirigitur ſtylus horologii, quatenus ſcilicet illum motum per varia ferrea lamina tanquam per inſtrumenta operatur ; cùm tamen nequeat dici ſola immediata cauſa talis motûs.

Quæres 2. an Deus creando mundum omnia fecerit quæ naturaliter ex rebus conditis ſequi debebant.

Reſp. Vocem illam *naturaliter* multiplici ſenſu accipi poſſe. 1. quidem illud naturale dicitur, quod conſtituit primariam rei eſſentiam, aut ex illa neceſſariò fluit. 2. naturale appellatur, quod ſequitur ex legibus à Deo initio mundi liberè ſtatutis, quaſque omnipotens voluit deinceps obſervari ; talis ordo rerum naturalis dicitur & phyſicus. 3. naturale appellari poteſt, quod rei maximè congruere videtur, etſi ſine illo res & concipi & exiſtere poſſit. His poſitis,

Certum eſt Deum feciſſe omnia quæ naturaliter ex rebus conditis ſequi debebant, ſi vox iſta, *naturaliter*, primo ſenſu accipiatur, quidquid in contrarium aſſerat Carteſius ; ſiquidem eſſentiæ rerum à Deo ſunt independentes, neque Omnipotens producere poteſt triangulum, verbi gratiâ, ſine tribus angulis, aut efficere ut illi tres anguli non ſint æquales duobus rectis. Quòd ſi vocabulum iſtud, *naturale*, ſecundo ſenſu uſurpetur, nemini dubium eſſe poteſt quin Deus omnia fecerit quæ naturaliter ex rebus conditis ſequi debebant, cùm ipſe author ſit ordinis illius phyſici & naturalis : porrò ſicut ordinem illum liberè conſtituit, ita liberè eum interturbare poteſt & evertere, hæc autem everſio miraculum exhibet. Tandem ſi vox, *naturaliter*, tertio ſenſu ſumatur, videtur ſanè Deum omnia feciſſe quæ rebus maximè congruunt : ſic combuſtio igni, lapſus lapidi projecto, humiditas aquæ optimè conveniunt. Jam verò utrum hæc congruentia vel ex rei natura, vel ex præjudicata opinione ex iis quæ naturaliter fiunt juxta leges phyſicas à Deo ſtatutas, repetenda, cæteri definiant, mihi hoc ſufficiat, talem congruentiam à Deo dependere, atque Omnipotentem poſſe ad nutum hunc congruentiarum ordinem immutare : non quòd præſtare poſſit ignem, exempli cauſa, non conſiſtere in motu vehementiſſimo & perturbato partium inſenſibilium, ſuppoſita vulgata Phyſicorum de natura ignis opinione ; ſed quia poſito tali motu, quæ ipſi videtur maximè congrua, combuſtio, Deo jubente, non ſequatur ex igne.

Quæres 3. utrum initio mundi Deus omnes creaverit animalium ſpecies quæ nunc exiſtunt.

Reſp. Non improbabilem eſſe ſententiam ſancti Auguſtini Lib. 3. de Geneſ. ad litt. cap. 14. Aſſerit autem eò loci S. Doctor, Deum initio mundi creaſſe omnes animalium ſpecies quæ per conjunctiones utriuſque ſexûs vulgò propagantur. Quæ autem animalia oriri ſolent vel ex corruptione corporum, vel ex illegitima viventium unione ; hæc nonniſi in ſemine & cauſaliter primùm creata fuiſſe. Certè Geneſ. 36. juxta arabicam Verſionem & Paraphraſim chaldaicam, multorum ortus tribuitur homini nomine Ana.

QUÆSTIO QUINTA.

Utrum ſex dierum ſpatio creatus fuerit mundus.

MUndum ſex diebus creatum teſtatur Moyſes : an autem ſex illi dies fuerint reales, vel allegorici, inquiremus primùm ; poſthac ſingula Dei opera in illis ſex diebus expenſuri.

ARTICULUS PRIMUS.

An reales fuerint ſex creationis mundi dies.

SAnctus Auguſtinus in Libris de Geneſi ad litteram videtur aſſerere mundum unico temporis

punćto fuiſſe creatum : unde allegoricè exponit quæ narrantur Geneſeos 1. de variis Dei opificiis. Scilicet dividit creaturas in ſex genera totidem diebus correſpondentia, ita ut nomen diei non lapſum temporis exprimat, ſed unum creaturæ genus ſignificet: deinde pro veſperè & manè uniuſcujuſque diei, de quibus ſacer author, duplicem intelligit angelicam cognitionem de opere quod dicitur hâc die productum: cognitio quæ manè reſpondet, ea eſt quam habuerunt Angeli de creaturis, in eſſentiâ divinâ, Dei Verbo, & idæis divinis creaturarum prototypis: cognitio verò veſperè correſpondens, ea eſt, quam acquiſierunt Angeli creaturas intuentes: primam cognitionem matutinam appellat S. Doctor, quia clarior & lucidior eſt cognitione ſecundâ, quæ veſpertina dicitur, cùm hæc in comparatione alteriùs tenebroſa ſit & minus perfecta.

Hinc, juxta mentem S. Auguſtini, mundus primò inſtanti unoque verbo creatus fuit integro ſuo ornatu perfectus & pulcher; verùm illum nonniſi per partes cognoverunt Angeli: unde prima dies Geneſeos primo dicitur cognitio angelica de cœlo, terrâ, aquis, tenebris & luce. Hæc cognitio duplex fuit: primâ cognitione viderunt Angeli cœlum, terram, aquas &c. in Deo, hæc eſt matutina cognitio; ſecundâ verò cognitione apprehenderunt has eaſdem creaturas in ſemetipſis; & hæc cognitio veſpertina appellatur; idem dicendum de cæteris diebus, eodem modo ſecundùm hanc opinionem explicandis.

Hæc ſanè S. Auguſtini videretur ſententia, niſi in Libris Retractationum aſſereret, ſe potius inquirendo quàm affirmando multa pertractaſſe in Libris de Geneſi ad litteram; & Lib. de catechiſandis rudibus in eàm clarè deſcenderet ſententiam quæ ſex dies operationis divinæ defendit velut reales. Sic enim loquitur cap. 17. *De quâ requie ſignificat Scriptura, & non tacet, quod ab initio mundi ex quo fecit Deus cœlum & terram & omnia quæ in eis ſunt, ſex diebus operatus eſt, & ſeptimo die requievit. Poterat enim Omnipotens & uno momento temporis omnia facere. Non autem laboraverat, ut requieſceret, quando dixit, & facta ſunt; mandavit, & creata ſunt: ſed ut ſignificaret, quia poſt ſex ætates mundi hujus, ſeptimâ ætate tanquam ſeptimo die requieturus eſt in Sanctis ſuis &c.* Hic ſanè S. Doctor manifeſtè ſupponit ſex dies creationis univerſi fuiſſe reales. His prænotatis, ſit

CONCLUSIO.

Mundus fuit creatus reali ſex dierum ſpatio.

Probatur 1. ex ſimplici contextu narrationis quæ habetur Geneſeos 1. Hic enim author ſacer ſingula Dei opera ſingulis aſſignat diebus: porrò ſicut nominibus cœli, terræ, ſolis, plantarum, animalium & hominis, rectè intelliguntur cœlum, terra, ſol &c. ita etiam nomine diei, dies verus intelligi debet; præſertim cùm nihil expoſtulet ſenſum allegoricum naturali derelicto.

Probatur 2. ex lege de ſabbatho obſervando, cujus hanc reddit rationem legiſlator Dominus Exodi 2. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in iis ſunt, & requievit in die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus diei ſabbathi & ſanctificavit eum.* Cujus autem momenti talis eſſet ratio, ſi mundus eodem temporis punćto creatus ornatuſque fuiſſet?

Probatur 3. ex incommodis contrariam noſtræ opinionem ſubſequentibus: ſi enim omnia eodem inſtanti creata fuère; ergo lux & tenebræ ſimul fuerunt, aquæ ſimul confuſæ & diviſæ interpoſito firmamento, terra ſimul aquis cooperta & diſcooperta, veſperè & manè ſimul exiſtebant; & alia multa quæ neque cum narratione Moyſis, nec inter ſe ſtare queunt.

Probatur 4. ex totâ Traditione quæ pro noſtrâ militat ſententiâ: videantur in primis qui mundi Geneſim ex profeſſo tractarunt. Hos inter eminent SS. Baſilius & Ambroſius in Hexaëmeron.

Objicies quædam Scripturæ loca, primum Eccleſiaſtici 18. *Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul.*

Secundum, Geneſeos 2. *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ quando creata ſunt in die quo fecit Deus cœlum & terram.* Ergo in die & ſimul omnia à Deo creata ſunt.

Tertium, Exodi 31. *Sex diebus creavit Deus cœlum & terram.* Sed cœlum & terra primâ die condita dicuntur; ergo ſecundùm Moyſen ſex dies ſunt unus dies.

Quartum, Job. 40. *Ecce Behemoth quem feci tecum.* Hîc nomine Behemoth diabolus intelligitur, præſertim cùm addatur quòd *ipſe eſt principium viarum Dei.* Porrò Angeli primâ die creati fuerunt; ergo etiam & homo, qui factus aſſeritur ſimul cum illo tenebrarum principe.

Reſp. ad primum: omnia dici à Deo creata ſimul, id eſt æquè, quo ſenſu Pſalmiſta ait: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt.* Unde nihil evincitur ex Eccleſiaſt. 18. præter illud quod dicit ſanctus Joannes, *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Poteſt etiam adhuc dici omnia à Deo facta fuiſſe ſimul, quia ſex dierum ſpatium habitâ ratione rerum peractarum pro uno fermè temporis punćto accipiendum eſt. Vel tandem cum ſancto Gregorio Lib. 32. Moralium, omnia ſimul facta ſunt in ſemine ſcilicet & ſubſtantiâ, cùm Deus primâ die creavit cœlum & terram: omnis quippe tunc ſubſtantia viſibilis & corporea creata ſunt, & ſubſequentibus diebus in aſtra, plantas, animaliumque corpora deinceps transformata.

Ad ſecundum, ex Geneſeos 2. dico diem hîc uſurpari pro tempore, quaſi diceret author ſacer, quando creata ſunt in tempore quo creavit Deus cœlum & terram: quòd ſi de die naturali verba hæc intelligantur, occurrit S. Gregorii reſponſio mox allata, & ab illo ſancto Doctore huic loco applicata.

Ad tertium, certum eſt verbis Exodi 31. adjungenda eſſe ea quæ retulimus ex cap. 20. *Et mare & omnia quæ in eis ſunt*: neque enim omnia occurrunt ſemper numeranda.

Ad quartum, ex Job 40. reſpondeo Septuaginta, *Behemoth* vertere, *beſtias*; ita ut hic ſit loci ſenſus, juxta illos, *Ecce beſtias apud te.* Quibuſdam *Behemoth* ſignificat elephantem, qui hoc nomine donatur ob corporis proceritatem; unde & principium viarum Domini appellatur, id eſt, præcipuum inter animalia ab Omnipotente creata: quòd ſi de diabolo verba hæc exponantur, dicetur factus cum homine, quia æquè ac homo & fermè eodem tempore creatus eſt.

ARTI-

ARTICULUS II.

De opere primæ diei.

INitium operum diei viſibilium, creatio cœli & terræ, atque lucis productio: ſicque primùm efformata & illuſtrata materia, ex quâ cæteræ deinceps educendæ erant creaturæ. Hanc materiam non fuiſſe informem docet author ſacer, dum eam cœli & terræ nominibus donat; aſt variâ hâc quâ nunc pollet pulchritudine, eandem non fuiſſe præditam, teſtantur poſteriora huic creationi opera.

Cœli igitur nomine intelligitur hæc mobilior materia à terrâ ad uſque ſuperiores mundi limites protenſa; terra autem dicitur partium craſſiorum conglomeratio, ſive liquidarum, ex quibus aquæ; ſive ſolidarum, quæ terræ nomen retinent.

Ergo concipiatur terra aquis valido vento exagitatis, involuta & circumfuſa, tenebris planè coopetta, adhuc vacua & inanis, ſine herbis, abſque fructu, planè deſerta, hoc conceptu primus habebitur mundi viſibilis ſitus, quem Græci dixêre cahos; ſicque ab imperfectis ad perfectiora procedebat Omnipotens: de illius autem primæ diei opificio nonnulla veniunt ſingulis breviſſimiſque titulis expedienda.

Quid nomine ſpiritûs Dei aquis incubantis intelligatur, Geneſeos 1.

Triplex eſt Patrum ſententia: prima, ventum validum aquas exagitantem, nomine ſpiritûs Dei intelligit. Hanc ſententiam defendunt Tertullianus contra Hormogenem, Severinus Gabalitanus & Theodoretus.

Secunda ſententia eſt SS. Auguſtini & Chryſoſtomi, aſſerentium nomine ſpiritûs donari vim quandam vitalem, quâ omnia producerentur ſenſibilia.

Tertia tandem plerorumque eſt Patrum, qui Spiritum ſanctum nomine ſpiritûs Dei de quo Geneſ. 1. intelligunt.

Haud ſanè ſpernenda eſt hæcce poſtrema ſententia tantâ authoritate fundata; verùm nec præcedentibus opponitur: ferebatur nempe Spiritus Dei ſuper alas ventorum, ſicque incubans aquis eas exagitabat; talique motu eas dividens, calefaciens, immiſcens partibus terræ fœcundabat: unde nihil obſtat quominus hæ tres ſententiæ conjunctim admittantur.

Quæ fuerit Dei locutio.

Dixit Deus, ait Moyſes, *Fiat lux*: quid hâc Dei locutione intelligendum ſit, quæritur? Nonnulli cum Theodoro Mopſveſteno volunt illam locutionem fuiſſe ſonum articulatum: S. Gregorius Niſſenus eam exponit de ſapientiâ Dei rebus creatis impreſſâ; in quibus nitè elucet: quidam cenſent locutionem Dei idem ſignificare ac nutum ſupremæ voluntatis. S. Auguſtinus ſic exponit verba Geneſeos, quaſi diceret author ſacer, In Verbo Dei Filio facta eſt lux: huncce ſenſum potius eſſe myſticum quàm litteralem, docet Eſtius.

Certum eſt hanc locutionem Dei prolatam fuiſſe pro creatione cœli & terræ, teſte Pſalmiſta: *Ipſe dixit & facta ſunt, mandavit & creata ſunt.* Porrò talem locutionem fuiſſe ſonum articulatum, nihil evincit & prorſus inutile eſſet aſſerere. Verior ergo nobis videtur hæc ſententia, quæ locutionem Dei aſſumit pro nutu & juſſo voluntatis divinæ: Deo quippe volente lux cæteraque creata ſunt.

Quid nomine lucis prima die creatæ intelligatur.

Pleriſque Græcis lux hæc accidens erat ſine ſubjecto exiſtens, in ſole poſtea formato affixum, Deo jubente; ita imprimis S. Baſilius. Verùm nihil cogit tam citò everſionem legum phyſicarum agnoſcere & miracula admittere.

Cùm ergo lux in corpore lucido ſit materia ſubtilior citatiſſimo turbinis motu donata; nomine lucis de quâ Moyſes in operatione primæ diei, rectè intelligitur materia ſubtilis in varios aggeres diſtributa & citiſſimè mota. Scilicet terrâ, aëre & aquâ creatis, hæc ſeſe ad libellam componebant, quæ ſubtilior materia, ubi facilior patebat aditus, effluebat: hinc varii aggeres juxta venti impetum ab aëre detruſi, unde potuit utrumque hemiſpherium ſimul illuminari.

Nox autem dicitur ſucceſſiſſe diei; quia ex his ſubtilis materiæ aggeribus, nonnulli prorſus diſſipati motu vehementiſſimo, plures minori materiæ quantitate donati fermè nullum effundebant lumen, ſicut & ſtellæ mediâ nocte; ac proinde non obſtabant quominus nox reipsâ haberetur, ipſa enim ſenſibilis eſt privatio luminis.

ARTICULUS III.

De opere ſecundæ diei.

HAc die firmamentum operatus eſt Deus, & aquas diviſit in ſuperiores & inferiores. Hinc duplex quæſtio: prima, quid ſit firmamentum: ſecunda, quæ ſint aquæ ſuperiores, & quis earum locus.

Quid ſit firmamentum.

Ex eo deſumitur quæſtio, ex quo forſan reſolvi deberet: cùm enim Moyſes aſſerat Deum primâ die creaſſe cœlum, quæritur hic num ab illo cœlo diſtinguatur firmamentum?

Verùm, cùm firmamentum nomine cœli donetur his verbis, *Vocavitque Deus firmamentum, cælum*; cúmque aliunde communis hic ſit Scripturæ mos, nomine cœli appellare materiam fluidam à terrâ ad ſuperiores uſque mundi limites protenſam, unde volatilia cœli, & aquæ ſuper cœlos dicuntur; nomine firmamenti rectè intelligitur hæc eadem materia.

Hinc non dixit Deus ſimpliciter, *Fiat firmamentum*, ſed adjecit ſtatim, *in medio aquarum, ut dividat aquas ab aquis*; quaſi diceret: Deprimatur materia hæc fluida, aquas elevet, eas ſuſtentet atque librer: non fuit ergo ſecundâ die creatum firmamentum, ſed duntaxat ordinatum ad aquas ſuſpendendas.

Philoſophandi modus plerumque SS. Patrum eos huc adduxit, ut firmamentum velut corpus ſolidum admitterent: ipſis favebat firmamenti nomen, quod quid ſolidi & ſtabilis ſonare videtur; aſt vox hæc hebraicè ſolùm ſignificat corpus longè lateque expanſum; græcè verò ſtabilimentum, nempe ex eo quòd intranſgreſſibile eſt aquarum interſtitium: igitur nemo miretur ſi recentiori Phyſicæ hâc in parte adhærentes, firmamentum ex materiâ tenui, levi atque fluidiſſimâ admittimus compoſitum.

Quæ ſint aquæ ſuperiores.

Inter Veteres plurimi contendunt aquarum ſuperiorum nomine intelligendas eſſe aquas nunquam in terram decidentes, ſupra mediam aëris regionem longè elevatas, ad temperandum ſolis ardorem, ne germina terræ comburat, potiſſimùm deſtinatas. Recentioribus pleriſque aquæ ſuperiores nubes ſunt, ex vaporibus, ſolis ardore, è ſinu terræ elevatis, efformatæ, mediæ regionis frigore condenſatæ, ad irrigandam humum aptæ; eo ſenſu ab aquis inferioribus ſeparatæ, quòd aquoſæ regionis aëris nulla fiat permixtio cum aquis terræ, nec medium tollatur interſtitium quod reperitur inter utraſque aquas, ſuperiores nempe & inferiores: neque enim dum aquæ in pluviam decidunt, exhauſta eſt media regio, ſemper manent obſeratæ ex aliquâ parte catharactæ cœlorum, & aquas in theſauris ſuis ſemper ſervat Omnipotens.

Quæ autem ex his duabus ſententiis alteri ſit præferenda, definire non audemus, cùm prima in ſe non impoſſibilis, veneranda Patrum authoritate innitatur; ſecunda verò phyſica magis multiplici fulta videatur Scripturæ loco: leguntur enim nubes cœli, pluvia dicitur aqua fluens de ſuperioribus cœli quod tegit & operit &c. Hoc unum igitur hic animadvertere liceat, temerè damnati atque notari ſecundam opinionem, cui videtur favere ſacer textus, quamque non improbabilem judicant SS. Auguſtinus & Epiphanius, defenduntque plurimi, quos inter, judice Eſtio, non immeritò recenſentur SS. Thomas & Bonaventura. Ardore ergo nimio ductus fuit Fevardentius, dum in appendice Operis Alphonſi de Caſtro de hæreſibus, verbo, *aqua*, inter hæreſes numerat ſententiam, quæ negat aquas ſupra ſidera elevatas, quæque Scripturam interpretatur de aquis in mediâ aëris regione conſiſtentibus, id eſt, de nubibus.

ARTICULUS IV.

De opere tertia diei.

TErtio diei duo à Moſe aſcribuntur opera: primum, congregatio aquarum; ſecundum, productio plantarum atque arborum.

De aquarum congregatione.

S. Baſilius duplicem aperit viam explicandi quomodo aquæ fuerint congregatæ, & cur ex primâ ipsâmet die non occupaverint ingentes terræ alveos. Prima eſt, aquas die primo non fuiſſe fluidas: hinc die tertiâ facilè intelliguntur congregatæ, dum illis fluiditatem concedit creator; ſic quippe ad ima terræ decurrunt.

Secunda eſt, terram primò quidem planè rotundam & ſphæricam fuiſſe creatam; tertiâ verò die, jubente Deo, hiatibus ſciſſam, unde ex unâ parte montes & colles, ex alterâ verò cavitates in quas aquæ defluxerunt.

Tertia tandem eſt quorundam ſententia, exiſtimantium duobus primis diebus aquas rarefactas inſtar nebulæ ſuper faciem terræ fuiſſe diffuſas, tertia verò die condenſatas cavitates terræ repleviſſe.

Fatendum quod res eſt, vix quidquam certi, ſilente Scriptura, haberi poteſt circa præſentem materiam: hæc tamen opinio nobis non videretur improbabilis in qua hæc aſſererentur. 1. montes & colles à prima die fuiſſe exiſtentes; de illorum quippe efformatione ſilet Moyſes, ni ſub nomine terræ includantur. 2. aquas ſuperiores ex omni parte terræ fuiſſe elevatas ſupra firmamentum; ſiquidem aggeres materiæ ſubtilis, de quibus diximus Articulo primo, terræ propinquiores, jam ad mutuam conjunctionem tendentes, motuque circulari donati, ardore proprio vapores undequaque attrahebant.

His poſitis, intelliguntur imminutæ aquæ, & dum ad libellam ſeſe componunt, neceſſariò cavitates locaque terræ demiſſiora petunt, atque naturali fluiditate congregatæ reperiuntur.

De productione plantarum & arborum.

S. Auguſtinus Lib. 5. de Geneſi ad litteram c. 4. exiſtimat arbores, plantas, fructus & virgulta non fuiſſe tertio die creata, niſi in ſemine & cauſaliter tantum.

Fundamentum talis aſſertionis petitur ex his Geneſeos 2. *Fecit Dominus Deus cœlum & terram, & omne virgultum agri antequam oriretur in terrâ, omnemque herbam regionis priuſquam germinaret.* Si enim virgultum factum eſt antequam oriretur, ſi herba creata priuſquam germinaret; ergo tertio die in quo facta ſunt, nonniſi cauſaliter & in ſemine tantùm creata ſunt.

Confirmari adhuc poteſt hæc opinio ratione quam immediatè ſubdit Moyſes; ait quippe: *Non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram, & homo non erat qui operaretur terram.* Expectabant ſcilicet hæc ſemina ut germinarent, & cœli pluviam, & labores hominum.

Verùm communis eſt ſententia, non ſolùm in ſemine, ſed & ſupra terram elevatas, tertio die fuiſſe productas plantas & arbores: apertè huic favet ſententiæ ſacer textus dum relato Dei juſſu, addit: *Et factum eſt ita, & protulit terra herbam virentem &c.*

Senſus autem verborum ex Geneſ. 2. eſt, Deum creaſſe herbam & virgulta cùm nondum germinaſſent; & licet eorum ſemina à primo die in terræ viſceribus includerentur, nihilominus tamen hæc à Deo fuiſſe producta, neque enim ſponte oriri poterant, aut ab homine nondum plaſmato curari.

ARTICULUS V.

De opere quarta diei.

QUartæ die creata fuêre ſol, luna, cæterique planetæ & ſtellæ; quomodo autem Deus ea creaverit non liquidò conſtat. Luna cæterique planetæ, utpote corpora opaca, ex materiâ craſsâ probabilius ad primum Dei nutum efformata ſunt, neque enim congruit ad vacillantes mechanicæ Carteſianæ leges recurrere; ſol autem & ſtellæ forſitan reſultant ex illis materiæ ſubtilis aggeribus quos primo die admiſimus: ſcilicet, Deo jubente, congregata fuit hæc materia ſubtilis, in diverſos cumulos diſtributa, motuque citiſſimo & vorticoſo donata, ſolem & ſtellas exhibuit.

Quomodo autem moveantur ſol & ſtellæ prorſus certum non eſt: Scripturæ magis conſonat terræ immobilitas, circulariſque aſtrorum motus; aſt minus aſtronomiæ convenire videntur. Quidquid ſit, hæc duo certa ſunt: primum, Deum potuiſſe alterutro modo ſolis & terræ motum aut immobilitatem ordinare: ſecundum, ſyſtema Copernicanum

nicanum

plicanum optimæ phyſices legibus vix eſſe conſonum; nam, ut cætera omittam, quomodo poteſt eadem terræ pars in ſignis diametraliter oppoſitis, eandem ſervare ſtellam verticalem? Verùm hæc ad Phyſicos.

Quærunt hic plurimi Theologi, quid ſit ſentiendum de pſeudovaticiniis Aſtrologorum. Nobis hoc certò tenendum eſt, docentibus Scripturâ & Patribus, prorſus vanam, falſam, damnabiliterque ſuperſtitioſam eſſe fidem hiſce prædictionibus adhibitam. Ita docent imprimis Tertullianus, SS. Auguſtinus, Ambroſius & Chryſoſtomus: nec mirum, cùm Aſtrologia hæc vaticinans tollat & Dei providentiam & hominis libertatem.

Nec juvant vanæ illius ſcientiæ defenſores verba ex Geneſeos 1. deſumpta: *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies & annos.* Aſtra quippe ſunt in ſigna, non actionum humanarum à liberâ voluntate dependentium, ſed dierum, menſium, annorum, temporis metendi, plantandi, ſerendi, navigandi, tandem ſerenitatis, tempeſtatis, pluviæ, venti &c. hæc enim ex aſtrorum intuitu quadantenus prænuntiari poſſunt, teſte Chriſto Domino Matth. 16. *Facto veſperè, dicitis, Serenum erit; rubicundum eſt enim cælum. Et manè: Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cælum* &c. Fatendum tamen eſt hæc non tam ex intuitu aſtrorum conjici, quàm ex diſpoſitione aëris interpoſiti lunam aut ſolem inter & oculos; ſed cùm vulgus pluviam ex pallidâ lunâ, ex rubicundâ verò ventum conjiciat, ſicut ex ſole manè rutilante, pluviam; rectè Moyſes aſſerit, aſtra fuiſſe data in ſignum ſerenitatis & tempeſtatis.

ARTICULUS VI.

De opere quinta diei.

Hac die ex aquis producti fuère piſces, nemine diſſentente, illos enim intelligi nomine reptilium animæ viventis certum eſt; cùm apud Hebræos, quidquid aut pedibus caret, aut adeò breves habet, ut reptandi potius quàm gradiendi facultatem præbeant, reptile dicatur: porrò cujuſcunque magnitudinis piſces hoc die creati fuêrunt, etiam & cete grandia.

Eadem die formatæ fuêrunt aves, teſte Scripturâ; at quâ ex materiâ creatæ fuerint, non conſentiunt Interpretes: Cajetano & Eſtio, ex terrâ; cæteris tùm veteribus tùm recentioribus, ex aquis productæ videntur. Porrò momenta quibus nituntur Cajetanus & Eſtius, ſatis gravia nobis non videntur, ut à communi ſententiâ, quæ docet aves ex aqnis productas fuiſſe, recedamus: maximè cùm prædicta ſententia à SS. Baſilio, Ambroſio, Auguſtino & aliis propugnata fuerit, verſionibusque 70. Chaldaicæ atque Vulgatæ ſit conſona.

ARTICULUS VII.

De opere ſexta diei.

Duo ſextâ die operatus eſt Dominus, beſtias terræ & hominem: de iis ſeorſim agendum.

De terra beſtiis.

Bruta animantia, ut homini famularentur, à Deo creata fuêre; nullum ergo, ante Adæ peccatum, homini infenſum erat brutum, ne quidem ipſe ſerpens, cujus inſidiæ pœna ſunt infelicis illius culpæ: hæc eſt SS. Patrum doctrina. Igitur poſt lapſum Adami in quorundam animalium famulatu agnoſcere debet quilibet homo, quale ſibi conceſſum fuerat in beſtias dominium; in cæterorum verò brutorum feritate agnoſcat neceſſum eſt filius Adæ, prompatentis & culpam & ſupplicium.

Utrum autem in ſeſe invicem inſurrexiſſent bruta, Adamo non peccante, quæſtio eſt parvi momenti: certè herba in pabulum fuerat illis conceſſa, idque indiſcriminatim, quæ quidem conceſſio è ſtatu adcò felici crudelitatem removere videtur; aſt beſtiarum domino in Deum peccante, & ſubverſa recti juſtique lege, ſicut homo in Creatorem, ita creaturæ in ſe invicem inſurrexêrunt.

Alteram hîc movent nonnulli Theologi quæſtionem circa brutorum animam, an ſcilicet detur in illis talis anima, aut utrum ſint puræ machinæ. Talem quæſtionem ad Philoſophos ſatius eſſet remittere; ſed ut methodo hodiernæ obſequium præſtemus, quædam paucis veniunt annotanda, ex quibus forſan ſoluta manebit quæ multis videtur intricata quæſtio.

Notandum igitur 1. quæſtionem hanc duplici modo ex utraque parte agitari poſſe, neque enim à non exiſtentiâ impoſſibilitas, aut à poſſibilitate concludi debet exiſtentia. Quæſtio ergo moveri poteſt, utrum poſſibiles ſint machinæ beſtiis ſimiles; & utrum bruta ſint de facto tales machinæ. Viciſſim ex alterâ parte quæri poteſt, utrum anima ſentiens belluarum ſit poſſibilis; deinde, num bruta ſint realiter tali animâ prædita.

Notandum eſt 2. ſolutionem quæſtionis, ſi de merâ poſſibilitate agitetur, ex utraque parte videri facillimam.

Aſſeri enim poteſt Deum poſſe producere machinam belluis ſimillimam: imò addam non videri Omnipotenti impoſſibilem machinam, quoad corporis ſtructuram, homini ſimilem, quæ articulatus edat ſonos, pedes moveat, cæteraſque mechanicè præſtet exteriores actiones, quas homo verus ex principio vitali, atque duce ratione operatur. Potuit ſiquidem Deus circumſtantias, occaſiones, in quibus hæc machina reperiri poſſet, prævidere, ſicut & varia quæſita ab hominibus ad ipſam directa: porrò hac poſitâ præviſione concipitur certâ quadam organorum corporeorum multiplicate, ac aptâ diſpoſitione Deum poſſe præſtare, ut mechanicè exterius ſe gerat hæc vana hominis imago, quomodo verus homo vitaliter extrinſecus ſe gereret & ageret.

Dici adhuc poteſt (ut varias antiqnorum Philoſophorum omittam ſententias) non videri impoſſibilem ſubſtantiam ſimplicem, partibus expertem, quæ ſolius ſenſationis & directæ ſenſibilium cognitionis ſit ſubjectum. Hanc ſubſtantiam donare nomine ſpiritûs non liceret, utpote irrationalem: eam dicere materiam repugnaret, cùm eſſet partium expers; medium ergo inter materiam & ſpiritum teneret talis ſubſtantia, quæ ad ſolam corporis conſervationem ordinata legitimè forma ſubſtantialis materialis appellari poſſet & deberet. Hæc ſententia non ſolùm non nocet animæ rationalis ſpiritualitati, quin ei maximè favet, & impiorum inſulſam doctrinam funditùs evertit: qui enim agnoſcere tenuit quamlibet materiam pro ſubjecto cujuslibet ſenſationis & directæ ſenſibilium cognitionis; hic ſanè eandem materiam non admitteret ſubjectum rationalitatis & cognitionum purè ſpiritualium.

Igitur nullam poteſt movere difficultatem quæſtio

ſtio de merâ poſſibilitate agitata ; cùm & anima brutorum poſſibilis ſit, nec repugnet machina belluæ ſimilis : licet enim omnes talis machinæ motus juxta leges phyſicas exponere non ita facile poſſimus, concipimus tamen eam non repugnare nec Omnipotenti eſſe impoſſibilem.

Notandum eſt 3. quòd ſi quæſtio moveatur de exiſtentiâ machinæ aut animæ ſentientis, non ita facilis occurrit ſolutio ; hæc quippe alterutrius exiſtentia nullo adhuc invicto videtur probata argumento : verùm ſi uni ſententiæ præ altera ſit adhærendum, fateor, arrideret magis exiſtentia animæ ſentientis ; etenim hæc duo mihi videntur tenenda.

Primum, virum Theologum in eam propendere debere ſententiam, quæ evidenti rationi non repugnans, litterali Scripturæ ſenſui magis conſonat. Namque licet ſacri Authores quandoque juxta imperiti vulgi opinionem loquantur, non tamen nulla cogente ratione, ad hanc ſolutionem recurrendum eſt, ſenſu litterali derelicto : porro multis in locis Scriptura loquitur de belluis, quaſi anima ſentiente eſſent præditæ: ſic Geneſ. 1. vocantur anima vivens; ſic ibidem belluis ſicut & hominibus donantur herba & arborum fructus ad veſcendum : *Dedi vobis*, inquit Deus, *omnem herbam & omnia ligna ut ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & univerſis quæ moventur in terrâ, in quibus eſt anima vivens.* Sic cap. 9. ejuſdem Libri, pepigit Deus fœdus cum belluis. *Statuam pactū meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro quæ vos, & ad omnem animam viventem quæ eſt vobiſcum, tam in volucribus quam in jumentis & pecudibus terræ, cunctis quæ egreſſa ſunt de arcâ, & univerſis beſtiis terræ, ſtatuam pactum meum vobiſcum, ut nequaquam ultra interficiatur omnis caro aquis diluvii.... Dixitque Deus : Hoc erit ſignum fœderis quod do inter me vos, & ad omnem animam viventem quæ eſt vobiſcum..... recordabor fœderis mei vobiſcum & cum omni animâ vivente quæ carnem vegetat &c.* Hæc ſanè ad putam putam machinam convenire nequeunt. Non mirum ergo ſi SS. Patres in eam deſcendant ſententiam, quæ belluis tribuit animam ſentientem.

Secundum eſt, quòd ſeclusâ authoritate, ſicut ex ſignis conſtantibus & non æquivocis rationalitatis in hominibus à nobis diſtinctis, certò concludimus iis ineſſe animam rationalem, quia hæc ſigna in nobis cum anima rationali conjunguntur; ita etiam ex ſignis conſtantibus & non æquivocis ſenſationum quæ videmus in belluis, debemus concludere iis ineſſe veram ſentiendi capacitatem : idem quippe ſenſus intimus qui movet ad agnoſcendam animam rationalem in hominibus à nobis diſtinctis, debet & movere ut fateamur animam ſentientem in brutis ; aut ratio quæ ex poſſibilitate machinæ ſimilis belluis concludit illius exiſtentiam, debet quoque (quod prorſus abſurdum eſt) arguere homines à nobis diſtinctos, puras eſſe machinas, quia potuit Omnipotens eos tales efformare.

De homine.

Homo ſextâ die creatus fuit, ab Omnipotente plaſmatus ; priùs adhibita velut quadam deliberatione, ut excellentia operis demonſtraretur. Uno creata fuêre verbo quæque irrationalia, aſt ubi de homine quæſtio fuit, *Faciamus*, inquit Deus, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Quid autem ſignificent hæc verba, *ad imaginem & ſimilitudinem*, primùm explorabimus; deinde agemus de anima, corpore, & individuo humano ex his duabus ſubſtantiis tanquam ex partibus reſultante.

De ſenſu verborum iſtorum, ad imaginem & ſimilitudinem.

Communior ſententia eſt, hæc verba, *ad imaginem & ſimilitudinem*, Geneſ. 1. idem ſignificare. Ita tradit S. Auguſtinus quæſt. 4. in Deuteron. Et certè cùm ſacer author dixerit : *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram ;* ſubdidit : *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum*, omiſsâ ſcilicet voce, *ſimilitudinem*, quæ & adhuc omittitur Geneſ. 9.

Duo hic quæruntur. Primum, quo ſenſu homo dicatur factus ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Secundum, an & mulier etiam ad imaginem Dei facta ſit.

PRIMA CONCLUSIO.

Imago Dei quâ donatus eſt homo, in collectione donorum ſpiritualium potiſſimùm conſiſtit.

Probatur recenſendo varias SS. Patrum opiniones.

Prima eſt eorum qui conſtituunt hanc imaginem in arbitrii libertate. Ita Tertullianus Lib. 2. contra Marcionem, S. Ambroſius Lib. 6. in Hexaëmeron, S. Bernardus, S. Damaſcenus, S. Hieronymus qui Epiſt. 146. ait : *Cæterùm homo fuit liberi arbitrii juxta quod ad imaginem Dei factus eſt.*

Secunda eſt Clementis Alexandrini, Theodoreti, Origenis, S. Chryſoſtomi, qui hanc imaginis rationem repetunt ex ratiocinandi facultate : *Homo ad ſimilitudinem Dei*, inquit Clemens Alexand. Lib. 6. Stromatum, *factus eſt, non propter ſuæ ſtructuræ figuram, ſed quoniam ut Deus ratione metitur omnia, ſic homo qui perfectâ cognitione præditus eſt, ex rationali facultate bonas & honeſtas actiones exequitur.*

Tertia hanc imaginem conſtituit in virtute, pietate & juſtitiâ ; hujus ſententiæ defenſores ſunt Clemens Alexand. Chryſoſtomus, Baſilius, Hieronymus &c.

Has omnes fermè ſententias recenſet & fusè proſequitur S. Auguſtinus in Libris de Geneſi contra Manichæos.

Et certè Apoſtolus Epheſ. 4. Coloſſ. 3. Fideles adhortatur ut renovent imaginem Dei in ſemetipſis, ſecundùm mentem, per expoliationem veteris hominis, viſcera miſericordiæ &c. ergo hæc imago Dei potiſſimum conſiſtit in collectione donorum ſpiritualium quibus præditus eſt homo.

Dixi potiſſimùm ; quia & quodam modo corpus humanum Dei imago dici poteſt, in quantùm aptum eſt organum ad functiones animæ obeundas.

Dices : S. Epiphanius Hæreſi 70. contendit animam non poſſe dici imaginem Dei, cùm Deus infinitis polleat perfectionibus, ipſa verò ſit maximè limitata : unde & ille S. Doctor non audet definire hanc imaginis Dei rationem, imo nec eam eſſe inquirendam aſſerit ; ergo &c.

Reſp. concedo ant, nego conſeq. Fateor S. Epiphanium non auſum fuiſſe hanc definire quæſtionem ; verùm non ita timidi fuerunt cæteri SS. Patres qui & ratiocinationem S. Epiphanii ſolvunt, duplicem diſtinguendo imaginem, perfectam unam quæ Deum perfectè exhibeat ; imperfectam alteram, quæ rudibus ſaltem delineamentis utcunque divinam exprimat majeſtatem, hancque poſteriorem imaginis rationem ſolam homini tribuunt.

SECUNDA

SECUNDA CONCLUSIO.

Mulier ſicut & vir ad imaginem Dei formata eſt.

Probatur: Geneſ. 1. & 5. poſtquam dixit Moyſes hominem creatum fuiſſe ad imaginem Dei, ſtatim ſubdit: *Maſculum & fœminam creavit eos.* Et cap. 9. cùm dictum eſt, *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius*, quæ lex æquè pro muliere ac viro lata fuit; ſtatim additur hæc ratio quòd, *ad imaginem Dei factus ſit homo*; ergo &c.

Et verò dotes animi ex quibus repetenda eſt hæc Dei imago, mulieri quoque competunt; unde eam quoque ad imaginem Dei factam aſſerunt unâ voce ſancti Patres.

De animâ humanâ.

Anima hominis varia ſortitur nomina pro variis quibus fungitur officiis: mens dicitur, dum verum percipit eique aſſentitur; voluntas ex boni proſecutione & fugâ mali; appetitus appellatur, cùm invigilat corporis conſervationi, ſive dolorem vitando, ſive bonum ſenſibile proſequendo; neque enim pro multiplicitate functionum multiplex agnoſcenda anima.

De illâ autem plura quæri poſſunt. 1. an ſit ſpiritualis. 2. an immortalis. 3. de facultate cognoſcitivâ. 4. de voluntate Verùm cùm hic redeant fermè omnia quæ diximus de Angelis, circa præſentes quæſtiones, ad ea remittimus: paucis duntaxat delibatis circa primam & ſecundam quæſtionem; deinde ſermonem habebimus de origine animæ

PRIMA CONCLUSIO.

Anima hominis eſt ſpiritualis.

Probatur 1. Ex Scripturâ, in quâ anima humana conſtanter dicitur ſpiritus: ſic Pſalm. 30. & 145. Lucæ 3. & 24. Act. 28. &c. Spiritus autem dicitur per oppoſitionem ad carnem, & comparationem ad Deum: ita 1. Cor. 3. *Quis hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? ita quæ Dei ſunt nemo novit, niſi ſpiritus Dei.* Ergo licet Scriptura quandoque corpora ſubtiliora & animam brutorum donet nomine ſpiritûs, nihilominus tamen animam hominis velut propriè dictum ſpiritum debemus accipere, innuente Apoſtolo, tradentibus Conciliis & SS. Patribus mox recenſendis.

Probatur 2. ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. in quo decretum fuit, *Deum ex nihilo utramque condidiſſe creaturam, ſpiritualem & corporalem, angelicam ſcilicet & mundanam; ac deinde humanam quaſi communem ex corpore & ſpiritu conſtantem.*

Probatur 3. ex SS. Patribus qui toti ſunt in probent contra Paganos, Epicuræos & impios, animam hominis verum & propriè dictum eſſe ſpiritum. Sufficiat S. Auguſtinus qui hæreſi 80. arguit Tertullianum quòd animam corpoream aſſeruerit; & Lib. contra Epiſtolam fundamenti illius ſpiritalitatem ratione probat: hanc eſſe ſuam ſententiam docet Epiſt. ad Hieron & ad Evodium ſcribens: *Nullo modo arbitror*, inquit, *animam de corpore exire cum corpore.*

Probatur 4. ratione: anima exercet operationes cujus incapax eſt materia, quocunque modo ſupponatur modificata: recordatur præteritorum, meminit abſentium, præſcindit à materiâ, abſtrahit à ſingularitate, percipit modificationem ſine ſubjecto, cogitat de ſpiritualibus, attingit virtutem, juſtitiam, pietatem; in ſemetipſam ſuaſque modificationes reflectit; rationes univerſales ſibi exhibet, ultra quaslibet extenſionis & durationis metas ſeſe extendit &c. Sed materia horum omnium incapax eſt, neque hæc poſſunt intelligi à materiâ procedere quâcunque figurâ, quocunque gradu motûs donatâ: de ſe enim iners eſt & paſſiva, nequit ſuam mutarare determinatoinem aut figuram, ſemper eadem procedit quantitate motûs, ſemper finita, limitata, unius figuræ &c. ergo &c.

Dices 1. Multi SS. Patres aſſerunt animam eſſe corpus. Ita Tertullianus, Irenæus, Lactantius, Caſſianus, Gennadius & Joannes Theſſalonicenſis in Synodo VII. ergo &c.

Reſp. 1. His Patribus plures opponuntur qui ſtant pro tuendâ animæ ſpiritalitate. 2. non ſunt ſibi conſtantes nonnulli ex his SS. Patribus, modò enim corpus, modò ſpiritum appellant animam hominis. 3. ut annotat S. Auguſtinus ſcribens ad S. Hieronymum, nomine corporis non ſemper intelligitur ſubſtantia extenſa, diviſibilis, figurata &c. ſed quidqoid exiſtit, aut ſaltem quidquid eſt & Deus non eſt.

Dices 2. Quod diſpoſitionibus corporis reſpondet, quod illius affectiones & impreſſiones ſequitur, illud corpus eſt: atqui talis eſt anima hominis; ergo &c.

Reſp. Aoimam hominis dependere quidem in pleriſque operationibus à motibus, impreſſionibus, affectionibus corporis cui unitur; aſt non in omnibus: multa ſiquidem ſunt officia animæ, ut conſtat ex probatione quartâ, quæ prorſus ſunt independentia ab affectionibus corporis; imò & eæ functiones animæ quæ impreſſionibus corporis magis ſubordinantur, eo exercentur modo qui materiæ competere nequit; cùm materia ſemper neceſſariò agat juxta phyſicas motûs leges, nec poſſit augere vel minuere quantitatem motûs aut eum ſibi tribuere, nec illius mutare determinationem; anima verò libera eſt, activa, domina averſionis aut proſecutionis objectorum, modò plùs modò minùs attendens ac reflectens, prout ipſi libuerit. Dependentia ergo animæ à corpore probat equidem utriuſque unionem, minimè verò ſubſtantiæ identitatem.

SECUNDA CONCLUSIO.

Anima hominis immortalis eſt ab intrinſeco; ab extrinſeco verò immortalitatem habet ex juſto Dei nutu ac juſſu.

Probatur prima pars: Ex mox dictis, anima humana ſpiritualis eſt: ſed ſpiritus utpote ſubſtantia ſimplex, nullum habet in ſe principium deſtructionis & corruptionis; quodnam enim illud eſſet? ergo &c.

Probatur ſecunda pars, quæ fide certa tenenda eſt: animam ſuperſtitem corpori docet Scriptura multis in locis: *Nolite timere eos*, inquit Chriſtus, *qui.... animam non poſſunt occidere; ſed potius timete eum qui corpus & animam poteſt mittere in gehennam.* Hanc autem gehennam eſſe æternam & ignis inextinguibilis, docuimus ſupra ubi de inferno tractabamus; unde omnes SS. Patres aſſerunt animæ immor-

immortalitatem, æterna impiorum ſupplicia, perpetuamque juſtorum felicitatem.

Et verò omnia præſenti in vita quandoque præpoſtero habentur ordine; peccatores exaltantur, juſti gemunt oppreſſi: debet ergo juſtus Judex tribuere aliquando unicuique ſecundùm ea quæ geſſit; ac proinde eſt altera vita in qua Deo ordinante, virtuti præmium, flagitio ſupplicium redditur. Hanc porrò vitam eſſe perpetuam fatebitur quiſquis attendit ad munificentiam remunerantis, & juſtitiam punientis: hic enim ſummus Deus eſt æternùm munificus & juſtus.

Nec eſt quòd teſtimonium conſcientiæ ſoletur juſtum & vexet impium: nam & hoc generatim verum non eſt; juſti quandoque ſcrupulis torquentur, & quo homo fit pejor eò minùs ſtimulis angitur. Adde quòd in tantùm conſcientia ſolatium affert juſto & torquet peccatorem, in quantùm ſupremi Judicis memoriam revocat; tunc enim juſtus meminit illius cui ſe credidit, & peccator timet viventem illum in cujus manus horrendum eſt incidere.

TERTIA CONCLUSIO.

Animæ non extiterunt ante corpora, nec ex traduce naſcuntur; ſed dum creantur à Deo, corporibus infunduntur.

Duplex eſt pars hujuſce Concluſionis. Prima contra Origeniſtas & Priſcillianiſtas aſſerentes poſt Platonem, animas in prima mundi geneſi creatas, & ob delicta præcedentis vitæ in corpora detruſas.

Secunda pars quæ eſt de traduce animarum, eſt contra Tertullianum, Apollinarem & quoſdam Latinorum præſumptores, ut loquitur Gennadius, quos tamen S. Hieronymus appellat maximam partem Occidentalium. Dubii circà hanc quæſtionem fuêre, duce S. Auguſtino, Gregorius, Eucherius, Salvianus, Caſſiodorus & Rabanus Maurus: anima autem ex traduce dicitur, cùm in materiam diſpoſitam recipitur per virtutem aliquam ex anima parentis remanente integrâ, profectam atque in ſemine relictam. His obſervatis,

Probatur prima pars. 1. ex Scripturâ Rom. 9. *Cùm nondum nati eſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali.* Non ergo ante hominis nativitatem animæ peccaverunt, imò nec fuerunt, neque enim otioſæ fuiſſent. Adde quòd Scriptura jugiter hominibus exprobrat peccata præſentis vitæ, non verò vitæ anteactæ. Unde autem tale ſilentium? niſi quòd nulla fuit vita præcedens. Tandem per peccatum primi hominis in corpore utique perpetratum intravit mors in mundum, Rom. 5. nec ſuppoſita adverſariorum ſententiâ, uſquam extitiſſet innocentiæ ſtatus, qualis à Scriptura deſcribitur & ab Eccleſia defenditur.

II. Ex SS. Patribus qui conſtanter adverſus Origeniſtas & Priſcillianiſtas inſurrexerunt. Videantur imprimis SS. Hieronymus Epiſt. ad Auguſtinum & Pammachium, Chryſoſtomus, Cyrillus, Leo & Bernardus: quod autem Magiſter affert ex S. Auguſtino Lib. 7. de Geneſi ad litter. iſtud inquirendo affertur, ſicut & alia multa in iiſdem Libris; vera autem illius habetur ſententia Lib. 12 de Trinitate, Lib. 1 Rettactationum & alibi. Eodem fermè modo loquendum de ſancto Hieronymo Comment. in Epiſt. ad Epheſios: ut enim ipſe admonet, in his Commentariis alienas ſæpè affert ſententias, ſuam autem ipſe declarat locis ſupra citatis.

Cæterùm negandum non eſt, in præſenti hypotheſi peccati primi parentis, corpus quale nunc eſt, corruptioni obnoxium & concupiſcentia depravatum, quodammodo verti in carcerem; unde hæc Pſalmiſtæ verba, *Educ de cuſtodiâ animam meam.*

Probatur ſecunda pars. Ab argumentis ex Scriptura petitis eò libentiùs abſtinebimus, quò S. Auguſtinus ſcribens ad ſanctum Hieronymum, clariùs oſtendit invicta non eſſe teſtimonia ab aſſertoribus noſtræ Concluſionis allata.

Verùm authoritate SS. Patrum evincitur hæcce doctrina: S. Hieronymus totus eſt ut eam adſtruat Epiſt. ad Auguſtinum contra Ruffinum & alibi. S. Hilarius in Pſalm. 63. & Lib. 10. de Trinit. dicit, *animam eſſe ex Deo, carnem verò ex carne*; quæ antitheſis ſtare nequit cum ſententiâ approbante traducem animarum. S. Ambroſius Lib. de Paradiſo aſſerit animam non fuiſſe ſumptam ex anima cùm formata fuit Eva, ſed os ex oſſe: & Lib. Noë & arca teſtatur modum quo anima in primo homine fuit, communem eſſe omnibus hominibus, nec poſſe hominem animam generare. Videantur adhuc S. Cyrillus Alex. Athanaſius, Gregorius Nyſſ. Chryſoſtomus, Bernardus &c.

Et verò prorſus inintelligibilis eſt hic modus productionis animarum. Quid enim erit hæc virtus immiſſa ab anima parentis ſine propria diminutione? Quomodo hæc eadem virtus iners & otioſa remanebit uſque dum efformatum atque diſpoſitum corpus? & unde poſthac extinctum reſumet vigorem? Quàm hæc ſint abſurda nemo non novit; ergo &c.

Quomodo autem noſtra præſens hæc doctrina ſtare poſſit cum dogmate de peccato originali, dicemus in Tractatu de peccatis: duo hic duntaxat animadvertere liceat. Primum, damnatam fuiſſe à Zozimo Epiſt. ad orbis Epiſcopos hanc Pelagianorum illationem: animæ creantur ſingulis in corporibus; ergo non traducitur peccatum originale. Secundùm, dogma de peccato originali tanquam de fide admitti ab omnibus Theologis, cùm tamen omnes ſtent pro creatione animarum; eſt ergo modus certus conciliandi utramque ſententiam.

Notandum eſt adhuc cum S. Auguſtino qq. in Geneſim & Leviticum, multoties in Scriptura vocem hanc, *anima*, ſumi pro vita animali, ut Levit. 17. *Anima omnis carnis in ſanguine eſt*; aut etiam pro animali ipſo: quo ſenſu Geneſ. 12. Abraham & Loth dicuntur tuliſſe ſecum omnes animas quas fecerant in Haram: & Jeremiæ 40. anima percuti dicitur dum homo occiditur.

De corpore humano.

Dari corpora non ſolùm fides docet, ſed & ratio demonſtrat adversùs Malebranchium: nec enim aliter ſentire licet ei qui Dei ſummè juſti & veracis exiſtentiam fatetur, & ſenſationes vividas, perpetuas & uniformes experitur. Quidquid enim vivido, conſtanti, perpetuo & uniformi ſenſuum teſtimonio refertur, illud, ſuppoſita Dei bonitate & veracitate, tenendum eſt; maximè cùm nullum eſt erroris detegendi medium: hæc autem reperiri conſtat ubi de corporum exiſtentia agitur; ergo &c.

De corpore autem Adami plura fingunt Thalmudici cæterique Rabbini: verùm his omnibus omiſſis, ſpectet unuſquiſque corpus humanum inter ſenſibilia Dei opera eminens machina eſt ſupremam

prem im artificis ſapientiam arguens,& ex ſolo contuitu athæos impioſque refellens. Tali in opificio mirabilis eſt contextura nervorum, conjunctio oſſium, varia muſculorum functio; organa diſtincta & inſtrumenta animæ nutui obſequentia; talis tandem partium ſitus, ut ex illo conjicere poſſit homo quale conceſſum ſibi dominium in beſtias, atque quale ſibi præparatum fuerit domicilium; ut enim canit Poëta:

Pronaque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera attollere vultus.

De individuo humano.

Ex animâ & corpore humanum reſultare individuum nemo diffitetur; aſt quomodo hæ duæ ſubſtantiæ inter ſe conjungantur, quo vinculo ſibi invicem adhæreant, non minima difficultas. Hæc autem ut ſolvatur, iſtud velut certum habendum eſt, animam eſſe formam hominis ſubſtantialem, ut loquitur Concilium Viennenſe, & ex illius conjunctione cum corpore reſultare totum ſubſtantiale.

Deinde triplex eſt diſtinguenda unio, localis ſcilicet, affectiva, & intentionalis. Unio localis præſentia eſt duorum in eodem loco ſeu contiguorum: affectiva, eſt amor propendens unum in alium, & viciſſim: intentionalis, actio eſt facultatis cognoſcentis attingens objectum cognitum.

Nonnulli exiſtimarunt ad unionem corporis & animæ non ſolùm requiri præſentiam localem, ſed & actionem phyſicam mutuam, ita ut anima phyſicè agat in corpus & viciſſim: quidam excludunt mutuam hanc phyſicam actionem, imò & unionem localem quam non exigunt ut eſſentialem humano individuo. Volunt hi, Deo jubente, occaſione motuum corporis excitari ſenſationes in anima, & vice verſa occaſione impreſſionum animæ exurgere motus in corpore; ac proinde etſi diſtans ſit anima, nihilominus tamen corpus regere poteſt. Jam verò certum eſt ad unionem ſubſtantialem non ſufficere unam ſolam ex his tribus unionibus ſupra diſtinctis; nec enim præſentia eidem locu, mutua cognitio, aut amor mutuus, poſſunt conſtituere quoddam totum ſubſtantiale: aliunde verò unionis affectivæ & intentionalis corpus minimè capax eſt, illud autem vinculum quo conjunguntur anima & corpus, mutuum eſſe debet; hinc ſit ut etiamſi anima poſſet phyſicè agere in corpus, attamen hæc unio in actione phyſicâ conſiſtere non poſſet, quia corpus non poteſt vice versâ agere in animam.

Certum adhuc videtur unionem localem, etſi non ſufficiat, tamen requiri; neque enim intelligitur totum quoddam ſubſtantiale & unum coaleſcere ex duabus ſubſtantiis à ſe invicem diſtantibus. His prænotatis ſit

CONCLUSIO.

Suppoſitâ præſentiâ locali animæ & corporis, in eo conſiſtit unio utriuſque illius ſubſtantiæ, quòd juxta legem à Deo conſtitutam, occaſione motuum in partibus organicis corporis ſint ſenſationes in animâ, quas ſequuntur propenſiones, odia &c. & occaſione illarum impreſſionum in animâ, excitentur motus in corpore, aut illorum mutentur determinationes, aut eorum quantitas augeatur vel minuatur.

Probatur: quia hac poſita ſententia rectè intelligitur quomodo ex anima & corpore exurgat una ſubſtantia compoſita; tunc enim ex illa unione fluunt omnes hominis perfectiones, corpus ſuis gaudet proprietatibus, ſicut & anima: porrò ut intelligatur una ſubſtantia, requiritur & ſufficit ut omnes ſuas intelligatur habere perfectiones, nec plures; ergo &c.

Dices: Dantur motus in corpore qui ſenſationes non excitant in anima; ergo &c.

Reſp. Hos motus corporeos ſuas plerumque excitare ſenſationes, quæ ideo nullæ videntur, quia ad eas nullatenus anima attendit; ſic Sacerdos ille Africanus de quo S. Auguſtinus Lib. 14. de civit. Dei cap. 24. qui nullo dolore tangebatur dum corpus igne urebatur, quia non attendebat ad illos motus. Dixi, plerumque: poteſt enim aliquando fieri ut adeò vehemens ſit certus quidam motus in corpore, ut aliut ſuam non exciret ſenſationem in anima motu vehementiori occupata; ita miles in prælio totus ad vulnera infligenda, proprium non ſentit vulnus ira ferveſcente.

Dices 2. Si motus corporis dependent ab arbitrio animæ, pigmæus poſſet opprimere gigantem; nulli eſſent motus in corpore neceſſarii; ergo &c.

Reſp. Equidem motus corporis dependent ab anima, ſed habita ratione machinæ corporeæ; hinc anima non poteſt augere ad libitum gradus motûs propter infirmitatem organorum, nec aliquando mutare determinationem motûs, aut illum deſtruere propter pravam rudemque organorum diſpoſitionem; proindeque dum plures corporis motus ſubjiciuntur nutui animæ, illius dominium agnoſcimus; cùm nonnulli in corpore motus involuntariè excitantur, fateri cogimur ſicut & experiri miſeram illam ſervitutem quam in genus humanum induxit infelix noſtri protoparentis culpa.

Atque hæc de opere ſex dierum dicta ſufficiant. Quaſdam Quæſtiones conſultò omiſimus, plerasque breviori attigimus ſtylo, quia levioris momenti videbantur, aut alibi de iis diſſerendi opportunior locus aderit: nonnullas quidem fusè proſecuti ſumus, ſicut exigebant materiæ gravitas, adverſariorumque dignitas vel numerus. In his autem ſicut & cæteris ſi quid nobis incautis excidit, hoc pro non dicto habemus atque haberi cupimus & exoptamus.

Finis Tractatûs de opere ſex dierum.

APPENDIX

Inſtar Supplementi ad Loca Theologica.

Animus erat varias quæſtiones ad Loca theologica pertinentes uberiùs ac copioſiùs diſputare: verùm cum premat voluminis moles, ad opportunum tempus propoſiti executionem ſic differre licebit; ut ſacræ Facultatis Candidatis deeſſe non videamur. Igitur ſervatâ ad integrum volumen fuſiori plurium, haud ſanè ingratarum quæſtionum expoſitione, ita hic paucis agemus, ut ad Baccalaureatûs gradum anhelantes, & ad ſacros Ordines ſeſe diſponentes, in utroque tomo ea reperiant, quibus, in præviis examinibus tenentur ſacere ſatis.

Pertractatis ergo in priori Tomo quæ ad Scripturam & Concilia in genere pertinent; triplex erit hujus præſentis Appendicis pars.

Prima erit de Libris Scripturæ in particulari.

Secunda, de Conciliis etiam in particulari.

Tertia denique de cenſuris & notis Theologicis Horum omnium cognitio quàm ſit viro Theologo neceſſaria nemo non videt.

De Libris Scripturæ in particulari.

Primùm de veteris Teſtamenti, poſthac de novi Teſtamenti Libris agemus, eoque ordine quo in Canone recenſentur, & eâ methodo ut breviter exponamus 1. argumentum Libri. 2. quâ linguâ exaratus fuerit. 3. quis ſit illius author.

ARTICULUS PRIMUS.

De Libris veteris Teſtamenti.

Quæres 1. quid ſit *Pentateuchus*?

Reſp. *Pentateuchum* volumen eſſe ex quinque prioribus Scripturæ Libris hebraicè exaratis, conſtans, nempe ex *Geneſi, Exodo, Levitico, Numeris* & *Deuteronomio*.

Geneſis exordium mundi, diluvii, turriſque Babelicæ hiſtoriam, vocationem Abrahami, illius & filiorum peregrinationem narrat ad mortem uſque Joſeph.

Exodus à morte Joſeph ad erectum tabernaculum extenditur, complectiturque duram Iſraelitarum ſervitutem, miram illorum per manum Moyſis liberationem, & primam Legis promulgationem.

Leviticus ſic dictus fuit, quia de cæremoniis, ritibus, victimis, cæteriſque ad functiones leviticas pertinentibus, fuſè tractat.

Numerorum initio Moyſes & Aaron populum recenſent: continentur inſuper in eodem Libro Judæorum geſta in deſerto per 39. annos, & 42. in eo Iſraelitarum manſiones.

Deuteronomium, id eſt ſecunda Lex, brevi præteritorum narratione incipit, Legis promulgationem coram filiis in deſerto defunctorum addit; tandem peracta anno quadrageſimo manſionis in deſerto refert; ſubditur mors Moyſis.

Pentateuchi authorem eſſe Moyſen certiſſimum eſt, idque contra Hobbeſium, Spinoſam, eorumque ſequaces invictè demonſtratur.

I. Ex Scripturis. Deuteronomii 24. aſſeritur Moyſen ſcripſiſſe omnes ſermones Domini: *Scripſit autem Moyſes*, inquit textus ſacer, *univerſos ſermones Domini..... aſſumenſque volumen fœderis, legit audiente populo.* Et Exodi 34. v. 17. *Dixitque Dominus ad Moyſen: Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Iſrael pepigi fœdus.* Rurſus Deuteronomii 32. reperitur canticum Deo jubente, à Moyſe exaratum. Hinc paſſim in Libris utriuſque Teſtamenti mentio habetur de Lege & Libro Moyſis, ſic Actor. 15. &c.

II. Idem probatur ex conſtanti Judæorum, Samaritanorum & Chriſtianorum Traditione, qui licet communione & doctrinâ plurimùm inter ſe diverſi, conſtanter tamen Pentateuchum Moyſi tribuunt. Sanè Homeri, Virgilii, Ariſtotelis, Ciceronis, eſſe quæ eorum dicuntur opera, nemo ſanæ mentis in dubium revocat, ob perpetuam ac unanimem hâc de re Græcorum & Latinorum conſenſionem: quantò magis Pentateuchus Moyſis eſſe credendus eſt, cui non Judæi modo, ſed & Chriſtiani ſummo conſenſu teſtimonium perhibent?

III. Denique; quotquot ab Eccleſiæ exordio Canones Librorum ſacrorum conditi ſunt, Pentateuchum Moyſi adjudicant. Ita S. Auguſtinus Lib. 15. de civit. Dei c. 15. S. Hieronymus Epiſt. ad Paulinum; Innocentius I. in Epiſtolâ ad Exuperium; Laodicena Synodus Can. 8. Romana ſub Gelaſio I. & Trident. Seſſ. 4.

His adde Porphyrii & Juliani infenſiſſimorum Chriſtianæ Religionis hoſtium teſtimonia, qui Pentateuchum à Moyſe conſcriptum fuiſſe agnoverunt.

Levia porrò ſunt ac nullius planè roboris; quæ in contrarium opponunt adverſarii: hæc quippe evaneſcunt ſi meminerit lector, Prophetam fungi munere hiſtorico; aut quædam fuiſſe ad clariorem locorum & urbium intelligentiam, Deo inſpirante, ab Eſdrâ immutata.

Quæres 2. qui ſint Libri *Joſue*, *Judicum* & *Ruth*. De Libris Joſue, Judicum & Ruth.

Reſp. Bella Joſue cæteraque fortis illius Judæorum Ducis geſta contineri in Libro Joſue. Hic videtur populus, vadato Jordane, prælians prælia Domini, Cananæos deſtruens, urbes illorum occupans, promiſſioniſque terram dividens per Tribus & familias. Hic liber hebræâ linguâ à Joſue ipſo creditur exaratus, nec immeritò; ipſum enim ſcripſiſſe conſtat ex capite ultimo præſentis Libri, & Eccleſ. 26.

Liber *Judicum* ſic appellatur, quia geſta continet Ducum illorum qui Iſraeliticæ Reipublicæ cu-

tam ſuſceperunt : hiſtoriam exhibet à morte Joſue uſque ad Samſonis obitum.

Liber *Ruth* mulieris alienigenæ erga ſocrum pietatem narrat & Dei liberalitatem : ex Moabitide proavâ Davidis Chriſtus Jeſus naſciturus prænuntiatur , qui in unum tugurium gentes & Judæos congregaturus erat.

Judicum & *Ruth* authores incerti, Samuelem libenter crediderim utriuſque ſcriptorem linguâ itidem hebræâ.

De Libris Regum & Paralipomenon.

Quæres 3. qui ſint Libri *Regum* & *Paralipomenon*.

Reſp. Libros *Regum* ſic dictos, quia Regum Juda & Iſrael facta recenſent : quatuor numerantur. In primo legitur Heli & Samuelis adminiſtratio , Saulis unctio in Regem , illiuſque à Deo facta reprobatio. Secundus , ſolius Davidis geſta exponit. Tertius, ſapientiam & majeſtatem Salomonis exhibet, ſicut & ſciſſionem Regni ſub Roboamo, ac tandem quatuor Regum Juda & octo Regum Iſrael actiones deſcribit. Quartus demum Liber hiſtoriam proſequitur uſquè ad extinctionem utriuſque Regni; Iſrael quidem ſub Salmanazaro Rege, qui decem Tribus in Aſſyrios tranſtulit ; Juda verò per Nabuchodonoſor , qui Sedeciam vinctum una cum populo Babylonem deportavit.

Horum Librorum authores incerti : duo primi uno volumine in Canone Judæorum contenti , Samueli adſcribuntur ; quo titulo creditur ipſum incœpiſſe hujus hiſtoriæ narrationem, quam deinde proſecuti ſunt Prophetæ conſtanter tunc ſibi ſuccedentes, & cui finem fortaſſis impoſuit Jeremias, captivitatis Judaicæ & deſolationis Hieroſolymitanæ teſtis ; hinc patet hos Libros hebraicè fuiſſe exaratos.

Paralepomenon Libri duo ſic appellantur, quod prætermiſſa in aliis Scripturæ Libris compendioſè referant. Apud Judæos unico volumine conſtant , quod ab ipſis Liber dierum dicitur , quia inſtar diarii & velut chronicon ab Adami creatione uſque ad captivitatis ſolutionem per Cyrum geſta recenſent. Tantæ ſunt utilitatis, juxta S. Hieronymum Epiſt. ad Paulinum cap. 7. ut ſine illis Scripturæ ſcientia haberi non poteſt. Horum Librorum author creditur Eſdras , ſive eos ex integro compoſuerit, ſive ex iis quæ litteris mandata fuerant , illos collegerit. Lingua ergo hebræo-chaldaica ſcripti fuerunt ; hæc enim poſt captivitatem ſola viguit.

De Libris Eſdræ.

Quæres 4. qui ſint *Eſdræ* Libri.

Reſp. quatuor haberi *Eſdræ* Libros : duo primi canonici, poſteriores verò ſunt apocryphi. In duobus primis habentur quæ ſoluta captivitate acta ſunt, tùm ſub Eſdra, tùm ſub Nehemia : primi author Eſdras , ſecundi Nehemias qui ſemper in primâ perſona loquitur in hoc libro ; ita communiter interpretes. Unum eſt quod aliquam videtur facesſere difficultatem ; ſcilicet primi *Eſdræ* 2. Nehemias anno Artaxerxis 7. venit Jeroſolymam ; & Joſephi Lib. 11. cap. 8. obviam venit Alexandro hanc urbem ingredienti facta Tyri obſidione; quæ quidem ſtare nequeunt, niſi pervenerit ad annum fermè ducenteſimum. Verum ad iſtud duplex occurrit reſponſio.

Prima eſt, Joſephum hiſtoricis deficientibus monumentis conjunxiſſe tempora Nehemiæ & Alexandri ; ſilet ſiquidem Scriptura de iis quæ per illud temporis ſpatium geſta ſunt.

Secunda erit , Nehemiam de quo 1. Eſdræ 2. non eſſe illum qui Pincerna Artaxerxis illius regni anno 20. Jeroſolymam aſcendit ; unde illi datis viginti ſupra centum annis potuit Alexandrum videre, quod incredibile non eſt , ut conſtat exemplo Joiadæ Sacerdotis , qui paucis ante ſæculis 2. Paralip. 24. legitur vixiſſe centum triginta annis.

De Libro Tobiæ.

Quæres 5. quis ſit Liber *Tobiæ*.

Reſp. Librum *Tobiæ* ſic nuncupari , quia utriuſque Tobiæ patris ſcilicet & filii geſta continet. Ad mores inſtruendos illum eſſe perutilem nemo diffitebitur , cum exempla pietatis in Deum , charitatis in proximum, tolerantiæ in adverſis proponat , & quantis compenſentur muneribus , edoceat. Uterque Tobias ex juſſu Angeli author eſt illius Libri, adjectis duntaxat ab authore incerto Tobiæ junioris obitus circumſtantiis. Ipſum in latinum ſermonem tranſtulit S. Hieronymus ex chaldaico ſtylo, quo primum exaratus videtur.

Inter canonicos recenſetur Tobiæ Liber , de cujus authoritate , ſi quando dubitatum fuit , hoc evenit quòd in Judæorum Canone ab Eſdra compilato non reperiretur : verum ab Eccleſia ſemper agnitus ut divinus, in Conciliis Hipponenſi & Carthaginenſi , in Canone Gelaſii &c. inter canonicos recenſetur. Quæ autem ibi mendacia Angelo affinguntur ea ritè exponuntur, ut conſtat ex dictis Tractatu de Angelis.

De Libro Judith.

Quæres 6. quis ſit *Judith* Liber.

Reſp. hunc Librum hiſtoriam Judith illuſtris feminæ continere , & ex illius lectione patet Deum quandoque infirma mundi eligere ut quæque fortia confundat. Libri hujus author incertus eum chaldaico ſtylo exaravit.

Librum *Judith* à canonicis expungunt Lutherus, Grotius , cæterique Heterodoxi ; imò & de veritate narrationis dubitantes, hiſtoriam in fabulam, parabolam & tragœdiam mutare non verentur.

Verum Librum Judith in primævis ſacræ Scripturæ Canonibus , Hipponenſi anno 393. Carthaginenſi anno 397. in Epiſt. Innocentii I. ad Exuperium, & in Synodo Romana ſub Gelaſio I. legi certum eſt: præterea verba ex illo Libro deprompta, velut à Spiritu ſancto afflata , jugiter inculcant SS Patres. De illius ergo canonicitate dubitandi nulla occurrit ratio; nec enim Eſdrinus Canon omnes Scripturæ Libros recenſet.

Quod de canonicitate Libri dictum eſt , aſſeri quoque debet de veritate hiſtoriæ in illo contentæ, cum nullatenus fabulæ ſpeciem præ ſe ferat, eamque hiſtoriam velut realiter peractam ſemper habuerint SS. Patres. Peracta autem eſt , vel ante captivitatem Babylonicam , Manaſſe in vinculis gemente ; vel ſoluta Judæorum captivitate, quo tempore Xerxes cum Cyro II. pro imperio Perſico dimicabat : tunc enim vincula Medorum & Chaldæorum ſolvere conati ſunt utriuſque populi Principes Arphaxad & Nabuchodonoſor pro more dicti.

De Libro Eſtheris.

Quæres 7. quis ſit *Eſtheris* Liber.

Reſp. hoc in Libro miram Judæorum liberationem per Eſtherem factam contineri. Novem priſtina hujus Libri capita hebræo-chaldaicè creduntur ſcripta poſteriora vero linguam græcam redolent. Author Libri Eſtheris incertus , aliis Eſdras , nonnullis Joakimus Sacerdos , cæteris eſt Mardochæus, quæ poſtrema opinio valde videtur probabilis.

Canonicus eſt iſte liber quoad novem priora capita, tum apud Judæos , cum apud Chriſtianos: hiſtoriam veram continet, quidquid in contrarium clamitent Anabaptiſtæ; ſancti etenim Patres ſummo conſenſu Eſtherem ut veram perſonam laudibus celebrant : aſt ſub quo Perſarum Rege peracta fuerit, incertum prorſus eſt; alii Darium , alii Ar-

taxerxem Ochum, nonnulli Artaxerxem Longimanum, quidam tandem Ciazarem Aſtiagis filium aſſignant, ipſe eſt & Danielis Darius Medus.

De ſeptem poſterioribus capitibus quæ in hebræo deſunt, quædam fortaſſis moveri poſſet diſceptatio: aſt cùm in antiqua Vulgata qua utebatur Eccleſia & græco textu reperiantur, certum videtur ea à Patribus antiquis & Conciliis Canonem efformantibus, inter divinas recenſeri Scripturas; unde Origines, SS. Chryſoſtomus, Auguſtinus &c. imò & Joſephus quædam ex his ſeptem capitibus excerpta velut divina depromunt. Hiſce momentis ducta ſacroſancta Synodus Tridentina, de Libro Eſtheris cum omnibus ſuis partibus pronuntiat eum eſſe divino afflante Spiritu exaratum.

De Libro Job.

Quæres 8. quis ſit *Job* Liber.

Reſp. Librum *Job* eximium pietatis ac patientiæ exemplar in ſanctiſſimo exhibere viro. Authòr Libri *Job* incertus, non incongruè tamen Moyſi adſcribitur, qui probabilius illum exaravit in deſerto, ut populum à Deo probatum ſolaretur illiuſque animos erigeret.

Veram eſſe Job hiſtoriam adversùs quoſdam Neotericos tenet Eccleſia; nec immeritò, cum Scriptura & Patres de ſanctiſſimo illius viro, tanquam de perſona quæ aliquando extiterit, jugiter loquantur. Accedit conſenſus utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ quæ Job ut ſanctum colit, cujus feſtum ſexto Idus Maii in Martyrologio Romano recenſetur. Allegorica ſunt perſonarum nomina hoc in Libro, Deo ſic providente, ut vel ſolum perſonæ nomen indicaret quid futurum ipſi erat.

Quæres 9. quis ſit *Pſalmorum* Liber.

Reſp. Pſalmorum Librum compendioſam eſſe totius Legis narrationem.

Metricè exarati ſunt Pſalmi, & pulſato pſalterio decantati, hinc illorum nomen. De Pſalmorum authore duplex ſententia: prima eos ſoli Davidi tribuit, ſecunda præter Davidem Aſaph & alios nonnullos agnoſcit, quorum nomina titulis Pſalmorum præfiguntur: utraque ſententia gravi Patrum inter ſe diſcrepantium authoritate innititur, neutra improbabilis; aſt quæ certior ſit, diſſonantibus Patribus, variante ſancto Auguſtino, definire non audemus.

Quæres 10. qui ſint Libri Sapientiales.

Reſp. quinque diſtingui Libros Sapientiales, ſic dictos, quia præcepta exhibent ad mores inſtruendos idonea, hominesque ad ſapientiam manuducunt.

Primus eſt Proverbiorum Liber, ſeu Parabolarum, qui ſub verbis uſitatis altiſſimum tegit ſenſum. Illius author Salomon, etiam poſteriorum capitum, ut conſtat ex ſancto Hieronymo proœmio in Librum Proverbiorum.

Secundus eſt Eccleſiaſtæ Liber, qui authorem ſuum Salomonem non obſcurè deſignat. Hoc in Libro creaturæ vanitatem, quidquid in contrarium jactent impii, demonſtrat Sapiens; hinc concludit timorem Dei & mandatis illius obſequium fidele totum conſtituere hominem illorum quippe adminiculo pacem in terris, in cœlis verò gloriam quiſque adipiſci poteſt.

Tertius Sapientialis Liber eſt Canticum Canticorum, ſic dictum quòd præ omnibus canticis excellat: Salomoni quoque adſcribitur, nec immeritò, atque ſpirituale eſt epithalamium unionis Eccleſiæ cum Chriſto, B. Virginis cum Deo, animæ juſtæ cum Spiritu ſancto.

Quartus eſt Sapientiæ Liber à Judæo quodam Helleniſta græcè, ut innuit S. Hieronymus, forſan exaratus, & ex ſententiis à Salomone quondam prolatis confectus: ad amorem ſapientiæ vehementer excitat; hinc illius nomen.

Quintus tandem liber eſt Eccleſiaſticus, qui in eundem ac cæteri ſcopum collimat. Ejus author eſt Jeſus filius Sirach, qui eum hebræa lingua exaravit & illius nepos in græcam tranſtulit.

De hiſce duobus poſtremis Sapientialibus Libris mota eſt olim difficultas num ſint divinæ authoritatis. Negarunt quidam, præſertim cum Canon Eſdrinus de iis ſileat: at majores Eccleſiæ in ſuis Canonibus, præcipuique Patres in ſuis Libris eos inter Libros divino afflante Spiritu exaratos recenſent; unde canonici ſunt, ſed ſecundi ordinis, cum de illorum authoritate à quibuſdam olim dubitatum ſit: quæ quidem ſententia, teſte Concilio Tridentino, etiam ad prologum Eccleſiaſtici extendi debet.

Quæres 11. qui ſint majores Prophetæ.

Reſp. quatuor Prophetas majores appellari quòd plura vaticinarunt. Primus eſt Iſaias, filius Amos Joſiæ Regis ut putatur fratris: hic non tam Propheta, quam Evangeliſta dicendus reſpectu Chriſti & Eccleſiæ.

Secundus eſt Jeremias in utero matris ſanctificatus, per 45. annos ſub poſtremis Judæ Regibus Propheta. Vaſtationem urbis populique deſolationem threnis ſeu lamentationibus metricè digeſtis deflevit; ad captivum populum Epiſtolam direxit à Baruch in ſua Prophetia conſervatam: porro threni, Baruch Prophetia, & Epiſtola Jeremiæ divinæ ſunt authoritatis. Horum expreſsè meminerunt plerique Patres, ſilent cæteri ſub nomine Prophetiarum Jeremiæ hæc omnia includentes; aſt omnes excerpta de illis depromunt velut è divinis Litteris loca.

Tertius eſt Ezechiel ex nobili Sacerdotum genere oriundus, qui anno quinto tranſmigrationis ſuæ cum Jechonia prophetare cœpit. Hic oceanus eſt & myſteriorum Dei labyrinthus, teſte S. Hieronymo, myſtico ſenſu involutus: plura prænuntiavit de Chriſto, de Eccleſia, deque populo Judaico ac cæteris.

Quartus eſt Daniel, puer translatus in Chaldæam, in aulâ enutritus, vir deſideriorum: clarè novit tempus adventûs Meſſiæ, clarè illud prænuntiavit; de diverſis imperiis ſuper addit multa chaldaicè ſcripta. De puerorum cantico, de Suſanna, de Belo & dracone quæritur utrum quæ narrat divinæ ſint authoritatis; non leguntur enim in hebræo Canone: legit tamen quondam Theodotion, cui accedit Eccleſiæ authoritas, quæ narrata à Daniele ut divina ſuſcipit & ad tremendum tecitat altare: accedit & Patrum conſenſus, qui loca ex his narrationibus velut divinæ authoritatis congerunt. Hinc patet quam à veritate aberrent qui has Danielis partes negant divino dictante Spiritu exaratas.

Quæres 12. qui ſint minores Prophetæ.

Reſp. duodecim numerari Prophetas minores id eſt qui pauciora prænuntiarunt. Primus Oſee Synagogæ reprobationem Gentiumque vocationem annuntiat. Secundus Joel terræ ſuæ vaſtitatem prædicit, pœnitentiæ planctum & luctum poſtulat: Meſſiam pollicetur & Spiritum ſanctum, locum poſtremi Judicii deſignat.

Amos Paſtor ovium de Thecua, decem Tribuum & Regni Judæ vaſtationem vaticinatus eſt; id ipſum annuntiat Idumæis Abdias: minatur Ninivitis Jonas, à ceto abſorptus & poſt tres dies evomitus Chriſti ſepulturam & Reſurrectionem præfigurans.

Michæas univerſis Abrahæ filiis ſupplicium idola-

lolatriæ pollicetur : locumque nativitatis Chriſti oſtendit. Nahum ſuperbis Ninivitis ; Habacuc populo ſuo per Chaldæos ; Sophonias Judæis cæteriſque Orientalibus populis deſtructionem portendunt, nec de felici Eccleſiæ ſtatu poſt Chriſtum ſilent.

Aggæus & Zacharias populum è captivitate reducem hortantur ad ædificationem urbis & Templi, quod ille prænuntiat ex præſentia Meſſiæ decorandum: hic triumphalem vaticinatur Chriſti ingreſſum ſuper pullum aſinæ.

Malachias Prophetarum ultimus, ad obſervanda Legis præcepta & ritus adhortatur, incruentique ſacrificii Deo digni mentionem habet.

Quæres ultimò qui ſint Machabæorum Libri,

Reſp. duos Machabæorum Libros ſtatum gentis Judaicæ ſub dominatione Græcorum exhibere; ſic appellantur à Machabæis viris illuſtribus qui jugum gentile excuſſerunt. Primi author creditur Joannes Hircanus, ſecundi, Judas Eſſæus, ſicut & Epiſtolæ huic Libro præfixæ, uterque coetaneus, & teſte Joſepho divino afflatu inſpiratus. Liber primus hebræo-chaldaicè exaratus eſt; ſecundus græcè. Cum uterque Liber in veteribus pleriſque Canonibus inter divinos habeatur, cùm Patres eos divina inſpiratione ſcriptos aſſerant, immeritò inter apocryphos rejiciuntur ab Heterodoxis; nec moveat chronologiæ diverſitas. Primus enim à verno tempore juxta æram Judaicam; ſecundus ab autumno ſecundùm æram Alexandrinam annos computat.

ARTICULUS II.

De Libris novi Teſtamenti.

Quæres 1. quæ ſint quatuor Evangelia, & quis Actuum Apoſtolorum Liber,

Reſp. Evangelium idem ſonare ac bonum nuntium; unde meritò hoc nomine donatur hiſtoria Chriſti, qui gloriam Deo, viam errantibus, vitam mortuis, pacem juſtis attulit.

Quadruplex autem eſt illius vitæ Hiſtoricus, nec plures nec pauciores agnovit uſquam Eccleſia, quæ inter apocrypha ſemper rejecit Hæreticorum quorundam pſeudoevangelia.

Primus Evangeliſta S. Matthæus ante Apoſtolorum diſpertionem hæbreo chaldaicè ſcribens Chriſti hiſtoriam, eo potiſſimùm fine ut oſtenderet adimpletas in Verbo Dei de Meſſia prophetias.

Secundus S. Marcus ſancti Petri diſcipulus & interpres, qui latinè, ſecundum Baronium & quoſdam recentiores; græcè, juxta S. Hieronymum, ſuam exaravit hiſtoriam.

Græco adhuc idiomate, ex iis quæ audierat & acceperat à B. Virgine & Apoſtolis, ſuam delineavit narrationem S. Lucas.

Quartus tandem Evangeliſta S. Joannes Apoſtolus, ſub Nerva Principe, rogantibus Aſiæ Epiſcopis, ad aſſerendam præcipuè Chriſti divinitatem ſuum græcè ſcripſit Evangelium.

De Duodecim ultimis verſibus S. Marci, de hiſtoriis, de ſudore Chriſti ſanguineo apud S. Lucam, & Mulieris adulteræ apud S. Joannem, mota quondam fuit quæſtio, an hæc loca ſint genuina: verùm hæc legente Eccleſia, tradente Concilio Tridentino, velut canonica, omni remota ſuſpicione, recipienda ſunt.

Quatuor Evangelia excipit Actuum Apoſtolorum Liber à S. Luca individuo ſancti Pauli comite & fido diſcipulo græcè exaratus, ſemper agnitus ut canonicus. Narrat iſte Liber geſta Apoſtolorum à Chriſti Aſcenſione uſque ad illorum diſperſionem addit & ſancti Pauli peregrinationes ab ejus converſione uſque ad tempus quo captivus Romam ductus eſt.

Quæres 2. quæ & quot ſint S. Pauli Epiſtolæ.

Reſp. quatuordecim aſſignari S. Pauli Epiſtolas, ad Romanos ſcilicet, duas ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duas ad Theſſalonicenſes, ad Timotheum duas, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos.

Hoc ordine recenſentur, non ratione temporis, ſed ratione dignitatis, ut primùm quæ ad Eccleſias, ſecundò quæ ad perſonas particulares directæ ſunt, legantur; ſi tamen ad Hebræos Epiſtolam excipias, de qua dubitatum à nonnullis aliquando fuit: hæc juxta pleroſque hebræo-chaldaicè ſcripta, cæteræ verò græcè: de 13. primis nulla movetur difficultas, ſemper habitæ ut canonicæ,

Epiſtolam ad Hebræos canonicam eſſe conſtat: tùm quia in omnibus, quotquot editi ſunt Canonibus, refertur: tùm quia omnes Græci ipſam recipiunt, teſte ſancto Hieronymo Epiſt. 126. tùm denique quia inſigniores Patres Latini ex ipſa velut ſacra & per Apoſtolum ſcripta paſſim teſtimonia depromunt.

Author illius Epiſtolæ S. Paulus, quidquid in contrarium aſſerant nonnulli. Ita cum inſignioribus Patribus tenent Concilia Laodicenum, Carthaginenſe III. Romanum ſub Gelaſio, Florentinum, & Tridentinum in ſuis Canonibus. Nomen tamen non præfixit Apoſtolus qui Librum potius quàm Epiſtolam exarabat, unde perpaucis ſe ſcripſiſſe aſſerit: aſt propriam adhibet ſubſcriptionem, *Gratia cum omnibus vobis, amen*; ſtylo ſublimi loquitur, excelſa tractans, figuris utens, ad eruditos in Lege loquens.

Quæres 3. quæ & quot Epiſtolæ ſunt catholicæ.

Reſp. ſeptem eſſe Epiſtolas quæ catholicæ appellantur, quia pleræque ex ipſis, utpote circulares, non privatis Eccleſiis & perſonis, ſed omnibus per varias mundi partes Fidelibus ſcriptæ ſunt: dicuntur etiam canonicæ, quia canonem, ſicut & Paulinæ, ingrediantur.

Quæ prima ordine recenſetur canonica Epiſtola, eſt ſancti Jacobi Apoſtoli Alphæi filii, cognomento minoris & fratris Domini: ad patientiam Fideles inſtruit: & antidotum exhibet contra Simonis Magi diſcipulos.

Hanc excipiunt duæ S. Petri Epiſtolæ: prima ad Fideles Aſiæ directa, nomine ſancti Petri inſcripta, ſemper ut canonica fuit habita. De ſecunda olim dubitatio exorta: verùm præeuntibus Patribus, tradentibus antiquis Canonibus eam ſuſcipit Eccleſia, & ut canonicam, & ut genuinum ſancti Petri ſcriptum, cujus characteres non obſcuros continet: nec movere debet ſtyli diverſitas, quæ teſte S. Hieronymo, ab interpretibus & ſcribis diverſis repetenda eſt.

Tres ſunt S. Joannis Epiſtolæ, quarum duæ poſteriores Joanni cuidam Presbytero à nonnullis veteribus adſcriptæ ſunt, ſed immeritò, ut docet conſtans Patrum & Eccleſiarum conſenſus. In iis autem Epiſtolis Apoſtolus jam grandævus & ætate ferme decrepitus ſe ſeniorem vocat: de prima autem nulla videtur uſquam mota dubitatio.

Poſtrema ex Epiſtolis catholicis quam inter canonicas habent Patres, ſcripta fuit a ſancto Juda Thadæo ſancti Jacobi minoris fratre: quæ autem narrat de altercatione Michaelis cum diabolo pro Moyſis corpore, & de apocryphia Enoch pro phe-

phetiâ veriſſima ſunt, & conſtanti Judæorum traditione conſtantiſſima.

Quæres ultimò quæ ſit Apocalypſis.

Reſp. Apocalypſim ſeu revelationem mira & arcana continere myſteria, quorum certam enucleationem tribuere ſolus ille poteſt, qui éa revelavit.

Apocalypſim divinas inter numerare Scripturas renuerunt nonnulli;aſt illos redarguunt inſigniores utriuſque Eccleſiæ Patres & antiqui Scripturarum Canones.

Hanc Apocalypſim opus eſſe S. Joannis Evangeliſtæ negarunt adhuc quidam, ſed immeritò, cùm eam antiqui huic tribuant Apoſtolo, quem Græci Theologum appellant ob aſſertam Chriſti divinitatem.

Atque huc uſque de Libris Scripturæ in particulari, ex quibus conſtat Libros veteris Teſtamenti 46. numerari, dum Pentateuchus in quinque, Jeremias, Treni & Baruch in tres, & duodecim Prophetæ minores in totidem Libros diſtribuuntur: novi autem Teſtamenti 27. recenſentur; unde tota Scripturæ collectio de quâ hactenus, ex Libris 73. coaleſcit.

DE CONCILIIS.

in particulari.

Agemus I. de Conciliis Apoſtolicis.

II. de Oecumenicis poſt Apoſtolos in Eccleſiâ celebratis.

III. de particularibus Conciliis in cauſâ præcipuarum hæreſum habitis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Conciliis Apoſtolicis.

QUinque potiſſimùm ſunt coacta ab Apoſtolis Concilia: quid in unoquoque geſtum ſit, paucis hoc in Articulo inquirendum.

Primum Concilium Apoſtolorum habitum eſt Jeroſolymis anno circiter 34. Cauſa habiti Concilii fuit, ut in locum Judæ proditoris alius ſufficeretur, aliuſque Epiſcopatum ejus acciperet. Duobus igitur diſcipulis Domini, Joſepho & Matthia conſtitutis,per ſortem Matthias electus eſt. De primâ hâc Apoſtolorum Synodo vide quæ habentur Actuum 1. v. 15.

Circa hanc ſancti Matthiæ electionem ſorte celebratam, varia quærunt Theologi, quæ ſingula expendere non eſt hujus loci. Satis ſit hic advertere, ſpeciali iſto exemplo minimè colli poſſe in electionibus ſacris licitas eſſe ſortes:earum enim uſum diſertè improbavit Eccleſia; ut colligitur ex Decretali Honorii III. ad Lucani Capituli conſultationem reſcribentis, Lib. 5. Decretalium tit. 21. *De ſortilegiis.* cap. *Eccleſia.* Eundem uſum improbat S. Hieronimus in cap. 1. Jonæ.

Secundum Apoſtolorum Concilium eodem pariter anno 34. Jeroſolymis celebratum fuit. Cauſa habiti Concilii ita refertur Actorum 6. *In diebus illis creſcente numero diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum adversùs Hebræos, eo quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. Convocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum,* (ac cæterorum credentium quæ jam ad multa millia excreverat) *dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo, fratres, ex vobis viros boni teſtimonii ſeptem plenos Spiritu ſancto..... Et placuit ſermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum..... Philippum & Prochorum.... hos* (à multitudine, ex gratiâ & conceſſione apoſtolicâ duntaxat, non ex jure, electos) *conſtituerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus. Et verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Jeruſalem valdè.* Ex quo liquet ſecundum iſtud Concilium coactum fuiſſe pro ſeptem eligendis Diaconis ad ſedandum Græcorum murmur. porro ſeptem primos illos Diaconos verè fuiſſe conſecratos, nedum ut forent vulgari & prophanæ menſæ præfecti, ſed præſertim ut eſſent ſacræ menſæ miniſtri, clarè teſtantur SS. Ignatius Martyr Ep. ad Heronem Diaconum, Juſtinus Apolog. 2. Cyprianus ſerm. de lapſis, Ambroſius, Hieronymus &c. Vide quæ diximus ubi de Ordine.

Tertium Apoſtolorum Concilium iterum Jeroſolymis congregatum fuit verſùs annum 51. pro definiendâ quæſtione de Circumciſione, aliiſque Legalibus ſervandis. Eo in Concilio ex Apoſtolicis omnium celeberrimo, & cæterorum ſubſequentium formâ ac exemplari, magnâ conquiſitione factâ, communi ſuffragio, præſidente S. Petro: & dirigente Spiritu ſancto reſoluta quæſtio, & definitum Gentes ad Chriſtum converſas, ſeu Chriſtianos nec ad Circumciſionem, nec ad alias ceremoniales Moſaicæ Legis obſervantias adſtringi, nihilque ultra eis imponendum eſſe oneris, quam ut abſtineant ab immolatis ſimulachrorum, à ſanguine à ſuffocato & fornicatione. Quod ut Fidelibus omnibus, præſertim Antiochiæ degentibus, ubi exorta erat quæſtio, innoteſceret; ad Antiochenos legatio decernitur, & ad eoſdem per Judam & Silam tranſmittitur ſynodica Epiſtola quæ refertur, Act. 15. his verbis: *Apoſtoli & ſeniores fratres his qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ſalutem.... Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris quam hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato & fornicatione: à quibus cuſtodientes vos benè agetis. Valete.*

Quarta Apoſtolorum Synodus Hieroſolymis habita eſt anno Chriſti 58. vel, ut alii volunt, anno 56. pro tollendâ Judaiſmi ſuſceptione, de Paulo à Judæis conceptâ. In eâ definitum fuit 1. rata ac firma ea eſſe debere, quæ de Gentibus ad fidem converſis, citatâ mox ſuperiore Synodò ſtatuta fuerant. 2. Judæis credentibus uſus Legalium ad tempus permittitur, dummodo ſpem ſalutis ſuæ in illis non collocarent. 3. Cùm S. Paulus ab æmulis ſuis velut deſtructor & damnator Legis, eſſet vehementer & falsò apud Hieroſolymam infamatus, hanc, ut à ſe repelleret calumniam, probaretque ſe Legis Moſaicæ obſervantiſſimum, communi Apoſtolorum & ſeniorum conſilio, Judæorum more ſeſe purificavit ſive ſanctificavit, ſeu Nazaræatus votum, adhibitis ritibus Numerorum 6. cap. requiſitis, exſolvit. Tria hæc conſtant ex Act. cap. 21. v. 18. 19. & ſequentibus.

Hic notandum venit, Apoſtolos Judæis recens converſis Legalium uſum ad tempus duntaxat permiſiſſe; donec ſcilicet, ut obſervat S. Auguſtinus Epiſt. ad S. Hieronymum, mater Synagoga paulatim cum honore ſepeliretur, & non ſtatim velut impia & mortifera, inſtar idolorum cultus damnaretur: verùm poſthac deſtructo Templo, ſepultâ Synagogâ, & divulgato ſufficienter Evangelio, nequaquam licitum fuit Legalia obſervare.

Turrianus Lib. 1. pro Canonibus apoſtolicis cap. 25. poſt Baronium & Binium, refert & aliud

Antio-

Antiochiæ celebratum ab Apoſtolis Concilium an. 57. ad ſedandas controverſias eo in loco ſubortas; addit que ibi novem editos Canones, in Origenis Bibliotheca poſtea repertos à Pamphilo Martyre. Verùm concilium iſtud cum ſuis Canonibus, ut ſuppoſitum & apocryphum rejiciunt eruditi non pauci. 1. quia nullum eſt illius in Actis Apoſtolorum veſtigium. 2. quia nulla illius concilii illorumve Canonum occurrit memoria in veteribus Hiſtoriæ eccleſiaſticæ monumentis; uſque ad Baronium; nulla in Patribus; nulla denique in Conciliis aut Codicibus Canonum, uſque ad Binium. 3. quia Hinc marus Rhemenſis Apoſtolorum Synodos recenſens, iſtius Antiochenæ nullam mentionem habet. Hinc novem ſupradictos Canones ſpurios eſſe cenſet P. Pagi ad annum 46. Canonem verò octavum nominatim ſuppoſititium vocat doctiſſimus Petavius Lib. 15. de Incarnat. cap. 14. num. 5. & 6.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Conciliis Oecumenicis poſt Apoſtolos in Eccleſiâ celebratis.

DE Conciliorum Oecumenicorum numero non una eſt eruditorum omnium ſententia, alii plura, alii pauciora eſſe contendunt: quæ ab alterutrâ parte ut talia habentur, hic attingemus: apud nos autem communiter novemdecim recenſentur, octo Orientalia, undecim Occidentalia.

Orientalia ſunt, Nicænum I. Conſtantinopolitanum I. Epheſinum, Chalcedonenſe, Conſtantinopolitanum II. Conſtantinopolitanum III. Nicænum II. Conſtantinopolitanum IV.

Occidentalia verò ſunt, Lateranenſe I. Lateranenſe II. Lateranenſe III. Lateranenſe IV. Lugdunenſe I. Lugdunenſe II. Viennenſe; Conſtantienſe; Baſileenſe quoad priores Seſſiones; Florentinum, Tridentinum. Circa unumquodque ex iſtis Conciliis ſummatim ac quàm poterimus compendiosè expendemus. 1. quo Chriſti anno celebratum fuerit. 2. ſub quibus Pontificibus & Imperatoribus. 3. quâ de cauſâ. 4. quid in eo geſtum ac definitum fuerit. 5. tandem, quot ediri Canones. Quam autem circa hæc capita amplectemur ſententiam, ex actis Concilii, ex authoribus coætaneis, & ex probatioribus Criticis eruere conabimur.

Concilium Nicænum I.

Nicænum I. Oecumenicum. Locus. Tempus, Imperatores & Pontifices Præſes.

Concilium Nicænum ex Oecumenicis primum, Nicææ, non in Tratiâ, ſed in Bythiniâ celebratum eſt anno Chriſti 325. imperante Conſtantino Magno, & Romæ ſedente Sylveſtro primo ſummo Pontifice: Nicæno Concilio præfuerunt Oſius Cordubenſis Epiſcopus, Vitus & Vincentius Presbyteri, Sylveſtri Romani Pontificis, cujus Legati erant, nomine. Ita Euſebius Lib. 3. cap. 6. Socrates Lib. 1. cap. 5. & 9. Theodor. Lib. 1. cap. 7. Gelaſius Cyzicenus Lib. 2. cap. 5. Photius Lib. *De ſeptem Synodis* &c.

Cauſæ.

Tribus potiſſimum de cauſis convocata eſt Nicæna Synodus. 1. ad adſtruendam contra Arium Verbi divinitatem. 2. ad determinandum feſti Paſchatis diem contra Quartodecimanos. 3. ad Meletii ſchiſma extinguendum.

Quid definitum.

Quod ſpectat primum caput, definit Synodus, Verbum eſſe Deum, & ejuſdem eſſentiæ cum Patre. Ut autem Verbi divinitas exprimeretur vocabulo, quod Arianorum effugiis non pateret, appoſitè & prudenter inſeruit Symbolo vocem *ὁμοούσιον*, hoc eſt, *conſubſtantialem*.

Quod ſpectat ſecundum caput, decrevit contra Quartodecimanos, feſtum Paſchatis eodem die ab omnibus Eccleſiis eſſe celebrandum, ſcilicet Dominica proximè ſequente lunam decimam quartam Martii.

Quod ſpectat tertium caput, Meletii & miniſtrorum ab eo conſecratorum cauſa dijudicata eſt. Scilicet ſtatutum, ut Meletius nudo Epiſcopi nomine retento in ſuâ Lieopolitana civitate maneret; qui autem ab eo ſacris fuerant initiati, Alexandrino Epiſcopo ſubjacerent, aliis Eccleſiarum miniſtris poſtpoſiti. Conſtant iſtæc omnia ex S. Athanaſio, Socrate, Sozomen. & Theod. à Labbæo in 2. Tom conciliorum citatis.

Numerus Canonum.

De numero autem canonum concilii Nicæni, gravis & adhuc ſub judice pendens extat controverſia.

Turrianus, Bellarminus, & alii nonnulli contendunt 80. Canones à Nicænis Patribus conditos fuiſſe, eo quod arabica lingua tot conſcripti reperiantur.

Alii verò, quorum probabilior videtur ſententia, viginti tantum Nicænos canones agnoſcunt. 1. quia in græco textu viginti duntaxat repetiuntur; 2. in codice Eccleſiæ univerſalis pariter viginti ſolum extant. 3. in codice canonum qui erat in uſu tempore concilii Chalcedonenſis, viginti tantum erant. 4. in Africanâ Eccleſia, Alexandrinâ & Conſtantinopolitanâ viginti duntaxat habebantur ſub Zozimo ſummo Pontifice circa annum 417. id eſt, nondum evoluto poſt Nicænam Synodum ſæculo. Id conſtat ex celebri controverſiâ de Appellationibus, quæ Romanam inter & Africanam Eccleſiam exorta eſt in cauſâ Apiarii. Scilicet, Africani Antiſtites tunc temporis ad Patriarchas Alexandrinum & Conſtantinopolitanum Legatos ſupplicibus cum Epiſtolis miſerunt, quibus rogarentur illi, ut authentica Nicæni concilii exemplaria ex Eccleſiarum ſuarum ſcriniis dirigerent: annuerunt petitioni Patriarchæ; in illis autem exemplaribus viginti duntaxat canones legebantur. An verò probabile eſt Orientales, Ægyptios, Africanos eo tempore quo concilium Nicænum ſummâ veneratione apud eos habebatur, genuina illius exemplaria non habuiſſe? 5. denique, nuſquam à Veteribus laudati leguntur 80. Canones Nicæni. Arabici ergo canones, ſic appellati, quod ex græco in linguam arabicam verſi ſint, non ſunt Nicænæ Synodi; ſed probabile eſt fuiſſe canones conciliorum Ægypti, quæ identidem congregata ſunt, qui quidem canones in eodem codice Nicænis canonibus adjecti ſunt.

Concilium Sardicenſe Nicæni appendix. Locus. Tempus. Imperatores. Pontifices, Præſes.

Concilii Nicæni veluti appendix cenſetur ſynodus Sardicenſis, non Sardenſis, ut quidam imperitè vocant. Congregata eſt anno 347. temporibus Conſtantii & Conſtantis Imperatorum, & Julii Romani Pontificis. Concilio Sardicenſi præfuerunt Julii Romani Pontificis nomine, Oſius Cordubenſis, Archidamus & Philoxenus Presbyteri. Ita S. Athanaſius Apolog. 2. Theodoretus Lib. 2. Hiſt. cap. 15. Hadrianus I. in Epitome canonum &c. Vide doctiſſimum de Marca L. 5. De concord. cap 4. cauſa convocationis concilii fuerunt. 1. *Cauſæ.* calumniæ Euſebianorum in S. Athanaſium, Marcellum Ancyranum & Aſclepam Gazenſem. 2. lata in ipſos ab Euſebianis judicia. 3. querimoniæ adverſus eorum abſolutionem & reſtitutionem à Julio Pontifice maximo factam. In ea porro ſynodo S. Athanaſius, Marcellus Ancyranus, Aſclepas Gazenſis, & alii ab Euſebianis inique damnati, *Quid geſtum.* abſoluti

abſoluti ſunt : Euſebiani verò proſcripti & ſedibus ejecti.

De numero Canonum.

Non ſolum vindicandæ innocentiæ S. Athanaſii, aliorumque Epiſcoporum injuſtè ab arianis depoſitorum incubuêrunt Patres Sardicenſes; verùm inſuper paſſim labefactatam ab iiſdem Hæreticis diſciplinam, editis canonibus reſtituere conati ſunt; 20, Græci numerant, 21. Latini. Jus appellationum in Epiſcoporum cauſis Romano Pontifici aſſerunt tertius, quartus & ſeptimus canon. Hos expendemus in Tractatu de Eccleſiâ, ubi de jure Appellationum epiſcopalium ad Sedem Romanam

Concilium Sardicenſe verè Oecumenicum.

Quod ſpectat authoritatem Concilii Sardicenſis; Baronius, Perronius, Natalis Alexander, & alii, quorum ſententiæ ſubſcribimus, adverſus illuſtriſſimum de Marca docent, ipſum eſſe verè Oecumenicum, quod quidem demonſtratur. 1. quia certum eſt ex ſancto Athanaſio, Socrate, Severo Sulpitio &c. omnes Patriarchas, uno excepto Patriarchâ Antiocheno Ariano, per ſe aut per Legatos ſynodo Sardicenſi adfuiſſe. 2. Conſtat ex iiſdem, prædictam ſynodum ex Galliæ, Hiſpaniæ, Macedoniæ, Theſſaliæ, Achaiæ, Ægypti, Africæ, Paleſtinæ, & omnium Imperii Romani Provinciarum Epiſcopis coaluiſſe. 3. S. Athanaſius Apolog. 2. Sardicenſem ſynodum appellat *magnam Synodum* : Socrates Lib. 2. cap. 2. *Concilium Oecumenicum.* Theodoretus, Severus Sulpitius, Vigilius Tapſcoſis, teſtantur Epiſcopos *ex omnibus Provinciis, ex toto orbe terrarum Sardicam conveniſſe.* 4. Juſtinianus Imperator in Edicto de tribus Capitulis ipſum etiam *Oecumenicum* appellat. 5. denique, quod opponit illuſtriſſimus de Marca, ſynodum ſardicenſem convocatione quidem fuiſſe Oecumenicam, non tamen celebratione & exitu, quia divortium ante contigit inter utriuſque Imperii Epiſcopos, quàm Concilium foret ex ipſis conſtitutum : iſtud, inquam, nullius eſt roboris. Namque, ut obſervat Card. Perronius, pauci illi Epiſcopi qui divortio facto Philopopolim ſeceſſêrunt, vel erant Hæretici, vel hæreticorum partibus addicti : porro quis dixerit ſeceſſionem paucorum Epiſcoporum Hæreticis manifeſtè faventium impedire poſſe, quin concilium ex orbe univerſo Chriſtiano convocatum, ſit Oecumenicum? Vide Perronium inter Miſcellanea pag. 263. & in Reſp. ad Regem Angliæ pag. 105. & 134. Baron. ad annum 347. & Natalem Alexand. ſæculo IV. diſſert. 27. art. 3.

Cæterùm ſynodus Sardicenſis ſpectata non fuit ut ſynodus Oecumenica à Nicæna vere & propriè diſtincta, ſed veluti ipſius appendix ac complementum : atque ob eam rationem canones Sardicenſes laudati fuêrunt à ſummis Pontificibus Zozimo, Bonifacio, Cœleſtino & Leone, ſub nomine Nicænorum canonum.

De Concilio Conſtantinopolitano I.

Concilium Conſt. I. ex Oecumenicis II.
Tempus, Imperatores & Pontifices, Præſes.
Cauſa habita Concilii.
Quid geſtum.

Concilium Conſtantinopolitanum I. quod eſt ſecundum Oecumenicum, habitum fuit anno 381. Damaſi Papæ temporibus, Imperatore Theodoſio ſeniore. De Præſide hujuſce Concilii vix quidquam certi ex antiquis Eccleſiæ monumentis colligi poteſt : præfuiſſe Timotheum Alexandrinum probabilius eſt ex Socrate Lib. 5. Hiſt. cap. 8. & Soſomen. Lib. 7. cap. 9. Eo in Concilio aſſerta Spiritus ſancti divinitas adverſùs Macedonium Conſtantinopolitanum, qui eam apperte impugnaverat. 2. conditum ſymbolum illud quod intra Miſſarum ſolemnia decantatur, quo Nicæna fides magis expoſita fuit & confirmata; addito ſcilicet integro articulo de Spiritu ſancto, de quo nihil ſtatuerat Nicæna ſynodus, utpote tota adverſùs Arium celebrata. 3. Canones Eccleſiarum adminiſtrationem ſpectantes, editi. Septem græci Collectores recenſent : tres duntaxat conditos fuiſſe videtur probabilius, ſiquidem Socrates, Soſoz. Nicephorus, Dionyſius exiguus & alii tres tantum exhibent.

De numero Canonum.

Porro concilium Conſtantinopolitanum juſſu & Literis Imperatoris Theodoſii, ex ſolis Orientis Epiſcopis convocatum fuit : atque ita vi convocationis ſuæ, ſolius Orientis erat ſynodus; quæ tamen poſtea Oecumenica evaſit, accedente ſcilicet Occidentalis Eccleſiæ conſenſu; à quâ tamen dogma duntaxat á concilio definitum, non autem editi Canones probati ſunt, uſque ad tempora concilii Lateranenſis IV. ſub Innocentio. III.

De Concilio Epheſino.

Concil. Epheſ. III. ex Oecumenicis.
Tempus, Imperatores & Pontifices.
Præſes.

Concilium Epheſinum, quod eſt tertium ex Oecumenicis, anno 431. celebratum fuit, imperante Theodoſio juniore, & Romæ ſedente Cœleſtino I. Pontifice maximo. Epheſino concilio nomine ſancti Cœleſtini præfuêrunt S. Cyrillus Alexandrinus, Arcadius & Projectus Epiſcopi, & Philippus Preſbyter, quod quidem non obſcurè colligitur ex Liberato, Evagrio, Photio, & ex Relatione concilii ad Imperat. poſt Actionem tertiam. Eâ in ſynodo Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus cum ſuis impiis erroribus proſcriptus eſt. Hujus palmares errores duo. primus, duas eſſe in Chriſto hypoſtaſes ac perſonas Alter ejus error erat, quòd Beatiſſimam Virginem Mariam *θεοτόκον, deiparam*, eſſe negaret, & *χριστοτόκον, chriſtocon*, dicendam potius aſſereret. Definitum fuit adverſus nefarium hæreſiarcham, unam tantum eſſe, Verbi nimirum, in Chriſto perſonam; ac proinde Beatiſſimam virginem vere dici ac eſſe *deiparam* : probati præterea anathematiſmi 12. in Neſtorii blaſphemias jam antea à S. Cyrillo lati; demùm editi octo Canones quibus ſeptem prioribus traditur modus procedendi contra Neſtorii ſectatores, & in octavo prohibetur Epiſcopis, ne in alienâ Diœceſi Ordinationes celebrent.

Cauſa.
Quod ſtatutum.
Quot Canones.

Oecumenicum fuiſſe iſtud Concilium nemini dubium eſſe poteſt, cum adfuerint Orientales maximo numero, & Legati Cœleſtini, ac per eos Occidentales Eccleſiæ ei ſubſcripſerint; denique confirmatum fuerit à Xiſto ſummo Pontifice, & utraque Eccleſia. Equidem Concilio non adfuêrunt Epiſcopi Patriarchatûs Antiocheni; imò non ſatis intellecto anathematiſmorum S. Cyrilli, quos ſynodus Epheſina approbaverat, legitimo ſenſu, ei pertinaciter cum Joanne Antiocheno, obluctati ſunt : verùm poſtmodum reſipuèrunt, ſicque illud Concilium ab omnibus ubique Fidelibus pro legitimo & Oecumenico habitum fuit.

De Concilio Chalcedonenſi.

Concilium Chalced. IV. Oecumenic.
Tempus, Imperatores & Pontifices.
Præſes.

Concilium Chalcedonenſe, quod eſt quartum ex Oecumenicis, celebratum fuit an. 451. imperante apud Orientales Marciano, & Romæ ſedente Leone Magno. Synodo præfuit S. Pontifex per ſuos Legatos Paſcaſium & Lucentium Epiſcopos & Bonifacium Presbyterum, uti conſtat ex tribus primis Actionibus Concilii Chalcedonenſis, ex Relatione ejuſdem Concilii ad S. Leonem, & ex Facundo Hermianenſi Lib. 5. cap. 5. Convocata fuit ſynodus Chalcedonenſis adverſus Eutychem, monaſterii, quod Conſtantinopoli celeberrimum erat,

Archi-

Archimandritam. In eo verſabatur ipſius error, teſte ſancto Flaviano Epiſt. ad S. Leonem, quod aſſereret, *ante in humanationem quidem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti duas eſſe naturas, divinitatis & humanitatis; poſt unionem vero unam naturam factam...... corpus vero Domini quod ex Mariâ Virgine factum eſt, non eſſe noſtra ſubſtantiæ,...non eſſe nobis conſubſtantiale, neque genitrici ejus ſecundum carnem.* Quo verò ſenſu intelligeret Hæreſiarcha ille, unam ſupereſſe in Chriſto naturam poſt unionem: an nempe admitteret unam quandam naturam ex duabus conflatam; an contra humanam in divinam, aut divinam contra in humanam converſam eſſe, non omnino liquet.

Quid geſtum. Eâ in Synodo varia acta ſunt. 1. lectâ celebri ſancti Leonis de verbi Incarnatione ad Flavianum Epiſtolâ, in quâ aſſeritur, duas eſſe in Chriſto naturas, ab omnibus acclamatum eſt: *Hæc eſt patrum fides, hæc Apoſtolorum fides. omnes ita credimus, orthodoxi ita credimus: anathema qui non ita credit, Petrus per Leonem ita locutus eſt.* 2. irrita ac impia declarata eſt contraria definitio quæ in Latrocinio Epheſino lata fuerat. 3. Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus, qui pſeudoſynodo Epheſinæ adverſus Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum pro Eutychetis errore iniquè præfuerat, ex Epiſcopatu dejicitur. 4. Theodoretus & Ibas Edeſſenus a Dioſcoro in Conciliabulo Epheſino iniquè depoſiti, juſſu Synodi in Neſtorium dixère anathema, quo peracto inter Patres ſederunt. 5. Quot Canones editi. Tandem editi ſunt 28. Canones ad diſciplinam ſpectantes; quos & probavit poſtea Eccleſia Romana, uno excepto vigeſimo octavo, quem improbavit S. Leo, eâ præcipuè de cauſa, quod Nicænæ Synodi Canonibus repugnaret; ſcilicet Epiſcopo Conſtantinopolitano primum poſt Epiſcopum Romanum locū, contra quod decreverat Concilium Nicænum I. aſſerebat.

De Concilio Conſtantinopolitano II.

V. Concil. Oecumenicum II Conſtantin. Concilium Conſtantinopolitanum II. quintum eſt Oecumenicum: convocatum fuit anno 553. Tempus, Imperatores & Pontifices. temporibus Juſtiniani Imperatoris & Vigilii ſummi Pontificis: præfuit, non Mennas, ſed Mennæ ſucceſſor Eutychius, conſentiente Vigilio, ut conſtat ex Vigilii ad Eutychium, Epiſtolâ. Præſes. Præcipua convocationis Concilii cauſa fuère tria Capitula, de Cauſa. quibus eſt frequens & celebris in Hiſtoriâ eccleſiaſtica mentio. Primum ex his, erant Theodori Mopſueſteni Opuſcula adverſus Apollinarem. Secundum, Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi Opus, in quo duodecim Epheſinæ fidei capitibus à S. Cyrillo conſcriptis, totidem anathematiſmos oppoſuerat. Tertium, Ibæ Edeſſeni ad Marim Perſam Epiſtola, in quâ Ibas S. Cyrili capitula à Concilio Epheſino probata inſectatur, & arguit Rabulam deceſſorem ſuum quòd Theodorum Mopſueſtenum damnaſſet. Tria hæc capitula probabantur à multis: ut impia viciſſim Neſtorioque faventia rejiciebantur ab aliis; quæ quidem controverſia ut ſedaretur, coacta fuit Synodus Conſtantinopolitana II. in qua varia acta ſunt ac definita.

Quid geſtum ac definitum. I. in tertia Collatione profitentur Patres, ſe *per omnia & in omnibus ſequi & ſuſcipere ſanctas quatuor priores Synodos*, Nicænam, Conſtantinopol. Epheſinam & Chalcedonenſem: adduntque ſe *omnes condemnatos a prædictis ſanctis quatuor Conciliis, tanquam condemnatos & anathematiſatos habere una cum aliis Hæreticis.*

II. Collatione quarta actum eſt de Theodoro Mopſueſteno, & in medium productis hinc ejus Libris, illinc Cyrilli, Procli, Rabulæ adversùs eum diſputationibus, anathema Theodoro Mopſueſteno, ejuſque Libris conclamatum eſt.

III. Collatione quinta & ſexta intactis Theodoreti & Ibæ perſonis, quæ, dicto in Neſtorium anathemate, a Concilio Chalcedonenſi ad communionem admiſſæ fuerant, damnata ſunt eorum in S. Cyrillum & Epheſinam Synodum ſcripta. Theodoreti nimirum anathematiſmi 12. adverſùs S. Cyrillum, & Ibæ ad Marim Perſam Epiſtola, quâ lectâ conclamarunt omnes Concilii Patres: *Epiſtola hæc ſca eſt, Epiſtolam quæ dicitur Ibæ, omnes condemnamus., iſtam omnes anathematiſamus &c.* Definitum ibidem, quod tunc inter plurimos erat controverſum, ſcilicet Hæreticos etiam poſt obitum ab Eccleſia poſſe damnari: idque validiſſimis argumentis à Patribus Concilii demonſtratum. 1. ex Codice Africanæ Eccleſiæ. 2. diſertiſſimis SS. Auguſtini, Cyrilli, aliorumque SS. Patrum teſtimoniis: denique variis exemplis ex Hiſtoriâ eccleſiaſtica petitis.

IV. in octavâ & ultimâ Collatione, recenſitis obiter omnibus hactenus hoc in Concilio geſtis, poſt ſuſceptas iterum, quatuor priores Synodos, poſt ſuſcepta omnia quæ ipſæ definierunt, & damnata itidem omnia quæ damnarunt, ſive errores, ſive ſcripta, ſive perſonas, lata tandem eſt ſynodica definitivæ damnationis ſententia in tria mox dicta Capitula, his verbis: *Prædicta tria Capitula anathematiſamus, id eſt, Theodorum impium Mopſueſtenum cum nefandis ejus conſcriptis, & quæ impiè Theodoretus conſcripſit, & impiam Epiſtolam quæ dicitur Ibæ, & defenſores eorum, & qui... vel recta ea dicere præſumuat, vel omnino impietatem eorum nomine ſanctorum Patrum, aut ſancti Chalcedonenſis Concilii defendere conantur.*

V. denique, his peractis editi ſunt 14. Canones in quibus 1. vindicatur fides Catholica in quatuor primis Conciliis ſtabilita, ſcilicet divinitas Verbi & Spiritus ſancti; mirabilis naturæ humanæ à Verbo divino in unitatem ſuppoſiti aſſumptio &c. 2. anathematiſantur Arius, Macedonius, Apollinarius, Neſtorius, Eutyches, & alii cum ſuis impiis ſcriptis in quatuor primis Conciliis Oecumenicis à catholica & Apoſtolica Eccleſia damnati. 3. tribus poſtremis canonibus rurſus feriuntur tria capitula. Duodecimus non ſolum impia Theodori ſcripta, ſed etiam ejus nomen ac perſonam congit; decimus tertius verò & decimus quartus percellunt quidem Theodoreti ſcripta & Ibæ epiſtolam, eorumque defenſores (non ſolùm Neſtorianos, ſed etiam catholicos qui tria capitula ſenſu catholico interpretabantur, ut conſtat ex Vigilio Epiſt. ad Eutychium, Edicto Juſtiniani, Facundo Hermianenſi Lib. 2. cap. 3. nec non ex contextu canonum 12. 13. 14. in quibus diſtinguitur condemnatio Hæreticorum, & eorum qui tria capitula defenderent vel defendunt.) Theodoretum autem ipſum & Ibam, quorum perſonæ, uti mox obſervavimus, poſt dictum in Neſtorium anathema, à Patribus Chalcedonenſibus ſuſceptæ fuerant nullatenus perſtringunt.

Hic quæri ſolet, an Synodus quinta inter Oecumenicas meritò annumeretur. Reſpondeo affirmativè. 1. quia approbata fuit à Vigilio Romano Pontifice & ejus ſucceſſoribus Pelagio II. Leone II. Martino I. ac præſertim Gregorio Magno, ut patet ex ejus ad Joannem Conſtantinop. Epiſt. 24. Lib. 1. in quâ ſic loquitur: *Sicut Evangelii quatuor Libros. Sic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor.....quintum quoque Concilium pariter veneror....Cunctas quas præfata veneranda Concilia*

perſona-

Perſonas reſpuunt, reſpuo: quas venerantur, amplector; quia dum univerſa à ſuo conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis aut præſumit ſolvere quos ligant, aut religare quos ſolvunt: quiſquis ergo aliter ſapit, anathema ſit. 2. omnes Synodi Oecumenicæ poſt hanc quintam celebratæ, eandem quintam pro Oecumenica agnoverunt & approbarunt. 3. etſi nonnulli per aliquod tempus detrectarint illam ut Oecumenicam habere, quatenus ſcilicet Concilio Chalcedonenſi oppoſitam eſſe falsò putabant, verum tandem errore depoſito ad communem univerſalis Eccleſiæ ſenſum acceſſerunt. Ita Illirici, Hiſpani & quidam ex Italis &c.

Dices: Tria Capitula fuere in Concilio Calcedonenſi recepta & probata; ergo erravit quinta Synodus dum hæc tria Capitula proſcripſit; ac proinde non eſt Oecumenica. Et vero Ibas Edeſſenus nedum ſuſceptus eſt à Concilio Chalcedonenſi Act. 10. ſed etiam relectâ ejus Epiſtolâ, agnitus eſt ut orthodoxus à Sedis Apoſtolicæ Legatis; ergo &c.

Reſp. tria Capitula nec probata nec improbata fuiſſe à Concilio Chalcedonenſi, ſed ſuum de iis ſuſpendiſſe judicium, & ſolummodo Theodoretum & Ibam, dicto anathemate Neſtorio, in communionem admiſiſſe.

Et quidem 1. quod ſpectat Theodorum Mopſueſtenum, ipſius cauſa nec expenſa nec judicata fuit in Concilio Chalcedonenſi; nec ipſius perſona aut ſcripta, probata aut improbata fuere.

II. Quoad Theodoretum, equidem ſuſceptus eſt à Patribus Chalcedonenſibus, poſtquam dixit anathema Neſtorio & ejus erroribus; verùm, uti obſervat Pelagius II. in Epiſtolâ ad Epiſcopos Iſtriæ, iſto anathemate ſua pro Neſtorio & contra S. Cyrillum ſcripta conſequenter damnavit.

III. Denique quoad Ibam Edeſſenum, reſpondeo 1. Synodum Chalcedonenſem Epiſtolam Ibæ non approbaſſe ut catholicam, ſed relectâ ejus Epiſtolâ ipſum orthodoxum fuiſſe declaratum, quæ duo valde diverſa ſunt & diſtinguenda: impia quidem eſt & hæretica judicio quinti Concilii Epiſtola; ſed Ibas declaratus eſt orthodoxus, tum quia Epiſtolæ ſancti Leonis ad Flavianum ſubſcripſit; tùm quia teſte Vigilio in ſuo conſtituto, Ibas negavit ſæpius ſe unquam hanc ſcripſiſſe Epiſtolam ad Marim perſam; tùm denique quia Neſtorio Neſtoriique doctrinæ dixit anathema his verbis: *Anathema Neſtorio ..... & omnem eum qui non ſapit ſicut hæc ſancta Synodus, anathematiſo*: quo quidem anathemate viſus eſt ſuam ad Marim Epiſtolam Neſtorio faventem conſequenter reprobare & anathematiſare. 2. ab uno tantum Epiſcopo Epiſtola Ibæ in Concilio Chalcedonenſi judicata eſt catholica, ſcilicet à Maximo Anthiocheno, qui ſic in ejus gratiam ſententiam dixit: *Orthodoxa eſt ejus declarata dictatio.* Porro, ut quatuor Archiepiſcopi obſervarunt Collatione ſexta Synodi quintæ, non quod unus aut pauci, ſed quod omnes aut major pars judicaverit, Concilii judicium dicendum eſt. Unde Collatione octava iidem Patres negant Epiſtolam Ibæ judicio totius Concilii approbatam fuiſſe; & qui contrarium volunt, ajunt illi, *non favore ſancti Concilii hoc faciunt; ſed ut per ejus nomen ſuam impietatem confirment*: 3. Synodus Chalcedonenſis, teſte Pelagio II. in Epiſtola ad Epiſcopos Iſtriæ, quoad ſex duntaxat priores Actiones, & conditos Canones eidem Actioni ſubnexos, à ſancto Leone confirmata fuit: unde in pleriſque græcis antiquioribus Codicibus, ſex duntaxat laudatæ Actiones Synodi cum adjunctis Canonibus continentur. Quidquid ergo, inquit ibidem Pelagius, Actionibus 9. & 10. in cauſa Ibæ factitatum fuit, potuit iterum ad examen revocari: quia illud judicium nec totius Eccleſiæ fuit, nec Romani Pontificis conſenſu confirmatum.

His addo, quod in primam reſponſionem coincidit, Epiſtolam Ibæ (idem dicendum de ſcriptis Theodoreti) approbatam fuiſſe à Synodo Chalcedonenſi, habita ratione concilii & perſonalis ſeu interioris ſenſûs Ibæ, quem tunc, dicto in Neſtorium ejuſque errores anathemate, orthodoxum eſſe ſatis demonſtrabat: non autem habitâ ratione verborum quibus concepta erat, ad quæ certè ſola ſi attendiſſent, eam profectò damnaſſent, quemadmodum à Patribus Concilii quinti poſtmodum damnata fuit. Eo fermè modo exponi poſſunt Sirmondus & Petavius, dum Theodoretum ab errore purgare videntur. Scilicet de uno duntaxat facto merè perſonali loquuntur: nempe volunt illi, perſonalem & internum Theodoreti ſenſum alienum fuiſſe ab errore Neſtorii; idque ex anathemate quod dixit in Neſtorium in Concilio Chalcedonenſi, & ex aliis ejuſdem authoris teſtimoniis evincere conantur.

De Concilio Conſtantinopolitano III.

Tempus.

Concilium III. Conſtantinopolitanum, quod ſextum eſt Oecumenicum, celebratum eſt anno 680. ſub Agathone Romano Pontifice & Conſtantino Pogonato Imperatore. Huic præfuit Agatho per Legatos Theodorum & Georgium Presbyteros & Joannem Diaconum, quod quidem conſtat ex Actis Concilii, ex Diurno Romano & ex Græcis authoribus Zonara, Cedreno &c. Hæreſis Monothelitarum cauſa fuit cogendæ hujuſce Synodi: in eâ definitum fuit adverſùs Monothelitas, duas eſſe in Chriſto voluntates & duas operationes, humanæ nimirum naturæ unam, & alteram divinæ. Decem & octo Actionibus feliciter concluſum eſt: Actione 18. fidei definitionem edidit his verbis: *Duas naturales voluntates in Chriſto, & duas naturales operationes indiviſè, inconvertibiliter, inſeparabiliter, inconfusè, ſecundùm Patrum doctrinam... prædicamus.* Quæ quidem definitio omnium Patrum ſubſcriptionibus munita eſt.

Imperat... & Pontifices Par... — Cauſa. — Quid definitum. — Quod Seſſiones.

Authores Monothelismi.

Monothelitarum primus parens fuit Theodorus Pharitanus Epiſcopus, teſte Stephano Dorenſi in Secretario ſecundo concilii Lateranenſis ſub Martino Papa, his verbis: *Hanc* (Eccleſiam) *per ſuam hereſim turpaverunt, priùs quidem Theodorus Pharitana Eccleſia quandam Epiſcopus.*

Fautores.

A Theodoro manavit iſtud venenum, teſte eodem Stephano Dorenſi ibidem, uſque ad Cyrum Alexandrinum Antiſtitem, item Sergium Conſtantinopolitanum nec non ſucceſſores ejus Pyrrhum & Paulum, & Macharium Patriarcham Antiochenum: hi omnes auſi fuerunt aſſerere, quòd *ſicut in Chriſto unus eſt operator & unus volens, ita unam eſſe voluntatem operationemque unam.*

Monothelitis favit Heraclius publico quod, ſuadente Sergio, vulgavit Edicto anno 639. quod *Ecteſim*, hoc eſt, fidei expoſitionem nominarunt, in quâ aſſerit, duarum operationum vocem multos ſcandaliſare: imò diſertè confitetur unam in Chriſto voluntatem; & in hoc ſanctos Patres ſi qui ſe effudit. Iiſdem quoque Monothelitis favit Conſtans Heraclii nepos Typo ſeu Edicto quo anno 648. vetuit ne quis aut unius, aut duarum operationum vocibus uteretur.

Impugnatores.

Præcipui Monothelitarum impugnatores fuere 1. S. Joannes Eleemoſynarius Alexandrinus Patriarcha, de quo ſanctus Maximus in Dialogo cum Pyrrho. 2. Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus

tanus

tanus : is ubi primùm inauguratus eſt Jeroſolymorum Antiſtes, Concilium Epiſcoporum Palæſtinæ coëgit, ex quo encyclicam miſit ad Patriarchas, quâ diſertiſſimis SS. Patrum teſtimoniis duplicem in Chriſto voluntatem & operationem invictè adſtruebat : verba ſunt Stephani Dorenſis in Concilio Lateranenſi, Secretario ſecundo. 3. naſcenti etiam Monotheliſmo fortiter obſtitit Arcadius Cypri Epiſcopus : is ejuſque in Metropolitanâ Cypriorum Eccleſiâ ſucceſſor Sergius, & alii Cypri Antiſtites, Heraclii *Ecthesim* exploſerunt, ut iidem teſtantur in Epiſtolâ ad Theodorum datâ, quæ lecta eſt in Synodo Lateranenſi, Secretario ſecundo. 4. Severinus Papa qui Honorio proximè ſucceſſerat ; Joannes IV. Severini ſucceſſor coactâ Synodo, Theodorus, denique Martinus I. in Concilio Lateranenſi Monothelitarum hæreſim & Heraclianam Ecthesim confixerunt. 5. impiis Monothelitarum conatibus egregiè obſtitit S. Maximus Martyr : Pyrrhum confutavit in celebri diſputatione cum ipſo habitâ, eumque ad ejurandum errorem compulit. Tandem ultimo ictu confixa eſt Monothelitarum hæreſis in ſextâ Synodo Oecumenicâ, de quâ nunc agimus.

Tria hic ſolent quæri. 1. an Honorius reverâ fuerit in ſextâ Synodo damnatus. 2. an juſtè fuerit damnatus. 3. an fuerit Monothelita. quas quidem quæſtiones commodiùs ſuo loco, ubi nimirum de Incarnatione, ex profeſſo expendemus.

De Concilio Nicæno II.

Conc. VII. Oecumenic. Nicænum II. Tempus, Imperatores & Pontifices, Præſes.

Concilium Nicænum II. ex Oecumenicis ſeptimum celebratum eſt aono 787. Romæ ſedente Hadriano I. imperantibos in Oriente Irene cum filio Cooſtantino. Synodo ſeptimæ præfuit Hadrianus per ſuos Legatos, Petrum ſcilicet Archipresbyterum Eccleſiæ S. Petri, & Petrum Abbatem ſancti Sabæ : iſti enim Actione 1. recenſentur ante Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Actione 7. definitioni ſynodicæ primi omnium ſubſcribunt. Coacta eſt Synodus pro reſtituendo ſacrarum imaginum cultu & uſu contra Iconomachos, hoc eſt, imaginum effractores.

Cauſa.

Quid geſtum ac definitum.

Quid autem hoc in Concilio contra Iconomachos pro ſacris imaginibus definitum fuerit, patebit ex brevi ſingularum Actionum hiſtoriâ. Actione 1. recitata eſt ſacra Conſtantini & Irenes ad Concilium. Actione 2. lectæ ſunt Hadriani ad Conſtantinum & ad Taraſium Epiſtolæ. Actione 3. Epiſcopi lapſi quos pœniteret hæreſis Iconomachorum, in Sedes ſuas reſtituti ſunt. Actione 4. pluribus in medium adductis tam Scripturæ quàm Patrum teſtimoniis, varia in Iconomachos prolata ſunt anathemata : *Chriſtianorum accuſatoribus*, inquiunt Patres Concilii, *videlicet Iconoclaſtis, anathema.* Actione 5. & 6. lecta eſt & refutata per ſingula capita definitio pſeudoſynodi ſeptimæ, ſeu Conciliabuli Conſtantinopolitani ſub Conſtantino Copronymo ab Iconomachis habiti, & Concilii Oecumenici ſeptimi falsò dicti. Actione 7. 1. definitum fuit, retineri debere tùm Chriſti, tùm Deiparæ, tùm Angelorum, tùm Sanctorum imagines. 2. imaginibus deberi honorariam adorationem : eam autem adorationem non eſſe latriam quæ ſoli Deo debetur ; non eſſe cultum qui ad figuras terminetur, ſed qui referatur ad eorum prototypa, innuunt verba ibidem immediatè ſubjuncta : *Ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam, quæ ſecundum fidem eſt, quæque ſolam naturam divinam decet impertiendam, cum ſuis imaginis honor in prototypum reſultat ; & qui adorat imaginem, in eâ adorat quoque deſcriptum argumentum.* 3. litteras dedit Taraſius ad Romanum Pontificem Hadrianum, qui Synodum quidem ſuſcepit ; ſed ritu ſolemni non confirmavit, datâ ſcilicet, juxta uſum tunc temporis conſuetum, ad Eccleſias omnes aut ad Imperatores Epiſtolâ. Septima Synodus viginti duos edidit Canones pro Eccleſiaſticâ diſciplinâ, quæ graſſante hæreſi collapſa fuerat, ubique reſtaurandâ. Quâ editi ſint Actione prorſus incertum.

Quot Canones.

Dices : In Concilio Francofordienſi anno 794. planè improbata fuit iſta ſeptima Synodus ſeu Nicæna ſecunda ; ergo inter Oecumenicas recenſeri non poteſt.

Reſp. Patres Francofordienſes tunc temporis ignoraſſe, an verè Oecumenica foret & à Romano Pontifice Hadriano probata ſeptima Synodus : nec mirum, uti enim mox obſervavimus, Hadrianus equidem Synodum ſuſceperat, ſed ritu ſolemni minimè confirmaverat, datâ ſcilicet ad Eccleſias aut ad Imperatores Epiſtolâ.

Reſp. 2. Synodum Francofordienſem Oecumenicam non fuiſſe, ſed particularem duntaxat. Porrò errore facti, ut loquuntur, laboravit iſta Synodus, cùm definitionem ſeptimæ Synodi circa imagines damnavit. Nimirum exiſtimavit à Patribus Nicænis aſſertum fuiſſe ſacris imaginibus cultum abſolutum latriæ, qualis defertur ſanctiſſimæ Trinitati ; cùm tamen ſolum cultum religioſum & quidem relativum, Patres illi decreverint, ſicuti conſtat ex verbis Concilii mox adductis, & demonſtrabimus in Tract. de Incarnat. ubi de cultu imaginum.

Quæres qui præcipui fuerint authores, defenſores & impugnatores impiæ Iconomachorum hæreſis.

Authores hæreſis Iconomachorum.

Reſp. 1. Conſtantinum Nacoliæ in Phrygia Epiſcopum hæreſis Iconoclaſtarum authorem eſſe teſte Taraſio Patriarcha Conſtantinopolitano, Actione 4. ſepômæ Synodi.

Defenſores.

Reſp. 2. Leonem Iſaurum inter Imperatores primum indixiſſe bellum ſacris imaginibus, lato adverſus ipſas Edicto anno 726. Leoni Iſauro ſucceſſit Conſtantinus Copronymus, impietatis patris non minùs quàm imperii hæres. Is, ut ſacras imagines authoritate & decreto Eccleſiæ aboleviſſe videretur, impium trecentorum triginta & octo Epiſcoporum qui à fide defecerant, Concilium Conſtantinopoli congregavit anno 754. Hi nemine catholicis à Sedibus vocato, abſentibus & nequidem invitatis, Romano, Alexandrino, Antiocheno & Hieroſolymitano Patriarchis, omnium imaginum uſum ac cultum publico decreto proſcripſerunt. Hujus Conciliabuli, pſeudoſeptimi dicti, definitio refertur ac confutatur Actione 6. hujuſce Nicænæ ſecundæ Synodi. Mortuo Conſtantino Coptonymo, ſucceſſit Leo IV. ejus filius, qui etiam imagines earumque cultum inſectatus eſt : verum, morte præoccupatus, Eccleſiam diu vexare non potuit. Sæviente Copronymi perſecutione exulavit ex majori parte Patriarchatûs Conſtantinopolitani uſus & cultus Imaginum ; at eum integrum religiosè obſervaverunt tres alii Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus & Hieroſolymitanus, cum Epiſcopis ſibi ſubjectis : atque hinc eſt quòd Copronymus nullum ex his Patriarchatibus Epiſcopum ad ſuum pſeudoconcilium convocaverit.

Impugnatores.

Reſp. 3. Impiis Iconomachorum conatibus quamplures ſtrenuè obſtitiſſe. 1. S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus dogmaticis Litteris ad Joannem & Thomam Epiſcopos aliosque datis :

unde

unde ſanctiſſimus Præſul vi manifeſtâ è ſolio dejectus atque in exilium deportatus fuit juſſu ſacrilegi Imperatoris Leonis Iſauri. 2. adverſus naſcentem hæreſim fortiter decertavit S. Joannes Damaſcenus, miſſis in Provincias Imperii Epiſtolis & orationibus luculentiſſimis de uſu & cultu ſacrarum imaginum: huic dexterâ manu amputatâ, eo ipſo quo abſciſſa eſt, die, illi coram Deiparæ Virginis imagine proſtrato & oranti, divinitus reſtituta eſt. 3. eandem impietatem conſtanter impugnarunt Gregorius II. Gregorius III. Zacharias, Stephanus, Paulus, aliique Romani Pontifices, variis eâ de cauſâ habitis Romæ Conciliis. Denique decretoriè confixa eſt in hâcce ſeptimâ Synodo Oecumenicâ Nicænâ ſecundâ.

De Concilio Conſtantinopolitano IV.

Conc. IV. Conſtantin. VIII. Oecum. Tempus. Pontifices & Imperatores. Præſes.

Concilium Conſtantinopolitanum IV. quod eſt ex Oecumenicis octavum, habitum eſt anno 869. tempore Hadriani Papæ II. & Baſilii Imperatoris. Synodo præfuit Hadrianus per Legatus, Donatum ſcilicet & Stephanum Epiſcopos, & Marinum S. Romanæ Eccleſiæ Diaconum. Iſta conſtant ex Actis Concilii. 1. Actione 1. Legati primi omnium loquuntur, ut mos eſt Præſidum. 2. Actione 8. & 9. nominantur primi, ut Præſides nominari ſolent. 3. Actione 10. ante omnes Orientis Epiſcopos & Patriarchas Concilio ſubſcripſerunt: ita etiam refertur in vitâ Hadriani II. Cauſa cogendæ Synodi fuit tùm abdicatio Photii, qui Sedem Conſtantinopolitanam fraudulenter invaſerat, tùm reſtitutio S. Ignatii qui ab ea injuſtè fuerat detruſus. Quid autem in toto Concilii decurſu geſtum fuerit compendioſa ſingularum Actionum ſeu Seſſionum narratione patebit.

Cauſa.

Quid geſtum.

Actione 1. 1. lecta eſt Hadriani ad Baſilium Imperatorem Epiſtola. 2. lectus eſt & approbatus libellus cui omnes Epiſcopi, Sacerdotes, Clerici & Monachi ſubſcribere tenebantur, in quo extabat Romanæ Synodi ſub Nicolao I. celebratæ definitio, quâ omnes hæreſes ſimul cum Iconomachis & Photio, eique adhærentibus, anathemate percellebantur. 3. lecta eſt definitio ab Orientalibus Epiſcopis ante Legatorum adventum edita: eâ in definitione teſtantur Præſules, ſe in omnibus articulis Nicolai, & Hadriani decreta ſuper depoſitione Photii & S. Ignatii reſtitutione amplecti. Definitione perlectâ clamarunt Concilii Patres: *Ecce audivimus ſententiam Orientalium ſequentem & faventem judicio ſanctiſſimi Papæ Nicolai, & convenimus in eam.*

Actione 2. 3. & 4. actum eſt de Clericis aut Epiſcopis qui à SS. Methodio aut Ignatio ordinati, ad Photii partes, vel vi, vel dolo, vel ſponte defecerant. Actione 6. à Synodo per Laïcos citatus eſt Photius. Actione 6. auditi ſunt qui pro Photii Ordinatione ſtabant Epiſcopi. Tandem Actione 7. à Stephano Diacono, Conciliique Notario proclamata ſunt in Photium ejuſque ſequaces anathemata, his verbis: *Photio invaſori, anathema...... Photio ſchiſmatico anathema. Photio..... novo Dioſcoro anathema. Novo Judæ anathema. Omnibus ſequentibus & fautoribus ejus anathema.*

Actione 8. iteratum eſt anathema præcedenti Actione latum. Actione 9. Joſeph Michaëlis Alexandrini Patriarchæ Legatus, in Synodo admiſſus eſt, & cognitis quæ in octo præcedentibus Actionibus geſta erant, Patriarchæ ſui Michaëlis nomine iiſdem ſubſcripſit.

Tandem Actione 10. 1. lecta eſt definitio Synodi, in quâ confixis omnibus hæreſibus quæ hucuſque emerſerant, & à ſeptem prioribus Oecumenicis Conciliis fuerant proſcriptæ, Photii damnatio rurſus confirmata eſt, nec non eorum qui ipſi contumaciter adhærebant. 2. à ſancta Synodo directa eſt encyclica ad univerſos orbis Epiſcopos Epiſtola: conſcripta etiam eſt ad Hadrianum ſynodica, qua ab ipſo Patres confirmationem Concilii rogant. 3. hoc in Concilio editi ſunt 27. Canones. *Quot editi Canones.*

Quæres 1. circa Canones iſtos, quid octava Synodus intellexerit Can. 4. dum Photium nuſquam fuiſſe Epiſcopum declarat, & Ordinationes & conſecrationes ab eo factas, irritas eſſe decernit.

Reſp. 1. Synodum octavam pronuntiaſſe Photium nuſquam fuiſſe Epiſcopum, quantùm ad Juriſdictionem & legitimam Epiſcopalis poteſtatis executionem: ſed non negat verè fuiſſe Epiſcopum quoad dignitatem & characterem Epiſcopalem. Inde eſt quòd Joannes VIII. Photium reſtituit abſque nova conſecratione, quia ſcilicet validam, etſi non legitimam agnoſcebat ipſius Ordinationem.

Reſp. 2. Eodem Canone irritas declarari Ordinationes ac conſecrationes à Photio factas, non quidem abſolutè, &, ut ita loquar, quoad ſubſtantiam & characterem; ſed duntaxat quoad jus & uſum ac exercitium legitimæ poteſtatis: quod quidem ex Epiſtolis Nicolai I. ad Michaëlem Imperatorem & Hadriani II. ad Baſilium, nec non ex reſtitutione Photii à Joanne VIII. facta, apertè colligitur. Verùm de his in Tract. de Ordine, ubi de effectu Ordinis.

Quæres 2. an Canon 12. quo reprobantur promotiones & conſecrationes Epiſcoporum potentiâ & mandatis Principum factæ, repugnet regiæ Epiſcorum nominationi in Gallis fieri ſolitæ.

Reſp. negativè. Ratio eſt, quia dictus Canon, occaſione intruſionis Photii latus, ſolas promotiones verſutiâ, malis artibus, vel tyrannide Principum factas (qualis erat intruſio Photii, qui Michaëlis Imperatoris tyrannide ſubſtitutus fuerat ſancto Ignatio viventi) damnat ac reprobat: non autem damnat alias promotiones à Principibus factas jure patrocinii & tuitionis Eccleſiæ, eadem Eccleſia permittente, ob Eccleſiæ ipſius bonum; vel ex Eccleſiæ conceſſione, & ſolemni ritu promulgato privilegio & contractu, ſeu concordatis: porrò tales ſunt promotiones Epiſcoporum, quos ſummo Pontifici in Gallia nominant Chriſtianiſſimi Reges; non ergo adverſantur octavæ Synodo.

Quæres 3. quis eſſet Photius; quâ arte Sedem Conſtantinopolitanam invaſerit; quis tandem fuerit infauſtæ illius intruſionis exitus.

Reſp. Ad primum, Photium fuiſſe virum nobilitate inſignem, Taraſii quondam Patriarchæ nepotem; pro Michaële Imperatore in Perſidem legatione functus fuerat, tunc verò eidem erat primus à ſecretis: divitiis potens, præſtantiâ ingenii & ſæculari litteraturâ nulli ſecundus; cæterùm honorum cupiditate ad quodlibet audendum paratiſſimus.

Reſp. ad ſecundum, Photium, ut ſanctum Ignatium dejiceret, & Sedem Conſtantinopolitanam occuparet, 1. Gregorio Syracuſano Epiſcopo aliiſque nonnullis Clericis qui Ignatii promotionem improbaverant, ſeſe adjunxiſſe: Gregorius ille Syracuſanus paucis abhinc annis, ſeditionis, ſchiſmatis & aliorum criminum convictus, congregatâ Synodo ab Ignatio Patriarchâ depoſitus fuerat. 2. Gregorius, Barda Imperatoris avunculo patrocinante, irregulari facto conventu, depoſitum declaravit Ignatium, & Photium Patriarcham renuntiavit inauguravitque, ſex dierum ſpatio ad omnes Ordi-

num

rum gradus ipſum promovens. Ob cenſurā æquiſſimam ſancto Patriarchæ infenſus erat Bardas; ſcilicet cùm ſæpius admonitus, inceſtam cum nuru ſtupri conſuetudinem deſerere nollet, ipſum communione privavit ſanctiſſimus Patriarcha. 3. Photius, quo facilius Clerum & populum cum eo communicare detrectantes, ad ſuas partes adduceret, Barda & Michaële Imperatore faventibus, Epiſcoporum Imperatoris voluntati ignaviter ſervientium concilium congregavit, in quo lata eſt in Ignatium depoſitionis ſententia, aſſertaque eſt Photio Sedes Conſtantinopolitana, 4. Nicolao I. Pontifici maximo obrepere, atque ab ipſo ordinationis ſuæ confirmationem impetrare conatus eſt Photius; datis ad Pontificem litteris in quibus conteſtabatur Ignatium ſenio & morbo confectum ſe Patriarchatu abdicaſſe: addebat ſe verò, ſedente Ignatio, totius populi, Cleri ac omnium Metropolitanorum ſuffragiis canonicè electum, vimque ab Imperatore ſibi factam, ut Sedis Conſtantinopolitanæ regimen ſuſciperet: iiſdem litteris fidei ſuæ profeſſionem inſeruit. 5. lectis Photii litteris, Nicolaus Pontifex prudentiſſimus legationem in Orientem decrevit ad inquirendum de Ignatii abdicatione, quam cauſabatur Photius, & de ejuſdem Photii reſtitutione: Legatos minis & pœnarum formidine terret, & ſuas in partes trahit photius, ita ut coactâ Synodo ipſum Ignatium præſentem exauctorarint, ac photii Ordinationem confirmaverint. Ut primum iſtud reſcivit Nicolaus, convocatis omnibus qui tunc Romæ aderant Epiſcopis & Clero, cauſa maturè diſcuſſâ Legatos ut prævaricatores damnat: Photianam Synodum in irritum mittit; Photium deponit; reſtituit Ignatium.

Reſp, ad tertium, iratum in Nicolaum Papam Photium. 1. congregata Synodo, auſu temerario ipſumNicolaum Romanum pontificem excommunicaſſe. 2. encyclicas ad Patriarchas & Orientis Epiſcopos dediſſe litteras, calumniis in Eccleſiam Romanam plenas. Quinque potiſſimum his in litteris continebantur Photianæ accuſationis capita: quorum ac præcipuum, proceſſionem Spiritûs ſancti & Patre & Filio, & additionem particulæ *Filioque* Symbolo Conſtantinopolitano ſpectabat. *Sanctum & ſacrum Symbolum*, inquit, *quod ab omnibus Oecumenicorum Conciliorum calculis confirmatur ..... ſenſibus ſpuriis, verbis adſcititiis conati ſunt adulterare* (Latini) *Spiritum ſanctum novo errore commenti, non de ſolo Patre, ſed etiam Filio procedere*. 3. Photius altera ſchiſmatica Synodo convocata, & exauctorationis atque anathematis ſententia in Romanum Pontificem iterum lata, ſchiſma confirmat. 4. interſecto Michaëli Imperatori ſucceſſit Baſilius: is à Nicolao Papa Concilium petiit, quod jàm Romæ latam in Photium pro Ignatio ſententiam executioni demandaret. Annuit Hadrianus II. qui mortuo Nicolao ſucceſſerat: coacta Romæ Synodo Photii depoſitionem confirmavit, omniaque ab ipſo contra Nicolaum I. & S. Ignatium ſcripta actaque decrevit aboleri. 5. idem Pontifex Hadrianus octavam Synodum Oecumenicam, de qua jam agimus, celebrari juſſit: in ea iterum confirmata eſt & lata in Photium depoſitionis ſententia. Quæ in hac triplici reſponſione dicta ſunt, conſtant ex præfatione Anaſtaſii Bibliothecarii ad ſextam ſynodum, ex ejuſdem ſynodi Actis, ex Niceta in vita S. Ignatii, denique ex Cedreno in Compend. Hiſtor. & Zonara Lib. 3. Annalium.

Nec quæꝛit depoſitus ab octava Synodo Oecumenica photius, donec in ſedem Conſtantinopolitanam rurſus irrepſerit. Scilicet variis artibus & dolis à Joanne VIII. in Patriarchale ſolium reſtitui curavit: ubi primum reſtitutus fuit, pſeudoſynodum adverſus octavam Oecumenicam convocavit. Photianam Synodum photiumque ipſum damnavit Joannes VIII. quod & ejus ſucceſſores Marinus, Hadrianus III. Stephanus VI. &c. conſtanter fecêre. Cum photio viſum fuit extinctum ſchiſma: verùm majores vires reſumpſit undecimo ſæculo operâ præſertim Michaelis Cærularii Conſtantinopolitani itidem Patriarchæ, & favente Conſtantino Monomacho Imperatore; atque dolendum iſtud ſchiſma ad noſtra uſque tempora perdurat. En infelix photianæ in ſedem Conſtantinopolitanam intruſionis initium, progreſſus & exitus.

Certa eſt & indubitata ſynodi octavæ Oecumenicitas. Huic nomen ac dignitatem Oecumenicam vindicant 1. profeſſio fidei in Libro diurno Romanorum Pontificum tit. 19. 2. author Libelli Synodici. 3. Anaſtaſius Bibliothec. in præfat. octavæ Synodi; denique conſenſus Catholicorum tùm Græcorum, tùm Latinorum. Soli Græci ſchiſmatici octavam Synodum reſpuunt, falsò ac temerè exiſtimantes, illam à Photiano Conciliabulo ſub Joanne VIII. anno circiter 883. celebrato, abrogatam fuiſſe.

De Concilio Lateranenſi I.

Concilium Lateranenſe I. nonum inter Oecumenica numeratur. Juxta Baronium & Binium anno 1122. vel ut aliis placet an. 1123. Romæ ſedente Callixto II. Papa, imperante verò in Germania Henrico IV. celebratum fuit. Ipſi præfuit Callixtus ipſe ſummus Pontifex, ut conſtat ex Concilii Actis. Triplex fuit celebrandi Concilii Lateranenſis I. cauſa. Prima & quidem præcipua fuit, ut inveſtiturarum abrogatio, juxta pacta ſive concordata Callixtum inter & Henricum in Conventu Vormatienſi decreta, confirmaretur Secunda, ut paleſtina & Hiſpania ab infidelium tyrannide, quâ tunc premebantur, liberari poſſent. Tertia tandem, ut ſchiſmaticorum factionibus labefactata ac penè collapſa variis in Eccleſia diſciplina reſtauraretur, Hunc in finem varii editi ſunt Canones: de eorum numero non una eſt ſententia, duos ſupra viginti vulgatæ Conciliorum editiones exhibent. Conciliorum Oecumenicorum in Occidente celebratorum primum iſtud fuit: appellatur Lateranenſe à loco in quo celebratum fuit; ſcilicet à Baſilica Lateranenſi. Cum autem prima ac præcipua celebrandi Concilii Lateranenſis primi cauſa fuerit inveſtiturarum abrogatio, juvat hic de iis nonnulla inquirere.

Concilium Lateran. I. nonum inter Oecumenica. Tempus. Pontifices & Imperatores. Præſes. Cauſæ. Canones.

Quæres itaque 1. quid ſit inveſtitura. 2. quæ ejus origo. 3. qui abuſus irrepſerint. 4. quinam præcipuè ſummi Pontifices adverſus Imperatores pro inveſtiturarum abrogatione certaverint 5. quâ tandem ratione controverſia de inveſtituris compoſita ſit in Concilio Lateranenſi primo Oecumenico.

Reſp. ad primum: inveſtitura eſt conſenſus à ſæculari principe datus factæ alicujus ad Epiſcopatum vel Abbatiam electioni, nec non poſſeſſionis bonorum eccleſiaſticorum conceſſio ſolemni quodam ritu demonſtrata.

Ad ſecundum: inveſtiturarum origo fuit munificentia Principum ſæcularium erga Eccleſias: cum enim non ſolum prædia & latifundia, ſed etiam Regalia ſeu feuda Majeſtati ſuæ obnoxia Eccleſiis conceſſerint; inde factum eſt, ut feuda hujuſcemodi alio-

di aliorum feudorum conditionem ſortirentur, nec eorum poſſeſſionem adire poſſent electi Epiſcopi aut Abbates, niſi exhibito Principibus hominio, & præſtito fidelitatis juramento.

Ad tertium; inveſtiturarum hi præcipui erant abuſus. 1. quod Principes ſæculares inveſtituram conferrent per baculum & annulum, quæ cenſebantur inſignia ſpiritualis poteſtatis. 2. inveſtiturarum prætextu ſacrarum electionum libertas opprimebatur. 3. venales fiebant Epiſcopatus & Abbatiæ, & ad ſacras hujuſmodi præfecturas indigni plerumque promovebantur. Hos inveſtiturarum abuſus refert ac multis confutat S. Anſelmus Lucenſis Epiſcopus; potiſſimum vero ex Canonibus 19. & 23. Concilii Antiocheni, ex Can. 3. Synodi VII. Oecumenicæ, tandem ex actava Synodo Oecumenicâ Can. 12.

Ad quartum: adverſus hos abuſus graviter inſurrexêre ſummi Pontifices, & præcipuè Gregorius VII. Is in frequentibus Synodis eâ de re habitis inveſtituras quæ à Principibus ſæcularibus per baculum & annulum fiebant, damnavit. Gregorii VII. decreta adverſus inveſtituras innovarunt ac confirmarunt ipſius ſucceſſores, Victor III. Urbanus II. Felix II, Paſchalis II. Gelaſius II. Callixtus II.

Ad quintum tandem reſpondeo, controverſiam de inveſtituris quæ tot annis Eccleſiam afflixerat, in Concilio Lateranenſi I. his conditionibus compoſitam fuiſſe. 1. Imperator inveſtituras Epiſcopatuum & Abbatiarum per baculum & annulum dimiſit. 2. promiſit ſe omnino liberas relicturum canonicas electiones & conſecrationes. Viciſſim Callixtus ſummus Pontifex conceſſit Imperatori 1. ut ſiſteret ſe præſentem electionibus quæ in illius Imperio fierent. 2. ut electus intra limites Imperii Regalia, hoc eſt fructuum percipiendorum poteſtatem, ab ejus Majeſtate per ſceptrum acciperet. Hæ pacis conditiones jam apud vormatiam propoſitæ, in concilio Lateranenſi I. fuêre utrimque receptæ, & utrimque mutua ſubſcriptione firmatæ. Extat de his pacis conditionibus authenticum inſtrumentum Tom. 10. Conciliorum edit, Labb. pag. 901.

De Concilio Lateranenſi II.

Concilium Lateran. II. X. ex Oecumenicis. Tempus. Pontifices & Imperatores. Præſes. Cauſa.

Concilium Lateranenſe quod inter Oecumenica decimum numeratur, anno 1139. ſummo Pontifice Innocentio II. & Imperatore Lothario celebratum fuit. Præfuit ipſe ſummus Pontifex: adfuêre mille circiter Epiſcopi. Iſta conſtant ex Abbate Urſpergenſi & Ottone Friſingeſi Lib. 7. cap. 33.

Triplex fuit Concilii celebrandi cauſa. Prima, ſchiſma Petri Leonis. Altera, Petrobuſianorum & Arnaldiſtarum errores. Tertia, diſciplinæ eccleſiaſticæ reſtauratio. In eâ Synodo tria potiſſimum acta ſunt. 1. reſciſſa fuêre acta Petri Leonis pſeudopontificis, dicti à ſchiſmaticis Anacletus II. 2. proſcripti ſunt cum ſuis hæreſibus ac ſequacibus Petrus de Bruis Arnalduſque de Brixia. 3. triginta editi Canones; viginti octo pro reſtauranda diuturno ſchiſmate labefactata Eccleſiæ diſciplina: alii duo, vigeſimus tertius ſcilicet & trigeſimus contra Hæreticos vel ſchiſmaticos.

Quid geſtum. Quot Canones.

Petrus autem de Bruis á quo Petrobuſiani dicti, in his quinque inter alia erravit, teſte Petro Venerabili in Epiſtolâ ad Archiepiſcopos Arelatenſem & Ebredunenſem. 1. aſſerebat baptiſma nihil prodeſſe parvulis. 2. Templa eſſe deſtruenda. 3. confringendâs cruces. 4. Euchariſtiam non continere verè & realiter verum Chriſti corpus 5. defunctos nec Presbyterorum ſacrificiis nec Fidelium precibus juvari. Arnaldus à quo nomem ſortiti ſunt Arnaldiſtæ, in eoſdem ferinè errores lapſus eſt: *De Sacramento Altaris*, inquit Otto Friſingenſis Lib. 2. de rebus geſtis Frederici Imperatoris cap. 20. *de Baptiſmo parvulorum, non ſane dicitur ſenſiſſe.* Addit ibidem eundem cenſuiſſe, *nec Clericos proprietatem, nec Epiſcopos regalia, nec Monachos poſſeſſiones habentes, aliqua ratione poſſe ſalvari.*

De Concilio Lateranenſi III.

Concilium Lateran. III. XI. Oecum. Tempus, Imperator, & Pontifices Præſes.

Concilium Lateranenſe III. inter Oecumenica undecimum, celebratum fuit anno 1179. Romæ, ſedente Alexandro III. & imperante in Germania Frederico I. Concilio præfuit ipſe Alexander III. adfuerut trecanti Epiſcopi, Willelmo Tyrio ex illis uno teſtante Lib. 21. de bello ſacro cap. 25.

Cauſa.

Concilium celebrandum indixit ſummus Pontifex tribus de cauſis. 1. ut eligerentur media vitandi impoſterum ſchiſmatis: eumque in finem ſtatutum eſt Canone 1. legitimam deinceps non fore Papæ electionem, niſi duæ partes Cardinalium ad eandem conſpirent. 2. ut Catharorum, Albigenſium & Valdenſium damnarentur errores. 3. ad tollendos varios circa diſciplinam abuſus. Viginti ſeptem Canones edidêre Patres Lateranenſes.

Quot Canones.

Porro ſchiſma Octaviani in cauſa fuit, cur in Concilio Lateranenſi III. de mediis vitandi impoſterum ſchiſmatis actum fuerit. Scilicet mortuo Hadriano IV. ſummo Pontifice, anno Chriſti 1159. Rolandus Senenſis à viginti tribus Cardinalibus electus eſt, dictuſque Alexander III. Octavianus vero Romanus licet à tribus duntaxat deſignatus, Pontificiæ dignitatis inſignia auſus eſt aſſumere, Sedemque ſancti Petri invadere impoſito ſibi nomine Victoris IV. Duos habuit ſucceſſores Octavianus, quorum primus Paſchalis III. alter Callixti III. nomen uſurparunt. Stabat pro Octaviano Fredericus Imperator; pro Alexandro III. è contra ſtabant Galli, Hiſpani, Britanni, aliique ferè omnes Catholici. Denique cum viginti duobus annis ſchiſma foviſſet Fredericus, tandem ejurato ſchiſmate ſupplex ad ejuſdem Alexandri pedes provolutus acceſſit, ut Alexandri Acta ex vaticano Codice à Baronio ſæpius laudata teſtantur. Pacem hanc, ut firmius ſtabiliret Pontifex, Lateranenſem tertiam Synodum Oecumenicam indixit.

Multi valdenſes & Albigenſes promiſcuè ſumunt: hos varioſque eorum errores exacta diſcernit criticâ illuſtriſſ. Boſſuetius Lib. 11. Variationum, ubi oſtendit Albigenſes veros fuiſſe Manichæos; Valdenſes verò ad Donatiſtarum hæreſim acceſſiſſe circa validitatem Sacramentorum & Eccleſiam Romanam: hanc enim, teſte Reynerio, exiſtimabant defeciſſe propter poſſeſſiones temporales quibus fruebatur.

Valdenſes ſic appellati ſunt ab authore Petro Waldo: dicti ſunt etiam pauperes de Lugduno, ab urbe ex quâ eruperunt. Albigenſes verò dicti ſunt Cathari, quod ſe præ cæteris puros gloriarentur; Albigenſes & Bulgari, quia in his Regionibus frequentes verſabantur. De Valdenſium & Albigenſium erroribus præter illuſtriſſ. Boſſuetium loco mox citato, conſuli poſſunt Reynerius Opuſculo de Hæreticis, Seycellus Archiepiſcopus Taurinenſis, Ebrardus & alii.

De Concilio Lateranenſi IV.

Concilium Lateran. IV. XII. Oecum. Tempus, Pontifices Præſes.

Concilium Lateranenſe IV. quod duodecimum eſt inter Oecumenica, anno 1215. ſub Innocentio Papa III. habitum fuit. Præfuit Innocentius III. ad-

III. adfuêre Epiſcopi 412. Patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus; Antiochenus vero & Alexandrinus Patriarchæ Legatos miſere. Primates & Metropolitani ſuptuaginta ſeptem numerabantur, Abbates & abſentium Prælatorum Procuratores ultra octingentos: aderant etiam omnium Principum Chriſtianorum Legati, unde magnum concilium Lateranenſe vulgò appellatur. Tres præcipuæ fuêre celebrandi concilii

Cauſa. cauſæ. 1. pro recuperandâ Terrâ ſanctâ. 2. pro damnandis variis qui tunc graſſabantur erroribus, Albigenſium præſertim, Almarici, & Joachimi Abbatis. 3. pro reſtauranda Eccleſiæ diſciplinâ. Hæc conſtant ex convocationis diplomate quod incipit his verbis, *vineam Domini*. Et ex actis concilii.

Acta Concilii. Hâc in Synodo 1. Albigenſium hæreſis proſcripta eſt. Contra hunc errorem, quo cum Manichæis duo ſuprema rerum principia admittebant, aſſeritur *unum ſolum eſſe verum Deum.....creatorem omnium inviſibilium & viſibilium, ſpiritualium & corporalium*. 2. damnatus Joachimi Abbatis *De unitate ſeu eſſentia Trinitatis* Libellus contra Petrum Lombardum; ſed non damnata ejus perſona, quia non pertinax, ſed Eccleſiæ judicio ſubmiſſa. Palmatis Joachimi error in eo poſitus erat, tres perſonas divinas ſolâ collectione unum Deum eſſe, ſicut populus unus eſt; ac proinde naturam unam tribus perſonis communem, atque Patrem ſeorſim ſumptum Deum eſſe inficiabatur. 3. damnata etiam impia Almarici doctrina inter alios errores effutiebat, teſte Heiſterbacenſi Lib 5. Dialogi cap. 22. *non aliter eſſe corpus Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, quam in qualibet altare.* Eundem errorem Almarico adjudicat Genebrardus Lib. 4. Chronologiæ. 4. decreta eſt in Terram ſanctam expeditio; cruce ſignatis indulgentiæ, variaque privilegia liberaliter conceſſa. 5. tandem, 69. canonibus ſancita eſt Eccleſiæ diſciplina, quibus ſi caput *Firmiter. De ſumma Trinitate.* addideris, Canones ſunt omnino 70.

De Concilio Lugdunenſi I.

Lugdun. 1. ex Oecumenicis XIII. Tempus. Imperatores & Pontifices. Conſilium Lugdunenſe I. inter Oecumenica decimum tertium, habitum fuit anno Chriſti 1245. Romæ ſedente Innocentio IV. in Germania imperante Frederico II. regnante in Galliis Chriſtianiſſimo & ſanctiſſimo Rege Ludovico IX. Præfuit Innocentius IV. Pontifex maximus: adfuêre plurimi Cardinales, Patriarchæ tres, Conſtantinopolitanus, Antiochenus & aquileienſis; Epiſ-

Præſes. copi centum circiter & quadraginta: interfuêre etiam Balduinus Conſtantinopolitanus Imperator, Thadæus Frederici Imperatoris Procurator, Chriſtianiſſimi Regis Ludovici IX. Regis Angliæ aliorumque Principum Oratores. Ita referunt Matthæus Pariſ. Hiſt. angl. Albertus Stadenſis in chronico &c.

Tribus duntaxat actionibus abſolutum fuit hoc primum Lugdunenſe concilium. In prima actione Innocentius IV. ſummus Pontifex gravem ad Patres concilii orationem habuit, in quâ ipſis aperuit quinque concilii celebrandi cauſas. Prima,

Cauſæ. ſtatus eccleſiaſtici varii exceſſus Secunda, Græcæ Eccleſiæ ſchiſma quod in dies augebatur. Tertia, clades Jeroſolymitana à Saracenis illata. Quarta, Tartarorum in Chriſtianorum terras irruptio. Quinta demùm, Frederici Imperatoris crimina & hoſtilia in Eccleſiam acta.

In ſecunda Actione, alteram ad Patres Concilii orationem habuit Innocentius Pontifex maximus, in qua ſacrilegia, perjuria, vim ac tyrannidem, aliaque Frederici Imperatoris ſcelera palam expoſuit: quæ quidem omnia pro viribus diluere conatus eſt Thadæus Imperatoris Procurator: verùm cùm futiles viderentur patribus hæ Thadæi rationes; decreverunt in eundem Fredericum juridice animadvertendum eſſe.

Denique Actione tertia lata eſt in Fredericum excommunicationis & depoſitionis ſententia: quam quidem exauctorationis ſententiam non Synodo Oecumenicæ, ſed Innocentio ſoli eſſe adſcribendam, varia demonſtrant. 1. inſcriptio Decreti quæ talis eſt, *Sacro præſente Concilio*: in aliis autem Decretis legitur, *Sacro approbante Concilio.* 2. tenor decreti: in eo quippe, eum agitur de depoſitione Frederici, ſuo ſemper nomine loquitur ſummus Pontifex: *Cùm Jeſu Chriſti*, inquit, *vicem licet immeriti teneamus in terris.....ipſum* (Fredericum) *omni honore ac dignitate ſententiando privavimus.* 3. ratio qua latum eſt decretum: ſcilicet de Frederici ſceleribus, cenſuriſque in eum ferendis quam diligentiſſime quæſitum eſt ac deliberatum à Patribus: an autem deponendus eſſet, ne inquiſitumquidem videmus. 4. authores qui hujus depoſitionis hiſtoriam referunt, eam ſoli Innocentio, non concilio adſcribunt. Ita Trithemius Abbas, Albertus Stadenſis, Guillelmus de Podio, Nicolaus Trivetus in Chronic. ad annum 1246. Matth. Pariſ. p. 451. 454. 5. Fredericus in literis ad Reges Franciæ & Angliæ nunquam de Concilio conqueſtus eſt, ſed de ſolo Pontifice.

Hic tria addimus in præſenti materiâ accuratè obſervanda. Primum eſt, quod notat Illuſtriſſimus Boſſuetius defenſ. Declarat. Cleri Gallic. parte 2. Lib. 8. cap. 11. (hic & deinceps dictum Illuſtriſſimi Boſſuetii opus laudabimus juxtà fidem authentici exemplaris Mſſ. quod in Bibliothecâ regiâ aſſervatur) ante & poſt tempora Concilii Lugdunenſis, non tantum Romanos Pontifices, ſed etiam alios multos in eam conſenſiſſe ſententiam, Imperium Occidentis ſeudatarium eſſe Eccleſiæ Romanæ: ita paſſim fuiſſe creditum, teſtatur oratio habita in concilio Turonenſi ab Arnulpho Lexovienſi an. 1163. Idem etiam reſtantur Paſchalis II. Adrianus IV. Innocentius III. Gregorius IX. &c. Porro hâc ſemel poſitâ ſententiâ, inquit Illuſtriſſimus Præſul, nihil mirum ſi crediderint Patres Lugdunenſes, Imperatores à ſummis Pontificibus poſſe deponi, cum nempe erga ipſos, quibus authoribus regnabant, debito ac jurato officio defuiſſent. Neque tamen, ſubdit ibidem doctiſſimus author, exinde quidquam concludi poteſt adverſus ſupremam aliorum Regum ac Principum authoritatem. Secundùm, quod hic venit obſervandum, iſtud eſt, legibus Palatinis ſtatutum fuiſſe, teſte Lamberto Scafnaburgenſi ad annum 1077. illum imperatorio honore indignum eſſe, qui per annum integrum fuiſſet excommunicatus: jam verò per plures annos in excommunicatione inſorduerat Imperator Tertium, Fredericus, uti teſtatur Gregorius IX. Epiſt. 2. ad Stephanum Cantuarienſem Archiepiſcopum, ſe primum ſubjecerat Innocentii judicio: unde Oratorem miſit qui ſuo nomine crimina ſibi objecta dilueret. Exiſtimare ergo poterant Patres, eum conſenſu illo imperatorem depoſitionis pœna plecti poſſe.

Præter celebrem Frederici cauſæ diſcuſſionem eâdem in actione 1. renovatum eſt decretum de ſacrâ in Saracenos expeditione, pro Terrâ ſanctâ recuperanda: hujus ſanctæ expeditionis Dux deſignatus eſt S. Ludovicus Galliæ Rex. 2. Cardinalibus ab Innocentio IV. dicitur conceſſa facultas

Quot Canones.

pileo utendi, rubro in ſignum conſtantiæ pro fidei defenſione. 3. editi 17. Canones relati in ſexto Decretalium ſub nomine Innocentii IV. in Concilio Lugdunenſi.

De Concilio Lugdunenſi II.

Concilium Lugdun. II. ex Oecumenicis XIV. Tempus. Pontifices & Imperatores. Præſes.

Concilium Lugdunenſe II. ex Oecumenicis decimum quartum, habitum fuit anno 1274. Romæ ſedente Gregorio X. imperante in Occidente Rodulpho. Concilio præfuit ſummus ipſe Pontifex Gregorius: adfuere Cardinales quindecim, Patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus & Antiochenus; Epiſcopi plus quam quingenti; Abbates, aliique inferiores Prælati non pauci: adfuerunt pariter Jacobus Aragoniæ Rex Michaëlis Palæologi Græcorum Imperatoris, Regum Franciæ, Germaniæ, Angliæ & Siciliæ Oratores. Ad concilium hoc inſuper vocati ſunt plures alii viri doctrinâ & ſanctitate inſignes, inter quos celeberrimi fuêre S. Thomas Aquinas & S. Bonaventura; quorum prior dum ad Concilium pergeret, lethali ægritudine correptus, ad vitam migravit immortalem: S. verò Bonaventura in ipſo Concilio Cardinalis & Epiſcopus Albanenſis creatus eſt. Conſtant iſta ex Ptolomæo Lucenſi authore coævo Hiſt. Eccleſiaſt. Lib. 23. cap. 3.

Cauſæ.

His potiſſimum de cauſis Concilium Lugdunenſe II. celebrandum indixit ſummus Pontifex. 1. ut Græci ad Romanæ Eccleſiæ fidem communionemque revocarentur, firmaque iniretur pax & unio Græcos inter & Latinos. 2. ut provideretur de auxilio Chriſtianis adverſùs Saracenos pugnantibus procurando. 3. pro reformandâ tùm in Clero, tùm in populo morum diſciplinâ, præſcribendoque modo ad celerem Sede vacante R. Pontificis electionem; plurima ſiquidem evenerant mala ex diuturna ante Gregorium X. Eccleſiæ Romanæ vacatione. Scilicet mortuo Clemente IV. per biennium & menſes novem Romana vacavit Eccleſia, donec per compromiſſum à ſex Cardinalibus electus eſt Viterbii Thibaldus Leodienſis Archidiaconus, qui aſſumpto Gregorii nomine, dictus eſt Gregorius X.

Acta Concilii.

Concilium Lugdunenſe ſex Seſſionibus feliciter abſolutum fuit. In prima Seſſione prædictas mox convocandi Concilii rationes exponit Gregorius X. In ſecunda, ſummus Pontifex de conſenſu Epiſcoporum decimas bonorum eccleſiaſticorum ad ſubſidium belli Hieroſolymitani in ſexcennium imperavit. Peractâ tertiâ Seſſione ad concilium advenêre Imperatoris Græcorum Oratores. In ſolemni Miſſâ quam celebravit ſummus Pontifex, Symbolum græcè & latinè decantatum eſt, illaque verba ter à Græcis repetita, *Qui ex Patre Filioque procedit.* In quarta, lectis Imperatoris & Græcorum Litteris, in quibus Catholicam fidem profitebantur, atque inter alia proceſſionem Spiritus ſancti ex Patre Filioque, Purgatorii pœnas, & divinitùs conceſſum Romani Pontificis primatum, facta eſt Græcorum cum Latinis unio. In quintâ, Petrus Oſtienſis Epiſcopus Ordinis Prædicatorum & poſt Gregorium X. ſummus Pontifex Innocentius hujus nominis quintus, funebre pronuntiavit elogium S. Bonaventuræ, qui inter quartam & quintam Seſſionem è vivis exceſſerat. In ſextâ denique Seſſione concilium Papali benedictione ſolutum eſt. Ei in Synodo editi ſunt 30. canones ſive Conſtitutiones Eccleſiæ diſciplinam morumque reformationem ſpectantes.

Quot Canones.

Canone 12. excommunicatione ipſo facto incurrendâ plectuntur ii qui contra jus Regalia de novo uſurpare conantur, vel qui hoc fieri procurant. Circa hunc canonem obſerva. 1. *Jus Regaliæ*, in ſententia illuſtriſſ. de Marca Lib. 8. de concord. cap. 17 n. 4. *diverſum non eſſe ab inveſtituris; quin imò ipſas eſſe inveſtituras, prout cum conſenſu Regum noſtrorum modificatæ fuerunt in Conciliis Claromontano & Rhemenſi, & à Callixto II. Papa anno 1122. & prout uſu ipſo explicata ſunt poſt tempora ejuſdem Pontificis.* Vide quæ ſupra diximus de inveſtituris, ubi de concilio Lateranenſi I. Ab aliis *Regalia* definitur, Jus Regium fruendi reditibus Eccleſiæ vacantis, & conferendi beneficia curam animarum non habentia, quæ ab Epiſcopo conferri ſolent, donec novus Epiſcopus juramentum fidelitatis Regi præſtiterit, ac Regias Litteras ſacramenti ſui teſtes in Cameræ computorum Regeſto conſcribi curaverit, & mandatum ab ipſâ impetraverit, quo manum Regiam temporalibus bonis injectam auferri jubeat.

Obſerva. 2. prædicto canone non damnari Regaliam in jure fundatam, ſed duntaxat eam quæ contra jus uſurpata fuerit: id apertè indicant poſteriora hæc canonis verba, *Qui ab ipſarum Eccleſiarum cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua conſuetudine jura ſibi hujuſmodi vindicant, ab illorum abuſu ſic prudenter abſtineant, & ſuos miniſtros ſolicitè faciant abſtinere, ut ea quæ non pertinent ad fructus, ſive reditus provenientes vacationis tempore non uſurpent, nec bona cætera, quorum ſe aſſerunt habere cuſtodiam delabi permittant.*

Obſerva 3. in Galliis Regalia hoc ritu claudi. 1. novus Epiſcopus ſacramentum fidelitatis Regi præſtat. 2. Regiæ Litteræ præſtiti ſacramenti teſtes in cameræ computorum Regeſto conſcribuntur. 3. ab ipſa Camera impetratur mandatum quo manum Regiam temporalibus bonis injectam auferri jubetur.

De Concilio Viennenſi.

Concilium Viennenſe ex Oecumenicis XV. Tempus. Imperatores & Pontifices. Præſes.

Concilium Vienſtenſe, quod inter Oecumenica decimum quintum numerari ſolet, anno 1311. Viennæ in Galliis celebratum fuit, Romæ ſedente Clemente V. imperante vero in Occidente Henrico Luxemburgenſi, hujus nominis ſeptimo. Præfuit Clemens ſummus Pontifex: adfuere præter Cardinales, Patriarchæ duo, Alexandrinus & Antiochenus; trecenti circiter Epiſcopi, teſtibus ſancto Antonio & Villano: inferiorum Prælatorum ingens numerus, pluresque Reges, videlicet Philippus pulcher cum tribus filiis ſuis, Eduardus II. Angliæ Rex, Jacobus II. Aragoniæ Rex, aliorumque Principum Oratores non pauci.

Cauſa.

Quadruplici de cauſa habitum fuit concilium Viennenſe. 1. ob negotium Templariorum, quorum Ordo publica nefandorum criminum infamiâ laborabat. 2. ad proſcribendos varios errores temporibus illis graſſantes, videlicet Petri Joannis, Fraticellorum, Dulciniſtarum, Beguardorum & Beguinarum. 3. ob ſubſidium Terræ ſanctæ. 4. reformandos mores. Conſtant hæc ex diplomate convocationis concilii quod incipit his verbis, *Regnans in Cœlis* &c. Tribus omnino Seſſionibus abſolutum eſt concilium.

Acta Concilii.

Hoc in concilio. 1. Templariorum Militaris Ordo qui annis ferè ducentis ſteterat per univerſum orbem, auditâ duorum fermè millium adverſùs eos teſtium depoſitione, à Clemente V. ſacro approbante concilio extinctus eſt; eorumque bona Equitibus ſancti Joannis Jeroſolymitani tradita ſunt. 2. promulgata fuit Clementina de ſummâ Trinitate & fide catholica, ubi inſana & erronea

Petri

Petri Joannis Oſivi Minoritæ Commenta proſcribuntur. Inter alios errores contendebat, duplicem Eccleſiam eſſe, carnalem unam & divitem, cui præeſſet ſummus Pontifex; ſpiritualem alteram &, pauperem, quam conſtituebant qui ſtrictiorem Fratrum minorum paupertatem profitebantur. 3. promulgata eſt altera Clementina. *Ad noſtrum*. qua damnantur errores Fraticellorum, Dulciniſtarum, Beguardorum & Beguinarum: hi omnes idem fermè docebant ac Petrus Olivi quem ut Patriarcham ſuum venerabantur. Addebant Beguardi & Beguinæ, animam non indigere lumine gloriæ ad Deum intuitivè videndum. 4. decreta eſt nova pro recuperandâ Terrâ ſanctâ, belli ſacra expeditio. 5. diſſidium Bonifacium VIII. inter & Philippum Pulchrum feliciter hoc in concilio concluſum eſt; atque communi Pontificis & concilii Decreto firmatum fuit, ejus Majeſtati filiiſque aut hæredibus nullum detrimentum inferri poſſe ob geſta contra Bonifacium. Ita refert S. Antonious 3. parte Hiſtoriæ. Denique variæ editæ ſunt à Clemente V. Conſtitutiones, quas unâ cum aliis tùm ante tùm poſt concilium editis, Joannes XXII. Clementis ſucceſſor in unum volumen congeſſit, & Clementinas appellavit. Vide ſanctum Antoninum loco mox laudato.

De Concilio Conſtantienſi.

Celebrandi concilii Conſtantienſis cauſa & occaſio fuit magnum ac luctuoſum Occidentis ſchiſma: hujus exordium, progreſſum & exitum hic paucis aperiemus.

Origo. I. poſt obitum Benedicti XI. qui Bonifacio VIII. ſucceſſerat, cùm Sedes Apoſtolica menſibus undecim vacaſſet, Cardinalibus duas in partes diviſis, tandem in ſummum Pontificem electus eſt anno 1305. Bertrandus de Agutis, alias Gothus ſeu de Gotho Archiepiſcopus Burdigalenſis, ſumpto ſibi nomine Clementis V. Is Sedem Apoſtolicam in Gallias tranſtulit, ibique tùm ipſe tùm illius ſucceſſores ampliùs 70. annis manſêre, donec Gregorius XI. licet natione Gallus, relictis Galliis, Romam repetiit, ubi Sedem ſuam fixit. Mortuo Gregorio an. 1378. Conclave Cardinales ingrediuntur, populus Romanus ingreſſos adit, petitque ne Gallum in Pontificem eligant: itaque creant Archiepiſcopum Barenſem Neapolitanum, qui Urbani VI. nomen aſſumpſit. Verùm cùm illius ſeveritatem ferre non poſſent Cardinales, Anagniam primùm, deinde Fundos ſeceſſerunt, ubi cauſati de violentiâ ſibi illatâ in electione Urbani VI. ejus electionem nullam & irritam eſſe declararunt, communique ſuffragiorum conſenſu, uno duntaxat excepto, elegerunt Robertum Gebeonenſis comitis fratrem, qui Clemens VII. appellari voluit, moxque cum Cardinalium collegio receſſit in Galliam, & Avenione Pontificatûs Sedem collocavit.

Regreſſus. II. interim moritur Urbanus VI. cui ſuffectus eſt à Cardinalibus quatuordecim illius obedientiæ qui cum Romæ verſabantur, Bonifacius IX. Bonifacio, Innocentius VII. Innocentio, Gregorius XII. in locum verò Clementis VII. Avenione ex apoplexiâ extincti electus eſt Petrus de Luna, qui ſibi nomen aſſumpſit Benedicti XIII. cùm autem Benedictus & Gregorius diutius inter ſe de ſupremo Pontificatu contenderent, neuterque pro pacis Eccleſiæ bono cedere vellet, licet uterque id in ſuâ electione promittendo juraſſet, nec alia ſupereſſet extinguendi ſchiſmatis via, utriuſque obedientiæ Cardinales Piſas convenêre an. 1409. ibique ſimul uniti, pro ſuo his in circumſtantiis jure & officio, Generale Concilium Piſis indixêre. Huic Piſano Concilio præfuit Cardinalis Pictavienſis utriuſque obedientiæ Decanus: adfuêre 22. Cardinales, quatuor Patriarchæ, ſcilicet Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus & Gradenſis; Achiepiſcopi duodecim per ſeipſos, & totidem per Procuratores; Epiſcopi trecenti, octoginta per ſeipſos, & duo ſupra centum per Procuratores; interfuêre etiam Abbates & inferiores Prælati quamplures, nec non celebriorum Univerſitatum Legati, & Regum Franciæ, Angliæ, Poloniæ, & omnium penè Germaniæ Principum Oratores. Hoc in Concilio poſt triplicem Gregorii & Benedicti citationem, utroque è Pontificatu dejecto, in utriuſque locum Seſſione 18. ſuffectus eſt Alexander V. qui reliquo præfuit Concilio, omniaque ejus geſta & decreta confirmavit.

Hujus Piſani Concilii œcumenicitas evincitur, tùm quia à Cardinalibus tempore ſchiſmatis, ad procurandam Eccleſiæ pacem legitimè convocatum fuit: tùm quia ipſi adfuit ingens Cardinalium, Patriarcharum & Epiſcoporum numerus: tùm deniquè quia confirmatum fuit à Martino V. qui ſemper ab univerſâ Eccleſiâ pro vero ac legitimo Pontifice habitus fuit. Nec obſtat infelix hujus Concilii eventus; ſiquidem Conciliorum œcumenicitas ex fauſto eorum vel infauſto dijudicari non debet eventu: & ſicut Concilium ad damnandas & extinguendas hæreſes convocatum, non deſinit Oecumenicum eſſe ac legitimum; quamvis illo peracto, damnatæ perſeverent & graſſentur hæreſes; ita nec Concilium iſtud Piſanum pro tollendo ſchiſmate convocatum, deſinit eſſe Oecumenicum, etſi eo abſoluto, adhuc perſeveraverit ſchiſma, obſtinatâ contendentium contumaciâ. Atque hic ſedulò diſtinguenda ſunt tria (quæ nonnulli immeritò promiſcuè ſumunt) Piſana Concilia. Unum videlicet anno 1134. ab Innocentio II. contra Petrum Leonis Antipapam, Anacletum II. dictum: alterum anno 1409. ad tollendum Gregorii XII. & Benedicti XIII, de ſummo Pontificatu contendentium ſchiſma: tertium denique anno 1511 à quibuſdam Pariter Cardinalibus indictum contra Julium verum ac legitimum Pontificem. Hic nec de primo, nec de tertio, ſed de ſecundo duntaxat Piſano Concilio nobis eſt ſermo.

III. depoſitis per Concilium Piſanum de Pontificatu contendentibus Benedicto XIII. & Gregorio XII. non ſtatim extinctum eſt ſchiſma, imò quaſi auctum viſum fuit: ſiquidem cùm Gregorius & Benedictus Synodi Piſanæ authoritati parere renuerent, jam non duo, ſed tres nomine Pontifices viſi ſunt in Eccleſiâ. Gregorium nonnullæ civitates Italiæ, Benedictum Hiſpaniæ magna pars ut Pontifices legitimos colebant, errore facti, quòd ipſis perſuaſum non eſſet Piſanam Synodum Oecumenicam eſſe; cæteri verò per orbem ſparſi Fideles, juxta Synodi decretum, Alexandrum V. & qui Alexandro ſucceſſerat Joannem XXIII. tanquam unicum ac verum Pontificem venerabantur. Ut primùm Sedem Apoſtolicam aſcendit Joannes XXIII. ad tollendum præfatum ſchiſma, agentibus Sigiſmundo Imperatore cæteriſque piis Principibus, Concilium Conſtantiæ cogit; in quo depoſiti ſunt tres de Pontificatu contendentes, & electus Martinus V ſicque infauſto & diuturno ſchiſmati finis tandem impoſitus. De hocce Conſtantienſi Concilio nunc agendum.

Concilium Conſtant. ex Oecumenicis XVI. concilium Conſtantienſe ex Oecumenicis decimum ſextum, Conſtantiæ quæ Germaniæ urbs eſt propè Helvetios, celebratum eſt anno 1414. Ro-

Tempus Imperatorum & Pontificum, Præſid.

mano Pontifice Joanne XXIII & Imperatore Sigiſmundo duabus prioribus Seſſionibus præfuit Joannes ipſe XXIII. legitimus Pontifex Poſt ejus è concilio diſceſſum, tertiæ Seſſioni præfuit Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis: quartæ, Jornudas Albanenſis Epiſcopus Cardinalis de Urſinis; cæteris uſque ad 41. incluſivè præfuit Joannes Epiſcopus Oſtienſis, Cardinalis Vivarienſis; quatuor poſtremis præfuit recens electus Martinus V. Adfuêre concilio pleríque Cardioales, quatuor Patriarchæ, trecenti circiter Epiſcopi, Abbates aliique inferiores Prælati ferè ſexcenti: et etiam interfuit Sigiſmundus Auguſtus cum pleriſque Germanis Principibus.

Cauſa.

Triplex fuit celebrandi concilii cauſa. Prima, ad extirpationem ſchiſmatis quo jam diu laborabat Eccleſia. Secunda, ad firmandam fidem adverſus Wielefum, Joannem Hus & Hieronymum de Praga. Tertia ad Eccleſiæ tam in capite quam in membris reformationem. Quadraginta quinque Seſſionibus abſoluta eſt Synodus conſtantienſis: annis quatuor & ſex menſibus duravit, ſcilicet ab ineunte Novembri 1414. ad finem uſque Aprilis an. 1418. Patent ea omnia quæ huc uſque diximus, ex Acti concilii. Vide Binium, Labbe &c.

Acta Concilii.

Iſta ſunt celebriora hujuſce Concilii Acta.

Primùm quidem quod ſpectat ſciſma. 1. Seſſione quartâ declarat, *Generale Concilium à Chriſto immediatè poteſtatem habere, cui quilibet cujuslibet ſtatus vel conditionis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem ſchiſmatis, & ad generalem Eccleſiæ Dei reformationem in capite & in membris.* Iſtud Decretum ſequenti Seſſ. 5. confirmatum fuit 2. Seſſione 12. lata eſt depoſitionis ſententia in Joannem XXIII. eam autem ſententiam idem Joannes poſtea ratam habuit ac ſcripto confirmavit. 3. Seſſione 14. unanimi conſenſu admiſſa eſt Gregorii XII. à Pontificatu ceſſio. 4 Seſſione 37. in Petrum de Luna, Benedictum XIII. in ſuà obedientiâ nuncupatum, tanquam in contumacem & ſchiſmatis fautorem lata eſt depoſitionis ſententia, ac ab Eccleſia catholica tanquam membrum aridum præciſus eſt. 5. Seſſione 41. Otho Columna Cardinalis Diaconus in ſummum Pontificem electus eſt ſub nomine Martini V.

Secundum quod ſpectat ad dogma & diſciplinam. 1. Seſſione 8. quadraginta quinque articuli Wiclefi damnati ſunt reſpectivè, tanquam hæretici, erronei, ſcandaloſi, piarum aurium offenſivi, temerarii &c. 2. Seſſione 15. damnati ſunt pariter alii 30. Joannis Hus articuli. 3. Seſſione 22. Hieronymus de Pragâ in ejuratam (Seſſione 19.) Wiclefi & Joannis Hus hæreſim relapſus, excommunicatus eſt, ac traditus ſæculari judicio, cujus juſſu vivus exuſtus eſt. 4. in eodem Concilio probata fuit communio ſub unâ tantum ſpecie, ac præcepta non celebrantibus, contra Bohemos, Huſſitas. 5. deinque à Martino V. quatuor ultimis Seſſionibus, ſacro approbante Concilio, variæ Conſtitutiones promulgatæ fuêrunt, de exemptionibus, annatis, de loco Concilii proximè celebrandi &c.

Quæres 1. qui fuerint, & quibus erroribus implicitii, Wiclefus, Joannes Hus, & Hieronymus de Pragâ, in Concilio Conſtantienſi damnati.

Reſpondeo Wiclefum fuiſſe natione Anglum, Doctorem Theologum, & cujuſdam Parochialis Eccleſiæ Lincolnienſis Rectorem. Varias in Deum, Chriſtum, Eccleſiam, Sacramenta, aliaque Religionis capita evomuit blaſphemias. Inter multa aſſeruit 1. omnia fatali neceſſitate evenire. 2. Eccleſiam ex ſolis prædeſtinatis conſtare. 3. nullum eſſe dominum civilem, aut Prælatum, aut Epiſcopum, dùm eſt in peccato mortali. 4. bonorum temporalium poſſeſſionem Eccleſiaſticis eſſe illicitam &c.

Joannes Hus fuit Presbyter Bohemus & in Academiâ Pragenſi Profeſſor. Is Wiclefum jam mortuum ſummoperè laudabat, ipſiuſque errores ardenter propugnabat, additis nonnullis aliis, qui in Conſtantienſi Concilio proſcripti ſunt; à quo ſæculari poteſtati traditus, igne periit.

Hieronymus de Pragâ fuit etiam Bohemus, vir laicus Magiſter artium, Joannis Hus diſcipulus, ſed ipſo longè facundior. Is cùm publicè doceret populum Wiclefi & Joannis Hus errores, ab Archiepiſcopo & Academia Pragenſi in jus vocatus eſt; ac tandem vivus exuſtus.

Quæres 2. an Concilium Conſtantienſe verè ſit Oecumenicum.

Antequam reſpondeam, obſerva, Catholicos omnes ultrò fateri Concilium Conſtantienſe Oecumenicum eſſe, ſaltem quoad aliquas Seſſiones: ita teſtatur Bellarmin. Lib. 1. de Conciliis cap. 7. his verbis: *Hoc Concilium*, (Conſtantienſe) *quantùm ad ultimas Seſſiones, & ea omnia quæ probavit Martinus V. ab omnibus Catholicis recipitur.* Quæſtio itaque in eo duntaxat verſatur, an ſimpliciter & quoad omnes Seſſiones Oecumenicum ſit: negant Ultramontani; contendunt ex adverſo cæteri maximè Galli, cum quibus.

Reſpondeo Concilium Conſtantienſe ſimpliciter & abſolutè quoad omnes Seſſiones eſſe Oecumenicum, quod probatur. 1 quia omninò legitimè fuit convocatum, à Joanne nimirum XXIII. vero & legitimo Pontifice, Alexandri V, in Piſana Synodo canonicè electi, legitimo ſucceſſore. 2. Concilio Conſtantienſi quamplures adfuête Cardinales, Patriarchæ, Epiſcopi, aliique inferiores Prælati. Equidem prioribus Concilii Seſſionibus præſentes non fuêrunt Cardinales qui ſtabant à partibus Gregorii XII. & Benedicti XIII. verum poſtmodum adhærêre Concilio: ſcilicet tota obedientia Gregorii XII Seſſione 14. ad finem uſque adfuit, adhæſitque Concilio; ac ſuo conſenſu confirmavit, quæ in prioribus Concilii Seſſionibus decreta fuerant: idem poſtmodum præſtitit obedientia Benedicti XIII. Seſſione 37. 3. Concilium Conſtantienſe in ſingulis fermè Seſſionibus declarat, *ſe Concilium generale facere in Spiritu ſancto legitimè congregatum, univerſam Eccleſiam repræſentans.* 4. Martinus V. in Bullà datâ in Concilio Conſtantienſi circa errores Wiclefi, & Joannis Hus idem diſertè teſtatur: ſiquidem inter articulos de quibus interrogandus eſt de his hæreſibus ſuſpectus, cum ad Eccleſiam redit, tres iſtos præſcribit: *Utrum credat quod quodlibet Concilium generale & etiam Conſtantienſe univerſam repræſentet Eccleſiam..... Item utrum credat, quod illud, quod ſacrum Concilium Conſtantienſe, univerſam Eccleſiam repræſentans, approbavit...hoc eſt univerſis Chriſti fidelibus approbandum.. Item utrum credat quod condemnationes Joannis Wiclefi, Joannis Hus, & Hieronymi de Praga, facta de perſonis eorum, libris & documentis, per ſacrum generale Conſtantienſe Concilium, fuerint rite & juſte facta, & a quolibet Catholico pro talibus tenenda, & firmiter aſſerenda.* 5, idem ſummus Pontifex Martinus V. Seſſione 45. quæ poſtrema fuit, rata habuit & probavit quæ in Concilio Conſtantienſe facta fuerant ac definita, ac diſertè profitetur, *omnia & ſingula determinata, concluſa & decreta in materiis fidei per præſens Concilium conciliariter, tenere, &*

invio-

inviolabiliter obſervare velle, & nunquam contraire quoquomodo; ipſaque ſic concorditer facta approbare & ratificare, & non aliter nec alio modo. Denique in Romana conciliorum generalium collectione juſſu Pauli V. Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ typis cauſa. an. 1608. 1609. 1612. concilium Conſtantienſe inter generalia Eccleſiæ concilia Catholicis proponitur eo ordine quem hic ſequimur; atque Oecumenicum ſimpliciter inſcribitur & appellatur: ita etiam inſcribitur in regiâ conciliorum collectione, in collectione Labbe &c.

De Concilio Baſileenſi.

Concilium conſtantienſe Seſſione 39. ſolemni decreto *Frequens*, quod Seſſ. 44. confirmatum fuit, ſtatuerat, quinquennio poſt concilii Conſtantienſis abſolutionem aliud Oecumenicum celebrandum eſſe, & poſt illud finito ſeptennio alterum, ac ſic perpetuo deinceps de decennio in decennium.

In executionem hujuſce decreti Martinus V, qui poſtremis concilii Conſtantienſis Seſſionibus præfuit, citata mox 44. Seſſione de conſenſu omnium Patrum Proximè futurum Papiæ concilium indixit, præfixoque tempore, hoc eſt, anno 1423. Archiepiſcopum Cretenſem, Epiſcopum Spoletanum, aliosque nonnullos, qui illud inchoarent, miſit Apoſtolicæ Sedis Legatos. Verùm cùm peſtifera lues non longe ab urbe Papienſi graſſaretur, mutari locum placuit, ſynodumque Senas transferri. Eo in concilio 1. damnatio hæreſum Wiclefitarum & Huſſitarum conſtantiæ facta, confirmata eſt. 2. tentata Latinorum cum Græcis unio; miſſis eâ de re Conſtantinopolim ad Imperatorem & Patriarcham à Martino V. nuntiis. 3. actum de reformandis Fidelium motibus. Tandem ob paucitatem Prælatorum, & ingruentes undique bellorum tempeſtates, Senenſe concilium, conſentientibus Partibus, diſſolvit Martinus, atque civitatem Baſileenſem ad concilii Oecumenici ſeptennio poſt celebrandi, juxta conſtantienſis concilii decretum, deſignavit.

Concilium Papienſe.

Concil. Papienſe Senas translatum.

Acta Concilii Senenſis.

Indictio Concilii Baſileenſis.

Tempus. Præſes.

Elapſo ſeptennio idem Romanus Pontifex Martinus V. Julianum Cardinalem Diaconum S. Angeli, Legatum à latere miſit anno 1431. & Baſileenſis concilii proximè futuri Præſidem inſtituit, mortuoque inter hæc Martino, ſucceſſor ipſius Eugenius IV. Juliani Cardinalis legationem, ipſique commiſſam præſidendi poteſtatem confirmavit. Iſta conſtant ex Actis concilii Baſileenſis, Seſſ. 1, ejuſdem concilii parag. 4. & 9.

Cauſa.

Triplex fuit celebrandi Concilii Baſileenſis cauſa. Prima, ad tentandam Bohemorum cum Eccleſiâ catholicâ unionem: vigebant enim adhuc in Bohemiâ impia Joannis Wiclefi & Joannis Hus dogmata in concilio Conſtantienſi ſolemniter proſcripta. Secunda, ad pacem componendam inter Principes Chriſtianos qui tunc mutuis bellis Rempublicam chriſtianam vexabant. Tertia, ad cleri reformationem; hæc enim tentata quidem fuerat, ſed ad exitum minimè perducta in concilio conſtantienſi. Tres prædictas cauſas recenſet Martinus V. in diplomate quo concilii indictionē confirmat.

Acta Concilii.

Geſta concilii Baſileenſis in tres Epochas commodè diſtribuuntur pro duplici quod exarſit ſynodum inter & Eugenium diſſidio. Prima, primum complectens diſſidium ad Seſſ. uſque 16. incluſivè protenditur. Secunda, facta reconciliatione, tempore pacis acta comprehendit, & Seſſ. 25. concluditur. Tertia, ſecundum narrat diſſidium, quod nonniſi anno 1442. finem accepit, cum Friderici Imperatoris hortatu Felix ſe Nicolao V. Eugenii ſucceſſori ſubjecit ſeſſ. 45. & ſuum paulò poſt reddit in Ripalliæ receſſum. Hunc Epocharum ordinem claritatis causâ ſectabimur ſingulas percurrendo ſeſſiones, ad eas etiam rejectis quæ fuſiorem poſtulare videntur expoſitionem.

Prima Epocha.

Prima Epocha. Seſſione 1. an. 1431. die 14. Decembris habitâ, Juliano Præſide, lecta ſunt ea decreta, quibus ſynodus innititur; imprimis caput *Frequens.* concilii conſtantienſis. 2. Senenſis concilii decretum de concilio Baſileenſi celebrando. 3. Martini V. diplomata & litteræ legationis Juliani Cardinalis. 4. litteræ Eugenii IV eandem legationem confirmantis. His lectis à ſynodo tot tantiſque firmata præſidiis, decretum eſt ſacrum generale concilium Baſileæ indictum canonicè eſſe congregatum, quo Prælati omnes accedere tenentur. Tandem concilii Officiales & Miniſtri electi ſunt, hoc eſt, electi ſunt concilii Notarii, Notariorum inſpectores, Promotores, & ſedium ordinatores.

Seſſione 2. 15. Februarii an. 1432. decretum eſt *ſacram Baſileenſem Synodum, ſacris Conſtantienſi & Senenſi Conciliis decernentibus, & auctoritate Apoſtolica interveniente, fuiſſe debitè, legitimeque & ritè inſtitutam.* 2. Concilii conſtantienſis decreta de ſupremâ conciliorum generalium auctoritate, confirmata fuêre. 3. eadem ſynodus Baſileenſis ibidem decernit & declarat, Patres aut alia concilii ſuppoſita, *quavis auctoritate, etiam Papali, compelli non poſſe ut a concilio recedant, ſine deliberatione & conſenſu ipſius ſanctæ Synodi; vel impediri ne ad eam Synodum accedant,*

Seſſione 3. anno 1432. 29. Aprilis, lectum fuit diſſolutionis concilii decretum, quo nempe Eugenius concilium prorogabat, Baſileenſe diſſolvebat, novam ſynodum Bononiam, elapſo anno integro cum dimidio, atque iterum poſt decennium, ex ordinatione concilii conſtantienſis Avenionem convocabat. Iſtud autem decretum non ſtatim perlatum eſt ad ſynodum; & qui temporum notas Pontificis decreto & concilii ſeſſionibus adhibitas diligenter inſpexerit, & inter ſe contulerit, facilè animadvertet, vix inchoatam Baſileenſem ſynodum, ab Eugenio fuiſſe diſſolutam: Juliani Cardinalis operâ forſan factum, ut decreti promolgatio aliquantulum differretur.

Cauſam porro hujus diſſolutionis & revocationis hanc præcipuam attulit Pontifex. Expedire admodum Eccleſiæ Græcorum cum Latinis unionem: illos, ex tribus Italiæ civitatibus ad tentandam hanc unionem oblatis, Româ, Bononiâ, & Anconâ, Bononiam elegiſſe: tam fauſtam occaſionem prætermittendam non eſſe, nec negligendam tot animarum ſalutem.

Audita talis decreti lectione, Baſileenſes Patres Concilii diſſolutionem ab Eugenio attentatam, irritam declarant, conſtantienſibus decretis Seſſ. 4. & 5. nixi: iis enim niti ſe profitentur, eaque decreta iterum repetunt, ſuoque decreto inſerunt.

Seſſione 4. die 22. Julii ejuſdem anni, ſynodus Cardinales vocat, definitque quod ſi fortè vacaret Sedes Apoſtolica hoc ſacro generali durante Concilio, electio Pontificis in loco Concilii, non alibi celebraretur; atque in contrarium attentata, quâvis authoritate, etiam Papali, nullius roboris ipſo jure eſſe decernit.

Exinde contra Eugenium proceditur. Seſſionibus 5. 6. 7. 8., eodem anno, habitis, & Seſſ. 9. 10. 11. ſequenti anno 1433. celebratis, accuſatur, citatur Eugenius, ac demum Seſſione 12. capite

quod incipit *Sancta Catholica*. Synodus tertiò repetitis ac confirmatis concilii Conſtantienſis decretis de ſupremâ, & à Chriſto immediatè acceptâ conciliorum authoritate, Eugenium, niſi intra ſexaginta dies Bullâ editâ reſipiſcat, *ab omni administratione Papatûs in ſpiritualibus & temporalibus ipſo facto ſuſpendit, & ſuſpenſum declarat.* In eâdem ſeſſione jus ſacratum electionum confirmatum eſt ac roboratum.

Seſſione 13. anno eodem 11. Septembris rurſus accuſata fuit Eugenii contumacia, quod exacto. 60. dierum ſpatio ſibi peremptoriè definito, concilio non paruiſſet, nec diſſolutionem ſynodi à ſe tentatam revocaſſet: illi nihilominus adhuc indultum eſt 30. dierum ſpatium rogante Bavariæ Duce, tam ſuo quàm Imperatoris nomine.

Seſſione 14. ſeptimo Idus Novembris ejuſdem anni 1433. habita, varia acta ſunt, inter quæ iſtud diligentius conſiderare oportet: ſcilicet, in ipsâ ſynodo confecta Bulla, quam Eugenius ſuo nomine promulgare, & ad ſynodum mittere debebat: hujus initium, *Dudum ſacrum* Hâc autem conſtitutione declarat Eugenius.

1. Concilium à die inchoationis legitimè continuatum fuiſſe & eſſe.

2. Diſſolutionem à ſemetipſo promulgatam, irritam eſſe & inanem.

3. tres Bullas ejuſdem Eugenii adverſus concilium editas, nullas & irritas fuiſſe & eſſe. 1. *Inſcrutabilis*. 2. *In arcano*. 3. *Deus novit*. Hanc tertiam ſuppoſititiam aſſerit Eugenius.

4. Quæcunque à ſe contra concilium ejuſque membra, atque etiam in Cardinales concilio adhærentes, edita eſſent, æquè nulla.

5. An ſuppoſitorum concilii ab Eugenio facta citatio legitima fuerit, ſicut & defenſio, ſtare ſe ipſos concilii judicio.

Hæc ſi faceret Eugenius, promittit ſynodus, futurum ut omnes Eugenium ut legitimum Petri ſucceſſorem venerentur & audiant. Iſta omnia ſanè demonſtrant, formulam adhæſionis Eugenio ab ipsâ ſynodo fuiſſe præſcriptam: atque adeo Patres ſeſe Eugenio ſuperiores exiſtimaſſe.

Tandem allaborantibus per Legatos Sigiſmundo Imperatore, Carolo VII. Francorum Rege, aliiſque, juxta propoſitam adhæſionis formulam concilio ſe adjunxit Eugenius ſeſſ. 15. anno eodem 1433. ſexto Kalend. Semptembris. In eadem ſeſſione decrevit concilium, ut ſingulis annis ſemel ſaltem Diœceſana ſynodus ab Epiſcopo celebretur: Provincialia verò concilia intra biennium à fine concilii generalis, & deinceps quolibet ſaltem triennio.

Sequenti ſeſſione 16. nonis Februarii celebratâ an. 1334. allata fuit per Tarentinum Archipræſulem & Cervienſem Epiſcopum Eugenii Oratores, Bulla *Dudum ſacrum* his ipſis concepta verbis quæ ſynodus præſcripſerat: eâ in Bulla ſynodi diſſolutionem revocat Eugenius, aſſerit concilium à die inchoationis legitimè continuatum fuiſſe & eſſe, demùm declarat nullas & irritas fuiſſe Bullas adverſùs concilium editas: 1 *Ineffabilis*: 2. *In arcano*: 3. *Deus novit*.

Pelecta in Synodo hâcce Bullâ publicatur, approbatur, & geſtis inſeritur, inſuper Patres hanc pronuntiant ſententiam: *Sancta Synodus decernit & declarat præfatum Dominum Eugenium per prædictas litteras ſatisfeciſſe plenariè monitioni, citationi & requiſitioni hujus ſacri Concilii, prout in decreto in decima quarta Seſſione promulgato, & in ſchedulâ in eodem decreto inſerto continetur; ipſaſque litteras approbat, acceptat & admittit, rataſque & habet gratas.* Sicque feliciter compoſitum eſt primum illud quod duobus & amplius annis, Eugenium inter & Baſileenſes Patres exarſit diſſidium.

Epocha ſecunda. ſeſſione 17. quæ habita fuit 24. Aprilis ejuſdem anni 1433. præſentibus Sigiſmundo Imperatore, Ducibus quam plurimis, centumq; Præfatis, Eugenii Legati *ut Concilii præſidentes admiſſi ſunt, nomine vice, & loco Eugenii Papa IV.* Epocha ſecunda.

Sequenti ſeſſione 18. eodem anno celebrata 6. Kalend. Junii, renovata ſunt duo ſeſſionum 4. & 5. Concilii Conſtantienſis decreta hæc autem Synodi Conſtantienſis decreta in quinque Seſſionibus huc uſque repetita ſunt, inculcata, & confirmata, ſcilicet Seſſione ſecundâ, tertiâ, duodecimâ, decimâ ſextâ, & decimâ octava.

Seſſione 19. de loco Concilii pro incundâ Græcorum cum Latinis unione actum eſt. Poſt varias collationes Græcorum Legatos inter & concilii deputatos, tandem conventum eſt, ut in Occidente Synodus congregaretur; & quod ſi Baſileam adduci non poſſent Græci, aliquis alius ab iis, maritimis oris vicinus eligeretur locus, ad quem poſt menſem unum à Græcorum adventu, tenerentur ſe conferre Baſileenſis Concilii Patres. Singula conventionis capita probavit Synodus, rogavitque Eugenium, ut huicce conventioni aſſenſum præberet: petitioni Concilii annuit ſummus Pontifex, teſte Auguſtino Patricio cap. 42. Celebrata fuit præſens ſeſſio 19. 7. Idus Septembris ejuſdem anni 1434. In Hiſto- ria conci- lior Baſi- leen. Fl- rent. &c.

Seſſione 20. 1435. 11. Kalend. Februarii celebratâ, multa, eaque egregia circa diſciplinam edita ſunt decreta, 1. de clericis notoriè concubinariis. 2. de excommunicatis aliquo modo non evitandis: decretum eſt ſcilicet, eos tantum excommunicatos vitandos eſſe, qui nominatim denuntiati eſſent, aut qui ita notoriè in ſententiam excommunicationis incurriſſent, ut nulla tergiverſatione celari, aut juris ſuffragio excuſari ullatenùs poſſent. 3. de certis quibuſdam obſervandis conditionibus in ferendis decretis. 4. ad lites citiùs terminandas ſtatutum eſt, *ut ſuper eodem gravamine, aut ſuper eadem interlocutoria vim definitiva non habente, nullatenus liceat appellare.*

Ea autem decreta poſtea ſub Carolo VII. inſerta ſunt Pragmaticæ Sanctioni in Bituricénſi Gallicanorum Præſulum conventu anno 1438. & ex Pragmatica Sanctione in Concordata, Leonem X. inter & Franciſcum I. Bononiæ inita an. 1516. Verum (quod obſerva) decretum de vitandis excommunicatis nullibi obſervatur ad formam Baſileenſis Concilii, ſed Conſtitutionis duntaxat Martini V. *Ad evitanda ſcandala.* quæ in Concilio Conſtantienſi lata fuit teſte ſancto Antonino 3. parte ſummæ Theologicæ tit. 25. cap. 3. hâc autem declaratur neminem teneri, ante expreſſam judicis denuntiationem vitare excommunicatos, etiamſi aliunde factum notoriè conſtiterit, Excipitur in Bullâ Martini V. notorius Clerici percuſſor; aſt hæc exceptio in Galliis locum non habet.

Seſſione 21. anno eodem 9. Junii, continuatur diſciplinæ reformatio. 1. vetitæ ſunt annatæ pro electionum confirmatione, poſtulationum admiſſione, præſentationum proviſione, Beneficiorum collatione datæ. 2. pacificam per triennium Beneficii poſſeſſionem turbari non poſſe decernitur. 3. decreta etiam edita ſunt de modeſtia, gravitate, devotione, celebrando & recitando, tam in Miſſa quam in Horis canonicis.

Seſſ. 22. ejuſdem anni 1435. Idibus Octobris, damnatus eſt libellus Auguſtini de Roma Nazareni Archipræſulis, in quo præter cætera connebat ur-

ſcanda

ſcandaloſa hæc & erronea in fide propoſitio, *Chriſtus quotidie peccat, & ex quo fuit Chriſtus quotidie peccavit.*

Anno 1436. 25. Martii Seſſione 23. Conſtitutiones Conciliorum generalium & ſummorum Pontificum, de modo & forma electionis Romani Pontificis & Conclavis innovantur: numerus Cardinalium ad viginti quatuor reſtringitur, qui de omnibus Chriſtiani orbis nationibus aſſumerentur.

Sequente menſe Aprili die 5. Seſſione 24. pacta conventa cum Græcorum Imperatore & Patriarchâ Conſtantinopolitano, de Concilio Oecumenico in Occidente, & in uno ex locis maritimis Eccleſiæ celebrando, deque ſumptibus & triremibus Græcis ſuppeditandis, quemadmodum jam Seſſione 19. conventum & à Patribus probatum fuerat, iterum à Synodo confirmata ſunt: ſalvus conductûs Imperatori, Patriarchæ, aliiſque Græcis, ſacri Concilii nomine eſt datus. Conceſſæ etiam à Synodo pleniſſimæ indulgentiæ, in favorem ſubſidii pro Græcis reducendis.

Sic à Seſſione 16. quâ Eugenius primâ diſſolutione revocatâ Synodo conjunctus eſt, cum ſumma conſenſione continuatæ ſunt per biennium publicæ Seſſiones. Verum Seſſione 25. novum exortum eſt diſſidium, quod ad finem uſque Synodi perduravit, ad annum uſque 1442. cùm ſcilicet Seſſione 45. Felix ſe ſubjecit Nicolao V. ſucceſſori Eugenii IV.

Epocha tertia. Epocha tertia Seſſione 25, nonis Maji celebrata anno 1437. orta inter Patres diſſenſione de loco futuri Concilii, pro ineunda Græcorum cum Latinis unione, duas in partes ſciſſa eſt Synodus, duoque oppoſita decreta à Patribus edita ſunt. Pars una, ducibus Sedis Apoſtolicæ Legatis. Concilii Præſidibus, & pleriſque Præſulibus illis adhærentibus, decretum tulit quo Florentiam vel Utinum pro futuri Concilii loco ſelegit, loca Græcis commoda, ſecundum pacta cum ipſis Seſſ. 19. conventa. Pars Synodi reliqua, numero quidem major, ſed ex ſecundi ordinis ſacerdotibus ferè conflata, duce Ludovico Cardinali Arelatenſi, decretum edidit alterum, quo ſtatuit futurum Oecumenicum pro Græcorum unione Concilium Baſileæ, Avenione, aut in Sabaudia celebratum iri. Decretum prioris partis de electione Florentiæ vel Utini à Sedis Apoſtolicæ Legatis, & ſaniori parte Concilii Baſileenſis latum, approbavit Eugenius IV. quòd alia ab aliis nominata loca Græcis eſſent incommoda, & contra pacta cum illis conventa. Bulla qua Eugenius confirmat decretum electionis Florentinæ pro futuri Concilii celebratione, edita fuit 29. Maji 1437. & incipit, *Salvatoris*. Iſta conſtant ex Auguſtino Patricio cap. 42. 54. & 55.

Exinde Synodus in duas partes ſciſſa, quarum ſanior Eugenio adhærebat, deſiit eſſe Oecumenica: eam tamen Ludovicus Arelatenſis Cardinalis ad Seſſionem uſque 45. produxit. Quid præcipui his in Seſſionibus actum ſit breviter indicabimus.

Seſſionibus 26. 27. 28. 29 anno eodem 1437. Baſileæ congregatis, citatur, accuſatur Eugenius, & reſcinduntur quæ pro transferendo Concilio promulgaverat.

Anno 1438. tres habitæ fuerunt Seſſiones à Synodo Baſileenſi. Scilicet 30. 31. & 32. in 30. quæ celebrata eſt kalend. Januarii, declaratum eſt Laicos, Clericoſque non Sacerdotes, ad communionem ſub utraque ſpecie non adſtringi. In altera celebrata Kalend. Februarii, varia edita ſunt decreta ad diſciplinam ſpectantia. In tertia denique anno eodem Kalend. Aprilis, Concilium Ferrarienſe damnatur, cum ipſo Eugenio Concilii Præſide.

Anno 1439. habitæ ſunt Seſſiones 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39.

Seſſione 33. decimo ſeptimo Kalend. Junii, tres iſtas propoſitiones, veluti totidem fidei veritates definitæ ſunt.

Prima, *Veritas eſt fidei catholicæ, ſacrum generale Concilium ſupra Papam, & alium quemvis poteſtatem habere.*

Secunda, *Generale Concilium legitimè congregatum, ſine ipſius conſenſu nec diſſolvere, nec transferre, nec prorogare ad tempus ex authoritate ſua poteſt Romanus Pontifex: idque veritatis ejuſdem eſt.*

Tertia, *Qui pertinaciter his veritatibus ſe opponit, hæreticus eſt cenſendus.*

Seſſione 34. anno eodem Kalend. Julii habitâ, quòd Eugenius prædictas propoſitiones negaret, hæreticus declaratur, ac lata in ipſum depoſitionis ſententia.

Seſſ. 35. ſexto Idus Julii, aſſignatur novi Pontificis electio, poſt ſexageſimum depoſitionis Eugenii diem.

Seſſ. 36. 15. Kalend. Octobris, doctrinam de Immaculata Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, *tanquam piam & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & ſacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore tenendam, & amplectendam*, Synodus declaravit ac definivit.

Seſſ. 37. & 38. nonnulla edita ſunt decreta ad proximè futuram novi Pontificis electionem ſpectantia. Ac tandem Seſſione 39. Felicis V. antea Amedei Sabaudiæ Ducis, in ſeceſſu Ripallenſi ſolitarie degentis, electio à Cardinale Arelatenſi & triginta duobus deputatis facta, promulgata fuit & à concilii Patribus confirmata.

Poſt Felicis electionem variæ Seſſiones celebratæ ſunt Baſileæ annis 1440. 1441. 1442. & protractæ uſque ad 45. quæ ſynodi Baſileenſis poſtrema nominatur: in eâ inter cætera ſtatutum fuit, ut ſi Concilium Baſileæ continuare quid obſtaret, Lauſanoæ abſolveretur, & reipſa deinceps nonnullæ ibidem habitæ ſunt Seſſiones, in quibus hoc unum memorandum contigit, quod ſcilicet Felix V. præcipuâ Caroli VII. Francorum Regis operâ, obſecundantibus Angliæ & Siciliæ Regibus, ac Electoribus aliiſque Principibus, veritate tandem aliquando agnitâ Pontificatu ſe abdicavit, ſeque Nicolao V. Eugenii ſucceſſori ſubjecit, nonis Aprilis an. 1449. Abdicationis diploma quod incipit his verbis, *Summopere deſiderantes*. legere eſt Tom. 13. editionis conciliorum P. Labbe pag. 1345.

Circa hujus concilii Oecumenicitatem gravis eſt inter Theologos controverſia. Alii aſſerunt Oecumenicum eſſe quoad primam duntaxat Seſſionem: alii non ſolum quoad primam, ſed etiam quoad ſecundam: alii extendunt hujus oecumenicitatem uſque ad decimam ſextam Seſſionem incluſivè: alii uſque ad vigeſimam quartam itidem incluſivè: alii aliter adhuc opinantur. Bellarminus Lib. 1. de Concil. cap. 7. recenſet Concilium Baſileenſe inter Concilia partim confirmata, partim reprobata, Lib. 2. cap 19. & Lib. 3. cap. 16. aſſerit, *initio quidem illud fuiſſe legitimum .... at quo tempore Eugenium depoſuit, Felicem elegit, nullius prorſùs fuiſſe authoritatis.* Rurſùs citato cap. 7. Lib. 1. addit, *hujus Concilii nihil eſſe ratum & probatum, niſi quaſdam diſpoſitiones circa Beneficia eccleſiaſtica, quæ à Concilio factæ fuerant, quas pacis & unitatis gratia, Nicolaus V. approbavit.* Quid in præſenti negotio ſentiamus, ſequentia demonſtrabunt.

Dico itaque 1. Concilium Baſileenſe fuiſſe Oecumeni

cumenicum uſque ad vigeſimam quartam Seſſionem incluſivè.

Probatur 1. Concilium Baſileenſe legitimè convocatum fuit, 1. authoritate Concilii Conſtantienſis Seſſione 39. decreto *Frequens.* & Seſſ. 44. decreto *Cupientes.* 2. authoritate Concilii Senenſis itidem Oecumenici. 3 publicis ac ſolemnibus tùm Martini Papæ V. tum Eugenii Papæ IV. diplomatibus, quæ primâ ejuſdem Concilii Seſſione lectæ eſt. Ergo &c.

2. Martinus in Bullâ convocationis idem Concilium vocat Oecumenicum, his verbis: *Nuper ſiquidem cupientes generale Concilium celebrari...... civitatem Baſileenſem &c.* Eugenius quoque illud Oecumenicum ſæpius prædicat, ac præſertim in celebri Bullâ promulgatâ Seſſione 16. cujus hæc ſunt verba: *Dudum ſacrum generale Baſileenſe Concilium, per generalium Conſtantienſis & Senenſis Conciliorum ſtatuta,.... inchoatum &c.* Eidem Bullæ hic præfixus eſt titulus: *Eugenius.... venerabilibus fratribus & dilectis filiis in ſacro generali Baſileenſi Concilio congregatis, ſalutem.*

3. Synodus ipſa Baſileenſis ſe Oecumenicam inſcripſit ſit in ſingulis fermè Seſſionibus, præſentibus imò & probantibus Sedis Apoſtolicæ Legatis.

4. Eugenius celebri Conſtitutione quæ incipit *Salvatoris.* 29. Maii 1437. approbat decretum, *Hac ſacroſancta Synodus.* Seſſionis 25. Baſileenſis, quo Legati cum pleriſque Præſulibus illis adhærentibus, Florentiam vel Utinum deſignant pro loco futuri Concilii in gratiam Græcorum proximè habendi; approbat, inquam, ac firmat Eugenius illud decretum ut legitimi Concilii verum ac legitimum decretum, atque Florentinum vel Utinum ex eodem decreto futuræ Synodo habendæ nominat; ergò Baſileenſibus geſtis ad vigeſimam quintam uſque Seſſionem innititur, nedum ea improbarit.

5. In primâ Seſſione Concilii Florentini quæ habita fuit Ferrariæ an. 1438. ante adventum Græcorum, emiſſum fuit decretum quo ſtatutum eſt, Synodum Ferrarienſem Baſileenſis continuationem eſſe ac proſecutionem: ergò Baſileenſe Concilium ad vigeſimam quintam uſque Seſſionem in quâ Florentiam tranſlatum eſt legitima fuit ac Oecumenica Synodus.

6. Eugenius in Synodo Ferrarienſi, ſolemne decretum, ſacro approbante Concilio, edidit, quod incipit his verbis, *Expoſcit debitum.* In eo autem decreto ſignanter declarat, geſta Concilii à die tranſlationis nullius eſſe roboris; ergo ſupponit Pontifex anteriora geſta rata eſſe ac valida.

7. Levia omninò videntur ac infirma quæ opponunt adverſarii ad hujuſce Synodi impugnandam œcumenicitatem.

Ajunt 1. Eugenius ſtatim poſt primam Seſſionem Synodum Baſileenſem diſſolvit, Bononiam tranſtulit, ac commiſſam Juliano Cardinali vice ſuâ Synodi præſidendi facultatem revocavit. Conſtant iſta eſt variis monumentis, ac præſertim ex Bulla revocationis promulgata Romæ 15. Kalend. Januarii 1431. ergo &c.

Reſpondeo Eugenium in Bulla promulgata Romæ 18. Kalend. Januarii an. 1433. quæ incipit *Dudum ſacrum* quæque in Seſſ. 16, publicata fuit, approbata, ac geſtis inſerta, expreſſè revocaſſe Bullas, ac litteras quaſcunque pro diſſolutione Concilii ac ipſius tranſlatione conſcriptas: *Quidquid per nos*, inquit, Eugenius, *aut noſtro nomine in præjudicium aut derogationem prædicti ſacri Concilii Baſileenſis, ſeu contra ejus authoritatem factum & attentatum, ſeu aſſertum eſt, caſſamus, revocamus, irritamus & annulamus, nullas & irritas fuiſſe declaramus.* Conſule quæ ſupra diximus recenſendo Acta Seſſionis 16.

Ajunt 2. Ad Concilium Baſileenſe pauci admodum, ſaltem primis Seſſionibus ex toto orbe Chriſtiano confluxerunt Epiſcopi: Oecumenicum igitur non fuit.

Reſpondeo, ad Concilium Baſileenſe omnes Epiſcopos legitimè fuiſſe convocatos: aliunde verò, etſi pauci adfuerint Epiſcopi prioribus Concilii Seſſionibus, ingens tamen poſtea, tum Cardinalium, tum Epiſcoporum numerus Baſileam confluxit, ſive cùm in eo promulgata eſt Eugenii adhæſio Seſſione 16. ſive toto quod deinceps effluxit triennio uſque ad ſecundum Baſileenſe diſſidium: ii autem tum Cardinales, tum Epiſcopi cum ipſimet Eugenio ſæpius conteſtati ſunt Synodum Baſileenſem a die inchoationis fuiſſe Oecumenicam & legitimè continuatam: quibus quidē declarationibus abundè ſuppletum fuit, quod Synodo deeſſe poterat ab paucitatem Præſulum qui primis Seſſionibus interfuerant. Neque verò ad Concilii œcumenicitatem requiritur, ut in ſingulis Seſſionibus plures omnium nationum Epiſcopi de facto convenerint: alias nutarent decreta in prioribus Concilii Tridentini Seſſionibus edita; pauci enim admodùm ex Galliâ, Germaniâ & Poloniâ Præſules aderant Concilio dùm hæ celebrarentur Seſſiones.

Ajunt 3. quindecim primis Concilii Baſileenſis Seſſionibus, fervente diſſidio Eugenium inter & Synodum, omnia tumultuoſe, non conciliariter fuêre peracta; ergo Concilium Baſileenſe, quoad illas ſaltem Seſſiones Eugenii adhæſionem præcedentes, Oecumenicis annumerandum non eſt.

Reſp. nego ant. quod quàm à vero alienum ſit, manifeſtè patebit, vel leviter attendenti ad modum & ordinem quo res in Synodo expenſæ fuerunt ac pertractatæ. Is autem ordo in Synodo conſtitutus fuit & obſervatus. 1. quatuor Nationes, Italica, Gallicana, Germanica & Hiſpanica in quatuor cœtus diſtribuebantur, quas ſacras deputationes appellabant, quibus pro diverſitate negotiorum varia indita nomina, nimirum fidei, pacis, reformationis & communium: æquali numero, ex omni ordine conſtabant, ita ut quiſque cœtus Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Doctores & inferioris ordinis viros contineret. Proprios etiam habebant Magiſtratus ac Miniſtros, Præſides, Promotores, Notarios, Apparitores ſive nuntios. Ter in hebdomada iiſdem horis conveniebant, propriis in prætoriis, ubi peracto Miſſæ ſacrificio, negotiis operam dabant. 2. ex quatuor cœtibus duodecim viri ſeligebantur, terni ex ſingulis doctrinâ & rerum gerendarum experientia inſigniores: horum Magiſtratus menſe concludebatur. elapſo menſe, quatuor ex antiquis remanebant qui octo recens electos dirigerent. Duodecim illi viri ter in hebdomada conveniebant; ad hoſque primùm omnia negotia referebantur; eaque prius diſcuſſa vèl rejiciebant, vel ad quempiam ex cœtibus remittebant, pro merito & qualitate negotii. 3. quæ à decem viris ad quempiam ex cœtibus referebantur, ab illius cœtûs Præſide ad quem res delata fuerat, proponebantur: non licebat autem de propoſitis quidquam prima die decernere, ſed ad aliam Congregationem res erat differenda, ut de ea ſinguli deliberare conſultius poſſent. 4, quæ communi conſilio in aliquo ex tribus cœtibus decreta fuerant, ad alios tres cœtus referebantur, adductis ſimul rationibus cur ita ſtatutum fuiſſet. Si vero duas in ſententias ſcinderetur Congregatio, quamvis altera numero ſuperior eſſet, res ad generalem cœtum deferebatur à duobus

bus ex utrâque opinione, cum momentis quibus utraque pars nitebatur, ut omnium cognitis & expenſis judiciis, quod magis expediret, decerni poſſet. 4. pridie quàm generalis haberetur cœtus, quatuor Præfecti deputationibus concilii Præſidem adibant, eique exponebant quæ in ſuis cœtibus deliberata fuerant; in quibus ſi omnes communi conſenſu, aut ſaltem tres cœtus conſentirent, res ad ipſum concilium referebatur. Tandem quod approbatum erat in cœtu ſeu congregatione generali, id in formàm decreti redigebatur, atque in publicâ univerſi concilii Seſſione ritu ſolemni ſtatuebant & promulgabatur. Iſta conſtant ex Auguſtino Patritio in Hiſtoriâ concilii Baſileenſis cap. 19. quæ conſultò retulimus, ut apertè liqueat, decreta concilii Baſileenſis, ſaltem ante illius translationem ferratiam, præhabito maturo examine. expenſis Patrum ſententiis, collatis eorundem ſuffragiis, atque adeò non tumultuosè ſed ordinatiſſimè fuiſſe edita.

His adde, omnia certè conciliariter & ordinatè peracta fuiſſe Seſſione 16. in quâ promulgata fuit & approbata Eugenii adhæſio, & toto poſtmodum triennio quo Eugenium inter & Synodum pax & concordia ad Seſſionem uſque 24. perduraverunt. Porro in variis illis Seſſionibus confirmata fuère quæ ab initio Synodi decreta fuerant: fruſtra ergo & inmeritò opponunt adverſarii, in Seſſionibus Eugenii adhæſionem præcedentibus, Synodi decreta inordinatè nec conciliariter fuiſſe condita. Matura & prudens agendi ratio Synodi Seſſ. 16. & ſequentibus, abundè ſuppleviſſet, quod prioribus Seſſionibus deeſſe potuiſſet.

Eſt ergo Synodus Baſileenſis Oecumenica ad Seſſionem uſque 24. incluſivè: atque hinc non mirum ſi in conciliorum Generalium collectionibus, Regiâ, Binii, Labbæi Oecumenicum inſeribatur.

Dico 2. à vigeſima quinta Seſſione Synodum Baſileenſem duas in partes ſciſſam, ſufficienter Eccleſiam univerſalem non repræſentaſſe, atque adeò deſiiſſe tunc Oecumenicam eſſe.

Probatur primò. Sedis Apoſtolicæ Legati, Concilii Præſides, Seſſionibus 25. & ſequentibus non adfuère, aut contra eas intercesſère.

Secundò ſanior Synodi pars cum Legatis reſtitit alteri in iis quæ à Seſſione 25. incluſivè decreta ſunt: eadem Seſſione 25. Patrum ſanior pars cum Legatis decretum edidit Synodi nomine, de ipſa Synodo Florentiam vel Utinum transferenda, ſive in alium locum tutum, ſummo Pontifici & Græcis accommodum, ſecundùm pacta cum Græcis ipſis conventa Seſſione 19. Hoc decretum incipit. *Hac ſacroſancta Synodus.*

Tertiò, decretum electionis Florentiæ vel Utini pro futuri Concilii celebratione approbavit Eugenius ſolemni diplomate, *Doctoris gentium*, 1. Octobris 1437.

Translatio itaque Synodi Florentiam vel Utinum, ex decreto tùm ſanioris partis, tùm Eugenii, legitima facta fuerat authoritate: aderat etiam juſta ac legitima tranſlationis cauſa, nempe quòd aliorum locorum nominatio Græcis eſſet ingrata & contra pacta cum illis conventa; unde Græcorum Legati graviter conquerebantur, ac palàm Baſileæ ſolemni conteſtatione edita declararant non adventuros Græcos, totamque ſchiſmatis culpam in Latinos Latinamque Eccleſiam refundebant: in iis certe circumſtantiis æquum omnino fuit ut Eugenius iis adhæreret Baſileenſis Synodi Patribus, qui promulgaverant decretum quo Synodum Florentiam aut in alia loco Græcis ac ſummo Pontifici magis accommoda tranſtulerant. Juſta itaque omni ex parte fuit Synodi Baſileenſis Ferrariam tranſlatio facta ab Eugenio: ac proinde ab illa tranſlatione Concilium Baſileenſe deſiit eſſe Oecumenicum.

Quartò, Eugenius ſolemni decreto, ſacro approbante Concilio Ferrarienſi, edito anno 1437. declarat, *à die tranſlationis irritum eſſe ac inane quidquid à Patribus Baſileenſibus... attentatum fuerat, vel impoſterùm quomodolibet contingeret attentari.* Ergo tunc non fuit Oecumenica Synodus Baſileenſis.

Quintò, Concilium Ferrarienſe publico ac ſolemni decreto lato Seſſione 1. habitâ Ferrariæ an. 1438. ante adventum Græcorum, decernit ac declarat. *tranſlationem Concilii Baſileenſis fuiſſe ex juſtis & neceſſariis cauſis legitimè & canonicè factam per ſummum Pontificem Eugenium.* Declarat 2. *Synodum Ferrarienſem Baſileenſis continuationem ac proſecutionem eſſe* Decernit 3. *omnia & ſingula quæ ab ipſa tranſlationis tempore in ipſa Baſileenſi civitate ſub nomine Generalis Concilii acta ſunt, aut ibi ...in futurum forſitan attentari contigerit, irrita, caſſa, nulla, nulliuſque roboris vel momenti eſſe.* Ergo &c.

Sextò, non poſſunt ſimul haberi duo Concilia Oecumenica: porro paulò poſt translationem Synodi Baſileenſis. habitum fuit Concilium Florentinum, quod Oecumenicum fuiſſe modò oſtendemus: huic per ſe præſidebat ſummus Pontifex, aderant Græci & Latini Epiſcopi ingenti numero &c. ergo &c.

Septimò Synodus duas in partes ſciſſa, legitimis de cauſis à ſummo Pontifice alium in locum translata, Patrum ſaniori parte ac longè majori numero Epiſcoporum tranſlationi adhærentibus, non ſufficienter univerſalem repræſentat Eccleſiam, ac proinde deſinit eſſe Oecumenica: porro talis profectò fuit Synodus Baſileenſis à 25. Seſſione incluſive, ut patet ex mox dictis; ergo &c.

Atque hinc Chriſtiani plerique Principes, edita deinceps à Synodo Baſileenſi decreta improbarunt, & inter alios Sigiſmundus Auguſtus qui huc uſque Synodi patrocinium ardenter ſuſceperat, Hiſpaniæ Rex aliique Principes per Oratores ſuos expreſſè reclamarunt adverſus ea quæ Seſſionibus 26. 27. & ſequentibus decreta ſunt. Ita refert Auguſtinus Patritius in Hiſt. Baſileenſ. cap. 10. ubi narrat Sigiſmundum Synodi litteris certiorem factum, quod Eugenius in Jus vocatus fuiſſet, conſilium iſtud vehementer improbaſſe, atque Patribus Baſileenſibus reſcripſiſſe: *Moleſtiſſimo animo ſe audire has novas ſeditiones inter Pontificem & Concilium exoriri; hortari ut maturiùs in re tantâ ſe gerant.....conſulaſſe ſe ſuper hac re Imperii Principes: omnium eſſe ſententiam ſuperſedere oportere ſupra proceſſa contra Pontificem...,..Sua, minùs, ſe cum Regnis & Principibus ſuis Romano Pontifici non defuturam, ejuſque dignitatem adverſus perperam impugnantes tutaturum.* Subdit idem author, *Legatos Principum Electorum, paulò poſt hæc eadem Concilio iteraſſe.* Et cap. 61 ſcribit: *Baſileenſes ſpretis Ceſaris & Principum conſiliis, elapſo termino, Eugenium contumacem declarant. Secedunt Hiſpaniarum Regis Legati, aperteque aſſerunt, ſe Regis ſui, Prælatorum ac Principum ſuæ nationis nomine ei declarationi non conſentire, proteſtarique, ſi proinde ſchiſma aliquod oriatur, Hiſpanica nationi adſcribendum non eſſe.*

Hinc etiam Rex Chriſtianiſſimus Carolus VII. adversùs Eugenii citationem, depoſitionem & Felicis electionem, aliaque poſteriora Baſileenſia, prote-

proteſtatus eſt: atque Eugenius IV. à Synodo depoſitus, pro vero Pontifice à Gallis ſemper eſt habitus. Id ipſum obſervat illuſtriſſ. Boſſuet. in defenſ, Declarat. Cleri Gallic. parte 2. Lib. 10. cap. 12. idque inter alia probat ex vetuſtiſſimo Codice Victorino quo hujus ævi acta referuntur,

Meritò ergo illuſtriſſimus author loco mox citato cap. 7. loquens de Decretis Baſileenſibus à 25. Seſſione ſic habet: *Secuta deinde illa* (Baſileenſia Decreta) *omnibus nota, nihil ad nos ſpectant; neque enim poſteriora illa Baſileenſia Clerus Gallicanus tutanda, ſed Conſtantienſia Baſileenſibus prioribus geſtis, conſentiente Pontifice, toties repetita.*

Dices 1. Synodus Baſileenſis Seſſionibus 2. 8, & 11. ſtatuerat neminem poſſe concilium Oecumenicum aut diſſolvere, aut prorogare aut transferre; ergo ſi in prioribus 24. Seſſionibus Oecumenicum fuit concilium Baſileenſe, neceſſariò fatendum eſt, illegitimam fuiſſe & invalidam Synodi translationem.

Reſp. 1. ex mox dictis, Synodus Baſileenſis Seſſione 24. in duas partes ſciſſa. deſiit eſſe Oecumenica; ergo &c.

Reſp. 2. Decreta mox laudata concilii Baſileenſis Seſſ. 2. 8. 11. &c, minimè ſpectare caſus in quibus juſta ac legitima occurrit transferendi concilii cauſa: porro cùm Eugenius Synodum Baſileenſem Ferrariam tranſtulit, tunc juſta aderat ac legitima illius transferendæ cauſa; nempe 1. pacta cum ipſis Græcis conventa Seſſ. 19, 2. unio Græcorum quæ vix aliter perfici poterat, ſiquidem Græcorum Legati palam Baſileæ ſolemni editâ conteſtatione declararant, non adventuros Græcos, eorumque Imperatorem atque Patriarcham nolle eò convenire, 3. Sedis Apoſtolicæ Legati cum saniori ac majori Epiſcoporum parte Florentiam elegerant pro futuri concilii celebratione. Solutio hæc colligitur ex decreto Seſſionis 1. habitæ Ferrariæ 1438. in quo ſic loquuntur Patres: *Declarat inſuper hæc ſancta Synodus, quòd cùm notoria neceſſitas & evidens utilitas, ſanctiſſimum Dominum Eugenium ad translationem Synodi* (Baſileenſis) *exegerit & impulerit, ſub Decreto octava & undecimæ vel cujuſcunque alterius Seſſionis dicti olim Baſileenſis Concilii, nullatenus non includi, decernitque congregationem illam Baſileæ..... conventiculum eſſe cenſendam.*

Dices 2. Synodus Baſileenſis Seſſ. 30. declaravit *Laicos, Clericoſque non Sacerdotes, ad communionem ſub utràque ſpecie non adſtringi*: porro articulus ille trigeſimâ tantùm Seſſione finitus. ac declaratus, vim habet ac authoritatem decreti à Concilio Oecumenico lati; ergo &c.

Reſp. 1. id antea fuiſſe definitum in Concilio Conſtanòienſi Seſſione 13.

Reſp. 2. (quod obſerva) Patres Ferrarienſes loco mox laudato poſtquam aſſeruêrunt, nullius roboris eſſe, quæcunque acta ſunt à Synodo Baſileenſi, à die translationis factæ per Eugenium, ſtatim excipere nonnulla peracta in cauſâ Bohemorum, his verbis: *Si quid tamen in materia Bohemorum poſt translationem prædictam per dictos Baſileæ congregatos utiliter actum fuiſſe Synodus cognoverit, id etiam cum ſuppletione defectuum approbare intendit.* Idem etiam colligitur ex diplomate Eugenii dato Bononiæ, quod incipit his verbis, *Doctoris gentium.*

Dices 3. Ludovicus Cardinalis Arelatenſis ad finem uſque Concilio Baſileenſi tanquam Oecumenico adhæſit; iſque præcipuus fuit author decreti an. 1449. 13: Kal. Maji, quo Patres Baſileenſes ad Nicolai obedientiam accedentes, ipſum in Pontificem eligunt, quaſi Sede vacante Porro obiit Cardinalis ille anno ſequenti 1450 die 10. Septembris, cujus ſanctitas multis comprobata fuit miraculis: imò Clemens VII. Mediceus Pontifex maximus, ipſum Beatorum Catalogo adſcripſit diplomate dato die 9. Aprilis an. 1527. Obiit eodem anno Amedeus olim Felix V. in ſuâ obedientiâ nuncupatus, pari ſanctitatis & miraculorum gloria conſpicuus: ita teſtantur Philippus Bergomenſis & alii. Is autem perpetuò etiam adhæſit Baſileenſi Synodo tanquam Oecumenicæ; ergo &c.

Reſp. quidquid fuerit de Patribus Baſileenſibus cùm Eugenii depoſitionem attentârunt; Amedeus in ſua obedientia Felix dictus ceſſit tandem Nicolao V. Eugenii ſucceſſori, uti conſtat ex ipſo ceſſionis Felicis diplomate dato Lauſanæ die 7. Aprilis an. 1449. Eidem Nicolao tanquam legitimo Pontifici ſeſe quoque cum cæteris Baſileenſibus Patribus ſubjecit Cardinalis Arelatenſis: itaque utrumque iſtud exemplum adverſarios non juvat.

Ex iis quæ huc uſque dicta ſunt colligitur, nullius eſſe authoritatis Seſſiones (exceptis tamen fortè nonnullis contra Bohemos ſtatutis, qualis eſt articulus de communione ſub unica ſpecie, Seſſione 30. definitus) quæ Baſileæ à 25. ad finem uſque Concilii habitæ ſunt: maximè verò quæ ſpectant citationem & depoſitionem Eugenii, & Amedei ſub nomine Felicis electionem.

Quæres 1. quid ſit Pragmatica Sanctio.

Reſp. Pragmaticam Sanctionem, quæ alio nomine appellatur Carolina conſtitutio, eſſe celebrem illam conſtitutionem, quæ edita fuit Rege chriſtianiſſimo Carolo VII. præſente, in congregatione Eccleſiæ Gallicanæ apud Bituriges 7. Julii an. 1438.

Scilicet, ut obſervat illuſtriſſ.mus de Marca de concord. Lib. 6. cap. 35. cùm Synodus Baſileenſis plurima decreta ſtatuiſſet pro reformatione diſciplinæ eccleſiaſticæ, præſertim quoad proviſionem Beneficiorum & judicia cauſarum: Legatos ſuos ad Regem & Eccleſiam Gallicanam miſit, effecturos ut ea decreta ſuſciperentur, promulgarentur & obſervarentur in Galliis, Rege cum Eccleſia Regni ſui conſpirante. Rex verò ex ſententia magni ſui conſilii Archiepiſcopos, Epiſcopos, inſignia capitula, Abbates, Decanos, præpoſitos, & alios Prælatos eccleſiaſticos, Doctoreſque in jure divino & humano, aliaſque inſignes perſonas Regni & Delphinatûs Avarici Biturigum in capitulo ſanctæ capellæ Bituricenſis congregavit anno 1438. In ea celebri congregatione auditis tùm Eugenii IV. tùm Synodi Baſileenſis Legatis, Præſules, aliique viri eccleſiaſtici, conſiderantes ingentem perturbationem & confuſionem in politiam Eccleſiaſticam introductam fuiſſe, cui, ut ipſi exiſtimabant, abundè providerant concilii Baſileenſis decreta cenſuerunt hujuſmodi decreta acceptanda eſſe & promulganda: alia quidem prout concepta erant, nonnulla verò cum modificationibus à ſe additis. Porrò idem Præſules aliique viri eccleſiaſtici, Regi humiliter ſupplicârunt, ut res in congregatione decretas regio firmaret aſſenſu. cleri ſupplicationem gratam & acceptam habuit Carolus, atque iis quæ in congregatione deliberata fuerant & decreta, conſenſum & authoritatem ſuam adjunxit, præcipiens, ut in toto Regno & Delphinatu cuſtodiantur & obſerventur, & Regias inter conſtitutiones deſcribantur Hinc dicta Pragmatica Sanctio.

Conſtat Pragmatica Sanctio titulis 23, quorum præcipui eò collimant.

I. ut

I. ut priora Concilii Baſileenſis decreta Seſſionibus 2. 3. 12. 16. 18. de Concilii Generalis authoritate lata, acceptentur. Ita titulo 1.

II. ut reſtituantur electiones; id eſt, ut Cathedrali Sede vacante, à Clero ſive capitulo, ut antea moris erat, eligerentur Epiſcopi. Ita titulo 2. qui inſcribitur *De electionibus.*

III. ut reſervationes & gratiæ expectativæ abolerentur, & ut Collatoribus ordinariis Beneficiorum Regni ſua relinquerentur conferendi jura. Ita Titul. 3. & 4.

IV. ut tertia Beneficiorum pars, juxta Baſileenſis Concilii decreta, conferretur Graduatis, ſicut & præbenda Theologalis, & Parochiales Eccleſiæ in villis muratis ſitæ. Ita mox citato titulo 4.

V. ut nemo teneatur abſtinere à communicatione cum excommunicatis, niſi notorii ſint notorietate juris aut notorietate facti, ita quòd nulla poſſit tergiverſatione celari aut juris ſuffragio excuſari. Ita titulo 20.

Hæc ut aboleretur Pragmatica Sanctio diu ac vehementer inſtitère ſummi Pontifices, ſed fruſtra: hinc graves exortæ diſſenſiones Reges Chriſtianiſſimos Carolum VII. Ludovicum XI. Carolum VIII. Ludovicum XII inter & ſummos Pontifices, maximè verò Julium inter & Ludovicum XII. verùm hæc tandem compoſita feliciter diſſidia per Concordata Leonem X. Romanum Pontificem inter & Franciſcum I. Galliarum Regem Bononiæ inita an. 1516. de quibus dicemus poſtmodum. Pragmatica Sanctio notis eruditis à Guimerio illuſtrata eſt: ejus ſicut & Concordatorum Hiſtoriam conſcripſit Pinſonius. Videri poteſt illuſtriſſimus de Marca de Concordia loco mox citato & alibi; Doujat in ſpecim. Juris ecclaſ. &c.

Quæres 2. circa Annatas de quibus mentio habetur Seſſionibus 12. & 21. Concilii Baſileenſis, 1. quid ſint Annatæ. 2. quæ ſit Annatarum origo, 3. de motibus contra Annatas in Concilio Conſtantienſi excitatis. 4. an ſimoniacum ſit aut injuſtum Annatas ſolvere vel exigere. 5. denique, quid Concilii Conſtantienſis & Pragmaticæ Sanctionis decretis circa Annatas ſtatutum fuerit.

Circa primum reſpondeo, Annatas ſic vulgariter dictas, quia per annum emolumenta Beneficiorum percipiuntur, rectè definiri, Reditus primo anno ex Beneficio perceptus, qui confertur Romano Pontifici in confirmatione Beneficiarii Iſta definitio colligitur ex Gloſſ. In Pragmat. Sanction, *De Annatis.* Eadem definitionem indicant Panormitanus cap. 1. de ſimonia, Lothetius de re beneficiaria Lib. 3. cap. 20. Fevret Lib. 1. cap. 1. n. 14.

Circa ſecundum reſpondeo cum authoribus mox laudatis, arduum omnino eſſe ac difficile Annatarum originem exponere: alii eam referunt ad Bonifacium IX. alii ad Joannem XXII. alii ad Clementem V. Verùm ætate horumce Pontificum antiquiores eſſe Annatas cenſet illuſtriſſ. de Marca Lib. 6. de concordia cap. 10. & 11. Idque ex eo colligit, quòd ſcilicet jam olim tempore Alexandri Papæ IV. graves circa Annatas exortæ fuerant controverſiæ. Nihil ergo certi circa Annatarum originem definiri poteſt.

Circa tertium reſpondeo, in Synodo Conſtantienſi diu multùmque de annatis diſceptatum fuiſſe, urgente Natione Gallicana. Cardinales Cameracenſis, Florentinus & Piſanus à Concilio delegati una cum Deputatis quinque Nationum, ut in commune conſulerent quid agendum eſſet circa reformationem diſciplinæ, Annatas & minuta ſervitia velut jure legitimo debita conati ſunt vindicare; & licet major pars Delegatorum illas abolendas eſſe cenſeret, Cardinales tamen obſtiterunt ne ſententia concluderetur. Congregatione ſolutâ, Deputati Nationis Gallicanæ ſeorſim convenere, & habita Conſultatione judicarunt penitus eſſe tollendas. Joannes de Scribanis Procurator Fiſcalis Cameræ Apoſtolicæ ab hac Gallorum deliberatione appellavit ad futurum ſummum Pontificem: cui appellationi nomine ſacri Collegii Cardinalium adhæſit Joannes Poncetus, Contentio autem illa effecit ut Synodus Conſtantienſis ab hac quæſtione dirimenda abſtinuerit.

Porro rationes quibus nitebantur Galli hæ in primis fuère 1. Annatas à Joanne XXII. ad certum tempus introductas quoad Præbendas, Eccleſias Parochiales & Capellas, & ab ejus ſucceſſoribus certis de cauſis continuatas, exigi potuiſſe quamdiu eas Clerus, Principes & populus toleravère: at poſtquam cauſæ tolerandi deſierant, veluti peregrinatio transmarina, aut alia quæpiam occaſio pietatis, ſolutionem earum juſtè negari poſſe. Nam quomodo opponi poſſet præſcriptio aut conſuetudo, cum & frequentes ob hoc motæ fuerunt querelæ & factæ oppoſitiones? Præterea ſuperiorem non facilè præſcribere adversùs inferiorem.

II. quòd Epiſcopatuum & Abbatiarum Annatæ, nullum aliud initium habeant, quam ſpontaneam & gratuitam oblationem eorum, qui mota contra ſuam electionem lite, & appellatione ad ſummi Pontificis tribunal delata, victoriam obtinuerant & electionis confirmationem. Honorarium hujuſmodi vocatum fuiſſe, ſervitia communia, quia oblatæ pecuniæ inter eos qui publico aderant conſiſtorio, communiter dividebantur; rem deinde ad ſecretum conſiſtorium, deductam, & oblationem illam continuatam fuiſſe: apoſtolica tamen & canonica Traditione cautum eſſe ne pecunia detur ante vel poſt promotionem: quo fit, inquiunt, ut nullum ſit ſtatutum, privilegium, conſuetudo, præſcriptio, aliuſque titulus qui vim addere poſſit huic praxi.

III. addunt, Regem Chriſtianiſſimum Carolum VI. adversùs hujuſmodi Annatarùm exactionem Conſtitutionem edidiſſe, quam cum optatum effectum non conſequi animadverteret, ipſum Legaris inſtanter præcepiſſe, ut negotium iſtud in Concilii Conſtantienſi urgerent.

Et Concilium quidem Seſſione 40. aut, ut aliis placet 43. prohibuit ne decimæ aliave onera eccleſiaſtica imponerentur generaliter ſuper totum Clerum, niſi ex magna & ardua causa & utilitate. De Annatis verò ſtatuitur, ut pro ſuſtentatione ſummi Pontificis & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, de Eccleſiis & Monaſteriis duntaxat vacantibus & vacaturis, ſolvantur pro fructibus primi anni à die vacationis ſummæ pecuniarum in Libris Cameræ Apoſtolicæ taxatæ, quæ communia ſervitia nuncupantur: unde Annatæ Epiſcopatuum & Monaſteriorum duravère. Non arriſit iſtud decretum Nationis Gallicanæ Deputatis, & ipſi poſt celebratum Concilium novas hac de re excitavère controverſitas, ſuper quibus pronuntiarunt Concilium Baſileenſe Seſſionibus 12. & 21. atque Pragmatica Sanctio, de quibus infra dicemus.

Circa quartum, an ſimoniacæ ſint aut injuſtæ Annatæ, reſpondeo cum illuſtriſſimo de Marca Lib. 6. de concord. cap. 12. n. 6. Natali Alexandro diſſert. 9. in Hiſt. ſæculi XV. Fagnano Pontificii juris peritiſſimo, Fevret. loco mox laudato, & aliis, Annatas ſolvere pium eſſe; exigere, nec ſimoniacum nec injuſtum. Reſponſio hæc eſt con-

tra Molinæum ad Edictum *De parvis datis*, ubi ſcribit exactionem Annatarum eſſe ſimoniacam, etiam poſt Concordata; Launoyum Lib. de Venerandâ Romanæ Eccleſiæ Traditione circa ſimoniam &c.

Probatur autem 1. authoritate Conciliorum Oecumenicorum Viennenſis & Conſtantienſis. In Concilio Viennenſi licet actum fuerit de ſervitiis ipſis tollendis, attamen prævaluit ſententia ut remanerent, teſte Joanne Andræa in caput *Inter cætera* tit. *De officio Ordinarii*. In Concilio autem Conſtantienſi circa Annatas & minuta ſervitia nihil novi ſtatutum eſt, imò potius voluit, ut mox vidimus, ut in priſtino ſtatu remanerent.

II. idem probatur ex Conſtitutionibus eâ de re editis ſummorum Pontificum Joannis XXII. Bonifacii IX. Pii II. Pauli II. Clementis VII. Julii III. Pii V. & aliorum.

III. omnibus curam animarum habentibus piè ſolvuntur decimæ: porro Romanus Pontifex jure divino conſtitutus eſt Paſtor omnium Fidelium, & omnium Eccleſiarum curam gerere debet; ergo Annatas abſque ullo vitio recipere poteſt, eaſque piè & rationabiliter conferunt Præſules deſignati.

IV. Penſiones eccleſiaſticas, ſervatis conditionibus à Jure præſcriptis, licitas eſſe nemo diffitetur: quidni pariter honeſtæ dicerentur ac licitæ Annatæ? præſertim cùm Penſiones ſingulis annis, Annatæ primo duntaxat anno quo quis Beneficium obtinet ſolvantur.

V. Idem clarè evincitur ex *jure* quod vocant *deportûs*, quo Archidiaconis fructus unius anni ex Beneficiis parochialibus, dum vacant: in plurimis Eccleſiis quæſiti ſunt, ut conſtat tùm ex Joannis XXII. Extravaganti, *Suſcepti. De electione.* tùm ex conſuetudine diuturno ac legitimo uſu confirmatâ, & multis Senatuſconſultis hoc in Regno vindicatâ: cum ergo Romano Pontifici multò plura & graviora ſuſtinenda ſint onera pro univerſalis Eccleſiæ bono, quàm Archidiaconis pro bono illius partis Diœceſeos, cui ſub Epiſcopis invigilant, non eſt profectò ſimoniacum vel injuſtum, quod fructus unius anni ex Epiſcopatibus & Abbatiis vacantibus percipiat.

VI. accedit alia ratio efficaciſſima, *ob quam ſanè* inquit doctiſſimus de Marca loco mox citato, *neceſſe eſt ut omnes pedibus eant in illam ſententiam*, quæ Annatas ab Omni ſimoniæ aut injuſtitiæ labe eximit. *Immanis quippe*, ſubjungit illuſtriſſimus Archipræſul, *& horrenda confuſio turbaret Eccleſiam, ſi omnes iſtæ promotiones eſſent ſimoniacæ: Papa quippe eſſet irregularis, & Epiſcopis omnibus interdictum eſſet functionibus ſui miniſterii. Neque opponi poſſet Papam conferendo Beneficium, diſpenſare ab hoc vitio: quia ſimonia hæc, ſi ulla in eo eſſet, juri divino, ſuper quo diſpenſari non poteſt, repugnaret; & præterea non poſſet diſpenſare ſuper crimine quod ipſe committeret.*

VII. denique, Annatarum à ſimoniæ aut injuſtitiæ labe immunes probatur ex perpetuâ ac conſtanti Eccleſiæ conſuetudine, quæ longè majoris eſt authoritatis quàm Doctoris cujuſcunque ſententia, quemadmodum poſt S. Auguſtinum docet S. Thomas 2. 2, quæſt. 10. art. 12.

Cæterùm quæ opponunt Molinæus, Launoius, & alii ut probent Annatarum exactionem ſimoniacam eſſe, nullo negotio dilui poſſunt; ſi cum Fagnano antea citato, tria hæc ſedulò obſerventur.

I. Annatas eſſe onus impoſitum non ipſis promotis, ſed Beneficiis aut fructibus Beneficiorum, ut colligitur ex cap. *Si propter* tit. *De Reſcript.* Lib. 6. & cap. *Si tibi De Præbendis.* Porro ex eo principio ſequitur Annatas nec eſſe ſimoniacas nec injuſtas. Et verò vel ipſe Guymierius in Gloſſa de Annatis quærens an conſuetudo generalis in omnibus Eccleſiis Collegiatis, ſecundùm quam Canonici dant aliquid in ſuâ receptione, reprobanda ſit tanquam ſimoniaca, reſolvit quæſtionem hanc negativè, *Dummodo conſuetudo*, inquit, *imponat hoc onus Præbendæ, & valeat in favorem cultus divini.* Jam verò Annatæ, uti mox diximus, ſunt onus impoſitum Beneficio, non ipſis Beneficiatis; ergo &c.

II. quod Jura frequenter ac clarè approbant, illud nec ſimoniacum nec injuſtum dici poteſt aut debet: porro Jura frequenter & clarè Annatas approbant; ergo &c. Et certè idem Guymierius loco mox citato propoſitâ ſibi quæſtione, an ſimoniaca ſit conſuetudo quæ viget in Normannia, in Diœceſi Pariſienſi & aliis pluribus locis, ubi Epiſcopi & Archidiaconi percipiunt fructus primi anni Beneficiorum vacantium pro *deportu*, reſpondet his verbis: *Videtur quòd non, quia talem conſuetudinem Jura approbant.* Atqui Jura longè frequentiùs & expreſſiùs Annatas approbant, uti conſtat ex ſupra citatis Conciliorum & ſummorum Pontificum decretis; ergo &c.

III. quod quidem præſenti quæſtioni elucidandæ plurimùm conducit, diligenter ſecernendum eſt inter iſta duo. 1. ſolvere Annatas pro collatione aut proviſione Beneficii. 2. ſolvere Annatas in ipsâ duntaxat, & non pro ipsâ Beneficii collatione. Solvitur Annata pro proviſione, dum ſolutio cauſa eſt quodammodo & ratio motiva proviſionis: ſolvitur verò in collatione duntaxat, dum ſolutio alio de titulo, ſcilicet reſervationis aut ſubventionis &c. debetur; exigitur tamen ante collationem vel in ipsâ collatione, ne ſubtrahatur ſolutio juſtè debita. Primum, ſimoniacum ſanè & injuſtum: ſecundum, innoxium planè & licitum; quod quidem variis exemplis demonſtrari poteſt, ac præſertim ex Inthronoſticorũ & Emphaniſticorum Jure, quod Juſtinianus Imperator Novella 123. confirmavit, de quo illuſtriſſ. de Marca cap. 10. Libri mox citati de concordiâ.

Scilicet olim invaluerat conſuetudo ut Epiſcopi, poſtquam conſecrati fuerant, certam pecuniæ ſummam pro inthronizatione ſuâ Archipreſbytero & Archidiacono Ordinatoris conferrent, cujus pars una Epiſcopis qui ad Conſecrationem ex diverſis Provinciæ locis convenerant, honorarii congiariique nomine traderetur; altera verò pars, Clericis & Notariis qui in Ordinatione miniſtraverant. Clerici quoque inferiores ordinati & in Eccleſiâ intitulati, ſalaria quædam ſolvere conſueverant iis qui in hujuſmodi Ordinationibus miniſtrabant, quæ emphanaſtica & inſinuativa vocabantur, quaſi pro inſinuatione & deſcriptione Clerici in Libris & matriculâ Eccleſiæ conferri ſolitâ. Jura autem hujuſmodi á ſimoniæ labe exempta judicabantur, quia pecuniam ut pretium Ordinationis minimè conferri exploratum erat, ſed ut honorarium ſubſidiumque ad levandos ſumptus, qui Epiſcopis tùm in itinere, tùm in morâ faciendâ incumbebant, & in ſolatium laboris miniſtrorum, quibus certi reditus aſſignati non erant: nec ullâ interveniente conventione, ſed ſolâ ſuffragante conſuetudine, ſolvebatur illa pecuniæ ſumma; non erat exactio, ſed ſpontanea contributio, quæ Superiorum lege firmata erat & ad honeſtam mediocritatem redacta.

Porrò Annatas non conferri pro proviſione aut collatione Epiſcopatûs, Abbatiæ aut cujuslibet alterius Beneficii certum eſt & exploratum: idque

tri-

triplici ratione ex Romanæ Cancellariæ praxi deducta, evidenter oſtendit Fagnanus.

Prima ratio hæc eſt: Collatio & proviſio Beneficii gratis fiunt, antequam ſolvatur aut promittatur Annata, nec ob ſolutionis defectum impeditur ſupplicationis expeditio; & tunc duntaxat Prælati Annatas ex uſu perſolvere tenentur, cum Pontificium diploma obtinent, quod eorum confirmationem & proviſionem teſtatur & probat. Quòd ſi nunquam diploma ſibi conſcribi & dari curent, ut contingit illis qui ante Bullarum conceſſionem in aliorum favorem cedunt, nihil ſolvunt, quamvis Beneficium ipſis collatum fuerit. Id ſexcentis in deciſionibus fuiſſe à Rota declaratum obſervat Fagnanus: non ergo ſolvuntur Annatæ pro ipſâ Beneficii collatione aut proviſione.

Secunda ejuſdem authoris ratio eſt, quòd ſi unum & idem Beneficium, ſive illud ſit de majoribus & conſiſtorialibus, qualia ſunt Epiſcopatus & Abbatiæ; ſive de minoribus, qualia ſunt reliqua omnia, in uno eodemque anno bis vel pluries vacare contigerit, & illud ſucceſſivè duobus conferri, Annata & ſervitia conſueta non exiguntur niſi ſemel, ut pro Regoo Francorum Conſtitutione Gregorii XII. ſtatutum eſt, & Romaria Curia obſervat: at id non fieret ſi Annatæ & ſervitia exigerentur pro collatione & proviſione Beneficii.

Tertia denique Fagnani ratio eſt: ex diſtributionibus quotidianis non ſolvitur Annata, uti Extravag. Joannis XXII. *Cum nonnullæ.* ſancitum eſt: hujus autem ptaxis non alia ratio aſſignari poteſt, niſi quod nomine fructuum diſtributiones hujuſmodi non intelliguntur; Annatæ autem ſolvantur tantummodo ratione fructuum, qui Sedi Apoſtolicæ ex conſuetudine Eccleſiarum & conſenſu Principum firmata ſolvi debent, non autem pro Beneficii proviſione aut collatione.

Annatæ ergo non ſolvuntur pro collatione aut proviſione Beneficii, ſed duntaxat pro parte fructuum qui Sedi Apoſtolicæ titulo ſubventionis ex conſuetudine Prælatorum & Principum conſenſu firmata (aut ex titulo præambulo reſervationis, uti, referentibus Oldrado & Fagnano, volunt Ultramontani) debentur; ac proinde ſimoniacæ nullatenus dici poſſunt. Et verò, quemadmodum ratiocinatur Fagnanus loco ſæpius citato, *nunquam datio mutua ſpiritualium & temporalium ſimoniam inducit, quoties una non cauſatur ab alia.* Atqui ex dictis manifeſtum eſt Annatas ſolvi Romano Pontifici, non pro collatione ſeu proviſione Beneficii, ſed pro ea fructuum Beneficii parte quæ Sedi Apoſtolicæ jure ſubventionis aut reſervationis, modo ſupra expoſito, debita eſt; ergo &c.

Circa quintum, quid tandem circa Annatas ſtatutum fuerit à Concilio Baſileenſi, Pragmaticâ Sanctione & Concordatis.

Reſp. 1. duo de Annatis decreta à Concilio Baſileenſi fuiſſe edita: unum Seſſione 12. alterum Seſſione 21. His in decretis Concilium Baſileenſe neutiquam Annatas ipſas ut illicitas aut injuſtas, multò minùs ut ſimoniacas improbat; ſed modum duntaxat illas exigendi; in quo nonnullos irrepſiſſe abuſus querebantur Patres Baſileenſes. Id unum à Concilio circa Annatas fuiſſe ſtatutum clarè evincitur ex Reſponſione ſynodali à Juliano Cardinali Sedis Apoſtolicæ Legato, ejuſdemque Baſileenſis Concilii Præſide, facta ad Eugenii IV. Oratores, qua eorùm querimonias contra decreta de Annatis diluit his verbis: *Cùm nemo inficietur multos in exactione harum Annatarum ſolitos fieri abuſus..... ac modus ipſe exigendi onerosus eſſet Eccleſia.....nos his omnibus hoc decreto providimus..... Per illud tamen non interdicitur, quin pro vita ſuſtentatione aliiſque vitæ neceſſitatibus, ſummus Pontifex aliarumque Eccleſiarum Epiſcopi, caritativum ſubſidium indicere, decimam imponere fructuſque aliorum Beneficiorum ad tempus reſervare, vel alias ſubventionum ſpecies petere poſſint.* Extat hæc ſynodalis Reſponſio Tom. 12. Conciliorum edit. Labbeanæ pag. 704. Ex his liquidò conſtat, Patres Baſileenſes Annatas ipſas titulo ſubventionis & in ſeipsâ ſpectatas approbaſſe atque confirmaſſe, etſi earum exigendi rationem in quâ ut ipſi querebantur, irrepſerant abuſus, minimè probarent.

Reſp. 2. Eccleſiam Gallicanam Avarici Biturigum congregatam, decretum Seſſionis 21. Concilii Baſileenſis circa Annatas ſuſcepiſſe: illud autem decretum de ejuſdem Congregationis conſilio Pragmaticæ Sanctioni ſuæ inſeruit Carolus VII. Refertur decretum Baſileenſe titulo 11. Pragmat. Sanctionis.

Reſp. 3. octavo & ſeptuageſimo poſt Pragmaticam Sanctionem editam anno, inita fuiſſe Concordata. *Iis verò*, inquit illuſtriſſ. de Marca Lib. 6. de concord. cap. 11. n. 12. *cum conſenſu Franciſci primi Regis abolentur omnes deliberationes Eccleſia Gallicana, & per conſequentiam neceſſariam abolita quoque eſt prohibitio ſolvendi Annatas pro Bullis Epiſcopatuum & Monaſteriorum.*

De Concilio Florentino.

Diſſoluto Baſileenſi Concilio & in duas partes ſciſſo Seſſione 25. deſiit eſſe Oecumenicum, ut antea diximus. Ex eo tempore, tùm Eugenii, tùm ſanioris Præſulum partis decreto, alia ad unionem Orientalis Eccleſiæ cum Occidentali Ferrariæ cœpit haberi Synodus die 9. Aprilis an. 1438.

Huic Concilio præfuit Eugenius Papa IV. adfuêre Conſtantinopolitanus Patriarcha, & Alexandrini, Antiocheni, Hieroſolymitani Patriarcharum Vicarii, Græci Latinique perplures Epiſcopi: interfuit etiam Paleologus Græcorum Imperator. Eo in Concilio Ferrariæ ſic congregato ſexdecim ſolemnes habitæ ſunt Seſſiones; ſed cum dira lues Ferrariam devaſtaret, rurſus Eugenius ſacro approbante Concilio, Ferrariâ Florentiam tranſtulit Concilium, ubi poſt novem alias Seſſiones celebratas, feliciter abſolutum eſt: atque hâc de causâ vulgò Florentinum dici ſolet: etſi Synodica tùm Ferrariæ tùm Florentiæ geſta complectatur. Tempus Præſes.

Circa iſtud Concilium quæritur 1. quid Ferrariæ factum fuerit antequam ritu ſolemni inchoaretur Synodus. Acta Concilii.

Reſp. cum Paleologus Græcorum Imperator, Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus, aliique Præſules Græci Ferrariam acceſſiſſent, eos Eugenius unâ cum Cardinalibus debito cum honore excipit: interim verò donec Synodus ritu ſolemni inchoaretur, petentibus & ſuffragantibus Græcis, de igne Purgatorio & de Sanctorum beatitudine multiplex habita eſt privata collatio. Ex utrâque parte, Latinorum ſcilicet & Græcorum, duodecim delecti ſunt qui de hiſce capitibus aliiſque eccleſiaſticis quæſtionibus diſceptarent. Græci auditis Latinis dixêrunt: *Quæcunque dixiſtis..... Græcorum Eccleſia recipit & legit, parumque inter nos hâc in re differt.* Verùm graſſante Ferrariæ peſtilentia, ſolemnes ibidem haberi cœpêrunt & accelerari Seſſiones.

Quæritur 2. quid præcipui actum fuerit Ferrariæ ſexdecim ſolemnibus Seſſionibus quæ ibi habitæ fuêrunt.

Reſp. Beſſatioo Nicænus Archipræſul doctrinâ & ſermone nulli inter Græcos ſecundus, Seſſiooe 1. elegantem orationem habuit in qua Pontificis, Imperatoris, Patriarchæ ac Synodi laudes celebravit. Beſſarionem imitatus eſt Seſſiooe 2 Andreas Rhodi Archiepiſcopus. In ſequentibus Seſſionibus diſputaciones agitatæ ſunt Græcos inter & Latinos, de quinque potiſſimùm capitibus inter utramque Eccleſiam controverſis: nimirum 1. de proceſſione Spiritûs ſancti à Patre & filio 2. de additione particulæ, *Filioque*, ad Symbolum. 3. de azymi vel fermentati panis uſu pro materia ſacrificii. 4 de Purgatorio. 5, de primatu Romani Pontificis. Tandem Seſſione 16. editum eſt ac promulgatum quarto Idus Januar. an. 1439. decretum de transferenda Florentiam Synodo ob ingraveſcentem Ferrariæ peſtilentiam.

Quæritur 3. quid definitum fuerit novem reliquis Seſſionibus, quæ Florentiæ habitæ ſunt.

Reſp. tranſlaro Floreotiam Concilio, poſt multas collationes & diſputationes Græcos inter & Latinos habitas, tandem facta eſt utriuſque Eccleſiæ unio die 6. Julii anno 1439. & poſt ſolemne Sacrum ab Eugenio IV. præſentibus Græcis celebratum, in publicâ Seſſione decretum unionis Græcorum cum Latinis, ſacro approbante Concilio, promulgatum fuit latinè quidem à Juliano Cardinali; græcè verò à Beſſarione Nicæno Archiepiſcopo: talique decreto Pontifex, Cardinales, Imperator, & Eccleſiæ utriuſque Epiſcopi & Abbates, ono excepto Marco Epheſino, ſubcripsêre. Hoc porro unionis decretum, Litteræ unionis utriuſque Eccleſiæ vulgò dictum, ſive definitio Oecumenicæ Florentioæ Synodi pro Græcorum unione, incipit his verbis, *Lætentur Cœli.* In eo varia doctrinæ capita ſancita ac definita fuêre.

Primum ſpectat proceſſionem Spiritûs ſancti à Patre & Filio: *In nomine ſanctæ Trinitatis*; inquit Eugenius Papa, *hoc ſacro universali approbante Florentino Concilio deferimus ut hæc fides veritas ab omnibus Chriſtianis credatur & ſuſcipiatur.....quòd Spiritus ſanctus ex Patre & Filio æternaliter.....tanquam ab uno principio & unica ſpiratione procedat.* Secundum ſpectat particulam, *Filioque*, meritò additam Symbolo: *Definimus inſuper*, inquit idem Eugenius, *particulam*, Filioque, *veritatis declarandæ gratiâ & imminente tunc neceſſitate, licitè ac rationaliter Symbolo fuiſſe appoſitam.*

Tertium ſpectat conſecrationem, quæ declaratur valida, ſive in azymo fiat, ſive in fermentato pane: *Item in azymo ſive fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici.* Additur ibidem: *Sacerdotes debere in alterutro ipſum Domini corpus conficere, unumquemque ſcilicet juxta Eccleſiæ ſuæ ſive Occidentalis ſive orientalis conſuetudinem.*

Quartum varia complectitur: primum reſpicit Purgatorii pœnas, ſic habetur: *Verè pœnitentes in Dei charitate decedentes, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint..... eorum animas pœnis Purgatorii poſt mortem purgari.* Secundum preces oblatas pro mortuis. *Et ut à pœnis hujuſmodi releventur, prodeſſe eis Fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri conſuevêrunt, ſecundùm Eccleſiæ inſtituta.* Tertium eſt de viſione intuitivâ ſtatim à morte concedenda animabus juſtorum quibus nihil luendum ſupereſt: *illorumque animas qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrêrunt; illas enim quæ poſt contractam peccati maculam.....ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum & unum ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate alium alio perfectiùs.* Definitur ibidem circa damnatorum pœnas, *illorum animas qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.*

Quintum caput Sedis Apoſtolicæ & Romani Pontificis in univerſâ Chriſti Eccleſia jure divino primatum ſpectat: *Item definimus ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum ſucceſſorem eſſe beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem ac doctorem exiſtere; & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi ac gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.*

Reoovant tandem Patres Florentini ordinem cæterorum Patriarchatum *Renovantes inſuper*, inquiunt, *ordinem traditum in Canonibus cæterorum venerabilium Patriarcharum: ut Patriarcha Conſtantinopolitanus ſecundus ſit poſt ſanctiſſimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hieroſolymitanus, ſalvis videlicet privilegiis omnibus & juribus eorum.*

Circa poſtrema mox laudata Floreotinæ definitionis verba, *Definimus.....ipſi.....* (Romano Pontifici) *à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum & in ſacris Canonibus continetur*, movetur quæſtio tùm circa lectionem, tùm circa ſenſum horumce verborum.

Quod ſpectat lectionem; alii putant ea eſſe legenda ſicut illa deſcripſimus: *quemadmodum etiam in geſtis &c.* Alii paulò aliter: *ſecundum quod & in geſtis &c.* Alii denique ſimpliciter legunt: *quemadmodum & in geſtis &c.*

Quod ſpectat ejuſdem textûs ſenſum: Ultramontani per *plenam poteſtatem* Romano Pontifici conceſſam, intelligunt poteſtatem ita plenam & ſupremam, quòd ſit ſuper omnes *conjunctim & collectivè*, ut ajunt, Eccleſias; ita ut earum conjunctam vim & conſenſionem vincat. Galli verò contendunt, plenam illam & ſupremam ſummi Pontificis poteſtatem, eſſe quidem ex ordinatione divinâ ſuper omnes Eccleſias particulares *ſeparatim ac diſtributivè* ſumptas, non verò ſuper omoes *collectivè & conjunctim* Eccleſias: unde hæc Gallorum vox eſt apud Bellarminum Lib. 2. de Conciliis cap. 14. *Comparare Papam cum cæteris Eccleſiis ſeorſim ſumptis, eſt comparare membrum nobiliſſimum cum minùs nobili: ac comparare Papam cum Concilio, eſt comparare partem cum ſuo toto & proinde minus cum majore.*

Non eſt hujus loci has omnes quæſtiones fuſiùs hic excutere. Satis ſit impræſentiarum cum illuſt. Boſſuet. in defenſ. declarat. Cleri Galliæ. parte 2. Lib. 10. cap. 10. obſervare

I. certum eſſe, græca æquè ac latina Concilii Florentini Acta, ſacro approbante Concilio, Eugenii nomine eſſe edita: porro in Actis latinè exaratis, ſic legitur: *Quemadmodum etiam &c.* Id verò ita eſſe conſtat ex Concilii Florentini Codicibus, qui in nobili Bibliotheca Colbertina Eugenii ac Michaelis Imperatoris ſignis muniti aſſervantur.

II. & illud certum, græco textui de verbo ad verbum congruere interpretationem, juxta quam in textu laudato ſic legitur: *Secundum quod & in geſtis*

Digitized by Google

geſtis Conciliorum Oecumenicorum & in ſacris Canonibus continetur.

III. quidquid ſit de variis illis interpretationibus certum videtur, plenam & ſupremam, ad ſenſum Ultramontanorum, Romani Pontificis poteſtatem ſuper omnem *conjunctim & collective* Eccleſiam, decreto Florentino non definiri; ſed ejus primatum duntaxat & authoritatem jure divino ſuper omnes Eccleſias particulares *ſeorſim ac diſtributive* ſumptas. Id ipſum probat illuſtriſſimus author mox citatus variis momentis, quæ abs re non erit eò loci paucis recenſere.

Primum momentum ſic eſt: Eo ſenſu Florentiæ definitum fuit, Romano Pontifici plenam poteſtatem regendi Eccleſiam à Chriſto eſſe conceſſam, quo ſenſu à Concilio Conſtantienſi Seſſione 8. & à Martino V. in decretali *Inter cunctas*. ſacro approbante Concilio, decretum legimus, *Eccleſiam Romanam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.* Porro planum eſt & apertum, Martinum V. & Patres Conſtantienſes non alio ſenſu pontificiam poteſtatem in Eccleſiâ primam & ſupremam appellare, quàm quòd ſit ſuper omnes Eccleſias, particulares *diſtributivè* ſumptas: citatis enim in locis Concilium & Pontifex ſeſe exponunt, atque aſſerunt erroneum eſſe, aſſerere Eccleſiam Romanam non eſſe ſupremam inter alias Eccleſias, *pro quanto negaret primatum ſummi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares* ergo &c.

Secundum: Synodus Tridentina & ipſe Pius IV. tùm in Synodi decretis, tùm in fidei profeſſione conſultò omiſſa voluêre ea verba, quæ ſupremam, abſolutam & omnino independentem Romani Pontificis authoritatem denotant; iis verò utuntur de quibus nulla inter Catholicos controverſia eſſe poſſit, quæque ipſius jure divino primatum duntaxat deſignant. Hinc Pius IV. poſt Concilium Tridentinum in ſolemni fidei profeſſione, ab iis omnibus qui ad Epiſcopatum promoventur, ſubſcribendâ, de Sede Apoſtlicâ hæc habet: *Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam Romanam, omnium Eccleſiarum matrem ac magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo ac juro.* Porro ſi ſuprema Romani Pontificis authoritas in univerſas *collective* Eccleſias, Florentinæ Synodi Oecumenicæ decreto fuiſſet definita, profectò in fidei profeſſione nonnulla inſeruiſſet Pius IV. quæ plenam illam & ſupremam Romani Pontificis authoritatem ab omnibus agnoſcendam exprimerent.

Tertium momentum deducitur ex ſerie & contextu verborum decreti unionis: nempe laudata decreti verba ſib inter utramque Gallorum & Ultramontanorum ſententiam librata ſunt ac ponderata, ut quod caput eſt fidei, nempe authoritatem pontificiam in univerſâ Eccleſiâ, clarè definiant; quæſtionem verò circa ſuperioritatem pontificiam inter Theologos agitatam, intactam illæſamque relinquant. Et verò *plenam à Domino Eccleſiam regendi poteſtatem Romano Pontifici eſſe conceſſam,* expreſſe docet Synodus, hocque judice Boſſuetio omnes confitentur: verùm an illa poteſtas ita plena ſit, ut adunatæ quoque Eccleſiæ conſenſum & authoritatem vincat unius Romani Pontificis authoritas, nec ne; iſtud eſt de quo movebatur & etiamnum movetur quæſtio, & quod neutiquam definitum fuit in Concilio Florentino.

Et certe decreti verba Gallorum doctrinæ non adverſantur; imò in ſenſum eorum ſententiæ congruum facilè adduci poſſe, ex eo colligitur, quòd Synodus aſſerat Romano Pontifici datam à Chriſto poteſtatem regendi univerſalem Eccleſiam, non ſanè ſimpliciter & abſolutè, ita ut Eccleſiam pro arbitrio regat, prout quidam Ultramontani interpretantur; *ſed quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum conciliorum & in ſacris Canonibus continetur*: ſive ut in Græco habetur, *ſecundum quod in geſtis Oecumenicorum Conciliorum & in ſacris Canonibus continetur*, ut obſervant Galli.

Quartum, ea definita ſunt in decreto unionis, de quibus conſtabat inter Latinos, non verò quæ erant apud ipſos controverſa, & in utramque partem diſputata: alias procul dubio conqueſti fuiſſent Græci, malè profectò & iniquè cum ipſis tractari, à quibus graviora & difficiliora de primatu Pontificis, quàm à Latinis quoque exigeretur credenda: porro de ſupremâ poteſtate pontificia ſuper omnes particulares Eccleſias *diſtributive* ſumptas, ſeu quod idem eſt, de primatu conſtabat apud omnes. De iſto Romani Pontificis primatu ita magnificè locuti fuerant Patres Baſileenſes in Reſponſione ſynodali adversùs primùm attentatam ab Eugenio Synodi tranſlationem: *Quod Romanus Pontifex caput ſit & primus Eccleſiæ, Vicarius Chriſti, & à Chriſto non ab hominibus vel Synodis aliis prælatus & Paſtor Chriſtianorum; & ei datæ ſint à Domino claves, & uni dictum ſit*: Tu es Petrus, *& ſolus in plenitudinem poteſtatis vocatus ſit, alii in partem ſollicitudinis & multa hujuſmodi quæ vulgatiſſima ſunt..... iſta planè fatemur & credimus, operamque in hoc ſacro Concilio dare intendimus ut omnes eandem ſententiam teneant.* Et paulò poſt: *Omnes ſingulares homines, particulareſque Eccleſiæ ipſi Pontifici obedire debent, niſi in his quæ huic ſacræ Synodo & cuilibet alteri legitimè congregatæ, præjudicium generarent.* Refertur iſta Reſponſio ſynodalis Tom. 12. Concil. edit. Labb. pag. 673. 674. & & ſequentibus. Aſt verò de pontificia ſuperioritate ſuper omnes *collective* Eccleſias, jam olim & etiam tunc graves movebantur quæſtiones. Erant in omnium manibus Alliacenſis, Gerſonis, aliorumque Libri qui Romano Pontifici Synodum anteferrent: nemo eos Orthodoxos eſſe negabat; imò doctiſſimi plerique & Academiæ ſententiam hanc propugnabant. Non ergo iſta pontificia ſuperioritas inter Theologos diſputata, ſed Romani Pontificis jure divino primatus ab omnibus agnitus, in decreto unionis expreſſus fuit ac definitus.

Et verò Florentinum decretum ab Eugenio latum eſt, ſacro approbante Concilio. ſive, ut in græco textu habetur, *conſentientibus in Synodo reverendiſſimis Fratribus.* Jam verò Græci ſupremam, independentem & illimitatam Romani Pontificis authoritatem non agnoſcebant, ut conſtat tùm ex Beſſarione Græcorum doctiſſimo, Seſſione 9. ubi ſic loquitur: *Scimus quidem quæ ſunt jura & prærogativæ Romanæ Eccleſiæ: nihilominus ſcimus prærogativa ejus quos terminos habeant..... quantacumque facultate polleat Romana Eccleſia, minùs tamen Synodo Oecumenica & univerſali &c.* tùm ex variis collationibus Græcos inter & Latinos habitis ad librandam & temperanda circa pontificiam authoritatem verba decreti. Aliunde verò Concilio præſentes aderant plerique Præſules qui interfuerant, adhærebantque prioribus decretis Baſileenſibus, iis ſcilicet quæ ante tranſlationem Seſſ. 25. ſtatuta fuerant; ut patet ex Synodi Florentinæ decreto quod incipit his verbis, *Ad laudem.* quo quidem decreto ſtatuitur, *juſtam fuiſſe ac legitimam Concilii Baſileenſis tranſlationem ab Eugenio factam* (Bulla *Salvatoris*. an. 1437.) *nec ſub decreto octavæ & undecimæ, vel cujuſcunque alterius Seſſionis dicti olim Baſileenſis Concilii, ullatenus includi*

Porro cum Græci tùm Latini Baſileenſes procul dubio reclamaſſent audito hocce decreto, ſi de plenariâ, ad ſenſum Ultramontanorum poteſtate, intelligendum eſſet; ergo &c.

Quintum denique momentum petitur ex judicio interpretis haud ſane ſuſpecti, Andreæ Duvallii: is enim Tractatu de ſupremâ R. Pontificis authoritate parte 4. quæſt. 7. adductis Synodi Florentinæ verbis quibus in decreto unionis definitur, *Romanus Pontifex ut Chriſti Vicarius, Petri ſucceſſor, totius Eccleſiæ caput, omnium Chriſtianorum Pater ac doctor, paſcendi, regendi, gubernandi univerſalem Eccleſiam, plenam poteſtatem a Chriſto eſſe traditam*; ſic prædicta verba interpretatur: *Satis*, inquit, *conſtat Concilium Florentinum authoritatem Papæ ſupra Concilium non definiviſſe. Nam etſi definiat eum eſſe Chriſti Vicarium, totius Eccleſiæ caput, & a Chriſto illi traditam poteſtatem regendi univerſalem Eccleſiam, hoc tamen nullus eorum qui contra ſentiunt, negat: illum enim habere in Eccleſiam poteſtatem univerſalem ubique locorum diffuſam admittunt, & omnium Chriſtianorum patrem atque doctorem eum agnoſcunt; ſed contendunt Concilium non propterea definiviſſe eum in Eccleſiam univerſalem, quatenus eſt legitimè congregata, & eſt in Concilio aliquo generaliter per ſuos Prælatos unita & conſentiens, poteſtatem habere: tunc enim, inquiunt, Eccleſia univerſalis eſt totum quoddam, in quamlibet ſuam partem etiam præcipuam, qualis eſt Romana Eccleſia, authoritatem habens; ideoque cum nomen hoc* (univerſalis Eccleſia) *dupliciter ſumatur, diſtributive quidem pro omnibus Eccleſiis per orbem diffuſis, & collective, id eſt pro Concilio Generali; priori modo ajunt Concilium Florentinum definiviſſe ſummum Pontificem in Eccleſiam univerſalem habere authoritatem, non tamen poſteriori.* Hæc Duvallius, quibus aperte patet, vel ipſo judice doctiſſimo illo Theologo, Concilium Florentinum authoritatem Papæ ſupra Concilium non definiiſſe.

Ex dictis in præſenti quæſito liquet, viginti quinque Seſſionibus a 9. Aprilis 1438. ad 6. Julii an. 1439. tùm Ferrariæ tùm Florentiæ habitis, ad exitum perductum fuiſſe celeberrimæ unionis negotiū.

Quæritur 4. quæ Florentinam Synodum ſubſecuta fuerint.

Reſp. 1. lectâ & omnium ſubſcriptionibus munitâ fidei definitione, ſeu decreto unionis, ſicque ſolutâ Synodo, Latini Græcis varias propoſuêre quæſtiones, quarum præcipuæ iſtæ ſunt.

Prima, *Cur inclinant capita, cum de minori altari ad majus nondum conſecrata deferuntur ſacra munera?*

Secunda, *Quare Epiſcopi non inungunt ſacro chriſmate, ſed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus ſit datum?*

Tertia, *Quare contenti non eſtis Domini verbis*; Accipite & comedite: *ſed poſtea dicitis*, Et fac quidem panem hunc pretioſum corpus Chriſti tui, & tranſmutans ea Spiritu ſancto tuo, amen, amen, amen?

Quarta, *Quare conjugia dirimitis, dicente Domino*: Quos Deus conjunxit homo non ſeparet?

Quinta, *Cur Florentiæ Patriarcham non eligitis, ſed abire vultis ſine capite?*

Græcorum ad eas quæſtiones reſponſa non referunt Acta Concilii, ſed generatim pronuntiant: *Hæc à Latinis objecta Mitylenenſem Archipræſulem canonicè omnia legitimeque diſſolviſſe, præterquam duo de quibus Papa ſignificavit Imperatori, cur ſcilicet matrimonia dirimantur, & Patriarcha non eligatur.* Hinc patet Græcorum doctrinam circa diſſolubilitatem Matrimonii in caſu adulterii à Latinis quidem improbatam fuiſſe, non tamen habitam tunc velut manifeſtam ac formalem hæreſim; aliàs inita certè non fuiſſet unio ac ſocietas cum Græcis hæreſim hanc apertè profitentibus.

Reſp. 2. feliciter inita Græcorum cum Latinis unione, paulò poſt Florentiam acceſſêre Legati Patriarchæ Armenorum, quærentes & ipſi unionem cum Eccleſiâ Romanâ, fideique rectitudinem. Sæpe cum ipſis contulit ſummus Pontifex Eugenius, viroſque omnium Ordinum doctiſſimos deputavit, qui ab eis diligenter inquirerent de eorum fide circa Trinitatem, Incarnationem, Sacramenta, aliaque ad fidem orthodoxam ſpectantia: tandem decreta eorum cum Latinis unio. Hæc autem ut firmiùs perduraret, opportunum judicavit Eugenius, Armenis compendio tradere orthodoxæ fidei veritatem quam Romana profitetur Eccleſia: quod præſtitit ſolemni decreto quatuor circiter poſt Græcorum diſceſſum menſibus promulgato, nimirum decimo Kalend. Decembris 1439. incipit iſtud decretum his verbis, *Exultate Deo adjutori noſtro*. Eo in decreto, quod vulgò dici ſolet, Decretum pro inſtructione Armenorum, inſtruuntur Armeni ſummatim & obiter de fide orthodoxa quam ſequi debent, & quam Romana ſequitur Eccleſia.

I. cùm Armeni Nicænum I. Conſtantinopolitanum I. Epheſinum duntaxat Concilia admitterent, Eugenius decrevit ut non ſolùm tria prædicta Concilia, ſed & Chalcedonenſe, aliaque Oecumenica Romani Pontificis authoritate legitimè celebrata, ſuſciperent, ac cum cæteris Fidelibus venerarentur.

II. Eccleſiæ Romanæ praxim ac doctrinam circa ſeptem novæ Legis Sacramenta ipſis tradit & explicat Eugenius.

Docet inter cætera, circa Sacramentum Confirmationis, *hujus Sacramenti materiam eſſe chriſma confectum ex oleo & balſamo..... formam autem eſſe*. *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis.* Additur ibidem, *aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ex rationabili & urgente admodum causâ, ſimplicem Sacerdotem..... hoc adminiſtraſſe Sacramentum.*

Docet circa Euchariſtiæ Sacramentum, *hujus materiam eſſe panem triticeum, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet.* Subditur, *formam hujus Sacramenti eſſe verba Salvatoris, quibus..... Sacerdos in perſonâ Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum.*

Docet circa Ordinis Sacramentum, traditionem inſtrumentorum eſſe materiam hujus Sacramenti; formam verò, verba traditioni reſpondentia.

III. in eodem decreto proponitur Armenis compendioſa illa fidei regula, quæ incipit his verbis, *Quicunque vult ſalvus eſſe*. quæque S. Athanaſio communiter adjudicatur.

IV. traditur eiſdem decretum unionis cum Græcis paulò antea in Concilio Florentino ſancitæ, ſexta Julii an. 1439. quod incipit, *Lætentur cœli*.

V. ex uſu Eccleſiæ Romanæ præſcribitur quibus diebus celebrari debeant feſtivitates Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis, Nativitatis, Circumciſionis & Præſentationis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Hæc & alia fidei & diſciplinæ capita, nec non quidquid tenet & docet ſancta Sedes Apoſtolica & Romana Eccleſia, cum omni devotione & obedientia acceptare, ſuſcipere & amplecti, nomine ſuo & ſui Patriarchæ, totiuſque ſuæ Eccleſiæ profeſſi ſunt Armenorum Oratores; ſicque feliciter etiam ſancita eſt Armenorum cum Eccleſia Romanâ unio & ſocietas.

Circa mox landatum Eugenii decretum pro Armenorum unione, vatia ſuut nbſervanda.

Primum, decretum illud vim ac authoritatem definitionis ſeu decreti totins Concilii Florentini non habere. Namque editum fuit decretum illud Florentiæ, jam diſſolutâ Synodo quæ pro unione Latinotum & Græcotum celebrata fuerat: Armeni quippe, quos Eugenius de fide ac doctrinâ Latinorum inſtruit, Florentiam non advenêre; nſi aliquot diebus poſt abſolutam & ſnbſcriptam Synodum; ac decretum Eugenii poſt diſceſſum Græcorum anno nimirum 1439. decimo Kalend. Decembris latum & promulgatum fuit. 2. idem colligitur ex inſcriptione & exordio decreti unionis Græcorum cum titulo & initio decreti pro Armenis comparato. Primum ſic inſcribitur. *Definitio ſanctæ Oecumenica Florentina Synodi.* Alterum verò pro Armenis, *Decretum Eugenii Papa quarti.* Illud ſic incipit: *Eugenius Epiſcopus.....ad perpetuam rei memoriam, conſentiente.......& loca tenentibus venerabilium fratrum noſtrorum Patriarcharum & cateris Orientalem Eccleſiam repræſentantibus.* Iſta verò ita incipit: *Eugenine Epiſcepus........ad perpetuam rei memoriam*: nullam de Eccleſiâ Orieutali mentionem haber. 3. exeunte decimo ſexto ſæculo prodiir, teſte Salmeron Tom. 9. tract. 13. pag. 87. Concilium Florentinum græcè editum in urbe Româ, in qno refertur de adventu Armenorum & de doctrinâ fidei illis traditâ, *quod certè factum non fuiſſet,* inquit ibidem doctiſſimus Salmeron, *ſi illorū adventus & doctrina illis tradita, ad ipſam Synodum ſpectaſſet, tanquam ejus pars.*

Quapropter cùm ſub finem bujuſce Concilii, decretum pro unione Armenntuin datum dicitur *Florentia in publica Seſſione ſynodali ſolemniter in Eccleſia majori celebrata*; de ſolis duntaxat Occidentalibus Epiſcopis intelligi iſtud debet, qoi Florentiæ Præide ſummo Pontifice Eugenin congregati, tribus ferè annis remanſerunt, uſque videlicet ad annum Domini 1442. quo anno ſexto Kal. Maji celebratâ Seſſione; Romam translata fuit Synodus, uti refert Horatius Juſtinianus 3. parte Actorum Concilii Florentini. Quæ quidem non eo animo dicimus, ut quidquam detractum velimus bujus decreti authoritati, abſit: ſed ut intelligatur quæcunque in eo continentur, à toto Concilio, tanquam ad fidem pertinentia, definita non fuiſſe.

Secundum, non conſtare apud Theologos, an Sacramentis Confirmationis & Ordinis eſſentiales ſint an accidentales duntaxat materiæ & formæ quæ in illo decreto recenſentur: chriſmatio ſcilicet, & porrectio inſtrumentorum, atque verba utrique reſpondentia.

Contendunt aliqni Eugenium in illo decreto non loqui niſi de materiâ accidentali: neque enim, inquiunt, probabile eſt ſummum Pontificem voluiſſe id ſtatuere, ex quo ſequeretur nullas eſſe & irritas Græcorum Ordinationes, cum quibus, ſacro approbante Concilio, mox ſancita fuerat unin; porrn ex antiquis Græcorum aothoribus, eorum Euchologiis; nec non ex Arcudio, Morino, aliiſque compertum eſt, porrectionem inſtrumentorum apud Græcos nec eſſe in uſu, nec unquam fuiſſe; ergo &c.

Alii verò, quibus veriſimile non videtur Eugenium; cùm de Sacramentorum materia ex inſtituto tractaret, data opera omiſiſſe eſſentialem materiam, & in ſola accidentali hærere voluiſſe, contendunt ſummum Pontificem de eſſentiali Ordinis materia loqui, atque reipſa ex recepta in Scholis ſententiâ porrectionem inſtrumentorum velut eſſentialem Sacramenti Ordinis materiam propoſuiſſe: cæterum nihil hac de re definiiſſe. Er verò, inqniunt, decretum illud non dirigitur ad univerſalem Eccleſiam, ſed ad Armenos duntaxat inſtruendos; nnllum præceptum illius promulgandi in ſingulis Eccleſiis præſcribitur.

Alii denique exiſtimant mentem ac conſilium Eugenii non fuiſſe omnem & ſolam Ordinationia materiam eſſentialem referre, ſed eam duntaxat quæ Armenis erat ignota, quæque erat in uſu in Eccleſia Romana, cui uniri poſtulabant: porro, teſte Menardo in notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii, Armeni manuum impoſitione utebantur. Addit Morinus, de Pœnitentia Lib. 8. cap. 18. *Florentinos Patres Armenis ſolum proponere qua ſpecialia erant in Sacramentariis latinis: ut eos ad ea amplexanda invitarent, ut autem ea amplecterentur non juſſiſſe.* Verùm de his fuſius ubi de materia & forma Sacramentorum Ordinis & Confirmationis.

Tertium, quod circa idem decretum obſervant nonnulli, iſtud eſt: nempe in Concilio Florentino non fuiſſe confixam eorum Theologorum ſententiam, qui docent conſecrationem non tantum verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, perfici; ſed etiam precibus, quæ antecedunt apud Latinos, & ſequuntur apud Græcos prædicta Chriſti verba, idque variis momentis probare conantur. 1. quia in decreto unionis Græcorum, ſeu in ſolemni fidei definitione promulgatâ & omnium tum Græcorum tum Latinorum ſubſcriptionibus munitâ, ne verbum quidem de formâ conſecrationis Euchariſtiæ per ſola Chriſti verba. 2. poſt graves & diuturnas hâc de re Græcos inter & Latinos concertationes, nulla legitur facta mutatio in eorum Liturgiis, in quibus poſt ſacra Chriſti verba Sacerdos Deum rogat *ut mittat Spiritum ſanctum ſuum ſuper propoſita dona......& panem faciat corpus Chriſti, vinum vero ſanguinem ejus, immutans ea Spiritu ſancto ſuo.* Ita S. Chryſoſtomi Liturgia, quæ Romæ anno 1526. authoritate Clementis VII. græcè & latinè typis edita eſt. 3. in ſolemni exequiarum celebratione Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui Florentiæ circa finem Concilii è vivis exceſſerat, propria Liturgia uſi ſunt Græci, nihil prorſus immutato circa ritum & formam ab ipſis inter conſecrandum uſurpari ſolita: eundem uſum poſtea conſtanter retinuêre, nec de eo lis ipſis mota eſt à Legato quem Eugenius paulò poſt Conſtantinopolim miſit. 4. equidem in decreto pro Armenis legitur verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, eſſe formam Sacramenti Euchariſtiæ: verum præterquam quòd decretum iſtud, inquiunt, non eſt pars Synodi Oecumenicæ Florentinæ, ut mox ex Salmerone dictum eſt, verba decreti commodè exponi poſſunt de forma partiali & inadæquata; quemadmodum cùm in eodem decreto aſſeritur traditionem inſtrumentorum eſſe materiam Sacramenti Ordinis, id intelligi debet de materia accidentali aut eſſentiali inadæquata, non vero de materia eſſentiali & adæquatâ: cùm ex uſu perpetuo ac conſtanti utriuſque Eccleſiæ compertum ſit, manuum impoſitionem in Ordinatione ſemper fuiſſe adhibitam, adeoque hujuſce Sacramenti materiam eſſe ſaltem accidentalem. Idem confirmatur ex eo quod Archipræſul Ruſſiæ, referente Juſtin. pag. 308. diſſerens de formâ conſecrationis coram ſummo Pontifice, aſſerit quatuor ad Euchariſtiam requiri, panem, vinum, Sacerdotem, ac *præcipue* verba Salvatoris: attendendum eſt verbum iſtud, *præcipue*, quo indicat Archipræſul, verba dominica formam eſſe Euchariſtiæ præcipuam, atque adeo non totalem & adæquatam. 5. in celebri Romana Synodo ſex-

tâ habitâ ſub Gregorio VII. anno 1079. in quâ edita eſt formula fidei cui ſubſcripſit Berengarius, quæque incipit his verbis, *Ego Berengarius*; ſic legitur, *panem & vinum per ſacra orationis verba & Sacerdotis conſecrationem, Spiritu ſancto inviſibiliter operante, converti ſubſtantialiter in corpus & ſanguinem dominicum.* Et rurſus, *panem & vinum per myſterium ſacræ orationis & verba noſtri Redemptoris ſubſtantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & ſanguinem Jeſu Chriſti Domini noſtri*; ergo, inquiunt, ex verbis Chriſti & precibus exurgit forma totalis & adæquata Euchariſtiæ. 6. iſtius opinionis defenſores addunt authoritatem Concilii Tridentini quod Seſſ. 13. cap. 1. Can. 3. & 4. ejuſdem Seſſionis aliiſque in locis ubi de Euchariſtiâ loquitur, nuſquam aſſerit Euchariſtiam confici per ſola Chriſti verba, ſed perpetuò aſſerit confici per benedictionem, & conſecrationem: porro ſi Synodus Florentina definiiſſet ſolis verbis dominicis, *Hoc eſt corpus meum*, perfici Euchariſtiæ Sacramentum, profectò expreſſiùs locuti fuiſſent Patres Tridentini, nec ita cautè adhibuiſſent eas loquendi rationes quæ neutri opinioni præjudicium afferrent.

VII. iidem obſervant, Græcos poſt Synodum Florentinam, quemadmodum & antea, conſtanter aſſeruiſſe, nonniſi abſolutis ex integro orationis precibus, quæ recitationem verborum Chriſti conſequuntur, conſecrationem perfici. Id inter cætera probant ex orthodoxâ Eccleſiarum Orientalium fidei profeſſione, quæ primum pro Ruſſis condita fuit, poſtmodum vero ab omnibus Eccleſiis Patriarchalibus cum Eccleſiâ Romanâ communionem habentibus, acceptata confirmata.

Denique allegant Ambroſiû Catharinum eruditum ex Ordine Prædicatorum Theologum, Epiſcopum primum Minorenſem à Paulo III. tùm à Julio III. Archiepiſcopum Compſæ creatum. Is opinionem quæ docet conſecrationem perfici non tantum verbis, *Hoc eſt corpus meum*, ſed etiam precibus quæ antecedunt apud Latinos & ſequuntur apud Græcos verba Chriſti, ex profeſſo defendit, duobus eâ de re ſcriptis opuſculis, & ad Concilium Tridentinum, cui per ſeptem priores Seſſiones interfuerat, tranſmiſſis. Quamplures in hiſce opuſculis hujuſce ſententiæ patronos ac defenſores laudat, ſicut & ipſe Salmeron Tom. 9. Tractatu 13. nempe Franciſcum Maytonis, Gabrielem Biel. Godefridum Pictavienſem, Titelmannum, & ante iſtos Rupertum, Anſelmum, Odonem Cameracenſem, ad quos ætate Barengarii acceſſit Abbaudus Lib. de fractione corporis Chriſti Tom. 3. Analectorum Mabillonii. Eandem opinionem amplexus eſt Chriſtophorus à Capite fontium, primò quidẽ ordinis minorum generalis Miniſter, deinde Archiepiſcopus Cæſarienſis, tùm Tractatu *De neceſſaria correctione Theologiæ ſcholaſticæ*, ubi authorés mox citatos appellat; tùm Epiſtolâ ad Sixtum ſummum Pontificem cui opus ſuum nuncupavit.

Cæterum quæ huc uſque retulimus, non eo ſanè animo dicta ſunt ad firmandam & adſtruendam veritatem opinionis quæ aſſerit formam Euchariſtiæ non tantùm verbis Chriſti perfici, ſed etiam precibus quæ præcedunt apud Latinos, & ſequuntur apud Græcos ſolemnia Chriſti verba, ita ut ex duplici illâ forma partiali & inadæquata, verbis ſcilicet & precibus moraliter conjunctis, coaleſcat forma totalis & adæquata Euchariſtiæ: hæc enim ſententia perpetuæ ac conſtanti omnium fermè Theologorum doctrinæ adverſatur; aliunde levia omnino ac infirma nobis videntur quæ ad eam firmandam proponunt ipſius patroni: *Ita odioſa eſt iis montis ſæculis iſta opinio*, inquit recentior eruditus theologus, *ut vix ac ne vix toleretur.* Verùm ea omnia adduximus ut inde efficeremus, ſententiam hanc, etſi falſam, non tamen nobis videri à Synodo Florentinâ diſertè proſcriptam.

In hanc ſententiam eo lubentiùs deſcendimus, quod ipſiſſima ſit illuſtriſſimi Boſſuetii doctrina, qui in Libro cui titulus, *Explication de quelques difficultés ſur les prieres de la Meſſe*, hæc duo expreſsè docet. 1. ex conſtanti SS. Patrum tùm Græcorum tùm Latinorum authoritate, nec non invictis rationum momentis conſtare, in ſolis verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, eſſentialiter conſiſtere formam Euchariſtiæ. 2. nihil hanc in rem à Patribus Florentinis aut Tridentinis fuiſſe definitum. Sic habet doctiſſimus Præſul loco mox citato pag. 323. *Que ſi apres toutes ces raiſons & l'autorite de tant de Peres Grecs & Latins, qui mettent préciſement la conſecration dans les paroles divines, comme etant ſorties de la bouche du Fils de Dieu, & les ſeules toutes-puiſſantes, les Grecs perſiſtent encore dans le ſentiment de quelques-uns de leurs Docteurs, & ne veulent reconnoitre la conſecration conſommée qu' apres la priere dont nous parlons; en ce cas que ferons-nous, ſi ce n'eſt ce qu'on a fait à Florence, de n'inquieter perſonne pour cette doctrine, & ce qu'on a fait à Trente, où ſans determiner en particulier en quoi conſiſte la conſecration, on a ſeulement determiné ce qui arrivoit quand elle etoit faite.* Docet ibidem eruditus author, hanc ſolam ſententiam eſſe theologicè veram, atque in catecheſibus & ſermonibus ad populum proponendam, quæ aſſerit conſecrationem in ſacris duntaxat Chriſti verbis reponi: *Pour moi*, inquit eruditus author, *dans les catechiſmes & dans les ſermons je propoſerai toûjours la doctrine qui établit la conſecration préciſement das les paroles celeſtes, comme theologique-ment tres véritable, ainſi qu'on a fait dans le catechiſme du Concile.* Hactenus illuſtriſſimus author. Præſentem controverſiam jamdiu ferè ſopitam nuper excitavit celebris Theologus in opere cui titulus: *Explication litterale, hiſtorique & dogmatique des prieres & des ceremonies de la Meſſe*, Tom. 3. pag. 212. & ſequentibus. Hanc doctè ac ſolidè publico ſcripto impugnavit eruditus è Societate Jeſu Theologus. Aſt de iis ex profeſſo ubi de Euchariſtiâ.

Reſp. 3. peractâ Græcorum & Armenorum cum Latinis unione, Florentiam ad Eugenium acceſtère Orientalium Jacobitarum Legati, enixè poſtulantes & ipſi cum Eccleſiâ Romana unionem, quæ quidem feliciter conſummata fuit ab Eugenio IV. anno 1441. pridiè Nonas Februarii, edito eâ de cauſa ac promulgato ſolemni decreto quod incipit his verbis, *Cantate Domino quoniam magnificè fecit &c.* Eo in decreto ſummatim refert ſummus Pontifex quæ ab initio Synodi, Deo favente, fauſtè abſoluta fuerant: *Ecce enim*, inquit, *nondum exacto triennio, in hac ſancta Oecumenica Synodo ſaluberrimam trium magnarum Nationũ unionem Dominus noſter Jeſus Chriſtus pro ſua infatigabili pietate, ad commune perenneque totius Chriſtianitatis gaudium tam copioſè effecit; unde actum eſt ut penè totus Oriens, qui glorioſum Chriſti nomen adorat, ac non parva Septentrionis portio, poſt longa diſſidia cum ſancta Romana Eccleſia in eodem fidei & charitatis vinculo convenerint. Primum etenim Græci, & hi qui ſubſunt quatuor Patriarchalibus Sedibus, multas gentes nationeſque & idiomata continentibus: deinde Armeni multorum populorum gens; hodiè verò Jacobini, magni etiam per Ægyptum populi, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ uniti ſunt.*

Huicce decreto pro Jacobitarum unione ac in-

ſtructione inſerta ſunt mox relata pro Græcis & Armenis decreta; atque contra quorundam quartas nuptias damnantium errorem declaratur, *nonſolùm ſecundas, ſed tertias & quartas ac ulteriores, ſi aliquod canonicum impedimentum non obſtet, licitè contrahi poſſe.* Illud autem decretum pro Jacobitis vulgò dicitur *Decretum Eugenii*, ſicut & decretum pro Armenis: quòd ſcilicet utrumque poſt diſſolutam Synodum ac Græcorum diſceſſum, ab Eugenio latum fuit, non à totâ Florentinâ ſynodo.

Nec obſtat quòd Eugenius tradens hoc unionis decretum pro Jacobitis anno 1441. pridie Nonas Februarii, expreſſe aſſerat ſe illud tradere *in ſolemni Seſſione, ſacro approbante Oecumenico Concilio Florentino.* idem fermè dixerat de decreto pro Armenis. Hæc, inquam, non obſtant; eo etenim ſenſu iſta decreta Oecumenicæ Synodo tribuit Eugenius, quòd Patres Græci ante quorum diſceſſum Armeni advenerant, eorum de unione cum Eccleſiâ Romanâ voluntatem approbaſſent, ſanctique hujus operis curam & conſummationem ſummo Pontifici & Latinis Patribus cum eo Florentinæ in Synodo remanentibus reliquiſſent. Unde huic pro unione Armenorum decreto (idem dicendum de decreto pro Jacobitis) ſpiritu interfuiſſe dici poſſunt, & in eodem ſenſu aſſerere potuit Eugenius, ſe illud tradere decretum, *ſacro approbante concilio Oecumenico Florentino.* Aſt idem non ſequitur Oecumenicum fuiſſe Concilium Florentiæ poſt diſceſſum Græcorum celebratum: tunc enim Synodus Florentina non magis dici poteſt Oecumenica, quàm cum poſtea eadem Synodus Florentiâ Romam tranſlata, in Laterano continuata fuit ac Lateranenſis dicta: atqui Synodus Florentiâ Romam tranſlata & in Laterano celebrata eo temporis puncto Oecumenica certè non erat; ergo &c.

Reſp. 4. conſummatâ Græcorum, Armenorum & Jacobitarum cum Latinis unione, & Florentiâ Romam tranſlata Synodo 6. Kalend. Maji anno 1441, Legati Zaræ potentiſſimi Æthiopum Imperatoris, Presbyteri Joannis vulgò dicti, ad Eugenium acceſſêre anno 1442. poſtulantes ſuo omniumque Æthiopum nomine cum Eccleſiâ Romanâ unionem: hi abjuratis Jacobitarum erroribus, quibus erant impliciti, ac fidem catholicam profeſſi, ſolemni unionis ac fidei decreto recepti ſunt Decretum autem illud quod Eugenius tradidit Æthiopibus, non aliud fuiſſe exiſtimat Horatius Juſtinian. quàm decretum Jacobitarum, quorum erroribus erant addicti.

Paulò poſt, anno ſcilicet 1444. abdala Archiepiſcopus Edeſſæ Romam venit, tùm ſuo, tùm Ignatii Patriarchæ Syriorum atque totius Nationis ſuæ nomine, *humiliter & devote ab Eugenio ſummo Pontifice poſtulans ut ea fidei regula quam Eccleſia ſacro ſancta Romana profitetur, eis (Syriis) traderetur.* Selegit ſummus Pontifex quoſdam ex ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus alioſque peritiſſimos, qui cum prædicto Archiepiſcopo de difficultatibus, dubiis & erroribus illius Nationis conferrent; multiſque adhibitis diſputationibus & collocutionibus compertum fuit, Syrios in his tribus capitibus errare. 1. circa proceſſionem Spiritûs ſancti. 2. circa duas in Chriſto naturas. 3. circa duas in Chriſto voluntates & operationes. Verùm certis Scripturarum & ſanctorum Patrum teſtimoniis convictus præfatus Archiepiſcopus, abjuratis erroribus, fidemque catholicam Patriarchæ totiuſque Nationis Syriorum nomine profeſſus, ſpeciali unionis decreto recepti ſunt Syrii. Decretum illud promulgatum fuit pridiè Kalend. Octobris an. 1444, incipit his verbis, *Multa & admirabilia diebus noſtris &c.* Extat Tom. 13. Concil. Labb. pag. 1222. 1223. & ſeq.

Tandem poſt illos omnes advenère Chaldæi & Maronitæ in inſulâ Cypri habitantes populi, qui ſuos pariter poſt ejuratos errores (Neſtorium ſequebantur Chaldæi, Macario vero Monothelitarum ſtrenuo defenſori adhærebant Maronitæ) atque fidem catholicam humiliter amplexi, à ſummo Pontifice Eugenio in communionem ſimiliter admiſſi ſunt, dato ea de re decreto ſeptimo Nonas Auguſti an. 1445. quod ita incipit, *Benedictus Deus &c.*

Atque ita patet, opera & ſtudio Concilii quod primum Ferrariæ, deinde florentiæ celebratum fuit, ac demum Romam tranſlatum, Græcos, Armenos, Jacobitas, Æthiopes, Syrios, Chaldæos & Maronitas ad unitatem & communionem Eccleſiæ Romanæ feliciter adductos fuiſſe.

Reſp. 5. Græcos inter & Latinos ſancitam pacem diu non ſteriſſe, idque variis de cauſis. Prima cauſa fuit, Joannis Paleologi, quo præſente celebratum fuerat Concilium Florentinum, & Conſtantini, qui Joanni proximè ſucceſſerat, nimium erga res civiles ſtudium, quo factum eſt ut tenuè ac tepidè proceſſerint in urgendo unitatis negotio, ut ad optatum finem perduceretur. Ita Eugenius in Litteris quas ad Conſtantinum Imperatorem Joannis Paleologi fratrem direxit, quæ referuntur Tomo 13. Concil. Labbe pag. 1213. & ſequentibus: ita etiam Nicolaus V. in Epiſtolis quas ad eundem ſcripſit. Altera iterati Græcorum ſchiſmatis cauſa fuit, Marci Epheſini in ſchiſmate pertinaciſſimi contumacia: is cum obſtinatè noluiſſet ſynodi definitioni ſubſcribere, redux in Patriam ſcriptis adverſus factam Synodum variis Epiſtolis, Græcos ab unione & pactis in Concilio revocavit. Hinc exceptis Patribus Græcis qui Synodo Florentinæ adfuerunt, perpauci Græci Generale hoc Concilium receperunt. Tandem unionis firmitati obſtaculo fuère Turcæ, qui paucis poſt ſynodum Florentinam annis, Græcos in ſchiſma relapſos, juſtâ Dei ultione, & Imperio & libertate ſpoliârunt.

Quæritur ultimò, an Oecumenica cenſenda ſit Florentina Synodus.

Reſp. Florentinam Synodum Oecumenicam eſſe congregatione, convocatione & exitu (utque uno verbo omnia complectar) authoritate.

Probatur 1. legitimâ authoritate convocata fuit Synodus, nimirum Eugenii ſummi Pontificis decreto quod incipit, *Salvatoris* 29. Maji 1437. Hocce decreto appellat Eugenius aliud decretum ab Apoſtolicæ Sedis Legatis, & majori ac ſaniori Præſulum Baſileenſium parte Seſſione 25. editum quo Florentinam, pro futuri Concilii celebratione eligebant.

II. omnium orbis Chriſtiani provinciarum Epiſcopi, & quotquot de jure vel conſuetudine Conciliis Generalibus adeſſe poterant, per Litteras encyclicas ſummi Pontificis convocati ſunt, nullus excluſus.

III. Synodo præfuit Eugenius ſummus Pontifex, adfuère Conſtantinopolitanus Patriarcha, & Alexandrini, Antiocheni, Hieroſolymitani Patriarcharum Vicarii: ad eam ex omnibus chriſtiani orbis partibus quamplures Antiſtites atque Theologi, tùm Orientales tùm Occidentales concurrère: ei etiam interfuit Joannes Paleologus Græcorum Imperator: in ea quinque capita ad fidem pertinentia, ac præcipuè illud de proceſſione Spiritûs ſancti ex Filio, ſtudio curaque diligentiſſimâ ex Scripturæ ſacræ & ſanctorum Patrum authoritatibus expenſa ſunt; eique tandem præter unum

Marcum

Marcii Epheſinum omnes ſubſcripſere. Ex his facilè colligitur, Florentinam ſynodum Oecumenicam eſſe ac dici debere.

Enim vero ſynodus ad quam Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ Epiſcopi concurrunt; adſunt omnes Patriarchæ, Romanus Pontifex vel per ſe vel per Legatos præſidet, ſemper Oecumenica habita eſt. Ita ſynodum Oecumenicam quam in cauſa ſuæ hæreſeos congregari poſtulabant Pelagiani, S. Auguſtinus delineat Lib. 3. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 12. *Iſtorum*, inquit, *ſuperbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur.* Ita etiam S. Leo Epiſt. 49. ad Marcianum, & Epheſina ſynodus Actione 3. ubi latam in Neſtorium ſententiam eâ de causâ pro univerſalis Eccleſiæ judicio habendam eſſe aſſerit. Porro talis fuit Florentina ſynodus: huic adfuêre Græci Latinique Antiſtites, Eugenio Romano pontifice per ſe præſidente; omnes convocati Præſules, nullus excluſus; ergo &c.

IV. quæ in Concilio Florentino definita ſunt, œcumenicæ ſunt ac catholicæ fidei, ſeu dogmata ſunt quæ Eccleſia Catholica quovis ſæculo profeſſa eſt, ac nunc etiam ubique profitetur. Hinc Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. Tom. 8. diſſert. 10. art. 1. *Florentina Synodus*, inquit, *ratione dogmatum ab eâ finiterum, Oecumenica totius Eccleſiæ catholicæ conſenſu prædicatur.* Et rurſus paulò poſt: *Quin hoc ſenſu, ratione ſcilicet dogmatum, Florentina Synodus ſit univerſalis, nemini Catholicorum dubium eſt.. Enim vero cur Oecumenica & legitima non cenſeretur, cum ipſi conveniant characteres omnes quibus legitimam ſeu benè geſtam Synodum Gelaſius I. delineat &c.*

V. Eugenius celeberrimâ decretali, *Moyſes vir Dei*, ſacro approbante Florentino Concilio edita, Bulla *Pridem ex juſtis*, 1. Januarii 1438. ſolemni unionis decreto cui omnes Græci & latini præſules ſubſcripſère, & alibi ſæpe, Florentinam ſynodum veluti Oecumenicam prædicat. Ita etiam appellatur in ſolemni diplomate à Nicolao V. ad univerſos Chriſti Fideles directo, anno 1449. quarto decimo Kalend. Julii, poſt pacem ac communionem cum Felice & Lauſannenſibus initam.

Quin & Eugenius ſpeciali Conſtitutione hanc in rem unicè edita quinto Idus Aprilis anno 1438. expreſſe declarat, conſentientibus Imperatore, patriarchis totâque ſynodo, Concilium Florentinum vere eſſe & reputari debere Oecumenicum. *Determinamus & declaramus*, inquit, *accedente conſenſu dictorum Imperatoris & Patriarchæ, omniumque in præſenti exiſtentium ſynodo, ſacram eſſe univerſalem ſeu Oecumenicam ſynodum.....ſicque ab omnibus reputari debere.*

VI. Synodus ipſa Florentina ſe paſſim Oecumenicam inſcripſit: aſſerit ſe ſacram eſſe ac univerſalem ſynodum, non minus quam Concilium Baſileenſe ante translationem: denique definit ac declarat id ex quo tota pendet ſynodi Florentinæ authoritas & œcumenicitas, nempe translationem Concilii Baſileenſis Florentinam, legitimam eſſe, juſtam ac rationabilem. *Omnibus*, inquiunt Pătres Florentini in decreto quod incipit, *Ad laudem omnipotentis Dei*, quarto Idus Januarii anno 1438. *omnibus penſatis ac maturè diſcuſſis,....videlicet decima nona Seſſionis olim dicti Concilii Baſileenſis quod incipit*, Sicut pia mater. *cui ſanctiſſimus ipſe Eugenius aſſenſum per ſuas Litteras præbuit. Item quandam cedulam conventionalem ſuper electione loci pro Concilii Baſileenſis translatione facienda inter Patres, communi omnium aſſenſu firmatam ac concordatam, cujus vigore ad decretum vigeſimæ quintæ ſeſſionis olim dicti Concilii proceſſum eſt, quod ita exorditur*, Hæc ſancta ſynodus &c. *& quod conſtanter à Græcorum Oratoribus requiſitus ſanctiſſimus ipſe Pontifex, per ſuas Litteras in generali Conſiſtorio Bononiæ datas, oratoribus præſentibus, publicatas, confirmavit pariter & recipit. Item Litteras ejuſdem beatiſſimi Eugenii decimo quarto Kalendas Octobres proximè præteriti in generali Conſiſtorio Bononiæ publicatas, in exordioque hujus continuata ſynodi ſolemniter lectas, quibus Baſileenſe concilium de conſilio & aſſenſu Reverendiſſimorum Eccleſiæ Romanæ Cardinalium, prælatis etiam tunc in curia exiſtentibus & laudantibus ad civitatem Ferrarienſem tranſtulit. Item Litteras declarationis ejuſdem tertio Kalend. Januarii translationem prædictam proxime ſubſecutas, quæ omnia hæc ſancta ſynodus in Actis ejuſdem ad perpetuam rei memoriam de verbo ad verbum regiſtrari mandavit, prout in eiſdem Actibus continetur...His omnibus maturè diſcuſſis declarat ſynodus, translationem & declarationem prædictas fuiſſe & eſſe legitimas, juſtas & rationabiles, ac urgentiſſima neceſſitate ad tollendum impedimentum ſanctiſſimæ unionis Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ, atque etiam ad evitandum ſciſſuram in Eccleſia Dei jam imminentem, pro evidentique utilitate totius Reipublicæ chriſtianæ fuiſſe & eſſe factas; & conſequenter hanc ipſam ſanctam ſynodum ad ea omnia pro quibus dictum olim Baſileenſe Concilium ab initio fuerat inſtitutum, præſertim pro futuro Oecumenico concilio pro ipſa ſanctiſſima unione prædicta, in præſenti civitate in ſpiritu ſancto eſſe legitimè congregatam & ſtabilitam, continuationemque deinceps ac proſecutionem ad prædicta omnia debere habere, translationem ipſam cum declaratione, ut præmittitur, ſubſecuta, laudat, ſuſcipit & approbat.*

Prolixiorem hunc Concilii Florentini textum deſcribendum operæ pretium duximus, ex quo patet patres Florentinos non ſolùm declaraſſe, ſed & invictè demonſtraſſe translationem Baſileenſis concilii, majoris & ſanioris præſulum partis authoritate factam ſeſſ. 25. (conformiter ad ea quæ communi omnium aſſenſu firmata & concordata fuerant ſeſſ. 19.) & à ſummo pontifice ſæpius approbatam, juſtam eſſe ac legitimam. Porro certum eſt, nec diffiteri poſſunt adverſarii, quod ſi juſta fuerit concilii Baſileenſis Florentinam translatio, Oecumenica verè ſit ac dici debeat Florentina ſynodus; ſiquidem ante translationem, Baſileenſis erat Oecumenica: aliunde verò Florentinæ inſuper acceſſerint patriarchæ Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, ingensque præſulum Græcorum multitudo.

VII. in omnibus Conciliorum Generalium Collectionibus Concilium Florentinum ſuum locum obtinet, atque Oecumenicum ſimpliciter inſcribitur & appellatur. Ita in collect. Romanâ, Regiâ, Colonienſi an. 1551. Binii, Labbe, Harduini &c. Porro ſi Oecumenica non eſſet Florentina ſynodus, non ita conſtanter in omnibus conciliorum Generalium Collectionibus ſimpliciter & abſolutè univerſalis ac Oecumenica nuncuparetur.

VIII. ex communi uniuſcujuſque Nationis ac Scholæ Theologorum conſenſu. De Italis, Hiſpanis, Germanis, Belgis, res eſt per ſe certa: quod autem Gallos ſpectat, *Equidem*, inquit Natalis Alex. loco ſuprà laudato, *ſicut Nicæna ſecunda Synodus olim à Gallis inter Oecumenicas numerata non fuit Caroli Magni, Ludovici Pii, & Caroli Calvi temporibus, ob eam maximè rationem quod cultum ſoli Deo debitum ſacris imaginibus illam tribuiſſe putarent;*

rarent : ſed his tenebris diſcuſſis cum nempe conſtitit ipſam cultum duntaxat religioſum latriæ inferiorem decreviſſe, Gallicana Eccleſia in Conciliorum Oecumenicorum numerũ ipſam adſcribere non dubitavit: ita olim Galli.....cùm illa Concilii Florentini verba, quibus ſummus Pontifex, Poteſtatem regendi, paſcendi ac gubernandi univerſalem Eccleſiam *à Chriſto accepiſſe dicitur, ab Ultramontanis Theologis eò detorqueri viderent, ut authoritas pontificia ſupra univerſalem Eccleſiam, & Generale Concilium ipſam repræſentans extolleretur, hunc loquendi modum improbarunt; etſi de capite fidei, ſcilicet de primatu Romani Pontificis, non honoris tantum, ſed poteſtatis & juriſdictionis à Chriſto immediate inſtituto convenirent. Ideo litteraria contentionis fervore quandoque ſunt abrepti, ut Synodum Florentinam nec legitimam eſſe nec Oecumenicam dicerent; quod Lotharingo Cardinali accidit.......verum*, pergit idem author, *poſtquam attentâ magis conſideratione innotuit, Florentinum Concilium Synodorum Conſtantienſis & Baſileenſis ſacroſanctis decretis de ſupremâ Conciliorum Generalium authoritate non repugnare, ipſum & Galli plerique omnes Theologi, excuſſo ſcrupulo, Oecumenicum abſque heſitatione appellarunt.* Hactenus inſignis ille Theologus. In eundem fermè ſenſum loquitur illuſtriſſ. Boſſuet. defenſ. declarat. Cleri Gallic. Lib. 1. parte 1. cap. 2. & 3. quibus omnibus liquet, omnes paſſim Theologos etiam Gallos in eo jam conſentire ut aſſerant verè Oecumenicam eſſe Florentinam Synodum; etſi olim nonnulli è Gallis longe abfuerint ab agnoſcenda hujuſce Concilii œcumenicitate, & ut mox annotabat Natalis Alexander.

Nec mirum certè concordes eſſe Latinos Theologos in adſtruendâ authoritate & œcumenicitate Concilii Florentini, cum in eo etiam inſigniores è Græcis, ante iteratum ſchiſma, operam & ſtudium ſtrenuè collocarint. Ita præ cæteris Cardinalis Beſſario Archipræſul Nicænus in Epiſtolâ generali, Joſephus Methonenſis in reſponſione ad Marci Epheſini Libellum, Joannes Pluſiadenus in Dialogo de Synodo Florentina & plerique alii.

IX. idem evincitur ex variis momentis theologicis, quæ ex ante dictis facile eruuntur.

Primum ſic eſt: Synodus legitimâ authoritate convocata, cui præfuit Romanus Pontifex, adfuère Cardinales, omnes Patriarchæ, quamplures Orientis ac Occidentis Antiſtites, in qua ſummo ſtudio curâque diligentiſſimâ expenſa ſunt ac definita varia fidei capita, cujus denique definitiones Romanæ Sedis ac totius Eccleſiæ conſenſu & authoritate confirmatæ ſunt & acceptatæ; illa, inquam, Synodus vere eſt ac dici debet Oecumenica: ſi enim talis Concilii œcumenicitas in dubiũ adduceretur, jam actum eſſet de authoritate & Oecumenicitate omnium prorſus Conciliorum Generalium: atqui talem quoad ſingula puncta fuiſſe Synodum Florentinam, ex Actis Concilii huc uſque demonſtravimus; ergo &c.

Secundum ſic proponitur: Concilii Oecumenici translatio juſtâ de causâ nihil illius œcumenicitati detrahit: ſed Concilium Baſileenſe erat Oecumenicum, iſtud evicimus ubi de illâ Synodo: legitimâ authoritate, juſtâ de causâ facta fuit illius translatio, conſtat ex mox dictis, & ex dicendis amplius conſtabit; ergo &c.

Tertium ex eo deducimt, quòd vana omnino ſint & infirma quæ objiciuntur ad elevandam Synodi Florentinæ authoritatem & œcumenicitatem: quod quidem clarè patebit adverſariorum objectiones ſigillatim proponendo & refellendo.

Objicitur 1. Non potuit Eugenius Baſileenſe Concilium diſſolvere vel transferre: namque Seſſ. 8. & 11. ab ipſo Eugenio approbatis & confirmatis ſtatutum fuerat, a nemine, etiamſi papalis eſſet dignitatis, aliam Synodum Oecumenicam convocari poſſe ſtante Baſileenſi, atque Baſileenſe Concilium non poſſe diſſolvi aut alio transferri. Sic habet decretum Seſſionis 8. *Hæc ſancta Synodus omnes Chriſti Fideles, cujuſcunque ſtatus aut dignitatis, etiamſi papalis, imperialis, vel regalis exiſtant, ſub obteſtatione divini judicii.......& ſub pœnis contra Schiſmaticos à jure inflictis diſtrictè præcipit atque mandat, ne hoc ſacro durante Concilio, aliam Congregationem ſub nomine Generalis Concilii, quæ revera non eſſet Concilium, facere aut congregare.....præſumant.* Seſſione verò 11. ſic legitur: *Sancta Synodus ſtatuit ex certis rationabilibus cauſis, ut præſens Baſileenſe Concilium per neminem, etiamſi papalis fuerit dignitatis, diſſolvi, aut de loco ad locum mutari poſſit.* Duo illa decreta ab Eugenio approbata & confirmata fuère ſolemni Conſtitutione, *Dudum ſacrum.* quá primam concilii diſſolutionem à ſe factam revocavit; quæ Conſtitutio Seſſione 16. approbata fuit promulgata & geſtis inſerta. Ex his colligunt adverſarii, Synodum Baſileenſem ab Eugenio diſſolvi, ac Ferrariam transferri non potuiſſe; proindeque Ferrarienſem ac poſtmodum Florentinam Synodum Oecumenicam non eſſe.

Ad illud argumentum quod achillæum eſt adverſariorum, multiplex occurrit reſponſio. Itaque.

Reſp. 1. à vigeſimâ quintâ Seſſione, ſynodum Baſileenſem duas in partes ſciſſam, ſufficienter Eccleſiam non repræſentaſſe, ideoque tunc temporis ſynodus Baſileæ remanens, deſiit eſſe Oecumenica. Unde Chriſtiani plerique Principes edita deinceps ab ipſâ adverſus Eugenium decreta improbarunt, & inter alios Rex Chriſtianiſſimus Carolus VII. & Sigiſmundus Auguſtus, ut refert Auguſtinus Patricius: vide quæ ſupra diximus ubi de concilio Baſileenſi. Juxta hanc reſponſionem, Synodum Oecumenicam Baſileenſem non diſſolvit Eugenius; ſed ipſam propriâ ſuâ in duas partes ſeiſſione ac diviſione diſſolutam, Ferrariam tranſtulit.

Reſp. 2. Concilium Baſileenſe ab Eugenio Ferrariam translatum fuiſſe de conſenſu majoris & ſanioris partis Præſulum Baſileenſium. Scilicet ſeſſ. 25. exortâ inter Patres diſſentione de loco futuri Concilii pro Græcorum unione procurandâ, duo contraria decreta edita ſunt: unum à Cardinalibus ſanctæ Sabinæ & ſancti Petri ad vincula, Sedis Apoſtolicæ Legatis, Concilii præſidibus, & quamplurimis aliis Præſulibus illis adhærentibus, quo Florentia & Utinum nominata ſunt, loca Græcis & Romano Pontifici commoda, ſecundum pacta cum ipſis Græcis conventa & à totâ ſynodo Seſſione 19. approbata. Pars altera ſynodi, quæ numero Sacerdotum ſecundi ordinis prævalebat, at longè inferior numero Epiſcoporum, Avenionem, Baſileam vel Sabaudiam elegit ac ſtatuit. In hâc ſententiarum diſcordia decretum electionis Florentiæ vel Utini, juxta pacta conventa, authoribus Legatis Apoſtolicis, & ſaniori & multò majori Antiſtitum parte editum, pro ſuo jure meritò ratum habuit ac confirmavit Eugenius ſummus Pontifex diplomate quod incipit, *Salvatoris.* dato Bononiæ quarto Kalend. Junii an. 1437.

Reſp. 3. Concilium Baſileenſe non generaliter & abſolutè quamcunque Synodi translationem prohibuiſſe, ſed eam duntaxat quæ abſque gravi neceſſitate & ſine juſtis ac legitimis cauſis fieret. Iſta conſtant ex ſeſſ. 19. in quâ ſic loquuntur Patres: *Sancta Synodus.......omnia ſuppoſita hujus ſacri Concilii obteſtatur, ut ante completam reformatio-*

nem-

nem in capite & in membris, quatenus rationabilius fieri poterit, nullatenus diſſolutioni conſenſum præſtent, nec loci permutationem fieri permittant, niſi ex juſtis cauſis & manifeſtis. Porrò quam juſtæ eſſent ac manifeſtæ hujus tranſlationis cauſæ, quam evidens illarum æquitas ac neceſſitas, liquet ex his quæ dicta ſunt, & ex Eugenii diplomate quod incipit, *Doctoris gentium.* quo univerſis Chriſti Fidelibus cauſas illas aperit ac proponit. *Cum*, inquit, *Legati ac Præſidentes prædicti* (Cardinales ſanctæ Sabinæ & ſancti Petri ad vincula) *aliique ex Prælatis plurimi, & omnes fermè Regum Principumque Oratores, Procuratores Prælatorum, Theologique ac Doctores habendam eſſe rationem honoris ac dignitatis Occidentalis Eccleſiæ, ea ſtudioſe ſervanda quæ Græcis fuerant promiſſa cenſentes, eccleſiaſticæque pacis ac unitatis cupientiſſimi, & ſaniorem ipſius Concilii partem facientes, ad quos etiam jus eligendi devolutum; eum partem nihilominus ante ſæpe requiſiſſent ut ad alterius loci electionem intenderet, alioquin proteſtantes ſe iſta amplius ſine gravi offenſa Dei & ipſius Eccleſiæ inſigni notâ diſſimulare non poſſe; poſtquam minimè exauditi erant, ad electionem loci, Florentiæ ſcilicet aut Utini........ canonicè legitimeque proceſſerunt......Nos autem hæc omnia attentius conſiderantes, conſpicientesque rem eò deveniſſe, ut prædictos Oratores neceſſario exaudire cogeremur, nec ſupereſſe modum alium proſequendi operis tam pii, & ſervandi Eccleſiæ Latinæ honoris, de prædicto venerabilium Fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, ipſorum petitis annuimus, nominationemque factam de Florentia aut Utino...... admiſimus & confirmavimus.* Potuit itaque Eugenius IV. ob tantum bonum, unionem ſcilicet utriuſque Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis, cujus tam certa ſpes affulgebat, Concilium Ferrariam vel Florentiam transferre, civitates Græcis ſibique commodas.

Eandem reſponſionem nobis ſuppeditat Concilium Ferrarienſe decreto quod incipit, *Ad laudem.* dato in ſolemni Seſſione an. 438. quarto Idus Januarii, ubi poſt recitatas mox tranſlationis cauſas, ſic loquitur Synodus: *Declarat hæc ſancta Synodus quòd cum notoria neceſſitas & evidens utilitas ſupradictarum cauſarum ipſum ſanctiſſimum Dominũ ad tranſlationem ipſam exegerit & impulerit, ſub decreto octavæ & undecimæ vel cujuſcunque alterius Seſſionis dicti olim Baſileenſis Concilii, nullatenus non includi, decernitque Congregationem illam Baſileæ, & omnem aliam quæ ibi vel alibi ſub nomine Generalis Concilii forſitan convenerit, illegitimam potius & reprobam cumulationem & conventiculum eſſe cenſendam & cenſeri deberi, nullaque authoritate Generalis Concilii poſſe ſubſiſtere.*

Ex dictis liquet juſtam ac legitimam fuiſſe Concilii Baſileenſis tranſlationem. Ad hoc enim duo tantum requiruntur, poteſtas legitima, & cauſa gravis; atqui utraque hic intervenit. Ac 1. quidem poteſtas legitima, nempe decretum à majori & ſaniori Præſulum Baſileenſium parte editum conformiter ad pacta Seſſ. 19. unanimiter conventa; quod quidem decretum approbavit & confirmavit Eugenius IV. ſolemni diplomate, *Salvatoris.* 2. gravis & urgens neceſſitas, nimirum optatiſſima Græcorum unio quæ aliter perfici ac conſumari non poterat: hi enim nullum alium pro Concilio celebrando locum admittebant, præter Florentiam, Utinum, aliaque in pactis conventis deſignata, & quò Papa conferre ſe poſſet & vellet: ut teſtantur mox laudati Patres Ferrarienſes, Eugenius IV. Auguſtinus Patricius in Hiſt. cap. 54. & 55. & ipſemet etiam Sguropolus in Hiſtor. Concilii Florentini Sect. 2. cap. 23. & 25. Ergo &c.

Atque hinc patet reſponſio ad illud aliud argumentum quòd hic nonnulli opponunt ad elevandam Synodi Florentinæ œcumenicitatem. Nempe, inquiunt, habitum eſt Concilium Florentinum repugnante Concilio Oecumenico, ſcilicet Baſileenſi quod tunc habebatur: non ergo Oecumenica eſt Synodus Florentina; duo enim Concilia Oecumenica ſimul diverſis in locis celebrari non poſſunt: ſiquidem, ut ajunt Patres Baſileenſes, *ſicut unica eſt ſancta catholica Eccleſia, ſic eſſe non poteſt niſi unicum Generale Concilium.* Facile, inquam, patet reſponſio: etenim ex quo cœpit celebrari Synodus Ferrarienſis, Concilium Baſileenſe duas in partes ſciſſum deſiit eſſe Oecumenicum: & vero juſta fuit ac legitima, ut mox dictum fuit ac probatum, Concilii Baſileenſis Florentiam tranſlatio; ergo &c.

Objicitur 2. Ex toto Occidente nulli præter Italos, exceptis Oratoribus Ducis Burgundiæ, adfuerunt Synodo Florentinæ; ergo &c.

Reſpondeo Synodum Florentinam ex Epiſcopis Orientis & Occidentis congregatam fuiſſe à Romano Pontifice Eugenio IV. qui ipſi præfuit: adfuère quatuor Orientis Patriarchæ per ſe vel per alios; plerique Cardinales, Græci Latinique Antiſtites non pauci: omnium orbis Chriſtiani Provinciarum Præſules, per encyclicas ſummi Pontificis Litteras convocati, nullus excluſus: merito ergo Synodus Florentina Oecumenica dici poteſt ac debet. Neque ut Synodus aliqua Oecumenicis accenſeatur, neceſſe eſt ut omnes adſint omnium chriſtiani orbis Provinciarum Epiſcopi, ſed ſufficit ut vocati fuerint, & eo ſint numero qui univerſalem Eccleſiam repræſentent; porro ita res ſe habet in Concilio; ergo &c.

Et verò in pleriſque Conciliis in Oriente celebratis, quæ totius Eccleſiæ conſenſu & approbatione veluti Oecumenica prædicantur, certum eſt duos aut tres duntaxat Epiſcopos Occidentalis Eccleſiæ adfuiſſe; ergo cum multò plures adfuerint Epiſcopi Synodo Florentinæ, non eſt profecto ex hâc parte curè numero Conciliorum Oecumenicorum excludatur.

His adde, aliquos Eccleſiæ Gallicanæ Præſules Synodo Florentinæ adfuiſſe; eſto ex Provinciis ad Chriſtianiſſimi Regis ditionem nondum redactis, ipſi tamen ut Domino principali jure feudi obnoxiis; Joannes Epiſcopus Murinenſis & Joannes Epiſcopus Nivernenſis; Petrus Epiſcopus Dienenſis; Andreas Conſeranenſis; Zanonus Epiſcopus Bajocenſis, & alii quorum ſubſcriptiones Acta exhibent.

Objicitur 3. Germani Concilium Baſileenſe ut Oecumenicum habebant; neutralitatem obſervabant inter Eugenium & Felicem: tandem Eugenio obſequium præſtiterunt, ſed ab ipſis, ſicut nec à Patribus Lauſanenſibus, cum poſtmodum ad obedientiam rediêre, petita eſt Concilii Florentini receptio; ergo ſynodus Florentina tunc temporis non habebatur ut Oecumenica.

Reſp. 1. quæ hic objiciuntur ſibi invicem adverſari: ſiquidem nemo non videt Germanos Concilium Baſileenſe non perpetuò agnoviſſe ut Oecumenicum, ſi neutralitatem obſervaverint Eugenium inter & Felicem. Cùm enim à Patribus Baſileenſibus lata fuerit Seſſ. 34. depoſitionis ſententia in Eugenium IV. tanquam *notorium & manifeſtum contumacem, mandatis univerſalis Eccleſiæ inobedientem, pacis & unitatis Eccleſiæ perturbatorem, ſchiſmaticum, hæreticum:* Seſſione verò 39. electus ſit in ſummum Pontificem Amedeus ſub

nomine Felicis V. & Seſſ. 40. juſſum *Chriſti Fidelibus univerſis, ut ipſi obedientiam præſtarent*; quomodo ergo dici poteſt Synodum Baſileenſem veluti Oecumenicam ab iis habitam fuiſſe, qui ipſi in re adeò gravi reluctabantur, obedientiam Felici detrectando, quales erant Germani neutralitati adhærentes?

Reſp. 2. ſedulò varias hic diſtinguendas eſſe Synodi Baſileenſis epochas. Prima, ab initio Synodi ad 25. uſque Seſſionem celebratam Nonis Maji 1437. Altera, à 25. ad 45. habitam decimo ſeptimo Kalend. Junii an. 1443. quo tempore Lauſannam Provinciæ Biſuntinæ urbem Concilium Baſileenſe translatum fuit. Tertia demùm ab illâ translatione ad pacem uſque initam anno 1449. cùm ſcilicet Felix & Lauſannenſes Patres Nicolaũ V. Eugenii ſucceſſorem velut legitimum Romanum Pontificem venerati ſunt, ipſique obedientiam promiſerunt, decretis menſe Aprili an. 1449. editis, *Summoperè deſiderantes*, &c, *Multis ab annis*.

Equidem Germani Synodum Baſileenſem pro Oecumenicâ habuêre ad 25. uſque Seſſionem; non autem ſubſequentibus Seſſionibus, in quibus Baſileenſes Eugenium in jus vocare ipſumque deponere attentarunt: ſiquidem refert Auguſtinus Patricius Hiſt. Baſil. cap. 60. & 61. Sigiſmundum Auguſtum, qui huc uſque Concilio impensè faverat, Electores aliosque Imperii Principes, Seſſionum 26. 27. 28. &c. decreta adverſus Eugenium edita, vehementer improbaſſe: porrò Synodus Ferrarienſis nonniſi poſt Seſſ. 25. celebrata eſt; ergo &c.

Reſp. 3. quod ſpectat Germanorum neutralitatem, de eâ ſic loquitur citatus mox Patricius cap. 73. *Convenerunt Francofordiæ Electores Imperii poſt mortem Sigiſmundi Cæſaris ad novum Cæſarem ſubrogandum: qui cùm varia in dies Edicta Romani Pontificis & Baſileenſium cernerent, communi conſenſu 15. Kalend. Aprilis ejuſdem anni* 1438. *ſtatuunt ſe, provincialeſque omnia decreta alterius partis contra alteram partem non ſuſcipere, venerarique & Eugenium ſummum Pontificem, & Concilium Baſileenſe, velleque uſque ad ſextum menſem deliberare cujus partis ſit adhærendum. Interea tamen proteſtari ſe non diſcedere ab obedientiâ & reverentiâ Sedis Apoſtolicæ, Prælatos autem Eccleſiarum populos ſibi commiſſos jure ordinario gubernaturos. Hoc principium fuit neutralitatis Germanicæ, quæ prætextu concordiæ per ſex menſes inſtituta, ſupra ſex annos perduravit, ab Eugenio & Baſileenſibus reprobata. Nemini enim parebant cùm cenſura imponebantur.* Ex his patet Germanorum neutralitatem à Baſileenſibus & Eugenio IV. perinde fuiſſe reprobatam: atque adeò ex illa neutralitate ſic ab omnibus exploſa perperam omnino conantur evincere adverſarii, Ferrarienſem ac poſtmodum Florentinam Synodum non fuiſſe Oecumenicam. Certè neutralitas illa Germanica non magis poteſt nocere œcumenicitati Concilii Florentini, quàm œcumenicitati Synodi Baſileenſis: atqui nonnulli ex adverſariis, non obſtante prædicta neutralitate, contendunt Synodum Baſileenſem, etiam poſt tranſlationem Seſſione 25. factam, fuiſſe Oecumenicam; ergo &c.

Ad id quod ſubjungitur, nec à Germanis aut Patribus Lauſannenſibus, cùm ſubinde ad obedientiam Eugenii IV. ipſiuſque ſucceſſoris Nicolai V. rediêre, poſtulatam fuiſſe Synodi Florentinæ receptionem: reſpondeo, exinde nullatenus ſequi Synodum Florentinam non fuiſſe Oecumenicam; ſed duntaxat ipſius œcumenicitatem non fuiſſe adeò certam & exploratam, ut ab omnibus neceſſariò agnoſcenda eſſet & profitenda, ut quis in communionem Eccleſiæ reciperetur: quæ duo ſanè valdè diverſa ſunt; nec unum ex altero legitimè inferri poteſt.

Et verò aliquamdiu à Gallis dubitatum eſt de œcumenicitate Nicœnæ II. Synodi, quòd ſcilicet cultum ſoli Deo proprium ſacris imaginibus ipſam tribuiſſe putarent: an exinde liceret inferre Oecumenicam non eſſe Synodum illam? minimè profectò. Imò tenebris diſcuſſis, cùm nempe conſtitit prædictâ Synodo, nonniſi cultum religioſum latriâ inferiorem imaginibus decretum fuiſſe, ipſam Eccleſia Gallicana Conciliis Oecumenicis annumerare non dubitavit: ita dicendum impræſentiarum de Synodo Florentinâ, cujus œcumenicitatem olim Germani, Lauſannenſes, & nonnulli ex Gallis in dubium revocarunt.

Adde quòd cùm certum fuiſſet ac exploratum, Germanos, Lauſannenſes &c. univerſa fidei capita à Concilio Florentino definita, agnoſcere ac profiteri; non mirum ſi ab ipſis poſtulatum non fuerit, ut hujuſce Concilii, cujus fidem conſtanter tenebant, œcumenicitatem agnoſcerent.

Objicitur 4. Cardinalis à Lotharingiâ an. 1563. menſe Januario in Commonitorio ad Bertonem Secretarium ſuum, rebuſque ſuis in Romana Curia gerendis præpoſitum dato, ut cum ſummo Pontifice communicaretur, diſertis verbis aſſerit, *totam Galliam in Concilii Conſtantienſis, ut Oecumenici, decreta omnia conſentire, Baſileenſem ſequi, Florentinam neque Oecumenicam, neque legitimam habere; certùmque Gallos mortẽ pati potius quam ſe ab eâ ſententiâ dimoveri ſinant.* Ergo Florentina Synodus olim à Gallis inter Oecumenicas numerata non fuit.

Reſp. cum Natali Alexandro loco antea citata: *Hæc de Florentinâ Synodo magni Cardinalis verba, Gallicanis Theologis neceſſitatem non imponere eam pariter ex Conciliorum Generalium numero expungendi, cùm reverà Gallicana Eccleſia Florentinæ Synodo unſquam interceſſerit, nec Græcorum unionem, & definitioni fidei in eâ editæ adverſata ſit, imò eam definitionem ſit perpetuè venerata.* Affert ibidem præfatus author exemplum quo mox uſi ſumus, Nicænæ ſcilicet ſecundæ Synodi, cujus œcumenicitatem Eccleſia Gallicana jam agnoſcit, licet de eâ olim dubitaverit. *Equidem*, inquit, *ſicut Nicæna II. Synodus olim à Gallis inter Oecumenicas numerata non fuit, Caroli Magni, Ludovici Pii & Caroli Calvi temporibus, quod ſcilicet cultum ſoli Deo debitum ſacris imaginibus illam tribuiſſe putarent: ſed his tenebris diſcuſſis..... ipſam Gallicana Eccleſia in Conciliorum Oecumenicorum numerum adſcribere non dubitavit: ita olim Galli... litterariæ contentionis fervore quandoque ſunt abrepti, ut Synodum Florentinam nec legitimam eſſe nec Oecumenicam dicerent..... Verùm poſtquam attentâ magis conſideratione innotuit, Florentinum Concilium Synodorum Conſtantienſis & Baſileenſis ſacroſanctis decretis de ſupremâ Conciliorum Generalium authoritate non repugnare, ipſum & Galli plerique omnes Theologi, excuſſo ſcrupulo, Oecumenicum abſque heſitatione appellarunt.* Hactenus Natalis Alexander.

Ex quibus liquet, Cardinalem Lotharingum alioſque nonnullos è Gallis Synodum Florentinam inter Oecumenica Concilia non numeraſſe, eo falſo imbuti præjudicio, quòd ſcilicet decreto Florentino quo ſtatuitur, *Romano Pontifici regendi univerſalem Eccleſiam poteſtatem à Chriſto eſſe traditam*, convelli Conſtantienſis Concilii decreta, ac pontificiam ſupra Concilium ſuperioritatem definiri perperam exiſtimarent: verùm cùm jam conſtet

eâ in Synodo, uti antea probavimus, quæſtionem hanc intactam indeciſamque relictam fuiſſe, nec decreta Florentina Conſtantientibus repugnent, non eſt certè cur Synodus illa, etiam à Gallis, inter Concilia Oecumenica non recenſeretur. Reſponſionem hanc innuit illuſtriſſ. Boſſuet. in defenſ. declarat. Cleri Gallic. parte 1. Lib. 1. cap. 2. ubi advertit eundem Cardinalem Lotharingum obſtitiſſe ne in decretis Concilii Tridentini apponeretur, *inesse poteſtatem ſummo Pontifici regendi Eccleſiam universalem*, cùm illa verba viderentur officere ſententiæ neganti eum eſſe ſuperiorem Concilio; ac proinde loco, *Eccleſiam universalem*, ponendum eſſe, *omnes Fideles & omnes Eccleſias*, quæ ſententia prævaluit. *Neque tamen*, ſubdit ibid. doctiſſimus Præſul, *noſtri ignorabant ea verba a Concilio Florentino, Græcis quoque approbantibus, in decreto unionis eſſe edita, atque optimo ſenſu, neque ipſis repugnante intelligi poſſe, Sed cùm in diverſam ſententiam ab adverſariis ea verba traherentur, noſtri Epiſcopi & Theologi ſummo conſenſu vehementiſſime refugiebant, adeò verebantur ne vel ambiguis verbis ab antiquâ atque animis penitus infixa doctrina recedere viderentur.*

Unum addo ex commonitorio illo, ſeu potius privatâ prædicti Cardinalis ad ſuum Secretarium Epiſtolâ, neutiquam colligi poſſe quænam fuerit eâ de re Eccleſiæ Gallicanæ ſententia; tùm quia acri admodum ſtylo exarata fuit, illius tituli occaſione quem Apoſtolici Legati & Itali Præſules in Seſſionis 23. Tridentinæ Canone de Romani Pontificis authoritate octavum meditabantur, ut *Rector universalis Eccleſia diceretur*: ut ſcilicet prædicta Epiſtola occultè communicaretur Apoſtolicis Legatis & Italis Præſulibus, atque ita deterrerentur à ſuo propoſito circa titulum de quo mox; tùm quia eâ in Epiſtolâ plura ſunt duriora certè, quæque à mente & doctrinâ Cleri Gallicani longè abſunt, ut eſt inter cætera illud quod ibidem legitur, *tanquam Hæreticos notari, qui ſentiunt Concilii authoritatem pontificiâ ſuperiorem non eſſe.* At iſta hæreſeos nota neganti ſententiæ impacta, Gallicanæ doctrinæ adverſatur, ut ex ipſamet Cleri Gallicani Declaratione an. 1682. manifeſtè colligitur: idque variis in locis citati mox operis disertè affirmat illuſt. Boſſuetius, præſertim verò parte 2. Lib. 10. cap. 19. his verbis: *At Clerus Gallicanus hanc ſententiæ* (de ſupremâ etiam in ſummum Pontificem Concilii authoritate) *adverſantes, neque perduelles, neque contumaces reputat, priſcamque ſententiam retinere & declarare contentus, ab omni non modo anathemate, verùm etiam cenſurâ temperavit, tantamque rem Eccleſiæ catholicæ judicio reſervavit.* Et turſus parte 1. Lib. 1. cap. 3. refert ex Palavicino, Epiſcopos Gallicanos in Concilio Tridentino nihil quidquam amplius flagitaſſe, quàm ut utraque ſententia, ſive affirmans ſive negans ſuperioritatem Concilii ſupra Pontificem, intacta illæſaque relinqueretur, *ut quemadmodum veritas, ita etiam pax & charitas in Eccleſiâ catholica coleretur.* Poſtea autem ſubdit: *Quæ quidem ſecuti eorum ſucceſſores in hac poſtremâ declaratione, ſimul & avitam ſententiam Eccleſiæ catholicæ, ac ut quid jam dicamus amplius, utilem defenderunt, & ab omni prorſus cenſurâ temperarunt.*

Objicitur 5. Carolus VII. in Conventu Bituricenſi negat ſe Congregationem Ferrarienſem pro Concilio habuiſſe aut habere; prohibuitque ne quis è ſuis Prælatis eò ſe conferret; ergo &c.

Reſp. Ex dictis patere ſolutionem: ſcilicet exinde hoc unum inferri poteſt, olim Gallos Florentinam Synodum inter Oecumenica Concilia non numeraſſe: verùm poſtmodum diſcuſſis tenebris agnitâque veritate, eam ſummo conſenſu Conciliis Oecumenicis accenſere non dubitarunt. *Gallicanis equidem Præſulibus*, inquit mox laudatus Alexander, *à Chriſtianiſſimo Rege prohibitis, Ferrariam ac Florentiam proficiſci non licuit, ſicut nec ad ſecundam Synodum Nicænam proficiſci ipſis permiſerat Carolus Magnus: ſed illis capitibus fidei definiendis ac declarandis, & utriuſque Eccleſiæ unioni ſanciendæ, ſpiritu & conſenſione adfuêrunt.*

De Synodo Lateranenſi V.

Synodus Lateranenſis V. habita fuit die 10. Maji an. 1512. Romæ ſedente Julio II. & in Germaniâ imperante Maximiliano. Quatuor primis Seſ- Tempus.
ſionibus præfuit Julius Romanus Pontifex; quintæ Præſes.
Raphael Cardinalis Oſtienſis, Julio lethali ægritudine decumbente; cæteris Seſſionibus ſeptem ſequentibus præfuit Leo X. recenter electus. Adfuêrunt centum & quatuordecim Epiſcopi ex variis orbis Chriſtiani Provinciis; Cardinales 18. Patriarchæ Orientales duo, Alexandrinus videlicet & Antiochenus, aliique quamplures Prælati, Abbates, Doctores, Principum Oratores & Ordinum Generales, inter quos eminet Thomas de Vio Cajetanus, Ordinis Prædicatorum Generalis, poſtea ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis.

Varias convocandæ Synodi cauſas aperit Julius Cauſæ.
II. in bullâ indictionis Concilii quæ prima Seſſione lecta fuit.

Prima ac potiſſima cauſa fuit imminentis ſchiſmatis extinctio. Scilicet infauſto diſſidio fervente, belloque Julium II. inter & Chriſtianiſſimum Regem Ludovicum XII. flagrante, tres Cardinales Bernardinus Carvaïal, titulo ſanctæ Crucis, Hiſpanus; Franciſcus Borgia, titulo ſanctæ Cæciliæ, Archiepiſcopus Conſentinus, pariter Hiſpanus; Renatus de Pria, titulo ſanctæ Sabinæ, Epiſcopus Bajocenſis, cum ſex aliis quos tres illi nominant in Litteris convocationis, Maximiliani Imperatoris & Ludovici XII. Galliarum Regis authoritate freti, Concilium Oecumenicum (ut ajebant) Piſis celebrandum indixêrunt Kalend. Sept. 1511. Jus convocandi Concilii ad ſe devolutum contendebant prædicti Cardinales, ob negligentiam Julii ſummi Pontificis; cùm ipſe promiſiſſet, voviſſet ac juraſſet inter alia capitula, *Generale Concilium intra biennium à creatione ſuâ indicere &c.* quod niſi faceret, ex tunc concedebat *facultatem & poteſtatem duabus partibus ſacri Collegii congregandi Concilium Generale.* Hæc dolens cùm cerneret Julius, ut naſcenti ſchiſmatis malo citiùs mederetur, Concilium Laterano celebrandum indixit eodem anno 1511.

Altera convocationis Concilii cauſa fuit morum reformatio; pax inter Chriſtianos Principes ineunda, & ſacra expeditio in Turcas promovenda.

Duodecim omnino Seſſionibus abſoluta fuit Synodus Lateranenſis, & integris fermè quinque annis perduravit; ſcilicet à die 10. Maji an. 1512. ad diem uſque 13. Martii an. 1517.

Primâ Seſſione die 10. Maji celebratâ, poſt Julii II. ſermonem ad Patres habitum, lectum eſt diploma indictionis Concilii ad ſchiſmatis extinctionem, Eccleſiæ reformationem, Chriſtianorum Principum pacem & concordiam, expeditionem contra Turcas promovendam.

Secundâ & tertiâ Seſſione Piſana Synodus omniaque ejus Acta pontificio diplomate in irritum miſſa ſunt, *ſacro approbante Lateranenſi Concilio.*

Quartâ Seſſione lecta fuit Bulla, quâ fertur abro-

gatio

gatio Pragmaticæ Sanctionis, omniaque in Concilio Piſano ejus occaſione geſta reſcinduntur.

Quintâ Seſſione die 16. Februarii an. 1513. celebrata, promulgatum fuit & approbatum pontificium diploma Julii II. quo ſimoniaca pravitas in Romani Pontificis electione damnatur; electio quæ ſimoniacè fieret irrita & nulla declaratur; Cardinales ſic eligentes, & quicunque conſilio vel auxilio electionem illam promoviſſent, pœnis Canonicis ſubjiciuntur.

Huic Seſſioni, Julio II. graviter decumbente, præfuit Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis: quatriduo poſt obiit Julius II. & 11. Martii ejuſdem anni ei canonicè ſubrogatus eſt Cardinalis de Medicis, qui Leonis nomine aſſumpto, dictus eſt Leo X. & Concilii continuationem ad 27. aprilis diem promulgari mandavit.

Sextâ Seſſione, Præſide ipſo recens electo Leone X. deputati ſunt 24. Prælati cum ſelectis Cardinalibus tres in claſſes diſtributi, quarum una de pace univerſali inter Reges & Principes Chriſtianos componendâ: altera, de generali reformatione, etiam Curiæ Romanæ: tertia, de diſcuſſione & abrogatione Pragmaticæ Sanctionis, & rebus orthodoxam fidem ſpectantibus ſpecialiter ageret.

Septimâ Seſſione, Bernardinus Carvaïal & Fredericus de ſancto Severino olim ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſupplices libellos obtulerunt, quibus de ſuſcitato ſchiſmate veniam ſibi indulgeri miſericorditer poſtulabant: atque paulò poſt ſimplici clericali habitu induti & ad pedes ſummi Pontificis provoluti, ejurato priùs ſolemniter ſchiſmate ſub formulâ ſibi à Leone X. præſcriptâ, in priſtinam reſtituti ſunt dignitatem.

Seſſione octavâ cui interfuerunt Oratores Regis Galliæ, lecta fuit per Archiepiſcopum Gneſnenſem Polonum, Conſtitutio de fide animæ humanæ ſub hac forma: *Cùm diebus noſtris nonnulli auſi ſint dicere de naturâ animæ rationalis, quòd mortalis ſit, aut unica in cunctis hominibus..... ſacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectivam mortalem eſſe, aut unicam in cunctis hominibus.*

Seſſione nona celebrata die 5. Maji anno 1514. lecta fuit & confirmata Concilii Lateranenſis IV. Conſtitutio de reformatione Curiæ Romanæ. In eadem Seſſione circa Beneficiatos officium non recitantes ſtatuerunt Patres, *Ut qualibet habens Beneficium cum curâ vel ſine curâ, ſi poſt ſex menſes ab obtento Beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, Beneficiorum ſuorum fructus ſuos non faciat, pro ratâ omiſſionis recitationis officii & temporis, ſed eos tanquam injuſtè perceptos, in fabricas hujuſmodi Beneficiorum vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Si verò ultra dictum tempus in ſimili negligentiâ contumaciter permanſerit, legitimâ monitione præcedente, Beneficio ipſo privetur, cùm propter officium detur Beneficium.*

Seſſione 10. die 4. Maji an. 1515. celebrata, triplex promulgata fuit Leonis X. Conſtitutio. Prima quæ incipit, *Inter multiplices*, declaratur ac definitur, ſacro approbante Concilio, *Montes pietatis*, per Reſpublicas inſtitutos & authoritate Sedis Apoſtolicæ hactenus probatos & confirmatos, *in quibus pro eorum impenſis & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas & aliarum rerum ad illorum conſervationem pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat, ultra ſortem, abſque lucro eorundem Montium accipitur, neque ſpeciem mali præferre..... neque ullo pacto improbari; quinimò meritorium eſſe, & laudari ac probari debere tale mutuum, & minimè uſurarium putari.* Altera Conſtitutione quæ incipit, *Inter ſollicitudines*. item ſacro approbante Concilio, ſub anathemate prohibetur ne ullus typis mandetur liber, niſi ab Ordinario & hæreticæ pravitatis Inquiſitore examinatus & approbatus fuerit. Tertia tandem, cujus initium, *Cùm inter*. pro ultimo & peremptorio termino monentur Pragmaticæ Sanctionis defenſores, ut ante Kalendas Octobris proximè futuri, coram ſacro Concilio præſentes ſe ſiſtant.

Contin. Præl. Theol. H. Tournely.

Seſſione 11. celebrata die 19. Decembris anno 1516. promulgata ſunt pacta Bononiæ anno præcedenti Concordata Leonem X. Romanum Pontificem inter & Franciſcum I. Regem Chriſtianiſſimum; atque ſubſtituta ſunt in locum Pragmaticæ Sanctionis, cujus eadem Seſſione abrogatio quoque promulgata fuit. De Pragmatica Sanctione egimus ubi de Concilio Baſileenſi; de Concordatis verò mox dicemus.

Seſſione 12. habita die 16. Martii an. 1517. lata eſt & approbata Conſtitutio Leonis X. quæ incipit, *Temerariorum*. contra inſectatores Cardinalium & qui eorum domos diripiunt & bona invadunt. In eadem Seſſione promulgatum eſt, ſacro approbante Concilio, alterum ſpeciale Leonis diploma, quo omnia & ſingula in Seſſionibus undecim hujus Synodi ſtatuta confirmantur; ac prohibetur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ omnibus & ſingulis Chriſti Fidelibus, ne ea ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali interpretari præſumant. His peractis abſolutum eſt Concilium.

Occaſione Concilii Lateranenſis V. varia hic quæri poſſunt. 1. an Piſanus Conventus, qui Synodo Lateranenſi celebrandæ occaſionem dedit, Generalis vel legitimi Concilii nomen obtinere poſſit. 2. an Synodus Lateranenſis Oecumenica dici poſſit, nec ne. 3. an decreto Seſſionis 11. quo abrogatur Pragmatica Sanctio, definita fuerit ſuperioritas pontificia ſupra omnia Concilia, ac reprobata Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis decreta ea de re edita. 4. quæ ſint hæc Concordata Leonem X. inter & Franciſcum I. Bononiæ edita. 5. tandem quid ſit Concordatum Germanicum.

Circa primum reſpondet Natalis Alexander in Hiſt. Eccleſ. XV. & XVI. ſæculi diſſert. 11. art. 3. *multis rationibus conſici, Conventum Piſanum Generalis vel legitimi Concilii nomen & authoritatem obtinere non poſſe.* Præcipua momenta quibus ad id demonſtrandum utitur præfatus author, hic indicaſſe ſatis eſt.

Primum momentum ſic eſt: Ad Romanum Pontificem regulariter pertinet congregatio, præſidentia & moderatio Conciliorum Generalium, ut Gerſonius ipſe docet: porro Conventus Piſanus coactus eſt à pauciſſimis Cardinalibus, repugnante Julio II. legitimo Pontifice; nec negligentiæ aut contumaciæ convinci poterat Julius, cum arduis his temporibus ipſi Synodum Oecumenicam convocare minimè licuiſſet, neque recuſaſſet præſtito ea de re juramento ſatisfacere, ſed duntaxat diſtuliſſet, ut ipſe teſtatur in ſolemni diplomate quo Synodum Lateranenſem V. indicit; ergo &c. Extat diploma illud convocationis, quod incipit, *Sacroſancta*. Seſſione 1. ejuſdem Concilii Lateranenſis.

Secundum: Facultas congregandi Concilii duabus duntaxat partibus ſacri Collegii vi pactorum in Conclavi concordatorum & à Julio II. juratorum conceſſa erat, poſito quòd abſque evidentiſſimo periculo illius Concilii indictionem neglexiſſet: at non duæ ſacri Collegii partes, ſed duo

duntaxat Eccleſiæ Romanæ Cardinales, Bernardinus Carvaial Hiſpanus & Fredericus de ſancto Severino Mediolanenſis, quibus pauci alii ſeſe adjunxerunt, Conventum Piſanum indixerant. Quunde verò evidens celebrandi Concilii Oecumenici adeſſe impedimentum demonſtrabat Julius II. Conſtitutione mox laudatâ, temporum ſcilicet infelicitatem, bella variis in locis flagrantia, & urgentem neceſſitatem recuperandi terras & jura Romanæ Eccleſiæ; ergo &c.

Tertium: Piſanus Conventus Eccleſiam univerſalem repræſentare non poterat. Nam nulli huic aderant ex Italiâ Epiſcopi, nulli ex Hiſpaniâ, nulli pariter ex Germaniâ: imò Maximilianus Cæſar permiſit Conventum Præſulum Germanorum Auguſtæ haberi, quo Piſanum Concilium tanquam ſchiſmaticum proſcriptum fuit; ex Gallis duo duntaxat Archiepiſcopi, quatuordecim verò Epiſcopi Piſis convenerant: porrò tam exiguo Epiſcoporum numero à legitimo Capite avulſo, univerſalem Eccleſiam repræſentari quis dixerit?

Quartum: Chriſtiani Principes, etiam illi qui Piſano Conventui priùs adhæſerant, illum quaſi Conciliabulum poſtea ejurarunt: ita Maximilianus Imperator in mandatis quæ habentur Seſſ. 3. Concilii Lateranenſis, in quibus ſic loquitur: *Revoco quodcunque mandatum qualitercunque conceſſum Conciliabulo Piſano...... Declaro etiam Majeſtatem Cæſaream nuſquam dediſſe mandatum ad præfatum Conciliabulum.* Ludovicus XII. Rex Chriſtianiſſimus per Oratores ſuos, *à prætenſo, Piſano Concilio penitus diſceſſit, illique plenariè renuntiavit, ac purè, liberè & ſimpliciter ſacroſancto Lateranenſi Concilio, tanquam vero, unico ac legitimo adhæſit.* Id colligitur ex Regiis mandatis Seſſioni 8. Lateranenſis Concilii inſertis. Sic etiam Ferdinandus Rex Arragonum & Siciliæ, Sigiſmundus Rex Poloniæ, Emmanuel Rex Luſitaniæ &c. Inſtrumenta publica quibus iſta conſtant, reperire eſt in Actis Synodi Lateranenſis.

Quintum: Cardinales Julio II. contumaces qui Piſanam Synodum convocaverant, præfatam Synodum uti illegitimam ſolemniter deteſtati ſunt, ſeque reos confeſſi, priſtinæ Cardinalatûs dignitati, quâ à Julio fuerant exuti, reſtituti ſunt.

Circa ſecundum, quid nempe ſit ſentiendum de œcumenicitate Lateranenſis Concilii: reſpondet illuſtriſſ. Boſſuet. in defenſ. declarat. Cleri Galliæ. parte 1. Lib. 2. c. 8. his verbis: "Neque nunc cujuſquam „intereſt, an Lateranenſe Concilium ſit Oecumeni„cum: ſed tamen pro certò Oecumenico haberi „Bellarmini cunctatio & fluctuatio non ſinit." Obſervat ibidem illuſtriſſimus author, quidquid ſit de œcumenicitate Concilii Lateranenſis, exinde minimè ſequi hujuſce Synodi doctrinam circa pontificiam ſuperioritatem & infallibilitatem, ad fidem pertinere: *Quippe quæ hæc omnia*, inquit, *in tranſcurſu, non ipsâ definitione dicta ſint.* Quod quidem ex profeſſò demonſtrat parte 2. Lib. 10. cap. 18. de quo paulò poſt dicemus. Juvat interim paucis hic referre momenta utriuſque ſententiæ, ſive negantis ſive affirmantis Synodi Lateranenſis V. œcumenicitatem.

Qui negant eam eſſe Oecumenicam, his potiſſimùm nituntur momentis.

I. Pauci Epiſcopi ex paucis Provinciis Concilio Lateranenſi adfuerunt.

II. Galli apertiſſimè repugnarunt.

III. Equidem Epiſcopi Gallicani Romam vocati; ſed à Julio II. infenſiſſimo, flagrantibus non modò tumultibus, ſed etiam bellis, ac poſtea à Leone X. rebus nedum benè compoſitis.

IV. Eâ in Synodo, inquiunt, 1. definitum fuit Romanum Pontificem tanquam authoritatem ſuper omnia Concilia habentem, tam indicendorum, quàm transferendorum ac diſſolvendorum plenum jus & poteſtatem habere. 2. Concilium Baſileenſe vocatur Conciliabulum. 3. abrogatur Pragmatica Sanctio in Concilio Baſileenſi conſtituta. Denique in celebri Conſtitutione Leonis X. *Paſtor æternus.* Seſſ. 11. ſacro approbante Concilio promulgatâ, decreta Baſileenſia; atque adeò, ſaltem indirectè, Conſtantienſia, reprobantur.

In editione Romanâ in ipſo Tom. 4. capite quo cætera Concilia Generalia recenſentur, hoc Lateranenſe Concilium extra lineam ac reliquorum ordinem alio charactere reponitur.

Qui verò ſtant pro hujuſce Lateranenſis Concilii œcumenicitate.

Ajunt 1. ex toto orbe chriſtiano vocatos fuiſſe Epiſcopos, nullumque excluſum.

II. Synodo præfuiſſe Julium II. Romanum Pontificem, ipſiuſque ſucceſſorem Leonem X. adfuiſſe Cardinales 8. duos Patriarchas, Epiſcopos 114. aliosque perplures inferiores Prælatos, Abbates, generales Ordinum Miniſtros &c. ipſi denique Conventûs Piſani authores, eo derelicto, Lateranenſi Synodo adhæsêrunt.

IV. Eidem Synodo veluti legitimæ adhæsêre, eique per ſuos Oratores interfuêre, ii omnes Chriſtiani Principes, qui, ut mox vidimus, Conventum Piſanum quaſi Conciliabulum ejurarunt. Adfuêre imprimis Legati Maximiliani Imperatoris, Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Poloniæ, Luſitaniæ; Ducum & Marchionum Venetiæ, Mediolani, Mantuæ, Brandeburgenſis, Montisferrati &c. Lucenſium & Florentinorum Reſpublicæ, Sabaudiæ Dux, aliique Principes conſenſum ſuum adjunxerunt: unde concludunt illius ſententiæ aſſertores, nihil Synodo Lateranenſi deeſſe ex iis quæ ad rationem Concilii Oecumenici pertinent. Horum omnium Regum, Principum, aliorumque mandata, hujuſce Concilii Seſſionibus 2. 3. 4. & 8. inſerta ſunt.

V. Quod ſpectat Galliam, de quâ ſpecialis eſt difficultas, citant quòd Seſſione 8. lectum fuit mandatum Ludovici XII. datum Corbejæ 28. Octobris an. 1513. in quo approbat publicum inſtrumentum quo Fredericus Cardinalis de ſancto Severino cum duobus aliis Legatis ejus nomine, *à prætenſo Concilio Piſano penitus diſceſſerunt, illique plenariè renuntiaverunt, ac purè, liberè & ſimpliciter ſacroſancto Lateranenſi Concilio, tanquam unico, vero ac legitimo adhæſerunt.*

Per eoſdem Legatos promiſit Rex Chriſtianiſſimus, effecturum ſe ut aliqui Prælati & inſignes viri nomine totius Eccleſiæ Gallicanæ Romam mitterentur cum ſufficienti mandato, qui dicto Concilio Lateranenſi adhærerent, quemadmodum cæteræ Nationes.

Et reverà Seſſione 9. ejuſdem Lateranenſis Synodi refertur inſtrumentum publicum quo Joannes Lexovienſis, Antonius Engoliſmenſis, Franciſcus Ambianenſis, Joannes Cabilonenſis, Symphorianus Laudunenſis, Epiſcopi, *tam nomine ſuo, quam alterum reverendorum Patrum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & omnium & ſingulorum cujuſcunque ſtatus, gradûs & dignitatis exiſtentium, qui in Congregatione Piſanâ interfuerunt..... renuntiant Congregationi Piſanæ jam diſſolutæ, & adhærent Concilio Lateranenſi.* Inſtrumentum illud inſcribitur, *Excuſatio Prælatorum Gallicorum*, & datum fuit die 17. menſis Martii an. 1514. Ex his defenſores œcumenicitatis Concilii Lateranenſis V. colligunt, Eccleſiam Gallicanam tandem adhæſiſſe

Synodo

Synodo Lateranenſi, etſi primùm ei adverſata fuiſſet, Piſano Conventui adhærendo: quâ quidem poſteriori adhæſione, pergunt iidem, omnis quæ præceſſerat oppoſitio ſublata fuit.

VI. Apparet, inquiunt, ex his quæ dicta ſunt cùm ageretur de ſuſceptione Concordatorum, Regem & ejus vicem tenentes exiſtimaſſe Synodum Lateranenſem Oecumenicam eſſe: nam Antonius à Pratis Cancellarius miſſus eâ de causâ ad Senatum Pariſienſem dixiſſe refertur à Puteano in Hiſtoria abrogationis Pragmaticæ Sanctionis pag. 140. *Pour le Concile de Latran, le Roi Louis XII. & François I. l'ont approuvé.* Pag. 134. *Le Roi ſe diviſera de l'Egliſe univerſelle, ne voulant tenir le Concile de Latran.* Pag. 132. *Les Cardinaux qui tenoient le Concile de Piſe l'abandonnerent & reconnurent le Concile de Latran. Louis XII. en fit autant, ainſi ledit Concile eut le conſentement de tous les Princes Chrétiens.* Ergo &c.

VII. Denique ſic ratiocinantur: Si quid obeſſet hujuſce Concilii authoritati apud Gallos, maximè quia in eo abrogata fuit Pragmatica Sanctio; vel quia tanquam de fide definita pontificia ſuperioritas; vel denique quia decreta Conſtantienſia, aut priora Baſileenſia in eo abolita ac reſciſſa fuêre: at nullum ex his dici poteſt.

Non primum: Nam Pragmatica Sanctio abrogata non fuit Seſſ. 11. die 19. Decembris an. 1516. niſi de conſenſu Regis, qui cum ſummo Pontifice Concordatis convenerat Bononiæ circa finem an. 1515. quæ quidem Concordata in eadem Seſſione fuêre confirmata.

Non ſecundum: mox enim cum illuſt. Boſſuet. demonſtrabimus ſuperioritatem pontificiam in Concilio Lateranenſi neutiquam definitam fuiſſe; multò minùs tanquam de fide.

Non tertium: Synodus Lateranenſis nequidem appellat decreta Conſtantienſia; non ergo ea reſcindit: imò *Lateranenſibus decretis firmari potius Conſtantienſia quàm reſcindi*, expreſsè docet illuſt. Boſſuet. parte 2. Operis cui titulus, *Defenſio declarat. Cleri Gallic.* Lib. 10. cap. 18. Equidem, ut ibidem obſervat illuſt. author, Synodus Lateranenſis, vel potius Leo, *Eugenii, Pii, aliorumque anteceſſorum inſiſtens veſtigiis, Baſileenſia damnat, ſed ea quæ poſt translationem geſta ſunt.* Verùm, ut antea dixerat idem doctiſſimus Præſul, *poſteriora Baſileenſia nihil ad nos ſpectant: neque illa Clerus Gallicanus tuenda ſuſcipit.*

Utriuſque ſententiæ, tùm negantis, tùm affirmantis Concilii Lateranenſis V. œcumenicitatem huc uſque adduximus momenta: jam hic tria obſerva.

Primum, non omnino conſtare apud Ultramuntanos, de authoritate & œcumenicitate Synodi Lateranenſis V. *Ipſi ſiquidem, etiam Bellarmino*, ut notat illuſtriſſ. Boſſuet. loco mox citato, *Lateranenſis Concilii authoritas viſa eſt non admodum ſtabilis; quippe qui.... de Lateranenſi Synodo hæc trepidè ſcripſerit*, Lib. 2. de Concil. authorit. cap. 17. *Concilium Lateranenſe non fuiſſe Generale vix dici poteſt.* Et rurſus eodem Libro cap. 13. *De Concilio Lateranenſi nonnulli dubitant an fuerit Generale; ideo uſque ad hanc diem quæſtio ſupereſt etiam inter Catholicos.* Unde & Duvallius 4. parte quæſt. 7. Libri de ſupremâ Papæ poteſtate ſic loquitur: *Ad Concilium Lateranenſe*, inquit, *quidam aiunt non fuiſſe verè & propriè Generale, cùm ei vix centum Epiſcopi interfuerint.*

II. Gallos communiter hujuſce Concilii œcumenicitatem aut in dubium adducere, aut rejicere. In dubium adducere videntur illuſtriſſ. Boſſuet. in defenſ. declarat. Cleri Gallic. parte 1. Lib. 2. cap. 8. *Lateranenſem Synodum pro certo Oecumenico haberi, Bellarmini cunctatio & fluctuatio non ſinit.* Dupin, de antiquâ Eccleſiæ diſciplinâ diſſert. 6. parag. 8. *Cùm Lateranenſi Concilio vix octoginta Patres adfuerint, è quibus ſexaginta tantùm aut circiter Epiſcopi..... ideo à non paucis haud immeritò in dubium revocatur utrum reverâ ſit Generale concilium.* Launoius autem Epiſt. ad Claudium Amelinam Pariſienſem Archidiaconum illud expreſsè rejicit, dum aſſerit, *apud Gallos Lateranenſe V. Concilium pro Generali non haberi*; apud Italos verò & alios in univerſalium Conciliorum numerum reponi.

III. Quidquid ſit de œcumenicitate Lateranenſis Concilii, de quo, *neque nunc*, inquit mox citatus illuſtriſſ. Boſſuet. *cujuſquam intereſt an illud ſit Oecumenicum*, nihil exinde colligitur adversùs ſupremam Conciliorum Generalium authoritatem, aliaque Gallicanæ doctrinæ capita; quod quidem ex jam dicendis apertè patebit. Itaque

Circa tertium ſuperiùs propoſitum caput, ſcilicet an decretis Lateranenſibus reſciſſa fuerint decreta Conſtantienſia aut priora Baſileenſia, atque tanquam de fide definita ſuperioritas pontificia ſupra Concilia, reſpondeo negativè cum ſæpius citato illuſtriſſimo Boſſuet. Iſtud autem cùm ſit majoris momenti, paulò fuſiùs demonſtrandum videtur, variis authorum præcipuè Gallicanæ Eccleſiæ placitis addictorum teſtimoniis.

I. Idipſum ſæpius docet ac multis probat illuſt. Boſſuetius in defenſ. declarat. Cleri Gallic. parte 1. Lib. 2. cap. 8. *Sed nos*, inquit, *de Concilio iſto Lateranenſi ſuo loco diſſeremus pleniùs; docebimuſque hæc omnia neque ad fidem pertinere, quippe quæ in tranſcurſu, non ipsâ definitione dicta ſint; ac nequidem ad quæſtionem, cùm Papam ſuperiorem faciant non omnimodis, ſed iis in rebus de quibus non agitur.*

Et parte 2. Lib. 12. cap. 18. *Jam quod in Lateranenſi Synodo dicitur, Romanum Pontificem ſupra omnia Concilia poteſtatem habere. Primum quidem vidimus non definiendo, ſed narrando eſſe poſitum, quod Conſtantienſibus de eâ re definitionibus prævalere non poſſit.* Audis doctiſſimum Præſulem expreſsè aſſerentem, pontificiam ſuperioritatem in Synodo Lateranenſi *non definiendo, ſed narrando* dumtaxat & *in tranſcurſu fuiſſe propoſitam.*

Rurſus ibidem ſubjungit: *Ex tenore verborum conſtat eò referendum eſſe* (quod dicitur in Synodo Lateranenſi de ſuperioritate pontificiâ) *ut Pontifex Concilia indicere, transferre ac diſſolvere valeat, quod nec ad quæſtionem noſtram, nec ad ea quæ tuemur Conſtantienſia decreta pertinere ſæpe oſtendimus.* Scilicet, ut alibi obſervat doctiſſimus author, ad ſummum Pontificem pertinet, etiam juxta Gallos, convocare Concilia, eaque certis in circumſtantiis diſſolvere aut aliò transferre; nec tamen ex eo ſequitur ipſum eſſe ſimpliciter & abſolutè ſupra Concilia.

Pergit doctiſſimus Præſul: *Huc accedit quòd Leo, Eugenii, Pii, aliorumque anteceſſorum inſiſtens veſtigiis, Baſileenſia damnet, ſed ea quæ poſt tranſlationem geſta ſunt, quo etiam refertur illud, quod de ſuperiori Papæ poteſtate dicit.*

II. Idem ex profeſſo docet Launoïus integra ad Maræſium Pariſienſem Theologum Epiſtola quæ refertur parte 1. Epiſtolarum pag. 159. *Nam ſi ſemel agnoſcatur*, inquit, *Conſtitutionis argumentum, liquido patebit, hinc Leonem X. aut Lateranenſe Concilium non docere ex profeſſo*, (ſuperioritatem pontificiam) *quod ab illo doceri Bellarminus aſſerit...... Hoc unum ſpectant Leo & Lateranenſe Concilium, ut editam à Bituricenſi & Baſileenſi Conciliis Sanctionem Pragmaticam reſcindant: & quod Bel-*

Contin. Præl. Theol. H. Tournely.

larminus : dictum ex profeſſo à Leone & Lateranenſi Concilio decretum affirmat, Leonis & Concilii decretum non eſt, ſed ratio, quâ Pragmaticæ Sanctionis abrogationem a ſe factam ſuſtentare conantur..... inter Concilii decretum & Concilii rationem plerique Theologi diſcrimen latum conſtituunt. Diſertiùs certè aſſerere non potuit Launoius, Leonem X. aut Synodum Lateranenſem non definiiſſe Papam eſſe ſupra concilium : quodque *in transcurſu* aut *narrando* à Leone X. aut Synodo Lateranenſi dictum fuiſſe obſervat doctiſſimus Boſſuet. id Leonis & Concilii rationem fuiſſe, non decretum affirmat Launoïus.

Subinde ſubjungit Launoïus : *Leo & Lateranenſe Concilium ea tantùm reprobant, quæ Baſileenſe Concilium poſt illius translationem ab Eugenio IV. factam, ſibi ſumpſit ac decrevit..... niſi quis nodum in ſcirpo quærat, id unquam diffitebitur.*

III. Launoïo hanc in rem præivit Richerius in Hiſt. Conciliorum Generalium Lib. 4. parte 2. p. 25. & 26. *Bulla Leonis X.* inquit, *narrationem hiſtoricam continet, non fidei aut Concilii decretum.* Quod evincere conatur egregio Duvallii teſtimonio mox referendo.

IV. Launoïo & Richerio ſuffragatur Dupin jam citatâ diſſertat. 6. de antiquâ Eccl. diſciplinâ. Loquens enim de celebri Leonis X. Conſtitutione, *Paſtor æternus.* promulgatâ Seſſ. 11. quâ Pragmatica Sanctio abrogata fuit, ſic habet : *Perſpicuum eſt definitionem illam non eſſe à Concilio univerſo, ſed a Romano Pontifice ſolo editam; & quamvis initio Bullæ præfigatur*, ſacro approbante Concilio, *patet tamen rem non fuiſſe in Concilio diſcuſſam, ſed tantum perlectum in Concilio Pontificis decretum, quod quidem non erat conditum de hoc negotio, ſed de abrogatione Pragmaticæ. Hoc vero decretum inſeritur Bullæ, tanquam ratio definitionis, non tanquam definitio.... Hæc omnia ad Concilii Lateranenſis decretum reſponderi poſſe notaverant Duvallius & Bellarminus.*

V. Rem de quâ agimus accuratiſſimè evolvit Duvallius Tractatu de ſupremâ Pontificis poteſtate parte 4. his verbis : "Ad Concilium Lateranenſe „quod multò expreſſiùs loquitur quàm Florenti„num, variæ reſponſiones. Quidam enim ajunt „non fuiſſe verè & propriè Generale, cum ei vix „centum Epiſcopi interfuerint. Alii dicunt...... „etiamſi Concilium abſolutè fuiſſet Generale (quod „adhuc propter Epiſcoporum paucitatem relinqui„tur incertum) tamen rem ipſam ut decretum fidei „catholicæ non definivit. Nulla enim in verbis con„cilii nota apparet, ex quâ fidei definitionem colli„gamus; nam nec anathema pronuntiat in eos qui „contra ſentient, nec dicit ſe hoc expreſsè aut pro„priè definire, aut eſſe de neceſſitate ſalutis ita cre„dere, vel quid ſimile ex quo expreſſa definitio col„ligatur. Alii denique reſpondent Concilium eate„nus authoritatem Papæ ſupra Concilia definire, „quatenus id ex Scripturis, Patribus & antiquis Ca„nonibus manifeſtè conſtare cenſetur; ad hæc enim, „ſi omnia verba attentè expendantur, vim ſuæ defi„nitionis, ſi quæ ſit, Concilium revocat : atqui „quòd res illa de fide ſit, ex nullo Scripturæ, Patrum „& antiquorum Canonum teſtimonio conſtat. Igi„tur non poteſt illud dici à Concilio Lateranenſi „tanquam de fide definitum.„ Huc uſque Duvallius in tuendâ & explicandâ Leonis X. Bullâ. Subdit poſtea, neutram harum opinionum, ſive quæ affirmat, ſive quæ negat pontificiam ſuperioritatem, eſſe de fide, neutram harum opinionum hæreticam eſſe, neutram erroneam & temerariam, ſaltem temeritate opinionis. *Cæterùm*, inquit, *non tantùm neutra harum opinionum hæretica eſt, ſed etiam neutra eſt erronea & temeraria, ſaltem temeritate opinionis.* Judice ergo ipſomet Duvallio, pontificia ſuperioritas non eſt de fide, nec à Leone X. aut Synodo Lateranenſi definita.

VI. Non alia eſt, uti obſervat illuſt. Boſſuet. quoad præcipuum præſentis controverſiæ caput, Bellarmini mens atque doctrina: ſiquidem Lib. 2. de conciliorum authoritate c. 17. ubi Lateranenſe decretum perhibet, ſic loquitur : "Quamvis poſtea in „Concilio Florentino & Lateranenſi quæſtio de ſu„perioritate Papæ definita videatur, tamen quia Flo„rentinum Concilium non ita expreſsè hoc defini„vit, & de Concilio Lateranenſi, nonnulli dubitant „an fuerit verè Generale, ideo uſque ad hanc diem „quæſtio ſupereſt etiam inter Catholicos. *Et cap.* 13. „*ejuſdem Libri* 2. *jam dixerat* : Quod verò Conci„lium Lateranenſe rem iſtam non definierit pro„priè ut decretum fide catholicâ tenendum, dubi„um eſt, & ideo non ſunt propriè Hæretici qui con„trarium ſentiunt. Ex his Bellarmini reſponſionibus non obſcurè colligitur, hoc Leonis decreto pontificiam ſuperioritatem tanquam de fide ab omnibus credendam non proponi.

VII. Laudatam mox Duvallii expoſitionem decreti Leonis X. aut Concilii Lateranenſis refert & approbat Natalis Alexander in Hiſt. XV. ſæculi diſſert. 8. art. 4. n. 16. atque ibidem obſervat, Conſtitutione Lateranenſi concuſſa non fuiſſe Conſtantienſia & Baſileenſia decreta de ſupremâ Conciliorum Generalium authoritate, his verbis : *Fruſtra Lateranenſis Concilii verba ſuperiùs laudata ex 11. Seſſione, objiciunt Ultramontani Theologi contra ſacroſancta Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis decreta de Concilii Generalis authoritate ſupra Romanum Pontificem : hujuſmodi enim objectio firmiſſimis reſponſionibus diſſipatur, quas Magiſter Andreas Duvallius Doctor & Profeſſor Sorbonicus 4. parte Libri de ſuprem. â Papa poteſtate quæſt. 7. ſtrictim exponit.* Deinde laudatum mox Duvallii textum adducit; ac poſtea ſubdit: *Recenſita à Magiſtro Duvallio reſponſiones, quibus conficitur Leonis X. & Lateranenſis Concilii laudatum ex undecimâ Seſſione locum non adſtruere poſitionem de authoritate Romani Pontificis ſupra Concilia, tanquam dogma fidei, pariter oſtendunt iſto adverſariorum Achille anſlatenus concuti Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis decreta de Concilii Generalis authoritate ſupra Papam.* Annotat ibidem, Magiſtro Duvallio præiviſſe Cardinalem Bellarminum citato jam cap. 13. Lib. 2. de Conciliorum authoritate.

Rurſus paulò poſt ſic habet : *Quæſtio illa de Concilii Oecumenici & Romani Pontificis cum illo comparati authoritate in Synodo Lateranenſi expenſa non fuit : non diſquiſitum quid ſecundum Scripturas & Traditionem de illâ dicendum eſſet; non recenſita & examinata Synodi Conſtantienſis decreta, non rogata ſententia Patrum. Cavallicenſis Epiſcopus, nullo eâ de re habito tractatu, Leonis X. juſſu pontificium ejus diploma de Pragmaticæ Sanctionis abrogatione legit, quo quidem in diplomate ſententia illa habetur*, Romanum Pontificem tanquam authoritatem ſuper omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac diſſolvendorum jus & poteſtatem habere. *Inſerta, inquam, hæc ſententia Apoſtolicis Litteris eſt ut propoſitio incidens, non principalis; non ut decretum, ſed ut decreti ratio. Probare ſcilicet volens Pontifex non eſſe inconcuſſam Pragmaticæ Sanctionis authoritate, licet a Concilio Baſileenſi confirmata ſit, aut Conventum Baſileenſem tunc à ratione Concilii Oecumenici excidiſſe, poſt translationem Synodi Ferrariam Eugenii IV. decreto, adeòque nullius eſſe roboris quæ in eo geſta ſunt.* Hactenus

Nota-

Natalis Alexander, quibus manifeſtè liquet, authorem hunc nedum aſſerere, ſed & adductis rationibus demonſtrare ſupremam Romani Pontificis etiam in Concilia Oecumenica authoritatem, decretis Lateranenſibus neutiquam eſſe definitam.

Non poſſumus hic non ſubjungere teſtimonium celeberrimi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ authoris D. Fleury Tom. 19. n. 18. ubi loquens de Bonifacii Conſtitutione, *Unam ſanctam.* quæ Seſſione 11. in Bullâ Leonis X. *Paſtor æternus.* laudata fuit, ſic loquitur: *En cette Conſtitution il faut ſoigneuſement diſtinguer l'expoſé & la déciſion; tout l'expoſé tend à prouver que la puiſſance temporelle eſt ſoumiſe à la ſpirituelle, & que le Pape a droit d'inſtituer, de corriger & de depoſer les Souverains: cependant Boniface, tout entreprennant qu'il étoit, n'oſa tirer cette conſéquence qui ſuivoit naturellement de ſes principes, ou plutôt Dieu ne le permit pas: & Boniface ſe contenta de décider en général que tout homme eſt ſoumis au Pape, verité dont aucun Catholique ne doute, pourvu qu'on reſtraigne la propoſition à la puiſſance ſpirituelle.* Id unum itaque, teſte citato mox celeberrimo authore, in Bulla Bonifacii, *Unam ſanctam.* (ac proinde in Conſtitutione, *Paſtor æternus.* Leonis X. aut Synodi Lateranenſis quæ præfatam Bonifacii Bullam innovat & approbat) deciſum ac definitum fuit; ſcilicet Romano Pontifici debitam ab omnibus Chriſtianis obedientiam, idque ex ipſomet Bullæ tenore apertè conſtat. *Porrò*, inquit Bonifacius citatâ Bullâ, *ſubeſſe Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus & pronuntiamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.* Extravag. *Unam ſanctam.* de major. & obedient. Jam verò Romano Pontifici debitam eſſe ab omnibus Chriſtianis obedientiam, veritas eſt fidei apud omnes Catholicos indubitata; atque ut docet illuſtriſſ. Boſſuet. c. 1. Lib. 1. defenſ. declarat. Cleri Gallicani, *Hæc fides teſſera eſt ab Epiſcopis & Eccleſiis omnibus Gallicanis tradita, Regiâ quoque authoritate, atque omnium Ordinum conſenſu excepta, divulgata & cuſtodita.* Et rurſus ibidem, *Hæc verò ſunt de quibus nulla inter Catholicos controverſia eſſe poſſit..... Hac fide qui intra Eccleſiam ſunt, ad Eccleſiæ dignitates ipſaſque adeò Epiſcopales Cathedras promoventur.*

Non ſolùm docent, ſed & invictè probant illuſt. Boſſuet. Joannes Launoïus, Natalis Alexander, aliique doctrinæ Gallicanæ defenſores, debitam Romano Pontifici ab omnibus Chriſtianis obedientiam decretis Lateranenſibus duntaxat fuiſſe definitam; non autem ſuperioritatem pontificiam ſupra Concilia Oecumenica, neque decreta Conſtantienſia aut priora geſta Baſileenſia concuſſa fuiſſe ac reſciſſa. Præcipua horumce authorum momenta hic recenſebimus.

Primum: Hoc unum definitum fuit in celebri Conſtitutione Lateranenſi, *Paſtor æternus.* quòd jam antea in Bullâ Bonifacii, *Unam ſanctam.* definitum fuerat: ſiquidem tota vis ac ſumma deciſionis Lateranenſis fundatur in prædicta Bonifacii Bullâ, quam innovat, approbat ac confirmat Synodus. En tenor decreti Lateranenſis, *Et cùm de neceſſitate ſalutis exiſtat omnes Chriſti Fideles Romano Pontifici ſubeſſe, prout divina Scriptura & ſanctorum Patrum teſtimonio edocemur, ac Conſtitutione felicis memoriæ Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, quæ incipit,* Unam ſanctam. *declaratur; pro eorundem Fidelium animarum ſalute ac Romani Pontificis, & hujus ſanctæ Sedis supremâ authoritate, & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ unitate & poteſtate, Conſtitutionem ipſam, ſacro præſente Concilio approbante, innovamus & approbamus, ſine tamen præjudicio declarationis ſanctæ memoriæ Clementis V. quæ incipit,* Meruit.

Porrò in Bullâ Bonifacii, *Unam ſanctam.* unicè definita fuit, ut mox vidimus, tùm ex contextu Bullæ, tùm ex celeberrimo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ authore, debita Romano Pontifici ab omnibus Chriſtianis obedientia; idque inſuper conceptis verbis aſſerit ac docet illuſtr. Boſſuet. in defenſ. declarat. Cleri Gallicani parte 2. Lib. 7. cap. 24. "Duo, „*inquit*, à nobis diligentiſſimè ac ſubtiliſſimè ſe„cerni oportet in Extravag. *Unam ſanctam.* Pri„mùm, id quod exponit Pontifex: alterum, id „quod definit ac decernit: hæc enim non ejuſdem „virtutis eſſe, & ſæpe diximus & omnes confiten„tur. Expoſitionis autem hæc ſumma eſt; unam „Eccleſiam eſſe, vivum ejus caput Chriſtum, Chri„ſtique Vicarium Petrum ac Petri ſucceſſorem: „duos eſſe gladios, ſpiritualem ſcilicet & materia„lem; hunc etiam Petri eſſe..... & temporalem „authoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati..... His er„go expoſitis, eò viam ſibi paraſſe videbatur, ut „Romano Pontifici omnem poteſtatem eſſe ſubdi„tam etiam in temporalibus pro certo fidei dogma„te definiret: at profectò non eò uſque proceſſit, „hoc enim habet tantùm definitio," Porro ſubeſſe Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, definimus & pronuntiamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis: *Quod quidem eſt veriſſimum & apud Catholicos certum, ſi de ſpirituali poteſtate intelligatur.*

Quæ autem ſpeciatim ibi aſſerit Meldenſis Præſul de Bulla Bonifacii; *Unam ſanctam.* ea non minùs expreſſè affirmat eodem in Libro, de Conſtitutione Lateranenſi, Julii II. Pii II. aliorumque Pontificum qui circa ſupremam & à Conciliis univerſalibus independentem Pontificis authoritatem pronuntiaſſe videntur. *Illud etiam aſſerimus*, inquit cap. 5. Lib. 7. *ad placandos Catholicos, & Hæreticos retundendos, de deponendis Regibus nunquam Canonem aut profeſſionem ab Eccleſia fuiſſe editam, neque à quoquam, aut Concilio, aut etiam Papâ pronuntiatum eſſe, ne quis negaret Principes à Pontificibus poſſe deponi.* Et rurſus: *Bonifacius VIII. qui primus aggreſſus eſt temporalia Regum ac deponendorum Principum poteſtatem Sedi Apoſtolicæ edito Canone in Bullâ,* Unam ſanctam. *vindicare, rei novitate deterritus in nuda rei expoſitione ſtetit, neque ad rem definiendam proſiluit..... Quæ in ſacris Conciliis circa temporalia decreta ſunt, nunquam authoritate Clavium facta ſunt.* Ibidem ſubjungit illuſtriſſimus author, *Aliud profectò eſt factum Gregorii VII. .... aliud decretum ſeu dogma quod univerſa Eccleſiæ probandum refutandumve proponeretur.* Nihil certè in rem noſtram expreſſiùs dici poteſt diſertis hiſce doctiſſimi Præſulis verbis.

Alterum momentum colligitur ex Natali Alexandro citatâ diſſert. 8. in Hiſt. Eccleſ. ſæculi XV. & XVI. Illa quæſtio non fuit decretis Lateranenſibus tanquam de fide definita, quæ in prædicta Synodo nec propoſita fuit, nec expenſa: aſt ut mox vidimus ex illuſtriſſ. Boſſuet. & Natali Alexandro, utque colligitur ex Actis Conciliorum, quæſtio de Romani Pontificis ſupra Concilium Oecumenicum authoritate in Synodo Lateranenſi expenſa non fuit: non quæſitum quid ſecundùm Scripturas & Traditionem de illa dicendum eſſet, non recenſita aut diſcuſſa Conciliorum Conſtantienſia & Baſileenſia decreta, non rogatæ ea de re ſententiæ Patrum; ergo

ergo &c. *Romani Pontifices*, inquit ſæpius citato Lib. 7. eruditus Præſul, *in deponendis Regibus Gregorium VII. imitati, de facto non de jure proceſsêre, neque unquam quæſitum, neque Canone aut profeſſione editâ conſtitutum, utrum & quid Eccleſia circa temporalia ordinanda Chriſtus conceſſerit.* Jam verò quod ibi aſſeritur de Eccleſiæ poteſtate in temporalia; id ſanè de ſuperioritate, infallibilitate pontificia, aliiſque doctrinæ Gallicanæ capitibus, pariter dicendum.

Tertium momentum variis in locis ſic proponit idem illuſt. Boſſuet. Eccleſia Gallicana in Tridentina Synodo antiquam de Conciliorum poteſtate profeſſa eſt ſententiam: teſtis eſt ea de re locupletiſſimus Cardinalis Palavicinus in Hiſt. Concilii Tridentini Lib. 19. cap. 11. & 13. idem conſtat ex Epiſt. Cardinalis à Lotharingia ad Bertonem ſuum Secretarium tùm Romæ agentem, & ex Claudio Sancheſio poſtea Ebroicenſi Epiſcopo ad Claudium Eſpencæum Doctorem Pariſienſem. Porrò nec Pontifex, nec Synodus ab Epiſcopis & Theologis Gallicânis poſtularunt ut ab illa doctrina propugnanda deſiſterent: imò tota Synodus Tridentina & ipſe Pius IV. tùm in Synodi decretis, tùm in fidei profeſſione ſedulò omiſſa voluêre verba quæ utrique ſententiæ ſive affirmanti ſive neganti ſuperioritatem pontificiam vel minimùm officere viderentur: ex his, concludit eximius declarationis gallicanæ defenſor, perſpicuè demonſtrari, nec anteriores Synodos, nec anteriores pontifices, ac proinde nec Synodum Lateranenſem Gallicanam doctrinam proſcripſiſſe, ſed eam intactam illæſamque reliquiſſe.

Totum iſtud mirè illuſtratur ac confirmatur diſerto ejuſdem illuſtriſſ. Boſſuet. teſtimonio, quod hic ex integro exſcribendum duximus. Sic loquitur Lib. 15. Variat. n. 165. *Selon cette regle, comme on eut propoſé à Trente une formule pour expliquer l'autorité du Pape tournée d'une maniere d'où l'on pouvoit inferer en quelque façon la ſuperiorité ſur le Concile Général, le Cardinal de Lorraine & les Evêques de France s'y étant oppoſés, le Cardinal Palavicin raconte lui-même dans ſon Hiſtoire, que la formule fut ſupprimé, & que le Pape répondit*, Qu'il ne falloit definir que ce plairoit unanimement aux Peres. *Regle admirable pour ſeparer le certain d'avec le douteux*, pergit doctiſſimus Præſul: *D'où il eſt auſſi arrivé que le Cardinal du Perron, quoique zelé défenſeur des interêts de la Cour de Rome, a declaré au Roi d'Angleterre*, (Replique pag. 858.) que le differend de l'autorité du Pape, ſoit par le regard ſpirituel au reſpect des Conciles Oecumeniques, ſoit par le regard temporel à l'endroit des Juriſdictions ſéculieres, n'eſt point un differend de choſes qui ſoient tenues pour articles de foi, ni qui ſoit inſerée & exigée en la confeſſion de foi, ni qui puiſſe empêcher Sa Majeſté d'entrer dans l'Egliſe lorſqu'elle ſera d'accord des autres points. *Et encore le célebre André Duval Docteur de Sorbonne, à qui les Ultramontains s'étoient remis de la défenſe de leur cauſe, a décidé que la doctrine qui nie le Pape infaillible n'eſt pas abſolument contre la foi, & que celle qui met le Concile au-deſſus du Pape ne peut être notée d'aucune cenſure, ni d'héréſie, ni d'erreur, ni même de témérité.*

Certum eſt ergo ac conſtans ex hactenus dictis, non ſolùm ex Duvallio, Bellarmino &c. ſed etiam ex illuſtriſſimo Boſſuet. Launoïo, Dupin, Natali Alexandro, aliiſque doctrinæ Gallicanæ aſſertoribus, decretis Lateranenſibus nec pontificiam ſuperioritatem definitam fuiſſe, nec Conſtantienſia decreta aut priora Baſileenſia antiquata aut reſciſſa: unde mirum certè, nonnullos è recentioribus contrarium tanquam quid indubitatum tam confidenter aſſerere. Nullus quippe eſt ex doctrinæ Gallicanæ defenſoribus, qui non accuratè diſcernant definitionem inter & rationem ſeu motivum definitionis; atque docent unanimi conſenſo, decreto Lateranenſi definitum duntaxat fuiſſe, deberi Romano Pontifici ab omnibus Chriſtianis obedientiam, quod quidem apud Catholicos omnes certum eſt ac exploratum.

Circa quartum, quo quæritur quid ſint Concordata Seſſione 11. Concilii Lateranenſis confirmata.

Reſp. 1. hic non ine Concordatorum, vulgò Concordati Gallici, nihil aliud intelligi quàm Pacta Leonem X. Pontificem maximum inter & Franciſcum I. Regem Chriſtianiſſimum, Bononiæ conventa anno 1516. & in Concilio Lateranenſi confirmata, pro componendis altercationibus & diſſidiis, occaſione Sanctionis Pragmaticæ excitatis. Scilicet ut revocaretur Pragmatica Sanctio, diu enixèque rogarunt Romani Pontifices: verùm fruſtra; ſiquidem perpetuò ac conſtanter reſtitêre Reges Chriſtianiſſimi. Hinc enatæ rixæ ac diſſenſiones, quas ut ſedarent Leo X. & Franciſcus I. Bononiæ tandem convenêre de abroganda illâ Sanctione Pragmatica, certis quibuſdam pactis ſeu conventis in ejus locum ſubrogatis: pacta hæc conventa, *Concordata* ſeu *Concordatum* vulgò nuncupantur, in quibus nonnulla Sanctionis Pragmaticæ retinentur capita, alia verò abrogantur vel immutantur ac temperantur.

Reſp. 2. Concordata conſtare viginti tribus titulis. Edita ſunt Concordata à Rebuffo cum eruditis notis: continentur Tom. 2. Commentatiorum in Libertates Eccleſiæ Gallicanæ & alibi; horum ſicut & Pragmaticæ Sanctionis hiſtoriam adornavit Pinſonius. Concordatorum tituli, prout referuntur à Pinſonio, ad decem omnino revocantur.

Primus ſpectat electiones, eoque abrogatur antiquus Prælaturos eligendi mos, & ejus in locum Regia ſubrogatur ad Prælaturas nominatio. Scilicet ſtatuitur 1. quòd in poſterum Capitula Eccleſiarum Cathedralium Galliæ, vacante Sede, non ampliùs ad electionem Prælatorum procedent, ſed quòd vacatione occurrente Rex nominabit ſummo Pontifici infra ſex menſes à die vacationis Eccleſiarum earundem computandos, *Doctorem vel Licentiatum in Theologia, aut in utroque ſeu altero Jurium Doctorem, aut Licentiatum in Univerſitate famoſâ*, & in vigeſimo ſeptimo ætati ſuæ anno ad minùs conſtitutum; de quo ſic qualificato per Regem nominato, & aliunde idoneo, ſummus Pontifex vacanti Eccleſiæ providere teneatur.

II. Statuitur, quòd ſi Rex minus capacem nominaverit, poſtquam admonitus fuerit, intra tres menſes alium nominabit: alioquin, ut Eccleſiarum hujuſmodi vacationi celeriter conſulatur, Papa liberè providere poterit non expectata Regis nominatione. Idem ſtatuitur de Epiſcopatibus eorum qui in Curia Romana deceſſerint.

III. Decernitur ac declaratur, quaſcunque electiones quæ habebuntur in præjudicium hujuſce conventionis, nullas fore ac invalidas.

IV. Excipiuntur tamen, nec in decreto comprehenduntur, *Conſanguinei Regis ac perſonæ ſublimes ex causâ rationabili & legitimâ in nominatione & Apoſtolicis Litteris exprimendâ, nec non Religioſi Mendicantes reformati eminentis ſcientiæ, & excellen-*

excellentis doctrina , qui juxta ſui Ordinis regularia inſtituta ad gradus hujuſmodi aſſumi non poſſunt.

V. Tandem quoad Abbatias & Prioratus conventuales verè electivos eodem fermè modo utendum decernitur , quo circa Epiſcopatus, excepto ætatis termino qui reducitur ad viginti tres annos.

Secundus Concordatorum titulus ſpectat reſervationes , eoque prohibetur ne deinceps ullæ dentur gratiæ exſpectativæ , nullæque fiant reſervationes , ſive generales , ſive ſpeciales ad vacatura Beneficia. Canonicos tamen creare permittitur ad effectum duntaxat obtinendi dignitatem , perſonatum vel officium , ſed non Præbendam primò vacaturam.

Tertius eſt de Collationibus & Præbendâ Theologali , nec non de Graduatis tùm ſimplicibus , tùm nominatis. Circa Graduatos idem ſtatuitur quod Baſileenſe Concilium & Pragmatica Sanctio antea decreverant , videlicet ut Graduatis , præter Theologales Præbendas & Parochiales Eccleſias in villis muratis conſtitutas, conferatur inſuper aliorum Beneficiorum per obitum vacantium tertia pars , non quidem per turnum, ut Pragmatica Sanctio ordinaverat ; ſed itá , ut ea ipſis determinaté conferantur Beneficia quæcunque vacatura , intra quatuor anni menſes , ſcilicet Januarium , Aprilem , Julium & Octobrem: iis tamen exceptis Beneficiis quæ ex nominatione Regiâ pendent , vel ſunt de jure Regaliæ , vel de laicali patronatu , vel quæ ſunt electiva , aut Capitulorum dignitates. Agitur præterea eodem in titulo. 1. de tempore ſtudii. 2. de inſinuatione & exhibitione Litterarum. 3. de Beneficiis exprimendis. 4. de repletione. 5. de Regulâ , *Regularia Regularibus* &c.

Quartus titulus eſt de mandatis Apoſtolicis à ſummis Pontificibus olim dari conſuetis , ſed poſtea per Tridentinum abrogatis Seſſ. 24. cap 19. de reformatione.

Quintus eſt de cauſis & appellationibus ; & ſtatuitur ut omnes & ſingulæ cauſæ , exceptis majoribus in jure expreſsè denominatis, in partibus finiantur ac terminentur apud illos Judices , qui de jure vel conſuetudine præſcriptâ aut privilegio , earum cognitionem habere debent. Idem ſancitum fuerat in Pragmaticâ.

Quoad appellationes verò , ibidem præſcribitur ut fiant ad Superiorem immediatum , & non ad alium , licet ſummum Pontificem, omiſſo medio. Inſuper decernitur non licere à tertiâ definitivâ ſententiâ provocare : ſeu quod idem eſt , *tertiam definitivam ſententiam etiam conformem , omni morâ ceſſante executioni debite demandari debere, quacunque appellatione interpoſita non obſtante.*

Sextus articulus eſt de pacificis poſſeſſoribus.

Septimus, de concubinariis.

Octavus, de excommunicatis non vitandis. Circa hunc articulum vide quæ diximus ubi de Pragmaticâ Sanctione, & Seſſ. 20. Concilii Baſileenſis.

Nonus, de interdictis non leviter ferendis.

Decimus , de ſublatione Clementinæ, *Litteris*, quæ eſt in tit. *De probat.* Quinque hi poſteriores articuli ſimiles omnino ſunt in Pragmaticâ.

Quoad Annatas , ne verbum quidem habitum in Concordatis , de quibus conſule Rebuff. in Concord. Doujat in ſpecimine Juris , Pinſon. in Hiſt. Concord. &c.

Reſp. 3. cum doctiſſimo Archipræſule de Marca Lib. 6. de Concord. cap. 9. & Natali Alexandro diſſert. 11. in Hiſt. Eccleſ. XVI. Sæculi art. 6. quæ per Concordata in Eccleſiâ Gallicanâ facta mutatio , electionum ſcilicet & Pragmaticæ Sanctionis abrogatione , utilitate Eccleſiæ poſtulante facta eſt, pace nimirum & concordiâ Sacerdotium inter & Imperium eam exigente ; atque multiplici Concordatorum commodo longè compenſatur.

Idipſum variis in locis docet ac probat laudatus mox illuſtriſſimus de Marca , præſertim verò Lib. 6. de Concord. cap. 9. ubi varia quæ ex Concordatis enata ſunt commoda recenſendo , ſic loquitur : *Conſtat Pragmaticam Sanctionem , quæ pravam reſervationum conſuetudinem tollebat invitis iis quorum intererat , Gallos tamen in pari confuſione reliquiſſe quoad ſtatum hierarchicum Eccleſiæ ; eò quod ſummi Pontifices recuſarent confirmationem electionum Metropolitanorum , & in aliis præterea articulis acquieſcere nollent. Quò fiebat ut cùm in ſpeciem bono reformationis frueremur , ſchiſmatis malo laboraremus, licet nulla noſtra culpa eſſet. Animorum concordiam revocavère Concordata, quæ reſervationum abuſum prorſus ſuſtulerunt. Electiones ſanè Capitulorum ambitu fiebant, eiſque perſæpe vim inferebant Regum preces à Pragmaticâ Sanctione approbat ; adeo ut Gulielmus Benedicti celeberrimus illâ ætate Juriſconſultus , affirmet preces illas habuiſſe & habere debuiſſe vim imperii apud Canonicos electores. Concordata igitur abolent electiones , & in earum locum ſubſtituunt jus nominationis, quod Regi tribuunt , exemplo petito à Regibus primæ ſtirpis , qui jure illo utebantur cum conſenſu Cleri : quòd jus viam præcludit ambitioni & ſimoniæ quæ exercebatur ad emenda ſuffragia Canonicorum. Attamen nominationis jus ſic conceditur Principi , ut ad ſummum Pontificem pertineat confirmatio electionum , quâ potiebatur abſque ulla controverſiâ ante Pragmaticam Sanctionem. Verùm incommodum hoc compenſatur ingenti commodo , cùm hoc pacto finis impoſitus ſit litibus quas in Romanâ Curiâ conteſtari receptum erat ſumptibus immenſis , ut electionum nullitas diſceptaretur. Quo fiebat ut partes contendentes ad inopiam redigerentur , Regno incommoda importarentur, & Eccleſiæ ob id diu vacarent.* Hactenus eruditus Præſul, quibus Concordatorum utilitates & commoda, nedum exponit ac probat ; ſed & ſolidè confutat quæ ad ea impugnanda ſolent objici.

Non alia eſt mens Natalis Alexandri loco mox citato , ubi præſentem controverſiam fusè proſequitur ; atque ex profeſſo multis probat , quod impræſentiarum contendimus , electionum & Pragmaticæ Sanctionis abrogationem , variis Concordatorum commodis abundè compenſari.

Objicit ſibi ibidem Natalis Alexander 1. ſupremum Senatum Pariſienſem diu ac fortiter promulgationi Concordatorum obſtitiſſe , nec ea in Acta retuliſſe , niſi ex ordinatione & mandato Regis iteratis vicibus facto , die 22. Martii 1517. imò de Pragmaticæ antiquatione à Concilio Lateranenſi facta ad futurum Concilium appellaſſe die 19. Martii ejuſdem an. 1617. quam quidem appellationem denuò iteravit die 24. ejuſdem menſis & anni. 2. eorundem Concordatorum promulgationi Academiam Pariſienſem interceſſiſſe & ad futurum Concilium appellaſſe eodem menſe & anno : hujus appellationis inſtrumentum extat apud Bochellum Lib. 8. Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ tit. 25. cap. 8. 3. tandem Clerum quoque Gallicanum Regibus Chriſtianiſſimis ſæpe ſupplicaſſe , ut Concordatis abrogatis , electiones reſtituerentur : ſcilicet Henrico III. perorante illuſtriſſ. d'Eſpinac

Archi-

Archiepiſcopo Lugdunenſi die 30. Auguſti anni 1579. Henricô IV. perorante illuſtriſſ. de Villars Archiepiſcopo & Comiti Viennenſi &c.

Ad hanc objectionem reſpondet eruditus author, Clerum Gallicanum, ampliſſimum Senatum, Academiam, ſtudio Pragmaticæ Sanctionis cui erant addictiſſimi, novo Concordatorum juri non ita facilè acquieviſſe, nec ſtatim amplecti potuiſſe de novo introductam Eccleſiæ mutationem: *quæ tametſi*, inquit, *Eccleſiæ Gallicanæ Regnoque utilis & commoda, novitate tamen ſuâ perturbavit animos Gallorum; adeo ut in hâc maximè causâ locum habuerit aurea illa S. Auguſtini ſententia Epiſt.* 119. Ipſa mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. *Verùm*, pergit idem author, *ſacer Ordo, Senatus, Virique Academici, Concordatorum commoda experti, tandem acquieverunt, & à multis annis nullum murmur adverſus jus illud auditum eſt, ſecundùm quod & Gallicana Eccleſia politia diſponitur & regitur, ac lites de ſacerdotiis excitata in magno Conſilio & Senatu judicantur, & Viri Academici Beneficia poſtulant, menſibuſque deſignatis conſequuntur. Ideo verò*, ſubdit, *Clerus Gallicanus Henrico III. Henrico IV. Chriſtianiſſimis Regibus electionum reſtitutionem ſuggeſſit, ut eorum Majeſtatem excitaret ad providendum Eccleſiis vacantibus, & ad deſignandum Epiſcopos dignos tanto munere, & idoneos ferendo oneri quod angelis humeris formidandum eſt.*

Reſp. 4. Concordata Gallicana veri contractûs ſummos Pontifices Sedemque Apoſtolicam inter & Chriſtianiſſimos Reges, Regnumque Francorum vim habere. Ita habetur in ipſiſmet Concordatis. Scilicet titulo 23. refertur Leonis X. Conſtitutio 17. Kalend. Julii an. 1518. quâ idipſum diſertis verbis declaratur: *Et quia*, inquit ſummus Pontifex, *ad ſupradictam concordiam cum præfato Franciſco Rege, ob illius ſinceram devotionem quam ergà nos & Sedem prædictam exhibuit, cùm ad præſtandam nobis reverentiam & filialem obedientiam ad civitatem noſtram Bononiæ perſonaliter venire dignatus eſt, conſentimus, illamque inviolabiliter obſervari deſideramus: illam veri contractûs & obligationis inter nos & Sedem Apoſtolicam prædictam ex unâ, & præfatum Regem & Regnum ſuum ex alterâ partibus legitimè initi, vim & robur obtinere.... Nec non irritum & inane quidquid ſecùs ſuper his vel eorum aliquo à quoquam quavis authoritate, etiam per nos & ſucceſſores noſtros ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.*

Reſp. Denique 5. Reges Chriſtianiſſimos ipſorum Concordatorum protectores, defenſores & conſervatores fuiſſe conſtitutos. Id evidens eſt ex Leonis X. diplomate dato Romæ 17. Kalend. Julii an. 1518. cujus tenor talis eſt: "Nos ea quæ tantâ „maturitate, conſilio, & ſacri tunc vigentis Late„ranenſis Conſilii approbatione diſcuſſa, ſtatuta, „ordinata, facta & conceſſa ſunt, ut inviolabiliter „& inconcuſſè, prout par eſt, obſerventur, pro „noſtri paſtoralis officii debito providere volentes „...... motu proprio & ex noſtrâ certâ ſcientiâ, ac „de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, cùm deceat „ſæcularem poteſtatem, præſertim magnam, Ec„cleſiaſticam juvare poteſtatem, in his præſertim „quæ animarum ſalutem concernunt, Majeſtatem „tuam, & pro tempore exiſtentem Francorum Re„gem, Litterarum prædictarum ac per eas edita„rum Conſtitutionum, ac omnium & ſingulorum „in eis contentorum, legitimos protectores, defen„ſore & conſervatores; nec non quorumvis adver„ſùs illas & in eis contenta venire tentantium, cu„juſcunque dignitatis, ſtatûs, gradûs, ordinis, con„ditionis vel nobilitatis exiſtentium, ac quacunque „mundanâ dignitate fulgentium, invictiſſimos op„pugnatores authoritate Apoſtolicâ tenore præſen„tium conſtituimus & deputamus." Porrò prædictû Leonis X. diploma Regiis munitum Litteris datis Bangiaci die 25. Octobris ejuſdem anni 1518. promulgatum fuit, & Concordatis inſertum.

Atque hinc Rebuff. ubi de Concordatis, in hanc Leonis Conſtitutionem, ſic habet: *Hic conſtituitur Rex protector Concordatorum, & defenſor per Papam, contra quoſcunque etiam Clericos.*

Circa quintum, quo quæritur quid ſint Concordata Germanica.

Reſp. 1. Concordata Germanica eſſe pacta quædam conventa inter Romanum Pontificem Nicolaum V. & Imperatorem Fredericum III. quibus Germania regitur in materia beneficiali. Concordata hæc Sanctione Pragmatica poſteriora ſunt, antiquiora verò Concordatis Gallicis. Scilicet an. 1447. cùm de reſervationibus pontificiis aliiſque Curiæ Romanæ, ut vocant, gravaminibus Germanica Natio conqueſta eſſet, iis temperandis, hæc inter Joannem Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Nicolai V. à latere Legatum, & Fredericum III. Imperatorem alioſque Germaniæ Principes inita ſunt conventa ſive Concordata, quibus loco quatuor menſium per quos vacantium Beneficiorum collatio, ſecundùm Romanæ Curiæ ſtylum in ſuâ cuique Diœceſi relinquebatur, ſex iiſdem menſes conceduntur, quibus ejuſdem Curiæ ſtylus mitigatur. De his conſuli poteſt Brand. Canonicus Auguſtanus in Collectaneis ad ea Concordata, in quibos varias quæſtiones huc pertinentes proponit ac reſolvit.

Reſp. 2. his in Concordatis Germanicis circa Beneficia iſta quinque præſertim præſcribi.

I. Pro electivis Beneficiis, jus ſuos Prælatos eligendi, Metropolitanis, Cathedralibus & Monaſteriis ſervatur: ſummo autem Pontifici obligatio confirmandi, niſi fortè de conſilio Cathedralium, alius utilior aut capacior videatur eligendus.

II. Pro collativis ſtatuitur, ut alternatim à Papâ & à Collatoribus ordinariis omnia ſive ſæcularia ſive regularia Beneficia conferantur: ita ut à Papâ conferantur menſe Januario vacantia, ab Ordinariis verò menſe Februario: & ſic deinceps alternis menſibus; exceptis tamen Cathedralium atque Collegiatarum dignitatibus, quæ ſemper à ſuis Collatoribus ordinariis conferenda remanent. Sex porrò menſes in quibus Papa Beneficia confert, dicuntur *Menſes papales*.

III. Collationes Beneficiorum omnium in Curiâ, vel intra duas dietas ab urbe quomodocunque vacantium, ſummo Pontifici reſervantur.

IV. Pro quibuſcunque Beneficiis à ſanctâ Sede collatis ſtatuitur; ut primi anni reditus ad inſtar Annatæ ſolvantur.

V. Excipiuntur ab hac lege ea Beneficia quæ vi exſpectativæ gratiæ, vel permutationis causâ fuerint collata, aut quæ valorem 24. florenorum auri de Camera non excedunt. Vide Pinſonium.

Reſp. 3. hoc Germanicum Concordatum Maximiliani Imperatoris juſſu promulgatum fuiſſe ac receptum anno 1518. & Caroli V. Imperatoris Edicto in Eccleſia Cameracenſi executioni mandari juſſum anno 1554.

Reſp. 4. quòd cùm poſt Lutheri ſeceſſionem, ſpretis per Germaniam Apoſtolicis reſervationibus, Prælati ac Principes reſervatorum Beneficiorum Collationes contra Concordatorum formam ſibi arrogarent. Clemens VII. ab his attentatas collationes omnino irritas eſſe declaravit Conſti-

tutione

rutione ſuâ anni 1534. Gregorius verò XIII. aliâ Bullâ an. 1576. quod Nicolai V. Concordatis permiſſum Ordinariis fuit, Beneficia menſibus pontificiis vacantia conferre, ſi nullus appareat proviſus à Papâ intra tres menſes à die vacationis in loco Beneficii notæ, id ſic eſſe accipiendum declaravit, ut ad excludendam Ordinarii collationem ſufficiat intra illud tempus alicui conceſſum fuiſſe Beneficium, licet is poſt trimeſtre jus ſuum in loco Beneficii oſtendat & exequatur.

Reſp. 5. Coocordata Germanica in nonnullis hodie Regis Chriſtianiſſimi ditioni ſubjectis Regionibus lociſque vigere, Lotharingiæ puta Epiſcopatibus, & Alſatiâ. Ita Doujat celeberrimus ſacrorum Canonum Profeſſor Regius, in Specim. Jur. Eccleſ. At indultum Ludovico XIV. Regi Chriſtianiſſimo conceſſum eſt ab Alexandro VII. anno 1664. & à Clemente IX. confirmatum 1668. pro nominatione ad illas Cathedrales, Metenſem, Tullenſem & Virdunenſem, & ad alia in his Diœceſibus ſita Conſiſtoralia Benefiria.

De Concilio Tridentino.

Geſtorum Concilii Tridentini, brevem ut ſcopus poſtular, unde ut decet, narrationem hic contexere conabimur: hanc autem ex Hiſtoriâ Concilii Palavicini, necnon ex Collectionibus Conciliorum Binii, Labbæi & Harduini depromemus. Interim monitum volumus ſacræ Theologiæ ſtudioſum, nihil ſatius fieri poſſe, quàm ſi ad ipſa Concilii Acta & ad fidam Eminentiſſimi Palavicini Hiſtoriam recurrat, ut pleniùs detegat, quæ obiter duntaxat ac curſim hic indicabimus: materiarum quippe in Concilio exagitatarum diverſitas, numerus, gravitas, fuſiorem nimis efflagitarent expoſitionem.

Sacroſancta Synodus Tridentina ex Oecumenicis poſtrema, à Paulo III. ſummo Pontifice Mantuæ primùm fuit indicta; deinde rebus mutatis, Vicentiæ: poſtremò Tridentinum eſt convocata, urbem Germaniæ conterminam, à Germanis in Conventu Spirenſi acceptatam, cæteriſque Nationibus Chriſtianis opportunam. Id conſtat ex indictionis diplomate quod incipit, *Initio.* Romæ dato decimo Kalendas Junii an. 1542. & ſolemni Principis Apoſtolorum die promulgato.

Tres potiſſimum convocationis Concilii cauſas eo in diplomate exprimit ſummus Pontifex. 1. fidem vindicandam adverſus Lutheri, Zuinglii, ac aliorum Hæreticorum qui tunc graſſabantur errores. 2. firmandam pacem & concordiam inter Principes Chriſtianos. 3. reſtituendam Eccleſiæ diſciplinam, quam hæreſes & bella plurimùm labefactaverant.

Cœpta Synodus eſt ſub Paulo III. Pontifice maximo die 13. Decembris an. 1545. continuata ſub Julio III. abſoluta tandem, licet pluries variis temporum injuriis intermiſſa, ſub Pio IV. die 4. Decembris 1563. Perduravit ergo à die inchoationis decem & octo circiter annis. Viginti quinque omnino Seſſionibus conſtat, in quibus viginti ſex ſupra centum conditi ſunt Canones. Sub Paulo III. decem priores Seſſiones habitæ ſunt: ſub Julio III. ſex ſequentes aliæ; & ſub Pio IV. novem celebratæ poſteriores. Quid autem in unaquaque ex his Seſſionibus notabile geſtum fuerit, aperiet hic annexa compendioſa ſingularum Seſſionum hiſtoriæ ſumma.

Seſſione 1. habitâ die 13. Decembris an. 1545. declaratur inchoatum Concilium. 2. Seſſione die 7. Januarii anni ſequentis celebratâ, præſcribitur exemplaris & pius vivendi intra Concilium agendi modus. Die 4. menſis Februarii in 3. Seſſione recitatum eſt fidei Symbolum: ipſum eſt quod à Patribus Nicænis & Conſtantinopolitanis velut fidei teſſeram accepimus.

Seſſione 4. 8. Aprilis die anni 1546. declarat Synodus, qui Scripturarum Libri ſanctum ingrediantur Canonem; eos ſigillatim recenſet illo ordine quo eos & nos recenſuimus ubi de Libris Scripturæ in particulari. Docet inſuper Concilium, veterem atque vulgatam editionem tot ſæculorum uſu in Eccleſiâ probatam, inter editiones latinas ſolam habendam eſſe ut authenticam: deinde prohibet ne quis ſacram interpretetur Scripturam contra ſenſum quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, & unanimem Patrum conſenſum. Inſurgunt tandem Patres Tridentini in nefandos ſacræ Scripturæ corruptores aut deriſores, atque in impreſſores qui prælo verſiones mandant ſine authoris nomine, ſine Superiorum Eccleſiaſticorum licentiâ.

Seſſione 5. die 17. Junii eodem anno decretum promulgatur de peccato originali. Quinque includit Canones, quibus anathemate ſubjiciuntur quicunque negant illius peccati exiſtentiam in Adamo, tranſmiſſionem in Adæ poſteros, unicum illius remedium per Chriſti Baptiſmum; & etiam quicunque contenderent parvulos non debere baptiſari, aut per gratiam in hoc Sacramento collatam radi tantùm & non imputari, non verò penitùs tolli tale peccatum. *Declarat tamen hac ipſa ſancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem.*

Seſſ. 6. anno 1547. die 13. Januarii celebratâ, excellens latum fuit decretum quo juſtificationis initium, progreſſus, incrementum & conſummatio eximiè deſcribuntur. Hoc decreto exſufflatur vana Hæreticorum fiducia, adſtruitur gratiæ, liberi arbitrii, meritorum, bonorum operum ac magni perſeverantiæ doni neceſſitas: poſthac 33. Canonibus anathemate percelluntur totidem Hæreticorum tùm veterum tùm recentiorum propoſitiones.

Seſſ. 7. die 3. Martii ejuſdem anni, catholica exponitur circa Sacramenta in genere, atque Baptiſmum & Confirmationem doctrina: exponitur antem, dum 30 Canonibus damnantur heterodoxæ propoſitiones, quibus aut ceremoniarum uſus improbatur, aut Sacramentorum negabatur efficacia, aut miniſtrorum concutiebatur authoritas, aut Baptiſmi ſuggillabatur neceſſitas, vel Confirmationis exiſtentia.

Celebrata hac Seſſione 7. directæ ſunt à Paulo III. ad Legatos Litteræ, quibus ipſis concedit poteſtatem Concilium transferendi in urbem aliam tutiorem: tunc enim Tridentinam devaſtabat civitatem peſtilentialis morbus, cujus occaſione è Concilio multi ſecedebant Patres.

Hinc Seſſ. 8. die 11. Martii promulgatum fuit decretum quo Synodus Bononiam transfertur. Reſtitêrunt huic decreto Epiſcopi Carolo V. Imperatori Germanorum ſubditi; ſicque in duas partes ſciſſum fuit Concilium: qui Bononiam ſecuti fuerant Legatos, nonam & decimam habuêrunt Seſſiones, in quibus nihil aliud decretum eſt præter prorogationem Seſſionis; & die 14. Septembris 1547. in generali Patrum Congregatione tandem prorogata fuit hæc Seſſio, non ad terminum præfixum ſed ad beneplacitum ſacri Concilii.

Ab hâc die 14. Septembris anni 1547. ſuſpenſum manſit Concilium uſque ad Kalendas Decembris

bris anni ſequentis; tunc enim Julius III. Romanus Pontifex Bullam edidit reſumptionis Concilii Tridentini.

Anno 1551. Kalendis Maji celebrata fuit undecima Seſſio, latumque decretum de reſumendo Concilio: Seſſione ſequenti de ſolâ Seſſionis prorogatione actum eſt.

Eodem anno die 11. Octobris lata fuit definitio circa Sacramentum Euchariſtiæ in Seſſione 13. Hac definitione tranſubſtantiatio prædicatur: exploduntur conſubſtantiatio, impanatio, ſola per fidem præſentia, ubiquitas, cæteraque portenta Hæreticorum; atque eorum doctrinam undecim Canonibus rejicit Synodus, quæ in eâdem Seſſione Proteſtantibus Salvum conductum offert.

Decretum Seſſionis 14. die 25. Novembris celebratæ, docet quid credendum ſit de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ unctionis. Pœnitentiæ neceſſitas, illius à Baptiſmo diſcrepantia, contritionis diviſio, timoris gehennæ utilitas, confeſſionis ſanctitas, ſatisfactionis meritum, abſolutionis virtus, miniſtri poteſtas, illius ſententiæ tùm ad ligandum tùm ad ſolvendum efficacia, multiplici capite & 15. Canonibus eximiè probantur. Quoad Extremam unctionem, tradit Synodus eam eſſe verum novæ legis Sacramentum, cujus miniſter eſt Sacerdos: docet quo tempore conferri debeat, & mirabiles ejus exponit effectus; ac tandem quadruplici Canone Neotericorum protervam coërcet pruriginem.

Duplici Seſſione ſequente, Germaniâ tumultu armorum conturbatâ, primùm prorogatur Seſſio, novuſque conceditur Proteſtantibus Salvus-conductus; deinde ſuſpenditur Concilium, anni 1552. die 28. Aprilis.

Secundâ vice interruptum Concilium, reſumitur Seſſione 17. an. 1562. vi Bullæ celebrationis Concilii latæ à Pio IV. Cathedram Petri occupante. Seſſione 18. fertur decretum de Librorum delectu, & omnibus ad Concilium fide publicâ invitandis, atque datur Salvus-conductus nationi Germanicæ & aliis nationibus.

Ut eventum invitationis quem fauſtum ſperabant, exſpectarent Patres, Seſſionibus 19. & 20. futuram in ſolemni Seſſione definitionem prorogarunt.

Seſſione 21. die 16. Julii anni 1562. celebratâ, propoſuit Synodus doctrinam de communione ſub utraque ſpecie, & parvulorum. Docet autem Chriſtum totum ſub alterutrâ ſpecie contineri; tradit Laicis & Clericis non conficientibus non eſſe ex jure divino neceſſariam communionem ſub utraque ſpecie, ac penes Eccleſiæ poteſtatem eſſe hanc utramque ſpeciem illis concedere vel denegare; denique quod ad parvulos pertinet, eos non obligari ad communionem ſacramentalem tenet Concilium, quod quatuor anathematibus proſcribit quatuor in eandem propoſitiones.

Eodem anno die 17. Septembris habita fuit Seſſio 22. in quâ exponitur doctrina de Sacrificio Miſſæ. Diſſerunt Patres de inſtitutione tanti Sacrificii, de mirabili illius virtute, de Canone, de cæremoniis, de oblatione tremendi Sacrificii in honorem Sanctorū, de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ, ac tandē novem Canonibus expoſitū jam dogma à Proteſtantium calumniis vindicant.

Die 15. Julii anni 1563. in Seſſione 23. de Sacerdotio, de Ordinis Sacramento, de Eccleſiaſticâ Hierarchiâ, de Ordinationis ritibus fides Eccleſiæ traditur, & octo Canonibus adſtruitur.

Seſſione 24. die 11. Novembris ejuſdem anni, duodecim Canones ferunt Patres Tridentini, & quid ſit de Matrimonii Sacramento tenendum docent.

Tandem diebus 4. & 5. Decembris anni 1563. habita fuit ultima Seſſio, lataque fuerunt decreta de purgatorio, de invocatione, veneratione & reliquiis Sanctorum, de ſacris imaginibus, de indulgentiis, abſolutumque fuit decretum de reformatione & diſciplinâ Eccleſiaſticâ, ſicque Concilio finis impoſitus eſt.

Sacrum Concilium Tridentinum velut legitimum & œcumenicum ab omnibus Catholicis habendum, colendum, & ſuſcipiendum eſſe, ſummo conſenſu docent atque luculenter demonſtrant Orthodoxi Theologi contra Lutherum, Calvinum, eorumque ſequaces, nec non adverſus P. Suavem Polanum, Carolum Molinæum, & Innocentium Gentiletum. Præcipua Catholicorum ad hujuſce Concilii œcumenicam authoritatem vindicandam argumenta, hîc ſubjiciemus; ac poſtmodum futiles ad eam impugnandam Heterodoxorum vitiligationes paucis diluemus.

Probatur itaque hujuſce Concilii œcumenicitas, ex eo quòd nihil deſit huic Concilio ex iis quæ deſiderari poſſunt ad legitimam & œcumenicam Synodum conſtituendam.

I. Legitima eſt ac canonica ipſius convocatio; ſiquidem à Romano Pontifice convocatum fuit; ad quem, utpote ſupremum Jeſu Chriſti Vicarium, beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſorem, ac jure divino Paſtorum omnium Paſtorem, pertinet authoritas ordinaria convocandi Concilia generalia: & verò à Romano Pontifice plurima ex Orientalibus, & omnia quæ in Occidente celebrata ſunt Concilia Oecumenica, reipsâ fuêre convocata.

II. Debitum habuit Præſidem, Romanum videlicet Pontificem qui per Legatos huic Concilio præfuit. Nimirum ſub Paulo III. ejuſdem Pontificis nomine præfuerunt Joannes Maria de Monte, Præneſtinus Epiſcopus, Marcellus Cervinus, & Reginaldus Polus S. R. Eccleſiæ Cardinales, & Sedis Apoſtolicæ Legati. Sub Julio III. vice ejuſdem Julii Romani Pontificis præfuerunt Marcellus Cardinalis, Sebaſtianus Pighnius Archiepiſcopus Sipontinus, & Aloiſius Lipomanus Veronenſis Epiſcopus. Tandem novem poſteriores Seſſiones celebratæ ſunt ſub Pio IV. præſidentibus ipſius nomine Hercule de Mantuâ, Hieronymo Seripando, Stanislao Varmienſi, & Ludovico Simoneta S. R. Eccleſiæ Presbyteris Cardinalibus. Porrò jus ordinarium Conciliis Oecumenicis præſidendi per ſe vel per Legatos ſuos, ſoli Romano Pontifici jure divino competere, unanimi conſenſu docent Theologi; idque ſequitur ex mox dictis, quòd ſcilicet omnium Eccleſiarum particularium ex ordinatione Chriſti caput ſit, paſtor & rector. Et certè omnibus Conciliis generalibus, tùm in Oriente, tùm in Occidente celebratis, per ſe vel per Legatos ſuos præfuit Romanus Pontifex; unâ tamen excepta Synodo Conſtantinopolitanâ I. quæ quidem non fuit Oecumenica niſi poſt Occidentalium conſenſum.

III. Adfuêre huic Concilio ac decretis ab eo latis ſubſcripsêre ex præcipuis orbis Chriſtiani Provinciis, ad numerum uſque 255. Epiſcopi. Nempè conſtat ex actis Concilii, ſubſcripſiſſe quatuor Sedis Apoſtolicæ Legatos Præſides, duos alios Cardinales, tres Patriarchas, viginti quinque Archiepiſcopos, centum ſexaginta octo Epiſcopos, triginta novem Procuratores Præſulum abſentium,

Abba-

Abbates ſeptem ac totidem Religioſorum Ordinum ſummos Moderatores.

Equidem prioribus Concilii ſeſſionibus pauci adfuerunt Epiſcopi : verùm id non obſtat, cum poſtremis Seſſionibus ingens adfuerit Epiſcoporum numerus, qui ſuo judicio priores Seſſiones comprobarunt, ut coſtat ex his verbis quæ leguntur in ultima Concilii Seſſione : *Quoniam diverſis temporibus, tam ſub felicis recordationis Paulo III. quam Julio III. multa in hoc ſacro Concilio quoad dogmata ac morum reformationem ſtatuta & definita ſunt, vult ſancta Synodus, ut illa nunc recitentur & legantur.* Porro conſequens illud Epiſcoporum judicium & approbatio prioribus Seſſionibus, ſufficit ad robur & authoritatem decretorum: alias omnium ferme Oecumenicorum Conciliorum mutaret authoritas, cùm nullum vix ſit, ubi in certis quibuſdam Seſſionibus pauci interfuerint Epiſcopi.

IV. Epiſcopi ſummam habuerunt in ferendis ſuffragiis libertatem : ut enim obſervat Cardinalis Palavicinus Lib. 8. Hiſt. Conc Trid. cap. 12. etſi Legati de præcipuis capitibus definiendis ſummum Pontificem conſulerent, ipſeque Pontifex ad Legatos reſcribens ſuam de iis mentem aperiret, *Nuſquam tamen id factum eſt per modum imperii, ſed admonitionis & conſilii; ut ſcilicet complurium judicio perſpecto, Synodus poſſet ſtatuere id quod optimum eſſet.*

Atque hinc notat illuſtriſſimus Boſuet Lib. 1. defenſ. declar. Cleri Gallic. cap. 2. excitato mox Palavicino Lib. 19. cap. 14. & 15. quòd exortâ controverſia circa Pontificiam ſuperioritatem, Legatos inter & Epiſcopos Gallicanos quorum dux erat Cardinalis Lotharingus; eâ de re monitus Pontifex Pius IV. in hæc verba reſcripſerit : *Satis futurum Pontifici : ſi nec de ſua, nec de Epiſcoporum poteſtate quicquam exprimeretur, illis tantum edictis definitionibus in quas Patres unanimi conſenſu conſpirarent.* Quibus certe verbis nihil diſertius afferri poteſt ad demonſtrandum Patres Tridentinos ſumma in ferendis ſuffragiis potitos fuiſſe libertate.

V. nonniſi prævio, maturo ac diligenti examine Synodi decreta fuiſſe edita, non ſolum ex Palavicino, ſed & ex aliorum teſtium oculatorum relationibus, manifeſtum eſt ac apertum. Unus omnium inſtar ſit Didacus Payva Theologus Luſitanus Lib. 1. defenſionis Tridentinæ fidei, ubi Kemnitium his verbis compellat : *Teſtari certe ipſe poſſum, nihil fuiſſe à Patribus magis exoptatum, à Legatiſvè vigilantius procuratum, quam ut nihil in eo non libere, non pacate atque legitime fieri, certiſſimis argumentis conſtaret...... Ne vero quicquam in Concilio temere aut parum conſiderate factum fuiſſe putes, rem ut jam geſta eſt auſculta. Cum nihil fuerit Patribus antiquius, quàm ut apud univerſum terrarum orbem teſtatum relinquerent, facta omnia in Concilio integerrime & incorruptiſſime eſſe...... diligentiſſime procurarunt ut eorum libri, qui ſe nuper ab Eccleſia Romana totos abalienarunt, & Lutheri, aliorumque ſimilium perfidiæ adjunxerant, Tridentum ubique adſportarentur, (quos qui aderamus certatim & comparavimus, & perlegimus) ut cauſam à vobis callide & veteratorio deſertam, ſcriptis ſaltem, coram tanto conſeſſu defenderimus & tueremur. Neque enim puto plura a vobis coram dici potuiſſe, quam veſtris ſunt ſcriptis comprehenſa. Atque fuiſſe nos ſæpius ab integerrimis Legatis familiariter admonitos, omni aſſeveratione affirmare poſſum, ne minori diligentia veſtras quam SS. Patrum lucubrationes evolveremus. Eo enim dicebant veritatem à Patribus facilius reperiri & enucleatius definiri, quo magis veſtra illis argumenta cognita eſſent atque perſpecta.*

Pergit idem author: *agedum videamus quid fuerit à Patribus Tridentinis prætermiſſum, ut non temerè, ſed ſumma fide & æquitate cauſam ab illa veſtram judicatam atque damnatam fuiſſe declararent. Veſtrum adventum vehementer exoptarunt, diligentiſſimeque procurarunt : cum Cæſare non modo ipſi, ſed Romanus etiam Pontifex, & per Legatos ſæpe & per litteras frequenter egit, ut vos ad veniendum induceret : adventum mendaciis & cavillationibus differentes, diutiſſime expectarunt; ex veſtris clam aut aperte adventantes benigne ac liberaliter exceperunt, humaniſſimeque tractarunt : illos ut cauſam ſuam palam & confidenter tuerentur, valde enixè rogarant, tuas ac tuorum lucubrationes venales exponi curarunt, legendaſque illis tradiderunt, qui de veſtra fide aut diſceptare aut judicare debuiſſent: & ne veſtra ſententia damnari prius quam expendi viderentur, non minori diligentia veſtra argumenta illuminari à nobis quam refelli, explicari quam dilui curarunt, ut quod a vobis impetrare precibus nunquam potuerunt, à nobis ſtudio ac diligentia præſtaretur.* Prolixius iſtud teſtimonium deſcribendum duximus, ex quo patet controverſa ac definita in Synodo dogmata, à patribus Tridentinis accuratiſſimè fuiſſe diſcuſſa; atque ſimul præoccupantur ac diluuntur quamplures calumniæ quibus Heterodoxi authoritatem Concilii Tridentini deprimere at elevare conantur.

Idem conſtat ex ordine in Concilio conſtituto, & agendi ratione à Patribus Tridentinis obſervari ſolita, ubi agebatur de decretis ſive fidei ſive diſciplinæ ferendis. 1. aut motu proprio, aut poſtulantibus Regum ac Principum Oratoribus, aut ad vota Patrum, Theologos doctrinâ & rerum gerendarum peritiâ clariores ſeligebant, qui controverſias de quibus in ſequenti Seſſione tractandum erat, in ordinem redigerent. 2. quæſtionibus ab illis Theologis ſic in ordinem diſpoſitis, eædem quæſtiones rurſus expendendæ ac diſcutiendæ proponebantur in privata Theologorum congregatione: huic congregationi præerat Epiſcopus, ad eamque pro libito accedere poterant alii omnes Epiſcopi. 3. quæ in privatâ illâ Theologorum congregatione ſtatuta fuerant, deferebantur ad congregationem generalem, in qua, omnibus fermè præſentibus Epiſcopis, iterato examine diſcutiebantur : atque ſi in præcedenti congregatione in duas itum fuiſſet ſententias, utriuſque partis argumenta proponebantur, ut omnium judiciis cognitis, quod optimum erat, decerni poſſet. 4. quæ in Congregatione generali decreta fuerant referebantur ad publicam Concilii Seſſionem, in quâ Epiſcopi aliique quibus ex privilegio vel conceſſione jus erat ferendi ſuffragii deciſivi, ſuum de rebus propoſitis ferebant judicium per verbum *Placet*, ſi nihil in decreto mutandum eſſe cenſerent. 5. demùm, quòd in Congregatione generali approbatum fuerat, id in formam decreti redactum, in publica univerſi Conſilii Seſſione ritu ſolemni promulgabatur. Iſta conſtant ex Palavicino aliiſque ſacri Concilii Hiſtoricis : ex quibus iterum liquet non inconſideratè & tumultuosè, ut calumniantur Novatores, ſed prudenter & ordinatè, ut volunt Catholici, condita fuiſſe concilii Tridentini decreta.

VI. Tridentina Synodus à primariis Regnorum Catholicorum Eccleſiis in conciliis Provincialibus ſuſcepta eſt. Hanc ſuſcepère Catholicæ Germaniæ Regiones, & Provinciæ Auſtriacæ Familiæ

hæreditariæ in Synodo Auguſtana, Præſide Othone Cardinali Truxeſio celebratâ an. 1567. & in Salisburgenſi 1569. Hanc etiam ſuſcepête Eccleſia Mediolanenſis in concilio I. provinciali, Præſide S. Carolo Cardinali Borromæo Archiepiſcopo, anno 1565. Eccleſia Toletana in concilio provinciali an. 1565. Eccleſia Mechlinienſis in Synodo provinciali an. 1570. Eccleſia Aquileïenſis in Synodo provinciali anni 1596. Eccleſia Mexicana in Synodo provinciali an. 1585.

His adde Eccleſiam Rhemenſem anno 1564. præſide Carolo Cardinali à Lotharingiâ ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopo; Eccleſiam Cameracenſem in Synodo provinciali celebrata anno 1565. præſide Maximiliano à Bergis Archiepiſcopo & Duce Cameracenſi, Eccleſiam Rothomagenſem in concilio provinciali 1581. præſide Cardinali Borbonio Sedis Apoſtolicæ Legato, & ejuſdem Sedis Archiepiſcopo, Eccleſiam Bituricenſem in Synodo provinciali an. 1584. Eccleſiam Turonenſem in Synodo partim Turonis, partim Andegavi eodem an. 1583. celebratâ, Eccleſiam Burdigalenſem in Synodo Provinciali an. 1563. &c.

Ejuſdem concilii decreta ſuſcepêre Hiſpania, Sicilia, cæteræque Catholici Regis ditiones, Philippo Rege id per Edictum imperante datum 2. Julii anno 1564. Excepit Luſitania, ut probant Sebaſtiani religioſiſſimi Regis Litteræ directæ ad Pium IV. die 2. octobris: 1564. quas ex Archivis Vaticanis refert Palavicinus Lib. 24. cap. 9. excepit quoque Polonia in Regni Comitiis ejuſdem anni 1564. ut narratur in vitâ & Litteris Cardinalis Commendoni qui tunc Nuntium Apoſtolicum apud Sigiſmundum Regem agebat. Cætera brevitatis cauſa omitto, quæ vide apud Palavicinum locis citatis.

VII. quod ſpectat ſpeciatim Eccleſiam Gallicanam, certum eſt ea omnia quæ in concilio Tridentino de fide & moribus definita ac ſtatuta fuerunt, ab Eccleſiâ Gallicana ſuſcepta ac admiſſa fuiſſe. Ita expreſſè docet illuſt. de Marca Lib. 2. de Concord. cap. 17. n. 6. his verbis: *Concilii Tridentini definitiones fidei admiſſa ſunt Edicto publico, quod eâ de re latum eſt anno* 1579. Id inſuper conſtat ex citatis mox Rhemenſi, Turonenſi, Rothomagenſi, Burdigalenſi, Toloſana, aliiſque Eccleſiæ Gallicanæ Synodis. Id denique diſertè aſſeritur Tom. 1. Commentariorum novæ editionis pag. 762. ubi ſic legitur: *Neuf Conciles Provinciaux tenus en France depuis le Concile de Trente, ont reçu les decrets qui concernent la foi; ils ont tous donné pour modele de profeſſion de foi, la formule preſcrite dans la Bulle du Pape Pie IV. du mois de Novembre* 1564. *qui contient un article exprès de la reception des dogmes decidés par ce Concile.*

Quod autem attinet Synodi Tridentinæ decreta ad diſciplinam ſpectantia, ſic ſubjungit loco mox citato doctiſſimus Archipræſul: *Sed decreta* (Concilii Tridentini) *quæ diſciplinam reſpiciunt, non ſervantur in Gallia, quia lege principis deſtituuntur: quamvis præcipua capita quæ Gallicanæ Eccleſiæ receptos mores & jura antiqua non infringunt, comprehenſa ſint Conſtitutionibus Regiis, quæ hac de re variis temporibus edita ſunt. Quod gratum & acceptum fuiſſe ſummo Pontifici Clementi VIII. teſtatur Henricus Magnus felicis memoriæ Princeps, an.* 1606.

VIII. Clerus Gallicanus in comitiis Generalibus frequentiſſimè Chriſtianiſſimis Regibus ſupplicavit pro concilii Tridentini promulgatione; non quoad fidem, ut jam ubique promulgatum fuerat, ſed quoad ea diſciplinæ capita quæ Regni juribus & conſuetudinibus ex antiquorum Canonum præſcripto obſervari ſolitis non repugnant. Præces pro iſtâ promulgatione Henrico III. obtulit Clerus in Comitiis Bleſenſibus. Eandem ſupplicationem iteravit in General Conventu habito Melodini an. 1579 Idem legere eſt in Actis Comitiorum Pariſienſium anno 1585. 1586. 1595. &c. Hæ porro ſupplicationes editæ ſunt Tom. 1. Commentar. Cleri Gallicani. Harum meminit illuſtr. de Marca loco mox citato. *Frequentiſſime*, inquit, *totius Cleri Gallicani Conventus Concilii Tridentini promulgationem à Regibus noſtris ſupplicibus Libellis poſtulavit; eâ lege, ut imperio ſuo ea capita exciperent quæ moribus Regni, id eſt, Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ adverſarentur Quorum deſideriis*, ſubdit doctiſſimus præſul, *Principes, toto hoc negotio ſæpe in conſilium prudentiſſimorum virorum relato, ſe accommodare non potuerunt. Quod non ita interpretari oportet, ut ſi contumaci animo ejus Concilii communionem reſpuerent, quam in negotio fidei ſanctiſſime colunt: quin potius eam ſententiam amplexi ſunt ſtudio tuendæ Libertatis Eccleſiæ Gallicanæ, quæ in plurimis capitibus hujus Concilii decretis perſtringatur.* Et paulo poſt. *Itaque Concilii Tridentini publicatio dilata eſt ad concordiam alendam. quæ ſi alia ætate alios mores poſtulet, integrum erit Regibus noſtris ea de re quæ uſui futura erunt decernere.*

IX. Denique, quam ad Synodum Oecumenicam conditionem poſtulat Gelaſius I. in Epiſtolâ ad Dardaniæ Epiſcopos, nempe *ut ſit à Sede Apoſtolica confirmata*, Synodo Tridentinæ competit; eam ſiquidem Pius IV. Pontifex maximus confirmavit diplomate dato ſeptimo Kalendas Februarii an. 1564. quod incipit, *Benedictus Deus.*

Nunc Suavis Polani, Molinæi, Gentileti aliorumque Novatorum objectionibus uno aut altero verbo hic occurrendum.

Objiciunt 1. Synodum Tridentinam non ab Imperatore, ut moris erat antiquitus, ſed à Romano Pontifice indictam fuiſſe. 2. Papam non potuiſſe præeſſe concilio, cum ipſe pars eſſet in quam Proteſtantes movebant litem. 3. Concilium in aliquâ Germaniæ civitate & non in Tridentinâ celebrari debuiſſe, cum præcipiant Canones, *ut illic lites judicentur, ubi exorta ſunt.* 4. inauditi Lutherani & Calviniſtæ fuêre proſcripti, quod omnia jura vetant. 5. in concilio Tridentino multa ſunt quæ Regnorum & præſertim Regni Gallicani juribus adverſantur. Ergo nullum eſt nec pro Oecumenico habendum Concilium Tridentinum.

Reſp. ex jam dictis inter probationes, hæc omnia præoccupata fuiſſe ac ſoluta. Itaque paucis.

Ad primum reſpondeo, non Imperatori ſed ſoli Romano Pontifici, ut viſibili omnium Eccleſiarum particularium capiti & paſtori generali & ſupremo, competere jus ordinarium convocandi concilia Generalia, ut expreſſe docet ipſe Gerſonius.

Ad ſecundum: non agebatur privata Romani Pontificis, ſed fidei, Religionis & Eccleſiæ cauſa communis, cujus defenſor & cuſtos eſſe debet Romanus Pontifex, utpote viſibile Eccleſiæ caput, cui omnes Chriſtiani jure divino parere tenentur. Certè ſi valeret hæc objectio nec S. Cyrillus de Neſtorio, nec S. Leo de Eutychete, nec Agatho de Monothelitis judicium ferre potuiſſent.

Ad tertium dico adductum Canonem, de cauſis fidei exponendum non eſſe: cùm enim cauſæ hujuſmodi ad omnes ſpectent, ubique poſſint expendi ac definiri. Hinc Ariana hæreſis, licet in Ægypto exorta, Niceæ in Bithinia damnata eſt: Neſtorianus error Conſtantinopoli primum exortus, Epheſi proſcriptus eſt, & ita de multis aliis.

Ad

Ad quartum reſpondeo, ad Tridentinum Concilium ritè vocatos fuiſſe ac invitatos Proteſtantes: ſi ergo ad illud non venerint, ſibi, non Concilio imputare debent. Idipſum Kemnitio exprobrat Didacus Payva Luſitanus antea laudatus. Adde quòd cauſæ in quibus agitur de dogmate, qualis erat Proteſtantium, inauditis partibus expendi ac dirimi poſſunt.

Ad quintum, jam vidimus ex illuſtr. de Marca, Concilii Tridentini decreta quæ fidem ſpectant fuiſſe recepta Edicto publico lato anno 1579. pariter decreta *quæ diſciplinam reſpiciunt, quæque Gallicanæ Eccleſiæ receptos mores & jura antiqua non infringunt, comprehenſa fuiſſe Conſtitutionibus Regiis, quæ variis temporibus ea de re edita ſunt. Cætera verò diſciplinæ decreta*, pergit loco antea citato doctiſſimus Archipræſul, *quæ moribus regni, id eſt, Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ adverſantur..... non ſervantur in Gallia.*

Cætera quæ ad hujuſce Concilii œcumenicitatem vellicandam objiciunt Proteſtantes aliique Heterodoxi, levia omnino ſunt ac nullius planè roboris, quæ ex dictis abundè confutata manent ac ſoluta.

Qui fuerint Lutherus, Calvinus &c. quinam eorum errores, opportuniùs data opera exponemus ſingulis tractatibus, ac præſertim mox cùm agemus de gratia: interim exquiſitiſſimum conſule opus illuſtriſſimi Boſſuetii de Variationibus Proteſtantium.

ARTICULUS III.

De particularibus Conciliis in cauſa præcipuarum hæreſum habitis.

NOn cuncta Provincialia contra hæreſes habita hic recenſebimus Concilia, ſed de iis quæ celebriora videntur diverſis, quæſitis mentionem faciemus.

Quæres 1. quæ fuère in cauſâ Paſchatis celebrata Concilia?

Reſpondeo, à primo Eccleſiæ exordio diverſam fuiſſe praxim circa celebrationem Paſchatis. Aſiæ minoris Eccleſiæ, quarum fundator S. Joannes Evangeliſta, diem Paſchæ luna decima quarta Martii celebrabant, cæteræ verò die Dominica hanc lunam decimam quartam & vernale æquinoctium immediatè ſequente. Ut in hoc agendo die feſto ſervaretur unitas diſciplinæ, anno 158. Romam venit S. Polycarpus Smyrnæus Epiſcopus, ad Anicetum ſummum Pontificem: uterque ſuam Traditionem Apoſtolicam defendit, & pro illius reverentiâ neuter à ſuâ dimoveri potuit praxi, undè mutuo dato oſculo, pace ſervatâ, ſervata quoque fuit diſciplinæ diverſitas.

Aſt versùs annum 198 imperante Severo, Victore Romano Pontifice, Polycrate Epheſinorum Præſule, & Aſianarum Eccleſiarum rectore, denuò diſſidium exortum eſt. Habita fuère Concilia, Palæſtinum ſeu Cæſarienſe, Ponticum, Gallicum & Romanum. in quibus definitum eſt ſanctum Paſchæ diem celebrandum eſſe die Dominicâ poſt lunam decimam quartam: congregati in Synodum Aſiani Epiſcopi ſuæ Traditioni ſtare decreverunt.

Tali decreto commotus fuit Victoris zelus pro ſervandâ diſciplinæ unitate, & pro illa qua pollebat authoritate excommunicationis minas intentavit: verùm inſtante Irenæo Lugdunenſi, ultra minas non proceſſit; & Aſiani ſaltem paulò poſt relictâ ſua Traditione, univerſam Eccleſiæ praxim ſecuti ſunt: ſteterunt tamen nonnulli obſcuri nominis, pro die Paſchæ celebrando lunâ ipſa decimâ quartâ; & ii Quartodecimani dicti, in Concilio Nicæno damnati ſunt.

Scio equidem nonnullos exiſtimare, Polycratem & Aſianos à Victore de facto fuiſſe excommunicatos; verùm huic acquieſcere non poſſumus ſententiæ. 1. quia Firmilianus his temporibus proximus, Aſianus Epiſcopus, nec Romanorum Præſulum adulator, docet Epiſt. 75. inter Cyprianas, nuſquam hac de causâ pacem fuiſſe interruptam. 2. quia S. Irenæus admonuit Victorem, ne Aſianos à communione præſcinderet; fruſtranea autem fuiſſet, latâ ſententiâ, admonitio.

Exiſtimant ergo alii fuiſſe duntaxat parumper interruptam communionem, non quidem catholicam ſed ſuam ſpecialem & Eccleſiaſticam, nec mutuas datas fuiſſe, ut notat S. Epiphanius hæreſi 70. pacificas Litteras, quæ enim ſuper hoc negotio ſcriptæ fuerunt acerbiores erant: addunt iidem inſtante Irenæo cum pluribus aliis, fulmen excommunicationis jam oſtenſum non vibraſſe Victorem, zelo quidem diſciplinæ ſuccenſum, ſed & pacis amore ardentiorem.

Communio autem eccleſiaſtica, uti obſervat Van Eſpen parte 3. tit 11. de cenſ. eccleſ. cap. 3. quadruplici potiſſimum ſigno manifeſtabatur. Primum erant mutua Epiſcoporum viſitationis officia: ſecundum, licentia ſolemniter celebrandi in alienâ Diœceſi: tertium, mutuum Litterarum formatarum commercium: quartum, jus aſſiſtendi Synodis, in iiſque ſententiam dicendi. Igitur quibus hæc erat interdicta communio eccleſiaſtica, nec viſitationis officia à collegis, nec collegæ ab iis recipiebant: ſacra ſolemniter obire in alienâ non ſinebantur Diœceſi, mutuo commendatitiarum Epiſtolarum commercio non fruebantur, ad eccleſiaſticos tandem conceſſus non conveniebant, & omni in illis authoritate atque ſuffragiorum jure ſpoliabantur. Ipſos tamen fuiſſe ſummo anathematis gladio percuſſos cave ne dixeris: ab unitate enim præciſi non erant, ſed ſuarum Eccleſiarum communione contenti intra ſepta ſuæ Diœceſeos recludebantur. Id conſtat ex Synodis Carthaginenſi V. Can. 10. Arelatenſi Can. 19. Tarraconenſi cap 6. &c. Plura qui voluerit adeat Morinum Exercit. Eccleſiaſt. Lib. 2. exercit. 17. 18. & 19. Vide etiam S. Auguſtinum Epiſt. 26. & S. Leonem Epiſt. 60.

Quæres 2. quæ fuerunt habita in cauſa Rebaptiſantium Concilia?

Reſpondeo Rebaptiſantes illos dici, qui à quibuſcunque Hæreticis baptiſatos & ad gremium Eccleſiæ catholicæ redeuntes, ſacris denuo immergebant fontibus. Initio tertii ſæculi in Africa ſub Agryppino Carthaginenſi Præſule, Synodo coacta, hic error diſſeminatus eſt: hunc ab anno 258. Cyprianus Agrippini ſucceſſor multis in Conciliis Carthaginenſibus & Africanis ſtabilivit; Firmilianus Aſianus Epiſcopus circa idem tempus, in Synodis Iconienſi & Synadenſi hanc eandem propugnavit ſententiam. Actis Conciliorum tum Orientalium tum Africanorum agnitis, pro Apoſtolicâ Traditione ſtetit Stephanus Romanus Pontifex: utrum autem congregata Synodo ſuam promulgaverit Epiſtolam, nulli docent annales, inquit ipſemet Launoius, nulla tradit hiſtoria: jubet autem Stephanus ne quidquam innovetur, excommunicationemque præceptum illud ſpernentibus minatur. Verùm ultra minas non progreſſus eſt: ut enim notat S. Auguſtinus Lib. 5. de Baptiſmo cap. 25. *Etſi commoti ſunt, fraternè tamen indignati ſunt*, (Stephanus nempe & Cyprianus) *vicitque pax Chriſti in cordibus eorum, ut nullum*

inter eos ſchiſmatis malum oriretur. Imo S. Cyprianum ſuam reliquiſſe ſententiam, non incongruè exiſtimari docet, S. Doctor. Nulla ergo hoc in præſentinegorio fides Firmiliano adhibenda, qui animo exulcerato in Stephanum invehitur; aut ſaltem illius verba quibus Stephani geſta recenſet, ad corticem litteræ non ſunt premenda, & de ſolâ eccleſiaſticæ communionis interruptione exponi debent Vide quæ banc in rem diximus ubi de Sacramentis in genere quæſt. 7. Art. 4.

Diſſidium iſtud circa Baptiſma Hæreticorum à morte Cypriani ſedatum videretur, niſi Donatiſtæ Cæciliani Carthaginenſis Præſulis occaſione Schiſmatici in eundem impegiſſent errorem; quem quidem confixit an. 314. Concilium Arelatenſe I quod & multis plenaria videtur Synodus toties à S. Auguſtino laudata: cæteris tamen ipſa eſt Synodus Nicæna, quæ, ſaltem ex interpretatione Eccleſiæ, ut conſtat ex S. Hieronymo & aliis, litem totam prorſus finivit.

Quæres 3. quæ Synodi coactæ fuêre in cauſa Arianorum & Semi-Arianorum?

Reſpondeo, hæreſi Arianâ nullam fuiſſe in Eccleſiâ Chriſti quæ pluribus convocandis Synodis anſam præbuerit: has omnes referre nec vacat nec expedit, celebriores duntaxat attingemus.

Primum concilium Alexandrinum fuit è centum circiter Epiſcopis reſultans anno 315. in eo damnatur perfida Arii lues, ipſeque à communione catholica rejicitur.

Secundum, Tyrium eſt Conciliabulum, in quo S. Athanaſius ex ſufflatis licet Arianorum calumniis, turpiter & legitimè deponitur.

Tertium, Romanum eſt ſub Julio Pontifice verſus annum 341. habitum: in eo ſedi ſuæ reſtituitur S. Athanaſius innocens probatus atque declaratus.

Quartum, Biterrenſe in Galliis; agente Saturnino Arelatenſi Epiſcopo Ariano congregatum, anno 357. Huic libellum Hæreticorum fraudes detegentem obtulit legendum Hilarius Pictavienſis, unde & in Phrygiam relegatus fuit.

Quintum, Ariminenſe eſt ex Occidentalibus Epiſcopis, Seleucienſe verò ex Orientalibus Præſulibus coactum anno 359. Seleucienſes Patres erant fere omnes Semi Ariani, cæteri vero Ariani, ſi Hilarium tunc exulantem, & perpaucos Ægyptios excipias; diſſolutaque tumultuoſè fuit Synodus.

Ariminenſes Epiſcopi quadringenti vulgò aſſignantur: hos inter 50. aut ad ſummum 80. numerabantur Ariani, cæteri erant Catholici. Primum quidem ſtrenuè propugnata fuit fides; ſed inſtigante Imperatore, in urbe velut in carcere detenti Patres, atque tædio victi tertiæ ſubſcripſerunt Sirmienſi formulæ: Servatius tamen Tungrenſis cum Pluribus aliis hanc reſpuit formulam.

Interim Ariminenſium Patrum fides inconcuſſa manſit; ſed etiam non profitendo integrè, gemitus atque ſingultus orbis ſuſcitarunt. Eorum numerum non exhibuiſſe corpus Epiſcopale, docent Concilia ſtatim poſt eorum lapſum Alexandriæ, Pariſiis & aliis in Regionibus coacta; in quibus ſtatutum eſt de illorum receptione, & reſciſſa fuit minus cauta eorum ſubſcriptio. Docet & ſanctus Auguſtinus, tum millia recenſet Epiſcoporum, tum in Libris contra Creſconium, tum Epiſtola ad Glorium & Eleuſium; dumque refert geſta collationis cum Donatiſtis habitæ, ex quibus conſtat vel in ſola Africa 466. fuiſſe Sedes Epiſcopales, etiam prætermiſſis iis quas ſoli Donatiſtæ occupabant. Verùm iſta hic indicaſſe ſatis ſit, de quibus ex profeſſo erit dicendi locus; ubi de Eccleſiâ.

Sextum, Aquileienſe eſt Concilium anno 381. ſub Damaſo Papâ celebratum, ex quo Palladius & Secundienus Ariani Præſules, & à S. Ambroſio victi, depoſitionis & damnationis ſententiam reportarunt.

Quæres 4. quæ fuêre Concilia in cauſa Pelagianorum & Semipelagianorum coacta?

Reſp. Pelagii errorem de gratia ad ſynodum Dioſpolitanam anno 415. fuiſſe denuntiatum: at verſipellis hæreticus ore ſimulato damnans ſuas aſſertiones, deluſit Patres & ab iis abſolutus exivit; unde hanc Synodum non approbavit Innocentius I. eamque *miſerabilem Synodum* appellat S. Hieronymus Epiſt. 79.

A Patribus Dioſpolitanis abſolutus Pelagius damnationis pœnam non evaſit: anno quippe 416. in Conciliis Carthaginenſi & Milevitano, agente S. Auguſtino, verſutia Pelagii & Cœleſtii detecta, eorum error perfoſſus eſt; hanc ſententiam confirmavit plenaria totius Africæ Synodus Carthaginenſis, Aurelio Præſide, anno 418. Tot iteratis in Africâ judiciis, à Romanis Pontificibus approbatis, ab Eccleſiâ ſuſceptis, cauſa videbatur & erat finita: nihilominus tamen novum contra Pelagianos anathema latum fuit anno 431. in Ephesinâ Synodo, eodemque telo confoſſi Neſtorii & Pelagii errores, prorſus diffamati ſunt.

Reliquiæ Pelagianorum Semipelagiani, ſic dicti quaſi à partito & dimidiato, quem propugnabant, Pelagii errore: horum doctrina, intactis perſonis, damnata eſt ac profligata in Synodo Arauſicana ſecundâ anno 529. Præſide Cæſareo Arelatenſi. Hoc Concilium à Bonifacio II. approbatum & in totâ Eccleſiâ receptum, hæreſim Pelagianam & ſemipelagianam penitus profligavit,

Quæres 5. quæ fuerint celebrata Concilia in cauſa Monothelitarum?

Reſpondeo, hæreſim Monothelitarum, quæ unicam in Chriſto agnoſcebat voluntatem, fuiſſe primum definitam in Conciliabulo Alexandrino ſub Cyro Patriarcha anno 633. Hanc definitionem approbavit Sergius Conſtantinopolitanus, qui & ad Honorium Romanum Pontificem ita artificioſe ſcripſit, ut ex prima litterarum inſpectione non nova videretur tradi doctrina, ſed fide in tuto remanente, ſolus inſpiceretur unionis Acephalorum cum Eccleſiâ zelus & amor. Tali deceptus fraude Honorius, Sergii, uti putabat, zelum laudavit: aſt veram fidem tenuit, licet duplicem voluntatem ſiluerit, ſilendamque pacis amore docuerit; inſuper Sophronium tunc Monachum poſtea Hieroſolymitanum Patriarcham acriter reprehendit, quod duplicem prædicando voluntatem, id ipſum non confitentes à gremio Eccleſiæ vellet excludere Iſta conſtant ex S. Maximo, Joanne IV. Anaſt. Bibliothec. &c. & ex ipſomet Sophronio.

Verùm non diù remanſit inultus error quavis fraude tectus: anno quippe 604. dolum agnovit Joannes IV. Honorii ſucceſſor, Monotheliticamque damnavit doctrinam cum impia Heraclii Imperatoris Ecthesi. Decreto Romani Concilii acceſſere decreta Synodorum trium Africanarum: acceſſit & anno 648. ſub Theodoro Papa in altera Synodo Romanâ damnatio Pauli Conſtantinopolitani & Pyrrhi.

Anno ſequenti ſcilicet 649. ſub Martino I, habitum fuit Lateranenſe Concilium, in quo Typus Conſtantis rejicitur, & anathemati ſubjiciuntur Cyrus Alexandrinus, Sergius, Paulus & Pyrrhus Conſtan-

Digitized by Google

Conſtantinopolitani. Celeberrimum iſtud inter particularia Concilium, ſecutæ ſunt, Anglicana, Mediolanenſis anno 679. & Romana Synodus ſub Agathone anno 680. quæ præivit Concilio ſexto Oecumenico.

Patet autem ex mox dictis, Honorium ab omni hæreſeos labe fuiſſe immunem; aſt imprudenter errori favit, dum ſilentium de duplici exegit voluntate: hoc ſenſu à Concilio ſexto fuit damnatus non ut propriè hæreticus, cùm ex ſola Litterarum inſpectione conſtet eum ſemper fidem ſervaſſe intactam. Sed de his alias.

Quæres 6. quæ Concilia habita ſunt in causâ Iconoclaſtarum?

Reſpondeo, Iconomachi ſeu imaginum fractores versùs annum 730. floruêre, favente Leone Iſaurico Imperatore, Ipſius authoritate celebratum fuit Conſtantinopolitanum Conciliabulum; cui oppoſuit Gregorius II. Synodum Romanam in qua damnata eſt Iconomachorum hæreſis, & excommunicati fuerunt Leo, Iſauricus & Anaſtaſius Pſeudo-Patriarcha Conſtantinopolitanus in locum S. Germani planè intruſus: habita fuit adhuc duplex Synodus Romana annis 732. & 769.

In Galliis autem celebratum fuit Concilium Gentiliacenſe anno 766, juſſu Pipini Regis Præceſſit hæc Synodus Nicænam ſecundam Oecumenicam ſeptimam: ſubſecuta eſt Francofordienſis, quæ Nicænam errore facto reprobavit ſicut & Collatio Pariſienſis; utraque enim decepta infida verſione geſtorum apud Nicæam, ſupponit Patres Oecumenici illius Concilii latriam aut cultum abſolutum imaginibus aſſeruiſſe: verùm agentibus Romanis Pontificibus, quæſtione dilucidata, diſſipatus fuit error, & iterum confoſſus in Conſtantinopolitano Concilio tempore Gregorii IV. anno 842. ſub Theodora & Michaele illius filio.

Quæres 7. quæ celebrata fuêre Concilia in causa Berengarii?

Reſpondeo, Berengarium undecimo ſæculo Archidiaconum Andegavenſem realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia negaſſe. Hoc errore audito infremuêre omnes multaque fuêre celebrata Concilia ab anno 1050. uſque ad annum 1079. nempe Romæ quatuor, duo alia in partibus Italiæ, Vercellis & Florentiæ: in Galliis verò habitæ ſunt Synodi Pariſienſis, Turonenſis, Rothomagenſis & Pictavienſis. Pluribus illorum Conciliorum adfuit Berengarius ipſe, & convictus errorem multoties ejuravit. An bona fide; dubia res eſt, cùm toties ad vomitum redierit: anno tamen 1079. ſub Gregorio VII. ex animo confeſſus eſt errorem & ſincero corde reſpuit; Romaque diſcedens Turones venit, ibique pœnitens & Catholicus in gremio Eccleſiæ obiit.

Sunt & Particularia alia Concilia pene innumerabilia: hæc ſelegimus, quorum notio haud ingrata erit, cætera brevitati conſulentes conſultò omittimus.

DE CENSURIS.

ſeu notis theologicis.

Virum Theologum minimè decet ignorare varia dogmaticarum propoſitionum venena vulnus ſiquidem à vulnere ſecernere debet, ne minus cauta morborum cognitio remedia confundat, & imperitus medicus, dum animum curare voluerit, ipſum de facto exulceret. Non abs re itaque erit hic agere de Cenſuris ſeu notis theologicis, circa quas quæremus 1. de natura notæ ſeu cenſuræ theologicæ. 2. de diviſione notæ theologicæ. 3. de ipſius objecto. 4. de modo ferendi cenſuras theologicas. 5. denique de authoritate neceſſaria ad ferendas hujuſmodi cenſuras.

ARTICULUS PRIMUS.

De natura notæ ſeu cenſuræ Theologicæ.

Ut clara & accurata habeatur notæ ſeu cenſuræ theologicæ notio tria hic veniunt expendenda. 1. quæ ſit legitima cenſuræ theologicæ definitio. 2. qui dogmatici Eccleſiæ judicii, quo ipſa fertur cenſura, genuini characteres. 3. quodnam ſit diſcrimen judicium illud dogmaticum inter & legem diſciplinæ, ac meram propoſitionem aut librorum prohibitionem ad tempus.

Quæ ſit legitima cenſuræ theologicæ definitio.

Cenſura theologica rectè definiri poteſt, *judicium ſeu ſententia, quâ nota pravu & Maligna cuidam inuritur doctrinæ tanquam fidei aliquo modo nocivæ.* Ita Cardinalis Cajetanus, Melchior Canus, & poſt ipſos Antonius de Panormo in erudito Opere cui titulus, *Scrutinium doctrinarum* cap. 1. art. 2. n. 6.

Dicitur, *Judicium ſeu ſententia*, quia cenſura tradit quid ſit ſentiendum de doctrinâ circa quam verſatur

Additur, *quâ nota pravu & Maligna*: ſemper enim in malam partem uſurpatur cenſura, & exponit quale nocumentum inferat fidei perverſa hæcce doctrina.

Subjungitur, *cuidam inuritur doctrinæ*: etenim non unicè verba & propoſitionis terminos attingit cenſura, ſed potiſſimùm eorum ſenſum atque doctrinam iis enuntiatam.

Tandem dicitur, *tanquam fidei aliquo modo nocivæ.* Scilicet non fertur cenſura niſi in ordine ad depoſitum fidei cuſtodiendum: unde opiniones merè philoſophicæ, quæque fidei nec immediatè nec indirectè adverſantur, quantumvis falſæ, cenſuræ theologicæ non ſubjiciuntur.

Accuratam eſſe hanc definitionem conſtat. 1. ex authoribus mox citatis. 2. ex dicendis Articulo ſequenti, ubi ſingulas ſigillatim notas ſeu cenſuras theologicas expendendo, patebit nullam ex iis eſſe, cui non competat præfata theologicæ notæ definitio. 3. ex genuinis dogmatici Eccleſiæ judicii, quo doctrinæ nota inuritur, jam recenſendis characteribus.

Dogmatici Eccleſiæ judicii, quo theologica fertur cenſura, genuini characteres.

Dogmaticum Eccleſiæ judicium generatim definitur: *Judicium de rebus credendis*: vel aliter, *Judicium veritates credendas & errores proſcribendos proponens*: vel paulò fuſiùs, *Judicium de rebus à Deo revelatis, vel cum iis certo & indiviſe connexis*: vel denique: *Judicium internos Fidelium ſenſus & fidem ordinans ac dirigens circa ea omnia quæ ab Eccleſia aut credenda aut proſcribenda Fidelibus proponuntur.*

Ex his judicii dogmatici definitionibus quas Laurea, Panormo, Suares, Natalis Alex. aliique paſſim Theologi tradunt, patet 1. dogmaticum Eccleſiæ judicium non modo circa veritates immediatè revelatas verſari, ſed etiam ad veritates mediatè

duntaxat revelatas, nec non ad ea omnia quæ cum iis connexa ſunt, extendi. 2. judicia hujuſmodi internum & abſolutum exigere mentis aſſenſum. 3. non nihil diſcriminis eſſe judicium dogmaticum inter & regulam fidei ſtrictè ſumptam: omnis ſiquidem regula fidei ſtrictè ſumpta judicium eſt dogmaticum, ſed non vice verſa: illa enim neceſſario verſatur circa veritates immediatè revelatas, vel eas in ſeipſis credendas proponendo, uti in ſymbolis, aut proſcribendo errores ipſis oppoſitos, ſicuti in Canonibus & Anathematiſmis; judicium verò dogmaticum extenditur inſuper ad veritates aut errores, fide vel hæreſi inferiores: eſt enim judicium dogmaticum veluti genus reſpectu regulæ fidei ſtrictè ſumptæ, quæ ſe habet quaſi illius ſpecies.

Igitur cum Eccleſia quaſdam propoſitiones, uti hæreticas, aut etiam erroneas, vel temerarias, ſcandaloſas &c. ſive ſpeciatim, ſive generatim & *in globo* damnat; judicia hujuſmodi verè ſunt dogmatica, & tenetur unuſquiſque perſuaſum habere, nullam eſſe ex iis notam quæ in proſcriptas propoſitiones meritò non cadat; & inſuper ſi agatur de cenſura generali & *in globo*, nullā eſſe ex damnatis propoſitionibus quæ aliquam ex enumeratis notis non mereatur.

I. illud manifeſtè demonſtrant Bullæ Leonis X. adverſus Lutherum; Pii V. adverſus Baium; Innocentii XI. adverſus Molinos, Innocentii XII. in propoſitiones 23. excerptas è Libro cui titulus, *Les maximes des Saints &c.* in his omnibus decretis damnantur propoſitiones, non ſolum ſub nota hæreſeos aut erroris, ſed etiam tanquam ſcandaloſæ, temerariæ &c. quis autem dixerit Fideles non teneri prædictas propoſitiones intus & ex animo proſcribere ſub iis notis quibus diffamatæ ſunt, cùm disertè teſtentur Præſules Gallicani, quorum declaratio refertur ad calcem Comitiorum anni 1705. prædictis Conſtitutionibus nullam ex requiſitis ad aſtringendam univerſam Eccleſiam conditionibus deſiderari.

Idem colligitur ex formulâ à Martino V. ſacro approbante Concilio Conſtantienſi latâ, in qua propoſitis Wicleffi, Joannis Hus & Hieronymi de Pragâ articulis, quorum aliqui non ut hæretici, ſed ut erronei duntaxat, aut ſcandaloſi, temerarii &c. proſcripti fuerant, jubet ſummus Pontifex quoslibet Fideles de his articulis ſuſpectos interrogandos eſſe, *utrum credant quòd condemnationes horumce articulorum... per ſacrum generale Conſtantienſe Concilium fuerint ritè & juſte facta, & à quolibet Catholico pro talibus tenenda ac firmiter aſſerenda.* Quod autem ſpectat Litteratos, præcipit ſummus pontifex ut ſub hâc formâ interrogentur: *Utrum credant ſententiam ſacri Concilii Conſtantienſis ſuper 45. Joannis Wiclef & Joannis Hus 30. articulis ſuperius deſcriptis latam, fore veram & catholicam: ſcilicet quod ſupradicti articuli 45. Joannis Wiclef, & Joannis Hus 30. non ſunt catholici, ſed quidam ex eis ſunt notoriè hæretici, quidam erronei, alii temerarii & ſeditioſi, alii piarum aurium offenſivi.* propoſitiones ergo damnatæ, etiam ſub aliis notis quam erroris aut hæreſeos, docente Concilio Conſtantienſi non ſunt catholicæ, & judicia quibus illæ configuntur verè ſunt dogmatica, atque ad aſſenſum internum adſtringunt Fideles.

Et verò eadem Seſſ. 45. declarat S. P. Martinus V. quæ à Concilio contra Wicleſi articulos ſtatuta fuerant, totidem fuiſſe *determinationes, concluſiones & decreta in materia fidei.* Ipſum etiam conc. Seſ. 7. & 8. damnationem articulorum Wicleſi, quorum aliqui tamen duntaxat notantur ut ſcandaloſi, temerarii &c. non autem ut erronei aut hæretici, appellat *determinationes in materia fidei.* Teſte ergo Concilio Conſtantienſi, judicia quibus propoſitiones perſtringuntur aliâ ratione quàm ut erroneæ aut hæreticæ, verè ſunt ac dici debent judicia dogmatica.

II. id etiam evincitur ex communi ac conſtanti Theologorum doctrinâ: nonnullos ex inſignioribus hic recenſere ſatis ſit.

Doctiſſimus Meldenſium Epiſcopus in ſecundo Scripto adverſus illuſtriſſ. Archipræſulem Cameracenſem, aperte ſupponit judicia, quibus Eccleſia ſub quibuſcunque notis doctrinam proſcribit, vere eſſe dogmatica cùm aſſerit hujuſmodi judiciis naſcentes hæreſes plerumque lethali telo transfodi. Sic habet pag. 45. laudati mox Scripti: *Les condamnations générales ſont utilement pratiquées dans l'Egliſe pour donner comme un premier coup aux erreurs naiſſantes, & ſervent même le dernier, ſuivant l'exigence du cas, & le degré d'obſtination qu'on trouve das les eſprits.*

Non alia eſt Palavicini doctrina Lib. 1. Hiſtor. Conc. Trid. cap. 21. ubi diluens Suavis argumenta adverſus Leonis X. pontificium diploma, quo erronea Lutheri dogmata percelluntur, ſic loquitur: *Ut aliquis articulus tanquam fidei dogma ſtatuatur & ſumma neceſſitas urgeat oportet, & exactiſſimâ trutina examinetur; cum hujuſmodi declaratio imperet hominum mentibus, rem maximè omnium quam chriſtiana lex habet arduam, id eſt, ut res obſcuras citra omnem dubitationem credamus: quapropter Eccleſia, quantum licuit, ab eo ſemper abſtinuit. Jam verò quia multa doctrina homines inclinant in hæreſim, aliaque infligunt incommoda, par eſt eas è linguis ac paginis relegare: atque ad id neceſſe non eſt ut illa certè Dei verbis repugnent, ſatis eſt ſi aut gravia extent hujus repugnantia indicia, aut quod adverſentur ſeu communi Scholæ conſenſui, ſeu veteribus Eccleſiæ uſibus, ſeu ſanctorum Patrum authoritati; aut deprehendantur ut ſemina operum quæ efficiant chriſtianæ Reipublicæ, ac proinde mereantur aliquam ex ſupra memoratis cenſuris,* (temerariam ſcilicet, ſcandaloſam &c.) *quæcunque tandem ea ſit.* Id familiari exemplo ibidem illuſtrat Eminentiſſimus author his verbis: *Ut ab aliquo oppido excludatur advena, non ſemper eſt neceſſe ut peſte correptus aut perduellis in apertè ſit: ſufficit peſtilentiæ aut perduellionis ſuſpicio. Non igitur Pontifex* (Leo X.) *habuit in animo, per hujuſmodi diploma* (adverſus Lutherum) *dubitationem omnem tollere;* (nimirum circa ſpecialem malitiæ ac notæ theologicæ gradum unicuique Lutheri articulo inurendum, ut paulò poſt obſervat Palavicinus) *quibus dubitationibus libitum eſt Deo oppletam eſſe penè omnem hujus vitæ ſcientiam, ac potiſſimè Theologiam, quippe cui obſcuriora obverſantur themata, aliiſque noſtram intelligentiam ſupergreſſa; illi ſolum Conſilium fuit ut certi haberemus quantum ſatis erat: nimirum declaravit eas omnes propoſitiones perniencioſas eſſe, ſi tradantur; periculoſas ſi credantur. Cæterum innumeræ ſententiæ ſunt quæ communi conſenſione à Theologis rejectæ adhuc in incerto ſunt, & ignoratur quanam ſpeciali nota ſint configendæ; cum alii hæreticas exiſtiment, alii erroneas, alii ſolum temerarias ſeu improbabiles.* Integrum hunc Eminentiſſimi juxta ac doctiſſimi, authoris textum exſcripſimus, quo manifeſtè patet, Eccleſiæ decreta quibus propoſitiones velut ſcandaloſæ, temerariæ, ſuſpectæ &c. configuntur, vera eſſe dogmatica judicia, quæ ad internum & firmum animi aſſenſum ſingulos Fideles adſtringunt; quanquam, cum hujuſmodi judicia varias in globo propoſitiones ſub variis reſpectivè notis configunt, in incerto relinquant,

quant, quænam ſigillatim nota cuilibet ſpeciatim propoſitioni ſit aſſignanda.

Eandem doctrinam ſæpius inculcat celeberrimus Ekius adversùs Lutherum diſputans, præſertim verò diſput. ſextâ Julii, ubi ait omnes articulos à Concilio Conſtantienſi proſcriptos, pro heterodoxis ac legitimè damnatis habendos eſſe à quolibet Fideli. *Sacroſancta Synodus Conſtantienſis*, inquit Ekius, *articulos illos* (Joannis Wiclef) *damnavit & reprobavit; ideoque à quolibet bono Chriſtiano pro condemnatis & reprobatis habendi ſunt.* Rurſus notat ibidem tanquam quid horrendum, *Lutherum auſum fuiſſe aſſerere, aliquos articulos Joannis Wiclef, per ſacrum Concilium Conſtantienſe reprobatos, eſſe chriſtianiſſimos & evangelicos.*

Idem paſſim docent ac probant celebriores Theologi, de Lugo diſp. 20. ſect. 3. Malderus 2.2. quæſt. 11. membro 5. Suares de fide diſp. 19. ſect. 2. Turrianus diſp. 55. dub. 5. Laurea, Antonius de Panormo in Scrutinio doctrinarum & alii. Inſtar omnium hic ſufficiat referre Bannesium 2.2. quæſt. 11. art. 2. *Sine dubio*, inquit, *gravius eſt aſſerere quòd Eccleſia poteſt errare in ejuſmodi rebus definiendis*, (nimirum aliquam propoſitionem eſſe malè ſonantem, aut ſcandaloſam &c.) *quam aſſerere ipſasmet propoſitiones male ſonantes & offenſivas. Ratio eſt, quia talis aſſertio magis accedit ad contumaciam, quam aſſertio ipſarum propoſitionum.* Et paulò poſt, *Error eſt aſſerere quòd Eccleſia in ejuſmodi cenſuris poſſit errare. Probatur, quia cùm Eccleſia ſit regula infallibilis proponendi veritates fidei, neceſſariò ſequitur ut non poſſit falli in confeſſione fidei..... Ex quo rur, us ſequitur, quod non poſſit falli in dijudicando verba contraria & minùs legitima ac diſſonantia veritatibus catholicis ſignificandis.* Atque hinc concludit. *Quod ſi quis condemnaretur ut revocaret aliquam propoſitionem malè ſonantem aut ſapientem hæreſim, & ille nollet retractare, puniretur ut Hæreticus.*

III, denique ea omnia Scripturæ, Patrum ac rationum momenta quibus demonſtratur decreta Eccleſiæ propoſitiones quaſdam velut hæreticas diffamantis, vera eſſe judicia dogmatica, infallibilia, quæque internum ac firmum Fidelium aſſenſum exigunt; idem proportione ſervatâ evincunt de aliis omnibus decretis quibus propoſitiones tanquam *male ſonantes ſcandaloſa*, aliiſque hujuſmodi cenſuris proſcribuntur. Et verò, ut ſæpiùs obſervat illuſtr. Boſſuet. in utroque ſuo Documento Paſtorali circa Eccleſiam, ea Scripturæ teſtimonia, *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* & alia hujuſmodi univerſalia ſunt, abſoluta & independentia; ac proinde ad ea etiam Eccleſiæ decreta extendi debent, quibus doctrina Fidelibus reprobanda proponitur ſub aliis notis quam erroris aut hæreſeos.

Atque hinc non mirum ſi doctiſſimus Præſul mox citatus, in Relatione damnationis Libri cui titulus *Explication des maximes des Saints*, loquens de decreto Innocentii XII, quo plures propoſitiones ex prædicto Libro extractæ configuntur ſub variis reſpectivè notis, inter quas non reperitur nota hæreſeos, non mirum, inquam, ſi de eo decreto loquens, aſſerat, approbantibus Comitiis, uti refertur in Actis verbalibus Cleri Gallic. an. 1700. pag. 271. 272. 285. 288. decretum illud latum fuiſſe *circa materiam ad fidem ſpectantem, cum revelatione connexam; in eo ferendo ſpectandam fuiſſe Scripturam & Traditionem &c.* Et rurſus illud appellat cenſuram *accuratam, ſummæ authoritatis, Scripturæ & ſanctorum Patrum Traditioni conformem &c.* Quæ quidem omnia totidem ſunt judicii dogmatici ad aſſenſum internum adſtringentis genuini characteres.

Idem clarè tradunt Præſules Gallicani in ſuâ celebri ad Regem Epiſtola an. 1728. his verbis: *Ces ſortes de jugemens* (in globo) *nous reglent dans l'ordre de la foi, parce que c'eſt pour la conſervation de la pureté de la foi que l'Egliſe les prononce, & parce qu'ils ſervent à garantir la foi des Fideles, en les mettant en garde contre des propoſitions qui enſeignent, qui favoriſent ou qui inſinuent l'erreur.* Et paulo poſt, ut illud confirment, ſubdunt iidem Præſules: *Il n'y a qu'à lire les profeſſions que Martin V. dreſſa à la fin du Concile de Conſtance, on verra clairement que ce Pape regardoit des cenſures portées avec des qualifications reſpectives comme appartenantes au dogme, & comme ſervant à diriger les Fideles dans l'ordre de la foi.* Judicia ergo quibus etiam reſpectivè & *in globo* damnantur propoſitiones, etſi infra hæreſim, verè ſunt dogmatica: ac proinde ad aſſenſum internum ſingulos Fideles obligant.

Quinque ſunt dogmatici Eccleſiæ judicii præcipui ac eſſentiales characteres

I. Regula eſt aſſenſus interni, veritates intus & ex animo credendas, aut errores proſcribendos proponens. Is eſt primus & eximius dogmatici Eccleſiæ judicii character, aliorum omnium fons, radix & origo; & quo eſſentialiter diſcrepat à lege diſciplinæ, quæ per ſe exteriores duntaxat actiones vel certos quoſdam uſus præſcribit aut prohibet.

II. irreformabile eſt nec mutationi obnoxium: ſicuti enim teſte Apoſtolo Epheſ. 4. *una fides* & immutabilis; ita &, fatentibus omnibus, judicium dogmaticum quod verſatur circa veritates revelatas, aut cum iis certò & indiviſè connexas, irreformabile eſſe debet & prorſus immutabile.

III. univerſale eſt. Scilicet, ubi ſemel latum eſt dogmaticum Eccleſiæ judicium, omnia perinde reſpicit loca, tempora, omnes obligat ubique ſparſos Fideles: hinc celebre illud Vincentii Lyrinenſis pronuntiatum, *Quod ab omnibus, quod ſemper, quod ubique.*

IV. dogmaticum Eccleſiæ judicium habet pro objecto, non meras voces meroſque terminos quibus exprimitur propoſitio, ſed ipſammet dogmatis ſubſtantiam, eamque ſi perverſa ſit, ſub debitâ notâ & qualificatione perſtringit; quæ quidem nota per ſe & immediatè cadit, non in ipſam perſonam, (quemadmodum in judicio diſciplinæ, uti mox videbimus) ſed in malum ſenſum & perverſam doctrinam propoſitione enuntiatam.

V. tandem dogmaticum Eccleſiæ judicium propugnari nequit aut impugnari, niſi ad Scripturam, Traditionem, aut ad ea quæ cum iis connexa ſunt, recurrendo, atque oſtendendo prædictis regulis illud adverſari aut conſentire: atque in eo differt à lege diſciplinæ, cujus æquitas aliunde vindicatur ut mox expendemus,

Quodnam ſit diſcrimen judicium dogmaticum inter & legem diſciplinæ.

Accurata hæc eſt legis diſciplinæ notio: Decretum quod fertur de rebus agendis, nec intrinſecè bonis, nec intrinſecè malis: unde res illæ pro variis locis, temporibus, & Eccleſiarum conſuetudinibus aliquam ſubire poſſunt mutationem; immutantur quippe pro libitu Eccleſiæ, ubi opportunum dijudicatur; aut penitus obliterantur.

Diſciplina porro generatim duplex diſtinguitur: Apoſtolica, quæ originem ducit ab Apoſtolis: & Eccleſiaſtica, quæ initium ſumit à ſucceſſoribus Apoſtolorum.

Rurſus Eccleſiaſtica, alia eſt univerſalis, quæ nimirum ubique viget; & particularis, certis quibuſdam determinatè locis affixa.

Iterum univerſalis, alia eſt quæ jam ab antiquo ubique viget: alia, quæ de novo introducitur.

Deniq; diſciplina tribus modis ſpectari poteſt. 1. ſtrictè, & eſt ſimpliciter de rebus agendis; dicitur mera diſciplina: talis erat quæſtio de celebratione Paſchatis, agitata Polycratem inter & Victorem ſummum Pontificem. 2. late, & reſpicit itidem agenda, ſed alicui dogmati connexa; hujuſmodi erat juxta nonnullos SS. Cypriani & Stephani de Baptiſmate controverſia. 3. tandem latiſſimè & valde improprio ſenſu res ea dicitur diſciplinæ, quæ licet in ſe ad dogma pertineat, nondum tamen expreſſe ab Eccleſiâ definita fuit: unde in alterutram ſententiam abire poſſunt Theologi. de his omnibus diſciplinæ ſpeciebus alius erit dicendi locus.

Meræ autem diſciplinæ, de qua hic potiſſimom quæſtio, tres ſunt præcipuæ proprietates. Prima, varietas in praxi. Secunda, libertas ſentiendi. Tertia, inter diſſentientes communionis vinculum. Id patet diſcurrendo ſigillatim circa ſingula meræ diſciplinæ capita.

His præſuppoſitis, judicii dogmatici à diſciplinæ lege diſcrimen ex quinque potiſſimum capitibus repetitur.

I. lex diſciplinæ *per ſe* exteriores duntaxat actiones præcipit aut prohibet: quòd ſi feratur de propoſitionibus in controverſiam adductis, unicè ſilentium imperat, meras voces merosque terminos removet diſputationi locum præbentes; ſed doctrinam ipſam ipſumque dogma minimè perſtringit: è contra vero judicium dogmaticum, uti antea diximus.

II. mutatur pro mutatis circumſtantiis; è contra judicium dogmaticum immutabile eſt ac irreformabile.

III. non omnes æquè obligat, ſed eas ſolum Regiones quarum uſibus congruit, & in quibus illius viget acceptatio: è contra vero cùm judicium dogmaticum feratur ad dirigendos Fideles in ordine fidei; quemadmodum una eſt omnium fides, ita & judicium dogmaticum omnes indiſcriminatim Fideles reſpicit, atque ad omnia loca & tempora extenditur.

IV. lex diſciplinæ pœnam transgreſſoribus infligit, dum eorum doctrinam non infamat: è contra in judicio dogmatico proſcribitur doctrinâ ſub aliquâ è notis in damnandis propoſitionibus ab Eccleſiâ adhiberi ſolitis. Diſcrimen iſtud apertè patebit conferendo ex unâ parte Statuta ſynodalia quæ verſantur circa diſciplinam, cum Paſtoralibus Epiſcoporum Mandatis quibus libros aut propoſitiones è libris extractas dogmaticè perſtringunt.

V. demum legis diſciplinæ de novo introducendæ, vindicatur aut impugnatur æquitas, non quidem recurrendo ad immotas fidei noſtræ regulas, Scripturam & Traditionem, ſed unicè demonſtrando novum illud Statutum conſentire aut adverſari antiquis ac receptis uſibus, moribus ac conſuetudinibus Regionum: at ubi agitur de judicio dogmatico res omnino aliter ſe habet, uti ſupra videre eſt.

Ex dictis in duobus præcedentibus Paragraphis inferes multum eſſe diſcriminis, inter cenſuram ſeu damnationem abſolutam propoſitionum, & meram iiſdem utendi prohibitionem.

Abſoluta propoſitionum damnatio verùm eſt judicium dogmaticum, cui proinde citati antea characteres competunt: ſcilicet perverſam habet pro directo & immediato objecto propoſitionis ſeoſum ac doctrinam, internum animi aſſenſum exigit; & ſi ab Eccleſia lata fuerit hæc damnatio, infallibilis eſt, omnes æquè Fideles obligans, perpetua & invariabilis, quamdiu ſcilicet immutatus manebit propoſitionis ſenſus.

Nuda autem certis quibuſdam propoſitionibus utendi prohibitio, mera eſt diſciplinæ lex quæ non perverſam propoſitionis doctrinam reſpicit, ſed illius duntaxat uſum quem prohibet: innoxias perinde ac vitioſas propoſitiones ſpectare poteſt, cùm utriſque quis abuti poſſit. Ita, ſicuti ſuo loco variis adductis exemplis evincemus, Sabelliani, Ariani, Pelagiani, Neſtoriani, Eutychiani, Scripturæ & patrum propoſitionibus in ſuorum errorum patrocinium uſi ſunt: Eutychiani v. g. iſta ſancti Cyrilli propoſitione, *Una natura Verbi Dei incarnata.*

Præterea, mera uſus propoſitionum prohibitio (niſi ex circumſtantiis temporibus authoriſve conjiciatur, ſimul prohiberi doctrinam propoſitione expreſſam) nullatenus *per ſe* ad credendum adſtingit, ſed ſolùm importat ſilentium, atque interdictæ propoſitionis non uſum.

Denique, mera vocis aut propoſitionis interdictio propter imminentes abuſus, aut ne motus & diſſenſiones excitentur, noda eſt politiæ, œconomiæ & cautionis lex ad tempus, quæ ceſſante abuſo & ſedatis motibus animi que pacatis definit obligare: ac proinde tunc eandem propoſitionem defendere licet eàque uti.

ARTICULUS II.

De diviſione notæ ſeu cenſuræ theologicæ.

VAriæ paſſim recenſentur damnabilium propoſitionum cenſuræ. Alia nimirum eſt propoſitio hæretica, alia erronea, alia hæreſi proxima, ſapiens hæreſim, hæreſeos ſuſpecta; alia proxima errori, ſapiens errorem, ſuſpecta erroris; alia impia, alia Blaſphema, alia periculoſa in fide & moribus; alia ſcandaloſa, male ſonans, piarum aurium offenſiva; alia captioſa, temeraria; alia denique ſchiſmatica, ſeditioſa, eccleſiaſticæ hierarchiæ everſiva, falſa, improbabilis &c. Præcipuas ex recenſiis mox cenſurarum ſpeciebus reperire eſt in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 8. & 11. ubi enumeratis Wiclefi articulis, de his ſic pronuntiat ſynodus: *Quibus articulis examinatis fuit repertum (prout in veritate eſt) aliquos & plures ex iſtis fuiſſe & eſſe notorie hæreticos, & à pluribus ſanctis Patribus reprobatos; alios non catholicos, ſed erroneos; alios ſcandaloſos & blaſphemos; quoſdam piarum aurium offenſivos; nonnullos eorum temerarios & ſeditioſos, & propterea in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti hæc ſancta Synodus prædictos articulos & eorum quemlibet hoc perpetuo decreto reprobat & condemnat, inhibens omnibus & ſingulis Catholicis ſub anathematis interminatione, ne de cætero dictos articulos, aut ipſorum aliquem audeat prædicare, dogmatiſare, aſſerre vel tenere.* Synodo Conſtantienſem ſecuti ſunt poſteriores ſummi Pontifices Leo X. pius V. Gregorius XIII. Innocentius X. Alexander VII. Clemens X. Innocentius XI. Alexander VIII. Innocentius XII. &c. nec non & Comitia Cleri Gallicani plerumque ac ſacra Facultas Pariſienſis.

De variis illis propoſitionum cenſuris ex profeſſo diſſerunt S. Antonius 2. parte Summæ Theol. titulo 12. cap. 5. Turrecremata in Summa de Eccleſiâ Lib. 4. parte 2. cap. 8. & ſequent. Caſtro Lib. 1. de Hæret. punitione cap. 3. & ſeq.

Sylveſter

Sylveſter verbo hæreſis qu. 1. Canus Lib. 12. de Locis theologicis à cap. 8. Gerſon Lib. cui titulus, *Declaratio veritatum quæ credi debent.* Cajetanus 2. 2. q. 11. art. 1. & 2. Bannes ibidem; Lorca diſp. 40. Suares de fide diſput. 19. ſect. 2. Ripalda Tom. 3. de ente ſupernatur. diſput. 1. ſect. 7, & 8: &c. & è recentioribus Eminentiſſimus de Laurea diſp. 9. de fide Antonius de Panormo integro volumine cui titulus, *Scrutinium doctrinarum.* De his etiam paucis quidem ſed doctè, ut aſſoler, diſſeruit illuſt Boſſuet. cap 15. Libri 2. & cap. 13. Libri 3. defenſionis declarat. Cleri Gallicani. Hos omnes authores indicaſſe non abs re erit, qui conſuli poterunt ſi vacat, aut neceſſitas urgeat. Interim ſupra recenſitas cenſurarum ſpecies ſigillatim & obiter referemus, ac exponemus.

De propoſitione hæretica.

Diſſentiunt inter ſe Theologi in aſſignanda legitima notione propoſitionis hæreticæ.

I. nonnulli arbitrantur propoſitionem hæreticam eam eſſe quæ opponitur fidei cum pertinaciâ; adeò ut eadem propoſitio ſi cum pertinacia & animo hæretico proferatur, erit hæretica, non verò ſi ex ignorantiâ aut bonâ fide. ſenſit Cajetanus citatâ mox quæſt. 11. art. 1. huncque ſequitur Canus citato etiam mox loco.

Refellitur hæc opinio. 1. quia unanimi aliorum Theologorum doctrinæ adverſatur. 2. propoſitio poteſt eſſe hæretica abſque pertinaciâ: ſiquidem pertinacia non pertinet ad qualitatem propoſitionis ſecundùm ſe, ſed ad qualitatem proferentis; cenſura autem hæreſeos directè afficit ipſam propoſitionem atque doctrinam propoſitione enunciatam. 3 propoſitio ſecundùm ſe ſeorſim à pertinaciâ continet gradum oppoſitionis cum fide ſupremum & proprium à cæteris diſtinctum, quem ſibi vindicat, ut mox conſtabit; ergo &c.

II. alii exiſtimant propoſitionem hæreticam eam eſſe quæ repugnat objecto fidei, ſeu doctrinæ revelatæ.

Refelluntur. Nam propoſitio poteſt repugnare objecto fidei doctrinæ revelatæ, quam jure cenſeatur hæretica: talis eſt propoſitio erronea, quæ uti poſtea dicemus, conſtituitur in ratione erroneæ per oppoſitionem mediatam cum doctrinâ divinitus revelatâ.

III. alii addunt propoſitionem hæreticam eam eſſe quæ contradicit objecto immediatè revelato.

refelluntur adducto mox argumento. Etenim poteſt propoſitio repugnare objecto immediatè revelato, quin jure cenſeatur hæretica: nimirum cùm aliquis diſſentit doctrinæ in Scripturis immediatè contentæ, quæ tamen non eſt ab Eccleſiâ declarata, ut dari virtutes infuſas, antequam Eccleſia eam veritatem declaraſſet. Item ſi quis diſſentiat objecto privatim alicui perſonæ immediatè revelato, is certè diſſenſus hæreticus non eſt.

IV. alii propoſitionem hæreticam eam eſſe definiunt, quæ adverſatur aut expreſſo Dei verbo, aut expreſſæ definitioni Eccleſiæ.

Refelluntur. Ut aliquid ſit de fide divinâ catholica. nec expreſſum Dei verbum ſine expreſſâ Eccleſiæ definitione; nec viciſſim expreſſa Eccleſiæ definitio ſine expreſſo Dei verbo ſufficiunt, ſed utrumque requiritur, uti mox dicemus, idque variis exemplis illuſtrari poteſt; ergo à pari, ut propoſitio verè dici poſſit hæretica neceſſum eſt, ut revelationi acceſſerit expreſſa Eccleſiæ definitio.

V. denique alii, quibus ſubſcribimus, aſſerunt propoſitionem hæreticam eam eſſe, *quæ directè & immediatè opponitur veritati catholicæ.* Veritas autem catholica ea dicitur, quæ cum ſit revelata, ab Eccleſiâ quoque proponitur de fide tenenda. Vel aliter, Propoſitio hæretica ea eſt, *quæ directè & immediatè adverſatur doctrinæ à Deo revelatæ & per Eccleſiam propoſitæ.* Iſta propoſitionis hæreticæ notio, inquit ſæpius citatus author *Scrutinii doctrinarum*, cap. 2. art. 1. n. 6. *communis eſt apud Theologos & canoniſtas, cum Scoto in 3. diſt. 73. quæſt. unica, & Suario de fide diſp. 19. ſect. 1. & colligitur ex cap.* Ad abolendam &c. *& paſſim ex toto titulo* De Hæreticis.

Dicitur 1. propoſitio hæretica quæ *directè* opponitur veritati fidei, ſeu veritati à Deo revelatæ, ſeu veritati catholicæ: nam propoſitiones quæ indirectè tantùm & per conſequens veritatibus fidei catholicæ repugnant (cujuſmodi ſunt propoſitiones concluſionibus theologicis contrariæ) non hæreſeos notâ, ſed alterius ſpeciei cenſura, de qua paulò poſt afficiuntur.

Dicitur 2. quæ *immediatè* opponitur: propoſitio enim hæretica in ſuo eſſe eſſentialiter conſtituitur, atque à propoſitione erronea formaliter diſtinguitur per illam immediatam oppoſitionem cum veritate revelata: ut enim ait author *Scrutinii* Antonius de Panormo loco mox laudato, *Sicut non omnis propoſitio vera, etiam in materia Religionis ſpectat ad fidem catholicam; ita non omnis falſa eſt hæretica, etiamſi fuerit in materia Religionis & morum: hinc iſta propoſitio,* Chriſtus non eſt riſibilis, *eſt omnino falſa & in materia Religionis? & tamen hæretica non eſt, ſed erronea, quia quamvis aliquam mediatam & indirectam habeat oppoſitionem cum materiâ fidei catholicæ, quia tamen non eſt immediata atque directa, non eſt hæretica. Innumera alia poſſent adduci exempla propoſitionum falſarum in materia Religionis & morum, quæ quidem falſæ ſunt ac cenſurabiles aliis ſpeciebus cenſurarum; nihilominus quia directè ac immediatè non habent oppoſitionem cum materia fidei catholicæ, hæreticæ non poſſunt dici: ſicut econtra propoſitio vera in materia Religionis, non ſemper eſt de fide immediatè ac directè, ut patet in omni propoſitione theologica deducta ex una de fide, & altera naturali lumine nota, qualis eſt ſequens,* Chriſtus eſt riſibilis, *quæ eſt concluſio theologica; ergo*, concludit præfatus author, *ſola oppoſitio directa & immediata cum materia fidei divinæ conſtituit propoſitionem hæreticam.*

Atque hinc authos cap. 3. art. 5. expreſſè aſſerit, *propoſitionem oppoſitam alteri contentæ in ſacra Scriptura in terminis illativè æquipollentibus, non eſſe propriè hæreticam.* Verùm de his mox ubi de propoſitione erronea.

Dicitur 3. *quæ ut talis ab Eccleſiâ proponitur;* quia ad propoſitionem hæreticam requiritur ut revelatio divina, non quocunque modo, ſed infallibili Eccleſiæ authoritate propoſita ſit, quo ſcilicet certò conſtare poſſit veritatem propoſitam in verbo Dei, ſive ſcripto ſive tradito eſſe contentam.

Sic expoſita circa notionem propoſitionis hæreticæ hac ultima ſententia, illius veritas iſto argumento demonſtratur: Ea propoſitio meritò dicitur hæretica, quæ contradictoria eſt veritati catholicæ; ſiquidem ideo hæc propoſitio, *Verbum divinum non eſt conſubſtantiale Patri*, eſt hæretica quòd iſti catholicæ veritati, *Verbum divinum eſt Patri conſubſtantiale*, ſit contradictoria: atqui propoſitio quæ directè adverſatur veritati à Deo immediatè revelatæ & per Eccleſiam propoſitæ, manifeſtè eſt contradictoria catholicæ veritati: veritas enim catholica definitur, ea quæ à Deo directè & immediatè

tè

tè revelata eſt, quæque ab Eccleſiâ Fidelibus credenda proponitur; ergo &c.

Tres ergo ad propoſitionem hæreticam requiruntur conditiones.

Prima, ut directe ac immediate adverſetur veritati revelatæ: ut enim jam advertimus, propoſitiones quæ indirecte duntaxat & per conſequentiam veritatibus à Deo revelatis opponuntur, non hæreſeos ſed alterius ſpeciei cenſuræ notâ inuruntur.

Secunda, ut veritas cui directè & immediatè adverſatur propoſitio hæretica, ipſa ſit in ſe, directè ac immediatè revelata; alias non hæretica, ſed erronea duntaxat dicenda foret propoſitio: per hanc enim oppoſitionem directam & immediatam veritati à Deo immediatè revelatæ, propoſitio hæretica eſſentialiter differt à propoſitione erroneâ quæ per ſe & immediate, adverſatur veritati à Deo mediatè duntaxat revelatæ, id eſt, concluſioni theologicæ. Ita author *Scrutinii doctrinarum*, qui cap. 3. art. 5. n. 11. pro hac ſententiâ citat Alphonſum à Caſtro, Valdenſem, Canum, Molinam, Valentiam, Hurtadum, Tannerum, Ouviedum, Lorcam, & Thomiſtas communiter. *Et verò*, inquit ibidem, *propoſitionem hæreticam conſtitui per oppoſitionem immediatam propoſitionibus immediatè revelatis, inde conſtat, quod cum Eccleſia non habeat authoritatem condendi novos fidei articulos novaque dogmata, ea ſolum poſſe ut talia declarare, & conſequenter proſcribere tanquam hæretica ipſis oppoſita, de quibus revelatio divina immediate eſt habita: nam ſi id faceret per novam revelationem, jam de novo conderet dogmata...... & eatenus Angelicus docens definita ab Eccleſiâ ad habitum fidei pertinere, notat Eccleſiam in ſuis definitionibus procedere immediatè ex veritate primâ.*

Et numero ſequenti ſubjungit: *Quòd quamvis in definitionibus Eccleſiæ præcedant theologici diſcurſus & diſputationes diligentiſſimæ, quæ per conſequentias & illationes fiunt, ſicut Apoſtoli Act. 16. ad definiendum legalia non eſſe obſervanda, magnam conquiſitionem fecerunt; cùm tamen venitur ad definiendum, diſcurſus ipſe & diſputatio more humano habita, non ſunt ratio definiendi & credendi, nec ponuntur in decreto definitionis, ſed quia viſum eſt Spiritui ſancto, qui illam veritatem primò dixit, & poſtea aperuit immediatè contineri in Scriptura vel Traditione, non per novam revelationem, ſed per novam manifeſtationem immediatæ revelationis anteà factæ, & dein Eccleſiæ ipſi, ut toti dominico gregi infallibiliter proponeret, communicata.* Hactenus inſignis ille Congregationum Indicis Conſultor, nec non Romanæ Inquiſitionis Qualificator.

Tertia tandem conditio ad propoſitionem propriè hæreticam requiſita, eſt, ut veritas cui adverſatur, Fidelibus ab Eccleſiâ propoſita ſit, tanquam de fide, divinâ credenda. Unde S. Auguſtinus Lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap 4. ſic habet: *Iſtum nondum Hæreticum dico, niſi manifeſtatâ ſibi doctrinâ catholicæ fidei reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat elegerit.* Et Lib. contra Epiſt. fundamenti cap. 5. expreſsè aſſerit S. Doctor, *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoveret authoritas.*

Dices 1. Ad hoc ut quid ſit de fide divinâ, ſatis eſt ut ſit in verbo Dei ſcripto vel tradito revelatum; ergo neceſſum non eſt ut ſit per Eccleſiam propoſitum; ac per conſequens ad propoſitionem hæreticam non requiritur, ut ſit contradictoria veritati revelatæ *per Eccleſiam propoſitæ*.

Reſp. 1. cum Sylvio 2. 2. qu. 1. art. 1. quæſito 1. diſtinguendo antecedens: ut ſit de fide divinâ *quoad ſe* ſimpliciter & abſolutè, concedo: ut ſit de fide divinâ *quoad nos* & catholica, omnes ſub pœna hæreſeos ad credendum obligante, nego. Ratio eſt, quia ut quid ſit de fide catholicâ omnes ſub pœna hæreſeos ad credendum obligante, debet omnibus certò & infallibiliter conſtare, quod ſit in verbo Dei ſcripto vel tradito revelatum. *Porrò*, inquit ibidem Sylvius, *Eccleſiæ propoſitio vel declaratio medium eſt ordinarium à Deo inſtitutum ut certò ſciamus quænam ipſe revelaverit & à Fidelibus credenda voluerit.*

Huic doctrinæ conſentiunt Patres S. Irenæus Lib. 3. cap. 4. *Non oportet*, inquit, *quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, cùm Apoſtoli, quaſi in depoſitorium dives, pleniſſimè in eam contulerint omnia, quæ ſint veritatis.* Tertullianus Lib. de Præſcriptionibus cap. 1. *quod autem prædicaverint* (Apoſtoli) *id eſt quid illis Chriſtus revelaverit, non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias quas ipſi Apoſtoli condiderunt.* Sanctus Ambroſius Lib. 6. in Lucam: *Fides Eccleſiæ imprimis quærenda mandatur.* Atque hinc Doctor Angelicus 2. 2. quæſt. 5. art. 3. loquens de objecto formali fidei diſertè aſſerit, *quod formale objectum fidei eſt veritas prima ſecundum quod manifeſtatur in Scripturis ſacris & doctrina Eccleſiæ.* Quod quidem non ita intelligendum eſt, inquit Sylvius loco laudato, quaſi fide divinâ credi non poſſint quæ Deus revelat, etſi Eccleſia non ea proponat credenda; ſed quia veritates quæ revelantur quidem à Deo, & non manifeſtantur in Scripturis, neque in doctrina Eccleſiæ, non pertinent ad fidem catholicam, tanquam ſcilicet articuli ab omnibus credendi; pertinent tamen ut veritates ab aliquibus credendæ.

Reſp. 2. cum Suareſ de fide diſput. 3. ſect. 10. paulò aliter diſtinguendo antecedens: ut quid ſit de fide divinâ *theologica*, ſatis eſt quod ſit in verbo Dei ſcripto vel tradito, concedo: ut ſit de fide *catholica*, nego. *Authores ſolent diſtinguere*, inquit Suares ibidem, *inter fidem catholicam, & fidem theologicam ſeu infuſam......Fides catholica dicitur doctrina illa quæ toti Eccleſiæ univerſali credenda proponitur: idem enim eſt doctrina catholica, quod doctrina univerſalis......fides autem theologica continet quidquid à Deo revelatum fuerit, etiamſi ad communem Eccleſiæ doctrinam non pertineat.* Equidem ut aliquid ſit de fide divinâ *theologica*, ſatis eſt quod ſit in verbo Dei ſcripto vel tradito: aſt ut aliquid ſit de fide divinâ *catholica*, inſuper requiritur publica Eccleſiæ propoſitio. Hinc S. Thomas loco mox laudato & qu. 2. de verit. art. 13. ad 6. docet, *objectum formale fidei* (catholicæ) *eſſe primam veritatem, ut manifeſtatur in ſacra Scriptura & doctrina Eccleſiæ.* Et Magiſter ſentent. in 3. diſt. 25. aſſerit, *fidem catholicam eſſe de his quæ ab omnibus Fidelibus communiter creduntur.*

Obſervat autem etiam mox loco Suareſius, fidem catholicam & theologicam non eſſentialiter ſed accidentaliter duntaxat diſtingui. Scilicet, inquit, fides ſupernaturalis infuſa una tantum eſt ſecundùm habitum: hæc autem dicitur fides *catholica*, quatenus verſatur circa ea quæ ab Eccleſia Fidelibus credenda proponuntur: dicitur verò *theologica*, quatenus reſpicit ea omnia quæ à Deo revelata ſunt, etiamſi ad communem Eccleſiæ doctrinam non pertineant; ſeu, ut loquitur idem Suares, *Fides theologica ſignificat credulitatem propter authoritatem Dei teſtificantis in quacunque materia & in quocunque modo.*

Rem paulò aliter videtur explicare Sylvius loco an-

eo antea laudato, quod tamen in idem re ipſâ coincidit: *Fides nobis infuſa*, inquit, *ideo vocatur catholica, quia per eam aſſentimur illi quod tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt enim vere proprieque eſſe catholicum, ait Vincentius Lirinenſis cap. 3. Lib. contra hæreſes. Cum quo non pugnat nos per eandem fidem aſſentiri aliquibus veritatibus à Deo particulariter revelatis*: (& ſic ſpectata fides appellatur *theologica*) *Nam fides*, pergit Sylvius, *catholica non dicitur ab aliquo quod pertineat ad rationem ſui objecti formalis, ſed à qualitate ſui principalis & ordinarii objecti materialis.*

Dices 2. Qui veritatem aliquam negat in Scripturis vel Traditione contentam, eo ipſo Hæreticus eſt; ergo ut aliquid ſit de fide catholicâ, ſub pœnâ hæreſeos omnes ad credendum obligante, neceſſaria non eſt publica Eccleſiæ propoſitio, ſed ſatis eſt ut illud ſit in verbo Dei ſcripto vel tradito revelatum.

Reſp. diſtinguendo ant. ſi talis veritas clarè & evidenter ſit expreſſa in Scripturis vel Traditione, & inſuper ex parte negantis adſit pertinacia, concedo: ſi obſcurè duntaxat & implicitè jaceat in Scripturis vel Traditione, nego. Equidem Hæreticus eſt qui veritatem clarè & apertè in Scriptura aut Traditione revelatam negat cum pertinaciâ, id eſt, poſtquam ſufficienter illi eſt oſtenſum prædictam veritatem in his fidei noſtræ regulis contineri: *Talis enim*, inquit Sylvius 2. 2. q. 11. art. 1. *ſciens & volens vult repugnare illi quod Eccleſia proponit; quæ eſt Hæreticorum malitia.* Verùm tunc adeſt ſufficiens Eccleſiæ propoſitio: namque cùm Scripturam & Traditionem nobis proponat Eccleſia, cenſetur etiam ſufficienter nobis proponere quæ in iiſdem clarè & manifeſtè continentur. Ita docet Cardinalis de Lugo diſput. 20. de virtute fidei ſect. 2. his verbis: *Si conſtat ſufficienter de revelatione Dei in Scriptura contenta, conſtat etiam ſufficienter de propoſitione Eccleſiæ, atque adeò non poteſt excuſari diſſenſus ab hæreſi ex defectu ſolius propoſitionis, ſeu applicationis ab Eccleſiâ faciendæ ... nam Eccleſia clare & manifeſte proponit credendam Scripturam, & omnia & ſingula in eâ contenta: ſi ergo manifeſte conſtat aliquid in Scripturâ contineri, æque manifeſte conſtare debet id ab Eccleſia nobis credendum proponi.*

At verò ſi negata veritas non ſit clarè expreſſa in Scripturâ vel Traditione, ſed in iis obſcurè duntaxat & implicitè jaceat; tunc non certò conſtat veritatem hanc eſſe revelatam, nec conſequenter eſt de fide catholicâ omnes ad credendum obligante; ac proinde nondum Hæreticus eſſet, qui bona fide illam negaret, quia non reſiſteret Eccleſiæ judicio: nec eſſet pertinax, qua in pertinacia ac contumaci reſiſtentia, potiſſimùm ſita eſt hæreſis ratio ac malitia, juxta illud antea laudatum S. Auguſtini Lib. 4. contra Donatum cap. 16. ubi loquens de errante circa veritatem chriſtianam, ſic habet: *Iſtum nondum Hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina catholicæ fidei reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat elegerit.* Et Lib. 3. de anima cap. ultimo *Iſta ſi pertinaciter ſingula defendantur, tot hæreſes facere poſſunt, quot opiniones numerantur.* Vide Doctorem Angelicum locis antea laudatis, & qu. 8. de malo art. 1. ad 7.

Obſervat autem citato mox loco Cardinalis de Lugo, *poſſe contingere quod aliquibus ſit de fide aliquid in Scriptura contentum, quibus manifeſtum eſt id in Scriptura contineri, quod tamen non omnibus ſit de fide, quia non ita clare Scriptura loquitur, ut id poſſit ab omnibus animadverti.* Unde ibidem ſubjungit, *eos quibus Scripturæ ſenſus manifeſtus eſt, ita ut non poſſint prudenter de eo dubitare vel formidare, etſi alii Catholici dubitent, quibus non ita manifeſtatum eſt, non ſolùm peccare graviter contra fidem, ſi diſſentiant, ſed etiam committere peccatum hæreſis, & eſſe vere & proprie Hæreticos, ſi communiter Fideles eum Scripturæ ſenſum manifeſte percipiant & indubitanter credant, licet aliqui rudiores eum non percipiant. Si autem*, pergit eminentiſſimus author, *communiter in Eccleſia dubitetur, vel ſaltem non habeatur pro certo & indubitato, licet aliqui eum manifeſte percipiant, ita ut prudenter formidare non poſſint, & ideo diſſentiendo peccent graviter contra fidem, non tamen credo eos eſſe proprie & ſtricte Hæreticos*: hoc eſt, ut paulò poſt explicat, *non incurrere pœnas ſpecialiter ab Eccleſiâ ſtatutas contra Hæreticos, id eſt contra eos qui contra communem Eccleſiæ ſenſum aliter credunt ac à Deo revelatum ſit.* Ratio autem quam eo loci affert, hæc eſt: hæreſis eſt diviſio, & Hæreticus dicitur quia dividit unitatem Eccleſiæ: porro in caſu propoſito non dividitur Eccleſiæ unitas, nec judicatur contra communem & indubitatum Eccleſiæ ſenſum; ergo &c.

Quod dictum eſt de re in Scriptura contenta, idem proportione ſervata dicendum eſſe de veritate aliqua quæ conſervatur in Eccleſia per ſufficientem Traditionem, aſſerit ibidem eminentiſſimus Cardinalis. Et verò ſicut Eccleſia proponit nobis univerſam Scripturam & omnia in ea contenta, tanquam objecta fidei; ita proponit nobis Traditiones, tanquam ſufficientes ad dogmata fidei credenda, ut conſtat ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 11. dicente: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Et 2. ad Theſſal. 2. *Tenete traditiones quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Idem colligitur ex Concilio Tridentino Seſſ. 4. in decreto de canonicis Scripturis promulgato: unde S. Baſilius Lib. de Spiritu ſancto cap. 7. loquens de Scriptura & Traditione, *Utraque*, inquit, *parem vim habent ad pietatem.*

Dices 3. Juxta communem Theologorum ſententiam, revelatio confuſa per quam plura ſimul in uno obſcurè revelantur, v. g. *In omni hoſtia rite conſecrata adeſt Chriſtus*, ſufficit ad aſſenſum fidei circa objectum ſingulare: qui enim certò ſcit *hanc numero hoſtiam rite eſſe conſecratam*, poteſt elicere actum fidei circa realem Chriſti præſentiam in tali hoſtia: atqui revelatio illa confuſa nonniſi virtualis dici poteſt ac mediata circa objecta ſingularia; ergo ad fidem ſufficit mediata revelatio, ac proinde ad propoſitionem hæreticam non requiritur directa oppoſitio cum veritate immediatè revelata.

Reſp. cum Suareſio diſput. 3. de fide ſect. 11. Cardinali de Lugo de virtute fidei divinæ diſput. 1. ſect. 13. parag. 1. & 3. Gregor. Major. Cajet. & aliis, negando antecedens: multùm ſiquidem diſcriminis intercedit revelationem virtualem inter & revelationem confuſam. Revelatio virtualis ſeu mediata eſt de iis, *quæ non continentur ullo modo formaliter in re revelatâ, ſed tantùm in radice quemadmodum proprietates in eſſentiâ; riſibilitas v. g. in rationalitate, & ſimilibus.* Revelatio verò confuſa eſt de iis, *quæ formaliter, licet confuſe continentur in re revelata*, ut patet in exemplo mox allato: unde confuſa revelatio meritò dici poteſt formalis & immediata; manifeſtat enim, licet confuſè, omnia formaliter contenta in re revelata. Verum de his iterum in reſponſione ad objectionem 5. & 6.

Dices 4. Revelatio implicita ſufficit ad fidem; unde propoſitio oppoſita alteri implicitè revelatæ ac poſitæ in ſacra Scriptura, meritò dicitur hære-

tica;

tia: atqui revelatio implicita eadem omnino eſt ac revelatio mediata; ergo &c. Hinc S. Thomas qu. 14. de verit. art. 11. in corp. explicans quid ſit implicitè vel explicitè credere ſic habet: *Quando aliqua multa, virtute continentur in aliquo uno, dicuntur eſſe in illo implicitè, ſicut concluſiones in principiis; explicitè autem in aliquo continetur, quod in eo actu exiſtit: unde ille qui cognoſcit aliqua principia univerſalia, habet implicitam cognitionem de omnibus concluſionibus particularibus: qui autem concluſiones actu conſiderat, dicitur eas explicitè cognoſcere: unde & explicitè dicimur aliqua credere, quando eis actu cogitatis adhæremus: implicitè verò, quando adhæremus quibuſdam, in quibus ſicut in principiis univerſalibus iſta continentur; ſicut qui credit fidem Eccleſiæ eſſe veram, in hoc quaſi implicitè credit ſingula quæ ſub fide Eccleſiæ continentur.*

Reſp. cum Cardinali de Laurea diſput. 9. de fide art. 5. & Antonio in *Scrutinio* cap. 3. art. 7. & cap. 5. art. 2. variis modis propoſitionem aliquam dici poſſe revelatam, ſeu in Scripturis & Traditione contentam. 1. implicitè *quoad ſe*, quatenus nempe in aliâ propoſitione in ſe immediatè revelatâ continetur, tanquam concluſio in principiis aut proprietas in eſſentiâ. 2. dici poteſt propoſitio implicitè revelata *quoad nos* duntaxat, in quantùm ſcilicet immediatè quidem in ſe ſed obſcurè admodum deliteſcit ac latitat in Scripturis; unde nonniſi accedente Eccleſiæ declaratione certò cognoſci poteſt eam fuiſſe revelatam. Melius diceretur propoſitio hujuſmodi explicitè revelata *quoad ſe*, implicitè verò *quoad nos*. 3. tandem dici poteſt propoſitio explicitè revelata tùm *quoad ſe* tùm *quoad nos*, cùm nempe ità fuit à Deo revelata, ut inſuper vel per ipſius in ſacris Litteris deſignationem, aut decurſu temporis per publicum Eccleſiæ decretum nobis credenda apertè proponitur.

Propoſitio implicitè revelata primo ſenſu non eſt propriè de fide, inquit Panormo defectu revelationis immediatæ ad fidem eſſentialiter requiſitæ, ſed eſt mera concluſio theologica: adeòque propoſitio ipſi contradictoria non hæretica, ſed erronea eſt duntaxat. Propoſitiones autem explicitè revelatæ *quoad ſe*, implicitè verò *quoad nos*, de fide ſunt, ſubjungit idem author; *quoad ſe* duntaxat, non autem reſpectu noſtri, defectum nimirum propoſitionis Eccleſiæ: atque propoſitiones his contradictoriæ hæreticæ ſunt merè materialiter, non formaliter. *Quoad ſe* verò & *quoad nos* de fide ſunt omnes illæ veritates quæ fuerunt à Deo revelatæ & ab Eccleſia ad credendum propoſitæ: atque propoſitiones his veritatibus oppoſitæ tùm materialiter tùm formaliter ſunt hæreticæ.

Ex his patet revelationem implicitam quæ coincidit cum virtuali, per quam unum in aliò, tanquam concluſio in principiis, aut proprietas in eſſentia revelatur, non ſufficere ad aſſenſum fidei: adeòque propoſitionem revelationi virtuali directè adverſam, propriè hæreticam non eſſe, ſed erroneam.

Obſervat autem loco mox laudato idem Antonius de Panormo, inter veritates à Deo revelatas & per Eccleſiam propoſitas, quæque ideo ſunt de fide, tùm *quoad ſe*, tùm *quoad nos*; obſervat, inquam, ex his veritatibus quaſdam eſſe de fide *quoad omnes*, alias autem *quoad aliquos*, ſeu *quoad ſapientes*: quia quandoque ſive ipſa revelatio, per quam ad fidem ea pertinent, ſive ipſa Eccleſiæ definitio, ſunt ita expreſſæ, ut ab omnibus credendæ explicitè veniant, cujuſmodi ſunt myſteria SS. Trinitatis & Incarnationis: quandoque verò, etſi revelatio clara ſit aut aperta Eccleſiæ definitio, hæc tamen nota non eſt omnibus & ſingulis, ſed majoribus & ſapientioribus, reſpectu quorum proinde dicuntur eſſe de fide *explicitâ*, cum reſpectu aliorum non ſint niſi de fide *implicitâ*.

Quod autem ſpectat adductum Doctoris Angelici teſtimonium qu. 14. de verit. art. 11. ne vel minimùm ſententiam noſtram de neceſſitate immediatæ revelationis ad fidem impetit: loquitur enim S. Doctor, de fide ex parte actûs ſeu ex parte credentis ſpectatâ, atque aſſerit, quod ultrò fatemur, *nos dici explicitè aliqua credere, quando eis actu cogitatis adhæremus. implicitè verò, quando adhæremus quibuſdam, in quibus ſicut in principiis univerſalibus iſta continentur.* At non loquitur de fide ex parte objecti conſideratâ, nec ullatenus affirmat revelationem virtualem ſeu mediatam ſufficere ut res aliqua fide divinâ credatur. Imò contrarium non obſcurè innuit exemplum quod ibidem ſubjungit de eo *qui credit fidem Eccleſiæ, eſſe veram*. quin què eo ipſo *quaſi implicitè credit ſingula quæ ſub fide Eccleſiæ continentur*. quo in exemplo, iſtud *implicitè* idem eſt ac *obſcurè*, & opponitur cognitioni claræ & diſtinctæ, non autem objecto in ſe immediatè revelatò Verbo dicam, *qui credit fidem Eccleſiæ eſſe verum*, eo ipſo credit *implicitè*, id eſt, *obſcurè* quæcunque credit ac profitetur Eccleſia, quæ omnia in verbo Dei ſcripto vel tradito *explicitè* quoad ſe continentur, *implicitè* verò & *obſcurè* quoad nos. Quò fit ut licet veritates illæ explicitè & immediatè in Scripturis jaceant, attamen antecedenter ad publicam Eccleſiæ declarationem certò & abſque errandi formidine detegi nequeant.

Atque hinc eſt quòd S. Thomas & cæteri poſt ipſum Theologi communiter doceant nihil de novo revelari; nihil nos credere, quod per anteriores Doctores & Patres ad nos uſque non pervenerit, quodque Apoſtoli explicitè non cognoverint: juxta illud Joan. 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, vos docebit omnem veritatem*. Et Epheſ. 1. *Secundùm divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis in omni ſapientiâ & prudentiâ.* Illud ipſum docent Tertullianus Lib. de Præſcriptionibus cap. 32. S. Auguſtinus Lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 26. S. Gregorius Homiliâ 16. in Ezechielem, & alii. Unde Vincentius Lyrinenſis contra hæreſes cap. 16. *pretioſam*, inquit, *divini dogmatis gemmam exculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, ut intelligatur illuſtrius quod antea obſcurius credebatur.*

Dices 5. Concluſio theologica eſt de fide, adeòque propoſitio ipſi contradictoriè oppoſita eſt hæretica: atqui propoſitio contradictoriè oppoſita concluſioni theologicæ, non immediatæ, ſed mediatæ duntaxat revelationi adverſatur; ergo &c.

Minor certa eſt: in hoc enim aſſertio theologica eſſentialiter differt à placito fidei, quòd iſtud immediatè, altera verò mediatè duntaxat verbo Dei ſive ſcripto ſive tradito, atque adeò revelatione innitatur.

Major autem conſtat 1. quia illa omnia pertinent ad fidem, quæ creduntur propter motivum teſtimonii divini, ſive mediatè, ſive immediatè; ſicut omnia amantur ex charitate, quæ amantur propter Deum ſive mediatè, ſive immediatè: atqui concluſiones theologicæ creduntur mediatè ſaltem propter teſtimonium divinum: credimus v.g. Chriſtum eſſe riſibilem, quia eſt homo, & credimus eſſe hominem, quia eſt revelatum à Deo; ergo &c. 2. illud pertinet ad fidem quod *per ſe* fluit ex revelatione, atque cum eâ neceſſariò connexum eſt: porro concluſiones theologicæ &c. ergo &c.

3. pro-

3. propoſitiones iſtæ, *Chriſtus eſt homo; ergo eſt riſibilis. Chriſtus eſt homo; ergo habet animam immortalem. Chriſtus unus eſt naturâ cum Patre; ergo eſt ei conſubſtantialis. Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, ergo mortuus eſt pro Petro.* Vel: *Quicunque baptiſatus non fuerit ſalvus non erit; ergo infans ille in utero materno ſine percepto baptiſmate extinctus, ſalvus non erit* &c. Hæ, inquam, propoſitiones ſunt totidem concluſiones theologicæ: porro nemo dixerit eas ad fidem non pertinere; ergo &c.

Reſp. non eſſe hujus loci intricatam hanc de concluſionibus theologicis controverſiam, an nimirum ſint de fide, fuſius & ex profeſſo expendere: ne tamen prætermiſſa omnino videatur & inoluta maneat præcipua hæc ac palmaris objectio quâ potiſſimùm nituntur ii quos hic habemus adverſarios, de eâ nonnulla paucis dicemus, quæ ut clariùs pateant.

Obſervandum 1. quid ſit concluſio theologica. Concluſio theologica exactè definitur, *Conſectarium ſeu propoſitio quæ non eſt in ſe immediatè revelata, ſed ex uno aut pluribus fidei placitis, hoc eſt veritatibus à Deo in ſeipſis proximè revelatis, certò & evidenter eruitur.*

Hinc triplex conditio requiritur ad concluſionem theologicam propriè dictam.

Prima eſt, ut non ſit per ſe & immediatè revelata: ſi enim foret per ſe & immediatè revelata, etſi ex aliis fidei decretis elici poſſet, jam non eſſet, accuratè loquendo, concluſio Theologica, ſed verum fidei placitum. Sic v. g. Chriſtum duplici voluntate præditum eſſe, certò eruitur ex eo quòd ſit ſimul Deus & homo: verum quia illud quoque per ſe revelatum eſt, atque adeò olim ab Eccleſiâ definitum, hinc iſta propoſitio, Chriſtus duplici conſtat voluntate, nonniſi impropriè diceretur concluſio Theologica.

Secunda, ut ex uno aut pluribus fidei placitis, non per meram ac ſimplicem expoſitionem, ſed per veram ac propriè dictam illationem reipſa deducatur. Ut autem unum ex alio verè ac propriè erui cenſeatur, neceſſum eſt ut virtualiter ſaltem diſtinguatur ab eo ex quo deducitur: unde concluſiones quæ aliis duntaxat verbis exponerent aliquod fidei principium, aut explicatiùs tantùm evolverent quod in eo clarè, &, ut ajunt, formaliter continetur: ut ſi quis colligeret Chriſtum eſſe conſubſtantialem Patri, quia eſt unus cum ipſo; Chriſtum conſtare ex corpore & anima ſibi invicem unitis; quia verus eſt homo; parvulos in utero materno extinctos, gloriæ cœleſtis participes non fore, quia quicunque baptiſatus non fuerit, ſalvus non erit: hæ, inquam, concluſiones, utpote meræ aliarum propoſitionum in quibus tùm identicè tùm formaliter continentur expoſitiones aut declarationes, verè ac propriè dici non poſſunt Theologicæ concluſiones.

Tertia demùm conditio ad theologicam concluſionem requiſita, eſt, ut ex fidei principiis certò ac evidenter eruatur: ſi enim probabiliter tantùm deduceretur, eſſet equidem opinio, ſed non concluſio Theologica.

Obſervandum 2. multiplicis eſſe generis concluſiones Theologicas.

I. Aliæ ſunt quæ licet clarè & diſtinctè in ſeipſis immediatè revelatæ non ſint, tamen immediatè revelatæ ſunt obſcurè & confusè: tales ſunt propoſitiones quæ in Scripturis non leguntur expreſſis terminis, ſed terminis formaliter æquivalentibus, ut v. g. hæc propoſitio, *Chriſtus eſt conſubſtantialis Patri*, quæ propoſitio mera eſt expoſitio horumce Chriſti verborum Joan. 10. *Ego & Pater unum ſumus.* Tales ſunt etiam propoſitiones particulares & ſingulares quæ in univerſalibus revelatis formaliter includuntur, v. g. iſta propoſitio ſingularis, *Hic infans in utero materno extinctus, regnum cælorum non obtinet*, formaliter continetur in hac propoſitione immediatè revelatâ, *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei.* Propoſitiones hujuſmodi immediatè licet obſcurè & confusè revelatæ, verè non ſunt ac propriè dictæ concluſiones Theologicæ, ſed meræ expoſitiones ac declarationes aliarum propoſitionum quæ in ſe immediatè, clarè ac diſtinctè revelatæ ſunt. Aliæ ſunt concluſiones Theologicæ quæ nec clarè nec obſcurè revelatæ ſunt immediatè, ut hæc, *Chriſtus eſt riſibilis*, quæ tamen revelata eſt mediatè in iſtâ, *Chriſtus eſt homo.*

II. Concluſionum theologicarum aliæ deducuntur ex duplici propoſitione de fide, ut in iſto ſyllogiſmo, *Omnis homo habet animam immortalem: Chriſtus eſt homo; ergo habet animam immortalem.* Aliæ eruuntur ex unâ præmiſſâ de fide, & alterâ naturali, v. g. *Omnis homo eſt riſibilis: Chriſtus eſt homo; ergo Chriſtus eſt riſibilis.*

III. Concluſiones Theologicæ aliæ ſunt quæ habent connexionem intrinſecam cum fidei principio, ut in vulgari exemplo, *Chriſtus eſt homo; ergo eſt riſibilis.* Aliæ ſunt quæ extrinſecam duntaxat connexionem habent.

Obſervandum 3. concluſiones Theologicas immediatè non revelatas, ſive ex una aut duabus fidei præmiſſis eruantur, dupliciter poſſe ſpectari. 1. formaliter, ut ſunt concluſiones Theologicæ; & quatenus ex certâ præmiſſarum & terminorum connexione deducuntur. 2. materialiter, quatenus ſunt ſimplices propoſitiones, & ſine dependentiâ à terminis & præmiſſis ita connexis.

Nempe, quemadmodum advertit Suares diſput. 3. de fide ſect. 11. n. 5. 7. & 10. duobus modis poteſt aliquis uti diſcurſu ad aſſentiendum concluſioni; uno modo tanquam ratione formali aſſentiendi, & propria ac per ſe cauſa aſſenſûs; alio modo non ut formali ratione aſſentiendi, ſed duntaxat tanquam proponente & explicante quid contineatur & quomodo, ſub divinâ revelatione, quæ poſtea eſt unica ratio formalis & cauſa per ſe aſſenſûs qui exhibetur illatæ concluſioni: *Iſti duo modi aſſentiendi cuidam concluſioni*, inquit citato loco Suares, *poſſibiles ſunt, ut per ſe conſtat, & pendent ex voluntate hominis, & illos rectè diſtinxit Vaſquez, & alii non contradicunt.*

Si diſcurſus ſe habeat ad concluſionem priori modo ſpectatam, tanquam motivum formale, & cauſa per ſe aſſenſus, tunc concluſio ſpectatur *formaliter*: ſi autem diſcurſus ſe habeat duntaxat per modum conditionis proponentis vel explicantis revelationem in præmiſſis contentam, tunc revelatio conſideratur *materialiter*.

Obſervandum 4. triplicem hic ſedulò diſtinguendam revelationis ſpeciem.

I. Alia eſt revelatio formalis, immediata, clara, diſtincta & explicita, per quam nimirum res clarè & diſtinctè in ſeipſa immediatè revelata eſt: talis eſt ea revelatio quâ conſtat *Chriſtum eſſe hominem.*

II. Alia eſt revelatio formalis & immediata, ſed confuſa, obſcura & quaſi implicita, per quam, etſi quidpiam clarè & diſtinctè in ſeipſo immediatè revelatum non ſit, tamen immediatè eſt revelatum obſcurè & confusè; *quod quidem contingit dupliciter*, inquit mox citatus Suares, 1. *quando fit generalis revelatio diſtributiva, ut in iſto exemplo*, Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obi-

cem? *vel*, In omni hoſtia ritè conſecrata adeſt Chriſtus: *in illa enim univerſali omnes ſingulares formaliter continentur, quamvis confuſè. Alio modo contingit hoc in definitione & partibus ejus reſpectu definiti: nam cognitio definiti confuſa eſt reſpectu definitionis, & nihilominus omnes partes definitionis in definito formaliter continentur; & ita cum revelatur nobis Chriſtum eſſe hominem, ſatis formaliter revelatur eſſe animal rationale, vel habere corpus & animam humanam, licet hoc explicitè non dicatur.*

III. Tandem alia eſt revelatio virtualis, mediata & verè implicita, quæ res nec clarè nec obſcurè revelata eſt immediatè, ſed mediatè duntaxat & in radice: ſic hæc propoſitio, *Chriſtus eſt riſibilis*, virtualiter & mediatè revelata eſt in iſta, *Chriſtus eſt homo*: vel, ut ajunt Cardinales Laurea & Delugo locis ſupra citatis, revelatio virtualis & mediata eſt de iis quæ nullo modo *formaliter* continentur in re immediatè revelata, ſed tantum in radice, ſicuti concluſiones in principiis, proprietates in eſſentia.

Obſervandum 5. & quidem diligenter, quod omnibus fermè quæ in præſenti controverſia occurrunt ſolvendis difficultatibus ſufficit, unum in alio, unam propoſitionem in altera revelata contineri poſſe variis modis, tribus potiſſimum. 1. *identicè*. 2. *formaliter*. 3. *virtualiter*, ſeu, ut ajunt, *cauſaliter* & *æquivalenter*.

I. Illud continetur in alio *identicè*, inquit Suares diſp. 19. de fide ſect. 2. n. 10. quod continetur in ipſo tanquam in re omnino eadem: ſic in divinis intellectus & voluntas, juſtitia & miſericordia, paternitas & natura ſunt quid unum & idem *realiter* & *identicè*.

II. Illud continetur in alio *formaliter*, quod continetur in ipſo non ſolùm penes identitatem *realem*; ſed etiam penes identitatem *formalem* ſeu conceptuum: vel clarius illud continetur in alio *formaliter*, quod eundem habet cum ipſo conceptum, licet utrumque diverſis vocibus exprimatur: hæcque identitas vel eſt totalis & adæquata, vel partialis & inadæquata. Sic definitum in definitione formaliter adæquatè continetur: v. g. cùm dicitur, *Chriſtus eſt homo*; *ergo eſt animal rationale*. vel, *Chriſtus eſt unus in natura cum Patre*; *ergo eſt ei conſubſtantialis*. Sic etiam pars eſſentialis in toto actuali, v. g. *Chriſtus eſt homo*; *ergo habet animam rationalem*: vel pars quælibet ſubjectiva in toto potentiali, ſingulare nimirum in univerſali, v. g. *Chriſtus mortuus eſt pro omnibus*; *ergo mortuus eſt pro me*: formaliter inadæquatè continentur. Sic denique formaliter adæquatè, etſi confusè, in explicito continetur implicitum verbis grammaticaliter aut ſaltem quoad ſenſum æquivalentibus expreſſum: v. g. *Chriſtus eſt unus naturâ cum Patre*; *ergo eſt ipſi conſubſtantialis*.

Totum iſtud ſolidè evolvit ac explicat eruditus *Sermius* author cap. 3. art. 4. his verbis: *Formalem æquivalentiam in præſenti nedum vocamus eam, quæ intervenit, quoties eadem omnino res vocibus ſynonimis ſignificatur, ſive id contingat in uno eodemque idiomate, ſive ratione diverſi idiomatis, dummodo idem omnino immediatè importetur conceptus; ſed etiam eam quæ habetur, quoties voces quidem ſunt diverſæ, ſed idem eſt ſignificatum, non quidem ſolâ identitate* reali, *ſed vera & rigoroſâ identitate* formali, *etſi non æquè clarè exprimatur ſub unâ ac ſub altera. Cujus generis cenſentur definitio & definitum, ut* homo *&* animal rationale, *quibus eadem correſpondet hominis eſſentia ac quidditas, ſed ita, ut per τὸ* homo *importetur modo quodam implicito, explicito verò per τὸ* animal rationale.

Hæc autem æquivalentia, pergit idem author, *poteſt eſſe totalis, qualis eſt prædicta, & partialis, quoties videlicet non integer conceptus, qui comprehendebatur ſub una voce, comprehenditur & ſub altera, ſed pars tantummodo ipſius, ut ſi diceretur* homo *&* rationale, *quod non totaliter conſtituit hominem, ſed ut pars diſcretiva hominis ab omni non ipſo; & hujuſmodi quoque ſunt omnes propoſitiones particulares vel ſingulares, quæ ſub univerſali aliquâ continentur: v. g.* Deus vult Judam ſalvum fieri, *includitur tanquam pars conſtitutiva in altera univerſali revelata*, Deus vult omnes homines ſalvos fieri.

Unde cap. 2. art. 8. notat prædictus author, "propoſitionem particularem ac ſingularem, reſpectu univerſalis revelatæ comparandam eſſe tanquam quid *formaliter æquivalens*, etſi non totaliter: propoſitionem verò explicantem proprietatem, effectum &c. reſpectu propoſitionis exprimentis eſſentiam &c. ſe habere ſolummodo tanquam quid *virtualiter & illative* æquivalens.

III. Unum in alio contineri poteſt *virtualiter*, ſeu *cauſaliter* & *æquivalenter*; ſic concluſiones in principiis, proprietates in eſſentiâ, effectus in cauſis continentur. Poſtremum hunc continendi modum exponunt Card. de Laurea diſput. 16. de fide art. 2. parag. 1. Dominicus Gravina Lib. 1. Cath. præſcript. Salmaticenſes diſput. 19. de infidelitate dub. 4. ſed præſertim Antonius de Panormo citato jam cap. 3. art. 5. ubi quærens *quid ſit propoſitionem aliquam contineri in ſacra Scriptura in terminis illative*, id eſt virtualiter *æquivalentibus*, ſic habet: *Dicitur propoſitio æquivalens illativè, quæ non eundem cum altera exprimit* formaliter *objectivum conceptum ſignificatum, ſed aliud* formaliter *diverſum; quia verò res, aut formalitas per eam, ſeu veritas per ejus terminos importata, realem importat identitatem cum re aut formalitate, ſeu cum ſignificato alterius, unde ſequitur ex hac illam inferri poſſe, & vice verſa, & eatenus* illativè *æquivalentiæ denominationem deſumit, cujuſmodi ad invicem ſe habent eſſentia & proprietates rerum, quæ reciprocam ſuſcipiunt illationem: hoc diſcrimine, quod ex eſſentia ad proprietates illatio eſt à priori, & tanquam à quaſi cauſa ad quaſi effectum; à proprietatibus verò ad eſſentiam illatio eſt à poſteriori, & veluti à quaſi effectu ad ſuam quaſi cauſam.*

Idipſum clariùs aperit ibidem n. 4. ubi exponens diſcrimen quod occurrit inter terminos ad invicem *formaliter*, & alios *virtualiter* duntaxat, ſeu, ut ipſe loquitur, *illativè* æquivalentes, obſervat, *quod in illis tota conſiſtat varietas in modo ſignificandi eandem prorſus conceptum objectivum, idemque formale ſignificatum, non in re ipſa ſignificata, quæ formaliſſimè non diſtinguitur, ut patet in τὸ* homo, *& τὸ* animal rationale, *quibus æquè eadem formaliſſima eſſentia correſpondet; eſto per τὸ* homo *importata confuſè & implicitè, per τὸ* animal rationale *clarè & explicitè.*

At verò in terminis virtualiter duntaxat & illativè æquivalentibus pergit idem author, *diſcrimen non eſt, vel in ſolis vocibus, vel in modo ſignificandi idem formale ſignificatum, ſed in ipſâ re ſignificatâ, quæ etſi pro ſtatu reali identico ſit eadem, non tamen ut formaliter per dictos terminos deſignata. Unde ſicuti licet in ſe eſſentia ſit eadem cum proprietatibus, adhuc tamen non poteſt dici: riſibilitas v. g. eſt hominis eſſentia, ad eum modum, quo dicitur de rationalitate; ita ex identitate eâdem non valet enuntiari, ut eodem modo ac immediatè ſit revelata riſibilitas,*

bilitas, etiam ex hypotheſi, quod ſit immediatè revelata rationalitas.

His omnibus præſuppoſitis facili negotio dilui poterit propoſita objectio, ſimul & expediri ardua admodum ac intricata quæſtio, an concluſiones Theologicæ ſint de fide, ac proinde an propoſitiones iis contradictoriæ ſint hæreticæ. Itaque

Reſp. 1. Concluſiones Theologicas *formaliter* ſumptas non eſſe de fide. Hâc in parte conſentire videntur omnes Theologi, nequidem exceptis Cano, Vega aut Vaſqueſio. *Hoc modo procedendo & intelligendo aſſertionem*, inquit Suares diſp. 3. de fide ſect. 11. *illam etiam admittit Vaſques, & exiſtimat non negari à Cano aut Vega.*

Et verò in fide tota & adæquata aſſentiendi ratio eſt formalis & immediata revelatio (aut ſaltem revelatio immediatè movens) per Eccleſiam propoſita: at in concluſione Theologicâ formaliter ſumptâ aſſentiendi ratio eſt ejus cum revelatione connexio rationis ope manifeſtata; ſeu, ut ajunt, revelatio virtualis & mediata, id eſt, applicata per diſcurſum: quæ duo quantùm diſtent, nemo non videt.

Reſp. 2. Concluſiones Theologicas *materialiter* ſumptas quæ ſunt in ſe immediatè revelatæ, licet ex aliis fidei capitibus legitimè deducantur, ſicuti cùm *Christus probat reſurrectionem mortuorum ex eo quòd in Scriptura dicatur Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob*: vel quæ ſunt meræ expoſitiones propoſitionum revelatarum, v. g. cum dicitur, *Chriſtus eſt homo; ergo eſt animal rationale*: vel, *Chriſtus eſt unus in naturâ cum Patre; ergo eſt ei conſubſtantialis*: reſpondeo, inquam, concluſiones hujuſmodi eſſe de fide, adeoque propoſitiones iis contradictorias verè eſſe hæreticas. Ratio eſt, quia illæ propoſitiones ſunt fidei divinæ, quæ in ſe immediatè revelatæ ſunt, quæque continent & exprimunt veritates à Deo revelatas: atqui tales ſunt concluſiones de quibus nunc agitur; ergo &c. hanc etiam reſponſionem omnes admittunt.

Reſp. 3. Concluſiones Theologicas *materialiter* ſpectatas, quæ licet clarè & diſtinctè in ſeipſis immediatè revelatæ non ſunt, tamen immediatè revelatæ ſunt obſcurè & confuſè: v. g. *Chriſtus eſt homo: ergo conſtat anima & corpore*: vel, *Omnis homo habet animam immortalem; ergo habeo animam immortalem*: vel, *Omnis homo ritè baptiſatus ſine obice gratiam juſtificantem conſequitur; ergo talis infans ritè baptiſatus gratiam juſtificantem conſecutus eſt.* Has, inquam, concluſiones verè eſſe de fide, ac proinde hæreticas eſſe propoſitiones quæ iis adverſantur. Ratio eſt, quia hæc omnia (ut attendenti facilè patebit) immediatè licet obſcurè ac confuſè revelata ſunt in propoſitione univerſali: porrò formalis & immediata revelatio, etſi confuſa ſit, ſufficit ad objectum formale fidei, & conſequenter ad aſſentiendum de fide particularibus contentis ſub tali revelatione.

Et verò uti poſt Suareſ. ratiocinatur *Scrutinii* author art. 7. cap. 2. in Deo non eſt cognitio confuſa, ſed diſtinctè judicat de omnibus, quæ revelat etiamſi multa uno verbo complectatur: confuſio ergo & obſcuritas ſe tenet duntaxat ex parte noſtri, & in modo apprehendendi rem revelatam; ac proinde ſi revelatio ſufficienter applicetur, id eſt, ut ait Suares citatâ diſp. 3. de fide ſect. 11. *ſi certè & indubitanter conſtet hoc, quod in particulari & expreſsè proponitur, in propoſitione univerſali revelatâ contineri*, revelatio illa univerſalis de ſe ſufficit ad diſtinctè aſſentiendum ex fide particularibus, quæ ſub illâ univerſalitate continentur. Atque in hoc etiam facilè conveniunt Theologi: ex quo graviſſimi momenti colliguntur conſectaria; quæ hic advertere operæ pretium eſt.

I. Quando revelatur totum quoddam *actuale*, id eſt totum quod habet partes *in ſe*, ut Petrus habet *in ſe* corpus & animam; revelantur etiam *immediatè*, licet non ita diſtinctè, omnia illius attributa eſſentialia, omnes partes eſſentiales, ſive phyſicæ, ſive metaphyſicæ. Ratio eſt, inquit Cardinalis de Lugo diſput. 1. ſect. 13. parag. 3. quia res nec eſſe nec concipi poteſt ſine attributis eſſentialibus: unde Deus revelans *Chriſtum eſſe hominem*, eo ipſo immediatè revelat *Chriſtum habere corpus & animam.* Quod autem ſpectat voluntatem, intellectum, riſibilitatem, aliaſque tùm phyſicas tùm metaphyſicas proprietates, nonniſi *mediatè* cenſentur revelatæ, ſiquidem primarium hominis conceptum non ingrediuntur, ſed ex illius eſſentiâ neceſſariò fluunt.

II. Cùm revelatur totum *potentiale*, id eſt, totum quod habet non *in ſe*, ſed *ſub ſe* partes, quas vocant *ſubjectivas*, qualia ſunt genus reſpectu ſpecierum, ſpecies reſpectu individuorum, & quælibet propoſitiones univerſales reſpectu propoſitionum ſingularium; tunc revelatæ ſunt *immediatè*, licet confuſè reſpectu noſtri, omnes partes *ſubjectivæ* quibus eſſentialiter conſtat totum illud *potentiale.*

Igitur propoſitione univerſali revelatâ, omnes ſingulares ſub eâ contentæ, ſunt quoque in eâ *immediatè*, licet minùs diſtinctè, revelatæ: v. g. quia de fide eſt & immediatè revelatum, *omnem hominem habere animam rationalem, & reſurrecturum eſſe*; de fide quoque eſt & *immediatè*, etſi confuſè, revelatum, *quemlibet determinatè hominem habere animam immortalem, & reſurrecturum eſſe.* Pariter in his univerſalibus propoſitionibus de fide, *Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem.* vel, *In omni hoſtiâ ritè conſecratâ adeſt Chriſtus* &c. omnes propoſitiones ſingulares immediatè, etſi confuſè, revelatæ ſunt; adeoque propoſitiones ipſis contradictoriæ hæreticæ ſunt.

Ratio eſt, quia, quemadmodum ratiocinantur de Lugo & Panormo locis mox citatis, propoſitiones ſingulares continentur in univerſali, eamque eſſentialiter conſtituunt; ergo qui revelat univerſale, revelat ibi omnia ſingularia, quæ ſunt quaſi partes eſſentiales componentes collectionem univerſalem; ergo Deus revelans propoſitionem univerſalem, v. g. *infantes omnes ritè baptiſatos juſtificari*, revelat etiam immediatè, quamvis confuſè, *hunc & illum infantem ritè baptiſatum juſtificari.* Ita ſentiunt Cano, Vega, Salmaticenſes, Vaſques, de Lugo, Card. de Laurea, Suares & alii communiter.

Porrò revelatâ propoſitione univerſali, ut quis debeat aut poſſit fide divinâ credere propoſitionem ſingularem, neceſſum eſt, ut antea vidimus ex Suareſio, quod etiam docent de Lugo, Salmaticenſes & alii, neceſſum inquam eſt, *ut certò & indubitanter conſtet individuum comprehenſum fuiſſe ſub propoſitione univerſali à Deo revelatâ.*

Nempe certitudo triplex eſt. 1. alia phyſica, quâ res vel in ſeipſâ cognoſcitur, vel per media quibuſcum naturalem connexionem habet: ita certitudo phyſica eſt, quâ per eſſentiam proprietas, v. g. per rationalitatem riſibilitas; vel cauſa per effectum à ſe neceſſariò dependentem cognoſcitur. 2. altera moralis, quâ res nec cognoſcitur in ſe, neque per aliquid ei naturaliter connexum, ſed per extrinſeca teſtimonia tot ac tanta, ut pariant moralem evidentiam, quæ non ſinat nos, moraliter loquendo, non ſolùm dubitare, ſed etiam nec formidare de oppoſito: talis eſt certitudo quâ cre-

dimus eſſe urbem Romam. 3. tandem alia eſt certitudo moralis, quæ non eſt conjuncta cum iſta morali evidentia, quæque licet careat actuali dubitatione, tamen non excludit omnem moralem facultatem dubitandi de oppoſito, qualis eſt certitudo harumce propoſitionum, *Hæc hoſtia conſecrata eſt. Hic puer ritè baptiſatus eſt. Hic homo validè conſecratus eſt in Sacerdotem.*

Certitudo phyſica ſufficit, ſed non requiritur ut propoſitio ſingularis contenta ſub univerſali revelata, fide divina credatur: in eo conſentiunt Theologi.

Certitudo moralis quæ non eſt conjuncta cum evidentia, ſive quæ non excludit omnem moralem facultatem dubitandi de oppoſito, non ſufficit. Ratio eſt, inquit Cardinalis de Lugo diſput. 1. de fide ſect. 13. paragr. 3. „quia nimirum aſſenſus fidei "ex imperio voluntatis & piæ affectionis elicitur ta"lis,& tam firmus,ut excludat omnem prorſus for"midinem circa ſuum objectum: non poſſet autem "voluntas prudenter imperare talem aſſenſum ex"cludentem omnem formidinem,quando circa ob"jectum illud poſſet intellectus prudenter formida"re; imprudenter enim prohiberetur formidare,ubi "prudenter formidare poſſet; ergo ut voluntas poſ"ſit prudenter imperare aſſenſum talem, excluden"tem omnem formidinem, debet objectum propo"ni tale,ut de eo non poſſit prudenter formidari.

Hinc Concilium Tridentinum Seſſ. 6. cap. 9. negat poſſe aliquem de fide credere ſe eſſe in ſtatu gratiæ, his verbis: *Nam ſicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet; ſic quilibet dum ſeipſum ſuamque infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt, cum nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.* Ubi Concilium ex eo quod quilibet prudenter formidare poſſit circa propriam juſtificationem, infert eam non poſſe fide divina credi. Prærequiritur ergo ad aſſenſum fidei certitudo moralis juncta cum evidentia, quod Deus de hoc ſingulari in propoſitione univerſali revelatâ locutus fuerit.

Hinc etiam iſtæ propoſitiones, *Hæc hoſtia rite eſt conſecrata. Hic infans verè baptiſatus eſt & juſtificatus. Hic homo validè conſecratus eſt in Sacerdotem* &c. non ſunt de fide; ita Cajetanus 2. 2. q. 1. art. 3. in reſponſ. Turrecremata Lib. 4. Summæ parte 2. cap. 9. ad finem, Bannez 2. 2. qu. 1. art. 10. dub. 2. ad 2. Ratio eſt, quia etſi nulla ſit de veritate harumce propoſitionum actualis formido, non deeſt tamen moralis formidandi facultas, propter varias & occultas circumſtantias à quibus dependent. Unde Suares citata diſput. 3. de fide ſect. 11. „In aliis exemplis, *inquit*, non habet locum "ſimilis aſſenſus de fide, ut quod in hac hoſtia ſit "præſens Chriſtus, vel quod mihi remiſſa ſint pec"cata: quia applicatio univerſalis principii fidei "non ſufficienter fit ad hæc particularia, quia "de illis non eſt ſufficiens certitudo propter "multas & occultas circumſtantias à quibus pen"dent.

Equidem ſi vera ſit in ſe propoſitio ſingularis, licet non evidenter conſtet eam contineri in propoſitione univerſali, v. g. ſi de facto ritè conſecrata ſit hæc hoſtia, erit de fide *objective* & ratione ſui, Chriſtum ſub tali hoſtia realiter præſentem adeſſe; non erit tamen de fide *formaliter* & ratione aſſenſus, quia non habet omnem certitudinem formalem & infallibilitatis quam poſtulat fides; hoc eſt, talem certitudinem quæ non ſolum omnem actualem dubitationem excludat, ſed etiam omnem moralem facultatem dubitandi de oppoſito.

Obſervat autem Cardinalis de Lugo loco mox Laudato, ſimpliciter & abſolutè adorandam eſſe Eucharistiam, etſi de fide non ſit Chriſtum realiter præſentem eſſe ſub tali numero hoſtia. Ratio eſt, inquit, quia ut abſolutè adoretur hoſtia, ſatis eſt certitudo moralis abſque evidentia quod hoſtia ritè conſecrata ſit: at vero fides, utpote prudens & certiſſima, exigit certitudinem moralem quæ adjunctam habeat evidentiam, quæque excludat omnem prorſus formidinem de oppoſito: unde non creditur fide divina Chriſtum realiter eſſe præſentem ſub tali numero hoſtia quæ proponitur adoranda, niſi ex hypotheſi quod ritè conſecrata fuerit. Ita colligitur ex Doctore Angelico 2. 2. qu. 1. art. 3. ad 4. „Fides credentis, *inquit*, non refertur "ad has ſpecies, vel illas, ſed ad hoc quod verum "Chriſti corpus ſit ſub ſpeciebus panis ſenſibilis, "quando rectè fuerit conſecratum: unde ſi non ſit "rectè conſecratum, fidei non ſuberit propter hoc "falſum.

Non longè abſimili ratione idem explicat Sylvius 2. 2. q. 1. art. 3. ad 1. his verbis: „Cum fides habeat pro objecto veritatem & ſpeculativam & "practicam; perficit intellectum quoad utramque "veritatem, & propterea non poteſt inclinare ad "falſum, neque ſpeculativè, neque practicè. Pruden"tia verò cum non habeat pro objecto verum ſpecu"lativum, ſed practicum, non perficit intellectum ni"ſi quoad veritatem practicam ...... & propterea "quamvis non inclinet niſi ad verum practicè, qua"le eſt hoſtiam adorandam eſſe quæ in ſacrificio "Miſſæ exhibetur adoranda; includere tamen poteſt "cognitionem ſpeculativè falſam, licet ad eam non "inclinet, ſed ſupponat potius: inclinat enim pru"dentia ad hoſtiam illam adorandam, eò quod ſup"ponatur probabile judicium quod ſit conſecrata, "hoc autem judicium eſt ſpeculativum, neque perti"net ad habitum prudentis. Brevius dici poteſt, non "eſſe prudentiam infuſam quæ inclinat ad hanc ho"ſtiam quæ præſentatur ut conſecrata adorandam, "ſed prudentiam quæ putatur infuſa, cum revera ſo"lum ſit humana." Hactenus Sylvius.

Requiritur ergo & ſufficit ad credendum fide divina objectum ſingulare, certitudo moralis juncta cum evidentia, qua conſtet objectum illud in propoſitione univerſali immediatè revelata contineri.

Quod ſaltem requiratur hujuſmodi moralis certitudo, abundè conſtat ex mox dictis.

Quod autem pariter ſufficiat, probatur 1. quia ſequitur etiam ex dictis. Si enim ad aſſenſum fidei neceſſaria ſit certitudo circa applicationem revelationis ad objectum ſingulare; nec aliunde requiratur certitudo phyſica, profectò ſufficit certitudo moralis juncta cum evidentia. 2 certitudo hujuſmodi fere tam firmum aſſenſum parit ac certitudo phyſica: v. g. perinde quis aſſentitur huic propoſitioni, *Exiſtit urbs Roma*, atque iſti, Exiſtunt corpora extra nos poſita. 3. ſufficienter proponitur aliquid credendum fide divina per miracula, de quorum veritate dubitari moraliter loquendo non poteſt; ergo à pari &c. Sic, inquiunt Cardinales Bellarminus & de Lugo, quibus conſentiunt Sylvius & Suares, quoniam certum eſt certitudine morali quæ adjunctam habeat evidentiam, Tridentinum Concilium legitimè eſſe congregatum, de fide eſt Tridentinum Concilium in fide non poſſe errare. Idem dicendum de ſimilibus propoſitionibus.

Itaque revelato toto actuali, tunc etiam revelatæ ſunt omnes ejus partes eſſentiales, ſive phyſicæ,

ſive

ſive metaphyſicæ, ſine quibus res nec eſſe nec concipi poteſt: pariter revelata propoſitione univerſali quod eſt totum, ut vocant, potentiale, revelata quoque cenſetur propoſitio ſingularis ſub univerſali contenta; atque fide divina credi poteſt, ſi certò & indubitanter conſtet propoſitionem hanc ſingularem in univerſali contineri.

III. è duobus relatis uno revelato, alterum quoque revelatum cenſeri debet. V. g. quoniam Matth. 3. revelatum eſt Chriſtum eſſe Filium Dei Patris; hoc ipſo revelatum eſt Deum Patrem eſſe Patrem Chriſti. Ratio eſt, inquit author *Scrutinii*, quia revelata ſunt ſimul natura & cognitione.

IV. revelata affirmatione unius contradictoriorum, revelatur negatio alterius, quia idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe: & ut ait mox citatus *Scrutinii* author, cap. 3. art. 5. *in cauſis præciſis, ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis; ita & negatio negationis.* Et verò eadem fides quæ inclinat ad credendum aliquam propoſitionem eſſe veram, inclinat ad credendum oppoſitam eſſe falſam.

V. propoſitio eſt de fide (adeoque hæretica eſt huic contradictoria) quando eſt revelata, aut expreſſis & conceptis, aut ſynonimis terminis, aut ſaltem æquivalentibus quoad ſenſum. Ratio eſt aperta, quia, quemadmodum ratiocinatur Antonius de Panormo art. 4. citati mox capitis 3. *duo ſunt ponderanda in qualibet propoſitione, termini videlicet, ſeu verba materialiter ſumpta; & ſenſus ſeu vis ſignificativa, ac objectivus conceptus per verba expreſſus.* Porro, pergit idem author, eadem tunc omnino eſt propoſitio revelata quoad ſenſum & conceptum objectivum, proindeque ejuſdem infallibilitatis, authoritatis & virtutis, quoties terminis ſynonimis, aut ſaltem quoad ſenſum æquivalentibus exprimitur.

Reſp. 4. concluſiones theologicas deductas ex duobus fidei placitis, ſeu ex duabus præmiſſis immediatè revelatis, eſſe de fide, dummodo *materialiter* ſpectentur. Ita Cardinalis de Lugo, Suarez, de Laurea, Dominicus Gravina, Antonius de Panormo, & alii antea citati.

Ratio eſt, quia revelatio formalis immediata, etiamſi confuſa ſit, ſufficit ad objectum formale fidei: atqui objectum concluſionis theologicæ ex duobus fidei placitis evidenter deductæ, formaliter & immediatè, licet minus clarè, revelatum eſt; ergo &c. Major conſtat ex dictis & probatis ſupra ex Suarez atque ex ſeſe manifeſtè patet: Deus enim utpote ſumma veritas, quocumque tandem modo locutus fuerit, ſummam fidem meretur, ubi primum conſtat ipſum locutum fuiſſe. Minor autem videtur evidens: ſiquidem omnis concluſio in tantum bene infertur ex ſuis præmiſſis, in quantum ejus objectum identificatur cum objecto præmiſſarum, atque in iis continetur, fundatur enim tota vis ſyllogiſtica in hoc principio, *Una præmiſſarum contineat concluſionem, altera contentam declaret.* Cum ergo placita fidei ſint in ſe formaliter immediatè revelata; concluſio materialiter ſumpta, quæ in præmiſſis reipsâ, etſi minus clarè continetur, atque cum iis identificatur, pariter dici debet formaliter & immediatè, licet minus clare revelata.

Id variis exemplis illuſtrari poteſt: v. g. *Omnis homo habet animam immortalem: Chriſtus eſt homo, ergo Chriſtus habet animam immortalem.* vel, *Omnia Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem: atqui Baptiſmus eſt Sacramentum; ergo &c.* vel, *Omnes Apoſtoli acceperunt Spiritum ſanctum: S. Matthæus fuit unus ex Apoſtolis; ergo S. Matthæus accepit Spiritum ſanctum.* In his & ſimilibus exemplis concluſio continetur in præmiſſis, tanquam in aliquo cum quo realiter identificatur: non tam deducitur, quam oſtenditur eſſe incluſa in præmiſſis, ſeu, ut ita loquar, eſt ratiocinium in verbis, non verò in mente: ſic v. g. cum aſſeritur S. Matthæum accepiſſe Spiritum ſanctum, id eſt, falſum inadæquatè, ac ſi diceretur omnes Apoſtolos, (quorum unus erat S. Matthæus) accepiſſe Spiritum ſanctum: non enim poteſt aliquis affirmare totum, quin affirmet partes ex quibus intrinſecè illud conſtat, propter ſcilicet identitatem partium cum toto.

Hoc eodem argumento utitur Suarez dictâ diſp. 3. ſect. 11. n. 6. *Revelatio propoſitionis univerſalis*, inquit, *immediatè cadit in illa omnia quæ ſub propoſitione univerſali continentur; ergo ſufficit de ſe ad fidem circa ſingularia, ſi ſufficienter proponatur*: porro in concluſionibus deductis ex duabus præmiſſis de fide, certò & evidenter applicatur univerſalis revelatio circa objecta ſingularia; ergo &c. Sic v. g. cum revelatur *omnem hominem habere animam immortalem: Sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem: omnes Apoſtolos accepiſſe gratiam*: eo ipſo immediatè quoque, licet minùs clarè, revelatum cenſetur tanquam pars in toto, & minus explicitum in magis explicito, *Chriſtum habere animam immortalem: Baptiſmum conferre gratiam*: idem dicendum de ſimilibus propoſitionibus.

His adde, nullum poſſe afferri exemplum concluſionis theologicæ ex duabus præmiſſis revelatis evidenter deductæ, quæ ſi materialiter conſideretur, non ſit in ſe immediatè, ſaltem confuſè revelata, ac proinde de fide: unde propriè & accuratè loquendo concluſiones hujuſmodi non ſunt verè theologicæ.

Dixi, concluſiones *materialiter* ſpectatas: ſi enim ſpectentur *formaliter & reduplicativè*, quatenus ex duabus præmiſſis revelatis deductæ, jam non ſunt de fide, ut ſupra diximus reſponſione 1. Ita Cajetanus, Brancatus de Laurea, Lorca, Valentia & alii. Et verò, uti ratiocinatur de Panormo. *Scrutinii* cap. 3. art. 19. *concluſionibus ſic conſideratis aſſenſum præbemus, non præciſe propter divinam veritatem dicentem, ſed etiam propter connexionem concluſionis cum præmiſſis lumine naturali cognitam, quam mixtionem excludit fides.* Scilicet in fide, propria & adæquata aſſentiendi ratio eſt ſola formalis & immediata Dei revelatio per Eccleſiam propoſita: in concluſione autem theologica formaliter ſumptâ aſſentiendi motivum, eſt ejus cum revelatione connexio, rationis uſu manifeſtata; ergo &c.

Reſp. 5. concluſiones merè & verè theologicas ex duabus præmiſſis, quarum una eſt de fide, altera verò lumine naturali nota, certò & evidenter deductas, non eſſe de fide, ac proinde propoſitiones his concluſionibus oppoſitæ, propriè non ſunt hæreticæ. Ita Gregorius, Major, Gabriel, Cajetanus, & Thomiſtæ, Salmaticenſes, Cardinalis de Lugo, Lorca, Valentia, Molina, Antonius de Panormo, & alii paſſim quos refert & ſequitur Suares diſput. 3. de fide ſect. 11. n. 3. 7. & 10.

Probatur ratiocinio quo utitur Cardinalis de Lugo diſp. 1. de fide ſect. 13. n. 261. "Non poteſt „eſſe de fide id quod non creditur quia revelatum „& teſtificatum eſt à Deo: ſed objectum ejuſmodi „concluſionum non dicitur à Deo, ſed aliud ex quo „partialiter illud infertur; ergo non poteſt hoc credi ex fide, cum non participet rationem formalem „& motivum proprium fidei.

Et verò fides & concluſio theologica materialiter ſumpta diſcrepant ratione objecti, motivi &

medii. Namque 1. objectum fidei eſt aliquid à Deo immediatè revelatum: objectum autem concluſionis theologicæ materialiter ſpectatæ eſt aliquid non immediatè revelatum, ſed ex revelato conſequens. 2. motivum fidei eſt divina revelatio formalis & immediata: motivum autem theologicæ concluſionis eſt revelatio virtualis & mediata, ſeu ipſius cum revelatione connexio. 3. in fide, medium quo cognoſcitur revelatio, eſt ipſa Eccleſiæ definitio: in concluſione verò theologicâ medium quo innoteſcit ipſius cum revelatione neceſſitudo eſt ipſa ratio ſeu diſcurſus & evidentia; ergò fides & concluſio materialiter ſumpta diſcrepant penes objectum, motivum & medium, ac proinde concluſiones theologicæ non poſſunt dici de fide.

Dixi, concluſiones *merè & verè* theologicas, id eſt, concluſiones quæ non ſunt meræ expoſitiones propoſitionum immediatè revelatarum, in quibus tanquam ſingulare in univerſali, vel minùs explicitum in magis explicito, formaliter & neceſſariò, etſi minùs clarè continentur; ſed illas quæ ex præmiſſis à quibus virtualiter ſaltem diſtinguuntur, per veram ac ſyllogiſticam illationem reipsâ educuntur. Breviùs agitur de iis concluſionibus quæ non ſunt merè expoſitivæ, ſed veræ illativæ; ſeu ut loquitur de Panormo art. 18. capitis 3. quæſtio eſt de concluſionibus in quibus *præmiſſa non revelata verè influit in propoſitionem illatam per aliquod prædicatum, aut formalitatem, quæ nec ſit revelata, nec ſoli explicationi præmiſſæ revelatæ inſerviat*, id eſt, ut paulò poſt exponit, *quæ non ſit merè explicativa divinæ revelationis, quæ immediatè afficiat ipſam propoſitionem deductam*. Quod quidem contingit, uti obſervat Suares citatâ ſect. 11. diſput. 3. *cum ſit generalis revelatio diſtributiva, ut in iſto exemplo*, Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem: *in iſtâ enim univerſali omnes ſingulares formaliter continentur, licet confusè; vel in definitione reſpectu definiti. Nam..... cùm revelatur nobis Chriſtum eſſe hominem, ſatis formaliter revelatur eſſe animal rationale, vel habere corpus & animam humanam, licet hoc non explicitè dicatur.* Vide quæ ſupra diximus corollario 1. & 2. ad tertiam reſponſionem.

Dices 6. cum Cardinali de Laurea & authore *Scrutinii doctrinarum* cap 2. art. 8. hæ concluſiones, *Deus vult omnes ſalvos fieri; ergo Deus vult Judam ſalvum fieri. Chriſtus mortuus eſt pro omnibus; ergo mortuus eſt pro Petro. Omnes Romani Pontifices ritè & canonicè electi habent jure divino primatum non ſolùm honoris, ſed etiam juriſdictionis in univerſâ Eccleſiâ; ergo talis Romanus Pontifex ritè & canonicè electus &c. Omnis infans ritè baptiſatus eſt juſtificatus; ergo & talis infans &c.* Hæ, inquam, & ſimiles concluſiones in quibus propoſitio ſingularis eruitur ex univerſali immediatè revelatâ, ſunt de fide: atque propoſitiones iis contradictoriæ hæreticæ ſunt; ergo idem dicendum erit de iis concluſionibus in quibus proprietas eruitur ex eſſentiâ: v. g. *Omnis homo eſt riſibilis: atqui Chriſtus eſt homo; ergo eſt riſibilis.* Porro propoſitiones hujuſmodi veræ ſunt concluſiones theologicæ ex præmiſſis unâ revelatâ, alterâ naturali deductæ: ergo &c.

Et verò, inquit citato loco *Scrutinii* author, *Non minus continetur in iſta propoſitione*, Chriſtus eſt homo, *hæc altera*, Chriſtus eſt riſibilis; *quam in univerſali illa*, Deus vult omnes homines ſalvos fieri, *particularis altera* Deus vult Judam ſalvum facere. *In re namque ſicuti Judas identificatur tanquam pars cum toto, cum collectione*, omnes homines; *ita & riſibilitas identificatur tanquam proprietas cum* humanitate ſeu rationalitate, *quæ eſt hominis conſtitutivum..... unde eodem modo quo valet illatio*, Chriſtus eſt homo; ergo eſt riſibilis: *valet quoque & alia*, Deus vult omnes homines ſalvos fieri; *igitur* vult Judam ſalvum fieri. *Vel itaque utrumque illatum erit theologicum, & conſequenter utraque propoſitio utrique illato contraria, erit* erronea; *vel ſi poſterius*, de ſalute Judæ, *erit de fide, pariter de fide tenendum & prius.*, Chriſtus eſt riſibilis, *ut plenè doctrina cohæreat.*

Reſp. concordes omnino non eſſe Theologos circa propoſitiones ſingulares & facta particularia, ex propoſitionibus univerſalibus immediatè revelatis, in quibus tanquam partes in toto proximè continentur, certò deductas.

I. aliqui cenſent propoſitiones ſingulares ſeu facta particularia in propoſitionibus univerſalibus contenta, nec in ſe clarè & diſtinctè revelata, non eſſe de fide divinâ. Ita Turrecremata Lib. 4. Summæ parte 2. cap. 9. Cajetanus 2. 2. qu. 1. art. 3. in corp. Bannes 2. 2. qu. 1. art. 10. dub. 2. ad 2. & alii. Docent illi certum non eſſe certitudine fidei divinæ, *hunc hominem* v. g. *eſſe verum ſupremum Pontificem*: quia, inquiunt, nuſquam Deus id immediatè revelavit; & aliunde res eſt humana & contingens pendens ex teſtimoniis humanis, & ex multis aliis occultis circumſtantiis, ut an ſit baptiſatus, an ritè ordinatus &c. idem proportione ſervatâ aſſerunt de hâc propoſitione ſingulari, *Concilium Tridentinum fuit legitimum*.. Addunt autem facta hujuſmodi, etſi fide divinâ certa non ſint, attamen certa eſſe certitudine morali: quo ut ſit Concilio & Romano Pontifici debitam teneamur exhibere obedientiam.

Juxta hanc ſententiam plana eſt ac facilis reſponſio objectioni propoſitæ: ſcilicet, propoſitiones illæ ſingulares de factis particularibus, quæque ex propoſitionibus univerſalibus immediatè revelatis deducuntur, non ſunt de fide; ergo à fortiori nec etiam concluſiones ex unâ revelatâ & altera naturali deductæ, in quibus proprietas ex eſſentiâ eruitur.

II. alii, quemadmodum obſervat Panormo cap. 3. art. 5. duplicis generis diſtinguunt propoſitiones univerſales in ſe immediatè revelatas. Nimirum, aliæ revelantur propter particulares, ut cùm revelatur, quòd *omnis homo ſit à Deo redemptus*, talis revelatio eſt propter has ſingulares, *Petrus eſt redemptus; Paulus eſt redemptus*: & hujus generis eſſe exiſtimant univerſalem illam: *Omnis canonicè electus in Romanum Pontificem eſt Chriſti Vicarius & Petri ſucceſſor*, non ob alium finem revelatam; niſi ut hic vel ille Pontifex, Clemens XII. v. g. pro vero Chriſti Vicario habeatur ipſique debita exhibeatur obedientia. Aliæ verò ſunt propoſitiones univerſales, inquiunt, quæ non cenſentur revelatæ propter particulares aut ſingulares, cujuſmodi eſt iſta, *Omnis infans ritè baptiſatus, eſt à peccato originali immunis*: non enim revelata eſt, ut credamus hunc numero infantem eſſe immunem à peccato originali, ſed ut Baptiſmatis virtus, ac peccati originalis, quo totum genus humanum infectum eſt, veritas confirmetur.

Aſſerunt autem iidem authores, in propoſitionibus univerſalibus primi generis verificari equidem quòd revelatâ aliquâ propoſitione univerſali, revelatæ haberi debeant, & particulares, aut ſingulares univerſalem conſtituentes: non autem in propoſitionibus univerſalibus poſterioris generis, quæ non cenſentur revelatæ propter particulares: *Ex quo conſequens eſt juxta illos*, inquit *Scrutinii* author

loco

loro mox citato, *quod, etiamſi conſtet hunc numero infantem rite & valide baptiſatum eſſe, ut conſtare forte poteſt miniſtro conferenti Baptiſmum, adhuc de fide non ſit, quod ille infans ſit ab originali peccato immunis.* Ita ſentire videntur Eminentiſſimus de Laurea diſput. 16. de fide art. 2. paragr. 1. n. 38. Dominicus à SS. Trinitate lib. 2. Biblior. Theol. ſect. 3. cap. 2. Dominicus Gravina Lib. 1. Catec. præſcript. 6. art. 3. &c.

III. Alii iterum diſtinguunt propoſitiones univerſales immediatè revelatas duplicis generis. Nempe aliæ ſunt quarum propoſitiones ſingulares ſub univerſalibus contentæ, talis ſunt naturæ, ut abſque reſpectu ad has vel illas extrinſecas & circumſtantias, certo cognoſcantur contineri ſub univerſalibus revelatis: in exemplum ſolet afferri propoſitio iſta particularis, *Deus vult Petrum ſalvum fieri*, reſpectu iſtius univerſalis, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* Aſſerunt autem illas propoſitiones ſingulares cum univerſalibus revelatis comparandas eſſe, velut partes cum toto, atque revelationem non ſolum immediatè afficere univerſalem propoſitionem exprimentem *ſalutem omnium hominum* v. g. ſed & quaslibet ſingulares quæ univerſalem efformant ac conſtituunt, inter quas eſt iſta, *de ſalute Petri*: unde, inquiunt, propoſitiones hujuſmodi ſingulares credi debent fide divinâ, perinde ac univerſales.

Aliæ verò ſunt propoſitiones ſingulares quas in univerſali revelata non includi certò conſtat, niſi expendendo varias extrinſecas contingentes circumſtantias à quibus dependent; talis eſt iſta propoſitio particularis de infante rite baptiſato: licet namque veriſſimè ſub univerſali, *Omnis infans* &c. contineatur quilibet in particulari, qui ſit ritè baptiſatus; non tamen de tali vel tali determinatè infanti, quòd ſit ritè baptiſatus certo conſtat vi univerſalis propoſitionis applicatæ immediatè huic vel illi individuo, ſed vi univerſalis applicatæ, mediâ fallibili cognitione de validitate materiæ, de intentione miniſtri &c.

Illud autem, inquit Panormo cap. 3. art. 5. n. 14. *in quo concurrit infallibilitas (idem proportionaliter dic de medio infallibili quidem infallibilitate propria ſcientiæ, ſed inferioris ordinis infallibilitate propria fidei) applicationis vel medii, patet non poſſe contineri in univerſali ut revelata, tanquam ipſius partem conſtitutivam, niſi ceſſet fallibilitas medii & applicationis ob concurſum alterius ſuperioris cauſæ, quæ ex Spiritus ſancti operetur inſtinctu, ac infallibilitatis privilegio gaudeat; ut evenit in caſu particularis, ſeu ſingularis*, Hic numero Romanus Pontifex &c. *quæ licet pendeat à notitia canonica electionis, quæ ſui natura fallibilis eſt, ſi tamen accedat Eccleſiæ acceptatio, quæ ex Spiritus ſancti inſtinctu ad eam dirigitur, non impeditur quin in concreto ſit ſingularis immediatè revelata in illa univerſali*, Omnis Romanus Pontifex &c. *etiam ut revelata, tanquam pars conſtitutiva illius ineſſe talis.*

Juxta hanc ſententiam videtur propoſitiones ſingulares facta ſingularia exprimentes, quas ſub univerſalibus revelatis contineri certò non conſtat, niſi habito reſpectu ad varias extrinſecas circumſtantias à quibus pendent; videtur, inquam, hujuſmodi propoſitiones ſingulares non poſſe credi fide divinâ, niſi accedat Eccleſiæ acceptatio; ſeu ut loquitur de Panormo, *concurſus alterius ſuperioris cauſæ, quæ ex Spiritus ſancti operetur inſtinctu, ac infallibilitatis privilegio gaudeat, ut evenit in caſu ſingularis*, Hic numero Romanus Pontifex &c.

In hâc & priori ſententia manifeſtè patet, nullam inſtituendam eſſe comparationem inter iſtas concluſiones, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, ergo vult Petrum, Paulum, Judam &c. ſalvos fieri. Omnis Romanus Pontifex canonicè electus, eſt Chriſti Vicarius ac Petri ſucceſſor; ergo talis numero Clemens XII. v. g. &c.* & iſtas alias in quibus propoſitio ex eſſentia eruitur, *Chriſtus eſt homo; ergo eſt riſibilis.* Primi generis concluſiones, non tam concluſiones ſunt, quàm expoſitiones & evolutiones propoſitionis univerſalis, quas proinde directè & immediatè afficit revelatio univerſalis: non ita eſt de iis concluſionibus in quibus proprietas ex eſſentia colligitur. Stando ergo præcedentibus opinionibus ruit propoſita objectio.

IV. Panormo citato loco rurſus diſtinguit, aut potius Paulo aliter explicat mox expoſitam Brancati de Laurea diſtinctionem. "Non renuimus, *inquit*, admittere aliquas veritates (*id eſt propoſitiones*) "univerſales eſſe quæ revelantur, vel propter ſolas "particulares in ipſis comprehenſas, vel ad minùs "etiam in ordine ad ipſas; alias verò, quæ ſui naturâ "nullatenus reſpiciunt particulares: quòd evenire "dicimus, quatenus prioris generis propoſitiones "tendunt ad Eccleſiæ regimen, nedum in ſuâ univerſalitate ſumptæ, ſed etiam in ſingulis particularibus ſub ipſis inclusis, cujuſmodi eſt univerſalis, "*Omnis Romanus Pontifex &c.*....Poſterioris vero "generis eſt univerſalis, *Omnis infans ritè baptiſatus* "*&c.* quæ in ſui univerſalitate eſt fidei dogma, per "quod nobis revelata eſt Baptiſmi virtus, confirmatur veritas peccati originalis, quo totum infectum eſt genus humanum ad quod hic numero infans ſit verè baptiſatus, non reſpicit Eccleſiæ directionem in materia fidei; nulla namque ad hujus "conſervationem neceſſitas, quòd fide divina teneatur hic, vel alter infans ritè & validè baptiſatus, "& proinde immunis ab originali peccato.

Atque hanc ibidem tradit regulam idem author ad dignoſcendũ quandonam ſeu in quibus caſibus debita ſit Eccleſiæ ex divinâ promiſſione Spiritûs ſancti aſſiſtentia ad eruendas ex univerſalibus revelatis, particulares in ipſis contentas, ut habeantur tanquam fidei dogmata & objecta: " Quoties videlicet, *inquit*, univerſales ſunt primi generis, ſpectantes tum in ſeipſis tum in ſuis particularibus ad „Eccleſiæ directionem, ad fidei conſervationem, ac „proinde toti Eccleſiæ utroque modo proponibiles, „ut credantur fide divina: non vero quoties ſunt „ſecundi generis, quarum particulares nuſquam „erunt de fide divina habendæ, quia nonniſi per fallibile, aut ſaltem non infallibile infallibilitate fidei „medium, agnita ipſorum continentia in univerſalibus revelatis.

V. Canus Lib. 6. de locis theologicis cap. ultimo; Verga Lib. 9. Trident. cap. 39. Card. de Lugo diſput. 1. de fide ſect. 13. Valentia Tomo 3. diſput. 1. quæſt. 1. & alii quos refert & ſequitur Suares diſput. 3. de fide ſect. 11. docent objectum aliquod ſingulare in univerſali propoſitione immediatè revelata contentum, dummodo id certò conſtet, pertinere ad fidem. Ratio eſt, inquit de Lugo poſt Suareſ. loco mox citato, quia revelatio univerſalis immediatè, etſi confuſè, cadit in ea omnia quæ ſub univerſali continentur: ſufficit ergo de ſe ad fidem ſingulatim, ſi ſufficienter, id eſt, certò & evidenter conſtet, illa ſub univerſali propoſitione contineri. Nempe ſicuti habet Panormo rationium Suareſii contrahens, in *Scrutinio* cap. 2. art. 8. n. 16. *per illam revelationem qua nobis innoteſcit* Deum velle omnes homines ſalvos fieri, *ſignificatur verum judicium, quod Deus habet de*

adæquato objecto ejuſdem revelationis : illud enim judicium eſt fundamentum teſtimonii divini, in Deo autem non eſt cognitio confuſa, ſed diſtinctè judicat de omnibus quæ revelat, quamvis multa unico comprehendat verbo; confuſio idcirco ſe tenet ex parte noſtra, atque qui audientes Deum velle omnes homines ſalvos fieri, *non illico habeamus notitiam ſingularium omnium hominum, qui ſunt objectum divini illius judicii, ac propterea confuſione hujuſmodi ſublata, habitaque cognitione, quod in dicto divini judicii objecto fuerit comprehenſus Judas, ſequitur, quod ſicut reſpectu divini judicii, idem prorſus eſt, nedum in re, ſed in ratione ipſa formali,* ſalus omnium hominum, *ac* ſalus Judæ, Petri, Pauli, & cæterorum, *de quibus fieri valeat ſufficienter inductio ac diſtributio; ita & reſpectu noſtri revelatio* immediatè, *nedum afficiat univerſalem exprimentem* ſalutem omnium hominum, *ſed à qualibet ſingulares, quæ univerſalem efformant ac conſtituunt, inter quas eſt præfata* de ſalute Judæ.

Stando huic poſtremæ ſententiæ conformiter ad ea quæ antea diximus reſponſ. tertiâ ad præcedens argumentum.

Reſpondeo negando conſeq. & parit. multùm ſiquidem diſcriminis eſt inter concluſiones in quibus propoſitio ſingularis ex univerſali eruitur; & concluſiones in quibus proprietas ex eſſentiâ, effectus ex causâ &c. infertur: primi generis illationes veri nominis concluſiones non ſunt, ſed meræ expoſitiones, evolutiones aut enumerationes partium; propoſitiones enim ſingulares reſpectu propoſitionis univerſalis, ſunt veluti totidem partes ex quibus illa intrinſecè conſtituitur (hinc apud Philoſophos, genus totum eſt *potentiale*, individua vero ſub ipſo contenta partes *ſubjectivæ*) unde revelata aliquâ propoſitione univerſali: revelata per ſe formaliter & immediatè haberi debet quælibet particularis univerſalem conſtituens: at ita non eſt de concluſionibus in quibus proprietates ex eſſentia deducuntur: proprietas enim ſupponit rem eſſentialiter conſtitutam, à qua ſaltem virtualiter diſtinguitur, verè fluit ex differentia, & verè ex illa infertur: ac proinde revelata eſſentiâ, non cenſetur formaliter & immediatè revelata proprietas; ac per conſequens, concluſio in qua proprietas ex eſſentia deducitur, v. g. *Chriſtus eſt homo: ergo eſt riſibilis*: de fide eſſe nequit, defectu ſcilicet revelationis immediatæ ad fidem neceſſario prærequiſitæ.

Verbo dicam, propoſitio ſingularis formaliter & immediatè continetur in univerſali revelatâ, tanquam pars in toto; eſt ergo de fide, & contradictoria eſt hæretica: è contra verò propoſitio iſta, *Chriſtus eſt riſibilis*, in hac altera revelatâ, *Chriſtus eſt homo*, non formaliter & immediatè continetur, ſed virtualiter duntaxat & tanquam effectus in causâ; adeoque non eſt de fide, ſed mera concluſio theologica, & ipſi oppoſita, hæretica dici nequit, ſed duntaxat erronea. Et, ut loquitur Card. de Lugo, propoſitio iſta, *Chriſtus eſt riſibilis*. ſe habet ad hanc alteram propoſitionem, *Chriſtus eſt homo, non ut particularis ſub univerſali aliqua revelata, ſed ut particularis connexa cum alia particulari revelatâ; connexa, inquam, non connexione immediatè revelata, ſed naturali ratiocinio erata ex humanitate Chriſti, quæ ſola immediatè eſt revelata.*

Non itaque, ut acutè obſervat Panormo cap. 2. art. 8. ratio, cur propoſitio ſingularis contenta in univerſali revelatâ, ſit de fide, fundatur in ſola identitate *reali*, quæ intercedit propoſitionem ſingularem inter & univerſalem: ſic namque valeret objectio propoſita, & dicendum foret concluſionem in qua proprietas eruitur ex eſſentia, pariter eſſe de fide; cum proprietas perinde identificetur cum eſſentiâ, ac propoſitio ſingularis cum univerſali: ſed fundatur in identitate *formali* ſeu conceptuum quæ occurrit propoſitionem univerſalem inter & particularem ſub ipſa contentam, cum è contra proprietas ab eſſentia virtualiter ſeu penès conceptus diſtinguatur. Unde ibidem Panormo, *Propoſitio particularis ac ſingularis*, inquit, *reſpectu univerſalis revelata, comparanda eſt tanquam quid* formaliter æquivalens, *etſi non totaliter: propoſitio vero explicans proprietatem, effectum &c. reſpectu propoſitionis exprimentis eſſentiam &c. ſe habere ſolummodo tanquam quid* virtualiter, & illativè *æquivalent*. Ac per hoc patet reſponſio ad id quod in objectione opponitur ex eodem Panormo.

Dices 1. Qui pettinaciter negaret propoſitionem certò & evidenter deductam ex placito fidei, v. g. *Chriſtum fuiſſe riſibilem*, haberetur ut hæreticus: ergò concluſio theologica pertinet ad fidem, ac proinde hæretica eſt propoſitio huic contradictoria.

Reſpondeo cum Cardinali de Lugo, diſput. 1. de fide ſect. 13. parag. 1. *illum præſumi hæreticum, quia non præſumitur negare principium evidens naturale, quod homo ſit riſibilis; ſed principium obſcurum revelatum, quod Deus ſit homo. Si tamen ipſe non negaret, Chriſtum eſſe hominem, ſed ſolum negaret, hominem eſſe riſibilem, non eſſet vere hæreticus coram Deo. Ita cum aliis Suares diſput. 3. de fide ſect.* 11. Pergit idem Cardinalis. *Addit beaè Hurtado diſput. 12. parag. 27. neque etiam in foro externo puniendum ut hæreticum, ſi eſſet homo rudis, qui facile errare poſſet in principio evidenti philoſophico.*

Dices ultimo: Saltem accedente Eccleſiæ definitione, concluſio Theologica ex una revelata & alterâ naturali evidenter deducta, evadit de fide divina: adeò ut foret hæreticus qui ſcienter huicce concluſioni jam definitæ obluctaretur: ergo revelatio formalis & immediata non requiritur ad fidem, nec proinde propoſitio hæretica formaliter conſtituitur per oppoſitionem directam & immediatam veritati à Deo immediatè revelatæ. Conſequentia videtur certa: probatur autem antecedens, ex Eccleſiæ ac Conciliorum praxi, quæ multoties fidei dogmata definiêre. ob ſolam immediatam cum revelatis connexionem, ut videre eſt inter alia in ſextâ Oecumenica Synodo, in qua adverſus Monothelitas definitum eſt duas eſſe in Chriſto voluntates, quæ propoſitio duntaxat revelata fuerat in iſta, *Chriſtus eſt Deus & homo*: ergo &c.

Reſpondeo, circa concluſiones Theologicas Eccleſiæ judicio Fidelibus ad credendum propoſitas, duplicem potiſſimum eſſe Theologorum ſententiam.

Prima eſt Suateſii, quem hac in parte ſecuti ſunt Cardinales de Lugo, de Laurea, & alii: aſſerunt illi cum Suareſ. diſput. 3. ſect. 11. n. 11. *concluſionem theologicam, quæ prius tantum virtute continebatur in rebus revelatis, poſtquam per Eccleſiam definitur, eſſe formaliter & propriiſſimè de fide, non mediate tantum, ſed immediate: quia jam non habetur illa veritas, tantum ut virtute & mediatè revelata, ſed ut revelata formaliter & in ſe.*

Ratio eorum qui ſtant pro hâc ſententia, hæc eſt: *Quia quod Eccleſia definit*, inquit Suares, *Deus per Eccleſiam teſtificatur; Eccleſia autem definit tantem*

lem veritatem in ſe ac formaliter ; *ergò jam Deus illam in ſe ac formaliter teſtificatur* ; *ergò eo ipſo eſt conſtituta ſufficienter ſub objecto formali fidei.* aſſirmat ibidem Suares opinionem hanc ſibi *certam videri, & haberi ex communi conſenſu Theologorum* : imò addit ſe non inveniſſe *Theologum contradicentem*. Verùm immeritò, complures quippè Theologi prædictæ opinioni adverſantur. Etenim.

Altera ſententia docet meram concluſionem theologicam nuſquam poſſe evadere placitum fidei, etiamſi accedat Eccleſiæ definitio : adeòque propoſitionem priùs erroneam duntaxat deinde ob ſupervenientem Eccleſiæ definitionem nunquam fieri hæreticam. Sententiam hanc exponit & probat *Scrutinii* author cap. 3. art. 5. n. 19. 20. 21. 22. & pro hâc citat Valdenſem, Alphonſum à Caſtro, Lorcam, Canum & Thomiſtas communiter, Molinam, Valentiam, Hurtadum Tannerum, &c.

In hanc ſententiam coincidit opinio illuſtriſſimi Tutelenſis Epiſcopi, in ſuo de elementis theologicis tractatu, ubi docet, *id nunquam committere poſſe Eccleſiam, ut meras concluſiones theologicas, tanquam ad fidem catholicam pertineant, declaret.*

Arridet magis ſecunda hæc authoris *Scrutinii* ſententia, 1. quia, ut docent Theologi poſt ſanctum Thomam, Eccleſia non habet authoritatem condendi novos fidei articulos, novaque dogmata; mera ergo concluſio theologica non poteſt evadere placitum fidei ob ſupervenientem Eccleſiæ definitionem. 2. prædicta Suareſii ſententia non videtur ſatis ſibi cohærens : docet ſiquidem Suareſius, meras concluſiones theologicas nullatenus eſſe de fide, antequam definiantur ab Eccleſia; jam verò ſi ita ſit, qui fieri poterit ut ſubſequens Eccleſiæ definitio, haſce concluſiones ad dignitatem dogmatis fidei promoveat ? Certè Eccleſia nihil facit eſſe de fide quòd antea de fide non fuerit : ſed duntaxat expenſis Scripturâ & Traditione, juridice declarat ac proponit id eſſe revelatum & credendum, de quo priùs non conſtabat an contineretur in Scripturâ & Traditione, & an divinâ fide credendum foret. *Erat quidem fidei*, inquit Sylvius 2. 2. q. 1. art. 70. *priuſquam definiretur ab Eccleſiâ : & conſequenter, oppoſitum tenentes jam tùm errabant in fide, ſed inculpabiliter : quia non errabant in fide definitâ & declaratâ.* 3. inefficax videtur Suareſii ratiocinium. Equidem Deus aſſiſtit Eccleſiæ ſuæ in omnibus ſuis dogmaticis definitionibus, ne in iis erret proponendo aliquid falſum: at ex indè minimè ſequitur ſolemne Eccleſiæ judicium ſemper ſatis eſſe, ut veritas aliqua definita ſub objecto formali fidei ſufficienter conſtituatur : ſi quidem aliud eſt, quòd definitur ab Eccleſiâ, aſſiſtente Spiritu ſancto eſſe verum ; & aliud, id eſſe de fide : etenim aſſiſtentia, ut omnes norunt, longè diſcrepat à revelatione ad objectum fidei omninò neceſſaria.

Et verò ſi prædictæ concluſiones eſſent de fide poſt Eccleſiæ definitionem, id fieret vel vi revelationis, vel vi aſſiſtentiæ, ſed neutrum dici poteſt. Non primum, quæ enim erat ante Eccleſiæ definitionem revelatio non ſufficiebat ad fidem ; accedente autem hâc definitione, non nova acceſſit revelatio : ergò &c. Non ſecundum, uti enim demonſtrabimus Articulo 5. & ipſemet fatetur Suares, Eccleſia infallibilis eſt, aſſiſtente ei Spiritu ſancto, in omnibus ſuis dogmaticis definitionibus atqui certum eſt, nec etiam diffitetur idem Suares, omnia dogmaticorum Eccleſiæ definitionum objecta non eſſe de fide : ut patet in factis dogmaticis non revelatis ; in notis *temerarii ſcandaloſi*, & aliis infra hæreſim, & generatim in rebus certis quidem ac tenendis, ſed certitudine infra fidem : ergò &c.

Juxta ſecundam hanc quam amplectimur authoris *Scrutinii* ſententiam. patet ſolutio ad argumentum propoſitum : negandum ſcilicet, ob rationes mox adductas, concluſionem merè theologicam accedente Eccleſiæ definitione, eſſe propriè ac formaliter de fide.

Neque id probat adductum ex Synodo ſextâ Oecumenicâ argumentum : contendimus enim cum citato modò *Scrutinii* authore, antecedenter ad Concilium ſextum Oecumenicum, hæreticum fuiſſe Monothelitarum dogma, Id quippè clarè demonſtrant Scripturæ & SS. Patrum teſtimonia, quibus duas in Chriſto voluntates probant ſextæ Synodi Patres : *Non mea ſed tua voluntas fiat*, Lucæ 22. v. 24. *Non ſicut ego volo ſed ſicut tu*, Math. 26. v. 39. unde in Epiſt. Synodicâ Agathonis ad præfatam Synodum directâ habetur : *Juxta quod Propheta olim de Chriſto, & ipſe nos erudivit, & ſanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum, duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes prædicamus.*

Quod autem additur, hæreticum fore qui ſcienter & cum pertinaciâ concluſioni theologicæ poſt Eccleſiæ definitionem adverſaretur ; non eodem modo intelligunt Theologi.

I. fatentur omnes illum fore *præſumptivè* hæreticum, qui theologicæ concluſioni jam definitæ obluctaretur : imò & ante definitionem, ſi concluſio ita ſit clara & aperta, ut ipſius cum revelatis connexio ab omnibus etiam rudioribus facilè percipi poſſit, qualis eſt iſta, *Chriſtus eſt homo : ergo eſt riſibilis.*

II. Suares, de Lugo & qui cum iis cenſent concluſiones theologicas poſt Eccleſiæ definitionem eſſe formaliter & propriè de fide ; ii conſequenter exiſtimant non ſolùm *præſumptivè*, ſed & *formaliter* hæreticum fore qui ſcienter iis reluctaretur.

III, qui autem cum authore *Scrutinii* judicant prædictas concluſiones non eſſe de fide, qui eas negant, non *hæreticos* formaliter, ſed *erroneos* habendos eſſe putant.

Si quis autem non ſolùm definitam concluſionem theologicam negaret, ſed & infallibilitatem Eccleſiæ in dicta definitione condendâ, *is formaliter foret hæreticus*, inquit Panormo cap. 3. art. 18. *quia negaret objectum fidei immediate revelatum, quale putamus eſſe infallibilitatem Eccleſiæ, nedum in rebus tanquam de fide habendis definitis, ſed & in ipſiſmet definitionibus rerum infrà fidem tenendis.* De Lugo tamen cum aliis quibuſdam hanc ſententiam temperat : docet ſiquidem non *hæreticum*, ſed *erroneum*, vel *errori proximum* eſſe, negare infallibilem eſſe Eccleſiam dum qualificationi hæreſeos inferiores notas applicat.

Unde hic obiter obſerva, partim inter ſe invicem conſentire Theologos hâc in præſenti quæſtione, & partim à ſe invicem diſſentire.

I. conſentiunt omnes fide divinâ credendam eſſe infallibilitatem Eccleſiæ in definiendis tanquam de fide, aut improbandis tanquam hæreticis, certis quibuſdam propoſitionibus : adeòque formaliter hæreticum fore qui prædictam infallibilitatem negaret.

II. quod ex præcedenti ſequitur, conſentiunt pariter, hæreticum formaliter fore qui veritatem tanquam dogma fidei definitam amplecti, aut propoſitio-

poſitionem velut hæreſim proſcriptam damnare contumaciter recuſaret.

III. Quod ſpectat concluſiones merè Theologicas materialiter ſumptas, fatentur omnes, ut mox vidimus, *præſumptivè* fore hæreticum qui eis poſt Eccleſiæ definitionem adverſaretur.

IV. Quod ſpectat an negantes hujuſmodi definitas concluſiones habendi ſint tanquam *formaliter* hæretici, diſſentiunt inter ſe Theologi: affirmat Suares cum ſuis ſequacibus: negat verò Panormo cum Thomiſtis communiter, cujus ſententiam, utpote magis cohærentem amplexi ſumus.

Obſervat idem Panormo loco mox citato, quòd ſi Eccleſia definiret concluſionem Theologicam v. g. *Chriſtum eſſe riſibilem*, præciſè ex revelatione mediatâ & virtuali; qui negaret concluſionem illam Theologicam habendus foret *erroneus*; non *hæreticus*: qui tamen inficiaretur Eccleſiæ infallibilitatem in tali definitione ferendâ, formaliter eſſet hæreticus: quia hic negaret fidei objectum immediatè revelatum, qualis eſt, inquit, infallibilitas Eccleſiæ, non tantùm in definitionibus fidei, ſed & in ipſiſmet definitis veritatibus infrà fidem tenendis.

An autem meræ concluſiones Theologicæ tanquam de fide divinâ credendæ definiri poſſint, iterum in diverſas abeunt partes Theologi. Suares affirmantem; Panormo verò negantem ſententiam propugnat, & quidem appoſitè ad principia ex eodem authore ſuperiùs ſtabilita: nihil ſcilicet tanquam de fide divinâ credendum definire poſſe, niſi quod in ſe & immediatè revelatum eſt.

V. Tandem conſentiunt Theologi, negari non poſſe abſque aliquâ notâ Eccleſiæ infallibilitatem in propoſitionibus approbandis aut improbandis, etiam infrà fidei qualificationem aut hæreſis notam.

Verùm rursùs diſcordes ſunt in aſſignandâ præcisè notâ quam mereretur is qui prædictam infallibilitatem rejiceret. Bannes 2. 2. quæſt. 11. art. 2. Cardinalis de Lugo diſput. 20. de fide ſect. 13. n. 104. Malderus ibidem membro 5. Turrianus diſput. 55. dubio 5. Coninch diſput. 18 dubio 8. Panormo cap. 3. art. 18. advertunt, *graviùs errare, qui dicit Eccleſiam errare poſſe, vel errare in iis cenſuris, quam qui ſolùm aſſereret veras eſſe propoſitiones illas ab Eccleſiâ judicatas* temerarias, offenſivas &c. Malderus, Panormo, & alii affirmant id eſſe hæreticum: Bannes, Turrianus &c. erroneum aut errori proximum. "Qui dicit, *inquit de* „*Lugo loco laudato*, Eccleſiam in cenſuris infrâ hæ„reſim erraſſe, incurrit hæreſim in aliquorum ſen„tentiâ, & in ſententiâ aliorum incurret, vel erro„rem, vel aliquid errori proximum." Aſt de iis fuſiùs art. 5. ubi de authoritate requiſitâ ad ferendas cenſuras Theologicas.

Ex dictis huc uſque circâ propoſitionem hæreticam.

Colliges 1. ex Panormo in *Scrutinio* cap. 2. art. 1. n. 6. hæreſim ſeu propoſitionem hæreticam, *eſſentialiter conſiſtere in oppoſitione directâ & immediatâ cum doctrinâ fidei divinæ*: unde eum eodem Panormo, Sylvio, Cano &c. deſcribi poteſt hæreſis, *Error veritati fidei Catholicæ directè & immediatè repugnans, in eo qui fidem Chriſti profeſſus eſt*: quæ poſteriora verba adduntur ut hæreſis à cæteris infidelitatis ſpeciebus diſtinguatur: ut enim inquit ſanctus Thomas 2. 2. q. 11. art. 1. "Hæreſis eſt in„fidelitatis ſpecies ad eos pertinens, qui fidem „Chriſti profeſſi ſunt, & ejus dogmata corrum„punt.

Colliges 2. duplicem vulgò diſtingui à Theologis hæreſim: (idem dicendum de propoſitione hæreticâ) altera dicitur *materialis*, altera *formalis*.

Hæreſis *materialis* & impropriè dicta, eſt error veritati fidei directè & immediatè oppoſitus, ſed abſque pertinaciâ aſſertus.

Hæreſis *formalis* & propriè ſumpta, eſt error fidei Catholicæ directè & immediatè repugnans, cum pertinaciâ aſſertus ab eo qui fidem Chriſti profeſſus eſt.

Porrò pertinacia ad hæreſim *formalem* fatentibus omnibus eſſentialiter requiſita, conſiſtit in judicio, inquit Sylvius 2. 2. q. 11. art. 1. "quo aliquis „poſt manifeſtatam ſibi ſufficienter veritatem fidei, „ſciens & volens ei repugnat.

Colliges 3. hæreticum conſtituere ac denominare, hæreſim *formalem*, non verò materialem, ſuadent id verba Apoſt. 1. ad Timoth. 6. "Si quis aliter „docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus..... ſu„perbus eſt, nihil ſciens &c. *Et verò S. Auguſtinus* „*Epiſt.* 43. *alias* 162 Qui ſententiam ſuam, *inquit*, „quamvis falſam atque perverſam nullâ pertinaci „animoſitate defendunt..... nequaquam ſunt inter „hæreticos deputandi. *Et Lib.* 18. *de Civit. Dei* „*cap.* 51. Qui ergo in Eccleſiâ Chriſti morbidum „aliquid pravumque ſapiunt, ſi correpti ut ſanum „rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque „peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, „ſed defenſare perſiſtant; hæretici fiunt, & foras „exeuntes habentur in exercentibus inimicis. Idem liquet ex Conciliis Lateran. ſub Innoc. III. celebrato cap. 2. item ex Clementinâ unicâ *De ſummâ Trinitate*. & ex Clementinâ *Ex gravi*. de Uſuris. Videri etiam poteſt S. Thomas quæſt. 8. art. 1. ad 7. in caput 11. 1. ad Cor. lect. 4. & lect. 2. in caput 3. ad Titum.

Colliges 4. ad hæreſim *formalem* & propoſitionem *formaliter* hæreticam conſtituendam, tres potiſſimùm ex parte objecti requiri conditiones.

Prima, ut directè & immediatè opponatur veritati revelatæ.

Secunda, ut veritas revelata cui adverſatur propoſitio hæretica, ſit directè ac immediatè in ſeipſâ revelata.

Tertia, tandem eſt, ut veritas immediatè revelata cui directè adverſatur hæretica propoſitio, ipſa ſit Eccleſiæ authoritate omnibus Fidelibus ad credendum propoſita.

Tres iſtas conditiones ad hæreſim formalem, & hæreticum conſtituendum deſiderari, abundè conſtat ex dictis, præcipuè in ſolutione ad propoſitas mox objectiones.

Colliges 5. tres inſuper ex parte ſubjecti requiri conditiones ad hæreſim & propoſitionem formaliter hæreticam.

Prima conditio eſt, ut is qui errat, fidem Chriſti profeſſus ſit; atque adeò Baptiſmo fuerit initiatus. Itâ expreſsè ſanctus Auguſtinus citato cap. 51. lib. 18. de Civit. Dei, ubi dicit hæreticum eſſe, qui ſub nomine Chriſtiano falſa dogmata in fide Chriſti docet, vel ſequitur. Idem expreſsè aſſerit Doctor Angelicus 2. 2. quæſt. 11. art. 2. Conſentiunt Turrecremata, Cajetanus, Cano, Caſtro, Azor &c. Et ratio eſt, quia in hoc potiſſimùm differt hæreſis ab aliis ſpeciebus infidelitatis; & hæreticus à Judæo & Pagano,

Altera conditio eſt, ut is qui errat, non in totâ fidei materiâ, ſed in ejus duntaxat parte malè ſentiat. Conditionem hanc exigunt Turrecremata in Summa de Eccleſ. Lib. 4. p. 2. cap. 13. Cano Lib. 12. de Locis Theol. cap. 9. Suares diſput. 19. de fide ſect. 5. n. 10. ubi alios refert qui idem ſentiunt.

tiunt. Et ratio eſt, quia ille eſt hæreſis ſubjectum, qui aliquo modo ſe Chriſtianum profitetur: aſt ut aliquis ſe Chriſtianum profiteatur, neceſſarium eſt ut aliquo modo in Chriſtum credat; ergo conſequenter neceſſe eſt ut non totam ejus fidem abneget, ſed partem duntaxat corrumpat.

Tertia demum & quidem præcipua ex parte ſubjecti ad hæreſim formalem requiſita conditio eſt pertinacia. De hoc conſentiunt Cajetanus, Bannes, Cano, Suares, Lugo, Sylvius, aliique paſſim Theologi. Idque ſequitur ex dictis ſupra corollario. 3. quibus adde iſtud S. Auguſtini Lib. 4. contra Donat. c. 16 ubi loquens de errante circa veritatem Chriſtianam, *Illum*, inquit, *nondum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina Catholicæ fidei reſiſtere maluerit; & illud quod tenebat elegerit.*

Verùm, quid ſit & in quo præciſè poſita ſit pertinacia illa ad hæreſim requiſita, non ita facilè eſt definire.

Panormo in *Scrutin.* cap. 4. art. 8. docet poſt Suareſ. diſput. 19. ſect. 3. pertinaciam duo eſſentialiter involvere. alterum *præſuppoſitivè* ex parte intellectûs, cognitionem videlicet ſeu notitiam ſufficientem authoritatis Eccleſiæ, & quòd doceat ſeu proponat veritatem illam contra quam aliquis errat. Alterum *formaliter* ex parte voluntatis, actum nempe quo quis velit reſiſtere Catholicæ doctrinæ, ſeu Eccleſiæ illam docenti, nec ſubdere judicium ſuum authoritati Eccleſiæ. Hic in voluntate formaliter conſiſtit pertinacia; hique duo actus, aſſerit ibidem Panormo, perpetuò ſignificantur quoties in ſacris Canonibus Hæretici ex *pertinacia* deſignantur dignoſcendi, ut videre eſt cap. *Damnamus. De ſumma Trinit.* ubi expoſito Abbatis Joachim errore, ipſius perſona ab hæreſi excuſatur, quòd *ſcripta ſua aſſignari mandaverit Apoſtolicæ Sedis judicio approbanda ſeu etiam corrigenda.* Idem legere eſt in aliis Apoſtolicis aut Conciliorum ſanctionibus paſſim.

Porrò, inquit Suares loco mox citato, ſufficiens authoritatis & propoſitionis Eccleſiæ cognitio requiſita ut quis cenſeatur ac verè ſit pertinax, eſt illa *per quam ita proponitur Eccleſiæ authoritas, ut obliget hominem ad credendum, & ipſam eſſe veram Eccleſiam, & veram eſſe doctrinam quæ docetur; & eodem ſaltem modo neceſſaria eſt notitia definitionis Eccleſiæ: quia eſto quis habeat ſufficientem propoſitionem ejus, poteſt nolle credere eſſe definitionem, & nihilominus erit pertinax, quia jam habet ſufficientem notitiam, quæ illum obliget ad credendum talem propoſitionem eſſe ab Eccleſia definitam.*

Et paulò poſt advertit idem Suareſ. quoties circa latam Eccleſiæ definitionem ſufficiens præceſſit inſtructio & admonitio, id eſt, talis quæ obliget, ut verum eſſe credatur quod proponitur; ita ut & authoritas Eccleſiæ, & definitio ejus circa talem materiam ſufficienter proponantur, tanquam evidenter credibiles; ſine dubio pertinacem fore & hæreticum qui reſtiterit, etiamſi dicat, ſe non credere talem propoſitionem, quia non credit eſſe definitam ab Eccleſia; etenim in hoc ipſo pertinax eſt; cùm illud ſufficienter proponatur: *Alias*, inquit Suares loco jam laudato, *nullus eſſet hæreticus pertinax, quia omnes negant veritates contrarias ſuis erroribus, eſſe definitas à verâ Eccleſia..... Sicut ergo reſpectu Dei, ad pertinaciam non eſt neceſſarium, ut aliquis credat aliquid eſſe dictum à Deo, & nihilominus eſſe falſum; ſed ſatis eſt ut credat eſſe falſum, quod ſibi ſufficienter proponitur ut dictum à Deo: ita dicendum eſt reſpectu Eccleſiæ quæ in hoc negotio habet vicem Dei, & ſeipſam ſufficienter proponit, & ut veram Eccleſiam, & ut hoc, vel illud definientem.*

Atque ex his quæ de pertinaciâ diximus ſequitur, ad hæreſim formalem non ſatis eſſe voluntarium *omnino* indirectum, ſed neceſſarium eſſe voluntarium *aliquo modo* directum, quo aliquis amplectatur errorem contra authoritatem & definitionem Eccleſiæ *ſufficienter* propoſitam: ac proinde quamlibet ignorantiam, etiam craſſam & affectatam, dummodo non ſit concomitans, excuſare ab hæreſi & Hæreticorum pœnis *Hæc eſt*, inquit dictâ ſect. 3. diſp. 19. Suares, *ſententia communis Theologorum & Canoniſtarum, expreſſè S. Thomæ 1. 2. quæſt. 11. art. 2. ad 3. ubi optime Cajetanus & alii..... Idem S. Thomas 1. p. quæſt. 32. art. 4. quatenus dicit, non committere hæreſim qui errat priuſquam advertat, vel ſciat contrarium eſſe ab Eccleſiâ definitum: idem fere habet 1. ad Cor. 11 lect. 4. & ad Titum 3. lect. 3.* Eandem ſententiam propugnant Panormo c. 4. art. 7. & de Lugo diſput. 16. de fide ſect. 6. ubi refert Bannes, Azor, Aragonium, Coninch, & alios.

Et verò, uti ratiocinatur Suareſ. voluntarium ex certa ſcientia ſeu notitia ſufficiente, eſt aliquo modo directum: atqui ex dictis pertinacia ad hæreſim formalem requiſita ſupponit ſufficientem cognitionem propoſitionis Eccleſiæ, quæ ſufficiens cognitio quamlibet excludit ignorantiam; ergo &c. Equidem ad hæreſim formalem non eſt neceſſarium formaliter & explicitè intendere contradicere Eccleſiam: nihilominus tamen neceſſe eſt materialiter directè velle illam contradictionem, ſicut is qui vult accedere ad unum terminum, ſciens id non poſſe facere, niſi recedat ab alio, ſatis directè vult recedere à tali termino, quamvis id formaliter non intendat.

Dixi quamlibet ignorantiam, *modo non ſit concomitans*, excuſare ab hæreſi: quia, quemadmodum poſt S. Th. 1. 2. q. 6. art. 6. in corp. ratiocinatur Panormo c. 4. art. 7. ignorantia concomitans talis eſt, ut ſecum admittat, imò requirat voluntatem non mutandi ſententiam, etiamſi conſtet Eccleſiam aliud docere: nam ab hac voluntate habet ignorantia illa, quòd ſit concomitans; & conſequenter non eſt cauſa errandi, nec excludit pertinaciam - "Quod adeò verùm eſt, *inquit Suares citato*
„*loco*, ut habeat locum, etiamſi illa ignorantia ſit in-
„voluntaria; quia etiamſi talis ſit, non eſt cauſa er-
„randi, nec excludit modum aſſentiendi pertinaci-
„ter contra Eccleſiæ authoritatem. Unde à fortiori
„hoc verum eſt in qualibet alia ignorantia culpabi-
„li: quin potius licet contingat opinionem eſſe ve-
„ram, ſi cum eo affectu teneatur perſiſtendi in illa,
„etiamſi Eccleſia contrarium definiat, incideret in
„hæreſim propter talem affectum.

Cæterùm, (quòd obſerva) ſex enumeratæ hoc & præcedenti corollario conditiones requiruntur ad hæreſim formalem, & hæreticum ſimul conſtituendum, tùm in foro Dei & quoad culpam, tùm in foro Eccleſiæ & quoad pœnas Eccleſiaſticas in Hæreticos latas.

Scilicet, inquit Suares dicta diſput. 19. ſect. 5. n. 11. ſedulò diſtinguenda ſunt iſta duo. 1. hæreſis quoad culpam & in foro Dei. 2. hæreſis in foro externo & quoad pœnas Eccleſiaſticas.

Ad primũ requiritur & ſufficit *voluntaria & pertinax reſiſtentia revelationi divinæ ſufficienter propoſita, etiamſi privata ſit*: quia revelatio illa ſic propoſita ſufficit ad obligandum, ut id quod proponitur certa fide credatur; ac proinde eadem ſufficit, ut contrarius diſſenſus ſit hæreticus: contrariorum enim eadem eſt ratio.

Ad

Ad alterum verò ſufficit & requiritur *voluntarius & pertinax error in materiâ fidei catholicæ contrariâ, in homine Chriſtiano*, id eſt, baptiſato.

Dixi 1. *in materiâ fidei catholicæ* : diſſentiens enim privatæ revelationi, etſi in foro Dei & quoad culpam ſit hæreticus, attamen non incurrit pœnas Eccleſiaſticas Hæreticis impoſitas. Ita Cajetanus, Bannes, Suares, de Lugo, aliique paſſim Theologi adverſus Sanches qui contrarium ſentit. Et verò nuſquam Eccleſia declaravit aut punivit tanquam hæreticum, eum qui privatam revelationem non credidiſſet, ſed ejuſmodi peccata divino judicio reliquit.

Dixi 2. *in homine chriſtiano, id eſt baptiſato.* Ut enim habetur in Concil. Trid. Seſſ. 14. cap. 2. *Eccleſia in neminem judicium exercet, qui non priùs in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus. Quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de his qui foris ſunt judicare?*

Colliges 6. illud omne & ſolum eſſe de fide catholicâ cenſendum, cui tres iſti competunt characteres.

I. Quòd ſit revelatum in verbo Dei ſcripto vel tradito. 2. quòd ſit revelatum *in ſe immediatè*, non verò per meram conſequentiam, etſi evidentem. 3. quòd ſit ab Eccleſiâ propoſitum. Ex quo generatim ſequitur.

Primò, nullam fidei veritatem de novo definiri, quæ non fuerit ab Apoſtolis cognita; adeoque non creviſſe à temporibus Apoſtolorum propoſitiones fidei. Ita Sylvius 2. 2. q. 1. art. 7. Unde Concil. Trid. Seſſ. 4. diſertè docet, omnem ſalutarem veritatem *contineri in Libris ſcriptis, & ſine ſcripto Traditionibus, quæ ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt.*

Secundò, Eccleſiam, quando vel definit vel credendum proponit aliquod dogma fidei, non condere articulum omnino novum, ſed partim declarare quid vel in Scripturâ, vel in Apoſtolicis Traditionibus contineatur; partim definire ac præcipere ita eſſe credendum, quomodo antea non paſſim ita credebatur explicitè, quia nondum conſtabat an contineretur in Scripturâ vel Traditionibus. *Erat quidem fides*, inquit Sylvius loco antea citato, *priuſquam definiretur ab Eccleſiâ: & conſequenter oppoſitum tenentes jam tùm errabant in fide, ſed inculpabiliter; quia non errabant in fide definitâ & declaratâ.*

Tertiò, nihil eſſe de fide divinâ catholicâ, ex iis omnibus quæ novimus per privatas quaſcunque revelationes poſt Apoſtolorum tempora factas, etiam quibuſcunque viris ſanctis. Ratio eſt, quia *fides ideo vocatur catholica*, inquit idem Sylvius 2. 2. q. 1. art. 1. *quòd per eam aſſentiamur illi quod tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt enim verè propriéque eſſe catholicam, ait Vincent. Lyrinenſis cap. 3.* atqui prædicti characteres non competunt iis quæ noſcuntur per privatas revelationes poſt Apoſtolorum tempora factas; ergo &c.

Quartò, nihil ex iis quæ per diſcurſum ex revelatis inferuntur, ſeu nullam concluſionem verè Theologicam, id eſt, ex unâ revelatâ & alterâ naturali certò & evidenter deductam, eſſe formaliter de fide catholicâ: & ratio eſt, quia nulla concluſio Theologica, formaliter & *immediatè* revelata eſt in verbo Dei ſcripto vel tradito, ſed ex revelatis illata.

Quintò, facta quotidiana nullatenus in ſe immediatè revelata, non poſſe proponi tanquam fide divinâ credenda.

Dixi, *nullatenus in ſe immediatè revelata*: revelatio enim univerſalis, uti antea vidimus ex Card. d. Laurea, de Lugo, Suareſ. Panormo &c. ſufficit ad credenda ſingularia quæ *certò & indubitanter* conſtat contineri tanquam partes in toto, in propoſitionibus univerſalibus in ſe *immediatè* revelatis. Sic v. g. inquit Grandin. diſput. 1. ſect. 2. punct. 8. *quod Concilium Tridentinum non erraverit in fide, credebant Apoſtoli in hac univerſali, Nullum Concilium generale legitimum errare poteſt in fide.* Idem dicendum de ſimilibus propoſitionibus.

Sextò, illud omne eſſe de fide Catholicâ, quòd nobis de fide credendum proponit Eccleſia. Ratio eſt, quia nihil de fide credendum proponit Eccleſia, niſi ſit in Dei verbo ſcripto vel tradito revelatum.

Septimò tandem ſequitur, propoſitionem hæreticam eam eſſe quæ enuntiat hæreſim; ſive quæ directè adverſatur veritati à Deo immediatè revelatæ, & per Eccleſiam propoſitæ: & talis propoſitio, quantùm eſt de ſe, idonea eſt conſtituere hæreticum, ac etiam conſtituet ſi cætera adſint.

Aſt ſi hæretica vocetur propoſitio quæ de facto conſtituit hæreticum; hæretica non eſt niſi & fidei divinæ catholicæ manifeſtè repugnet, & pertinaciter aſſeratur ab eo qui fidem Chriſti profeſſus eſt.

Ad completam intelligentiam eorum quæ dicta ſunt circa propoſitionem hæreticam, unum aut alterum ſupereſt inveſtigandum.

Quæres itaque 1. an omne dogma catholicum ſit fidei dogma.

Antequam reſpondeam, obſerva, dogma catholicum tribus modis dici poſſe.

I. genericè & latè: & ſic nihil aliud eſt, quam doctrina quæ licitè & citra cenſuram in catholicâ docetur Eccleſiâ: talis eſt doctrina de futuro vel non futuro Chriſti adventu, ſi Adam non peccaſſet: de admittendâ vel negandâ prædeterminatione phyſicâ: de admittendâ vel non admittendâ diſtinctione Thomiſticâ virtuali, inter attributa divina &c.

II. Minùs latè, pro doctrinâ quæ ſit cunctis Fidelibus propoſita cum obligatione credendi, ſed non tanquam de fide divinâ. Ita meræ concluſiones Theologicæ in noſtrâ ſententiâ. Ita etiam propoſitiones omnes doctrinales ab Eccleſiâ approbatæ infra gradum fidei divinæ, aut proſcriptæ infra gradum hæreſeos. Sic propoſitiones damnatæ tanquam fidei proximæ, erroneæ, malè ſonantes &c.

III. Dogma Catholicum propriè dictum, veritas eſt fidei divinæ quæ cunctis Fidelibus ut talis credenda proponitur: v. g. quòd Deus ſit unus in eſſentia: quòd ſit trinus in perſonis: quòd duæ ſint in Chriſto voluntates &c. His poſitis

Reſp. Dogma Catholicum hoc poſteriori duntaxat, non autem primo aut ſecundo ſenſu ſumptum, coincidere cum fidei dogmate. Id ex ſeſe & ex ſupra dictis manifeſtè liquet.

Quæres 2. an omne fidei dogma, ſeu an omnis veritas fidei divinæ & catholicæ ſit articulus fidei.

Antequam reſpondeam, obſerva, non nihil diſcriminis intercedere inter tria iſta: ſymbolum fidei, articulum fidei, propoſitionem de fide.

Symbolum fidei apud Catholicos, inquit Sylvius 2. 2. q. 1. art. 9. eſt *ſumma articulorum fidei, qui omnibus credendi proponuntur.* Vel, ut ait Suares, *Symbolum ſignificat quandam brevem ſummam ſeu regulam fidei ex variis articulis fidei collectam, & Fidelibus propoſitam tanquam ſignum profeſſionis ſuæ.*

Articulus fidei, inquit ibidem Sylvius art. 6. eſt

eſt *propoſitio catholica primario ad fidem pertiaens* , & *ſpecialem habeas ad credendum difficultatem.*

Propoſitio de fide ſimpliciter, ea eſt quæ exprimit veritatem à Deo revelatam, ſive veritas illa pertineat ad communem Eccleſiæ doctrinam; ſive non pertineat: ſi primum; propoſitio dicitur, inquit Suares loro mox laudato, *fides divina catholica*: ſi ſecundum, propoſitio dicitur eſſe *de fide divina theologica.* Unde aſſerit ibidem, fidem theologicam & catholicam ſe habere tanquam includens & incluſum: fides theologica univerſalior eſt & includit catholicam: fides theologica complectitur quidquid à Deo revelatum eſt, ſive pertineat ſive non ad communem Eccleſiæ doctrinam: fides autem catholica eſt de iis duntaxat quæ Eccleſiæ univerſali proponuntur.

Ruſſus nonnulli diſtinguunt inter propoſitionem de fide, & propoſitionem ad fidem pertinentem, vel in ordine fidei poſitam.

Propoſitu de fide ea eſt quæ in ſe *immediate* revelata eſt: propoſitio ad fidem pertinens, ea eſt quæ proximè & evidenter ſequitur ex una præmiſſa naturali & altera revelatâ: denique propoſitio in ordine fidei poſita dicitur illa quæ cum immediatè revelatis quocunque tandem modo connexa eſt. His præſuppoſitis obvia eſt ac facilis ad quæſitum reſponſio. Itaque

Reſp. 1. non omnem propoſitionem ad fidem pertinentem, ſeu ex una revelata & alterâ naturali evidenter deductam, eſſe de fide. Ratio eſt, quia, ut ſæpius diximus, revelatio immediata ad fidem neceſſaria eſt. Idem dicendum de propoſitione in ordine fidei poſitâ.

Reſp. 2. non omnem propoſitionem de fide dici poſſe fidei dogma, ſeu veritatem fidei divinæ & catholicæ: ſequitur ex diſcrimine mox aſſignato, fidem catholicam inter & fidem theologicam.

Reſp. 3. non omnia fidei dogmata, ſeu non omnes catholicas fidei veritates, ſed ſolas Principales & primarias eſſe articulos fidei propriè dictos. Ita expreſſe S. Thomas 2. 2. q. 1. art. 6. idque colligitur ex allatâ mox ex Sylvio articulorum fidei notione.

Porro primariæ & principales fidei veritates eæ ſunt, inquit ibidem Doctor Angelicus, *quæ directe nos ordinant ad vitam æternam; ſicut tres perſonæ omnipotentis Dei, myſterium Incarnationis & alia hujuſmodi.* ſive quorum viſione in æterna vitâ perfruemur, & per quæ ducimur ad vitam æternam: juxta illud Joan. 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolam Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Quæ verba ſic explicat S. Cyrillus, ut priora referat ad notitiam SS. Trinitatis; poſteriora vero ad notitiam Incarnationis quaſi medium æternæ vitæ conſequendæ.

Quæres 3. utrum hæreſis ſit aſſerere aliquid eſſe de fide, quod nullatenus eſt de fide; vel aliquid eſſe hæreticum, quod reipſâ hæreticum non eſt. An videlicet enuntians v. g. *de fide eſſe Verbum fore incarnandum, ſi Adam non peccaſſet*: aut econtra, *hæreſim eſſe Verbum fore incarnandum, ſi Adam non peccaſſet*, formet propoſitionem hæreticam.

Reſp. 1. dignam profectò eſſe cenſurâ propoſitionem, quæ ioiquè aliam notaret.

Id ipſum conſtat 1. ex S. Auguſtino Lib. 5. Confeſſ. & in 1. ſuper Geneſ. ad litt. *Multùm autem*, inquit, *nocent talia quæ ad pietatis doctrinam non ſpectant, vel aſſerere, vel negare, quaſi pertinentia ad ſacram doctrinam.*

II. idem ipſiſſimis S. Auguſtini verbis docet Angelicus Doctor Opuſc. 10. in Prologo.

III. Durandus à S. Portiano præfat. Comment. io ſent. *Menſura fidei*, inquit, *in duobus conſiſtit: videlicet, ut non ſubtrahatur fidei quod ſub fide eſt, nec attribuatur fidei illud quod ſub fide non eſt. Utroque enim modo a menſura fidei exceditur, & à continentia ſacra Scripturæ, quæ fidei menſuram exprimit, deviatur.*

IV. Suares diſput. 19. de fide ſect. 2. n. 21. expreſſe aſſerit & probat, non ſolum ſimplices propoſitiones, ſi theologicè falſæ ſint ac vitioſæ, cenſuram mereri; ſed etiam propoſitiones modales quæ indebitam quibuſdam aliis propoſitionibus notam inurunt. "Et ratio eſt manifeſta, *inquit*, quia etiam "illa propoſitio modalis habet ſuam propriam veritatem, vel falſitatem, pertinentem ad ſacram & "theologicam doctrinam; & ideo aſſertione vel attributione talis cenſuræ, poteſt eſſe non minor exceſſus, quam in ſimplici propoſitione: imo tales "cenſuræ ſine diſcretione prolatæ ſcandalum generant, & injurioſæ ſunt, quia & infamiâ inurunt, & "interdum inducunt alia incommoda & detrimenta, & ideo prudens Theologus ac timoratus diligentiſſimè obſervare debet ut has cenſuras ſine "magno judicio non efficiat.

V. Idem docent Caſtro, Lorca, Panormo, & de Lugo de fide diſput. 20. ſect. 3. n. 105. ubi obſervat, quod "ſi propoſitio de fide afficiatur cenſurâ, jam "propoſitio illa reflexa eſſet hæretica, cum negaret "& damnaret propoſitionem de fide. Similiter ſi "concluſio theologica afficeretur cenſurâ, propoſitio illa reflexa eſſet erronea, cum reprobaret concluſionem illam theologicam, & ſic de aliis.

Reſp. 2. reprehenſione pariter dignam eſſe propoſitionem quæ affirmat de fide eſſe, quod ad fidem non attinet.

Iſtud evincunt authores & momenta mox adducta: quibus adde quod annotat Lorca 2. 2. qu. 11. art. 2. diſput. 39. *Quemadmodum*, inquit, *contra veritatem errat non ſolum qui falſa pro veris, ſed etiam vera pro falſis æſtimat, & non ſolum qui certa pro incertis, ſed etiam qui incerta pro certis tradit; ſic errat contra fidem, non ſolum qui ea, quæ fidei ſunt, ſed etiam, qui ea quæ non ſunt de fide pertinacia, non eſt ſuo genere gravis culpa.*

Hinc ſapienter omnino poſt Cardinalem de Lugo & Suareſ. non ſemel obſervat Illuſtriſſimus Boſſuetus, cautum ac prudentem debere eſſe Theologum in cenſuris ferendis, quia *plerumque contingit, ut propoſitio quæ ſimpliciter prolata vera eſt, ratione cenſuræ adjunctæ falſa ſit, & ipſa cenſuram mereatur.*

Reſp. 3. cum iiſdem de Lugo & Suareſ. certis quibuſdam in circumſtantiis (videlicet, ſi adſit pertinacia) contingere poſſe ut hæreſis ſit aſſerere aliquid eſſe de fide, aut è contra hæreticum eſſe, quod reipſâ nec de fide eſt, nec hæreticum. "Hoc "poteſt contingere, *inquit Suares citatâ diſput.* 19. "*de fide ſect.* 6. n. 6. in eo, qui tam firmiter crederet "opinionem aliquam, etiam veram, ut haberet animum deliberatum, non credendi contrarium, etiamſi Eccleſia id definiret: illa vero hæreſis conſiſtit.....in pertinacia hæretica, & in judicio quod includit, vel ſupponit, contra infallibilitatem Eccleſiæ. Item poſſet in hoc hæreſis contingere, ſi Eccleſia de aliqua re definiiſſet non eſſe certam: & nihilominus aliquis ſentiret & affirmaret eſſe certam... "ut enim S. Auguſtinus dicit in Enchyr. cap. 17. & "19. *habere incerta pro certis error eſt.* Unde ſi ſit, "in materia definita, ſaltem quoad illum modum "erit error hæreticus.

"Extra hos caſus, *pergit Suares*, nullum eſſe periculum hæreſis in hoc modo, ſeu exceſſu affirmandi ut certum, quod incertum eſt; aliquod ta-

"men peccatum in eo committitur, quia licet pro-"poſitio ſimplex fortaſſe vera ſit, nihilominus mo-"dalis, quæ ex illo aſſentiendi modo, vel formali-"ter, vel virtute conſurgit, falſa eſt, & ita in illius "affirmâtione, vel mendacium, vel aliquid pejus "committi poteſt.

Subdit ibidem, quod diligenter attendere debent viri Theologi: "Exiſtimo & moneo poſſe pec-„cari graviter in hac materia, exaggerando proprias „opiniones; & contrarias cenſuris ſine delectu affi-„ciendo... &c ideo in hoc negotio magna modera-„tio & prudentia ſervanda eſt.

Eadem aſſerunt Major, Lorca & alii. "Non eſt „minùs hæreſis, *inquit Major in 3. ſentent. diſt.* 37. „*qu.* 26. aſſerere (*ſi addit pertinacia*) aliquid eſſe „de fide, quod nullatenus eſt de fide, quam ne-„gare aliquid de fide quod eſt de fide. *Conſentit Lor-„ca loco mox citato*, aſſerere de fide eſſe, quod ad „fidem non attinet, ſi ſit pertinacis, grave peccatum „erit, eritque hæreſis: quia Eccleſia contemnitur, „& negatur eſſe univerſalis fidei regula.

Hic enim obiter obſervandum eſt, nos poriſſimùm fuiſſe locutos de propoſitionibus in ſe præciſè ſpectatis: ubi quippe acceſſit Eccleſiæ definitio, qui ſcienter improbatam etiam infra hæreſim propoſitionem approbaret, aut infra fidem approbatam reprobaret, is aliquam juxta omnes cenſuram, ſecundum plurimos ipſammet hæreſeos notam mereretur & incurreret, propter negatam ſcilicet Eccleſiæ in ferendis hujuſmodi cenſuris authoritatem & infallibilitatem. Verum de his alibi.

Quæres 4. utrum credi poſſit aut debeat quod probabiliter duntaxat videtur revelatum: ac proinde an propoſitio oppoſita, quæ probabiliter tantùm revelata eſt, ſit hæretica.

Reſpondet Cardinalis de Lugo diſput. 1. de fide ſect. 13. parag. 4. n. 323. aliud eſſe objectum aliquod ſecundùm ſe & in abſtracto, ſeu objectivè & ratione ſui eſſe de fide: aliud verò eſſe nobis de fide, ſeu poſſe ac debere à nobis credi fide divinâ; ſeu quod idem eſt, eſſe de fide formaliter & ratione aſſenſus. Primum duntaxat volunt, qui aſſerunt objectum ſolum probabiliter revelatum eſſe de fide, non poſterius: & ratio diſcriminis eſt, inquit Eminentiſſimus author, *quia cum omne divinitus revelatum pertineat ad objectum materiale fidei, eo ipſo, quod objectum aliquod ſit* probabiliter *revelatum*, probabiliter *etiam debet inter objecta fidei connumerari. Ut tamen poſſit aliquid hic & nunc à nobis per fidem credi, neceſſe eſt, quod non poſſimus prudenter formidare, prout prudenter poſſumus quoties probabile ſupponitur non eſſe à Deo revelatum. Hinc etiam eſt*, pergit idem author, *eos qui probabiliter docent aliquid eſſe de fide, ſolùm loqui* per ſe, *& quantum eſt ex parte objecti revelati; non tamen negant, quòd ſuppoſita probabilitate ſententiæ contrariæ &* per accidens, *fides hîc & nunc non poſſit extendi ad illud objectum, quia per accidens propter probabilitatem contrariam non poteſt prudenter prohiberi omnis formido circa talem revelationem.*

Eandem ſententiam diſertè approbat Panormo in *Scrutin.* cap. 3. art. 21. & in ejuſdem doctrinæ confirmationem ibidem adducit cenſuram propoſitionis 21. inter 65. ab Innocentio XI damnatas: *aſſenſus fidei ſupernaturalis, ac utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis, imò cum formidine qua quis formidet, ne non locutus ſit Deus.* Quam propoſitionem pariter proſcripſit Clerus Gallicanus in Cominiis an. 1700. Porro, inquit eò loci Panormo, prædicta propoſitio non ob aliud motivum videtur damnata, quàm quòd tteget neceſſitatem certitudinis revelationis, quæ ad fidem divinam eſſentialis eſt ac neceſſaria.

Imò ibidem expreſſè aſſerit idem author, *in materia fidei omnes convenire, quod ut objectum aliquod ſit ſimpliciter de fide, & contrarium hæreſis, excludere penitus debeat quamlibet* probabilitatem *in oppoſitum, adeò ut ipſemet qui ſuſtinet* probabilius *eſſe de fide, ſi tamen reverâ pro* probabili *habet opinionem contrariam, non poteſt in ſenſu compoſito judicii de hâc* probabilitate, *vigore* probabilioritatis *propriæ opinionis, elicere actum, qui ſit fidei divinæ circa illud objectum.* Et paulo poſt, *Actus fidei elici duntaxat poteſt ab eo, qui ita firmus eſt in judicio, quod aliquod objectum ſit revelatum, ut non cenſeat* probabile *verâ ſaltem* probabilitate *oppoſitum.*

Unde concludit, quod mox ex de Lugo adivimus, quoties Catholici Doctores aſſerunt aliquod eſſe fide tenendum, & contrarium *hæreſim*, ſcientes quòd à pleriſque aliis, id eſſe de fide, & contrarium *hæreticum*, omnino negetur; ipſos non loqui de fide *formali* ac propriè dictâ, quaſi contrarium ſentientes in rigore ſint Hæretici, pœniſque Hæreticorum ſubjecti: *Si enim ſic loquerentur*, inquit, *res fortaſſis efficerentur inobedientiæ & tranſgreſſiones præcepti Apoſtolicæ ſedis...... quia nota hæreſis inurerent, quod ea inurendum adhuc non determinavit Eccleſia, permittens potius, ut pro libito ſuſtineatur hæreſim illud non eſſe. Loquuntur itaque*, pergit, *de objecto, ut eſt in ſe, ſeu verius; prout ipſi exiſtimant in ſe eſſe, conficientes inde propoſitionem non omnino abſolutam, ſed modalem, qua ſignificetur* probabiliter *hoc vel illud objectum eſſe à Deo revelatum, & contrarium divinæ revelationi repugnans.*

Ex his patet ſolutio ad quæſitum. Dicimus nempe, quod eſt *probabiliter* duntaxat, imò *probabilius* revelatum, non poſſe credi fide divina, ſi major illa probabilitas quamlibet in oppoſitum probabilitatem non excludat; idque in confeſſo eſſe apud omnes, conceptis verbis docet mox citatus *Scrutinii* author. Et ratio eſt, quia fides divina, utpote prudens & certiſſima, divinæ revelationis certitudinem neceſſariò & eſſentialiter exigit. Unde propoſitio oppoſita alteri quæ non certo, ſed probabiliter duntaxat eſt revelata, non poteſt dici propriè & in rigore hæretica. *Ut propoſitio ſit hæretica*, inquit Suares diſput. 19. de fide ſect. 2. n. 13. *duo requiruntur: unum eſt, ut propoſitio contraria ſit certiſſimè & indubitanter de fide: aliud eſt, ut altera propoſitio certiſſimè & indubitanter illi repugnet.*

Quæres 5. utrum nota hæreſis ſit cenſura unius ſpeciei infimæ vel ſubalternæ; ſeu an nota hæreſis ſub ſe habeat plures gradus, non quidem ſolo numero diſtinctos ſecundùm majorem aut minorem gravitatem, petitam ab articulo magis ac minùs neceſſario, de quo omnes conveniunt; ſed ſpecificos & quoad gradum falſitatis: ſeu an gradus hæreſis & propoſitionis hæreticæ ſit unus & ſimplex, vel ſub illo quoad falſitatem, plures diſtinguendi ſint gradus.

Examen hujuſce quæſtionis, inquit *Scrutinii* author cap. 2. art 8. videtur merè ſpeculativum ac nullius roboris: *aſt à vero aberrat*, pergit idem author, *quicunque ſic judicat, cum reverâ omnino neceſſarium ſit, ut ex eo reſolvatur*, an propoſitio mediate ſeu indirectè aut virtualiter revelata ſit hæretica, an tantum erronea.

Reſp. notam hæreſis eſſe ſpeciem infimam, ſeu non habentem ſub ſe plures gradus ſpecie diverſos. Ita Bannes, Salmaticenſes, de Laurea, Suares,

tes, aliique communiter Theologi adverſùs Turrecremata, Canum & Cordubam.

Suadetur reſponſio. 1. quia eodem modo proportione ſervatâ ratiocinandum eſt de propoſitione hæretica, ſicut de propoſitione de fide: atqui fidei habitus eſt unus ſpecie infima, ſub ſe non habens niſi individuos habitus fidei pro multiplicitate ſubjectorum, ergo pariter nota hæreſis non habet ſub ſe niſi gradus individuales ſine diſtinctione formali & ſpecifica habituum aut propoſitionum hæreticarum.

II. omnis propoſitio de fide, quatenus talis eſt, æquè certa eſt, quia innititur primæ veritati, quæ & in maximis & in minimis æquè verax eſt & ideo æque reddit hominem certum de omnibus quæ affirmat quæcunque illa ſint, dummodo revelatio æquè cadet in ſingula; ergo & propoſitio hæretica quæ cum pertinaciâ credita ſufficit, ut omnes fatentur ad corruptionem totius fidei, ejuſdem eſt gradus erroris & falſitatis.

III. idem conſtat ex dicendis mox impugnando opinionem Turrecremata circa notionem propoſitionis erroneæ.

Itaque propoſitio hæretica ſtrictè & propriè ſumptâ, prout hominem conſtituit hæreticum, pœniſque Hæreticorum obnoxium. *Eſt error fidei divinæ & catholicæ certò & indubitanter repugnans pertinaciter aſſertus ab eo qui fidem Chriſti profeſſus eſt.* Ita paſſim Theologi, duce Angelico Doctore 2. 2. q. 11. art. 1.

Huc uſque de cenſura hæreſeos, quæ cùm ſit omnium graviſſima, ex eâque cæterarum notio quadantenùs pendeat, de ejus naturâ, objecto, ſubjecto, aliiſque proprietatibus, paulò fuſiùs diſſerere oportunum judicavimus, alias cenſurarum ſpecies compendioſiùs pertractabimus.

De propoſitione erroneâ.

Erroris vox variis modis ſumi poteſt.

I. latiſſimè pro quâvis aſſertione falſâ in quâlibet materiâ. Juxta hanc acceptionem S. Auguſtinus in Enchrid. cap. 17. & contra Academicos cap. 4. *Errare*, inquit *nihil aliud eſt, quàm vera pro falſis, aut falſa pro veris probare.*

II. latè pro aſſertione quovis modo nocivâ fidei, comprehendente hæreticam & alias propoſitiones damnabiles: quo ſenſu Leo X. in Bullâ contra Lutherum, recenſitis variis Lutheri articulis, inter quos plurimi erant hæretici, eos univerſim vocat *errores* his verbis: *præfatos omnes articulos ſeu errores...... damnamus.*

III. preſſiùs ſumitur error *theologicè*, prout diſtinguitur ab hæreſi, & notam continet hæreſi proximam & inferiorem.

Quæritur in quo præcisè poſita ſit erroneæ propoſitionis hocce poſteriori ſenſu ſumptæ natura: circa quod authores in diverſas abeunt ſententias.

I. aliqui cum Turrecremata non diſtinguunt inter propoſitionem erroneam & hæreticam, niſi ſicut inter genus & ſpeciem. Hâc in ſententia, omnis propoſitio damnabilis poteſt dici error; licet non omnis ſit hæretica: omnis propoſitio hæretica eſt erronea, ſed non vice versâ.

Refellitur hæc opinio: quia Concilium Conſtantienſe damnando Wiclefi & Joan. Hus propoſitiones; Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. in ſuis adverſùs Baium Conſtitutionibus; & Theologi communiter de propoſitione erronea & hæretica, tanquam de duobus membris ex æquo diſtinctis loquuntur. Unde obſervat Suarez *prædictam*

Turrecremata ſententiam à Cano & aliis Theologis meritò impugnari.

II. S. Antoninus 2. parte titulo 12. cap. 4 & Cajetanus volunt propoſitionem erroneam eam eſſe quæ directè repugnat fidei *abſque pertinacia*, accedente autem pertinacia fieri hæreticam.

Refellitur: liquet ſiquidem ex mox & ſupra dictis, erroneam propoſitionem non eſſe ab hæretica diſtinguendam ex qualitate ſubjecti, ſed ex qualitate objecti, & ſecundùm ſe. Et verò notæ theologicæ *primò & per ſe* ſpectant & afficiunt noxias propoſitiones, non earum authores.

III. Canus Lib. 12. de Locis theologicis cap. 11. Corduba, à quibus non longè recedit Lorca, docent propoſitionem erroneam eam eſſe quæ veritates deſtruit, quibus ſubverſis, non evertitur quidem, ſed tamen quatitur fides: aſt quæ ſint hæ veritates variis modis explicant Canus & alii.

Primus modus eſt, veritates illas eas eſſe quæ adverſantur doctrinæ, quæ licet non ſit expreſſe revelata aut definita, ita tamen communi Eccleſiæ conſenſu recepta eſt, ut nullus pius ac verè doctus de ea dubitare audeat propter intimam ſcilicet ipſius cum doctrina fidei connexionem. Et tunc, inquiunt, propoſitio iis veritatibus contraria eſt erronea, non tamen hæretica, quia non eſt contra expreſſam fidem; eſt tamen aliquo modo contra doctrinam catholicam, id eſt, univerſalem.

Exemplum eſſe poteſt, inquit Suarez diſput. 19. de fide ſect. 2. n. 13. *in propoſitione negante Beatiſſimam Virginem reſurrexiſſe, ſeu in corpore & anima eſſe aſſumptam. nam contraria veritas non reperitur expreſsè revelata aut definita, tùm tamen ſit ſufficienter catholica.* Aliud exemplum ibidem refert his verbis: *Simile erat ante Concilium Tridentinum de hac propoſitione*, Beata Virgo nunquam peccavit venialiter, *nam ſemper fuit catholica in dicto ſenſu, etiamſi non eſſet expreſsè definita, & ideo contraria erat erronea, non tamen in rigore hæretica.*

Alter modus rem hanc explicandi, eſt, quia ut propoſitio ſit hæretica duo requiruntur; unum eſt, ut propoſitio contradictoria ſit certiſſimè & indubitanter de fide: aliud eſt, ut altera propoſitio certiſſimè & indubitanter illi repugnet. Unde fit, ut deficiente certitudine in altero ex his duobus, propoſitio hæretica non ſit, ſed erronea duntaxat. Ita diſertè explicat Lorca diſput. 40. n. 7. ubi propoſitionem erroneam definit eam, quæ opponitur quidem fidei veritati, ſed oppoſitione non omnino certa & indubitatâ. *Exemplum ſecundùm opinionem aliquorum*, inquit ibidem Suarez, *adhiberi poteſt in illo dogmate*; quod dantur habitus gratiæ per ſe infuſi; *quamvis enim probabiliùs ſit illud eſſe de fide, forſaſſe hoc non eſt ita certum, ut contrarium ſit hæreſis, erit tamen error.*

Refellitur tertia illa Cani ſententia cum variis eam exponendi modis, hoc unico argumento quo utitur Suarez loco laudato: Licet enim iſti modi ſatis diſtinguant propoſitionem erroneam ab hæretica; nihilominus non videntur ſatis illam diſtinguere à propoſitione ſapiente hæreſim, proxima hæreſi, temerariâ, & aliis poſtea exponendis, ut conſtabit ex his quæ mox dicemus.

IV. alii exiſtimant propoſitionem erroneam eam eſſe quæ opponitur cuilibet concluſioni theologicæ, etiam deductæ ex duplici præmiſſâ de fide.

Refelluntur ex dictis ſupra reſponſione quartâ ad quintam objectionem, ubi concluſiones theologicas

gicas ex duobus fidei placitis deductas, de fide eſſe, multis probavimus.

V. tandem Bannes 2. 2. quæſt. 11. art. 2. de Lugo diſput. 20. de fide ſect. 3. n. 79. Suares diſput. 19. de fide ſect. 2. n. 14. Caſtro, Turrianus, Paoormo aliique communiter Theologi, conſent propoſitionem erroneam formaliter conſtitui per oppoſitionem *mediatam* cum doctrinâ divinitùs revelatâ, eamq; eſſe definiunt quæ opponitur veritati certæ theologica certitudine, id eſt, veritati quæ non ſit in ſe immediatè revelata, ſed ex uno fidei placito & altero naturali certo & evidenter eruitur. Unde ſicut hæreſis directè & immediatè opponitur fidei, ita & error propriè ac theologicè ſumptus, directè & immediatè adverſatur concluſioni theologicæ. Arridet hæc ſententia.

Probatur. I. colligitur ex refutatione aliarum hâc de re opinionum.

II. ſequitur ex dictis de propoſitione hæretica, ubi probavimus eam formaliter conſtitui per oppoſitionem immediatam cum veritate immediatè revelatâ.

III. involutæ admodum ſunt ac intricatæ ſupra recenſitæ circa erroneæ propoſitionis notionem ſententiæ; ea vero quam hic tradimus obvia eſt, plane ac facilis: propoſitio hæretica directò & immediatè adverſatur placitò fidei, id eſt, veritati immediatè revelatæ: propoſitio erronea opponitur directè & immediatè concluſioni theologicæ, id eſt, veritate mediatè duntaxat revelata.

IV. uti poſt Gerſonium Tract. de vitâ ſpirituali lect. 3. ratiocinatur Suares loco citato, veri nominis concluſio theologica non attingit gradum certitudinis fidei, quia nullo modo eſt immediatè revelata; ergo propoſitio tali concluſioni oppoſita non attingit gradum propoſitionis hæreticæ; quia non habet ſummam oppoſitionem cum propoſitione fidei, qualis eſt immediata. Supereſt ergo ut prædicta propoſitio ſit & dicatur erronea, quia poſt hæreticam propoſitionem, habet ſummam repugnantiam cum veritate fidei, ſcilicet mediatam, per evidentem illationem.

Preſſiùs proponitur iſtud ratiocinium: Repugnaotia *mediata* veritati revelatæ eſt gradus oppoſitionis *immediata* proximior, & proinde conſtituens propoſitionem cenſura notandam, quálibet aliâ hæreſi magis affini; porro non eſt propoſitio quæ magis accedat ad hæreticam quàm erronea; ergo &c.

V. per hanc *mediatam* cum fide oppoſitionem erronea propoſitio ſufficienter diſtinguitur, nedum ab *hæreſi*, de cujus ratione eſt oppoſitio *immediata* cum revelatis, ſed & ab aliis quibuslibet cenſuris, quæ oppoſitionem hujuſmodi in ſuo conceptu nequaquam involvunt, ut manifeſtum erit expendendo mox ſingulas ſigillatim cenſuras: aſt idem eſt alicujus rei conſtitutivum, & ipſius diſtinctivum.

Dices 1. Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 15. hunc articulum, "Quilibet tyrannus poteſt & debet licite & meritoriè occidi per quemcunque vaſſallum „ſuum, *variis cenſurarum gradibus in hanc formam* „*conceptis perſtringit*: Declarat & definit ſancta ſy„nodus, hujuſmodi doctrinam erroneam eſſe in fi„de & in moribus, ipſamq; tanquam hæreticam..... „reprobat & condemnat: declarat inſuper & decer„nit, quod pertinaciter doctrinam hanc pernicioſiſ„ſimam aſſerentes, ſunt Hæretici, & tanquam tales „juxta canonicas ſanctiones puniendi.

Ex hoc Concilii decreto liquet propoſitionem *erroneam* dividi, tanquam in duo membra ex æquo diſtincta, in eam quæ eſt *erronea* in fide, & in eam quæ eſt *erronea* in moribus: jam vero ſi valeret noſtra ſententia, quælibet propoſitio erronea eſſentialiter importaret *mediatam* cum placito fidei oppoſitionem; ac proinde quælibet eſſet erronea in fide, & per coɲſequens non admittenda foret *erronea* in moribus, ut membrum ab *erronea* in fide diverſum, quemadmodum in recenſiti articuli cenſurâ ſupponitur.

Reſp. 1. Concilium Conſtantienſe per particulas illas, *erroneum in fide* & *erroneum in moribus*: non diverſum cenſuræ gradum indicaſſe, ſed eundem diſtinctius & explicatius evolviſſe, deſignando nimirum damnatæ propoſitionis errorem in eo verſari, quod dogmaticæ ſimul & morali veritati à Deo immediate revelatæ adverſaretur. Sicuti enim objecta revelata, alia ſunt quæ per ſe manifeſtantur, potiſſimum ut credantur, cujuſmodi eſt SS. Trinitatis myſterium; alia verò quæ primò & per ſe revelantur, ut ſint regulæ agendorum, quale eſt v. g. mendacium eſt illicitum: ita & propoſitiones dici poſſunt *erroneæ in fide*, ſi objecta revelata quibus adverſantur ſint primò & per ſe de rebus credendis: *erroneæ* vero *in moribus*, ſi ſint primò & per ſe de rebus agendis. Verùm diſcrimen iſtud non inducit diverſitatem gradus cenſuræ, quæ ſemper eadem eſt per oppoſitionem *mediatam* cum revelatis conſtituta, ſive revelata ea ſint, eo potiſſimum fine ut credantur, ſive ut ex eis noſtræ operationes dirigantur: quod totum accidentale eſt quidditati cenſuræ propoſitionis *erroneæ*, quæ in poſitione *mediata* cum revelatis præcisè poſita eſt.

Reſponſionē hanc nobis ſubminiſtrat Cardinal. de Laurea diſput. 16. de perſonis & doctrinis de hæreſi ſuſpectis art. 2. parag. 1. n. 44. ubi loquens de damnato in Concilio Conſtantienſi articulo in object. propoſito, ſic habet: *Pater autem quod erroneitas hujus doctrinæ in alio non conſiſtit, niſi in hoc, quod de fide eſt nulli privato licere occidere, juxta divinum præceptum. Minor autem eſt naturaliter evidens, quod vaſſalli & ſubditi ſunt privati. Item ex alio capite, quod de fide eſt, nulli licere perjurium; & minor eſt naturaliter nota, ſi ſubditi aut vaſſalli juraverunt fidelitatem Principi: igitur tenens licere occiſionem tyranni, contradicit concluſioni theologicæ, & ideo eſt erroneus.*

Porro juxta primam hanc reſponſionem, ſicuti admittitur propoſitio *erronea*, ita etiam admitti poteſt, *heretica in fide & moribus*, ſecundum diverſitatem materiæ circa quam verſatur, ita tamen ut *erronea* aut *heretica & moribus*, ſemper eſſe debeat *erronea* aut *heretica in fide*, quia ſemper opponitur *immediatè* aut *mediatè* revelatis; non tamen è contra; quia poteſt dari propoſitio *heretica* aut *erronea in fide*, quæ per ſe ſaltem ad agibilia non dirigatur, unde *heretica* aut *erronea in moribus* non denominatur.

Reſp. 2. Conciliom Conſtantienſe definiens prædictam doctrinam *erroneam eſſe in fide & moribus*, non ſumere particulam hanc, *erroneam*, ſtrictè & propriè, prout deſignat gradum cenſuræ infra hæreſim, quemadmodum nunc de propoſitione erroneâ agimus, ſed latiori duntaxat & generico ſenſu loquitur; atque id unum ſignificare intendit, in eâ doctrina contineri *errores*, in materia *fidei & morum*; eo ferè modo quo Leo X. in Bulla quæ incipit, *Exurge Domine*, poſt damnata Lutheri dogmata, eaque diverſis notis proſcripta, hæc eadem ſubinde errores generatim appellat, *præfatos omnes articulos ſeu errores.*

Reſpon-

Reſponſionem hanc ceu veroſimiliorem amplectitur author *Scrutinii* cap. 4. art. 5. hancque ex eo confirmat, quod *ex contextu ſatis eluceat*, inquit, *Concilium damnationem veluti genericam de doctrinâ ferre prius voluiſſe; dein per gradus ſpecificos explicandam: & proinde primo vocat per modum ſolius enuntiationis errorem, ſecundo definitivè pronuntiat* erroneam in fide & moribus; tertio tanquam hæreticam, ſcandaloſam, & ad fraudes, mendacia, perjuria vias dantem reprobat & condemnat. *In quibus cenſurarum gradibus*, pergit idem author, *ſignanter eſt advertendum*, erroneitatem *non reperiri, quæ certe repetenda erat, ſi de ea ut ad gradum ſpecificum cenſuræ ſpectante, factus immediate fuiſſet ſermo: cùm præſertim inter poſteriores & præcedentes particulas ſit conjunctiva dictio*, ipſamque, *per quam explicatio generalis definitionis tradita indicatur.*

Dices 2. Revelationes privatæ ad objectum formale fidei minimè pertinent. Ita contra Catharinum docet Cajetanus, Bannes, Canus &c. Nituntur celebri S. Auguſtini pronuntiato in Enchir. cap. 9. & contra Epiſt. fundamenti cap. 5. *Ego vero*, inquit, *Evangelio non crederem, niſi me catholica Eccleſiæ commoveret authoritas.* & Angelici Doctoris teſtimonio 1. p. q. 1. art. 8. in corp. aſſerentis, fidem noſtrã inniti *revelationi Apoſtolis & Prophetis factæ, qui canonicos Libros ſcripſerunt, non autem revelationi, ſi qua fuit aliis Doctoribus. facta.* Ergo propoſitiones contradictoriæ dictis privatis revelationibus non ſunt *hæreticæ*, utpote quæ haud quaquam contrariæ ſint fidei objectis; ergo ſaltem dicendæ ſunt *erroneæ*, cùm nota erroris præ aliis ad hæreſim accedat, ac per conſequens propoſitio *erronea* non formaliter & adæquatè conſtituitur per ſolam oppoſitionem *mediatam* revelatis; ſed etiam per *immediatam* oppoſitionem revelationibus privatis.

Reſp. circa privatas revelationes, tres eſſe potiſſimùm Theologorum ſententias.

Prima docet privatas revelationes non ſufficere ad objectum formale fidei: ideoque nec Hæreticum propriè, nec Hæreticorum pœnis obnoxium fore qui privatis revelationibus, etiam ſufficienter propoſitis diſſentiretur. Ita authores mox citati, quibus adde Soto, Valentia, Lorca, Cumel & alii.

Secunda ſententia longè communior, exiſtimat omnem revelationem divinam ſufficienter propoſitam, ſive publica ſit ſive privata, ſive de communi doctrina, ſive de re aliqua particulari, ad objectum formale fidei ſufficere: atque hæreticum fore qui ei pertinaciter reluctaretur. Ita Scotus, Vega, Salmaticenſes, Suares, Corduba, Bellarminus, de Laurea, Vaſques. Azor, Coninch & alii quos refert de Lugo diſput. 1. de fide ſect. 11. n. 226. ubi notat Catharinum Apolog. contra Sotum cap. ultimo, ut teſtem oculatum aſſerere *ſententiam hanc quam Pater Lainez Generalis Præpoſitus Societatis contra Sotum acriter in Tridentino probavit, communi Concilii approbatione fuiſſe ſuſceptam.*

An autem nedum Hæreticus ſit, ſed & pœnas eccleſiaſticas Hæreticis impoſitas incurrat, privatæ revelationi diſſentiens; non conveniunt authores citati. Affirmant Sanchez, Coninch: negant verò Suares, Azor, de Lugo & alii: *Niſi tamen conſtet*, inquit author *Scrutinii* cap. 3. art. 21. n. 8. *ipſum pertinaciter defendere oppoſitum ei, quod certè credit, eſſe revelatum, quia in iſto caſu, ut omnino Hæreticum etiam in facie Eccleſiæ habendum crederem: non quia ſenſus communis Eccleſiæ ſit, objectum illud eſſe revelatum, & contrarium hæreticum; ſed quod certus communiſque Eccleſiæ ſenſus ſit, univerſaliter fide divina tenendum eſſe quod certo revelatum putatur, habendumque Hæreticum qui ei contradicit: quia etſi materialiter non contradicat revelationi divinæ, quæ ſit, vel quæ communiter credatur talis, formaliter nihilominus ſeſe opponit primæ veritati revelanti; contrarium propugnans ei, quod certo tenet primam veritatem revelaſſe.*

Tertia tandem ſententia quâ, ut obſervat Suares diſput. 3. de fide ſect. 10. utcunque in concordiam adduci poſſint authores appellati, diſtinguit inter fidem catholicam, & fidẽ theologicam, ſeu infuſam: ſeu, ut alii loquuntur, inter fidem divinam catholicam, & fidem divinam ſimpliciter: quæ duo membra, inquit ibid. Suares, ſe habent tanquam includens & incluſum; omnis fides catholica ſtrictè dicta eſt divina; ſed non vice verſâ. Aſſerunt hi qui pro hac ſententia ſtant, revelationes privatas non pertinere ad objectum formale fidei divinæ catholicæ; benè verò ad objectum fidei theologicæ, ſeu divinæ ſimpliciter.

Ex variis hiſce ſententiis, ſecunda (à quâ ſolis vocibus diſcrepat tertia opinio) præ cæteris arridet; eaque efficaciſſimè probatur.

I. ut innumera alia Scripturæ teſtimonia ſileam, ex cap. 11. Epiſtolæ ad Heb. in quo fides multorum commendatur, quæ tamen non erat niſi revelationibus privatis innixa.

II. eam ſententiam non obſcurè videtur indicare Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 12. & Can. 15. ubi anathemate feriuntur qui *de ſuâ ſalute abſoluta & infallibili certitudine ſtatuunt.* Rationem ſubnectunt Patres: *quia nonniſi ex ſpeciali revelatione ſciri poteſt quos Deus ſibi elegerit.* Supponunt ergo ex ſpeciali revelatione poſſe id certa & infallibili fide credi: quam fuiſſe Patrum mentem, Catharinus qui eidem Concilio adfuit teſtatur loco jam laudato.

III. quemadmodum poſt S. Thomam ratiocinatur Sylvius 2. 2. q. 1. art. 1. unicum motivum credendi per fidem eſt prima veritas ejuſque authoritas: hæc autem ejuſdem rationis eſt & æqualis proteſus infallibilitatis, ſive de una ſive de aliâ re loquatur, & ſive per Eccleſiam, ſive per quemcunque alium, & ſive privatim ſive publicè, ergo in privatis revelationibus continetur ſufficienter objectum formale fidei.

IV. tùm Angeli tùm homines primi, ac deinde Prophetæ per fidem aſſentiebantur illis myſteriis quæ Deus revelaverat; & ſimiliter Apoſtoli & Magdalena, illis quæ dicebantur à Chriſto.

V. tandem, ne vel minimum officiunt SS. Auguſtini & præſertim Thomæ textus, quibus potiſſimùm nituntur adverſarii: cum enim Doctor Angelicus affirmat, *objectum formale fidei eſſe primam veritatem, ſecundum quod manifeſtatur in Scripturis ſacris, & doctrina Eccleſiæ;* & rurſus, *fidem noſtram non inniti revelationibus privatis, ſed ſolum revelationi Apoſtolis & Prophetis factæ*, loquitur S. Doctor de fide divinâ catholica quæ verſatur circa articulos ab omnibus credendos; Eccleſia enim eſt medium ordinarium à Deo inſtitutum, ut ſciamus quænam ipſe revelaverit & à Fidelibus credi voluerit: non autem loquitur de fide divinâ ſimpliciter & abſolutè; enim vero 2. 2. qu. 1. art. 1. *pro objecto formali ſufficiente*, ſeu adæquato, aſſignat *primam veritatem teſtificantem*, nulla factâ mentione Eccleſiæ, vel revelationis, aut doctrinæ publicæ. Simili prorſus modo ſolven-

dus eſt S. Auguſtini textus in objectione laudatus. Adde quòd nulla facta fuerat Auguſtino Evangelii revelatio: meritò ergo aſſerit ſe non crediturum Evangelio, niſi Eccleſia proponeret.

His præſuppoſitis nullo negotio diluitur propoſita objectio, quæ palmaris quibuſdam videtur. Itaque

Dicimus 1. revelationes privatas, ſi ſufficienter propoſitæ ſint, ſufficere ad objectum formale fidei, non quidem catholicæ, quæ univerſos Fideles obliget, ſed theologicæ & infuſæ, ſeu divinæ ſimpliciter.

Dicimus 2. propoſitiones dictis privatis revelationibus oppoſitas, non merè erroneas eſſe, ſed verè hæreticas: non quidem *ſtrictè*, prout hæreſis opponitur fidei catholicæ; ſed *propriè*, prout opponitur fidei divinæ ſimpliciter.

Dicimus 3. eum qui diſſentit privatæ revelationi ſufficienter propoſitæ, eò ipſo amittere habitum fidei infuſæ: ita Suares, de Lugo, aliique paſſim Theologi adversùs unum ferè Hurtadum. Et ratio eſt, quia fides infuſa deperditur quolibet peccato mortali, quod ſit peccatum hæreſis aut infidelitatis: iſtud clarè colligitur ex cap. 15. Seſſ. 6. Concilii Tridentini; atqui diſſenſus revelationi privatæ ſufficienter propoſitæ, grave eſt hæreſis aut ſaltem infidelitatis peccatum; ergo &c.

Dicimus 4. verè ac propriè Hæreticum eſſe quoad culpam & in foro Dei, qui pertinaciter reſiſtit revelationi privatæ ſufficienter propoſitæ. Ita Suares, Panormo, & alii adversùs Cardinalem de Lugo, qui exiſtimat ſic diſſentientem fore infidelem, non verè & propriè Hæreticum. Ratio autem illorum eſt, quia contrariorum eadem eſt ratio: atqui ex dictis revelatio privata ſufficienter propoſita, ſatis eſt ad obligandum, ut quod proponitur certâ fide credatur; ergo eadem ſufficit, ut contrarius diſſenſus ſit hæreſis, atque ut tali diſſenſu Chriſtianus conſtituatur Hæreticus.

Dicimus 5. diſſentientem ejuſmodi privatæ revelationi non eſſe Hæreticum in foro Eccleſiæ, nec incurrere pœnas eccleſiaſticas Hæreticis impoſitas. Ita omnes authores ſupra citati pro ſecundâ ſententiâ, exceptis Sanches & Coninch. *Ratio eſt*, inquit Suares diſput. 19. ſect. 5. n. 12. *quòd Eccleſia tantùm punit apoſtatas à ſua fide, id eſt, à doctrina per ipſam Eccleſiam propoſita, quam propter univerſalitatem catholicam vocamus. Neque Eccleſia judicat de internis & privatis revelationibus, ſed interdum eas examinat, an falſa ſint ut reipſa ſunt, quoties à catholica doctrina diſcrepant: ſi verò non diſcrepant, liberam relinquitur, ut per conjecturas examinentur, quales ſint.*

Unum tamen excipit ibidem Suares his verbis: *Si quis autem exterius doceret, vel Deum poſſe mentiri vel privatam revelationem, vel non illi eſſe credendum, etiamſi illam ſufficienter proponat, jam erraret in doctrina catholica, & illum errorem exteriùs exprimens, pœnas hæreticorum incurreret.*

Dices 3. Concilium Conſtantienſe Seſſ. 8. propoſitiones erroneas non omnino diſtinguit ab hæreticis, ſed ſolummodo à notoriè hæreticis: ſic enim habet dicta Seſſ. 8. in qua 45. Wicleſi articuli proſcribuntur; *Hæc ſancta Synodus præfatos articulos quadraginta quinque examinari fecit. . . . . quibus articulis examinatis fuit repertum (prout in veritate eſt) aliquos & plures ex ipſis fuiſſe & eſſe notoriè hæreticos. . . . aliquos non catholicos, ſed erroneos; alios ſcandaloſos & blaſphemos; quoſdam piarum aurium offenſivos; nonnullos eorum temerarios & ſeditioſos.* Idem fermè legitur Seſſ. 15. contra 30. Joan. Hus articulos, & in Bullâ Martini V. quæ à Concilio fuit approbata.

Ex his inferunt nonnulli, propoſitionem erroneam equidem diſtingui à propoſitione notoriè hæreticâ, non verò ab hæreticâ ſimpliciter: adeòque ſuſtineri poteſt, inquiunt, propoſitionem erroneam illam eſſe quæ veritatibus non quidem explicitè & clarè, ſed implicitè tantum & obſcurè etſi immediatè revelatis opponitur. Ita nonnulli quos refert ac refellit Saura in ſuo voto Platonis prælud. 5.

Reſp. nullius planè roboris eſſe adductum mox argumentum: neque enim Concilium Conſtantienſe particulam, *notoriè*, addidit propoſitionibus hæreticis ad illas à merè erroneis diſtinguendas; ſed duplici aliâ de cauſâ, ut advertit de Lugo diſp. 20. de virt. fidei ſect. 3. Primò, quòd hæreſes Wicleſi nulla poterant tergiverſatione excuſari. Secundò, quòd de illis nullum eſſet apud Doctores dubium an eſſent hæreticæ nec ne; ſicut in pleriſque aliis propoſitionibus contingere plerumque ſolet, quæ ab aliquibus exiſtimantur hæreticæ, ab aliis verò hæreticas eſſe negatur. *Propoſitiones damnatæ contra Wiclef*, inquit eruditus ex Ordine Dominicanorum Theologus Ferre Tract. 2. de oppoſitis fidei quæſt. 10. paragr. 2 *ſic ex terminis ſuis* hæreſim *ſignificabant, quòd eas proferentes celare vel occultare non poterant ſe* hæreſes *proferre; & ideo Concilium Conſtantienſe dum eas damnat, dicit eſſe* notoriè & *manifeſtè* hæreſes.

Et verò in aliis Conciliorum & Pontificum diplomatibus contra propoſitiones conſimiles editis, non reperitur particula, *notoriè*, non obſtante quòd de hæreticis ac erroneis fiat mentio, tanquam de diſtinctis cenſurarum ſpeciebus. Sic Pius V. in celebri Bullâ contra Baium: *Quas quidem ſententias*, inquit, *ſtricto coram nobis examine ponderatas. . . . . hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias &c. damnamus.* Alexander VIII. in ſuo decreto edito die 7. Decembris 1690. unam ſupra triginta propoſitiones tanquam *temerarias, ... erroneas, hæreticas reſpectivè damnat & prohibet*. Sic etiam Innocentius XI. propoſitiones Molinos proſcripſit *tanquam hæreticas, erroneas, ſcandaloſas, blaſphemas &c.*

Dices 4. Concilium Conſtantienſe citatis locis maximè verò laudatâ Seſſ. 8. erroneos Wicleſi articulos explicat particulis illis, *alii non catholici, ſed erronei*; quâ loquendi ratione non obſcurè innuit Synodus erroneum confundi cum non catholico; ergo propoſitio erronea non formaliter conſtituitur, inquit Lautea, per oppoſitionem mediatam cum revelatis, ſed per oppoſitionem veritatibus communiter in Eccleſiâ receptis, quamvis expreſsè non revelatis nec definitis, ut fide divinâ tenendis.

Reſp. cùm Synodus Conſtantienſis erroneos Wicleſi articulos explicat particulis illis, *alii non catholici, ſed erronei*: hac voce, *non catholici*, non exprimit gradum ſpecificum quo conſtituatur formaliter propoſitio erronea, ſed genericum duntaxat propoſitionum damnabilium gradum; ita ut non catholicum, idem ſit ac heterodoxum: quod quidem conſtat

1. ex contextu: non enim ſimpliciter aſſerit Wicleſi articulos eſſe *non catholicos ſed erroneos*; verum protinus addit, *alios ſcandaloſos & blaſphemos. . . . quoſdam temerarios & ſeditioſos &c.* Sumitur ergo hæc *non catholici* vox, genericè & quatenus non ſoli propoſitioni *erroneæ* propriâ, ſed etiam prout temera-

temerariis, ſcandaloſis &c. propoſitionibus communis.

II idem clariùs liquet ex Seſſ. 15. in quâ primò Concilium quaſi generatim triginta Joanois Hus articulos tanquam *non catholicos* damnat: dein immediatè ſubjungit, *ſed ex eis plures eſſe erroneos, alios ſcandaloſos, aliquos piarum aurium offenſivos, pluresque eorum eſſe temerarios & ſeditioſos, & nonnullos eorundem eſſe notorie hæreticos.*

III. in Bullâ Martini V. ſacro approbante Concilio editâ, damnatur articulus 25. Joannis Hus, his verbis conceptus: *Condemnatio 45. articulorum Joannis Wiclef eſt iniqua...... & ficta eſt cauſa per Doctores allegata, ſidelicet, quod nullus eorum ſit catholicus, ſed quilibet eorum aut eſt hæreticus, aut erroneus, aut ſcandaloſus.* Item in eâdem Bullâ ſtatuitur ut quilibet *ſpecialiter litteratus interrogetur, utrum credat ſententiam ſacri conſtantienſis Concilii ſuper 45. Joannis Wiclef, & Joannis Hus 30. articulis, fore veram & catholicam: ſcilicet quod ſupradicti articuli...... non ſunt catholici, ſed quidam ex eis ſunt notorie hæretici, quidam erronei, alii temerarii & ſeditioſi, alii piarum aurium offenſivi.* Ibi certe particula, *non catholici*, latè ſumitur pro eo omni quod heterodoxum eſt, & prout complectitur ſupradictas notas, eiſque adaptari poteſt, non ſub aliqua limitatione per quam reddatur propria & conſtitutiva propoſitionis erroneæ.

IV. (quod obſerva) Concilium Seſſ. 8. unde deſumitur objectio, non ait, *non catholici ſeu erronei*; verùm ſic habet, *non catholici ſed erronei*, per adverbium *ſed* innuens non omnimodam identitatem ſe velle ſignificare inter *non catholicum* & *erroneum*, ſumpto, *catholicum*, in totâ ſuâ latitudine.

V. Concilium de cenſura hæreſis loquens, particulam, *notorie*, non adhibuit, ut diſcrimen aſſignaret hæreſis ab aliis cenſuris, ut in reſponſione ad præcedentem objectionem demonſtravimus; ſed ut exprimeret hæreſum Wiclefi qualitatem, quæ ita manifeſtæ erant ut nulla tergiverſatione celari poterant, ita à pari Synodus apponens vocem, *non catholici*, minime intendit deſignare prædicatum propoſitionis erroneæ ſpecificativum ac diſtinctivum, ſed quod ipſi competeret præ aliis omnibus notis infra hæreſim.

Adde quod juxta Cardinalem de Laurea, propoſitio erronea conſtituitur per oppoſitionem veritatibus catholicis: porro ex dictis ſupra, veritates catholicæ, præſertim ſi ſtrictè ſumantur, immediate ſunt à Deo revelatæ, atque Fidelibus ad credendum propoſitæ; ergo &c.

Dices 5. Propoſitio hæc, *Beata Virgo venialiter peccavit*, ante Concilium Tridentinum (ſeu fortè verius ante Claromontanum ſub Urbano II. ut refert Vega Lib. 14. in Trid. cap. 18.) habebatur tantum erroneâ; nunc vero poſt definitionem concilii Tridentini Seſſ. 6. de juſtific. Can. 23. formaliter eſt hæretica: atqui hujuſce diſcriminis ratio non alia aſſignari poteſt, quam quod ante Tridentini aut Claromontani Concilii definitionem opponebatur veritatibus probabiliter ſolum exiſtimatis de fide: nunc vero opponatur veritatibus certò revelatis & definitis ut fide tenendis; ergo propoſitio erronea non conſtituitur formaliter per oppoſitionem mediatam veritatibus revelatis, ſed generatim per quamcunque oppoſitioné veritatibus probabiliter ſolùm exiſtimatis de fide.

Reſp. propoſitionem allatam ſemper fuiſſe in ſe & objectivè hæreticam, utpote directè oppoſitam veritati immediatè revelatæ. Neque enim Concilium Tridentinum loco citato novum dogma ſtatuit, ſed antiquam Eccleſiæ fidem explicatiùs ac diſtinctiùs propoſuit, ut apertè indicant iſta Concilii verba Seſſ. 6. Can. 23. *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit..... poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine Maria tenet Eccleſia anathema ſit.* Attamen qui hanc B. Virginis ab omni veniali peccato immunitatem ante Concilii Tridentini aut ſaltem Claromontani definitionem negaſſet, non hæreticus, ſed erroneus tantùm fuiſſet habitus; *quia*, inquit Sylvius loco antea citato, *non erraſſet in fide definita & declarata; nam Eccleſia nondum propoſuerat illud dogma tanquam fide catholica tenendum.*

Porro ante illa tempora, adducta propoſitio habebatur erronea, non præcisè, inquit Card. de Lugo diſput. 20. de fide ſect. 3. n. 76. quia opponebatur doctrinæ catholicæ, latè hoc ſumpto vocabulo, pro quâlibet doctrinâ in Eccleſiâ communiter recepta, quamvis expreſsè non revelatâ nec definita; ſic enim propoſitio erronea non ſatis diſtingueretur à propoſitione temerariâ, ſcandaloſâ &c. ſed ideo cenſebatur erronea, quia apud Catholicos communi ſenſu judicabatur mediatam habere oppoſitionem cum placito fidei, maternitate ſcilicet divinâ: ut enim advertit Doctor Angelicus, ex eo quòd B. Virgo fuerit vera mater Dei, quod eſt certiſſimum fidei myſterium, ſequitur illam non fuiſſe unquam peccati actualis ream, quod in Dei matre maximam indecentiam argueret. *Non fuiſſet.* inquit S. Doctor 3. parte qu. 27. art. 4. in corp *idonea mater Dei, ſi peccaſſet aliquando &c.*

Quæres 1. quæ conditiones requirantur ad propoſitionem erroneam.

Reſp. tres requiri conditiones, ut conſtat ex dictis, proportione ſervata, de conditionibus ad propoſitionem hæreticam requiſitis.

Prima, ut directè opponatur veritati mediatè revelatæ, id eſt, concluſioni theologicæ.

Secunda, ut propoſitio cui opponitur ſit certò & indubitanter mediatè revelata.

Tertia tandem, ut huic certiſſimè & indubitanter adverſetur.

Dixi, *certò & indubitanter*, quia, ſicuti obſervat Cardinalis de Laurea citata diſput. 16. de perſonis & doctrinis de hæreſ. ſuſpectis art. 2. verſus finem: *Hæc ſtabiliri poteſt pro generali regula doctrinæ erroneæ, ut dicatur illa tantùm quæ contradicit concluſioni theologicæ ex una de fide. & alia naturaliter nota, neceſſario tamen illata, & non ſufficit ſi ſolum* probabiliter *inferatur,*

Quod ſpeciatim de propoſitione erronea docet de Laurea, non ſufficere probabilem, ſed requiri certam cum veritate mediatè revelata oppoſitionem, illud idem antea univerſalioribus terminis qui ad alias cenſuratum ſpecies, proportione ſervata, extendi poſſunt, generatim tradiderat in ſuo Platonis voto eruditus Saura integro præludio tertio, in quo ſequentem theſim probandam ſumpſit: *Non ſufficit ad condemnandam doctrinam probabilis illatio ex Scripturis, Conciliis, decretalibus, & unanimi ſenſu Patrum, vel Scholaſticorum, ſi non ſit evidens, vel neceſſaria, vel manifeſta conſequentia.* Hanc autem ſic demonſtrat.

Hæc doctrina recepta eſt ab omnibus, non ſolùm ſapientibus, ſed etiam mediocriter eruditis: nam variæ & contrariæ opiniones ſæpiſſimè à ſacris Expoſitoribus, Theologis probabiliter deducuntur ex Scripturis, Conciliis, Jure canonico, & unanimi ſenſu Patrum & Scholaſticorum, quarum ſingulæ ſunt

probabilcs, etiamſi contraria aut contradictoriæ ſint: ergo illatio qua convincatur propoſitionem aliquam eſſe contra Scripturam, Concilia, Jus canonicum, aut unanimem ſenſum Patrum debet eſſe manifeſta & evidens..... ex quo ſit ad condemnandum propoſitiones..... non ſufficere illationem probabilem contra ipſas ex Scripturis, Conciliis, Jure canonico, unanimi ſenſu Patrum vel Scholaſticorum, niſi illa ſit neceſſaria, aut evidens, & quæ à viro mediocriter docto, nec a ſapientiſſimis negari queat.

Advertit autem *Serutinii* author cap. 5. art. 4. n. 19. prædictam Cardinalis de Laurea & Antonii Sattra doctrinam locum duntaxat habere, ubi agitur de propoſitione quæ erroris aut alterius cenſuræ notâ certò & indubitanter inuritur; non autem quando propoſitio erroris aut aliâ quâlibet notâ probabiliter tantùm afficitur. *Nam*, inquit, *ſicuti, cum apud Doctores quæſtio aliqua inſtituitur, utrum hoc vel illud objectum ſit fide divinâ credendum; conſequens ſit, ut qui partem affirmativam ſuſtinent*, pro hæreticâ *probabiliter habeant propoſitionem oppoſitam: ita & ſi quæſtio eſſet de connexione alicujus prædicati cum fidei objecto, utrum videlicet ab hoc ad illud ſuſtineatur illatio? Qui tuentur admittendam connexionem, & idcirco efficacem eſſe iudicatam illationem, coharenter ad hanc opinionem*, probabiliter erroneam *autumant propoſitionem prædicato cum fidei objecto repugnantem.*

Ibidem ſubdit idem author, *aſſerere* probabiliter *aliquam propoſitionem* erroneam, *imò* & hæreticam, *non eſt, niſi propriam aperire ſententiam propoſitæ quæſtioni reſpondentem, nullatenus excluſa* probabilitate *ſententiæ oppoſitæ...... neque enim privatum judicium eſſe poteſt ſufficiens regula ad excludendum oppoſitum, quod graves Doctores gravi fundamento cenſent innixum.*

Quæres 2. quod modis certò conſtare poſſit propoſitionem directè adverſari alteri mediatè revelatæ.

Reſp. tribus potiſſimùm modis iſtud conſtare.

I. *evidentia*, cum ſcilicet lumine naturali clarè percipitur aliquam propoſitionem alteri opponi quæ connectitur cum alia immediatè revelatâ. Sic clarè percipitur propoſitionem hanc, *Chriſtus non eſt riſibilis*, directè opponi alteri mediatè revelatæ; adeòque erroneam eſſe.

II. *concordi* Theologorum *conſenſu*: certò etenim erronea habenda eſt propoſitio, quæ unanimi Theologorum conſenſu ut erronea exiſtimatur. Quanti enim ſit ponderis in rebus fidei aut cum fide connexis, concors ac conſtans Theologorum ſententia nemo neſcit, de quo legendi ſunt Canus de Locis theologicis Lib. 8. Bannes 2. 2. q. 1. art. 8. Salmaticenſes, Laurea &c. *Nemo qui inter Catholicos habeatur*, inquit Canus loco citato, *omnes ſine diſcrimine Theologos exploſit*. Et verò Synodus ipſa Viennenſis cap. 1. *De ſumma Trinitate*. ex receptioribus Scholarum decretis argumenta ducit.

Monet autem hanc in rem author *Serutinii* loco laudato: *Cùm de connexione objecti alterius cum altero divinitùs revelato agitur, quæ evidenter minimè eluceat, nec ſit phyſica, ſed moralis inſpiciendus attente eſt modus, quo de ea diſcurrunt Theologi. an videlicet reverâ unanimes ſint ac concordes, an loquantur cum trepidatione & formidine, opinantes potiùs quam docentes; an abſque prudenti heſitatione in contrarium, ut inde inferri valeat propoſitionem reverâ habendam certò vel probabiliter erroneam.*

Paulò antea dixerat, certiſſimum eſſe *Deum non permiſſurum quòd circa propoſitiones, quas vel amplecti obſtringantur Fideles, tanquam de fide aut fidei proximas, & ad fidei munimen conducentes, vel eas rejicere ut fidei noxias & adverſantes, decipiantur à Theologis, quoties hi unanimes omnes ſint. ſive in aſſerenda propoſitione aliqua, tanquam de fide aut fidei affini, ſive in rejicienda alia tanquam heretica, erronea &c.*

III. tandem *ipſâmet* Eccleſiæ *definitione* certiſſimè conſtat propoſitionem aliquam mediatam habere cum doctrinâ divinitùs revelata oppoſitionem; atque adeò certò & indubitanter erroneam eſſe, cùm ſcilicet id ipſum Eccleſia declarat ac credendum Fidelibus proponit.

Quæres 3. nùm accedente Eccleſiæ definitione propoſitio erronea evadat hæretica.

Reſp. negativè, quod clarè ſequitur & apertè patet ex dictis ubi de propoſitione hæretica in reſponſione ad ultimam objectionem, ubi probavimus concluſiones theologicas ob ſupervenientem Eccleſiæ definitionem, nuſquam poſſe evadere placitum fidei Utrum autem dicendus eſſet hæreticus, an erroneus duntaxat qui poſt Eccleſiæ definitionem erroneam propoſitionem pertinaciter propugnaret, conſtat ex dictis ibidem, quæ conſuli poterunt.

Quæres 4. an eâdem propoſitiò poſſit eſſe ſimul hæretica & erronea,

Reſp. affirmativè. 1. quia hæreſis & error ſimul ſtare poſſunt cum aliis cenſurarum ſpeciebus: ſic in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 15. propoſitio licitæ occiſionis tyranni proſcripta fuit ſub variis cenſuris hæreſis: ſcandali &c. *Sancta Synodus* inquiunt Patres, *hujuſmodi doctrinam...... tanquam hæreticam. ſcandaloſam & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem, reprobat & condemnat.* Sic etiam in Concilio Baſileenſi ſect. 22. iſta propoſitio, *Chriſtus quotidie peccat*. declaratur erronea, ſcandaloſa, piarum aurium offenſiva &c.

Porro. non apparet ulla diſcriminis ratio, vi cujus non minùs hæreſis ac erroneitas ſimul jungi poſſunt, quàm cum aliis cenſurarum gradibus; ergo &c.

Imò Synodus Conſtantienſis loco laudato videtur expreſsè hæreſim cum errore conjungere: ſic enim habet paulò ante verba mox adducta: *Adverſus hunc errorem* (licitæ occiſionis tyranni, *ſatagens ſancta Synodus exurgere & ipſum funditus tollere, declarat & definit hujuſmodi doctrinam erroneam eſſe in fide & in moribus, ipſamque tanquam hereticam ſcandaloſam &c...... reprobat Declarat inſuper, quòd pertinaciter doctrinam hanc pernicioſiſſimam aſſerentes, ſunt heretici.* Ubi Patres Conſtantienſes propoſitionem licitæ occiſionis tyranni, expreſsè erroneam & hæreticam appellant.

II. ſi quæ eſſet cauſa cur hæreſis & error non poſſent ſimul jungi, potiſſimùm illa quam indicat Suares diſput. 19. de fide ſect. 2. n. 11. ubi in oppoſitam opinionem inclinans ſic diſcurrit: *illæ duæ cenſuræ*, hæreſis & erroris, *non poſſunt eidem propoſitioni attribui, quia includunt oppoſitionem ad fidem cum certitudine* (ſi nimirum ſit hæreſis) *vel cum aliqua incertitudine* (ſi ſit error) *quæ duo non poſſunt eſſe ſimul.* At hæc profectò ratio nullius prorſus eſt momenti, & pugnat manifeſtè cum principiis quæ ibidem ſtatuit Suares; ſcilicet, Error opponitur veritati certæ certitudine theologica: aſt poſitiva incertitudo incompatibilis eſt cum certitudine theologica.

III. eadem propoſitio ſub diverſo reſpectu poteſt eſſe certa certitudine fidei ſimul, & certitudine theo-

theologica; adeòque ſimul eſſe placitum fidei & concluſio theologica. ut patet in iſta propoſitione, *In Chriſto ſunt dua voluntates*, quæ ut antea probavimus, in ſe immediatè revelata eſt Lucæ 22. *Non mea, ſed tua voluntas fiat. Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Matth. 26. Aliundè verò clarè & evidenter ſequitur ex iſta fidei veritate, quâ conſtat Chriſtum verum eſſe Deum & hominem; ergo pariter eadem propoſitio ſub diverſo reſpectu poteſt eſſe ſimul erronea & hæretica.

Monet autem *Scrutinii* author cap. 5. art. 5. quòd etſi eadem propoſitio poſſit eſſe ſimul hæretica & erronea, nihilominus non ſolent Concilia ac Romani Pontifices in propoſitionum proſcriptione conjungere prædictas duas cenſurarum ſpecies, hæreſis & erroneitatis, licet ſæpius non minùs hæreſis quàm erroneitatis, notas conjungant cum aliis pleriſque: *cujus potiſſima ratio eſſe poteſt*, inquit idem author citato loco, *quod utraque* hæreſis & erroneitatis *cenſura ad eandem lineam nedum ſpectent, ſed per oppoſitionem ad fidem conſtituantur: inde enim ſequitur quòd repertâ in aliquâ propoſitione, oppoſitione* immediatâ *cum fide, minimè attendenda ſit oppoſitio longè inferior, ac* mediata; *habitaque præ oculis* immediata *oppoſitione cum divina revelatione, inutilis apparet ſillogiſmi efformatio, per quam propoſitio revelata diſponatur tanquam concluſio theologica, ut hac ratione propoſitio oppoſita denominari.*

Quæres 5. quæ cautio adhibenda ſit in configendis propoſitionibus, ſeu hæretica, erronea, aut quâvis aliâ nota.

Reſp. cum authore *Scrutinii* variis in locis ac præſertim cap. 5. art. 4. in ſcholaſticis concertationibus ac etiam in operibus edendis (ubi agitur de opinionibus inter Catholicos controverſis) ſummam adhibendam eſſe cautionem, ne unius, ſententiæ patroni præjudicium vel leve inferant oppoſitum propugnantibus.

Ac 1. quidem, inquit citato loco idem author, ſi quæſtio non ſit utrum hæc vel illa propoſitio ſit hæretica, erronea, aut alia quavis nota digna, tunc omnino à prædictis cenſuris abſtinendum quolibet non obſtante modo locutionis probabilitatem exprimente. Iſtud illuſtrat exemplo deducto ex quæſtione Thomiſtas inter & Scotiſtas agitata, *An Verbum divinum Adamo non peccante incarnatum fuiſſet* Thomiſtæ exiſtimant negativam optimè colligi ex Scripturæ & Traditionis textibus, quibus indicatur Verbum divinum carnem aſſumpſiſſe ad redimendos homines à peccato; non ideo affirmativam, quam unanimi conſenſu tuentur Scotiſtæ, affirmare debent aut poſſunt erroneam, nec èconrra.

Scilicet aliud omnino eſt, inquit ibidem, uti Scripturæ teſtimoniis ad adſtruendam probabiliter ſententiam & oppoſitam rejiciendam: aliud verò uti iiſdem textibus ad eam certò & indubitanter evincendam, tanquam veram concluſionem theologicam; & oppoſitam tanquam erroneam explodendam, primum præſtant, non autem alterum Thomiſtæ aliique communiter Theologi, cùm quæſtiones in Scholis utrinque diſputatas, adductis Scripturæ & Patrum textibus probare aut refellere conantur.

II. ſi quæſtio controvertatur in Scholis, an aſſertio aliqua hæretica ſit, erronea &c. nec ne: poteſt equidem Theologus eam quæ ſibi probabilior videbitur eligere opinionem, ſicque hanc vel illam propoſitionem hæreſis, erroris aut alia nota probabiliter arguere; *ita tamen ut*, inquit citatus *Scrutinii* author, *ex hujuſmodi probabili aſſertione, cenſura eadem nullo pacto extendatur ad opinionem ipſam qua probabiliter ſuſtinet prædictam propoſitionem non eſſe hæreticam.* Sic v.g. quærunt Theologi an videlicet *propoſitio oppoſita alteri deducta ex duabus præmiſſis de fide ſit hæretica.* Jam verò qui affirmativam ſententiam cum Cardinalibus de Lugo, de Laurea & aliis propugnant, non poſſunt quin tanquam probabiliter hæreticas non damnent propoſitiones oppoſitas iis quæ ex duabus revelatis deducuntur; attamen non poſſunt hæreſi aut alia nota configere opinionem quæ ab aliis eruditis Theologis innoxiè defenditur, quæ ſcilicet aſſerit propoſitiones hujuſmodi non eſſe hæreticas.

III. tandem meminiſſe debent Theologi, verborum Innocentii XI. qui jure meritò damnans 65. propoſitiones, paci & charitati conſulens, *in virtute ſancta obedientia præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuſcriptis, quam in theſibus, diſputationibus ac prædicationibus caveant ab omni cenſura & nota, nec non a quibuſcunque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognita ſuper eiſdem propoſitionibus judicium proferatur.*

Ea dictis in præſenti Paragrapho colliges propoſitionem erroneam formaliter conſtitui per oppoſitionem mediatam cum doctrina divinitùs revelata: adeò ut propoſitio erronea ea ſit quæ opponitur concluſioni theologicæ; ſicuti propoſitio hæretica adverſatur placito fidei.

Si certò opponatur, erit certò erronea: ſi probabiliter tantum, erit quoque probabiliter duntaxat erronea; quod idem dicendum de hæreſi

De propoſitionibus, hæreſi proximâ, ſapiente hæreſim, & hæreſeos ſuſpectâ

Hæ notæ à nonnullis promiſcuè ſumuntur, aliquatenus tamen diſtinguuntur Scilicet.

I. propoſitio hæreſi proxima eſt ea quam major & ſanior Theologorum pars ex Scriptura aut Traditione judicat eſſe hæreticam, etſi tamen non audeat abſolutè ac ſimpliciter eam pronuntiare hæreticam, quòd aliqui graves Theologi contendant ipſi cenſuram hujuſmodi inuri non debere. Ita Card. de Lugo diſput. 20. de fide ſect. 3. quam Cardinalis doctrinam exſcripſiſſe videtur Dominicus à SS. Trinit. Lib. 2. Biblioth. Theol. ſect. 7. cap. 5. Paulo aliter propoſitionem hæreſi proaimam explicat author *Scrutinii* cap. 6. art. 1. n. 12. 13. ac præſertim n. 18. aſſerit eam eſſe quæ ex conſenſu omnium ferè Theologorum directè & immediatè adverſatur doctrinæ revelatæ, paucis duntaxat ex adverſo diſſentientibus Theologis levi ductis motivo.

Triplex nimirum, inquit ibidem hic author n. 18. *diſtingui poteſt certitudinis gradus, quo poſſumus judicare propoſitionem hæreticam.* (idem debita proportione dicendum de erronea (Primus, *quoties evidenter & clarè elucet oppoſitio ipſius* immediata *cum revelatis, ſive quòd aperta extet in ſacris Litteris contraria propoſitionis teſtificatio. quod ſit divinitus manifeſta; ſive quòd de ea habeatur explicita definitio ac declaratio Apoſtolica Sedis; ſive etiam...... quod omnes Patres aut Theologi unanimes concordent in ea aſſerenda indubie hæretica.* Secundus, *quoties non omnes in dicta aſſertione, ſed ferè omnes conveniunt paucis diſſentientibus levi ductis motivo.* Tertius, *quoties diverſi inter ſe ita reperiuntur Theologi, ut verè probabilis utraque opinio, tum videlicet affirmans aliquam propoſitionem eſſe* hæreticam, *tum illam negans, reputetur,*

Primus

Primus autem ex his certitudinis gradibus, pergit idem author, *inſervit propoſitionibus inter* hæreticas *abſolutè & ſimpliciter annumerandis. Tertius, propoſitionibus quæ* hæreticæ *denominari non valent, niſi cum addito* probabiliter. *Secundus, propoſitionibus quibus adaptari poteſt nota* hæreſi proximæ. Hactenus inſignis ille propoſitionum qualificator. Ex quibus.

Cnlliges 1. cum Card. de Lugo adverſus Lorcam, Suareſium & alios, propoſitionē hæreſi proximam cum erroneâ minimè eſſe confundendam: hæc concluſioni theologicæ, illa placito fidei ex communi ac ferè omnium Theologorum conſenſu, paucis ex adverſo diſſentientibus levi ductis fundamentis, adverſatur.

Et vero in decreto Alexandri VIII. quo 31. propoſitiones è variis deſumptæ, pluribus configuntur cenſuris, erronea & proxima hæreſi recenſentur tanquam duæ cenſurarum ſpecies omnino diverſæ: *Supradictas propoſitiones*, inquit ſummus Pontifex, *tanquam temerarias, ſcandaloſas.....hæreſi proximas erroneas.....damnamus*; ergo &c.

Colliges 2. cum eodem Eminentiſſimo authore, poſſe aliquando eandem propoſitionem eſſe ratione ſui hæreſim, & tamen affici iſtâ cenſurâ & judicari hæreſi proxima. Ratio eſt, quia propoſitio hæreſi proxima ex dictis ea eſt quam omnes fere Theologi exiſtimant directè opponi veritati fidei ſeu immediatè revelatæ: porro opinio quæ talis ab omnibus ferè Theologis judicatur, profecto plerumque directe adverſatur veritati fidei, adeoque eſt hæretica; ergo &c.

Colliges 3. cenſuram erroris graviorem eſſe notâ proximæ hæreſi. Ratio eſt, inquit author *Scrutinii*, quia negans concluſionem theologicam cogitur neceſſario, quantum eſt ex parte objecti, negare & præmiſſam de fide; cum tamen ſuſtinens propoſitionem hæreſi proximam, poſſit non eſſe hæreticus: quatenus opinio aſſerens illam propoſitionem hæreticam falſa eſſe poſſit & proinde inter eam & hæreſim non ſit neceſſaria connexio. Undè, inquit de Lugo, propoſitio erronea obſtinatè propugnâta inducit in foro externo vehementem de hæreſi præſumptionem, & multò majorem quàm inferat propoſitio hæreſi proxima.

Colliges 4. cum eodem *Scrutinii* authore, eo ipſo, quòd aliqua propoſitio hæreſi proxima declaratur, omni prorſus neceſſe eſt probabilitate ipſam deſtitui; alias, inquit, ſi in eâ ulla probabilitas maneret, abſolutè hæreſi proxima minimè declararetur. *Quod adhuc clarius innoteſcet*, pergit idem author, *ſi attendamus, quod nota* proximæ hæreſi, *pronuntiatâ, ut vidimus, fit à Romanis Pontificibus, qui nunquam cenſura inurunt propoſitiones quæ probabiles extant apud Doctores, eas relinquendo in ſua probabilitate quam habebant.*

Colliges 5. cum iiſdem, propoſitionem modalem non eſſe proximam hæreſi, ex eo quòd propoſitio ſimplex & abſoluta ſit proxima hæreſi: exemplum affert de Lugo in iſta propoſitione, *Parvuli non habent juſtitiam inhærentem*, quam aſſerit proximam hæreſi, *quia*, inquit, *multi communiter dicunt in Concilio definitam eſſe juſtitiam inhærentē univerſaliter de omnibus: non tamen erit proxima hæreſi propoſitio modalis dicens*, Non eſt de fide, nec definitum, quod parvuli habeant juſtitiam inhærentem: *quia hæc non negat objectum proximum fides, nempe juſtitiam inhærentem parvulorum, ſed ſolum gradum certitudinis illius veritatis, qui gradus poteſt eſſe ſub opinionibus, licet objectum ipſum directum non poſſit in dubium revocari.*

Proponit & aliā explicandæ propoſitionis hæreſi proximæ rationem citatus *Scrutinii* author cap. 6. art. 1. n. 9. quam appellat expeditiorem & in praxi tutiorem, ut nempe ea propoſitio dicenda ſit hæreſi proxima quæ eſt in ultimo aut ferè ultimo conſtitutæ diſſimilitatis gradu, ut declararetur hæretica, ſeu in qua concurrunt omnes conditiones quæ requiruntur, ut declarari valeat hæretica propoſitio, uti propemodum eveniret ſi in aliqua propoſitione omnes omnino Patres aut Theologi unanimi conſenſu illam haberent hæreticam.

In hâc hypotheſi, inquit, eadem propoſitio ſimpliciter hæretica eſt ſimul & hæreſi proxima: nempe inſpecta oppoſitione immediatâ quam importat cum fide, eſt ſimpliciter hæretica; inſpecto autem modo quo dictam oppoſitionem immediatam cognoſcimus, non eſt ex eo præcisè ſimpliciter hæretica, ſed hæreſi proxima, quatenus medium quo nobis nota eſt dicta contradictio, non eſt in ſeipſo regula fidei, ſed potius ſignum regulæ fidei. Sicque cenſura proximæ hæreſi procul dubio gravior erit erronea, quia ſimpliciter hæretica eſt, & certò talis, certitudine ad definitionem ſufficiente, quæque æquivalēs dici poteſt certitudini, quam habemus de mediata oppoſitione, ſeu de concluſione theologicâ.

Hanc viam tutiorem innuimus, ait Panormo, *quia per eam præcluditur ſcopulus in quem poſſent privati Doctores incidere juxta aliam, pro communi habentes opinionem aſſerentes aliquam propoſitionem eſſe* hæreticam, *quæ revera communis non ſit, leveque judicando motivum putantium* hæreticam *non eſſe, quod fortaſſis ſit grave; & proinde notarent* hæreſi proximam *propoſitionem, quæ tamen non contineat pravitatem. An autem reverà hæc præ alia abſolutè ineunda ſit via, æqui doctique lectores determinent.* Hæc Panormo.

II. quod ſpectat propoſitionem quæ hæreſim ſapiat, illuſtriſſ. Boſſuet. in defenſ. declarat. Cleri Gallic. part. 1. Lib. 2. cap. 15. poſt Gerſonium eo in Libro cui titulus, *Declaratio veritatum quæ credi debeant.* & Gabriel in 4. diſt. 13. q. 5. art. 5. dub. 1. exiſtimat eam ſic exactè definiri poſſe, *Propoſitio ex cujus conceſſione, coaſſumpto aliquo quod non poteſt rationabiliter negari, ſequitur hæreſis.* Talis eſſe videretur, inquit doctiſſimus Præſul, hæc propoſitio, *Gregorius magnus non fuit Chriſti Vicarius*: aſſumpto enim, quod non fide quidem ſed aliunde certiſſimum eſt, Gregorius magnus in ſummum Pontificem eſt electus, ſequeretur tum qui in Romanum Pontificem canonicè ſit electus, non eſſe Chriſti Vicarium, quod eſt hæreticum; unde exiſtit illud ſapiens hæreſim in ea propoſitione, *Gregorius magnus non fuit Chriſti Vicarius*, quam definitionem à Gabriele Biel Gerſon deprompſit integram. Hæc illuſtriſſ. Antiſtes. Eandem ſententiam propugnat Turrecremata.

Verùm non ſatis accurata videtur adducta propoſitionis hæreſim ſapientis notio: hâc enim ſemel poſita, inquiunt Card. Laurea & Suares: coincideret propoſitio hæreſim ſapiens cum propoſitione erronea. Namque ea propoſitio *ex cujus conceſſione, coaſſumpto aliquo quod certiſſimum eſt & evidens, ſequitur hæreſis*, opponitur concluſioni theologicæ, adeòque erronea eſt: attamen in Conciliorum & SS. Pontificum decretis, imprimis vero in cenſuris Concilii Conſtantienſis adverſùs Wiclefum & Joan. Hus; pii V. adverſus Baium; Innocentii XI. contra Molinos &c. propoſitio erronea & ſapiens hæreſim velut diſtinctæ notæ paſſim memorantur; ergo &c.

Suares diſp. de fide ſect. 2. n. 14. propoſitionem hæreſim ſapientem paulò aliter explicat: *Propoſitio illa dicitur hæreſim ſapere*, inquit, *ex qua conſumptis aliis principiis, ſequitur hæreſis, quando vel illa principia non ſunt omnino certa, licet in Eccleſiâ ſint valde recepta, & ferè certa; vel etiam illatio non eſt evidens, cum tamen probabiliſſima ſit & communiter probata.* Aſſerit ibidem Suares, hanc eſſe Gerſonis Biel & aliorum plurimorum mentem; additque hunc modum prædictam cenſuram exponendi facilem eſſe & expeditum. Propoſitio, inquit, ideo dicitur ſapere hæreſim quia licet eam formaliter non contineat, ex eâ tamen ſequi poteſt: non poteſt autem conſecutio certa requiri, nam hoc pertinet ad gradum erroneæ propoſitionis; ergo ſufficit illatio probabiliſſima & communiter recepta.

Non placet etiam is modus explicandi propoſitionem quæ hæreſim ſapit. Ex dictis etenim ſupra, quoties aliqua propoſitio eruitur ex principiis revelatis, de quorum revelatione non omnino conſtat, vel ſi conſtet, illatio non omnino clara & evidens habetur, ſed ſolùm probabilis aut probabiliſſima, toties dicenda eſt propoſitio hæretica aut erronea (prout principia mediatè aut immediatè revelata ſunt) ſed cum addito *probabiliſſimè*, vel *ferè certo*, vel *certo moraliter*, vel alio ſimili. Unde Card. de Lugo prædictam Suareſii ſententiam refellens, quam propoſitionem appellat Suares, *ſapientem hæreſim*, eam potiùs *hæreſi proximam* cenſuit appellandam.

Cardinalis de Laurea diſput. 16 de perſonis ac doctrinis de hæreſ. ſuſpectis art. 2. parag. 2. n. 53. Caſtro & alii, dicunt propoſitionem quæ ſapit hæreſim, eam eſſe quæ primâ ſpecie & ex ſolis terminis ſpectata hæreſim præ ſe fert, quamvis intimiùs conſiderata & piè explicata, catholicum ſenſum habere poſſit. Ita etiam cenſet ſupra citatus Antonius Saura in ſuo Platonis voto.

Aſt, inquit Suares loco citato, propoſitio hujuſmodi magis videtur pertinere ad hæreſim aut ad errorem, quam ad hunc cenſurarum gradum ſapientis hæreſim: adque confirmat exemplo Concilii Baſileenſis Seſſ. 22. hanc propoſitionem, *Chriſtus quotidie peccat*, tanquam erroneam damnantis, quia in proprio ſenſu falſa eſt & contra fidem, & ſolum in metaphorico ab errore liberatur, intelligendo Chriſtum non in ſe, ſed in ſuis membris quotidie peccare.

Cardinalis de Lugo diſput. 20. de virtute fidei ſect. 3. n. 88. exiſtimat propoſitionem quæ ſapiat hæreſim eam eſſe, quæ ſive propter verba, ſive propter materiam, ſive propter locum, tempus, perſonam loquentis & alias circumſtantias, tale præbet fundamentum, ut probabiliter judicari poſſit aliquam hæreſim eſſe in authore, ex quâ aſſertio procedat: quòd ſi fundamentum non ſufficiat ad id judicandum, ſed duntaxat ad id ſuſpicandum; propoſitio, inquit, poterit appellari, non quidem ſapiens hæreſim, ſed de hæreſi ſuſpecta.

Omni ex parte non arridet adhuc iſta Eminentiſſimi authoris ſententia, præſertim quatenus videtur ſupponere ex ſolis extrinſecis loci temporis &c. circumſtantiis propoſitionem, quæ ex ſe nonniſi catholicum ſenſum exprimit, talem reddi poſſe quæ hæreſim ſapiat: adeòque cenſuram ſapientis hæreſim, non ex natura propoſitionis, ſed ex ipſius cauſa, qualitatibus proferentis, aliiſque circumſtantiis unicè eſſe deſumendam; quod ex dicendis mox & Articulo ſequenti falſum eſſe conſtabit.

Tandem author *Scrutinii*, cujus ſententiæ inhærentium ducimus, articulis 1. 2. & 3. capitis 6. nonnihil ex variis ſupra recenſitis opinionibus ſeligens, naturam propoſitionis quæ hæreſim ſapiat, in his tribus reponit.

Cenſet 1. ad rationem propoſitionis hæreſim ſapientis eſſentialiter requiri ut ſit capax duplicis ſenſûs, hæretici & catholici, quorum quilibet non metaphoricè & impropriè, ſed cum aliquâ proprietate ipſi comparat: *Propoſitio hæreſim ſapiens*, inquit mox citatus author, *conſtituitur per ſenſûs, quem continet, duplicitatem*, catholici videlicet & hæretici.

Cenſet 2. quòd etſi utriuſque ſenſûs, ſani & pravi, capax eſſe debeat dicta propoſitio, attamen ſenſum pravum prævalentem involvere debet, ſive ratione ſui, ſive ratione circumſtantiarum; id eſt, ſive quòd verba ex ſe nata ſint majori cum proprietate exprimere ſenſum pravum quàm ſanum; ſive ob extrinſecas circumſtantias, præciſâ proferentium conditione, ut patet in propoſitione, *Unus de Trinitate crucifixus eſt*, quæ cùm vigeret error Severianorum paſſioni divinitatem tribuentium, ſapiebat hæreſim, non præciſè quod prolata eſſet à Severiano, ſed ſimpliciter quia ſic paſſim à Severianis explicabatur, qui eam in perverſum & erroneum ſenſum, quem minimè excludebat, detorquere conabantur; ſive tandem habitâ ratione proferentis: ut enim mox dicemus ex Cano, eadem propoſitio, *Pater major me eſt*, quæ in Scripturis ſapit modeſtiam, in Arii libros transfuſa ſapiebat hæreſim.

Cenſet 3. quòd ſi gravis ſit ac vehemens ſuſpicio de hæreſi, quam ingerit dicta propoſitio, tunc dicitur hæreſim ſapiens; ſi autem levis ſit ac modica, ſuſpecta de hæreſi appellatur. Gravis autem ſuſpicio ea eſt, inquit de Lugo loco antea citato, quæ ſufficiens præbet fundamentum ad probabile judicium ferendum, quòd author ſit hæreticus: levis verò ac modica quæ non ſufficit ad ita judicandum, ſed ſolùm ad id ſuſpicandum.

Juxta hanc ſententiam propoſitio hæreſim ſapiens ea eſt quæ utriuſque ſenſûs ſani & pravi propriè capax eſt, attamen ſenſum pravum, ſive ratione ſui, ſive ratione circumſtantiarum loci, temporis, perſonarum &c. prævalentem involvit, vi cujus nata eſt gravem de hæreſi ſuſpicionem ingerere. Hic modus explicandi cenſuram hæreſim ſapientis, facilis eſt & expeditus, atque ita propoſitio ſapiens hæreſim à notâ hæreſeos, erroris, aliiſque facilè ac ſufficienter ſecernitur.

Dixi, quæ ſenſum pravum, ſive ratione ſui, ſive ratione circumſtantiarum prævalentem involvit: propoſitiones enim merè æquivocæ, quæ ſive attentis vocibus ex quibus conſtant, ſive conſideratis omnibus circumſtantiis, catholicum perinde ac heterodoxum ſenſum exprimunt, tanquam hæreſim ſapientes damnari non poſſunt. Aſt propoſitio quæ ſpectatis duntaxat quibus conſtat vocibus, ad bonum & malum ſenſum indifferens eſt, ex adjunctis circumſtantiis, authoris potiſſimùm, ad heterodoxum ſenſum detorqueri, ſicque ut ſapiens hæreſim proſcribi poteſt.

Id eleganter docet ac variis adductis exemplis comprobat Melchior Canus Lib. 12. de Locis theologicis cap. 11. his verbis: *Quid hæreſim ſapiat, quid non ſapiat, non tam definitione & argumentatione ſpeculatricis diſciplinæ, quam ſenſu quodam guſtuque judicatur*: hoc eſt non præciſè ex propoſitione abſolutè ſumpta, ſed etiam relativè ad proferentem ſpectari debet. *Expeditam brevi*

rem

rem hanc, pergit Canus, *& planam exemplo uno faciam. Leges illam propoſitionem*. Pater major me eſt, *in Evangelio; habes illius doctrinæ authorem cognitum & perſpectum: antecedentia & conſequentia in Evangelio verba diligenter attendis, ejus doctrinæ principia reliqua memoria tenes. Jam experiere, niſi habes humore aliquo malo affectum guſtum, propoſitionem illam*, Pater major me eſt, *non hæreſim tibi ſapere ſed modeſtiam. Legebat eandem in Arianorum libris Athanaſius, authores intùs & in cute noverat, arianæ diſciplinæ cauſas & effecta, principia & connexa perſpexerat, & quæ in Evangelio dulcis erat ſuper mel & favum, eadem propoſitio in Arii libros transfuſa ſapiebat hæreſim, eratque ejus guſtus vel amariſſima. Atque ut idem vinum ex vaſe uno ſapit picem, ex altero non ſapit...... ſic una & eadem oratio ex uno corde & ore odorem ſpirat jucundiſſimum, ex altero teterrimum, ex uno ſaporem ſuavem ſervat, ex altero inſuavem.*

Sic demùm concludit inſignis ille Theologus: *Non itaque è rerum ipſarum orationumque natura, ſapor odoricè omnis exiſtimandus eſt; ſed tùm res, tùm orationes ipſæ à venis aliquando & viis per quas permeant, ſaporem & odorem accipiunt....... quocirca quæ propoſitio hæreſim ſapiat, quæ contra non ſapiat, non Theologi quivis, ſed prudentes ſolùm atque experientes poterunt judicare.*

Hactenus Canus qui eam quam hic exprimit doctrinam ex Angelico Doctore deſumpſit 3. part. qu. 16. art. 8. in corp. ubi S. Doctor mox citatam propoſitionem, *Chriſtus eſt minor Patre*, ſuſpectam eſſe indicat, quia licet in rigore verum contineat ſenſum, prævalet tamen in ipſis hæreticus ob Arianorum dogma quo Chriſtus, etiam ſecundùm divinitatem, minor Patre conſtituitur. *Reſpondeo dicendum*, inquit, *quòd ſicut Hieronymus dicit, ex verbis inordinate prolatis incurritur hæreſis unde cum hæreticis nec nomina debemus habere communia ne eorum, errori favere videamur: Ariani autem hæretici Chriſtum dixerunt eſſe..... minorem Patre, non ſolùm ratione humanæ naturæ, ſed etiam divinæ perſonæ. Et ideo non eſt abſolutè dicendum quòd Chriſtus ſit minor Patre, ſed cum determinatione, ſcilicet ſecundùm humanam naturam.* Hæc S. Doctor de propoſitionibus ſuſpectis & quæ ſapiant hæreſim. Quid autem dicendum ſit de propoſitionibus merè æquivocis; an & quâ ratione proſcribi poſſint mox exponemus Articulo ſequenti.

III. quod ſpectat propoſitiones de hæreſi ſuſpectas.

Suares ſupponere videtur propoſitiones hujuſmodi eſſe quid omnino idem cum propoſitionibus hæreſim ſapientibus Id ex eo colligitur, quòd diſput. 19. de fide ſect. 2. in quâ enumerat ſpecies ſeu gradus cenſurarum quibus propoſitiones damnari ſolent, tertio loco recenſet propoſitionem quæ ſapit hæreſim, nulla prorſus factâ mentione de propoſitione ſuſpecta de hæreſi.

Antonius Saura econtra in ſuo Platonis voto non obſcurè indicat duas prædictas cenſuras ſpecificè eſſe diſtinguendas: aſſerit enim propoſitionem quæ hæreſim ſapit, *prima verborum facie ſenſum hæreticum offerre audientibus*; propoſitionem autem ſuſpectam de hæreſi, neceſſariò bonum & malum ſenſum involvere, atque ad alterutrum ex adjunctis circumſtantiis determinari. At ſi ita eſt, nemo non videt duas prædictas cenſuras ſpecificè diſtingui.

Cardinalis de Lugo, author *Scrutinii*, & alii mediam viam ineunt. Scilicet docent non quidem ſpecificè, ſed per gradus diſtingui propoſitionem hæreſim ſapientem, & de hæreſi ſuſpectam: prior ſufficiens præbet fundamentum ut ex eo probabile ſequi valeat judicium de hæreſi quam ſuſtineat hujuſmodi propoſitionis author; poſterior vero non ſufficit ad id judicandum, ſed ſolum ad ſuſpicionem & timorem aliquem de eo concipiendum.

Arridet hæc ultima ſententia, quæ ex dictis mox de propoſitione hæreſim ſapiente ſatis patet.

Itaque propoſitio de hæreſi ſuſpecta ea eſt, quæ ex ſe ſe utriuſque ſenſùs, catholici & heterodoxi, capax eſt, quæque ſive ratione ſui, ſive ratione circumſtantiarum, ſufficiens præbet fundamentum, non quidem ad probabile judicium ferendum, quòd author ſit hæreticus, ſed ſolùm ad ſuſpicionem & timorem aliquem abſque temeritate de eo concipiendum. Ita Cardinalis de Lugo, author *Scrutinii* &c.

De propoſitionibus proximâ errori, ſapiente errorem, ſuſpectâ de errore.

De his tribus notis eodem prorſus modo judicandum, ſervatâ proportione, ſicuti diximus de proportione hæreſi proximâ, ſapiente hæreſim, & ſuſpectâ de hæreſi.

Ita Suares, de Lugo, Laurea &c. *Sicut*, inquit de Lugo diſput. 20. de virtute fidei ſect. 3. n. 90. *datur propoſitio ſapiens hæreſim, vel ſuſpecta de hæreſi, quia fundamentum præſtat majus vel minus judicandi vel ſuſpicandi, quòd author habeat aliquam in corde hæreſim, licet propoſitio non ſit hæretica: ſic datur propoſitio quæ ſapiat errorem, vel ſit ſuſpecta de errore; quatenus cum proportione præſtat fundamentum majus vel minus judicandi vel ſuſpicandi quòd author in corde habeat aliquem errorem, nempe aliquod dogma contrarium concluſioni theologicæ.*

Paulò antea n. 84. dixerat: *Sicut ergo ſi quis negat propoſitionem quæ pleriſque*, (vel ferè omnibus, ut antea diximus ex authore *Scrutinii*) *videtur eſſe de fide, nec poſſe ſine hæreſi negari, propoſitio negans dicitur hæreſi proxima: ſic quando negatur propoſitio quæ pleriſque videtur eſſe concluſio theologica, nec poſſe ſine errore negari, propoſitio negans erit errori proxima, cùm eadem omnino ſit cum proportione ratio. Quare hoc eodem modo & cum iiſdem obſervationibus cum debitâ proportione applicatis intelligendum erit, ſicut diximus de propoſitione hæreſi proxima.*

De propoſitionibus malè ſonante & piarum aurium offenſiva.

Hæc utraque cenſura à nonnullis, quorum meminit Suares dicta diſput. 19. de fide ſect. 2. cum hæreſim ſapiente confunditur. In quam opinionem inclinat illuſtriſſ. Boſſuet. citata defenſione Cleri Gallic. part. 1. Lib. 2. cap. 15. *Male ſonans in fide*, inquit, *quantum capio, haud facile ſecernas ab eo quod ſapit hæreſim ſive errorem: ſed ut id quod ſapit errorem ad guſtum quemdam, ita id quod malè ſonat magis refertur ad aures, quod cùm ſubtiliter apud te penſitaveris, in idem recidere facilè comperies.*

Verùm, inquit de Lugo loco antea citato, hæc ſententia non poteſt admitti, quòd prædictæ cenſuræ in Conſtantienſi Concilio & in Bullis Pii V. & Gregorii XIII. contra Baium, tanquam diſtinctæ & diverſæ enumerentur. Et verò, uti obſervat author *Scrutinii* cap. 7. art. 3. n. 6. voces illæ diviſivæ quibus utitur Concilium Wicleſi & Joannis

Hus

Hus articulos damnans, *plures*, *alios*, *quoſdam*, *nonnullos*, omnimodam cenſurarum quas recenſet diſtinctionem manifeſtè indicant. Atque hoc eodem argumento refelli poſſunt qui cum Lorca cenſent prædictas cenſuras cum ſcandaloſa eſſe confundendas.

Alii cenſent utramque hanc cenſuram, tùm à ſapiente hæreſim, ſcandaloſa, cæteriſque theologicis notis, tùm à ſeſe invicem ſpecificè diſtingui, Ita de Lugo, Hurtado &c.

Alii tandem exiſtimant notam malè ſonantis & piarum aurium offenſivæ equidem ab aliis cenſuris diſtingui, ut mox vidimus, ſed non à ſeſe invicem. Ita Canus Lib. 12. de Locis theologicis cap. 11. Laurea diſpot. 16. de hæreſ. art. 2. parag. 3. Turrecremata, Caſtro, Panormo, aliique graves authores.

Probabilior nobis videtur hæc ultima ſententia. I. quia Concilium Conſtantienſe ex quo præcipuè deſumenda eſt notitia quidditatis & diſtinctionis cenſurarum theologicarum, pleroſque ex articulis Wiclefi & Joannis Hus ut piarum aurium offenſivos damnat, nulla prorſus habita mentione de malè ſonantibus: pariter neque de his loquuntur Pius V. & Gregorius XIII. in damnatione articulorum Baii, quorum nonnullos notant tanquam in pias aures offenſionem immittentes: ex quo clare colligitur, nec Concilium nec SS. Pontifices diſcrimen agnoviſſe propoſitionea malè ſonantes inter & piarum aurium offenſivas.

II. non ſolùm Synodus Conſtantienſis & SS. Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. ſed & generatim quæcunque alia Concilia, quilibet Pontifices & Patres, quoties malè ſonantis notam exprimunt, toties de altera piarum aurium offenſivæ ſilent, & vice verſa: quo certè nihil efficacius adduci poteſt ad probandam utriuſque cenſuræ identitatem.

Hoc duplici argumento perinde evinci poteſt ſapientis hæreſim & de hæreſi ſuſpectæ cenſuras ſpecificè non diſtingui.

III. nihil aſſignari valet malè ſonans, quod pias aures non offendat, & viciſſim; ergo &c.

Quæres in quo præcisè poſita ſit propoſitionis malè ſonantis & piarum aurium offenſivæ notio ac natura.

Reſp. non unam eſſe hac de re Theologorum ſententiam.

Prima docet propoſitionem malè ſonantem eam eſſe, quæ in aliquo ſenſu proprio eſt hæretica, & in aliquo etiam proprio eſt catholica, Ita adversùs Cardinalem de Laurea nuper ſcripſit Dandinus, de hæreſi ſect. 2, Sic ſumpta propoſitio malè ſonans coincideret cum æquivoca, à qua tamen diſcrepare communiter cenſent Theologi.

Secunda aſſerit propoſitionem malè ſonantem ſeu piarum aurium offenſivam eam eſſe quæ poteſt admittere ſenſum catholicum, ſed plùs ſonat & exhibet non catholicum. Ita Lorca 2. 2. q. 11. diſp. 40. Ripalda de ente ſupernat. diſput. 1. ſect. 9. Coninch diſput. 18. de fide dub. 8.

Tertia eſt Sylvii qui 2. 2, q. 11. art. 1. propoſitionem malè ſonantem aut piarum aurium offenſivam eam vocat, quæ licet bonum ſenſum habere poſſit, tamen tam malè proponitur ut offendat: vel quæ habet congruentem ſenſum fidei, verba autem incongrua.

Quarta eſt Cardinalis de Lugo dicta diſput. 20. n. 92. *Propoſitio malè ſonans dicitur illa ſolùm qua non dat fundamentum audientibus judicandi vel ſuſpicandi quòd proferens habeat in corde ſuo hæreſim, vel errorem aliquem circa fidem, ſed ſolùm peccat in abuſu vocum diverſarum ab uſu communi, quo ſolent à Fidelibus uſurpari.*

Quinta tandem ſententia quæ videtur magis cohærens iis quæ ſupra diximus de propoſitione ſapiente hæreſim, (quamque ideo amplectitur) eſt authoris *Scrutinii* cap. 7. art. 3. n. 7. Contendit author ille, propoſitionis malè ſonantis ſeu piarum aurium offenſivæ naturam in eo conſiſtere, quòd ita formetur, ut quamvis in bonum ſenſum exponi queat, nihilominus pravus ipſius ſenſus, ſivè ex intrinſeca natura, ſive ex circumſtantiis extrinſecis, ſano & catholico prævalens ac præponderans, pias aures offendat, malumque ſenſum præ ſe ferat.

Unde de hac utraque propoſitione ferè modo dicendum, quo de propoſitione ſapiente hæreſim aut ſuſpecta de hæreſi locuti ſumus: hoc ſolo diſcrimine in præſenti causâ diligenter obſervando, quòd ſcilicet propoſitio hæreſim ſapiens aut de hæreſi ſuſpecta reſpiciat credenda, circa quæ ſenſus prævalens ſit omnino hæreticus; malè ſonans verò aut piarum aurium offenſiva reſpicit agenda, vel ſi credenda, non ita ut ſenſus prævalens ſit penitus hæreticus; ſed aliqua infra hæreſim pravitate infectus: & hoc certè ſufficit ut malè ſonantem inter & ſapientem hæreſim propoſitionem vera admittatur diſtinctio.

Porro, ut obſervant Suares & Laurea, propoſitio malè ſonans aut piarum aurium offenſiva (idem dicendum de propoſitione ſapiente hæreſim & de hæreſi ſuſpecta) alia dicitur talis ab intrinſeco, alia verò ab extrinſeco.

Malè ſonans ab intrinſeco ea eſt quæ ex ſeſe præciſis extrinſecis circumſtantiis pravum ſenſum prævalentem involvit: unde propoſitiones hujuſmodi ex ſeſe & intrinſeca natura aures pias offendunt, malumque ſenſum præ ſe ferunt.

Duo hanc in rem exempla ex Pontificiis diplomatibus deprompta profert author *Scrutinii*. Primum petitur ex trigeſima propoſitione inter damnatas ab Alexandro VIII, his verbis concepta: *Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleraque vel ſacrilegia ſunt, vel invalidæ*: quæ propoſitio, inquit citatus author, malè profectò ſonat offenditque haud dubiè pias aures, dum ſacrilegium & invaliditas confeſſionum refundi videtur in ipſos Religioſos, ac ſi earundem radix ſit unicè, quòd non fiant apud Sacerdotes ſæculares.

Alterum exemplum deſumitur ex vigeſimo quinto inter Articulos proſcriptos à Conſtantienſi Concilio Seſſ. 8. contra Wiclefum: *Omnes ſunt ſimoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus*: quæ propoſitio poſſet ad ſanum ſenſum trahi, ſi de temporalibus ſubventionibus intelligatur, quæ dentur in pretium orationis: nihilominus dicta propoſitio in ſuâ univerſalitate aures pias offendit; utpote quæ avertit Fideles à piis operibus, ne videlicet divites indigentibus ſubveniant, indigentes verò ad orandum pro benefacientibus ſeſe obligent, etiamſi non per modum pretii iſta ſubventio habeatur, ſed per modum eleemoſynæ, vel etiam ſtipendii.

Malè ſonans ab extrinſeco vocatur propoſitio, quando pravus ipſius ſenſus non ex propoſitione nude ſumpta, ſed cum circumſtantiis perſonæ, loci aut temporis oritur: ut hæc propoſitio, *Fides juſtificat*; abſolutè pronuntiata, nunc obortis hæreſibus præponderantem ſenſum pravum involvit, quem olim nondum eiatis erroribus non involvebat: & ſimiliter prolata à perſonâ ſuſpectâ, multò

pejus ſonat quam prolata à perſonâ de cujus doctrinâ & catholicâ fide conſtat. Idem de hâc propoſitione, *Unus è Trinitate paſſus eſt*, & aliis ſimilibus, proportione ſervata, dicendum: quæ quidem, inquiunt Laurea & author *Scrutinii*, pro foro externo multùm obſervanda ſunt.

Quòd ſi alicui arrideat malè ſonantes propoſitiones à piarum aurium offenſivis diſtinguere: in eo videretur, fortè non improbabiliter, reponenda iſta diſtinctio, quòd malè ſonantes univerſaliorem importent extenſionem, quam piarum aurium offenſivæ, quæ videntur aliquid ſpeciale ſuperaddere in ordine ad Religionem. Nam ſpecialiter offendit pias aures, quando aliquid indecens vel indignum in materia Religionis ſentitur vel profertur. Ita Suares & de Lugo locis antea citatis. Unde in ea ſententia, omnis propoſitio piarum aurium offenſiva, eſt quidem malè ſonans; ſed non vice verſa.

Hic autem nomine piarum aurium intelligendæ ſunt, inquit Melchior Canus Lib. 12. de Locis theologicis cap. 11. aures catholicæ, prudentes & doctæ: nam imprudentes, imperitos & malevolos offendit aliquando propoſitio, quæ doctos, prudentes & benevolos non offendit, & hæc propriè non meretur cenſuram, nec poteſt dici per ſe piarum aurium offenſiva. Monet ibidem Canus ad diſcernendas malè ſonantes & piarum aurium offenſivas propoſitiones ab iis quæ haſce notas non merentur, *non eſſe habendam rationem vulgi promiſcui, imbecilli, perturbati, imprudentis; ſed prudentis, ſinceri, pii, incorrupti. Nec Theologia modò requirenda eſt, ſed pietas & prudentia ſunt quæ nulla aures poſſunt conſentaneos ſonos, adhorrenteſque diſcernere.* Vide quæ modò diximus ubi de propoſitionibus ſcandaloſis.

De iiſdem propoſitionibus piarum aurium offenſivis in eundem ſenſum hæc habet illuſtriſſimus Boſſuetius citata defenſ. Cleri Gallic. parte 1, Lib. 3. cap. 13. *Vera pietas non cæco affectu, ſed majorum authoritate ac Traditionis regula ducitur, quæ ab his aberrant finibus, ſine fine, modoque creſcunt, veramque pietatem falſis & alienis ex arbitraria pietate ſuperſtructis obſcurant & offuſcant.* Ruſus ibidem: *Vera pietas cum veritate & Traditione conjuncta eſt..... certum nobis eſt nullam pietatem agnoſcere, niſi cum veritate & Traditione conjunctam.*

De propoſitionibus, temeraria, ſcandaloſa & ſeditioſa

Propoſitio temeraria apud cenſores Theologos ea eſt quæ in materiis theologicis ſine ſufficienti fundamento vel authoritatis vel rationis aſſeritur; vel aliter ea eſt quæ communi SS. Patrum doctrinæ adverſatur, aut quæ conſtanti Theologorum ſententiæ contradicit abſque gravi rationis vel authoritatis fundamento. Ex quo obiter obſerva, propoſitiones temerarias, utpote authoritate & ratione deſtitutas, in ſe vitioſas eſſe, nec uſquam ſanas evadere poſſe.

Hanc eſſe veram ac genuinam temerariæ propoſitionis notionem tradunt celebriores Theologi.

S. Antoninus parte 2. Summæ Theol. titulo 12. cap. 5. *Temerarium eſt aſſerere*, inquit: *tanquam certum illud quod non poteſt ratione vel authoritate probari efficaciter; ſicut aſſerere quòd mundus terminetur poſt centum vel ducentos annos. Quamvis enim hoc poſſit eſſe verum, tamen hoc aſſerere tanquam certum, eſt temerarium; quia ad hoc nec authoritas nec ratio efficax habetur.*

Turrecremata parte 2. Lib. 4. cap. 11. *Propoſitio temeraria eſt propoſitio aſſerens aliquid tanquam certum, quod non poſſit efficaciter probari ratione vel authoritate.*

Bannes 2. 2. q. 11. art. 2. *Propoſitio temeraria eſt, quando aliquis aſſerit quidpiam contra communem Eccleſiæ aut Theologorum opinionem ſine authoritate in re gravi.*

Cardinalis de Laurea diſput. 16. de doctrin. de hæreſ. ſuſp. art. 2. n. 13. & 14. *Dicenda eſt*, inquit, *temeraria propoſitio, quæ in materiis theologicis ſine fundamento vel authoritatis vel rationis arbitrariè aſſeritur: ut,* ſi quis annum vel diem finis mundi ſeu Judicii certum doceret: ſi gradum gloriæ aut gratiæ alicui Sancto aſſignaret; *& alia his affinia proferret, quæ nullus antea dixerit.*

Non alia eſt eâ de re ſententia Sylveſtri V. hæreſ. n. 3. Card. de Lugo, Suares: Ripald. authoris *Scrutinii* &c.

Tandem idem clarè docet illuſtriſſi. Boſſuet. citatâ defenſ. declarat. Cleri Gallic. parte 1. Lib. 3. cap. 3. his verbis: *Temerarium paſſim definiunt Theologi, quod novè, inſolenter & audacter nullâ Doctorum authoritate dicitur.*

Porro Suares, de Lugo. de Laurea, author *Scrutinii*, aliique non pauci hic advertunt propoſitionem duobus modis dici poſſe temerariam, *poſitivè* ſcilicet, & *negativè*. Propoſitio dicitur temeraria *poſitivè*, inquit Suares diſput. 19. de fide ſect. 2. n. 20. *quando pugnat contra receptam ſententiam, vel Patrum vel Scholaſticorum, ita ut omnes vel ferè omnes in illa conveniant, etiamſi non aſſerant eſſe fide divina certam, ſed omnino probabiliorem aut ſimpliciter veram, quia tunc..... non poteſt contraria propoſitio efficaci ratione niti; unde cum etiam deſtituatur authoritate & tot Doctoribus opponatur, temeraria* poſitivè *&* contrariè *cenſetur*. Privativè *autem temeraria dicitur propoſitio illa quæ ſolo proprio judicio ſine ſufficienti authoritate vel cogente ratione excogitata eſt.*

Utramque hanc propoſitionem dignam eſſe cenſura aſſerit ibidem Suares, licet mitiori quæ eſt ſolùm *privativè* temeraria, quàm quæ eſt etiam poſitivè. Ideo autem propoſitio etiam *privativè* temeraria meretur cenſuram, *quia*, inquit, *deficit à recta regula rationis, & aliquid habet præſumptionis, ac proinde in materia theologica & ſupernaturali non caret temeritate.* Ita etiam ſentiunt de Lugo, de Laurea & author *Scrutinii* adverſùs Hurtadum, qui aſſerit diſput. 81. de fide ſect. 7. parag. 41. notam temeritatis non competere propoſitioni *privativè* duntaxat temerariæ. Obſervat autem de Lugo dicta diſput. 20. de fide ſect. 3. has propoſitiones ferè *ſemper aliquid involvere de poſitivo gradu, licet in hoc differant ab aliis, quod Patres & Doctores de iis quæ dicuntur* privativè *temeraria, non explicitè & in communi, ſicut de aliis, ſed explicitè duntaxat & in particulari locuti fuerint.*

Quæres 1. utrum omnis propoſitio hæretica aut erronea ſit temeraria.

Reſp. affirmativè Ita S. Antoninus Sylveſter, Turrecremata, locis antea citatis. *Omne hæreticum & omne erroneum*, inquit S. Antoninus, *eſt temerarium; at non econtra.* Et verò non major eſt temeritas quàm expreſſæ Dei revelationi per Eccleſiam propoſitæ, aut concluſioni theologicæ, id eſt, quæ certò & evidenter deducitur ex revelatis, adverſari: atqui propoſitio formaliter hæretica adverſatur revelationi per Eccleſiam propoſitæ: propoſitio verò erronea concluſioni theologicæ directè opponitur; ergo &c.

Imò author *Scrutinii* cap. 7. art. 5. n. 6. aſſerit,

teme-

"temeritatis notam quibuslibet generatim propoſi-
"tionibus adaptari poſſe, quæ ſub aliâ quavis cen-
"ſura prohibentur. Neque enim contingere poteſt,
"*inquit*, quòd doctrina aliqua ſit hæretica, erronea
"&c. quæ ſimul non ſit temeraria, ſi (*attendantur hæc*
"*verba*) in ſeipſa conſideretur; eſto ex parte profe-
"rentis poſſit forte quandoq; talis non dici, quod ig-
"norans deliquerit, putando in ejus diſcuſſione ſe
"adhibuiſſe media neceſſaria ad optimã efforman-
"dam reſolutionem, quæ revera nequaquam inve-
"ſtigavit." Itaq; in ſententia præfati authoris, teme-
ritas adaptari poteſt omnibus generatim propoſi-
tionibus, quæ ſub alia quâvis cenſura prohibentur.

Quæres 2. an omnis propoſitio temeraria ſit hæretica aut erronea &c.

Reſp. negativè, quod apertè colligitur ex laudato mox S. Antonini textu. Et certè propoſitio temeraria ex dictis ea eſt quæ in materiis theologicis aliquid aſſerit ſine ſufficienti rationis vel authoritatis fundamento: aſt talis propoſitio non eſt ſemper hæretica aut erronea: imo, *propoſitio ſi ſit mere temeraria*, inquit de Lugo dicta diſput. 20. de fide ſect. 3. n. 97." non negat fidem nec concluſionem theo-
"logicam; negat tamen temerè & imprudenter ali-
"quid ad theologicam materiam ſpectans, & ad do-
"ctrinam communem circa res quæ ſpectant ad
"pietatem & ſalutem.

. Hic autem nomine materiæ Theologicæ non ea duntaxat intelliguntur quæ ſunt in ſe immediatè revelata, aut cum revelatis neceſſario & evidenter connexa: verum, inquit author " Scrutinii *cap.* 7.
"*art.* 5. *n.* 4. ut aliquid ſit materia theologica ſufficit
"quælibet connexio cum myſteriis fidei, nec non,
"& quælibet de eâ in ſacris Litteris mentio, vel pro-
"babilis ex eis illatio & deductio, per quam non am-
"plius conſideratur, ut ad Philoſophiam duntaxat
"ſpectans, ſed ut à ſpiritu ſancto ad ſupernaturalem
"finem intenta. *Hæc enim omnia, inquit Card. de*
"*Lugo loco mox laudato*, ſunt quaſi antemuralia quæ
"doctrinam fidei muniunt, quibus ablatis facilior
"patet aditus ad fidem ipſam, vel alia dogmata fidei
"proxima oppugnanda: quare propter connexioné
"aliquam, licet non neceſſariam nec evidentem,
"quam cum fide habent, exigunt peculiarem reve-
"rentiam, ne facilè & temere contemnantur.

Quin obſervat ibidem laudatus mox *Scrutinii* author, materiam theologicam reflexe dici poſſe eam quæ tanquam materia theologica pertractatur, licet ſui naturâ talis non ſit, nec de ea quidpiam appareat in ſacra Scripturâ. Qua in hypotheſi poteſt cenſuræ theologicæ fieri capax materia hujuſmodi non in ſeipſa, ſed in modo quo propugnatur ac defenditur: adeo ut ſi aſſeratur certa certitudine aut fidei aut theologica &c. vel rejiciatur tanquam fidei ac theologicæ concluſioni repugnans, modus hujuſmodi aſſertionis aut impugnationis proſcribendus veniat, opinione ipsâ, in re non theologica, intacta remanente.

Id ipſum docet S. Thomas Opuſcul. 10. Scilicet ſanctus Doctor interrogatus à Joanne Vercellenſi ſuper articulis 42. eorum reſolutioni proteſtationem præmiſit *quod plures horum articulorum ad fidei doctrinam non pertinent, ſed magis ad Philoſophorum dogmata.* Subdit deinde, nocere plurimum placita philoſophica, *quæ ad pietatis doctrinam non ſpectant, vel aſſerere, vel negare, quaſi pertinentia ad ſacram doctrinam*: citatque hanc in rem diſertum S. Auguſtini teſtimonium Lib. de Geneſ. ad litter. cap. 9. ac demum concludit his verbis: *Unde mihi videtur tutius eſſe, ut hæc quæ Philoſophi communes ſenſerunt, & noſtræ fidei non repugnant, neque ſic eſſe aſſerenda ut dogmata fidei, licet aliquando ſub nomine Philoſophorum introducantur; neque ſic eſſe neganda tanquam fidei contraria, ne ſapientibus hujus mundi contemnendi doctrinam fidei occaſio præbeatur.*

Inſigne nobis ſubminiſtrat eâ de re exemplum Concilium Conſtantienſe Seſſ. 19. in qua cum Hieronymus de Praga probabilem quandam philoſophicam opinionem circa univerſalia temerè notaſſet eamq; velut fidei inimicam infamaſſet, coactus fuit à Patribus conſtantienſibus illam cenſuram veluti catholicæ Religioni ſummopere noxiam ejurare his verbis: " Itẽ ego Hieronymus de Praga,
"quia in nonnullis actibus ſcholaſticis ad perſua-
"dendam opinionem de univerſalibus realibus, &
"quod una communis generis eſſentia ſpecificaſſet
"plura ejuſdem ſpeciei ſuppoſita, & quodlibet eo-
"rum, ut Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus &
"ſic de ſingulis. & ad hoc inducendum velut exem-
"plo ſenſibili deſcripſi quandam triangularem figu-
"ram, quam ſcutum fidei nominavi, ideo ad exclu-
"dendum intellectum *erroneum* & *ſcandaloſum*
"quem forraſſis aliqui ex hoc accipere potuerunt,
"dico, aſſero & declaro, quod dictam figuram non
"feci, nec eam nominavi *ſcutum fidei*, eâ intentione,
"quod vellem dictam opinionem de univerſalibus
"extollere ſuper opinionem contrariã, ſic quaſi eſ-
"ſet *ſcutum fidei*, quod ſine ejus poſitione non poſ-
"ſet fides aut catholica veritas protegi & defendi;
"cùm nec dictæ poſitioni velim pertinaciter adhæ-
"rere. ...propterea cognoſcens veram, catholicam
"Eccleſiam, & Apoſtolicam fidem, anathematiſo
"omnem *hæreſim*, præcipuè eam de qua hactenus
"infamatus fui.

Quæres 3. an nota temeritatis poſſit ſola reperiri in aliqua propoſitione; ſeu an dari poſſit propoſitio cui ſola competat temeritatis nota.

Reſp. cum Panormo cap. 7. art. 5. n. 40. difficillimum videri quod ſola temeritatis nota in aliqua propoſitione interveniat. *Cum enim*, inquit, *propoſitio temeraria per oppoſitionem ad receptam Patrum aut Theologorum doctrinam conſtituatur, ſemper præſupponit motivum aliquod, quo Patres & Theologi inducti ſint ad illam impugnandam, ſive expreſsè, ſive in cauſa, quatenus ex doctrina ab iiſdem concorditer ſtabilita inferatur ejus rejectio; conſequens inde ſit, ut aliqua ſit pravitate infecta, ob quam aliqua alia juxta materiæ qualitatem notanda veniat cenſurâ; etſi quandoque manifeſta ea non ſit, ſed inferri queat, vel ex ipſa unanimi Patrum aut Theologorum ipſi contradicentium mente, quæ ſicut fundata haberi debet in aliqua ex fidei vel morum regulis, ita & ſufficiens eſt ad* temeritatem *ei infligendam, quæ per dictum ad eoſdem reſpectum, proprium cenſuræ gradum perficit à cæteris quibuſcunque ſejunctim.*

Quæres 4. an quælibet propoſitio temeraria ſemper in ſe vitioſa ſit ac falſa.

Reſp. 1. ſemper eſſe vitioſam; manifeſte ſequitur ex dictis. Namque propoſitio quæ novè, inſolenter, audacter, abſque ullo gravi authoritatis vel rationis fundamento pronuntiat circa ea quæ fidẽ, mores & Religionem ſpectant, ea, inquam, propoſitio procul dubio mala eſt in ſe ac intrinſecè: porro ex citatis celebriorum Theologorum, ac præſertim illuſtriſſ. Boſſuetii teſtimoniis, propoſitio temeraria eſt hujuſmodi; ergo &c.

Reſp. 2. propoſitionem temerariam ſemper eſſe falſam: ad hoc enim ſatis eſt 1. quod temeritas ſit nota theologica 2. quod nota theologica non cadat niſi in propoſitiones falſas. Atqui utrumque

conſtat primum ex dictis & ex conſenſu omnium Theologorum : alterum vero ex dic. ndis Articulo ſequenti aſſert. 4. & 5. in quibus demonſtrare conabiuur propoſitiones veras, imo nec etiam merè æquivocas, ſimpliciter & abſolutè damnari poſſe ; ergo &c..

Quæres 5. an quælibet propoſitio temeraria ita falſa ſit ac vitioſa, ut nuſquam evadere poſſit ſana ac vera.

Antequam reſpondeam, obſerva 1. propoſitionem duobus modis dici poſſe temerariam, *poſitivè* ſcilicet, & *privativè*; exactam utriuſque notionem mox exhibuimus ex Suareſ. & de Laurea. 2. rurſus propoſitio dici poteſt temeraria, ut antea cum authore *Scrutinii* obſervavimus, vel ex parte objecti, ſeu in ſeipſa conſiderata, cum ſcilicet nullo in ſe gravi nititur fundamento, vel ex parte ſubjecti, ſeu ex parte proferentis; cum nempe, etſi forte ſint gravia momenta ad rem affirmandam, ignorantur tamen ab eo qui propoſitionem profert. 3. tandem ſpectari poteſt propoſitio aut ratione dicti ſeu rei quam enuntiat, vel ratione modi quo exprimitur id quod enuntiat propoſitio. His præſuppoſitis.

Reſp. 1. propoſitionem temerariam merè *privativè* & ratione ſubjecti, poſſe quandoque evadere veram. Ratio eſt, quia propoſitio ex parte ſubjecti merè *privativè* temeraria ea eſt, quæ ſine ſufficienti authoritate vel legitima ratione authori cognita profertur : porro propoſitiones hujuſmodi poſſunt eſſe veræ, ſi nempe reipsâ in ſe gravibus nitantur fundamentis; ergo &c.

Reſp. 2. propoſitionem *poſitivè* & in ſe, ſeu ratione objecti temerariam, ita eſſe falſam, ut nuſquam poſſit evadere vera. Ratio eſt, quia propoſitio quæ, ut loquitur doctiſſimus Boſſuet. *nove, inſolenter* & *audacter* : ſeu, ut aſſerit Card. de Laurea, quæ *in materiis theologicis ſine fundamento vel authoritatis vel rationis arbitrarie profertur*, nec eſt nec uſquam poteſt eſſe vera. Et vera ea propoſitio nec eſt nec eſſe poteſt vera, quæ nullo in ſe nititur fundamento : jam vero ex definitione, propoſitio poſitivè & in ſe temeraria nullo &c. ergo &c.

Reſp. 3. propoſitionem poſitivè temerariam, quandoque poſſe eſſe veram ratione dicti, ſeu præcisè ſpectando id quod enuntiat; non autem ratione dicti ſimul & modi. Utraque aſſertionis pars clarè colligitur ex S. Antonino, Turrecremata, Laurea, Boſſuet. & aliis antea citatis : *Temerarium eſt*, inquit S. Antoninus 2. p. Summæ tit. 12. cap. 5. *aſſerere tanquam certum illud quod non poteſt ratione vel authoritate vel ratione probari efficaciter ; ſicut aſſerere quod mundus terminetur poſt centum vel ducentos annos: quamvis enim hoc poſſit eſſe verum, tamen hoc aſſerere tanquam certum, eſt temerarium, quia ad hoc nec authoritas nec ratio efficax habetur.* Ex quibus patet propoſitiones hujuſmodi, etſi veras quandoque ratione dicti, merito tamen damnari ratione modi in quo vitiantur.

Cæterum, quidquid ſit de veritate aut falſitate propoſitionis temerariæ, certe, quod rei caput eſt, in his quinque conveniunt Theologi.

I. notam temeritatis veri nominis eſſe cenſuram Theologicam.

II. temeritatis notam cadere directè in perverſam ac vitioſam propoſitionis doctrinam, ſive ſit proprium cenſuræ objectum, aut tantum ipſius motivum.

III. unumquemque Fidelem, ubi propoſitiones tanquam temerariæ ab Eccleſia proſcriptæ ſunt, teneri ſincere & ex animo perſuaſum habere dictas propoſitiones noxias eſſe & merito proſcriptas.

IV. unumquemque debere ita animo affectum ac comparatum eſſe, quamdiu immutatus manet propoſitionis ſenſus; quantumcunque aliunde extrinſecæ mutentur circumſtantiæ.

V. tandem judicia quibus Eccleſia propoſitiones velut temerarias diffamat, non meras eſſe diſciplinæ leges, quibus earum uſus unicè prohibetur; ſed vera ac propriè dicta judicia dogmatica, quibus malus propoſitionum ſenſus ac perverſa earum doctrina proſcribuntur.

Quod autem hic diximus de temeritatis nota, id proportione ſervata dicendum de aliis omnibus theologicis notis infra hæreſim, de quo conſule quæ dicta ſunt Art. 1. parag. 2. & dicenda poſtmodum Art. 3. & 5.

Unum penè exciderat quòd hic objici poſſet adversùs ea quæ diximus circa propoſitiones temerarias : nempe, propoſitio temeraria ea eſt quæ adverſatur doctrinæ majoris Theologorum partis: atqui manifeſtum eſt, & variis exemplis conſtat propoſitiones hujuſmodi poſſe in ſe veras eſſe ac ſanas; ergo &c. Et vero ubi agitur de meris opinionibus theologicis, quæ certo tempore videntur ſingulares & minùs uſitatæ, eædem mutatis temporibus poſſunt evadere vulgares ac pervulgatæ, & tunc deſinunt eſſe temerariæ; ergo &c.

Reſp. negando maj. ex dictis enim patet propoſitionem temerariam non eam eſſe præcisè, quæ adverſatur ſententiæ majoris Theologorum partis, ſed quæ *nove, inſolenter, audacter, nulla Doctorum authoritate dicitur*. Ita definitur ab illuſtriſ. Boſſuet. Vel; ut loquitur Card. de Laurea, ea eſt, *quâ aliquid ſine fundamento authoritatis vel rationis arbitrarie aſſeritur* : vel denique, ut ait Suares diſput. 19. antea citata, ea eſt, *quæ pugnat contra receptam Patrum vel Scholaſticorum ſententiam, ita ut omnes vel fere omnes in illa conveniant.* Addunt de Lugo & author *Scrutinii*, *paucis ex adverſo diſſentientibus, levi ductis fundamento.* Porro videtur extra controverſiam, propoſitiones quibus competunt prædicti caracteres in ſe malas eſſe ac vitioſas, atque quemdam pravitatis gradum in ſeipſis intrinſecè involvere, quo fit ut perpetuo noxiæ ſint ac damnatæ, niſi mutetur earum ſenſus; ergo &c.

Et certè omnes Joannis Wiclefi & Joannis Hus articuli damnati ſunt tanquam non catholici; conſtat id ex Bulla Martini V. Tom. 12. Conc. Labb. pag. 296. à Concilio Conſtantienſi approbata, in qua jubet *ut litterati interrogentur utrū credant..., quòd ſupradicti quadraginta quinque articuli Joannis Wiclefi, & Joannis Hus eriginta non ſunt catholici, ſed quidam ex eis ſunt notorie hæretici, quidam erronei, alii temerarii & ſeditioſi, alii piarum aurium offenſivi.* Idem etiam conſtat ex Seſſione 15. ejuſdem Concilii ibidem pag. 269. in qua Patres Conſtantienſes configunt vigeſimam quintam Joan. Hus propoſitionem, qua aſſerebat iniquum eſſe & irrationabile dicere, *quod nullus articulorum Wiclefi ſit catholicus, ſed quilibet eorum aut eſt hæreticus, aut erroneus, aut ſcandaloſus.*

Ex his ſic licet argumentari : Omnes Joan. Wiclefi & Joan. Hus articuli proſcripti ſunt tanquam non catholici : conſtat id ex citatis textibus Concilii : porro ex iiſdem teſtimoniis patet plures ex iis articulis fuiſſe temerarios, ſcandaloſos, & aliis notis infra hæreſim confixos; ergo articuli ſeu propoſitiones temerariæ, ſcandaloſæ &c. ſunt non catholicæ : quis autem dicere auſit propoſitiones non

catho-

catholicas ſanas eſſe, veras & orthodoxas, aut tales evadere poſſe, immutato manente eatundem ſenſu?

Jam nonnulla dicenda ſunt de propoſitione ſcandaloſâ.

Propoſitio ſcandaloſa, juxta communem Theologorum ſententiam, ea eſt, quæ dat occaſionem ruinæ ſpiritualis, inclinando ad peccata, vel advertendo à virtutum exercitio. Ita Sylvius, de Lugo & alii.

Porro, quod impræſentiarum ſummoperè obſervandum, duplicis generis ſunt propoſitiones ſcandaloſæ: aliæ activè & per ſe, quæ ſui natura & ex ſeſe habent generare ſpiritualem ruinam in proximum: aliæ vero paſſivè & per accidens, ex quibus proximus per accidens ob propriam fragilitatem, poteſt deſumere occaſionem ſpiritualis ruinæ.

Diviſionem hanc proponit, & adducta ex Angelico Doctore ſcandali notione, dilucidè explicat author *Scrutinii* cap. 7. art. 2. n. 5. Hujus authoris verba hic exſcribere non abs re erit, cùm præſentem materiam plurimum illuſtrent. *Notiſſima eſt ſcandali diviſio*, inquit, *in activum & paſſivum: ut enim docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 43. art. 1. ad 4. dictum vel factum alterius poteſt eſſe dupliciter alteri cauſa peccandi, uno modo* per ſe, *alio modo* per accidens: *per ſe quidem, quando aliquis ſuo malo verbo vel facto intendit alium ad peccandum inducere, vel etiam ſi hoc ipſe non intendat, & ipſum factum eſt tale, quod de ſui ratione habet quod ſit inductivum ad peccandum.....per accidens autem aliquod verbum vel factum unius eſt alteri cauſa peccandi, quando etiam præter intentionem operantis, & præter conditionem operis aliquis male diſpoſitus ex hujuſmodi opere inducitur ad peccandum.*

Poſtmodum ſubdit idem author: " Juxta hanc „ſcandali diviſionem conſiderando pariter propo„ſitiones ac doctrinas, poſſunt & iſtæ *ſcandaloſæ* in„ſcribi *active* & *paſſive*; per ſcandaloſas *active* ſu„mendo eas, quæ ſui natura & per ſe habent gene„rare ſpiritualem ruinam in proximum; per ſcanda„loſas verò *paſſive*, eas ex quibus proximus per acci„dens ob propriam fragilitatem, quæ cauſat ſcan„dalum, quod dicitur puſillorum, aut malitiam quæ „gignit ſcandalum Phariſæorum, poteſt deſumere „occaſionem ſpiritualis ruinæ.

Advertit ibidem n. 6. *nonniſi primi generis propoſitionibus competere dicta nota denominationem, in quibus revera reſidet pravitas, quæ in paſſive ſcandaloſis in rigore non extat.* Rurſus n. 7. *Ex quo ibidem patet*, inquit, *cenſuram ſcandali propriè & per ſe non competere niſi propoſitionibus ac doctrinis ſpiritualem proximorum ruinam activè promoventibus ac inducentibus.*

Etſi autem aſſerat præfatus author cenſurâ ſcandali propriè non cadere niſi in propoſitiones activè & per ſe ſcandaloſas, fatetur tamen propoſitiones paſſivè duntaxat & per accidens ſcandaloſas interdici poſſe, eorumque uſum prohiberi, dummodo id fiat cum debita cautione: *Non inficiamur*, inquit ibid. n. 10. *poſſe quandoque interdici propoſitiones & doctrinas ob ſcandalum mere paſſivum, dummodo id fiat cum debita circumſpectione.*

Denique ibidem n. 20. ſic concludit: *Ex acriori & imprudenti defenſione doctrinæ, quæ alias probabilis ſit, nulliuſque capax cenſuræ, ſcandala oriuntur, ad quæ cavenda doctrina ipſa prohibetur, ſeu verius ſuſpenditur ne ſaltem publice doceatur, imprimatur, aut diſputetur, quin ulla in ipſam in ſe inſpectam cenſuræ nota reſultet.*

Eadem prorſus eſt illuſtriſſimi Boſſuetii circa propoſitiones ſcandaloſas doctrina citato cap. 15. Lib. 3. defenſ. declarat. Cleri Gallic. Ibi aſſerit eodem modo de propoſitionibus ſcandaloſis ac de propoſitionibus piarum aurium offenſivis judicandum eſſe: addit, *veram pietatem cum veritate & Traditione eſſe conjunctam*; adeòque procul abeſſe ſcandali aut offenſæ pietatis ſuſpicionem ab eo quod verum eſt & Traditioni conforme.

Atque ex his colligitur, quod poſtea fuſiùs demonſtrabimus, propoſitiones veras non poſſe tanquam ſcandaloſas notari: tùm quia vera pietas quæ ſcandalo eſſe nequit, ſemper eſt cum veritate conjuncta, ut mox vidimus ex illuſtriſſ. Boſſuet. tùm quia, ut docet citatus *Scrutinii* author, cenſura ſcandali propriè & per ſe non competit niſi propoſitionibus & doctrinis ſpiritualem proximi ruinam activè & per ſe promoventibus: at nemo dixerit veritatem activè & per ſe ruinam proximi inducere: tùm denique quia alias, quod vel etiam cogitare nefas, plura Geneſis, Cantici Canticorum, Epiſtolarum S. Pauli capita proſcribere liceret, cùm iis abuſi fuerint impii & hæretici, atque ex iis per accidens & ob propriam malitiam ſpiritualis ruinæ occaſionem ſumpſerint. Verùm de his alibi datâ operâ.

Neque his adverſatur Melchior Canus, qui hîc paſſim ſolet objici. Equidem docet Lib. 12. de Locis theologicis cap. 11. non ſolùm falſas, ſed aliquando etiam veras propoſitiones poſſe paſſivè & per accidens nonnullis privatis ſcandalo & offenſioni eſſe, & tunc Eccleſiam poſſe earum uſum prohibere, atque in refragantes pœnis canonicis animadvertere: at nuſquam aſſeruit, quod quam ſit abſurdum nemo non videt, propoſitiones exactè veras poſſe eſſe ex ſeſe & activè ſcandaloſas. Porro, ut mox vidimus ex illuſtriſſimo Boſſuet. & authore *Scrutinii*, quibus conſentiunt de Lauréa, de Lugo & alii, " Cenſura ſcandali propriè & per ſe „non competit niſi propoſitionibus & doctrinis „ſpiritualem proximorum ruinam activè & per ſe „promoventibus ac inducentibus.

Adde quod in propoſitionibus ſcandaloſis, quemadmodum diximus de temerariis, duo ſunt ſpectanda, dictum ſcilicet, ſeu id quod enuntiat propoſitio, & modus ſeu ratio quâ propoſitio rem ipſam exprimit. jam vero fieri poteſt ut propoſitio ratione dicti veriſſima, noxia ſit ac vitioſa ratione modi; quatenus nempe rem veriſſimam exprimit improbo, incongruenti, inconſiderato prorſus modo, quique multis ſcandalo & offenſioni eſſe poſſit; & tunc nihil obſtat quin illa propoſitio cenſurâ notari poſſit, non quidem ratione dicti in quo veriſſima ſupponitur ac ſana, ſed ratione modi in quo intrinſecè vitioſa eſt ac noxia: unde tunc objectum & motivum cenſuræ eſt ipſum intrinſecum propoſitionis vitium, in quod unicè cadit cenſura, non ipſa propoſitionis veritas, ſeu potius id veri quod in ipſa propoſitione ſupponitur.

Egregium habemus ea de re exemplum apud S. Auguſtinum Lib. de dono perſever. cap. 22. ubi rejectis ſimpliciter & abſolutè variis circa doctrinam prædeſtinationis propoſitionibus, iſtam circa divinam præſcientiam proponit: *& ſi quis obeditis, ſi præſciti eſtis rejiciendi, obedire ceſſabitis.* Continuò ſubdit S. Doctor, *nempe hoc veriſſimum eſt*: addit tamen ibidem; prædictum modum proponendi veram hanc in ſe præcisè propoſitionem, improbum eſſe, incongruentem, inconſideratum, adeòque meritò damnandum: *Ita ſane*, inquit S. Doctor, *ſed improbiſſimum, importuniſſimum, incongruentiſſimum: non falſo eloquio, ſed non ſalu-*

briter valetudini humanæ infirmitatis appoſito; id eſt, eloquio vero ratione dicti, falſo autem ratione modi.

Itaque ubi agitur de propoſitione vera ratione dicti, vitioſa autem ratione modi, cenſuram cadere non in dictum propoſitionis, ſed in ejus modum in quo ſupponitur vitioſa, inconſiderationem nempe, acerbitatem &c. in confeſſo debet eſſe apud omnes. Aſt an eo vitio, non ſolùm intrinſecè vitioſa reddatur propoſitio, an inſuper ſimpliciter & abſolutè falſa nec ne; iſtud eſt quod à nonnullis in dubium revocari videtur, & quò recidit celebris illa controverſia an damnari poſſent propoſitiones ſimpliciter veræ. Verùm, ut jam dixi, de his alibi ex profeſſo.

De propoſitionibus ſchiſmaticâ & ſeditioſâ

Prædictas propoſitiones unico duximus comprehendendas titulo, quod quandam inter ſe affinitatem habeant, uti ex dicendis patebit.

Quod ſpectat ad propoſitionem ſchiſmaticam.

I. Cardinalis de Lugo diſput. 20. de fide ſect. 3. n. 105. propoſitionem ſchiſmaticam definit, *quæ ſine hæreſi promovet ſchiſma, vel illud generare poteſt, vel ad illud inducere.*

Verùm non omnino videtur accurata prædicta definitio: , tùm quia non ſatis clarè explicat naturam & conſtitutivum ſpecificum propoſitionis ſchiſmaticæ; tùm quia non exponit ejuſdem propoſitionis ſchiſmaticæ ab hæretica ſeparabilitatem præciſamque rationem, cur abſque hæreſi illa conſiſtere valeat.

II Card. de Laurea diſput. 16. de doct. de hæreſ. ſuſp. art. 2. parag. 3. n. 70. & ſequent. ſchiſmaticæ propoſitionis notam in eo conſiſtere exiſtimat, *quod aliquid inſinuet, quod poſſit in Chriſtianis receſſum à Papæ obedientia ac ſubjectione moliri.*

Hanc ſchiſmaticæ propoſitionis notionem & ratione & exemplis evincere conatur.

Ratio deſumitur ex causâ 24. q. 1. c. 33. *Schiſma.* ex Pelagio I. Epiſt. 13. ubi dicitur quod ſchiſma græcum nomen ſit ſciſſuram ſonans; & eatenus doctrina ſchiſmatica, inquit, ea eſſe debet quæ ad dictam cenſuram viam parat.

Exempla verò deducit ex variis propoſitionibus damnatis contra Wicleſum: octava videlicet, *Si Papa ſit malus non habet authoritatem ſupra Fideles.* Nonâ, *Poſt Urbanum ſextum nullus recipiendus eſt in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis.* Et vigeſima ſeptima contra Joan. Hus, *Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat eſſe unum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militanti Eccleſia converſetur & conſervetur.*

Quibus exemplis adductis meritò ſubjungit Eminentiſſimus author eas propoſitiones hæreticas eſſe, quatenus negant Romano Pontifici beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori ac Jeſu Chriſti Vicario debitam ab omnibus Chriſtianis obedientiam: ſchiſmaticas autem, quatenus reddunt Caput Eccleſiæ odioſum & inutile ad regimen ejus.

Nec etiam iſta ſchiſmaticæ propoſitionis notio videtur ſatis accurata: recurrit enim hic quod adversùs mox laudatam Cardinalis de Lugo definitionem diximus; ſcilicet præciſam rationem non exponit, unde fiat quod propoſitio ſchiſmatica ab hæretica ſeparari poſſit, & abſque illa conſiſtere. Adde quod ut mox dicemus ex S. Thoma. non ſolùm ii dicendi ſunt ſchiſmatici *qui ſubeſſe renuunt ſummo Pontifici*, ſed *& qui membris Eccleſiæ ei ſubjectis communicare recuſant.* Non eſt itaque adæquata propoſitionis ſchiſmaticæ notio adducta ab Eminentiſſimo Laurea, dum aſſerit ſchiſmaticam propoſitionem eam eſſe quæ *receſſum à Papæ obedientia molitur.*

III. author *Scrutinii*, qui de natura & proprietatibus propoſitionis ſchiſmaticæ pleniſſimè diſputat, ſtatim obſervat cap. 6. art. 13. n. 3. propoſitiones ſchiſmaticas ab ipſomet ſchiſmate longè ſecernendas eſſe, licet per reſpectum & ordinem ad ſchiſma earundem natura & quidditas ſit dignoſcenda.

Schiſma autem ex S. Thoma 2. 2. q. 39. art. 1. eſt voluntaria ſui ipſius ſeparatio ab Eccleſiæ unitate: "Eccleſiæ autem unitas, *inquit ibidem S. Doctor*, "in duobus attenditur, ſcilicet connexione membrorum Eccleſiæ ad invicem, ſeu communicatione, "& iterum in ordine omnium membrorum Eccleſiæ ad unum caput........Hoc autem caput eſt ipſe "Chriſtus, cujus vices in Eccleſia gerit ſummus Pontifex, & ideo ſchiſmatici dicuntur qui ſubeſſe renuunt ſummo Pontifici, & qui membris Eccleſiæ "ei ſubjectis communicare recuſant.

Et in reſponſ. ad primum, cohærenter ad traditam doctrinam ſchiſma & hæreſim diſtinguenda eſſe aſſerit: *Nam hæreſis per ſe opponitur fidei ſchiſma autem per ſe opponitur unitati Eccleſiaſticæ charitatis, & ideo ſicut fides & charitas ſunt diverſæ virtutes, quamvis quicunque caret fide, caret charitate: ita etiam ſchiſma & hæreſis ſunt diverſa vitia, quamvis quicunque eſt Hæreticus ſit etiam ſchiſmaticus, ſed non convertitur: & hoc eſt quod Hier. dicit in Epiſt. ad Gallat.* Inter ſchiſma & hæreſim hoc interrer eſſe arbitror, quod hæreſis perverſum dogma habet, ſchiſma ab Eccleſiâ ſeparat. Hactenus Doctor Angelicus.

Ex quâ S. Doctoris doctrinâ colligit Sylvius 2. 2. q. 39. art. 1. tribus modis contingere poſſe ſchiſma.

I. cùm aliquis ſeipſum à capite ſeparat, etiamſi non expreſsè à reliquis membris: v.g. "qui cum rebellione & pertinacia. *ut loquitur S. Thomas hic ad* "2. renuit obedire præceptis vel Romanæ Eccleſiæ, "vel Romani Pontificis, & judicium ejus ſubire recuſat. *Si nimirum, addit Sylvius*, ea rebellio exerceatur circa Romanam Eccleſiam aut Romanum "Pontificem ut talem, nolendo illam agnoſcere "matrem, vel iſtum patrem, Chriſtique Vicarium. "Quod addo, *pergit ibidem*, quia ſi quis nolit etiam "cum pertinacia & contemptu obedire mandato "Pontificis, jubentis reſtitutionem aut ceſſationem "à bello, aut quidpiam ſimile....non eſt neceſſe quod ſit Schiſmaticus, quia cum ejuſmodi inobedientia "ſtare poteſt quod recognoſcat pontificem ut ſuperiorem, neque ſe à membris Eccleſiæ ſegreget. "*Subdit ibidem Sylvius*, Et ſimiliter abſque vitio "ſchiſmatis fieri poteſt, quod quiſpiam recuſet judicium Papæ propter ipſius perſonæ qualitatem, non "propter officium quod gerit: ut ſi perſonam ejus "habeat ſuſpectam, agnoſcat tamen ut Chriſti Vicarium, velitque illi ſubeſſe quantum ad definitiones fidei & morum.

Eadem eſt Cajetani doctrina quam latè explicat 2. 2. qu. 39. in reſponſ. ad 2. his verbis: *Adverte diligenter, quod recuſare præceptum vel judicium Papæ contingit tripliciter. 1. ex parte rei judicatæ ſeu præceptæ. 2. ex parte perſonæ judicantis. 3. ex parte officii ipſius Judicis. Si quis enim,* pergit, *etiam pertinaciter condemnat ſententiam Papæ, quia ſcilicet non vult exequi quæ mandavit, puta abſtinere à tali bello, reſtituere talem ſtatum &c. licet graviſſime er-*

vel erret, non tamen eſt ex hoc Schiſmaticus. Contingit namque & ſæpe, nolle exequi præcepta Superioris, retenta tamen recognitione ipſius in Superiorem. Addit ibidem: *Si quis vero perſonam Papæ ſuſpectam rationabiliter habet, & propterea immediatum ejus judicium recuſat, paratus ad non ſuſpectos Judices ab eodem ſuſcipiendos, nec ſchiſmatis, nec alterius vitii crimen incurrit.....cum quis autem Papæ præceptum vel judicium ex parte ſui officii recuſat, non recognoſcens eum ut Superiorem, quamvis hoc credat, tunc propriè Schiſmaticus eſt.*

Concludit tandem eminentiſſimus author his verbis quæ diligenter ſunt attendenda: *Inobedientia quantumcunque pertinax, non conſtituit Schiſmaticum, niſi ſit rebellio ad officium Papæ vel Eccleſiæ ita ut renuat illi ſubeſſe, illum recognoſcere ut Superiorem &c.*

Ex his patet, in ſententia Cajetani & Sylvii, ut quis ſit Schiſmaticus non requiri ut ſuperioritatem Pontificiam aut authoritatem Eccleſiæ neget; jam enim is eſſet Hæreticus: ſed requiri & ſufficere, *ut cum rebellione & pertinacia renuat obedire Eccleſiæ vel Papæ ex parte ſui officii*: id eſt, ut loquitur Sylvius, *quantum ad definitiones fidei & morum*; ſeu, *quantum ad ea quæ ſunt fidei aut Religionis chriſtianæ.* Quæ quidem quatenus ſpeciatim reſpiciunt ſummum Pontificem, vera ſunt, ſuppoſitis ſemper conditionibus, de quibus ubi de Eccleſiâ.

II. inquit ibidem Sylvius, poteſt accidere ſchiſma, ſi quis ſeparet ſe à membris Eccleſiæ, non autem expreſſe à capite, ut ſi quis nolit communicare cum Gallis aut Hiſpanis quantum ad ea quæ ſunt fidei aut Religionis chriſtianæ: dicitur, *expreſſe*; *quia*, ut obſervat Sylvius, *is qui tacitè ſe ſeparat à membris, tacitè vel conſequenter ſeparat ſe etiam à capite, & contra.* Cùm enim membra & caput ſint inter ſe connexa & ſubordinata, conſequens eſt ut qui à membris diviſus eſt, etiam ſit à capite diviſus, & vice verſâ.

III. accidit ſchiſma quando receditur à capite & membris: ut cum is qui ſeparat ſe à Romano Pontifice, nolens ei tanquam capiti ſubeſſe, ſe etiam ſeparat à communione eorum qui eum ut verum Pontificem ſequuntur.

His tribus modis recenſitis quibus contingere poteſt ſchiſma, ſic proſequitur Sylvius: *Non eſt autem exiſtimandum ſchiſma tunc ſolum accidere, quando aliquis ſeparat ſe expreſſa intentione vel à capite, vel à membris; ſed etiam tunc incurritur quando aliquis mavult voluntatem ſuam ſeu opus implere, quam ſervare unitatem eccleſiaſticam: ſicut etiam ille incurrit homicidii reatum, qui etſi non intendat occidere, vult tamen illud opus proſequi unde mors ſequi nata eſt, & de facto ſequitur.*

Totum iſtud preſſiùs docet illuſtriſſimus Boſſuet. citata ſæpius defenſ. Cleri Gallic. part. 1. Lib. 2. cap. 15. ubi cenſuram ab Epiſcopo Strigonienſi occaſione declarat. an. 1682. Clero Gallicano inuſtam refellens, ſic habet, " Schiſma ſeparationem ſonat, "quare ſchiſmatis nomen ſponte corruit, ubi nulla "ſeperatio eſt: atqui Clerus Gallicanus, neque ſe "à quoquam, neque quemquam à ſe ſeparat; ergo "ſchiſmatis nomen, ipsâ nominis ſignificatione ſta"tim vacat.

Porro ex aſſignata huc uſque ſchiſmatis notione facile deducitur dari poſſe ſchiſma abſque hæreſi, quatenus, ut mox ex Doctore Angelico audivimus, qui ſe ab Eccleſiæ unitate ſeparat integram fidem retinere poteſt, cum nempe, ut ait loco laudato *Scrutinii* author, ſeparatio non ex mentis deceptione, ſed ex alia qualibet turpi occaſione pravoque quovis motivo initium ſumit; quemadmodum, ut pletaque alia exempla ſileam, contigit in Meletio quem S. Epiphanius Hær. 68. rectæ fidei dixit: *Non eſt immutata*, inquit, *fides ipſius in aliquo tempore à ſancta catholica Eccleſia*; quamvis tamen indubitanter eſſet Schiſmaticus, quod propriam congregationem faciens ab obedientia Petri Alexandrini diſceſſiſſet: aſt, pergit idem author, non eadem videtur eſſe facilitas in ſejungendis ſchiſmaticis propoſitionibus ab hæreticis.

Quod ut explicet, obſervat ſchiſmaticas propoſitiones quibus inſinuatur receſſus ab unitate Eccleſiæ, duobus modis exprimi poſſe, vel modaliter, vel abſolutè.

Modaliter concipiuntur, quoties per eas honeſtum & laudabile ſupponitur, Eccleſiæ & ſummo Pontifici obedientiam negare, ab eiſque ſeſe ſeparare; vel Romanum Pontificem non eſſe tenendum Fidelium patrem, beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſorem ac Jeſu Chriſti Vicarium; vel ad minus poteſtatem in eo non adeſſe ferendi leges, quibus, poſitis pœnendis, obtemperare debeant Fideles. Et hujuſmodi propoſitiones ſchiſmatico hæreticæ inſcribendæ ſunt, ſicuti ſupra adductæ Joannis Wiclefi & Joannis Hus propoſitiones.

Abſolute vero exprimuntur, quoties per eas Eccleſiæ aut ſummo Pontifici denegatur obedientia, ejuſque legibus obſervantia, abſque explicitâ mentione excluſivâ poteſtatis à Chriſto ipſis conceſſæ. Et tunc, inquit idem author, multiplici diſtinctione & maturo examine opus eſt.

Namque ſi propoſitiones, illæ etſi abſolutè formatæ æquivaleant modali, quatenus ingerunt evidens præjudicium excluſæ authoritatis in Eccleſiâ aut Romano Pontifice, ut videre eſt in propoſitionibus 8. & 9. Wiclefi 12. 13. 20. 24. 27. Joan. Huſſ tunc de ipſis diſcurrendum æquè ac de modalibus, ſcilicet ſchiſmatico hæreticæ inſcribendæ.

Si verò in iis non appareat evidens negatæ authoritatis præjudicium, adhuc conſiderari debet, pergit idem Panormo, an ita ſint inductivæ inobedientiæ debitæ Chriſti Vicario, ut eluceat eas ortum ducere vel ex pravo intellectus judicio, vel ex prava voluntatis paſſione, aut ſaltem ſi dubium adſit de hujuſmodi origine; & juxta varietatem eatundem reſolvendum reſpectivè erit eas eſſe ſchiſmatico hæreticas, vel ſapientes aut ſuſpectas de hæreſi, juxta ea quæ antea diximus.

Ex his ſequitur, propoſitionem ſchiſmaticam eam eſſe quæ viam ſciſſioni unitatis eccleſiaſticæ aperit, dum ſcilicet Fideles ab obedientia Superioribus eccleſiaſticis debita, ac præcipuè Romano Pontifici, qui eſt totius unitatis eccleſiaſticæ centrum, removet ac retrahit; vel negando ipſum eſſe caput Eccleſiæ & Chriſti Vicarium, eique ineſſe poteſtatem ferendi leges eccleſiaſticas; vel ſimpliciter ipſi denegando obedientiam ejuſque legibus obſervantiam abſque ullâ prorſus excluſione authoritatis ipſi à Chriſto conceſſæ: poſteriori caſu propoſitio eſt ſimpliciter ſchiſmatica; prioribus verò propoſitiones ſunt ſchiſmatico hæreticæ, quia & ſchiſma promovent & indubiam hæreſim continent. Romanis enim Pontificibus, inquit illuſtriſſimus Boſſuet. cap. 1. L. 1. defenſ. declarat Cleri Gallic. ab omnibus Chriſtianis debitam eſſe obedientiam fide conſtat, nec de eo ulla inter Catholicos controverſia eſſe poteſt.

Ad eorum quæ diximus circa propoſitionem ſchiſmaticam coronidem, obſervanda quæ à Theologis tradi ſolet Schiſmaticorum diſtinctio.

I. aliqui

I. aliqui pertinaciter negant caput in Eccleſiâ militanti viſibile cui ab omnibus Chriſtianis obedientia debita ſit, & iſti non ſolum ſunt formales Schiſmatici, ſed & formales Hæretici, ut conſtat ex Concilio Conſtantienſi damnante 41. Wicleſi articulum, *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere &c.* & ex Bullâ Martini V. ab eodem Concilio approbatâ.

II. alii confitentes ſupremum viſibile Eccleſiæ caput, cui omnes ac ſinguli Fideles obedire tenentur, in caſibus nihilominus particularibus debitam obedientiam ei præſtare pervicaciter detrectant, leges ab eo in bonum Eccleſiæ latas *cum rebellione quadam & pertinaciter* contemnentes; & hi Schiſmatici quidem in re ſunt, ac hoſtes unitatis eccleſiaſticæ, non tamen formales hæretici, quamdiu fidei integritatem ſervant, confitentes Apoſtolicam Chriſti Vicarii authoritatem, legitimamque beati Petri in ſupremo Eccleſiæ regimine ſucceſſionem.

III. denique alii Romani Pontifices primatum, & ipſi jure divino debitam obedientiam confitentur, ſed bonâ fide errant in dignoſcenda particulari perſonâ in qua authoritas illa reſideat; hique non formaliter, ſed materialiter duntaxat Schiſmatici dicendi ſunt, quatenus nempe nondum habitâ communi Eccleſiæ acceptatione plenè non conſtat quinam ſit præferendus ex his qui de ſupremo Pontificatu contendunt; Catholicorum aliquibus alterum venerantibus, alterum aliis, ut contigit in magno Occidentis ſchiſmate: quo tempore licet evidens in Eccleſia ſchiſma eſſet, non tamen, ſaltem ante Concilia Piſanum & Conſtantienſe, conſtabat, quinam dicendi eſſent formaliter Schiſmatici, cum certum non eſſet cuinam abſolutè deberetur obedientia, quod neceſſarium eſt ut quis cenſeatur formaliter Schiſmaticus in facie Eccleſiæ; dico, in facie Eccleſiæ, quia coram Deo eſſet formaliter Schiſmaticus, qui aliquem ex dubiis Pontificibus, ut certum indubitanter tenens, adhuc obedientiam ei pertinaciter negaret.

Quod ſpectat ad propoſitiones ſeditioſas, iis, cum debita propoſitione accommodari poſſunt, quæ de ſchiſmaticis diximus: ſolum inter eas propoſitiones hîc aſſignandum diſcrimen, non aliunde certe deſumendum, quam ex naturâ ipſiuſmet ſeditionis & ſchiſmatis: *Seditio* autem ex Angelico Doctore 2. 2. q. 42. art. 1. ad 2. *differt à ſchiſmate in duobus: primo quidem, quia ſchiſma opponitur ſpirituali unitati multitudinis, ſcilicet unitati eccleſiaſticæ: ſeditio autem opponitur temporali vel ſæculari multitudinis unitati, puta civitatis vel Regni. Secundo, quia ſchiſma non importat aliquam præparationem ad pugnam corporalem, ſed ſolum importat diſſenſionem ſpiritualem, ſeditio autem importat præparationem ad pugnam corporalem.*

Ex his facile patet ſeditioſæ propoſitionis quidditas, ipſiuſque à ſchiſmatica diſcrimen. Utraque tendit ad destructionem unitatis: ſchiſmatica pugnat adverſus unitatem eccleſiaſticam; ſeditioſa vero adverſus ſæcularem vel temporalem: illa non importat ex ſeſe niſi ſolam diſſenſionem ſpiritualem; hæc vero dirigitur ad præparandam etiam corporalem pugnam in civitatis vel Regni alicujus ruinam.

Igitur definiri poteſt propoſitio ſeditioſa, *ea quæ ab obedientia Principibus civilibus debita retrahit, aut ad tumultus in Republica excitandos conducit.* Ita de Lugo, de Laurea, author *Scrutinii* & alii: hanc definitionem accuratam eſſe conſtat ex notione ſeditionis à Doctore Angelico mox allata.

Exiſtimant nonnulli, quibus ex parte accedit de Lugo, propoſitiones ſeditioſas, niſi aliunde opponantur doctrinæ fidei, non videri dignas cenſurâ theologica, licet Eccleſia propoſitiones hujuſmodi meritò prohibere poſſit.

Verùm, inquit author *Scrutinii* cap. 6. art. 13. n. 20. præterquam quod prædicta limitatio ad doctrinam fidei magis reſtricta videatur, quaſi cenſuræ theologicæ propoſitionibus ad mores ſpectantibus adaptari non poſſent; certum eſt in Concilii Conſtantienſis decretis adverſus Joan. Wicleſi & Joan. Hus articulos, & in pluribus SS. Pontificum cenſuris in quibus propoſitiones ſub variis notis configuntur, certum eſt, inquam, his decretis uno & eodem tenore cum aliis notis propriè dictis ſcandaloſæ notam repetiri: quod aperto argumento eſt hanc eſſe veram ac proprè dictam theologicam notam. Unde in inſtructione quæ legitur ad calcem Concilii Tridentini, quæque ſervanda proponitur iis, *qui libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis diligentem ac fidelem (ut par ſit) operam ſunt daturi*; de nota ſeditioſæ æquè ac de aliis fit mentio, dum expurgandæ proſcribuntur propoſitiones hæreticæ, erroneæ, hæreſim ſapientes, ſcandaloſæ, piarum aurium offenſivæ, temerariæ, ſchiſmaticæ, ſeditioſæ, blaſphemæ &c.

Porro n. 23. obſervat idem *Scrutinii* author, propoſitionibus ſeditioſis jure adaptari poſſe quæ de ſcandaloſis dicta ſunt: ſcilicet aliæ ſunt ſeditioſæ ſuapte naturâ & objectivè, quæ nempe ex ſeſe ſeditionem promovent: aliæ vero ſunt quæ ſeditioſæ inſcribuntur, non ex intrinſeca ipſarum naturâ, ſed ex circumſtantiis extrinſecis; id eſt, vel ex proferentium ſeditioſè ſe gerentium qualitatibus, vel ab effectibus. Sic Act. 15. v. 1. docentibus quibuſdam fratribus de Judæa deſcendentibus, *quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſis, non poteſtis ſalvari*: mota mox ſeditio narratur, *facta ergo ſeditione non minimâ Paulo & Barnabæ adverſus illos*: unde doctrina illa potuit ſeditioſa inſcribi, non quod deſignaret aut promoveret ex ſeſe ſeditionem, ſed quod ejus occaſione orta revera ſeditio fuerit.

Addit ibidem Panotino, *quandoque eſſe poſſe propoſitiones quæ attento tenore nulla eſſent afficiendæ cenſura theologica, & nihilominus proſcribendæ veniunt, ſeu verius ſuſpendendæ, quod contentiones & ſeditiones earum prætextu futuræ prævideantur.* Quod autem ſpectat propoſitiones quæ ſui natura ſeditionem promovent, eas cenſura theologica affici poſſe, tanquam à veris morum regulis aberrantes, aſſerit & probat præfatus author momentis mox adductis.

Pro completâ ſchiſmaticæ & ſeditioſæ propoſitionum notitia nonnulla ſuperſunt obſervanda.

Primum, propoſitionem rebellem de qua quandoque mentio fit in cenſuris theologicis in eo differre à ſchiſmatica propoſitione, quod hæc eccleſiaſticæ Fidelium unitati adverſetur, utpote quæ populos removeat ab obedientia ſuorum paſtorum, & præſertim Romani Pontificis, cui omnes Chriſtiani jure divino parere tenentur: illa vero adverſùs ſæcularem unitatem pugnet, quatenus ab obedientia civilibus Principibus debita retrahit; in quo præcisè poſita eſt rebellio, juxta illud 1. Eſdræ 4. v. 19. *Civitas illa à diebus antiquis adverſus Reges rebellat.* Et 2. cap. 2. v. 19. *Quæ eſt hæc res quam facitis? Nunquid contra Regem vos rebellatis?*

Alterum, nonnihil diſcriminis eſſe propoſitionem rebellem inter & ſeditioſam. Equidem utraque,

que, ut obſervat Doctor Angelicus, *adverſatur temporali vel ſæculari multitudinis unitati*: verùm rebellis ſemper reſpicit diſcordiam & ſciſſuram in ordine ad obedientiam Principibus ſæcularibus debitam; quemadmodum ſchiſmatica importat ordinem ad inobedientiam in Paſtores Eccleſiæ, & præcipuè in Romanum Pontificem; ſeditioſa verò in ſuo conceptu temporalem duntaxat ſciſſuram civium à concivibus involvit, non ſpectato inobedientiæ erga Principes motivo.

Tertium, eandem propoſitionem poſſe ſimul eſſe ſeditioſam & rebellem, v. g. ſi promoveret inobedientiam in Principes, ſimul & diſponeret ac excitaret ad pugnam corporalem inter unam partem multitudinis & alteram, uti Numer. 26. v. 9. contigiſſe legimus, *Dathan & Abiron, qui ſurrexerunt contra Moyſen in ſeditione Core, quando adverſus Dominum rebellaverunt.*

Quartum, eandem pariter propoſitionem poſſe ſimul eſſe ſeditioſam & ſchiſmaticam, quoties nimirum ita promoveretur inobedientia in Romanum Pontificem, ut pariter excitaretur temporale diſſidium inter hæc, & illa membra: v. g. ſi quis diceret, *poſſe Fideles ſe à communione Fidelium ſeparare ratione obedientiæ quam hi præſtant Romano Pontifici exiſtenti in ſtatu peccati lethalis, etiam ineundo pugnam in ipſos*, propoſitionem ſchiſmaticam proferret, inobedientiam in Chriſti Vicarium promovendo; & etiam ſeditioſam, quia excitaret ad pugnam inter unam & alteram multitudinis partem. Quod enim dicit Doctor Angelicus, *ſchiſma ſpirituali unitati multitudinis, ſcilicet unitati Eccleſiaſticæ, ſeditionem autem temporali vel ſæculari multitudinis unitati civitatis vel Regni opponi*, non eſt intelligendum excluſivè; ita ut ubi occurrit repugnantia cum ſpirituali unitate haberi nequeat ſeditio; & ubi intervenit ſciſſura temporalis unitatis, intereſſe non valeat ſchiſma: ſed quod ſchiſma per repugnantiam & contrarietatem cum ſpirituali unitate conſtituatur; ſeditio verò per repugnantiam cum temporali: quæ oppoſitiones ſi ſimul conveneniant, & ſchiſma haberi poterit & ſeditio. Quâ fortè de causâ Card. de Lautea diſput. 16. de doct. de hæreſ. ſu p. art. 2. parag. 3. ſchiſmaticas ac ſeditioſas propoſitiones tanquam ſynonimas recenſet.

Quintum tandem quòd hîc venit obſervandum, iſtud eſt, nempe propoſitiones ſchiſmaticas non omnino coincidere cum propoſitionibus illuſoriis Juriſdictionis Eccleſiaſticæ. Illuſoria propoſitio ea eſt, inquit author *Scrutinii* cap. 6. art. 13. quæ poteſtatem & authoritatem Eccleſiæ propriam infringit vel imminuit, in laicas perſonas ſub fucatis præſertim ac artificioſis prætextibus eam transferens, vel ipſis communem efficiens. Tales fuêre, teſte illuſtriſſimo Boſſuet. Lib. 7. Variat. aſſertiones quibus in Anglicano ſchiſmate, Rex ſupremum Eccleſiæ caput conſtitutus eſt, ipſique plenitudo authoritatis Eccleſiaſticæ conceſſa. Unde, inquit loco citato n. 24. *Scrutinii* author, *omnis propoſitio illuſoria in ſe eſt ſchiſmatica, ſivè explicitè & formaliter, ſive ut minimùm virtualiter & illativè: non tamen omnis ſchiſmatica eſt illuſoria, quia non omnis inobedientia in Paſtores Eccleſiaſticos excitatio importat tranſlationem Juriſdictionis Eccleſiaſticæ in Laicos, in quâ ſita eſt illuſoriæ propoſitionis quidditas.*

De propoſitionibus blaſphemâ & impiâ.

I. Propoſitio blaſphema ea eſt quæ contra Deum, vel contra Deiparam, aut Sanctos, aut res ſacras convicium continet, illis debitas detrahendo perfectiones, vel indebitos affingendo nævos, aut ipſis deſiderando aut imprecando malum aliquod vel carentiam alicujus boni. Sic blaſphemus eſſet is, qui videns malos bonis affluere omnibus, Deum injuſtum diceret.

Preſſiùs definiri poteſt juxta doctrinam doctoris Angelici 2. 2. q. 13. art. 1. propoſitio blaſphema, ea quæ convicium & irreverentiam contra Deum continet; maledictio enim & contumelia in Sanctos aut res ſacras, nonniſi quia in Deum terminatur, blaſphemiæ rationem ſuſcipit. „Sicut Deus, *inquit* „*S. Doctor*, in Sanctis ſuis laudatur, in quantum lau„dantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit: ita & „blaſphemia quæ fit in Sanctos, ex conſequenti in „Deum redundat. *Et 2. 2. q. 26. art. 2. concluſio„nem hanc ſtatuit*: Creaturis irrationalibus male„dicere, ut Dei creaturæ ſunt ad rationalem creatu„ram ordinatæ, blaſphemia eſt: eis autem maledice„re ut in ſeipſis ſunt, illicitum eſt, cùm ſit hoc otio„ſum & vanum.

Propoſitio autem blaſphema, inquit de Lugo citatâ diſput. 20. de fide ſect. 3. n. 100. alia eſt hæreticalis, altera ſimplex.

Hæreticalis illa dicitur, inquit author *Scrutinii* cap. 6. art. 6. quæ hæreſim exprimit aut ſignificat, qualis eſt quælibet blaſphemia quâ vel affirmatur de Deo, quod ipſi repugnare, vel negatur aut in dubium revocatur, quod ipſi convenire fide conſtat: ſic v. g. qui Deum eſſe omniſcium, juſtum, providum &c. negaret. Sic prima è quinque famoſis Propoſitionibus ab Innocentio X. proſcriptis, *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia quâ poſſibilia fiant*, blaſphemiam hæreticalem continet; ſcilicet Deum eſſe injuſtum legiſlatorem, qui præcipiat quæ volentibus & conantibus ſunt impoſſibilia; unde tanquam blaſphema & hæretica damnata fuit. Quemadmodum autem blaſphemia dicitur hæreticalis ſi includat hæreſim, ita erit erronea ſi errorem contineat; ſuſpecta & ſapiens hæreſim ſi ſuſpicionem aut ſaporem hæreſis contineat, & ſic de aliis cenſurarum gradibus.

Simplex verò ſeu non hæreticalis, inquit idem author, ea eſt quæ etſi aliqualem contineat falſitatem quæ ſit contra fidem, non tamen eam expreſsè & diſtinctè enuntiat. Varia câ de re exempla profert Panormo loco citato.

Porrò propoſitio hæretica & blaſphema hæreticalis ſpecie diſtinguuntur: licet enim omnis blaſphemia hæreticalis ſit hæreſis; non ideo tamen omnis hæreſis eſt blaſphemia hæreticalis: ſic iſta propoſitio, *Nullum Sacramentum Eccleſiæ imprimit characterem*, eſt hæretica, quòd directè opponatur definitioni Tridentini Concilii Seſſ. 7. de Sacramentis Can. 7. non tamen eſt blaſphema, ſicut hæc alia; *Deus non eſt miſericors dum punit æternis cruciatibus momentaneam delectationem*, quæ eſt hæreticaliter blaſphema.

Ratio à priori diſtinctionis utriuſque propoſitionis hæc eſt, quòd ſcilicet blaſphemiæ hæreticalis quidditas ex ratione formali convicii in Deum ſit deſumenda: hæreſis verò ex præcisâ oppoſitione cum revelatis, quæ formaliter non importat injuriam & convicium, licet illativè & virtualiter illud contineat.

Monet *Scrutinii* author, blaſphemam propoſitionem non eſſe ſecernendam ab eâ quæ dicitur divinæ pietati derogans. Nempe, inquit, blaſphemiæ

quidditas in eo ſita eſt, quòd doctrina ſic affecta *importet*, ut loquitur S. Thomas 2. 2. qu. 13. art 1. in corp. *quandam derogationem alicujus excellentis bonitatis, & præcipuè divinæ*; propoſitio ergo blaſphema non debet ſpecie diſtingui ab eâ quæ derogativa eſt divinæ pietatis.

Nec obſtat quòd in cenſurâ quintæ Propoſitionis Janſenianæ, notæ iſtæ, blaſphema & divinæ pietati derogans enumerentur tanquam diſtinctæ notæ. Namque cùm per notâ blaſphemæ eſſentialiter exprimatur derogatio in divinam bonitatem, ut mox vidimus ex Doctore Angelico, conſequens eſt, ut cùm in hac Janſenii propoſitione poſt blaſphemam additur eſſe pietati divinæ derogantem, nihil aliud intendatur quàm explicatio derogationis in divinam bonitatem, & hæc ad particulare Dei attributum, pietatem ſcilicet divinam, applicatur: non novus ergo gradus cenſuræ denotatur, ſed idem ad determinatam materiam adaptatur.

Et verò nota blaſphemiæ & derogatio divinæ bonitatis per eam deſignatæ per accidens omnino ſe habet, ſive impetat divinam juſtitiam, vel divinam immenſitatem, vel etiam pietatem, quæ unà cum cæteris cujuslibet generis attributis, ſub divinâ bonitate comprehenduntur; ergo diverſi illi reſpectus ſpecificam ac formalem diſtinctionem inducere non poſſunt, aliàs propoſitio derogativa in derogativam divinæ juſtitiæ, ſapientiæ, omnipotentiæ, immenſitatis &c. tanquam in varias ſpecies eſſet ſubdividenda, quod patet eſſe falſum.

II. Quod ſpectat propoſitionem impiam: propoſitio ac doctrina impia, quatenus proprium cenſuræ gradum conſtituit, ea eſt, inquit Cardinalis de Laurea dictâ diſput. 16. de perſ. & doct. de hæreſ. ſuſp. art. 2. parag. 3. num 89. & ſeq. quæ pietatis opera deprimit ac depretiat, debitum ſcilicet cultum Deo, ut ſupremo omnium noſtrûm patri; honorem parentibus & ſanguineis, ſuperioribus & benefactoribus obſequia & debitam gratitudinem aufert aut imminuit.

Aptum habemus præ reliquis impiæ doctrinæ exemplum in eâ falsâ Phariſæorum traditione quæ refertur Matth. 15. quâ nempe, ut obſervat ſanctus Thomas 2. 2. q. 101. art. 2. Phariſæi *impediebant filios ne parentibus ſuſtentationem exhiberent*; ideoque ibidem à Christo redarguti his verbis: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem.... Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri vel matri: Munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem aut matrem ſuam, & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.*

Ex his patet contra nonnullos, maximè ex recentioribus, propoſitionem impiam diſtingui à blaſphemâ, præſertim hæreticali. Id conſtat 1. ex allatâ mox utriuſque propoſitionis definitione. 2. ex eo quod propoſitio impia non ſemper involvat hæreſim; aut ſi involvit, illam non reſpiciat tanquam ſui conſtitutivum: econtra verò blaſphemia hæreticalis neceſſariò continet hæreſim. 3. blaſphemia hæreticalis ad quodlibet divinum attributum ſeſe extendit; vel per negationem ejus quod ipſi competit, vel per ejus affirmationem quod repugnat: impia verò propoſitio reſpicit Deum duntaxat ſub ratione divinæ paternitatis, ac beneficiorum ex eâ nobis provenientium. Unde etſi quælibet propoſitio hæretica de divinis attributis formata blaſphema ſit, ſpectata ſub ratione convicii, per quod affirmatur aliquid ipſi repugnans, vel negatur ipſi competens, non tamen quælibet dici poteſt propriè impia, ſed illa ſola quæ debitum Deo ſupremo omnium patri obſequium imminuit ac lædit in præjudicium divinæ erga nos paternitatis, de quo conqueritur Dominus Malach. 1. v. 6. *Si ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus?* 4. dari poteſt propoſitio blaſphema, quæ ſpecificè impia minimè dici nequit. Sic v. g. impia non videtur propoſitio Græcorum negantium proceſſionem Spiritûs ſancti à Filio; per eam enim minimè negant Deo debitum obſequium, debitamque gratitudinem ob paternum erga nos amorem quem habet, & ob beneficia quæ in dies præſtat, ut miſericors Pater: blaſphema nihilominus eſt, utpote cùm neget Filio rationem principii reſpectu Spiritûs ſancti; neget Patri communicare omnia Filio præter eſſe Patris; neget tandem Spiritui ſancto, reſpicere Patrem & Filium, tanquam unicum ſui principium. 5. demum in variis cenſuris duæ illæ notæ tanquam re diſtinctæ recenſeantur. Sic 1. & 5. è quinque famoſis Propoſitionibus ceû impiæ ſimul & blaſphemæ proſcribuntur.

Præter propoſitionem impiam, quæ eſt ſtrictè loquendo cenſura Theologica, admittunt nonnulli propoſitionem non piam, quæ propriè cenſura Theologica non ſit, ſed eo exprimitur vocabulo, ob repugnantiam quam involvit cum oppoſitâ, cujus veritas quantumvis minimè revelata, nec certò Theologicè illata, nec abſolutè & ſimpliciter ac abſque formidine à Catholicis aſſerta, eſt tamen ex quodam pietatis inſtinctu habita ut vera, & proindè dicitur piè credita, quâ pietate minimè gaudens contraria, non pia quodammodo aſſeri poteſt, ſaltem relativè ad illam, quin tamen ullam in eâ impietatem, quæ ad cenſuram ſufficiat, contineri quiſquam aſſerere poſſit.

Talis eſt imprimis iſta propoſitio quam tuetur Suares Tom. 2. in 3. part diſput. 19. ſect. 4. nempè, *piè ac probabiliter credi poſſe B. Virginem in hac vitâ interdum elevatam fuiſſe ad videndum clarè divinam eſſentiam brevi tempore.* Quam eand. in opinionem propugnant ſanctus Antoninus 4. parte titulo 15. cap. 17. parag. 1. ſanctus Bernardus Homil. 4. in *Miſſus eſt.* Gerſo alphab. 15. titulo 8. & alphab. 88. titul. 9. &c. Negare ergo prædictum B. Virgini privilegium videri poteſt non pium, cùm illud appareat ex pietate in B. Virginem non ab uno, vel altero, ſed à pleriſque graviſſimis Theologis creditum & aſſertum: attamen ſicut nec iſtud revelatum divinitùs eſt, nec certitudine Theologica illatum, nec abſque ullâ in oppoſitum formidine propugnatum; ita nec ullam cenſuram Theologicam meretur propoſitio contraria, ſed ſolum dici poteſt non pia, ſeu non innixa pietati quæ probabiliter Deiparæ poteſt exhiberi.

De quibuſdam aliis propoſitionum cenſuris.

Hucuſque celebriores propoſitionum cenſuras fuſiùs proſecuti ſumus; jam nonnullæ quæ minùs præcipuæ ſunt, ac uſitatæ, compendioſiùs ſunt pertractandæ.

Primò, propoſitio injurioſa ſeu contumelioſa, ea eſt, quæ alicui vel perſonæ vel ſtatui injuriam infert: dixi, perſonæ vel ſtatui; nam ſi ſit in Deum, eſt blaſphema. Ad injurioſam autem revocantur juxta authorem *Scrutinii* cap. 7. art. 4. propoſitio maledica, detractiva & ſatyrica. Monet ibidem præfatus author, non omnes propoſitiones quæ convicia continent, injurioſas, contumelioſas, ſatyricas, (quatenùs his nominibus cenſura Theologica deſignatur) eſſe inſcribendas: niſi prædicta

convicia

convicia *vel injuſtam honoris vel famæ læſionem involvant : vel aliquo modo bonis moribus , & chriſtianæ diſciplinæ ſint contraria.*

Secundò, propoſitio captioſa eſt propoſitio quæ ſub ſpecie quadam veritatis aut pietatis in errorem inducit, qualis eſt iſta , *Non eſt impendendus cultus religionis Sanctis, ſicut Deo.* In cenſura Santarelli verſus an. 1629.

Tertiò, propoſitio verbo Dei contraria dicitur , quæ opponitur veritati revelatæ quidem , ſed nondum ut tali ſupremo Eccleſiæ judicio definitæ : uſurpata fuit hæc nota primùm à ſacra Facultate Pariſienſi, poſthac à Clero Gallicano in variis cenſuris.

Quartò , propoſitio improbabilis , eſt ea , quæ nullo Scripturæ , aut Traditionis teſtimonio , aut nullâ Theologicâ ratione nititur.

An autem improbabilitas ſit ſpecies cenſuræ quæ à temeritate diſtincta ſit, alii affirmant, alii negant , alii denique cum Panormo, quorum ſententia magis arridet , contendunt propoſitionem improbabilem coincidere cum propoſitione privativè temeraria, de qua ſupra diximus. Hujus poſtremæ opinionis veritas, ex utriuſque propoſitionis , improbabilis ſcilicet & privativè temerariæ definitionibus manifeſtè patet.

Quintò , propoſitio falſa à nonnullis dicitur illa , quæ eſt objecto ſuo diſſentiens , ſed diſſenſione fidei nociva.

Paulò aliter propoſitionem falſam definit author *Scrutinii* cap. 7. art. 10. n. 34. aſſerit nempè eam eſſe , quæ identitatem, propinquitatem , aut neceſſariam connexionem dicit cum propoſitione expreſsè damnata , quæcunque tandem ſit cenſura qua inuritur dicta propoſitio : & in hoc differt à nota erroneitatis quæ neceſſariam connexionem dicit cum propoſitione expreſsè damnata ut hæretica.

Si prior admittatur definitio, falſitas non erit nota Theologica à cæteris ſpecificè diſtincta ; ſed , ut advertit Suares diſput. 19. de fide ſect. 2. n. 1. falſitas ſic ſumpta ſe habet per modum generis reſpectu omnium propoſitionum quibus aliqua inuritur cenſura ; idque colligitur ex notione cenſuræ quæ generatim definitur, *Nota prava & maligna doctrinam immediatè afficiens.*

Si autem altera , quæ eſt Panormi & aliorum , ſeligatur definitio , jam falſitas non erit nota generica, ſed ſpecialis, & à cæteris diſtincta,

De hac falſitate quæ ſit nota Theologica hæc habet author *Scrutinii* pag. 535. quæ certè ſunt annotanda. *Patet autem quod ſic ſumpta* falſitas, *generica quædam cenſenda veniat nota , cunctis videlicet illis propoſitionibus adaptanda , quæ ex damnatis inferuntur & cum ipſis connexionem important , ſive damnatæ illæ ſint ut hæreticæ , ſive ut erroneæ , aut ſub alio cenſuræ gradu...... idque abſque præjudicio alterius notæ ſpecificæ , quæ alicui ex hujuſmodi connexis propoſitionibus poteſt competere , ut patet in propoſitione oppoſitâ alteri deductæ ex majori de fide , & alterâ naturaliter notâ , quam erroneam diximus inſcribendam.*

Et paulò poſt idem author exponens cur Pontifices in propoſitionum damnatione , quæ aliquando æquè ſunt falſæ , non de omnibus æquè exprimant falſitatem , ſic habet : *Quamquam verò falſa declarari queat aliqua propoſitio , non inde ſequitur quod ſemper ea denominatio ſit ei tribuenda , quoties ipſius eſt propoſitionis capax. Cum enim finis primarius Apoſtolicæ Sedis in proſcribendis pravis aſſertionibus ſit, earundem pravitatem ſufficienter patefacere , ad ipſius aſſecutionem minimè neceſſarium eſt omnes formalitates ejuſdem pravitatis expendere ac exponere ; ſed quandoque una aſſignatur , quandoque plures ob aliquod rationabile tunc vigens motivum , vi cujus tamen inferri non valeat , falſam non eſſe habendam propoſitionem , quæ falſa non definitur , quòd poſſit propoſitio alias cum damnatâ connexa , proſcribi ut* hæretica , erronea &c. *abſque prædictæ connexionis expreſſione.* Verùm de falſitate damnatarum propoſitionum dicemus Articulo ſequenti.

Comin. Prał. Theol. H. Tournely.

Nonnulli addunt propoſitionem damnabilem , quam definiunt , *quæ prohiberi debet , abſtrahendo à ſpeciali cenſuræ notâ quâ affici poteſt.* Tribus autem de cauſis , inquiunt , propoſitio dici poteſt damnabilis. 1. quoties adeſt fundamentum ei inurendi aliquam ex ſupra recenſitis cenſuris. 2. cùm certam inurit cenſuram alteri propoſitioni , quæ licet ſit falſa, non meretur tamen talem cenſuram. 3. cùm oppoſitam propoſitionem licet falſam, rejicit nimis injurioſè.

Sunt & aliæ quædam notæ diverſis in cenſuris expreſſæ, ut quòd propoſitio ſit arrogans, aſpera, averſiva à fide, ſuperſtitioſa &c. Verùm cùm illæ ſint minùs uſitatæ, & ad ſupra recenſitas commodè revocari poſſint, earumque notio nullam fermè pariatur difficultatem , ab ampliori enumeratione & expoſitione libenter abſtinebimus. Non inutile tamen erit nec fortè injucundum , proſpectum alphabeticum hic exhibere omnium fermè cenſurarum quæ à Conciliis, SS. Pontificibus , nec non à theologicis Facultatibus fuerunt uſurpatæ. Eas ex authore *Scrutinii* extrahemus.

1. Abrogata.
2. Acerba.
3. Æquivoca.
4. Ambigua.
5. Amphipologica.
6. Antiquata.
7. Apocripha.
8. Arrogans.
9. Aſpera.
10. Averſiva à fide, à ſuſcipiendâ Religione Chriſtiana.
11. Anxia.
12. Blaſphema.
13. Captioſa.
14. Contumelioſa.
15. Damnata.
16. Decolorativa candoris Eccleſiæ.
17. Deducta ex cenſuralibus.
18. Denigrativa puritatis fidei.
19. Detogativa pietatis divinæ.
20. Detractiva.
21. Diverſiva à ſuſceptâ Religione chriſtianâ.
22. Dubia.
23. Erronea.
24. Everſiva Regnorum.
25. Falſa.
26. Hæretica.
27. Idololatrica.
28. Illuſoria Juriſdictioni Eccleſiaſticæ.
29. Impia.
30. Improbabilis.
31. Imprudens.
32. Infidelis.
33. Infideliter allegans verba ſacræ Scripturæ.
34. Inſana.
35. Injurioſa.
36. Irreverens.
37. Magica.
38. Maledica.
39. Malè ſonans.
40. Minùs probabilis.
41. Miſcens ſacra prophanis.
42. Nova.
43. Obſcura.
44. Offenſiva piarum aurium.
45. Periculoſa in fide.
46. Periculoſa in moribus.
47. Pernicioſa.
48. Præſumptuoſa.
49. Prava.
50. Proxima hæreſi.
51. Rebellis.
52. Reſtrictiva mentaliter.
53. Sapiens hæreſim.
54. Satyrica.
55. Scandaloſa.
56. Schiſmatica.
57. Scrupuloſa.
58. Seditioſa.

59. Seductiva.
60. Simulativa Sacramentorum.
61. Sortilega.
62. Stulta.
63. Subſannativa Religionis Chriſtianæ.
64. Superſtitioſa.
65. Suſpecta de hæreſi.
66. Suſpenſiva gravis reſolutionis.
67. Temeraria.
68. Tentativa Dei.
69. Verbo Dei contraria.

Celebriores & magis uſitatas harum cenſurarum ſpecies expoſuimus: aliarum verò ſi quo modo poteſt eſſe utilis earum notitia, ex ſola vocum interpretatione haberi poteſt. Satis ſit hic obſervaſſe, ex his poſtremis nonnullas eſſe quæ vix aut nullatenus ſint in uſu; aliàs verò *quæ*, ut advertit Lorca 2. 2. q. 11. art. 12. diſput. 40. a 1. *ſi rectè attendantur, potiùs continent notam criminis circa mores, quàm notam erroris circa veritatem, & propterea ſecundùm ſe non videntur ad judicium & cenſuram fidei pertinere...... ſed utcunque ſit, illud eſt certum, nunquam has notas conſiderari ſeparatas à præcedentibus, quæ ad qualitatem falſitatis ſpectant: ſemper enim aſſertio quæ aliquâ ex his cenſuris digna eſt, aliam ſimul habet ex parte erroris; & iſtæ ſunt quaſi circumſtantiæ aggravantes.*

ARTICULUS III.

De objecto cenſuræ Theologicæ.

QUæ præſenti Articulo & ſubſequentibus expendenda veniunt, hæc ad Tractatum de Eccleſiâ jure pertinent, eaque ibi ex profeſſo evolvemus: verùm cùm hæc eadem exactam ingrediantur cenſuræ Theologicæ notionem, à brevi claráque principiorum expoſitione hic abſtinere noluimus. Itaque.

Circa objectum cenſuræ theologicæ quinque expendemus.

I. An cenſura Theologica cadat in ipſos præcisè propoſitionis terminos & in ipſa verba quorum uſum merè prohibeat; an verò potiſſimum afficiat ſenſum atque doctrinam verbis expreſſam quam damnet ac configat.

II. An damnari poſſint propoſitiones quæ in Scripturis verbis expreſſis aut ſaltem æquivalentibus reperiuntur.

III. An proſcribi poſſint propoſitiones quas ad nos uſque tranſmiſit veneranda Patrum Traditio.

IV. An damnari poſſit propoſitio vera in ſenſu proprio & naturali.

V. Tandem an propoſitiones merè æquivocæ, quæque catholicum perinde ac heterodoxum ſenſum exhibent, ſimpliciter & abſolutè configi poſſint. Hæc totidem aſſertionibus obiter abſolvemus.

Dico itaque 1. cenſuram Theologicam non cadere in ipſos præcisè propoſitionis terminos ipſaque verba, quorum uſum merè removeat: aſt afficere potiſſimùm propoſitionum ſenſum, & doctrinam verbis expreſſam quam configit ac diffamat.

Probatur 1. ex conſtanti SS. Patrum doctrinâ: unum aut alterum eorum teſtimonium hic laudaſſe ſatis ſit. S. Hilarius Lib. 4. de Trinit. n. 14. *Intelligentia dictorum*, inquit, *ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, quia non ſermoni res, ſed res eſt ſermo ſubjectus.* Et S. Ambroſius Lib. de fide: *Littera errorem non habet, apices ſine crimine ſunt, ſenſus in crimine.* Senſus ergo propoſitionis verbis ipſis expreſſus, præcipuum eſt cenſuræ Theologicæ objectum, quæ proinde doctrinam diffamat, nec mera terminorum prohibitione conſiſtit.

Probatur 2. ex ipſâ ſingularum notarum notione quâ conſtat eas in ſenſum & doctrinam cadere. Vide quæ hanc in rem Articulo 1. & 2. diximus.

Idipſum conſtanter docent Theologi. *Cenſura Theologica*, inquit author *Scrutinii*, *eſt nota prava & maligna quæ immediatè tribuitur doctrinæ.* Lorca 2. 2. q. 11. diſput. 40. *Notiſſimum eſt à Theologis notari propoſitiones & dogmata quædam, quæ præter id quod falſa ſunt, habent aliquid cenſura dignum, eo quòd aliquatenus ſanæ doctrinæ adverſantur.* Addit ibidem Lorca: *Id uſû ſanctæ Inquiſitionis, & longè antea ex praxi Concilii Conſtantienſis Seſſ. 8. receptum eſt.* Ripalda diſput. 1. de ente supernat. ſic habet: *Cenſura Theologica damnat doctrinam...... & in falſitate quam ſupponit notat documentum doctrinæ ad pietatem pertinentis.* Idem tradunt Cajetanus, Salmaticenſes, & alii ſupra citati.

Probatur 3. ex lato diſcrimine quod intercedit abſolutam propoſitionum damnationem inter & nudam iiſdem utendi prohibitionem. Primum, verum eſt judicium dogmaticum quod perverſam propoſitionis doctrinam diffamat: alterum verò, mera eſt diſciplinæ lex quæ non ipſam propoſitionis doctrinam reſpicit, ſed illius duntaxat uſum prohibet. De quo conſule quæ dicta ſunt parag. 2. & 3. Articuli 1.

Dixi in aſſertione, cenſuram non cadere in ipſos præcisè terminos, in ipſa præcisè verba: nemini enim dubium quin cenſura cadat, etſi minùs præcipuè, in ipſa propoſitionis verba; ſiquidem, ut habet tritum illud quod ex S. Hieronymo in Epiſt. ad Damaſum refert Magiſter in 4. diſt. 13. & communis ſententia, *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis.* Unde Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. v. 20. in perſona Timothei ſingulos alloquens Epiſcopos, ſic habet: *Depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates.* Et rurſus 2. ad Timoth. cap. 1. *Formam habe ſanorum verborum.*

Dico 2. damnari non debere propoſitiones verbo ad verbum ex Scripturis expreſſas. Adeò videtur evidens iſta veritas, ut in ea probanda diutiùs immorari ſuperfluum foret: hæc quippe reverentia debetur Spiritui ſancto, qui Scripturæ propoſitiones uſurpando perpetuum determinavit earum ſenſum. Rejiciatur ergo venenoſa doctrina, at ſacrata Dei afflatu verba illæſa maneant.

Equidem cùm Novatores certis quibuſdam Scripturæ vocibus aut propoſitionibus abutuntur, earum uſu, aut abſolutè ad tempus, aut niſi quaſdam adhibeant modificationes, prout opportunum judicaverit, Fideles interdicere poteſt Eccleſia: aſt voces illas ſimpliciter & abſolutè neutiquam damnat. Sic fervente Arianorum hæreſi, nolebat S. Hilarius ea uſurpari Scripturæ verba, *Chriſtus natus ex Mariâ Virgine*, niſi ſimul adderentur & iſta, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Sic habet S. Doctor Lib. de Synodis n. 70. *Nemo itaque à nobis unam ſubſtantiam negari putet, cujus idcirco ratio oſtenditur, ne negetur, ... Non enim audio, Chriſtus ex Mariâ natus eſt, niſi audiam, In principio erat Verbum: .... Non audiam Sitivit, niſi audiam, Qui biberit de aquâ quam dedero ei non ſitiet in æternum: .... Non audiam, Chriſtus mortuus eſt, niſi audiam, Reſurrexit. Nihil ſolitarium ex divinis Sacramentis ad ſuſpicionem audientium & ad occaſionem blaſphemantium proferamus ...... non eſt una Patris & Filii neganda ſubſtantia, ſed nec irrationabiliter prædicanda.*

Quod autem diximus de propoſitionibus totidem

dem veibis ex Scripmris extractis, id prnpoſitione ſervatâ, dicendum videtur de aiiis propoſitionibus, quas conſtat omnino ſynonimis, aut quoad ſenſum æquivalentibus verbis ex Scripturâ cxpreſſas eſſe. An autem verba illa verè ſint ſynonima & quoad ſenſum æquivalentia, penès eſt Eccleſiam judicare.

Dico 3. damnari etiam non debere propoſitiones ſeu terminos quos ad nos uſque velut teſſeram fidei tranſmiſit veneranda Patrum Traditio. Promptum eſſet iſtud Scripturæ, Conciliorum, SS. Patrum teſtimoniis, multiplicique ratione Theologicâ comprobare, niſi res per ſeſe pateret. Satis ſit hic retuliſſe egregium eâ de re S. Agathonis teſtimonium quod habetur Tom. 6. Concil. pag 668. *Sanctorum Patrum teſtimoniis*, inquit ſanctus ille Pontifex in Epiſtolâ ad Leonem Imperatorem, *tanquam radiis ſpiritualibus Eccleſia Catholica atque Apoſtolica doctrina illuſtrata eſt*. Et turſus in eadem Epiſtolâ paulò poſt antea dixerat: *Enim verò ex Patribus orthodoxa fides veritas claruit.*

Eximium & illud eſt S. Athanaſii Lib. de Synod. pag. 908. ubi veterandam Patrum authoritatem eleganter commendat, ſimul & quæ adversùs eam ex abuſu & ſcandalo Hæreticorum opponi ſolent, nervnsè ſugillat: *Hic enim dicunt*, inquit, *vocabula ex ſubſtantiâ & conſubſtantiale ſibi non placere, & voces quoſdam ſcandaliſaſſe, & multos conturbaſſe.... Quid ſi Ariani ſunt quibus iſta offenſio naſcitur, quid mirum ſi indignantur iis qui eorum hæreſim de medio tollunt? quibus verba non ſcandalum ſed dolorem afferunt, quoniam in illis tropheum de eorum hæreſi ſtatuitur. Deſinite igitur iſtiuſmodi cauſificationibus contra Patres grunnire; alioquin reſtat ut etiam crucis Domini obmurmuretis, quoniam ea Judæis ſcandalum eſt...... Cæterùm quemadmodum crux malum non eſt..... ita quoque Patrum verba mala non ſunt, ſed utilia iis qui legitimè ea perlegunt, vimque in ſe continent omnis hæreſis extinguendæ, etiamſi Ariani inde rumpantur.* Quibus verbis nihil ad propoſitum noſtrum dici poteſt expreſſiùs. His gemana ſunt illa S. Hilatii Lib. de Synodis novæ edit. pag. 1205. Idem diſertè aſtruunt Pattes Concilii XV. Toletani quorum verba referuntur Tom. 6. Conc. pag. 1303.

Atque hinc colliges, voces, *homoouſion*, *Theotocos*, aliaſque ſimiles (idem dicendum de propoſitionibus) Eccleſiæ uſu ac conſtanti Patrum Traditione conſecratas, ab omni prorſus notâ eximi debere.

Dixi, (quod obſerva) conſtanti Patrum Traditione conſecratas: neque enim apparens aut etiam vera propoſitionis ab aliquo receutiore aſſertæ conſonantia cum terminis ac vocibus unius aut alterius è SS. Patribus ſufficit ad propoſitionem ab omni cenſurâ eximendam.

Idipſum conſtauter tradunt SS. Patres: Satis ſit hic unum aut alterum eâ de re exſcribere teſtimonium.

S. Auguſtinus, Pelagianos Patrum Græcorum, ac præſertim S. Chryſoſtomi textibus abutentes, ſic revincit Lib. 1. contra Julianum cap. 6. n. 22. *Diſputans* (Chryſoſtomus) *in Eccleſiâ Catholicâ, non ſe aliter intelligi putabatur: tali quæſtione nullus pulſabatur, vobis nondum litigantibus ſecuriùs loquebatur.* Et n. 23. compellans S. Chryſoſtomum de cujus authoritate gloriabatur Julianus, ſic ait: *Opus eſt tuâ maximè ſententiâ, quoniam in tuis litteris iſte juvenis* (Julianus) *inveniſſe ſe putat, unde tot tantorumque Coepiſcoporum tuorum ſe arbitratur percellere & evacuare ſententias. Quòd ſi verè tale aliquid inveniſſet, & quod ipſe ſentit, te ſentire claruiſſet, nunquam te unum, pace tuâ dixerim, tot & talibus præ-*

Contin. Præl. Theol. H. Tournely.

ferre ineâ causâ poſſemus, de quâ nunquam fides Chriſtiana & Eccleſia catholica variavit.

Vincentius Lyrinenſis Commonit. 1. declarans quibus conditionibus amplectendæ ſint SS. Doctorum ſententiæ, ſic habet: "Eorum duntaxat Patrum „ſententiæ conferendæ ſunt, qui in fide & communione catholicâ..... moti feliciter meruerunt. Quibus tameo hac lege credendum eſt, ut quidquid „vel plures vel omnes, uno eodemque ſenſu manifeſtè, frequenter, perſeveranter, velut quodam ſibi „conſentiente magiſtrorum conſilio, accipiendo, „tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, „certo ratoque habeatur: quidquid verò quamvis „ille ſanctus & doctus, quamvis Epiſcopus, quamvis „Confeſſor & Martyr, præter omnes, aut etiam „contra omnes ſenſerit, id inter proprias & occultas „& privatas opiniunculas, & communis, publicæ & „generalis ſententiæ authoritate ſecretum, nec cum „ſummo æternæ ſalutis periculo, juxta ſacrilegam „Hæreticorum & Schiſmaticorum conſuetudinem, „univerſalis dogmatis antiquitate dimiſſa, unius hominis novitium ſectemur authorem.

Non ergo conſenſio cum uno aut altero è ſanctis Patribus certum eſt veritatis argumentum, nec ipſa ſemper ſufficit ad propoſitionem à cenſurâ vindicandam: ad id requiritur ut conſenſus ille manifeſtus ſit, frequens, perſeverans, omnium vel plurium, *velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum conſilio firmatus*: quod totum paucis his verbis ibidem complexus eſt Vincentius Lyrinenſis, *quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus.*

Et verò quemadmodum cap. 11. Commonit. 1. advertit idem Vincentius, moris ſemper fuit apud Hæreticos authoritate & involutis nonnullorum SS. Patrum verbis, avulſis è ſerie operis, & in ſenſum alienum detortis ſuam ſtabilire doctrinam. Scilicet Patres, inquit S. Hieronymus Lib. 2. Apolog. contra Ruff. pag. 409. & ſeq. novæ edit. ante exortas hæreſes quandoque minùs cautè loquebantur, & Catholici in Eccleſia Catholicâ intelligebantur; verùm Hæretici aſſumptis verbis mutato ſenſu, propoſitiones in ſpeciem Patrum propoſitionibus ſimillimas proferunt: ut ergo confodiatur perverſum dogma, Eccleſia propoſitiones nonnullis Patrum propoſitionibus quoad verborum texturam æquivalentes damnat, ne Patrum doctrinam amittat. Ita inter cæteros illuſtriſſ. Boſſuet. Præfatione in Mandatum Paſtorale Archiepiſcopi Cameracenſis ſect. 11. pag. 176. ubi ſic habet doctiſſimus Præſul: "Il „doit avant toutes choſes poſer comme un principe „inconteſtable, que quelque honneur que rende „l'Egliſe aux Saints Canoniſes, c'eſt toujours une „fauſſe regle, qu'on n'oſeroit condamner ce qu'on „trouve dans leurs écrits..... l'Egliſe en les canoniſant n'a pas prétendu adopter ni garentir tous „leurs ſentimens...... on a condamné dans Baius des „expreſſions expreſſes de S. Auguſtin dont il abuſoit. Eas ſcilicet propoſitiones in ſenſus extraneos, atque à mente S. Doctoris prorſus alienos detorquendo, quo fiebat ut propoſitiones in ſcriptis S. Auguſtini veriſſimæ, mutato naturali earum ſenſu ex circumſtantiis locorum, temporum, perſonarum, nec non ex antecedentibus & conſequentibus in libris Novatorum evaderent falſæ ac cenſurâ dignæ. Ibidem concludit illuſtriſſimus author his verbis: "En ces occaſions on ſe donne „la reſpectueſe liberte de préferer aux Saints, non „pas ſes ſentimens particuliers; mais ceux d'autres Saints, où la verité s'eſt plus purement „conſervée.

Et turſus in Scripto cui titulus: *Ecrit de feu M. Boſſuet intitulé*, Les paſſages éclaircis contre M. de

Cambray. ſic habet : *Les doctes ſçavent que les Ariens avoient des paſſages des ſiecles precedens le Concile de Nicée contre la divinité du Fils de Dieu, auſſi apparens & en auſſi grand nombre que ceux que l'on nous objecte. Mais ſans s'étonner ni de leurs expreſſions, ni de leur fauſſeté, ni de leur nombre, l'Egliſe a ſçu diſtinguer le fond qui a toujours été conſtant, d'avec les expreſſions qui n'ont pas toujours été également precautionées..... avant les diſputes on peut être beaucoup moins précautioné que depuis qu'elles ſont émues.*

Vera itaque ac omnimoda propoſitionum conſonantia quoad texturam ac ſeriem verborum, imò etiam quoad ſenſum, cum propoſitionibus unius aut alterius è SS. Patribus, non ſemper obſtat quin dictæ propoſitiones falſæ ſint & cenſurâ dignæ : ut ergo præfata propoſitionum conformitas certum ſit earum veritatis argumentum, eaſque à cenſurâ abſolvere poſſit, requiruntur inſuper nonnullæ conditiones quas hic advertere ſummoperè neceſſarium eſt.

Requiritur 1. ut non in tranſcurſu duntaxat & quaſi aliud agendo, aut ex aliorum ſententia & opinativè tantùm ; ſed ex profeſſo & data opera, atque aſſertivè ex propria mente ac doctrina, rem ipſam pertractarint. Primæ hujuſce conditionis neceſſitas ex ſeſe patet, eamque expreſsè laudant quicunque de Critices regulis egêre.

Requiritur 2. ut certum ſit in præſenti materia non erraſſe Patres illos quorum authoritate & teſtimonio firmantur dictæ propoſitiones. Iſta conſtant ex adductis mox Vincentii Lyrinenſis & S. Auguſtini teſtimoniis. Id etiam colligitur ex Concilio V. generali, cujus verba referuntur Seſſ. 5. Concilii Lateranenſis ſub Martino I. Tom. 6. Conc. Labb. pag. 271. *Super his autem*, inquiunt Patres, *in omnibus ſequimur ſanctos Patres Doctoreſque Eccleſiæ, Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Theologum &c..... ſuſcipimus autem & alios ſanctos & orthodoxos Patres qui in ſanctâ Dei Eccleſiâ rectam fidem irreprehenſibilem uſque in finem prædicaverunt.*

Requiritur 3. ut horumce Patrum doctrina laudata fuerit & approbata ab Eccleſiâ, iique conſtanter habiti ut ſtrenui fidei defenſores circa materiam de quâ agitur. Hujus generis fuêre anathematiſmi S. Cyrilli adverſus Neſtorium in Concilio Epheſino approbati ; dogmatica S. Leonis Epiſtola in Concilio Chalcedonenſi confirmata; SS. Athanaſii, Hilarii, Baſilii, utriuſque Gregorii, Ambroſii, Auguſtini opera, in cauſa Origenis & trium Capitulorum, à Concilio V. generali comprobata. Citra ſpecialem hanc Eccleſiæ approbationem nullus eſt, etiam è doctioribus & ſanctioribus Eccleſiæ Patribus, qui, pro humana conditione, errare non potuerit : nullus de quo cum S. Auguſtino Epiſt. 82. ad S. Hieronymum aliàs 19. nu. 13. dici non poſſit ac debeat : "Ego enim fateor charitati tuæ, ſolis eis Scripturarum Libris, qui Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum authorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam. Ac ſi aliquid in eis offendero litteris, quod contrarium videatur veritati ; nihil aliud quam vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem quia ipſi ita ſenſerunt ; ſed quia mihi vel per illos authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à verò non abhorreat, perſuadere potuerunt." Hinc Concilium Tridentinum Seſſ. 4. tradit, non ex unius aut alterius, ſed ex unanimi duntaxat SS. Patrum teſtimonio, certum ac indubitatum erui argumentum ad ſtabiliendum dogma, aut errorem impugnandum.

Requiritur 4. ut propoſitiones aut verba ex Patribus extracta eo ipſo intelligantur ſenſu quo à Patribus uſurpata fuerunt. Conditionem hanc exigit S. Hieronymus Lib. 2. Apolog. jam citatæ contra Ruffinum pag. 409. & 411. novæ edit. eaque ratione ſanctos Patres qui ante Arianorum tempora ſcripſerant, & quorum teſtimoniis abutebantur Ariani, vindicat S. Doctor : *Fieri enim poteſt*, inquit, *ut vel ſimpliciter erraverint, vel alio ſenſu ſcripſerint, vel à Librariis imperitis eorum paulatim ſcripta corrupta ſint, vel certè antequam in Alexandriâ tanquam dæmonium meridianum Arius naſceretur, innocenter quædam & minùs cautè locuti ſint, & quæ non poſſint perverſorum hominum calumniam declinare.*

Requiritur tandem 5. ut dictarum propoſitionum ſenſus ex circumſtantiis locorum, temporum, perſonarum &c. aut ex antecedentibus & conſequentibus immutatus non fuerit : exceptis enim verbis & propoſitionibus venerandâ Scripturarum authoritate, aut conſtanti Patrum Traditione conſecratis, in quibus Scripturæ & Traditionis uſus ſuperior eſt, ac proinde cuilibet alteri, in his quæ Religionem ſpectant, prævalere debet, alia verba, aliæ propoſitiones, ut mox dicemus, uſu conſtanti & univerſali, qui eſt ſumma acceptionis terminorum regula, quoad ſenſum mutari poſſunt : ſicque certæ quædam propoſitiones à SS. Patribus innoxiè ac catholicè aſſertæ, poſtmodum uſu conſtanti ad pravum ſenſum deductæ, falſæ evadere poſſunt ac cenſurâ dignæ ; tuncque ab Eccleſiâ meritò damnantur : in proſcribendis enim propoſitionibus, non ad eum quem olim ſenſum habuerint propoſitiones, attendit Eccleſia ; ſed ad eum quem hic & nunc obtinent. Verùm (quod obſerva) non eadem tunc remanet, ut ſupra diximus, propoſitio formaliter, ſeu quoad ſenſum ; ſed materialiter duntaxat, ſeu merè quoad ipſos terminos ipſaque verba.

Quòd autem exceptis propoſitionibus Scripturæ uſu aut conſtanti Patrum Traditione conſecratis, aliæ quoad ſenſum mutari poſſint, univerſali ſcilicet uſu, atque adeò ex ſanis & catholicis evadere poſſint falſæ & heterodoxæ.

Conſtat 1. variis exemplis ex Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ petitis, quibus patet certas quaſdam propoſitiones variis temporibus diverſam ſortem tuliſſe ; adeò ut uno tempore approbatæ, altero verò improbatæ ac rejectæ. Satis ſit hic indicaſſe voces iſtas, *homo deifer*, *homo deificatus*, *homo dominicus*, à SS. Athanaſio, Gregorio Nazianzeno, Auguſtino &c. ante exortam Neſtorii hæreſim innoxiè ac catholicè non ſemel uſurpatas : jam verò periculoſæ eſſent & cenſura dignæ, quòd Neſtorianum errorem aut involvant, aut non ſatis excludant. Quin & ipſe S. Auguſtinus voces iſtas, *homo dominicus*, quibus quandoque uſus fuerat, poſtmodum in Libris Retractationem damnat ac rejicit.

Conſtat 2. ex ſacra Facultate Pariſienſi, quæ an. 1696. quatuor proſcripſit propoſitiones extractas ex Lib. cui titulus, *La myſtique cité de Dieu &c.* in quibus aſſerebatur Angelos & Sanctos beatam Virginem adoraſſe : in eo autem præcipuè fundatur dicta cenſura, quòd licet adorationis nomen quandoque

doque in Scripturis & nonnullis SS. Patribus uſurpetur pro honore creaturis debito, jam tamen ex Eccleſiæ uſu terminus ille uſurpatur ad ſignificandum ſupremum cultum ſoli Deo debitum. En cenſuræ Pariſienſis verba: *Licet adorationis nomen æquivocè ſumatur, & aliquando in Scripturis & nonnullis SS. Patribus pro honore creaturis debito uſurpetur, tamen cùm ex Eccleſia uſu terminus ille uſurpari debeat ad ſignificandum ſupremum cultum ſoli Deo debitum, nec poſſit ſine periculo ſcandali creaturis communicari; hæ propoſitiones, quatenus eodem adorationis termino cultum exprimunt exhibitum vel exhibendum Beatiſſimæ Virgini, quo ipſi Deo exhibitus ab authore exprimitur, ſcandaloſæ ſunt & in errorem inducentes; quatenus autem ſanctiſſimam Virginem adoratam ab Angelis ſtatim ut ipſi creati ſunt, & ſtatim atque ipſa nata eſt, tùm etiam adoratam in throno Altiſſimi, reſpectivè temerariæ ſunt & falſæ.* Judice ergo ſacra Facultate Pariſienſi, vox ex ſeſe ad varios ſenſus indifferens, ad oonum præ alio ex Eccleſiæ oſo determinari poteſt.

Conſtat 3. quia proprius ac naturalis propoſitionum ſenſus plurimùm dependet ex conſtanti ac generali oſu, qui eſt ſumma acceptiotis terminorum regula, juxta illud Poëtæ, *Quem penès arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi*; ergo in his propoſitionibus quæ nec Scripturæ, nec Traditionis autboritate firmatæ ſunt, proprius earum ſenſus communi ac diuturno uſu mutari poteſt, & ad ſignificandam rem omnino oppoſitam transferri.

Eandem veritatem tradunt plerique è recentioribus: inſtar omnium ſatis ſit hic retuliſſe teſtimonium authoris Libri cui titulus, *De la perpetuité de la foi.* Tom. 3. pag. 29. ubi hæc habentur: *A quoi penſe M. Claude quand il a mis au rang de ſes principales preuves contre la préſence réelle, la remarque qu'il fait que les Peres nous diſent que ce ſont des types, des images, des figures? ...... Car comme il y a de ces mots que l'héréſie des Sacramentaires à rendu obſcux, c'eſt une eſpece d'infidelité de rendre un mot qui n'etoit point odieux du tems des Peres, & qui excitoit l'idée entiere de tout ce qui eſt contenu dans ce myſtere, par un mot qui n'ayant que le même ſens ſelon le ſon, n'eſt plus le même ſelon le ſens.* Immutatis ergo ipſis propoſitionis terminis, mutari poteſt pro diverſitate circumſtantiarum ipſius ſeoſus.

Ex dictis itaque patet prætenſam propoſitionum conſonantiam quoad verba, imò quoad ſenſum, cum propoſitionibus unius aut alterius è SS. Patribus, non poſſe ſemper eam à cenſurâ eximere.

Dico 4. nullatenus poſſe damnari propoſitionem in ſeoſu proprio & naturali veram, nec ullo affectam vitio intrinſeco.

Antequam probetur aſſertio, obſerva 1. terminorum ac propoſitionum ſenſum ex triplici potiſſimum capite colligi. 1. ex uſu conſtanti & univerſali; ipſe enim, ut mox diximus, ſumma eſt acceptionis terminorum regula, 2. ex antecedentibus & conſequentibus: namque licet termini freqoenti uſu ad certam ſignificationem determinentur, attamen dùm ſibi adhærent varias patiuntur notiones, diverſoſque ſenſus exhibere poſſunt; ad unum autem præ cæteris determinantur per antecedentia & conſequentia. 3. ex inteotione authoris nota & conſtanti: etenim termini ita ab uſu dependent, ut tamen liberæ authoris acceptioni ſubjici poſſint: undè fit, ut tradit S. Ambroſius Epiſt. 48. *quòd ſermonem dubium mens non dubia obumbret & defendat a lapſu.* Et ut habetur cap. *Intelligentia.* Extrâ. De verborum ſignificatione. *Verba ſunt intelligenda, non ſecundùm quod ſonant, ſed ſecundùm mentem proferentis.*

Obſerva 2. ex his ſequi duplicem poſſe diſtingui propoſitionis cujuslibet ſenſum; grammaticalem nempè ſeu rigoroſum; & proprium, id eſt, naturalem. Senſus grammaticalis ſeu rigoroſus, quem nonnulli abſolutum appellaot, repetitur ex terminis in ſe ſumptis, abſtrahendo à quolibet alio reſpectu; & hic ſenſus à proprio & naturali non rarò planè diverſus eſt: ſenſus proprius & naturalis, quique dicitur relativus & obvius, deducitur ex tribus mox recenſitis, ſcilicet, 1. ex valore, ſeu vi & ſignificatione termioorum communi & ordinario uſu determinatâ. 2. ex antecedentibus & conſequentibus. 3. ex nota ac manifeſta authoris intentione, ſeu, quod idem eſt, ſenſus proprius & oaturalis verborum dijudicatur ex circumſtantiis loci, temporis, cauſæ, antecedentium & conſequentium, atque ſcopi quem author ſibi proponit dùm hæc verba uſurpat.

Obſerva 3. in propoſitionibus modalibus duo ſedulò eſſe diſtinguenda; dictum ſcilicet, & modum: dictum, eſt id quod enuntiat propoſitio: modus autem eſt ipſa ratio ſeu modus quo aliquid enuntiatur: porrò, ut antea advertimus ubi de propoſitione temerariâ, fieri poteſt ut propoſitio vera ratione dicti, falſa ſit ac vitioſa ratione modi ac proindè cenſuræ obnoxia. His præmiſſis

Probatur 1. aſſertio ex conſtanti ac perpetuo Eccleſiæ uſu, quo manifeſtè patet propoſitiones io ſenſu obvio, proprio & naturali veras ac ſanas nuſquam proſcriptas fuiſſe, etſi iis abuterentur Novatores: unde S. Aug. Lib. 2. de lib. arb. c. 16. *Manifeſtum eſt,* inquit, *non rem ullam, cùm eâ quiſque malè utitur, ſed ipſum malè utentem eſſe arguendum.* Et Serm. 50. alias de diverſis 15. *Dementia eſt, crimen malè utentium, in res ipſas transferre.* Quòd ſi tameo Novatorum abuſus eò uſque procederet, ut tandem perverteretur propoſitionum ſenſus (quod ouſquam poſſe contingere io propoſitionibus Scripturæ aut Traditionis uſo conſecratis, ſuprâ diximus) equidem poſſent damnari prædictæ propoſitiooes: verùm tunc eſſent equidem eædem materialiter, ſed formaliter diverſæ.

II. Idem probatur ex egregiis illis ac magnificis verbis quibus SS. Patres, præſertim verò ſanctus Auguſt. honorem, obſequium, reverentiam, aliaque officia veritati debita proſequuntur. *Quiſquis bonus, veruſque Chriſtianus eſt,* inquit S. Doctor Lib. 2. de doctrioa Chriſt. cap. 18. *Domini ſui eſſe intelligat, ubicunque invenerit veritatem.* Et in Epiſt. ad Galat. n. 4. *Veritas propter ſeipſam diligenda eſt, non propter hominem.* Rursùs ibid. n. 6. *Quidquid veritatis invenitur in homine, non eſt ab homine, ſed a Deo.* Et Lib. de mendac. cap. 7. *Aut ſi eſt bonum aliquod æternum quod non complectatur veritas, non erit verum: & ideo nec bonum erit, quia falſum erit. Ut autem animus corpori, ita etiam veritas ipſi animo præponenda eſt: ut eam non ſolùm magis quàm corpus, ſed etiam magis quàm ſeipſum appetat animus.* Aſt quâ ratione hæc ſtare poſſent, ſi propoſitio in ſenſu obvio, proprio & oaturali vera ac ſana, proſcribi poſſet ac diffamari?

III. idem colligitur ex commuoi Theologorum doctrinâ.

Suares diſput. 19. de fide ſect. 2. n. 1. *Damnabilis propoſitio,* inquit, *in Theologiâ dicitur, quæ non ſolum falſa eſt in latitudine humana opinionis, ſed etiam aliquâ ſpeciali cenſurâ.....digna eſt. Nam propoſitio vera, ut per ſe notum eſt, non poteſt eſſe damna-*

tè enim docet 2. 2. diſput. 190. *non licere aſſerere ſententias communes & veras à Pontificibus fuiſſe damnatas.* Eadem ratione ſolvi debet quod ex Card. Toleto à nonnullis objici ſolet ; aſſerit enim ibidem Vaſques, *ſenſum hujus damnationis cum Cardinali Toleto contuliſſe..... eumque ſenſum prædictum Cardinalem probaſſe.*

Alii, ut Gerſonius, agunt de propoſitione apparenter & in grammaticali verborum ſenſu duntaxat verâ, cùm tamen falſa ſit in proprio & naturali ſenſu, dum attenditur ad certam authoris intentionem, ad antecedentia & conſequentia, &c. Sic iſta Wicleſi propoſitio, Eccleſia una eſt, ſicut unus eſt prædeſtinatorum cœtus : hæc quippe vera eſt ſi ſolis inhæreamus terminis, qui unicè ſimilitudinem & comparationem exprimunt ; aſt habitâ ratione illius defenſorum prorſus hæretica eſt, cùm Eccleſiam ex ſolis prædeſtinatis conſtare velint.

Cæteri, ut Canus, contendunt quaſdam propoſitiones in ſe veras ſed duriùs expreſſas, idiotis & ſimplicibus quandoque ſcandalum afferre, ac proindè legitimè poſſe damnari. Verùm minùs appoſitè ad ſua principia loquitur Canus : vult enim ad cenſuram infligendam ut habeatur ratio aurium peritarum & prudentium ; notam autem talibus propoſitionibus inuri poſſe concedit eo quòd infirmis & idiotis ſcandalum præbeant. Igitur veritas illæſa ſemper manere debet : aſt, ipſâ in tuto, legitimè carpitur imprudentia proferentis propoſitionem incongruè, odiosè & duriùs expreſſam.

Adde Canum equidem contendere quaſdam propoſitiones in ſe veras poſſe ſcandalum parere : *ipſa veritas*, inquit Melchior Canus Lib 12. de Locis theol. cap. 11. *quandoque affert ſcandalum idiotis & ſimplicibus* : at nuſquam aſſerit author ille propoſitiones hujuſmodi poſſe judicio dogmatico damnari; ut enim tali judicio notari poſſent, neceſſarium foret ipſas per ſe & ex naturâ ſuâ ſcandalum creare : porrò, ut mox ex illuſtriſſ. Boſſuet vidimus, & ex ſeſe patet, veritas per ſe ſcandalum parere nequit : & verò, ut ratiocinatur Steyaert loco mox citato, *Veritas nuſquam ſcandaloſa & in praxi perniciosa erit* ; (ex ſeſe) *niſi cùm falſitas econtrà in praxi ſalutaris, & ut ita dicam ædificativa fuerit.*

Quæres : an propoſitiones merè æquivocæ damnari poſſint.

Reſp. 1. cum Suareſ. propoſitiones impropriè æquivocas, quòd ſcilicet proprius, qui ſolùm eſt attendendus, earum ſenſus pravus apertè ſit, licet impropriùs ſanus ſit, meritò damnari poſſe. Accommodatum habemus de hac propoſitione exemplum, *Chriſtus quotidie peccat*, quam, uti ſupra advertimus, Concilium Baſileenſe Seſſ. 22. ut erroneam damnat, quia in proprio ſenſu falſa eſt, & ſolùm in metaphorico vera, intelligendo Chriſtum non in ſe, ſed in ſuis membris quotidie peccare.

Reſp. 2. cum Panormo cap. 7. *Scrutinis* art. 2. n. 9. propoſitiones æquivocas, quæ duplicem involvunt ſenſum, quorum quilibet ita ſit proprius, ut neuter alteri ſit præferendus, & quidem nedum in ſeipſis ſpectatis, ſed etiam attento earundem uſu, ac etiam omnibus conſideratis circumſtantiis, Reſpondeo, inquam, hujuſmodi propoſitiones non eſſe in rigore damnandas, niſi ex proferentium, vel operum, aut Librorum in quibus extant, qualitatibus, innoteſcat eas in pravo ſenſu prolatas aut ſcriptas. Idipſum manifeſtè indicat cenſuræ Theologicæ notio, quæ nonniſi in pravum doctrinæ ſenſum cadere poteſt.

Reſp. 3. cum eodem Panormo, cenſurâ Theologicâ notari poſſe propoſitiones æquivocas, quæ etſi propriè capaces ſint utriuſque ſenſûs, ſani & pravi, attamen ſenſum pravum prævalentem involvunt ; ſive quòd verba earundem majori cum proprietate exprimant ſenſum pravum quàm ſanum, ſive ob extrinſecas circumſtantias, præciſâ proferentium conditione, ut patet in propoſitione, *Unus de Trinitate eſt crucifixus.*

ARTICULUS IV.

De modo ferendi cenſuras Theologicas.

TRiplici modo damnari poſſunt dogmaticæ propoſitiones. Primus eſt cùm propoſitiones ſigillatim referuntur, iiſque ſingulis debita apponitur cenſura. Plura extant hujuſmodi damnationis exempla, in Conciliis, decretis ſummorum Pontificum, Actis Cleri Gallicani &c. ſufficiat Bulla adversùs quinque Janſenii Propoſitiones ab Innocentio X. lata; hac enim ſeorſim notæ inuruntur ſingulis propoſitionibus. Porrò hic modus propoſitiones damnandi, eſt ſanè clarior, ſed & difficilior; operoſa enim eſt diſcuſſio & determinatio gradûs erroris quem quælibet meretur propoſitio.

Secundus modus cenſuram ferendi theologicam, eſt cùm nulla relata propoſitione integer damnatur liber ut venenoſus, atque Chriſtianis nocivus. Itâ Synodus Nicæna librum Arii, qui inſcribitur *Thalia* prohibuit.

Tertius modus, inter duos præcedentes medius, propoſitiones quidem ſigillatim refert, aſt notas ſingulis non applicat, ſed in unum congeſtas, propoſitionibus *reſpectivè* convenire aſſerit. Hic modus multoties uſurpatus fuit in Eccleſiâ : ſic in Concilio V. generali errores Origenis, Neſtorianorum & Eutychianorum ; propoſitiones Abaëlardi in Sueſſionenſi Synodo, in Rhemenſi Gilberti dogmata, in Conſtantienſi Concilio Wicleſi & Joannis Hus ſententiæ in globo & reſpectivè proſcribuntur : ſic etiam variæ propoſitiones à ſummis Pontificibus *in globo* damnatæ in Luthero, Baio, Molinos, &c. eadem propoſitiones generatim configendi ratio à Clero Gallicano, & S. Facultate Pariſ. paſſim obſervata fuit. Hic modus propoſitiones profligandi eò frequentior eſt, quò facilior, dum ſcopum damnationis attingit : vult enim Eccleſia notando propoſitiones, Fideles avertere à venenoſis fontibus unde poſſint virus incautè propinare ; aſt dum in globo & reſpectivè damnantur propoſitiones, certò novit quiſque Fidelis eas eſſe perniciosas, fidei aliquo modo nocivas, quod ſufficit ut eas averſetur, nec ullam ex iis admittat.

Idipſum Præſules Gallicani in ſuâ ad Regem epiſtola an. 1728. luculenter docent his verbis : *La Cenſure generale* (in globo) *n'eſt ni vague, ni ambigue, ni équivoque..... Ce jugement eſt clair juſqu'à un certain degré : il apprend clairement.... & il aſſure les Fideles que les propoſitions condamnées ſont dangereuſes dans la foi, qu'elles renferment quelque venin, qu'elles s'écartent en quelque choſe de la verité catholique..... Cette lumiere eſt ſuffiſante pour le Chrétien qui eſt docile.* Nihil certè expreſſius. Hanc in rem adducunt iidem Præſules diſertum doctiſſimi Boſſuetii textum L. 15. Variat. n. 158. idque rurſus confirmant egregio S. Aug. teſtimonio Lib. de hæreſib. c. 88. *Quid contra iſta ſentiat Eccleſia catholica... ſuperfluo quæritur. Cùm propter hoc ſcire ſufficiat Eccleſiam contra iſta ſentire, nec aliquid horum in fidem quemquam debere recipere.. .. multùm adjuvat cor fidele, noſſe quid credendum non ſit.*

Par-

Particula autem, *reſtrictivè*, quæ reperitur in decretis in quibus propoſitiones in globo damnantur duo ſignificat. Primum, nullam eſſe notam ex aſſignatis quæ non alicui ſaltem competat propoſitioni; eſt enim Spiritus qui dogmaticis Eccleſiæ judiciis præeſt, eſt, inquam, Spiritus, & prudentiæ, quæ pœnam non infligit vanam & inanem; & juſtitiæ, quæ modum pœnæ nec minuere nec excedere debet. Secundum, nullam eſſe ex propoſitionibus quæ aliquam non mereatur notam, quia idem Spiritus veritatem tuetur, nec immunem ab omni labe propoſitionem eum reis, fœdis & pernicioſis miſcere poteſt aut ſinit. Hæc duo certa manent vi decreti dogmatici; hæc duo definit Eccleſia tali decreto; hæc duo quiſque firmiter tenere debet. Tertium autem, nempe quæ nota ſingulis competat propoſitionibus, obſcurum eſt, ſed nec abſolutè requiſitum ut ſana ſervetur doctrina, perverſaque vitetur.

ARTICULUS V.

De authoritate neceſſariâ ad ferendam cenſuram Theologicam.

DUplex diſtingui poteſt & debet ſententia Theologicam ferens cenſuram: una quæ doctrinalis dicitur, & eſt eorum qui licet nullâ fruantur authoritate cœlitùs ſibi commiſſa ad ſervandam fidei integritatem, nihilominus tamen varias notant propoſitiones, quarum virus diſcernunt eò faciliùs, quò peritiores habentur & ſunt. Talis ſententia doctrinalis à Doctoribus Theologis profertur; elucet autem maximè in cenſuris à ſacris Facultatibus latis, cùm emanet è cœtu peritorum mutuo ſibi lumine mutuaque prudentiâ faventium.

Altera, quæ propoſitionibus Theologicas inurit notas ſententia, judicialis appellatur: ipſius authores Epiſcopi, quos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, & dedit Fidelibus Paſtores & Doctores ut non circumferantur omni vento doctrinæ; unde ipſis pro munere competit depoſitum fidei ſervare, veritatem tueri, errores profligare.

Cenſuras autem theologicas pro jure ſuo ferunt Epiſcopi, ſive in Conciliis, ſive extra Concilium, ſive conjunctim, ſive diviſim, & unuſquiſque in ſuâ Diœceſi: at infallibilis non eſt eorum ſententia, niſi emanet à Corpore Epiſcoporum congregato aut diſperſo; quia ſoli Præſulum collegio promiſſa legitur Spiritûs veritatis aſſiſtentia: verùm hæc aliàs, dum ſcilicet Tractatum de Eccleſiâ aggrediemur.

Superſunt adhuc quædam graviſſimæ difficultates elucidandæ circa naturam, objectum & proprietates cenſurarum Theologicarum; præſertim ſi illæ ferantur *in globo*, aut notas inurant hæreſi inferiores: verùm ad talium ſolutionem nodorum principia paſſim in iis quæ diximus, & maximè Paragraphis 2. & 3. Articuli primi occurrunt: cætera ex Tractatu de Eccleſiâ repetenda venient. Hic quippe datâ operâ, cogente ſcilicet quæſtionum ordine, quæ tenenda ſunt trademus.

Cæterùm hic annotare liceat, fuſiores nos ultra popoſitum fuiſſe, non vana ſcribendi prurigine; ſed quòd brevitatem utilitati credere decebat: etenim non ſola quædam eaque jejuna, ad interrogationes reſponſa Candidatis offerre animus erat; ſed quæ per totum vitæ curriculum, & animos jucundo occupare poſſent ſtudio, & Eccleſiæ miniſtros ad alios erudiendos idoneos efficere.

His porro tribus Tomis Summæ Doctoris Angelici prima pars; tertia verò duobus aliis præcedentibus jam completa fuerat: igitur ſola nobis ſecunda pars ſupereſt evolvenda. Hujus, Deo juvante, initium ducemus à celeberrimo peræquè ac arduo Tractatu de Gratiâ, quem proximè ſequetur perinde intricatus ac difficilis de Eccleſiâ Tractatus.

Si quid autem incautis nobis & imprudentibus fortè excidit Eccleſiæ doctrinæ minùs congruens, iſtud pro non dicto & revocato libentiſſimè habemus.

FINIS.

TRACTATUS
DE
ACTIBUS HUMANIS.

ACTUS humani, *æternitatis* ſunt *ſemina*, ut bellè à S. Bernardo notatum eſt: porrò, ut etiam monuit Apoſt. 2. Cor. 9. *qui parcè ſeminat, parcè & metet*. In id ergo nobis eſt incumbendum, ut junctâ theoriæ praxi, viam aperiamus quâ & actus humani cognoſci poſſint, & ut par eſt ſanctificari. Quod ut fiat dicemus 1. de naturâ & diviſione actûs humani, ac de ejus principiis in genere. 2. De ejuſdem principiis in particulari, internis ſcilicet & externis; ac denum de ejus proprietatibus ac regulis.

CAPUT PRIMUM.

Quid, & quotuplex ſit actus humanus &c.

ACtus humani tripliciter ſumuntur. 1. Latè, pro iis etiam actibus qui nec liberi ſunt, nec voluntarii, quales ſunt motus primò primi, aut qui licet ſuo modo voluntarii ſint, non diriguntur à ratione, ut volitio infantis; & ii communiter dicuntur *actiones hominis*. 2. Strictiùs & magis propriè, pro quocunque actu voluntario, ſive liber ſit, ſive non. 3. Strictiſſimè, pro omni & ſolo actu libero: *illæ enim ſolæ actiones vocantur propriè humanæ, quarum homo dominus eſt*, ait S. Thomas q. 1. a. 1. Unde actus humanus tertio hoc ſenſu acceptus definitur, Actus ab hominis voluntate deliberatè ſeu liberè procedens. Porro actus ille vel immediatè à voluntate procedit ut amor & odium, & tunc dicitur *elicitus*; vel mediatè tantùm, ut meditatio, de ambulatio, & tunc dicitur *imperatus*: etſi enim voluntas per ſe nec meditetur, nec ambulet, cùm eæ functiones ad intellectum & potentiam motricem pertineant, cæteris tamen imperat potentiis ut actus ſibi proprios eliciant: actus autem elicitus aut imperatus, eo ipſo quo à voluntate liberè procedit, eſt actus moralis, bonus ſcilicet aut malus, prout procedit vel conſentaneè ad rectam rationem, ut amor Dei, vel diſſentaneè, ut ejuſdem odium.

Hinc colliguntur præcipuæ actûs humani diviſionis. Nam dividuntur 1. in *elicitos*, & *imperatos*. 2. in *bonos*, & *malos*. 3. boni vel ſunt *naturales*, qui ſolis naturæ viribus produci poſſunt, ut naturalis Dei cognitio; & *ſupernaturales*, qui non niſi gratiæ auxilio elici poſſunt, ut actus virtutum Theologicarum 4. ſupernaturales vel ſunt meritorii *de condigno*, quibus ſcilicet tum ex ſuâ, tum ex operantis dignitate merces debetur ſaltem ex Dei fidelitate; vel meritorii ſunt *de congruo*, qui ſunt quidem retributione digni, ſed ex decentiâ tantùm & gratuitâ liberalitate. 5. alii ſunt *interiores*, qui nullo ſenſibili ſigno manifeſtantur, ut oratio mentalis; alii *exteriores* qui extrinſecus patent, ut oratio vocalis.

Contin. Prael. Theol. H. Tournelii.

Sed antequam ulterius progrediamur, quædam de actuum humanorum principiis præloqui neceſſe eſt. Per hæc autem principia, intelliguntur ea omnia quæ quovis modo concurrunt ad actus humanos efficiendos, eaque duplicis ſunt generis, *interna* quæ ſunt in ipſo homine, & *externa* quæ ſunt extra ipſum. Interna duplicis ſunt generis: alia congenita, alia acquiſita. *Congenita* ea ſunt quæ à naturâ inſunt homini, nec indigent labore comparari & induſtriâ, & hæc tria numerantur, intellectus, voluntas, & libertas. Intellectus & voluntas non ſpectantur hic prout ſpeculativè ac ſimpliciter intelligunt & volunt, ſed prout hæc faciunt in ordine ad mores & practicè: unde intellectus quatenus hic accipitur, eſt facultas cognoſcitiva ſpiritalis, directrix actuum humanorum ad honeſtatem; directrix inquam per ſynderesim & conſcientiam: voluntas vero moralis eſt facultas bonum proſequens prout ſibi ab intellectu proponitur. *Acquiſita* ea ſunt quæ ſtudio & labore comparantur, ut habitus, quorum inveſtigatio ad Philoſophos pertinet. Principia externa tria ſunt, bonum, finis & beatitudo. In præſenti Tractatu ea omittemus quæ ad alios Tractatus pertinent, aut quæ ſatis in Philoſophiâ pertractantur.

CAPUT SECUNDUM.

De voluntario.

DE intellectu morali plenius loquimur, ubi de humanorum actuum regulis: duo hic inveſtiganda occurrunt 1. quid & quotuplex voluntarium: 2. quid involuntarium, & quot ejus cauſæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid & quotuplex voluntarium.

TAmetſi voluntas ſit facultas cæca, quæ non niſi ex prævio intellectûs lumine in objectum fertur, ſentit tamen unuſquiſque ei præcipuè attribuendum eſſe quidquid in actibus noſtris boni occurrit aut mali; unde operæ pretium eſt voluntarium ab involuntario accuratè ſecernere. Eſt autem voluntarium, Actus à voluntate procedens ex præviâ cognitione eorum in quibus eſt actio. Hæc definitio legitima eſt. Nam 1. convenit *omni* voluntario, ſive ſit neceſſarium, ut amor Dei in beatis; ſive liberum ſit, ut idem amor in viatoribus: utrumque enim eſt à voluntate, vel, ut alii dicunt, *à principio intrinſeco*. 2. convenit *ſoli* voluntario: quidquid enim voluntate non procedit, aut fit eâ renitente, aut in ea ſine rationis advertentiâ producitur, voluntarium cenſeri non poteſt. Hinc voluntarii rationem non habent, tum ea quæ violenta ſunt;

tum

rum motus odii vel amoris quos aliquando contra propriam inclinationem experitur voluntas tum ea quæ fiunt ſine ulla intellectua cognitione : hæc autem cognitio debet eſſe *eorum* , id eſt circumſtantiarum *in quibus eſt actio* , ſeu quæ ad eam pertinent , quia quidquid eſt vere voluntarium, debet qua tale eſſe præcognitum. Hinc actio voluntaria non eſt ea ſui parte qua præcognoſci non potuit: unde qui accedit ad alienam, quam bona fide vel ſuam eſſe credit , vel liberam , non peccat : vel ſi peccat , nonniſi fornicationis peccatum admittit. Hinc etiam dormientium actiones , ſimpliciter involuntariæ ſunt , ſemi-dormientium vero , ſemi-voluntariæ , quia in illis nulla advertentia, in his autem ſemiplena; unde in illis nullum eſt , in iſtis vero peccatum eſt duntaxat veniale.

Dices:Si voluntarium prærequirat cognitionem , minus erit voluntarii , ubi minor erit cognitio: atqui falſum conſequens , Ubi enim eſt concupiſcentia , ibi major eſt animi cæcitas,ideoque minor cognitio : atqui ubi eſt concupiſcentia , ibi plus eſt voluntarii , quia major eſt voluntatis ardor & propenſio.

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. maj. ubi eſt concupiſcentia , ibi minor eſt cognitio eorum quæ ab objecto concupito avertere poſſent; conc. eorum quæ ad objectum movent & trahunt, n. Concupiſcentia itaque ſub diverſo reſpectu ſimul cæca eſt & perſpicax: cæca quidem reſpectu eorum quæ motum ejus cohibere poſſent;perſpicax vero & oculata reſpectu boni ſenſibilis & delectatione pleni, quod ardorem
Dan.13. ejus adaugere poteſt. Sic ſenes qui Suſannæ caſtitati inſidiabantur, *declinaverunt oculos ſuos ut non viderent cœlum , neque recordarentur judiciorum Dei;* ſed eoſdem nimis aliunde aperuerunt.

Voluntarium dividitur 1. in voluntarium *ſimpliciter*, ſeu purum, quod fit ex plena voluntatis inclinatione , abſque repugnantia ; & voluntarium *ſecundum* quid , ſeu mixtum , quod fit quidem ex voluntatis conſenſu, ſed non ſine repugnantia: talis eſt projectio mercium in mare metu naufragii.

2. in voluntarium *neceſſarium* , à quo ſcilicet voluntas vel abſolutè vel hic & nunc abſtinere non poteſt;talis eſt amor quo ſe Deus diligit,vel quo homo ſub gratiá neceſſitante conſtitutus bonum proſequeretur : & voluntarium *contingens* , quod procedit à voluntate operante cum indifferentia ad volendum vel non volendum.

Dices ex Aug. l. 3. de lib. arb. c. 3. *Voluntas aut eſt libera, aut non eſt voluntas.* Ergo non datur voluntarium neceſſarium.

R. diſt... aut eſt libera libertate generica ſeu ſpontaneitatis cum qua ſtat neceſſitas, conc. libertate ſpecifica & indifferentiæ, n. Ergo datur voluntarium verè neceſſarium. Imò docent Thomiſtæ, rationem voluntarii perfectiùs reperiri in actibus neceſſariis, quàm in liberis: quia ubi major eſt amor, ibi majus eſt voluntarium ; amor enim in ratione amoris eſt eſſentialiter voluntarius : ſed amor eò major eſt, quò magis eſt neceſſarius ; ſic major eſt amor, quo ſemetipſum Deus, quàm quo creaturas diligit. Vid. Gonet tom 3. tract. 2. p. 91. edit. 3.

3. in voluntarium *in ſe*, vel, ut alii dicunt, *expreſſum*, ſeu *explicitum* , quod in ſe ipſo & immediatè volitum eſt, ut ſi quis occidat , quia vult occidere ; & voluntarium *in cauſa*, ſeu *implicitum* aut *virtuale*, quod etſi non in ſe , in alio tamen volitum eſt, quod ſaltem confusè præviſum fuit, , ut talis effectûs cauſa : eo ſenſu voluntaria eſt occiſio illius,qui liberè ſe inebriat,prævidens ſe,cùm ebrius erit, homicidii capacem fore. Porrò ut effectus qui ex aliqua cauſa ſequitur ſit voluntarius , non ſolum phyſicè, ſed etiam moraliter, id eſt , ut ad meritum vel demeritum imputetur, tria requiri ſolent. 1. ut operans advertat , aut advertere poſſit effectum hunc ex hac cauſa ſecuturum eſſe : hinc Noë non fuit immodeſtiæ reus, quia ſupponitur eum neſciiſſe vinum illius cauſam eſſe poſſe. 2. ut effectum hunc impedire poſſit auferendo ejus cauſam : ſic graviter peccat mulier, quæ etiam ſine prava intentione, & ut morem ſequatur, aperto ſinu incedit ,
quia ſic fit *Diaboli janua* , & ruinæ occaſio. 3. ut Sylv in 1. 2. q. 6. a. 3.
cauſam hanc auferre teneatur, vel non ponere : unde non peccat Parochus, qui ex confeſſionis occaſione motus inordinatos patitur ; aut mulier, cujus forma elegans ſed modeſta, aliis periculum creat.

4. in voluntarium *formale* ſeu *directum* , quod nimirum proficiſcitur à voluntate per influxum poſitivum operante ; eo ſenſu voluntarii ſunt actus omnes, quos voluntas elicit aut imperat : & *interpretativum* ſeu *indirectum* , quod etſi non procedat Tertul. de hab. mul.
à voluntate ut efficiente, ab ea tamen dependet, ſive voluntas actum ponere poſſit & debeat, ut cùm pater non corripit filium, quem delinquentem videt; ſive poſſit quidem ponere actum , ſed ad id non teneatur, ut cùm quis in die non feſta vult ſtudio vacare, dum dicitur Miſſa.

Quærunt aliqui, an omiſſio actûs, v.g. non auditio Miſſæ ſit verè ei voluntaria , qui nullo poſitivo actu vult Miſſam non audire , nec ad eam audiendam tenetur : verum hæc difficultas,utpote in praxi jejuna & ſterilis, tempus noſtrum abſumere non debet. Duo annotare ſufficiat cum Sylvio. 1. accuratè diſcernendum eſt inter omiſſionem voluntariam & omiſſionem culpabilem ; ſimiliterque inter omiſſionem & omiſſionis effectum, ſeu opus, quod omiſſionem conſequitur. Datur enim omiſſio voluntaria, nec tamen culpabilis , ut cùm quis ſciens & volens omittit opus bonum , ad cujus executionem nulla lege obligatur ; datur etiam omiſſio voluntaria, cujus effectus, etſi in ſe malus, non imputatur agenti, qui cauſam ejus impedire potuit. Sic ſi quis omittat duos rixantes ſeparare, quos quidem ſeparare poſſet, ſed non ſine evidenti propriæ vitæ periculo, unde ad id non tenetur; mors alterutrius quæ ſequitur, eidem voluntaria non eſt , tametſi ipſa ſeparationis omiſſio voluntaria fuerit , 2. pro certo tenendum, ad hoc ut omiſſio voluntaria ſit & culpabilis, tria requiri. 1. ut quis potuerit agere. 2. ut debuerit. 3. ut non egerit. Ratio eſt , quia nemo peccat, niſi legem aliquam violando , quam quidem potuerit obſervare : eadem de cauſa ut opus omiſſionem conſequens, imputetur, neceſſe eſt, ut potuerit & debuerit impediri , nec tamen impeditum fuerit. De cæteris vide pro & contra, Gonet & Sylvium. De omiſſione pura dicemus ubi de peccatis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De involuntario & cauſis ejus.

CUm ex dictis voluntarium duo includat , inclinationem ſcilicet voluntatis , & cognitionem eorum, in quibus eſt actio , evidens eſt illud involuntarium cenſeri debere 1. id quod fit ſine propenſione voluntatis; ut cùm quis ex metu aut violentia agit. 2. id quod fit ſine prævia intellectus cognitione , cùm nempe tollitur aut turbatur cognitio, ut cùm quis ex ignorantia aut ex paſſione agit.

Hinc patet aliquid multiplici ſenſu involuntarium dici ; & reipsâ dividitur 1. in involuntarium *privativè* , cùm voluntas aliquid non vult , quod velle poſſet;& involuntarium *contrariè* vel poſitivè, quo aliquid non tantùm non eſt volitum, ſed etiam

eſt

eſt nolitum & voluntati adverſum. 2. involuntarium contrariè duplex eſt: unum *ſimpliciter*, quod ita voluntati diſplicet, ut id nullo modo velit, ſive impedire poſſit ne fiat, ſive non; ut ſi mors inferatur alicui planè nolenti; aut ſi motus concupiſcentiæ inſurgant contra voluntatem toto affectu renitentem: alterum *ſecundum quid*, quod licet ſub aliquo reſpectu voluntati diſpliceat, eidem tamen ſub aliâ conſideratione magis placet, & ab ipſâ acceptatur; ſic projectio mercium in mare metu naufragii facta, eſt ſecundum quid reſpectu mercatoris involuntaria, ſimpliciter tamen voluntaria eſt, & ut quid melius acceptatur ad vitandum majus malum. Alias alii afferunt voluntarii diviſiones, quas omittimus ut quæ vix ullius ſint utilitatis.

Vid. Marnet. p. 117.

Quæres an involuntarium, coactum, neceſſarium, & violentum, ſint unum & idem.

℞. Hoſce terminos à quibuſdam confundi, excepto violento; ab aliis vero diſtingui, quatenus *violentum* dicitur de agentibus etiam inanimatis; unde motus lapidis ſurſum projecti dicitur violentus, non verò involuntarius: *coactum* ſeu *invitum* de agentibus animatis, ſive ratione careant, ſive non: *involuntarium* de ſolo agente rationali; *neceſſarium* vero, de violento, coacto, & aliquâ involuntarii ſpecie. Dico, *aliquâ*: nam amor beatificus neceſſarius eſt, & tamen non eſt coactus, violentus, aut involuntarius; aliqui verò concupiſcentiæ motus neceſſarii ſunt, ſimul & involuntarii, & nonnunquam violenti & coacti.

Nunc ſigillatim explicandæ ſunt involuntarii cauſæ, quæ quatuor recenſentur, vis nempe, metus, paſſio, & ignorantia. De hac dicemus Articulo ſequenti; tres verò alias in præſenti proſequemur, quod ut fiat.

Not. 1. Vis, ſeu violentia eſt motio cujus principium eſt ab extrinſeco, in contrarium renitente paſſo. *Motio*, id eſt, actio ſeu paſſio: *cujus principium &c.* nemo enim ſibimetipſi vim infert propriè dictam; alioqui ſimul vellet & nollet: *in contrarium &c.* non enim ad violentum ſufficit, ut quis ſe habeat merè negativè, alioqui juſtificatio parvulorum foret violenta; ſed requiritur ut ſe habeat contrariè, id eſt ut actualiter aut virtualiter reluctetur. Hinc duplex eſt violentia: *abſoluta* ſcilicet, cùm quis reſiſtit eo omni modo quo poteſt; & *ſecundum quid*, cum quis reſiſtit quidem, ſed minus efficaciter quàm poſſet. Coactum eſt id, cujus principium eſt ab extrinſeco, renitente in contrarium paſſo cognitione prædito, & dividi poteſt ut violentum.

Not. 2. Paſſio ſeu concupiſcentia eſt animæ ſenſitivæ motus, proſequens bonum ſenſibile, aut malum ſenſibile fugiens. *Motus* habitualis, aut actualis; *animæ* ſeu *appetitûs ſenſitivi*, quo nomine exprimitur voluntas prout verſatur circa ſenſibilia: *proſequens bonum ſenſibile*, ſeu ſenſibus externis perceptibile, iiſque placens & jucundum; aut *malum ſenſibile*, ſeu iiſdem ſenſibus doloroſum: quamquam Theologi per concupiſcentiam, eas ſolum paſſiones aliquando intelligant quæ circa bonum ſenſibile verſantur.

Vid. Gonet. a. 6. p. 107.

Concupiſcentia triplex diſtinguitur. *Antecedens*; quæ præcedit conſenſum voluntatis, eamque allicit, ut cùm viſâ muliere, voluntas ad ejus deſiderium movetur: *conſequens*, quæ oritur ex prævio voluntaris actu, ut cùm ex deſiderio voluntatis, excitatur paſſio in corpore; & *concomitans*, quæ ita ſequitur voluntatis conſenſum, ut ſit cauſa ardentioris motûs ejuſdem voluntatis. Rurſus concupiſcentia vel eſt *gravis*, ſi rationem aliquantiſper turbet, ſed non ita ut tollat rationis uſum; vel *graviſſima*, ſi ita vehemens fuerit ut penitus perimat rationis & libertatis uſum. Idem dicendum de metu, cujus definitio & diviſio repetendæ ſunt ex Tractatu noſtro de Contractibus. His poſitis

Tom. 1. p. 470.

Dico 1. Nulla violentia facere poteſt ut actus à voluntate eliciti, ſint involuntarii; ſeu, voluntas cogi non poteſt quoad actus elicitos.

Prob. 1. Actus eſſentialiter voluntarius nunquam poteſt eſſe coactus; voluntarium enim & coactum ex naturâ rei opponuntur: atqui omnis actus à voluntate elicitus, eſt eſſentialiter voluntarius; eſt enim, ut ſupponitur, à principio intrinſeco cum cognitione, cum coactum omne ſit ab extrinſeco.

Prob. 2. Ad eos actus voluntas cogi non poteſt, qui non poſſunt abſolutè eſſe coacti: atqui actus eliciti voluntatis nunquam coacti eſſe poſſunt. Id enim coactum eſſe dicitur, quod eſt à principio externo contra inclinationem voluntatis: atqui actus voluntatis eliciti nunquam eſſe poſſunt contra inclinationem voluntatis. Nam ipſiſſima voluntatis inclinatio, non poteſt eſſe contra voluntatis inclinationem: atqui actus eliciti voluntatis ſunt ipſa voluntatis inclinatio; amor v. g. nihil eſt aliud quàm voluntatis propenſio in bonum. Ergo meritò dixit S. Anſelmus: *Invitus nemo poteſt velle aliquid, quia non poteſt velle nollens velle*; vellet autem nolens, ſi cogeretur ad volendum.

De lib. arb. c. 6.

Obj. 1. Non repugnat quod voluntas actum aliquem eliciat contra inclinationem ſuam habitualem; ut patet in peccato quod eſt contra naturam hominis, uti docet S. Thomas: atqui ut voluntas cogatur, ſufficit ut actum eliciat contra inclinationem ſuam habitualem; ergo.

℞. Diſt. maj. Non repugnat quod voluntas aliquid velit contra inclinationem ſuam partialem, conc. contra inclinationem ſuam adæquatam, ſeu quod voluntas nullo modo velit, nego. Itaque duplex in voluntate diſtingui poteſt inclinatio: alia adæquata ad bonum in communi, ex qua fit ut voluntas nihil velit niſi ſub ratione boni; alia partialis ad bonum honeſtati & rationi conſonum. Voluntas poteſt quidem aliquid velle contra inclinationem hanc partialem, & ſic vult peccatum; ſed non ideo patitur vim, nec coacta cenſeri poteſt, quia tunc vult aliquid quod eidem videtur habere rationem boni, eamque ſub hoc reſpectu allicit: ſed quod voluntatem allicit, eique bonum apparet, non repugnat cuicumque ejus inclinationi; ergo.

Obj. 2. Poteſt Deus in voluntate Pauli omnino reluctante producere amorem Petri: atqui in hac hypotheſi Paulus cogitur ad amorẽ Petri. Ille enim cogitur ad amorem Petri, qui Petrum amat contra inclinationem ſuam: atqui Paulus... amat enim eum quem ſupponitur totis viribus odiſſe velle.

℞. 1. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. atqui tunc Paulus Petrum amat contra inclinationem ſuam præteritam, conc. contra inclinationem ſuam præſentem, nego. Tunc enim voluntas Pauli ex nolente per operationem Dei efficeretur volens: atqui eo ipſo quo efficeretur volens, jam non vellet contra inclinationem ſuam.

℞. 2. Talis amor eſſet quidem involuntarius paſſivè, quia produceretur in ſubjecto paſſivè, ut ſupponitur, ſe habente: ſed non eſſet involuntarius activè, quia ita in voluntate eſſet, ut non eſſet ab eadem voluntate; ergo talis amor non eſſet actus elicitus voluntatis, de quo ſolo loquimur in præſenti.

Obj. 3. Poteſt Deus Beato amorem divinum anhelanti, ſubtrahere concurſum quoad amorem hunc indiget: atqui tunc vis inferretur voluntati hujus Beati.

Reſp. neg. min. & dico ceſſationem ab amore beatifico tunc Beati hujus voluntati naturalem futuram

turam eſſe; quia ut motus naturalis eſt creaturis, ſuppoſito influxu ſuperioris cauſæ; ſic & iiſdem naturalis eſt quies, ſubtracto eodem influxu. Hac de cauſâ naturale fuit non violentum, igni in fornace Babylonica ceſſare à comburendo; quia naturale eſt cuilibet inſtrumento non operari, ſtatim ut in eo ceſſat motus cauſæ principalis. Ita Gonet contra Vaſquem, Valentiam &c. Et verò ut belle notat Auguſtinus, *id erit cuique naturale, quod Deus fecerit, à quo eſt omnis modus, numerus, & ordo naturæ.*

Pag. 100. L. 26. cont. Fauſt. c. 3.

Non loquimur de actibus imperatis, qui non ab ipsâ voluntate, ſed ab aliis potentiis eliciuntur, ut viſio, deambulatio: fatentur enim omnes voluntatem quoad illos actus cogi poſſe; fieri enim poteſt ut ambulare aut videre nolens, per vim cogar ad utrumque.

Dico 2. Violentia *abſoluta* voluntarium perimit? violentia vero *inſufficiens*, ſeu *ſecundum quid*, minuit dumtaxat. Ratio primæ partis eſt quod actio quæ fit per coactionem abſolutam, fit voluntate modis omnibus renitente; ergo Ratio ſecundæ partis eſt, quod ubi voluntas non omnino reſiſtit, ibi remaneat aliqua ratio voluntarii, major aut minor prout voluntas plus aut minus reſiſtit; atqui ubi violentia non niſi *ſecundùm* quid infertur, voluntas non reſiſtit omnimodè, cum ſupponatur penes eam eſſe ut magis reſiſtat.

Hinc colliges fœminam cui interius & exterius pro viribus reſiſtenti, prævalidus aliquis ſtuprum infert, nihil peccare, juxta id Auguſt. ad Chriſtianas mulieres quæ Roma à Gothis capta, vim perpeſſæ fuerant: *Quidquid alius de corpore vel in corpore fecerit, quod ſine peccato proprio non valeat evitari, præter culpam ſit patientis.* Mulier vero quæ interius renititur, ſed non exterius quantum poteſt & debet, clamando, repugnando &c. non vacat culpa.

L. de Civ. c. 27.

Sed ſi ſubſit vitæ periculum, tenetur-ne mulier clamare.

Reſpondent Polman: Gonet, & alii quidam, ſi ſubſit vitæ periculum, & abſit periculum conſenſus, non teneri mulierem ad clamandum; quia non tenetur cum tanto periculo impedire actionem quæ ipſius reſpectu, culpæ rationem non habet: non poſſet tamen ipſa; etiam ob mortis metum poſitivè ſe componere ad perpeſſionem alienæ libidinis. Ita illi. Verum hæc doctrina aliis diſplicet, & meritò. 1. quia in hoc actu ſemper aut ferè ſemper eſt periculum conſenſus, ut notat idem Gonet. 2. quia ut fœmina conſentire cenſetur, niſi manibus & toto corpore reſiſtat quantum poteſt, & ad reſiſtentiam hanc tenetur, etiamſi ſtuprans minetur ipſi mortem ſi reſiſtat; ſic etiam conſentire cenſetur niſi clamet, ubi clamor creditur profuturus. 3. quia S. Ambroſius ad virginem lapſam ait; *Quis tuas voces audivit*; ſupponit igitur eam clamare debuiſſe.

Dico 3. Quæ fiunt ex metu naturali, ſunt per ſe loquendo voluntaria ſimpliciter in genere liberi; & in eodem genere, involuntaria ſecundum quid.

Prob. 1. pars. Ibi manet voluntarium in genere liberi, ubi ex parte mentis non tollitur cognitio, nec electio ex parte voluntatis: atqui metus etiam gravis nec tollit cognitionem ex parte mentis... Mercator enim qui ſuas in mare merces projicit, & earum pretium cognoſcit, & vitæ periculum in quo verſatur, & ipſam actionem merces projiciendi, quam liberè eligit, quia plus vitam amat quam merces; ergo.

Prob. 2. Reus pejerans ne ſuſpendatur, Chriſtianus fidem abnegans ne dedatur flammis, puella libidini alienæ conſentiens ne occidatur, graviſſimè peccant, tametſi agant ex metu: atqui nō peccarent, niſi *voluntarietas* & libertas ſubſiſterent cum metu.

Prob. 2. pars. Quod minuit libertatem, facit ut actio in genere liberi ſit involuntaria ſecundum quid: atqui metus libertatem minuit, ut per ſe patet. Hinc in Ancyranâ Synodo & Nicænâ, tolerabilior iis pœna conſtituta fuit qui mortis & cruciatuum metu ceſſerant, quàm qui ſponte deliquerant.

Obj. cum Lherminier: Ea abſolutè & ſimpliciter cenſeri debent involuntaria, quæ fiunt reluctante voluntate: ſed quæ fiunt ex metu gravi... unde contractus ex gravi metu initi, non ſunt validi. *Pag. 179.*

℞. diſt. maj... quæ fiunt voluntate reluctante abſolutè & ſimpliciter, conc. reluctante ſecundùm quid, n. Porrò ubi eſt metus gravis, ibi quidem eſt repugnantia aliqua voluntatis: verùm repugnantia hæc inefficax eſt, nedum ſimplex ſit & abſoluta, & non impedit quominus mens ſciens & liberè volens, eam amplectatur partem quæ ibi ſub aliquo reſpectu repugnat, unde fit ut ſi pars illa mala ſit, mortaliter peccet. Quod addit Lherminier, contractus ex metu gravi factos eſſe invalidos: ſi generaliter dicatur, omnimodè falſum eſt; ſi intelligatur de invaliditate ex jure poſitivo verum eſſe poteſt, & nihil concludit. Si enim tales contractus jure naturali validi ſint, certum eſt eos eſſe voluntarios: atqui contractus ex metu facti, validi ſunt jure naturali; non enim major requiritur voluntas aut libertas ut contractus valeat, quàm ut peccatum mortale fiat. *Vide Tract.*

Obj. 2. Matrimonium ſimpliciter voluntarium, eſſet validum: atqui tamen matrimonium ex metu contractum, validum non eſt. Idem dicendum de voto ſolemni. Ergo neutrum voluntarium *De contr. & b. p. 474.*

℞. diſt. maj. eſſet & eſt validum, per ſe & attento jure naturali, conc. attento jure poſitivo, nego. Poteſt enim Eccleſia certas ſtatuere leges vi quarum validum non ſit, id quod iis ſecluſis validum foret: ſic poſt Trid. definitionem non valet matrimonium clandeſtinum, quod ante ex naturâ rei validum erat. Quod ſi matrimonium metu initum, ex rei naturâ validum ſit, ſequitur illud voluntarium eſſe: porrò matrimonium metu factum, uſque adeo ex rei naturâ validum eſt, ut etiamnum non irritetur à Legibus, cùm fit ex metu juſtè incuſſo, qui quidem metus longè aliquando gravior eſt quàm qui injuſtè incutitur.

Obj. 3. Quòd excuſat à culpâ, tollit voluntarium: atqui metus gravis excuſat à culpâ eum qui legem tranſgreditur: ſic non peccat qui metu mortis ſibi à ſicario inferendæ, Miſſæ non intereſt die Dominicâ; ergo.

Reſp. neg. min & dico eum qui ex metu non implet aliquod Eccleſiæ, & nonnunquam Dei ipſius præceptum, non excuſari à culpâ propter defectum libertatis, ſed propter ceſſationem ipſius legis quæ cum tanto incommodo non obligat. Hinc ſi lex quæ non impletur talis ſit ut ſemper obliget, ſemper peccabit qui eam tranſgredietur, etiamſi ex metu omnium graviſſimo agat; ut patet in eo qui ex metu mentitur fornicatur, &c.

Dixi in Concluſione, quæ fiunt *ex metu naturali...* ſunt *involuntaria ſecundùm quid*; ut oſtenderem non omnem metum cauſare hujuſmodi involuntarium: unde qui ex timore ſupernaturali gehennæ, à malo temperat, *peccandi voluntatem excludere* poteſt, ut docet Trid. adeoque obſervatio legis ab eo præſtita nihil habet verè involuntarii. Ratio eſt, ait Gonet, quod voluntas tunc tantum habeat actum nolitionis circa objectum, quando objectum illud, etſi hic & nunc ob neceſſitatem bonum ſit, in ſe tamen malum apparet; ut projicere merces, eſt hic & nunc mercatori alioqui morituro bonum, ſed in ſe malum. Atqui ſervare mandata Dei, eſt bonum tum per ſe, tum etiam abſtrahendo à *Gonet p. 104.*

periculo

periculo gehennæ; idque homo timore ſupernaturali donatus intelligere poteſt; ergo neceſſe non eſt ut ejus obſervatio mandatorum, involuntario mixta ſit.

Addi poteſt cum eodem Gonet, obſervationem legis ei qui ex timore, aut etiam ſine timore agit, quodam ſenſu aliquid involuntarii habere poſſe, abſque eo quòd vitioſa ſit; quatenus ſcilicet involuntarium hoc conſiſtit in quadam diſplicentiâ & faſtidio quæ oriuntur ex intuitu laboris in obſervando præcepto ſubeundi: has autem moleſtias ſentire, per ſe malum non eſt, cum eas & Sancti, & ipſe Chriſtus in horto olivarum ſentire viſus ſit; imò repugnantia hæc, cum per præcepti obſervationem vincitur, meritum adauget.

Dixi 2. *per ſe loquendo*: quia nonnunquam, rarò tamen evenit ut actio ex metu facta, penitus involuntaria ſit, cùm nempe malum imminens ita hominem perturbat, ut tollat advertentiam.

Dixi 3. *in ratione liberi*: docent enim Scotiſtæ, ea quæ fiunt ex metu eſſe quidem ſimpliciter voluntaria in genere liberi, & in eodem genere involuntaria ſecundùm quid; ſed ſimul docent ea eſſe ſimpliciter involuntaria involuntarietate quæ opponitur voluntario ſpontaneo & lubenti: quia, inquiunt, in operibus ex metu factis plùs eſt involuntarii quàm voluntarii, cùm in iis plùs ſit triſtitiæ quàm gaudii, plus repugnantiæ quàm propenſionis, plùs diſplicentiæ quàm lubentiæ., de quo adi ſi vacat P. Henno p. 40.

Dico 4. Concupiſcentia antecedens, ordinariè loquendo, ſub aliquo reſpectu auget, ſub alio minuit voluntarium: auget quidem ratione objecti ad quod directè movet; minuit verò ratione circumſtantiarum, unde etiam libertatem minuit.

Prob. 1. pars. Illud auget voluntarium ratione objecti, quod inflammat voluntatem, efficitque ut in objectum majori enim inclinatione feratur: atqui concupiſcentia... ut ſæpius videre eſt in homine qui mulierem deperit.

Prob. 2. pars. Ad voluntarium perfectum requiritur non ſolùm inclinatio voluntatis, ſed etiam cognitio eorum in quibus eſt actio: atqui concupiſcentia vehemens, hancce cognitionem imminuit; impedit enim ne mens ab objecto in quod tendit, rapta & illecta, conſideret turpitudinem & injuſtitiam actûs, offenſam Dei &c.

Atque hinc ſequitur libertatem concupiſcentiâ imminui. Nam 1. eo major eſt in homine libertas, quo plenior ad utrumlibet indifferentia: atqui indifferentiam hanc minuit concupiſcentia, eo ipſo quo voluntatem fortiùs determinat in unam partem contradictionis 2. quod minuit peccatum, minuit etiam liberum: atqui ex S. Thomâ 1. 2. q. 77. a. 6. concupiſcentia minuit peccatum; imò ipſum aliquando penitus tollit, quatenus totaliter cognitionem aufert, *Sicut*, ait S. Thomas, *contingit in illis qui propter concupiſcentiam fiunt amentes.*

Dixi, *ordinariè loquendo*: quia fieri poteſt nonnunquam ut qui ex concupiſcentiâ agit, cum aliquâ repugnantia in objectum ſuum tendat; ut ſi avarus ad abutendum muliere, magnam pecuniæ ſummam profundere debeat, quod ei æquè durum eſt, ac mercatori merces ſuas in mare projicere.

Obj. Peccatum ex malitiâ gravius eſt peccato ex concupiſcentiâ: atqui tamen malitia non auget voluntarium; ergo à fortiori nec concupiſcentia.

℞. Diſt. maj. gravius eſt, quia magis eſt liberum, conc. gravius eſt ratione majoris aut æqualis voluntarii, nego. Itaque cùm peccatum malitiæ ex plenâ libertate, ſine ignorantiâ & paſſione committatur, debet eſſe majus peccatis quæ *ex infirmitate*, ſeu paſſione procedunt; ſed non ideo plùs habet voluntarii: ubi enim major libertas, ibi major indeterminatio; ubi verò major indeterminatio, ibi minùs inclinationis, ac proinde voluntarii: hinc Deus voluntariè magis ſe amat quàm mundum exiſtentem.

Inſt. 1. Quod minuit liberum, minuit voluntarium: atqui ex conceſſis concupiſcentia minuit liberum. Prob. maj. Quod minuit motum *ab intrinſeco*, minuit voluntarium: ſed quod minuit libertatem, minuit motum ab intrinſeco.

℞. ad 1. neg. maj. ad 2. diſt. quod minuit motum ab intrinſeco, id eſt inclinationem voluntatis, minuit voluntarium, conc. quod minuit motum ab intrinſeco, id eſt indifferentiam voluntatis, minuit voluntarium, nego. Itaque concupiſcentia minuit quidem indifferentiam voluntatis, quia eam ſtatim & quaſi ſine diſcurſu in objectum ſuum trahit: ſed non ideo minuit ejus propenſionem, in quâ ſita eſt ratio voluntarii: imò quo mens avidiùs in objectum fertur, eo major eſt ejus in ipſum propenſio.

Inſt. 2. Quod minuit ſpeciem, minuit & genus: atqui liberum eſt ſpecies voluntarii; ergo ſi concupiſcentia minuit liberum minuit & voluntarium.

℞. Neg. maj. ſpecies enim non ex ſolo genere conſtat; ergo minui poteſt abſque eo quod minuatur ſecundum genus. Sic muri albedo, quæ eſt ſpecies coloris, minui poteſt abſque eo quod paries deſinat eſſe coloratus: ſic etiam liberum quod includit voluntarium & indifferentiam, minui poteſt ex parte indifferentiæ, nec tamen minui ex parte voluntarii.

Dico 5. Concupiſcentia conſequens auget voluntarium & peccatum. Ita S. Thomas. Ratio eſt; 1. 2. q. 77. a. 6.
quia ſecundùm hoc paſſio minuit peccatum, ſecundùm quod minuit liberum: atqui paſſio conſequens non minuit liberum, ſaltem moraliter, licet ipſum phyſicè minuere poſſit; quia paſſio conſequens effectus eſt voluntatis, quæ in ſemetipsâ ſponte, liberè ac prævidens, ardorem mali inflammavit. Ergo *ſic verum eſt*; *quod quantò aliquis majori libidine vel concupiſcentia peccat, quanto magis peccat.* Atque hinc ſequitur eos qui ex pravo habitu peccant, graviùs peccare; quia cùm voluntariè hoſce habitus foveant, actus inde prodeuntes, ſunt in ſe & in causâ liberi, eoque pejores quo propenſiùs feruntur in malum. Porrò hi pravos ſuos habitus fovere cenſentur, qui eos evellere negligunt: imò peccant quoties de pravâ ſuâ conſuetudine cogitantes, eam emendare non proponunt; qui enim in peccandi periculo deliberatè immoratur, eo ipſo peccat. Ita P. Paulus à Lugd. Debet ergo peccator pravum habitum confiteri, unde proſcripta eſt à Clero Gallicano anno 1700. hæc propoſitio, *Non tenemur Confeſſario interroganti, fateri alicujus peccati conſuetudinem.*

Ex dictis colliges, motus eos qui *primò primi* dicuntur, quia ſine rationis advertentia & voluntatis conſenſu exurgunt, non eſſe peccata; eos verò qui primò ſecundi appellantur, ad quos ſcilicet advertit ratio, & quibus conſentit voluntas, vera eſſe peccata; quia iſti liberi ſunt, illi non item. Hinc meritò damnata eſt hæc Baji propoſitio n. 75. *Motus pravi concupiſcentiæ, ſunt pro ſtatu hominis vitiati, prohibiti præcepto.* Non concupiſces: *unde homo eos ſentiens & non conſentiens, tranſgreditur præceptum* Non concupiſces, *quamvis tranſgreſſio in peccatum non imputetur.* Et certè *non nocet ſenſus, ubi non eſt conſenſus; imo quod reſiſtentem fatigat, vincentem coronat*, ait S. Bernardus.

ARTICULUS III.

De ignorantia.

TRia hic nobis veniunt diſcutienda. 1. quomodo ignorantia tollat vel cauſet voluntarium. 2. an quævis ignorantia etiam juris naturalis à culpâ excuſet. 3. an talis detur ignorantia. Quæ ut ſolvantur,

Not. 1. ignorantia latè ſumpta eſt *carentia ſcientiæ ſeu cognitionis*: eaque ſi ſit carentia cognitionis alioqui non debitæ, ut ignorantia juriſprudentiæ in ruſtico, dicitur *neſcientia*, aut ignorantia negativa; ſi ſit carentia cognitionis debitæ, ut Sacramentorum in Chriſtiano, vocatur ſtrictè ignorantia, vel ignorantia privativa; ſi demum juncta ſit errori, vocatur *pravæ diſpoſitionis*, aut *pravus habitus*.

Ignorantia ſtrictè ſumpta, ſpectari poteſt vel ratione ſubjecti in quo eſt; vel ratione rei quæ ignoratur; vel ratione actionis quæ fit ex ignorantia. Ignorantia ratione perſonæ ignorantis ſpectata, alia eſt *invincibilis*, quæ nempe communibus naturæ vel gratiæ auxiliis vinci non poteſt; alia vincibilis, quæ iiſdem auxiliis vinci poteſt: & hæc ſubdividitur in *affectatam*, cum quis de induſtriâ aliquid ignorare affectat, ut liberiùs peccet; & *craſſam* ſeu *ſupinam*, ut ſi quis directè quidem non affectet ignorare, ſed debitam non adhibeat diligentiam, ut ignorantiam vitet. Ignorantia ratione objecti, alia eſt *juris* ſeu præcepti, ut ſi quis neſciat invalidum eſſe matrimonium cum affine vel conſanguinea; alia eſt *facti*, ut ſi quis ſciens legem, v. g. affinitatem ex diſpoſitione juris matrimonium dirimere, ignoret eam cui nubit, eſſe ſibi affinem. Ignorantia juris pro legum diverſitate diverſa eſt: alia eſt juris *poſitivi* quod liberâ Dei vel hominum voluntate conſtitutum eſt; alia juris *naturalis*, ſeu legis illius quæ magis aut minus clarè dictat quid licitum ſit aut prohibitum. Ignorantia in ordine ad actiones, triplex ſecernitur. *Antecedens*, quæ nullo modo eſt volita, & tamen eſt cauſa volendi id quod alioqui non vellemus: talis fuit ignorantia in Jacob cum acceſſit ad Liam; hæc ignorantia idem eſt cum invincibili. *Concomitans*, quæ comitatur actionem, ita ut non ſit cauſa illius, quia adhuc fieret, etiamſi abeſſet ignorantia: talis eſt ignorantia illius qui hoſtem occidit, ratus eſſe feram, ita diſpoſitus ut quamvis ſciviſſet hoſtem, nihilominus occidiſſet. *Conſequens* denique, quæ à voluntate directè vel indirectè volita eſt, eſtque vincibilis.

Not. 2. multi negaverunt ignorantiam etiam invincibilem juris naturalis excuſare à peccato. Sic Lutherus in cap. 12. Gen. *Falſa eſt*, inquit, *illa celebris Scholaſticorum ſententia de ignorantiâ invincibili excuſante*. Sic & Janſenius, qui poſtquam dixit *generale Scholaſticorum pronuntiatum eſſe*, *quod quidquid ex invincibili fit ignorantiâ, hoc ipſo culpa vacat*; contrarium *ut dogma fidei, & rem extra omnem controverſiam* tuetur. Idem, ut æquum erat, docet ſub Wendrochii nomine Nicolius in diſſert. de probabil. ad finem 5. Montaltii Epiſtolæ, ubi ignorantiam juris naturalis, etiam invincibilem, à peccato excuſare negat; quod tamen ad ignorantiam juris poſitivi extendere non audet. Ratio diſcriminis inter utramque, juxta eum, hæc eſt, quod prima ſit pœna originalis peccati, quia homini connaturaliter debita eſt juris naturalis ſcientia: ſecunda verò, nec homini nec Angelo naturaliter debita eſt, quia nulla eſt creatura cui Deus leges quas liberè condidit, manifeſtare teneatur. L. 2. De ſtat. nat. lapſ. c. 2.

Not. 3. ſunt aliqui Theologi qui fatentur hominem à peccato per ignorantiam invincibilem excuſari; ſed addunt eam locum non habere in iis quæ ſpectant ad jus naturale. His poſitis ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Ignorantia conſequens non affectata, facit opus ſimpliciter voluntarium, & involuntarium ſecundum quid; ignorantia verò affectata, voluntarium, ſicque & peccatum adauget.

Ratio primæ partis eſt, quod qui vult cauſam alicujus effectûs, vult in illâ cauſâ eundem effectum: ſed qui agit ex ignorantiâ conſequente, eundem vult, ut ex terminis patet; ergo. Ratio 2. partis eſt, quòd actio contra aliquam voluntatis propenſionem facta, ſit ſecundum quid involuntaria: atqui actio quæ fit ex ignorantiâ purè conſequenti, fit contra aliquam voluntatis propenſionem; qui enim ex tali ignorantiâ agit, ſic affectus eſſe ſupponitur, ut ſeclusâ ignorantiâ non ageret id quod agit, ut cùm quis non factâ ſufficienti diligentiâ occidit amicum, ratus ſe feram occidere. Ratio 3. partis eſt, quia ignorantia nõ affectatur, niſi ut homo liberiùs peccet; ergo efficit ut mala actio quæ ardentius quæritur, magis ſit voluntaria, majuſque peccatum.

Ignorantia verò concomitans nec voluntarium nec involuntarium facit, unde nec accuſat, nec excuſat. 1. pars patet, quia opus illud involuntarium eſt, quod nec in ſe nec in ſuâ cauſâ volitum eſt: atqui opus ex tali ignorantiâ factum, nec volitum eſt in ſe, cùm ſupponatur invincibiliter ignorari; nec in ſuâ cauſâ, nempe ignorantiâ ipſâ, cum nullatenus volita ſit; ergo. Et certè ſi occiſio ex tali ignorantiâ facta, in ſe voluntaria foret, occiſor pœnis contra homicidas latis ſubjaceret, & ad reſtituendum teneretur: atqui contrarium tenent Theologi; ergo. Prob. 2. pars, quia ea actio poſitivè involuntaria dici non poteſt, quæ non repugnat, ſed potiùs congruit voluntatis inclinationi, quamque ut reſcivit homo, ſe perpetraſſe gaudet: atqui talis eſt actio illius qui credens ſe feram occidere, hoſtem ſuum occidit; ergo talis actio non eſt poſitivè involuntaria, ſaltem ratione habitualis diſpoſitionis ſubjecti à quo procedit.

Dices: Ideo ignorantia cauſat involuntarium, quia removet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, non poneretur effectus: atqui ignorantia concomitans non removet ſcientiam quâ poſitâ non poneretur effectus; cùm effectus adhuc & quidem libentiùs, ponendus eſſet, ſi ſcientia hæc adeſſet.

℟. Diſt. min. ſcientia quam removet ignorantia concomitans, non impediret effectum quoad entitatem, quia adhuc poneretur occiſio hominis, conc. non impediret effectum quoad rationem non voluntarii, nego. Tunc enim ob hanc ſcientiam effectus ille eſſet voluntarius; ergo ob ejuſdem ſcientiæ privationem, debet eſſe non voluntarius, licet ob pravam agentis diſpoſitionem habeat aliquid voluntarii.

CONCLUSIO SECUNDA.

Quælibet ignorantia, etiam juris naturalis, modo invincibilis ſit & antecedens, tollit voluntarium & excuſat à peccato.

Prob. 1. ex Apoſt. juxta quem Gentiles *inexcuſabiles* erant, *quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*. Ergo ſi fortè Deum invincibiliter ignoraſſent, excuſati fuiſſent à culpâ. Ita S. Thom. Lect. 7. in hunc locum. Rom. 1.

Prob. 2. ex S. Auguſtino pluribus in locis. Lib. de duabus anim. c. 12. *Dicere*, inquit, *peccati reum*

teneri

teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit; ſumma iniquitatis eſt. L. 3. de lib. arb. *Nec eſt cui rectè imputetur peccatum, niſi... volenti* c. 18. *Quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur... An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit; Si ita eſt, nulla peccata ſunt: quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt;* c. 19. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quòd negligis quærere quod ignoras.* Atqui ſi ignorantia invincibilis juris naturalis non excuſaret à peccato, reus teneretur homo quia non fecit quod facere non potuit, ei etſi non volenti imputaretur peccatum, peccaret in eo quod invitus facit & quod nullo modo cavere poteſt: quod enim invincibiliter ignoratur, utique caveri nullatenus poteſt; ergo *dicendum* cum S. Thoma, *quòd ignorantia quæ eſt omninò involuntaria, non eſt peccatum, & hoc eſt quod Aug. dicit Non tibi imputatur ad culpam ſi invitus ignores.* (q. de pœnit. a. 7. ad 1.)

Prob. 3. ex his Trid. Concilii verbis: *Deus impoſſibilia non jubet &c.* atqui ſi ignorantia invincibilis à peccato non excuſet, Deus jubet impoſſibilia & quidem phyſicè. Nam Deus qui omnia peccata à nobis vitari jubet præcipit ſanè ut ea vitemus quæ juxta Janſenium ex ignorantia invincibili admittimus: atqui tamen peccata hæc vitari phyſicè non poſſunt. Non enim vitari poſſunt, niſi cognoſci poſſint: non poſſunt autem, ſi eorum ignorantia hic & nunc invincibilis eſſe ſupponatur? ergo jure ac meritò damnata fuit ab Alexandro VIII. propoſitio iſta, *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ hæc in ſtatu naturæ lapſæ, operantem ex ipſâ non excuſat à peccato formali.*

Prob. 4. ab abſurdis. Nam ex oppoſita opinione ſequitur 1. virum frugi qui de aliquo ad jus naturæ pertinente dubitat, non poſſe tutò ſequi conſilium Epiſcopi ſui pii & prudentis: is enim, utpotè fallibilis, à veritate declinare poteſt. Sequitur. 2. contra deciſionem Alex. VIII. quòd *non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam, quia hæc falſa eſſe poteſt:* atqui hæc inſana ſunt & abſurda, quid enim melius facere poteſt vir anceps & dubius, quam ſi ad eos recurrat qui ſunt cæcorum duces, præſertim cum pietate pariter & ſcientia conſpicui ſunt; &c. Plura videris apud Steph. Dechamps. *De hær. Janſ.* (L. 3. diſp. 5. c. 4.)

Prob. 5. ignorantia invincibilis juris poſitivi excuſat à peccato; ergo & ignorantia juris naturalis. Prob. ant. 1. ex his Chriſti verbis: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis peccatum non haberent.* (Joan. 15.) 2. ex S. Auguſtino, qui expendens eadem Chriſti verba, reſpondet Judæos, ſi Chriſtus non veniſſet, *excuſationem* habituros fuiſſe, *non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato quo in Chriſtum non crediderunt.* (Tract. 89. in Joan.) Plura congerere ſuperfluum fuerit, quia nobis hoc in puncto conſentit Janſenius: unde prob. conſeq. Ideo juxta S. Auguſt. excuſantur à culpa qui nihil unquam audierunt de Chriſto, quia *nec contempſerunt, nec reſtiterunt* voci Chriſti, ſed ſincerè dicere poſſunt, *Non vidimus, non audivimus*: atqui pariter qui jus naturale ſibi invincibiliter ignotum tranſgrediuntur, legem non contempſerunt quam inviti ignorant.

Prob. 6. Ideo Calvinus, Zanchius, Janſenius & alii, ignorantiam juris naturalis à peccato excuſare negant, quia hæc in Adami peccato voluntaria eſt: atqui hæc ratio nimis probat; ſic enim in peccatum imputabuntur improviſi concupiſcentiæ motus, quia à voluntario Adæ peccato profluunt, & in illo liberi fuere. Ut quid ergo qui Calvinianis in principio conſentit Janſenius iiſdem in conſequentiis non aſſentitur.

Objiciunt multa ex Scripturis, ut 1. quod voluerit Deus occidere Abimelech, eo quod tuliſſet Saram quam tamen invincibiliter ignorabat eſſe uxorem Abrahæ. (Gen. 20.) 2. quod offerentur ſacrificia pro oblivione, & ignorantia, eaque invincibili & non ſpontanea, ut patet ex Num. 15. 3. quod David petat ſibi ignoſci *delicta juventutis, & ignorantias* ſuas, (Pſal. 24.) haud profectò voluntarias quarum capax non erat vir *ſecundum cor* Dei; ergo invincibiles. 4. quod Lucæ 12. ſervus ignorans voluntatem Domini, *vapulabit paucis.* Is tamen non ignorat voluntariè, alioqui vapularet multis; peccat tamen, cum vapulet & dicatur feciſſe *digna plagis.*

℞. ad 1. locum hunc eſſe extra rem. Nam 1. ignorantia Abimelech non fuit juris, ſed facti. 2. nec ea fuit invincibilis; unde puniri meruit Abimelech, vel quia non ſatis inquiſiit an Sara uxor Abrahæ foret, ut notat Abulenſis; vel quia eam tulit, invitam, ut notat Corn. à Lapide.

Ad 2. ignorantia quæ Levit. 5. & Num. 15. pœnis ſubjacet, eſt ignorantia ceremoniarum, adeoque & juris poſitivi, quæ proinde in culpam moralem imputari non potuit, niſi aliquantulum voluntaria eſſet.

Ad 3. David utpote homo, ex eorum erat numero qui *in multis* offendunt; quìdni ergo quædam admiſerit peccata ignorantiæ, quia, ut quotidie viria ſanctis contingit, non omnem adhibuit diligentiam qua ea devitaret. (Jacobi c. 3.)

Ad 4. dico ſervum de quo agitur, non tantam habuiſſe voluntatis domini ſui cognitionem, quantam habent ſervi præcipui quibus amplior domus cuſtodia committitur, ſed non ideo eam prorſus neſcivit; imo credunt multi eum non vapulare *paucis* abſolutè, quaſi à grandi peccato immunis ſit, ſed reſpectivè, quia minùs punietur, quam qui plura habuit & neglexit talenta.

Obj. 2. S. Auguſt. pluribus in locis. Sic L. de nat. & grat. c. 17. n. 19. *Tractat* Pelagius *de peccatis ignorantiæ, & dicit,* * hominem prævigilare debere ne ignoret: ideoque eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſcit negligentia ſua, quod adhibita diligentia ſcire debuiſſet. (* verba Pelagii.) *Dum tamen omnia potius diſputet, quam ut oret & dicat,* Da mihi intellectum ut diſcam mandata tua. (Pſal. 118.) *Aliud eſt enim non curaſſe ſcire, quæ negligentia peccata etiam per ſacrificia quædam Legis videbantur expiari; aliud intelligere velle, nec poſſe, & facere contra Legem non intelligendo quod fieri velit.* Unde ſic: ignorantia de qua hic loquitur Auguſtinus planè eſt invincibilis; cum reperiatur in iis qui intelligere volunt nec poſſunt etiam *adhibita diligentia*: atqui ignorantia hæc verè culpabilis eſt; tum quia per eam homo facit *contra legem*; tum quia alioqui ſentiret Auguſt. cum Pelagio tunc tantum culpandam eſſe ignorantiam, cum id homo neſcit quod adhibita diligentia ſciviſſet.

℞. Ad 1. neg. maj. & probationem diſt. Reperitur in iis qui intelligere volunt, nec poſſunt, quia ſola naturali diligentia intelligere volunt, nec petunt gratiam qua diſcant & intelligant, conc. qui abſolutè intelligere non poſſunt, nego. Solutio eſt in ſequentibus verbis: addit Auguſtinus, *unde admonemur a Deo petere ſapientiam, qui dat omnibus affluenter; utique his omnibus qui ſic petunt, & tantum petunt quomodo & quantum res tanta petenda eſt*: ergo ſupponit S. Doctor eos de quibus loquitur ideo intelligere non poſſe, quia vel non petunt, vel ut oportet non petunt gratiam & intellectum ut diſcant mandata Dei. Aliam ſolutionem videris apud Dechamps.

Inſt. 1. S. Auguſtinus Epiſt. ad Sixtum n. 26. *Hu-* (L. 3. 4. 5. 1. 8.)

mana ſuperbia, inquit, *tanquam præſumens de viribus liberi arbitrii excuſatam ſe putat, quando ignorantia non voluntas videtur eſſe quod peccat... Dei tamen juſtum judicium nec illis parcit qui non audierunt... ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat; quia & ipſa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati.* Ignorantia de qua hic loquitur S. Aug. expreſſè dicitur *inexcuſabilis*, unde nec ei *parcit Dei judicium*: atqui ignorantia hæc invincibilis eſt, cum *non* ſit *voluntatis*, & in iis reperiatur qui *non audierunt*, nec *intelligere potuerunt*.

℞. 1. textum hunc ſi quid probat. contra Janſenium probare. In eo enim manifeſtè agitur de ignorantia juris poſitivi; en verba quæ præcedunt: *Dicit Dominus in Evangelio, Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent... hanc eos excuſationem non habere aſſerit, qua poſſint dicere, Non audivimus &c. Humana ſuperbia &c.* ut in objectione. Et certè nihil aliud in objecto textu dicit S. Doctor, quam quod Tract. 89. in Joan. quem tamen Janſenius ipſe fatetur intelligi debere de juris poſitivi ignorantia.

℞. 1. neg. maj. Non enim dicit Auguſtinus ignorantiam de qua loquitur eſſe inexcuſabilem, ſed dicit eos qui ignorant, nempe legem Chriſti, & Baptiſmi neceſſitatem, eſſe inexcuſabiles, nec iis parcere juſtum Dei judicium, *ob reatum* ſaltem *originis*, qui ſine Baptiſmo etiam invincibiliter ignorato non purgatur. Hoc admittimus omnes contra Pelagianos, ſed quid inde in gratiam Janſenii.

Inſt. 2. S. Doctor ſic habet L. de grat. & lib. arb. c. 3. *Aliud eſt neſciſſe, aliud neſcire noluiſſe. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur*, Noluit intelligere ut bene ageret: *ſed & illa ignorantia quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia non audivit omnino quod crederet, ſed fortaſſis ut mitius ardeat; non enim ſine cauſa dictum eſt*,
Pſalm.78. Effunde iram tuam in Gentes quæ te non noverunt. Unde ſic: Ignorantia de qua hic ſermo eſt, neminem excuſat: atqui tamen vinci non potuit. Ea enim Ignorantia invincibilis eſt, qua quis laborat non quia ſcire noluit, ſed quia deficiente qui prædicaret; audire non potuit: atqui talis eſt ignorantia de qua loquitur Auguſtinus; unde dicitur ſimpliciter neſcientia, ut ab ignorantia volita diſtinguatur.

℞. diſt. maj. neminem excuſat à peccato originis, & damnatione quæ ejus pœna eſt, conc. à peccato actuali, ſubd. ſi verſetur circa materiam quæ cognoſci poſſit, conc. quæ ignoretur invincibiliter, nego. Textus Aug. ideo difficilis eſt, quia non ſatis conſtat de cujus juris ignorantia loquatur: hæc enim verba, *Si propterea non credidit, quia non audivit &c.* ad ignorantiam legis evangelicæ pertinere videntur; rurſum hæc verba, *Effunde iram tuam &c.* in ignorantiam juris naturæ cadere poſſunt. Sed quidquid ſit, negandum eſt ignorantiam, quæcumque peccaminoſa eſt, eſſe invincibilem. 1. quia ex Aug. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras &c.* 2. quia in objecto textu loquitur Aug. non de his qui ſimpliciter neſciunt, ſed qui *tanquam ſimpliciter neſciunt*: atqui vox hæc *tanquam*, ignorantiam hanc diſtinguit ab ea quæ ſimplex eſt & invincibilis. Ita intellexerunt veteres omnes Theolo-
In 2. diſt. 22. gi cum Magiſt. ſent. 3. dicit Auguſt. eos qui tali laborant ignorantia. *fortaſſis minus* eſſe puniendos. Quis porrò hominum credat dubitaſſe Auguſtinum, an qui ex ignorantia invincibili & prorſus involuntaria agunt, *mitius* puniantur; ergo S. Doctor vocem hanc *mitius* inſeruit, ut innueret ſe loqui de ignorantia vincibili, non quidem affectata, ſed neglecta; hæc enim negligentia poteſt aliquando eſſe tam modica, ut inde proveniens malum & imminuatur, & debeat *mitius* puniri.

Inſt. 3. ut convellantur reſponſiones modo adductæ, & probationes ſuperius allatæ ex Auguſtino, ſatis eſt ut oſtendatur in mente S. Doctoris neceſſariam fuiſſe ad Adæ peccatum libertatem, quæ nunc in præſenti ſtatu neceſſaria non eſt: atqui id certo certius eſt. Cum enim Pelagiani contra Auguſtinum uterentur ea peccati definitione, qua ſanxerat ipſe *peccatum* eſſe *id unde liberum eſt abſtinere*, reſpondit S. Doctor, L. 1. Operis imperf. n. 47 *Ipſe eſt Adam quem noſtra illa definitio quæ tibi placuit intuebatur &c.* Et n. 44. *Hic peccatum definitum eſt, quod tantummodo peccatum eſt, & non pœna peccati; qua*, ut ait n. 104. *perit libertas non peccandi.* Itaque juxta S. Doctorem, peccatum quod ſimul peccatum eſt & pœna peccati, imputatur etſi vinci non poſſit: atqui ex eodem S. Doctore, ignorantia peccatum eſt ſimul & pœna peccati.

℞. neg. maj. docet quidem S. Doctor Adæ filios De champ. l. 3 d. 5. c. 7.
minus liberè peccare, quam ipſum Adamum, cum primâ vice lapſus eſt; ſed non ideo negat liberum nobis eſſe abſtinere à peccato. Utrumque docet Auguſtinus ibid. *Multa ſunt*, inquit, *quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum eſt abſtinere, ſed nulli tam liberum eſt quam* Adæ fuit.

Obj. 3. Hæc Cœleſtii propoſitio, *Oblivio & ignorantia non ſubjacent peccato, quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem*, damnata fuit in Synodo Dioſp. ut error quem an. 415.
reprobat S. Dei Eccleſia: atqui hæc propoſitio loquitur de ignorantia invincibili, de ea nempe quæ *ſecundum neceſſitatem* evenit; unde S. Hieron. in Dialogo 2. contra hunc Pelagianorum errorem ſcripto, Critobulum Pelagii partes agentem ſic loquentem inducit: *Ubi aufertur poſſibilitas, aufertur & vitium; nemo enim condemnatur* de eo *quod facere non potuit &c.*

℞. prædictam propoſitionem damnatam fuiſſe ob ſuam univerſalitatem, & eo intellectam ſenſu quod quævis ignorantia ſive juris ſive facti excuſaret à peccato; neque enim, quod Janſenio neceſſarium foret, de ſola juris, ſed etiam de facti igno-
rantia loquebatur Cœleſtius, & utramque perinde L. 5. cont. Julian. c. 19. L. 3. de lib. arb. c. 18.
peccatum eſſe contendebant Auguſtinus & Hieronymus: unde Auguſtinus in probationem aſſumit tum Abimelech, qui ignorans tulerat Saram; tum Paulum, qui *ignorans*, Chriſtum perſecutus erat; Hieronymus vero innumera propè adducit exempla ex Exodo, Levitico & Numeris, in quibus ferè ſemper agitur de ignorantia facti vel juris poſitivi, ut cum *exilio condemnatur qui occidit per ignorantiam tetigerit aliquid immundum*; ergo damnatio propoſitionis Cœleſtii, minus in nos quam in Janſenium cadit.

Ad prob. diſt. propoſitio Cœleſtii loquitur de ignorantia invincibili, id eſt quæ talis erat in hæreticis ejuſdem principiis, conc. in rei veritate, nego. Itaque cum Pelagiani gratiæ divinæ neceſſitatem rejicerent, exiſtimabant omnem ignorantiam quæ ſolis naturæ viribus vinci non poteſt, invincibilem eſſe, ideoque inculpabilem; imo ex Dialogis S. Hieronymi colligi poteſt eos ignorantiam quæ facile vinci non poſſet, habuiſſe pro invincibili. Utrumque errorem *reprobat S. Dei Eccleſia*, & nos cum ipſa; ergo nihil inde contra nos.

Obj.

Obj. 4. Tam ignorantia nobis io peccatum imputari poteſt, eò quòd in voluntate Adami libera ſit, quàm nobis in peccatum imputetur homicidium, eò quòd in ebrietate præcedeoti liberum ſit: atqui &c.

℞. Neg. maj. diſparitas eſt quod homicidium quatenus prævideri potuit & debuit, ſit ex propriâ noſtrâ voluntate voluntarium ſaltem io causâ; ignorantia verò invincibilis, nec in ſe, nec in causâ, voluntaria ſit in propriâ voluntate; & certè hæc ratio probaret indeliberatos coocupiſcentiæ motus voluntarios eſſe debere, & in peccatum imputari, quod eſt hæreticum.

CONCLUSIO TERTIA.

Non datur ignorantia invincibilis juris naturalis quoad prima principia, & proximas eorum concluſiones; datur verò quoad concluſiones magis remotas.

Prob. 1. pars. Illud invincibiliter noo ignoratur, cujus cognitio tam ſponte meoti obvia eſt, ut ſine difficultate haberi poſſit: atqui talis eſt cognitio primorum juris naturalis principiorum &c. An enim homini laborandum eſt ut detegat alteri faciendum non eſſe, quod ſibi fieri non vellet; an ſudandum eſt ut ex hoc principio proximas haſce concluſiones deducat, ergo non eſt furandum, occidendumve, aut mentiendum?

Idem docet Apoſt. Rom. 2. *Cum Gentes*, inquit, *quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, ejuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex; qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus aut etiam defendentibus*; ergo Gentes etiam poſitivis legibus deſtitutæ, dictamen legis naturalis in corde ferunt, & hanc legem adeo præſentem habent, ut ex ipſo conſcientiæ vel applaudentis, vel remurmurantis teſtimonio ſtatim cognoſcant an eam violent, necne.

Obj. 1. Apoſtolus Rom. 7. *Peccatum*, inquit, *non cognovi niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces.*

℞. Nihil inde concludi, cùm ne vocula quidem una ſit in textu Apoſtoli quæ indicet ignorantiam de quâ in perſonâ Judæorum loquitur, eſſe iovinci-
Epiſt. 151. bilem. *Quis enim ignoret*, ait S. Hieronymus, *homicidium, adulterium, furtum, & omnem concupiſcentiam eſſe malum?*

Obj. 2. Furtum, & homicidiom adverſantur primariis juris oaturæ legibus: atqui de facto ignoratum eſt hæc eſſe mala, cùm furtum in Ægypto & apud Lacedemonios approbaretur; & Maſſagetæ, parentes & propinquos cùm ad ſenectam veniſſent, jugulatos devorare ſolerent, ut refert S. Hieronymus. *L. 2. adverſ. Jovin. c. 6.*

℞. Neg. min. Audiatur S. Auguſtinus L. 2. Conf. c. 4. *Furtum certè punit lex tua Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas. Quis enim fur, æquo animo furem patitur?* Si verò lex furtum prohibens invincibiliter non ignoretur, quantò minùs ea invincibiliter ignorabitur quæ homicidium vetat?

Prob. 2. pars. Ea invincibiliter ignorantur, quorum cognitio ne quidem cum magis naturæ & gratiæ auxiliis haberi poteſt: atqui multæ ſunt concluſiones à primis juris principiis oriundæ, quarum cognitio ne cum magnis quidem naturæ & gratiæ auxiliis haberi poteſt; cum circa eas dividantur acutiſſimi ſimul & piiſſimi Eccleſiæ Patres & Doctores; ſic S. Thomas putat Judicem poſſe morti addicere eum quem inoocentem novit, quod S. Bonaventura negat; ſic poſterior admittit actus indifferentes, quos prior rejicit.

Et verò ſi quælibet ignorantia juris naturalis vinci poſſit, maximè per orationem: atqui falſum conſequens; cùm majora Eccleſiæ lumina, dies noctéſque orando, ſtudendo, vigilando coosumpſerint, oec tamen eam quam optabant cognitionem obtinuerint. Deinde dicant adverſarii, quanto tempore orandum ſit, ut omnis pellatur ignorantia; dicant quæ carentia orationis, ad gradum peccati gravis ſufficiat. Dicant an ab orbe condito, cùm tot perſeverent controverſiæ, nemo ſatis hactenus oraverit. Dicant quando quis certus eſſe poſſit ſe ſatis oraſſe; vel potiùs cùm ſolidi nihil reſpondere poſſint, fateantur Deum permittere ut etiam ab amicis ſuis quædam bonâ fide ignoreotur, ſicut permiſit ut Jacob vir ſanctus ad Liam accederet.

Obj. Ea ignorantia invincibilis cenſeri non debet, quam homo de facto vinceret ſi vellet: atqui ignorantiam cujuſcumque juris naturalis de facto vinceret homo ſi vellet. Homini enim præſertim juſto nō deeſt gratia ſufficiens: atqui qui eâ gratiâ uti vellet, quamcunque vinceret ignorantiam juris naturalis. Vinceret enim obicem omnem qui ab obtinendâ ſalute impedire poſſit; hos verò inter obices, primas tenet ignorantia eorum quæ nobis agenda ſunt.

℞. 1. argumeotum hoc ad ignorantiam *facti* totum transferri poſſe; facilè enim dicitur hominem ſi gratiâ ut par eſt utatur, novas à Deo illuſtrationes accepturum eſſe quibus errorem quemlibet devincat.

℞. 2. ad 1. neg. min. ad 2. diſt.. Noo deeſt gratia quâ peccatum formaliter ſumptum devitet, conc. peccatum etiam materialiter, nego. Porrò peccatum quod ex ignorantiâ prorsùs invincibili committitur, non eſt peccatum niſi materialiter, nec impedit quominus æterna ſalus obtineri poſſit. Imò ſunt qui credant Deum quarumdam rerum cognitionem homini ſubtrahere, qui mavult ut propter cognitionis defectū non peccet niſi materialiter, quam ut occaſione cognitionis ſuæ formaliter delinquat.

Ergo, inquies cum Veodroch, melior eſt conditio ignorantis quàm cognoſcentis, cùm hic formaliter, ille ſolùm materialiter peccet.

℞. Meliorem eſſe, quatenus à peccato eximit, pejorem verò ſub alio reſpectu, quatenus aliquid inordinati ſupponit. Sic fateretur Vendroch melius fuiſſe Jacob accedere ad Liam invincibiliter ignotam, quàm ſi nota fuiſſet; melius eſſe quædam in ſomno pati aut facere, quàm extra ſomnum; imò melius eſſe agere ex ignorantiâ invincibili juris, quàm cum ejus cognitione, quia cognitio, juxta Janſenianos, ſaltem auget peccatum; ignorantia verò ſi non à toto, ſaltem à tanto excuſat.

CAPUT TERTIUM.

De Libero.

QUæſtionem de libertate etſi alibi à D. Tourne- *T. 2. de attrib. p. 657.*
ly pertractatam, hic omittere non poſſumus, quia ad præſentem Tractatum maximè pertinet, utpotè quæ unum ſit è præcipuis actuum humanorum principiis.

Libertas in genere eſt exemptio & immunitas à ſubjectione & ſervitute: hinc totuplex eſt libertas, quotuplex ſervitus à quâ quis ſolvi & liberari poteſt; ſed quadruplex præcipuè diſtinguitur, nimirum libertas *à peccato*, quæ hominem facit ſanctum; *à miſeriâ*, quæ beatum; *à coactione*, quæ ſponte volentem, & *à neceſſitate*, quæ perfectè liberum reddit.

Libertas

Libertas à peccato & miſeriâ non ſunt præſentis inſtituti. Libertas à *coactione* ſeu *ſpontaneitatis*, eſt immunitas ab omni violentiâ contra voluntatis propenſionem illata : hæc competit ei omni qui non coactè ſed ſponte agit, etiamſi ex neceſſitate naturali agat : hoc ſenſu Pater in divinis liberè Filium generat. Libertas *à neceſſitate*, quæ etiam *electionis, indifferentiæ, vel arbitrii* dicitur, ea eſt quæ omnem neceſſitatem tam interiorem ſeu naturæ, quam exteriorem ſeu coactionis excludit : eo ſenſu liber eſt, qui poteſt agere vel non agere, hoc medium eligere vel non eligere. Quia vero electio unius præ alio multipliciter fieri poteſt; ideo libertas à neceſſitate multipliciter ſubdividitur : alia eſt enim *contradictionis*, ad agendum vel non agendum, amandum v. g. vel non amandum; alia *contrarietatis*, ad agendum hoc vel ejus oppoſitum, amandum v. g. vel odio habendum; alia *diſparitatis*, ad agendum hoc vel aliud, ſed non oppoſitum, v. g. orandum aut ſtudendum.

Libertati opponitur neceſſitas quæ eſt determinatio ad unum, eaque multiplex diſtinguitur. Nam 1. alia eſt *neceſſitas coactionis*, quæ eſt vis alicui contra propriam inclinationem illata, & hæc in voluntatem non cadit, alia eſt neceſſitas *inclinationis*, quæ eſt impulſio & motus interior ita determinans ad unum, ut voluntas ab eo abſtinere non poſſit. Hæc neceſſitas iterum duplex : alia *naturalis inclinationis*, ſeu *naturæ*, quæ ſcilicet menti congenita eſt, & provenit à principio intrinſeco ad unum naturaliter determinante : talis eſt in Deo ſe amante, & in homine beatitudinem in communi proſequente; alia *inclinationis adventitia*, quæ oritur à motu accidentali quo mens determinatur ad aliquid, ſive *immutabiliter*, ut contingit Beatis, qui ex viſione Dei ad amorem ejus jugiter accenduntur; ſive mutabiliter & tranſitoriè, ut contingit in ſyſtemate eorum qui duas admittunt delectationes, terrenam & cœleſtem, quæ ſucceſſivè ſimul & invincibiliter ad malum & ad bonum trahunt. 2. alia eſt neceſſitas *antecedens* ſeu *abſoluta*, quæ vel rationis & voluntatis uſum antecedit; ut in motibus primò primis; vel conſenſum hunc ita exprimit ut eum voluntas denegare nequeat; alia neceſſitas *conſequens* ſeu *hypothetica*, quæ liberam voluntatis determinationem ſequitur : ſic neceſſe eſt me loqui, ſi ad loquendum me determinaverim. 3. neceſſitas alia eſt *ſpecificationis* cum voluntas ita ad unam ſpeciem actus determinatur, ut in ſpeciem oppoſitam ferri non poſſit : ſic Chriſtus ita ad bonum determinatus erat, ut peccare non poſſet; alia *exercitii*, cum quis non ſolum ad hanc ſpeciem actus, ſed etiam ad hunc numero actum ita determinatur, ut non modo non poſſit ad oppoſitum ferri, ſed neque etiam ab iſto poſſit abſtinere : ſi Deus ad amorem ſui neceſſariò rapitur. Hæc neceſſitas exercitii circa unum non impedit libertatem circa alia ejuſdem generis, ſic Deus liberè amat creaturas. 4. alia eſt neceſſitas *phyſica* cum voluntas ita vult unum, ut aliud hic & nunc velle non poſſit; alia *moralis*, cum eadem voluntas ita ad unum trahitur, ut non niſi cum magna difficultate, quæ tamen actu & de facto vinci poteſt, in aliud ferri poſſit. De his plura & utilia videris, tum apud Tournely citato loco, tum in Libro cui titulus, *Diſſertatio de Janſenii ſyſtemate &c.* Pariſiis apud Deluſſeux.

Part. 1. pag. 28. &c. 99. &c.

Nunc tria quæruntur 1. utrum homo ſit liber libertate indifferentiæ. 2. utrum hæc indifferentiæ libertas, ad meritum vel demeritum requiratur in præſenti naturæ lapſæ ſtatu. 3. an ad eſſentiam & quidditatem libertatis requiratur indifferentia.

Circa primum erraverunt Stoici, Aſtrologi, Manichæi, Wicleſiſtæ, Calviniani, Lutherani, & Janſeniani; ſed ſi idem in omnibus fuit error, non idem fuit erroris principium. Stoici ex fato, Aſtrologi ex ſyderum influxu, Manichæi ex duplici quam in ſingulis hominibus admittebant anima, bona quæ ad bonum, mala quæ ad malum neceſſariò traheret, ſtatim ut altera alteri prævaleret; Calviniani vero & alii ejuſdem furfuris, ex efficacia tum gratiæ, tum concupiſcentiæ, quibus reſiſti nequeat.

Circa ſecundum erraverunt idem, quatenus meritum & demeritum una cum invincibili ad unum determinatione ſubſiſtere poſſe crediderunt. Ut peccet homo, *ſatis eſt*, ait Janſenius, *quod... plena voluntate feratur in malum, ſive ab iſta diligendi mali neceſſitate ſe expedire poſſit, ſive non poſſit*. Magiſtri ſui mentem bellè expreſſit author Libri cui titulus, *S. Auguſtin. victorieux de Calvin & de Molina*. En verba ipſius : *Nous ne rougiſſons point d'aſſurer avec le même Evêque* Janſenius, *que quand notre volonté produiroit un mauvais amour, qui ne fut pas ſeulement neceſſaire de cette neceſſité generale qu'on appelle de ſpecification, mais auſſi d'une neceſſité d'exercice, comme l'amour des Bienheureux eſt neceſſaire, nous ſerions veritablement coupables.* Vide citatam diſſertationem.

L. 4. de ſtatu nat. lap. c. 24. — *P. 314.*

Circa tertium multæ proponuntur quæſtiones, puta an libertas ut ſic, ſeu quoad ſubſtantiam & prout abſtrahit ab iis quæ ad meritum neceſſaria ſunt, ſola ſpontaneitate, & ſine indifferentia concipi poſſit. Deinde an ad eam requiratur indifferentia, tum contradictionis, tum contrarietatis, quæ omnia ut ſolvantur, ſit.

CONCLUSIO PRIMA.

Homo lapſus non à coactione ſolum, ſed etiam à neceſſitate liber eſt.

Prob. 1. ex Scriptura. Gen. 4. ſic loquitur Deus ad Cain : *Nonne ſi benè egeris recipies; ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit ſed ſub te erit appetitus ejus*, id eſt appetitus ad peccatum provocans tibi ſubjicietur *& tu dominaberis illius.* Atqui is Dei ſermo ſenſu vacuus eſt, ſi homo ad unum, v. g. ad peccatum neceſſario determinetur; tunc enim nec bene agere poteſt, nec appetitui quo fertur ad malum, dominari dicendus eſt. Joſue 24. *Optio vobis datur eligite hodie quod placet cui ſervire debeatis, utrum diis* an Domino : atqui *in his quæ ſunt penitus determinata ad unum, electio* ſeu optio *locum non habet*, ait S. Thomas. Eccli. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui, adjecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te... Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum : quod placuerit ei, dabitur illi* En loci vera exprimitur libertas : atqui locus ille reſtringi non debet ad Adam antequam lapſus eſſet, ut reſtringitur à Calvino. 1. quia hæc verba. *Ante hominem vita & mors &c.* non poſſunt de aliis intelligi hominibus, quam qui nunc vivunt : neque enim nunc vita & mors ſunt ante Adam, nec is ex Eccleſiaſtici verbis ad virtutem accendi poteſt. 2. quia hæc verba. *Si volueris mandata ſervare*, idem ſunt cum verbis Chriſti, *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* Hæc autem & præſenti ſtatui conveniunt, & libertatem maximè indicant, quia ſi Deus vitam æternam promitteret ſub conditione operum quæ in noſtra poteſtate non eſſent, non tam ad bonum excitaret quàm illuderet 3. quia Auguſtinus agnoſcit his Eccleſiaſtici verbis *aperiſſimè* expri-

1. 2. q. 13. a. 2. — *Matt. 10.* — *De grat. & lib. arb. c. 2.*

exprimi *liberum humanæ voluntatis arbitrium* 4. quia idem ſacer Scriptor ſic loquitur de homine juſto: *Erit illi gloria æterna, qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit*: atqui hæc verba demonſtrant hominem licet conſtitutum ſub gratia qua gloriam lucretur, liberum eſſe ad malum, & Dei mandata tranſgredi poſſe, ergo.

Eccli. c. 31.

Prob. 2. Ex Conciliis, Conſtantienſi Seſſ. 8. ubi proſcripta fuit hæc Wicleſi propoſitio 27. *Omnia de neceſſitate abſolutâ eveniunt*: & Trid. Seſſ. 6. Can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum, amiſſum & extinctum eſſe dixerit... anathema ſit*. Et Can. 4. eodem feriuntur anathemate qui dixerint *liberum hominis arbitrium non poſſe gratiæ diſſentire ſi velit*: atqui in ſyſtemate Janſenii non poteſt homo gratiæ diſſentire, neque id velle poteſt, aut ſaltem non id aliter poteſt quam poſſint beati in cœlis viſionem Dei ſuſpendere, quod utique non poſſint.

L. 1. Inſtit. c. 2. n. 4. c. 3. n. 10.

Prob. 3. Ex Patribus, vel potius probatio hæc inutilis eſt, cum Calvinus fateatur ſe aliud in præſenti materia ſentire quam Latinos & Græcos; aliquot tamen Auguſtini textus afferre juvat, quia Novatores Auguſtinum conſtanter objiciunt. S. Doctor Librum de grat. & lib. arb. non alio fine conſcripſit, quam ut utrumque ſimul admitti debere oſtenderet; *Quoniam*, inquit, *ſunt quidam qui ſic gratiam defendunt ut negent hominis liberum arbitrium... hinc aliquid ſcribere... curavi*. lib. 2. de nupt. & concup. c. 3. hæc Juliani verba ſibi proponit, *Si quis liberum in hominibus arbitrium... dixerit, Cœleſtianus & Pelagianus vocatur*; ea vero ſic confutat, *Liberum in hominibus eſſe arbitrium, utrique dicimus, non hinc eſtis Cœleſtiani & Pelagiani, iſta quippe Catholica fides dicit*; ergo conveniebat Auguſtinus cum Pelagianis de liberi arbitrii ſubſtantiâ, nec ab iis differebat, niſi quia gratiæ neceſſitatem impugnabant. Qui plura volet, conſulat Bellarminum, Tom. 4. lib. 5. de grat. & lib. arb. cap. 25. & ſequent.

Cap. 1.

1. p. q. 83. a. 1.

Prob. 4. Communi ſed efficaci ratione S. Thomæ. Si homo non eſſet liber, *fruſtra eſſent conſilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia & pœnæ*. vel enim homo determinatus eſſet ad implenda; ſi primum, fruſtra præciperentur quæ neceſſario facienda eſſent, ut fruſtra præciperetur Beatis ut Deum ament; ſi ſecundum, fruſtra prohiberetur ut ea vitaret, à quibus abſtinere non poſſet; ergo.

Obj. 2. Ille non eſt liber qui non habet in poteſtate vias ſuas: atqui homo... Jerem. 10. v. 23. *Scio Domine quia non eſt hominis via ejus, nec viri eſt ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos.*

R. cum S. Thoma diſt. min. Homo non habet in poteſtate vias ſuas quoad executionem & exitum, quia ſæpè accidit ut ea quæ ſibi propoſuit, executioni mandare nequeat, conc. non habet... quoad intentionem, propoſitum, mediorum electionem, ſubd. non habet ſolus & ſine Dei auxilio, conc. cum ope divina, nego. ſolutionem hanc non obſcurè, indicat alius Scripturæ locus: *Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus.*

Inſt. 1. Ille nullo ſenſu vias ſuas habet in poteſtate, qui captivatur ſub lege peccati: atqui ex Apoſt. Rom. 7. homo &c.

R. diſt. min. captivatur quoad ſenſum, quia rebelles concupiſcentiæ motus, etiam invitus experitur, conc. quoad conſenſum, nego. Quia perinde de concupiſcentia ac de grat a verum eſt id quod dixit Auguſt. *conſentire, vel diſſentire propria voluntatis eſt*. Et alibi: *Habet unuſquiſque in voluntate* cum gratia, *aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere quæ mala, & eſſe arbor mala.*

L. de ſpir. & lit. c. 34. L. 2. Act. cum Felice c. 4.

Inſt. 2. Ille captivatur etiam quoad conſenſum, qui non facit quod vult, facit vero quod non vult: atqui ex Apoſt. ibid... *Non enim quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum hoc ago*

R. diſt. mi. Homo non facit quod vult in ſentiendo, quia ſentit motus quos ſentire nollet, conc. non facit quod vult in conſentiendo, id eſt conſentit neceſſario, nego. Pergit Apoſtolus: *Si quod nolo illud facio, jam non ego operor illud*; ergo motus illi ad peccatum non imputantur.

Inſt. 3. Ille non facit quod vult etiam in conſentendo, cujus non eſt velle, nec currere: atqui ex Apoſt. *non eſt volentis, neque currentis.* Rom. 15.

R. diſt. Non eſt volentis ſolius, conc. non eſt volentis cum gratia Dei, nego. Homo eget quidem gratia Dei ad bonum ſupernaturale, quod ſolis ſuis viribus operari nequit: at gratiæ huic conſentire vel reſiſtere poteſt ſi velit, ut ait Synod. Trid.

Obj. 2. S. Auguſt pluribus in locis. Sic in * Epiſt. ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Enchir. c. 30. *Libero arbitrio malè utens homo, & ſe perdidit & ipſum*. Lib. de perfect. juſtit. c. 4. *Victa vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura.*

* alias 107. nunc 217.

R. diſt. Homo perdidit liberum arbitrium, id eſt libertatem à peccato & miſeria, conc. libertatem indifferentiæ, ſubd. amiſit quoad aliquid, quia libertas ejus per peccatum vulnerata eſt, & imminuta, conc. am ſit ſimpliciter & quoad ſubſtantiam, nego. Solutio eſt ipſius S. Auguſt. qui mentem ſuam diſertè explicat L. 1. contra duas Epiſt. Pelag. c. 2. *Quis noſtrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere; Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa quæ in paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam &c.* Eadem eſt S. Thomæ reſponſio. Et vero non aliter homo juxta Auguſtinum libertatem perdidit, quam ſemetipſum: atqui homo ſemetipſum non perdidit quoad ſubſtantiam, ita ut deſierit eſſe homo; ſed eo tantùm ſenſu quod nunc deterioris ſit conditionis, ignorantiæ, concupiſcentiæ, ipſique morti obnexius; ergo.

Inſt. 1. Libertas quoad eſſentiam importat indifferentiam ad bonũ & malum: atqui homo per peccatum indifferentiam hanc amiſit ex Auguſtino. Cui enim incumbit dùra peccandi neceſſitas, ille ad bonum & malum non eſt indifferens: atqui homo per peccatum duram hanc peccandi neceſſitatem contraxit: *Quia peccavit*, ait S. Doctor, *ſecuta eſt peccantem peccandi dura neceſſitas*. Et iterum: *Sunt etiam neceſſitate facta improbanda, ubi vult homo recte facere & non poteſt*. Eadem neceſſitas à ſancto Bernardo vocatur *incorrigibilis*.

L. 2. de perf. juſtit. c. 5. L. de nat. & grat. c. 67. n. 81. Serm. 81. in Cant.

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. min. Homini incumbit dura neceſſitas, moralis ſcilicet & abſolutè vincibilis, conc. invincibilis, nego. Errabant itaque & multùm errabant Pelagiani, qui rejecto peccato originali exiſtimabant hominem *pari momento ſe ad vitia vel virtute, movere*, quod etiam reſte S. Proſpero in Epiſt. ad Auguſt. ſentiebant Maſſilienſes. Ut errorem hunc confutet Auguſtinus, totus ubique eſt ut oſtendat per Adæ peccatum invectam eſſe aliquam peccandi neceſſitatem: verum S. Doctor neceſſitatem hanc etſi duram & prementem, nullibi invincibilem eſſe dicit, imò eam vinci poſſe docet pluribus in locis. Sic Lib. 2. de Actis cum Felice c. 8. *Conſueto*, inquit, *quantumvis roborata ab homine ſuperari poteſt*. L. 3. de libero arbitrio cap. 9. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod ſanare volentem contemnis*. Et Lib. 1. Operis im-

imperf. *Ut non adſit iſta neceſſitas peccandi, donat illi cui dicitur, De neceſſitatibus meis erue me.*

Q. 24. De ver. a. 12. R. 2. cum S. Thomâ, *quod peccata dicuntur neceſſaria, in quantum non poſſunt vitari omnia, quamvis poſſint vitari ſingula*: unde peccandi neceſſitas ab Auguſtino & ab aliis agnita, vaga eſt, & in nullum determinatè peccatum cadit, proinde libertati non nocet. Ut enim loquitur Angelus Scholæ in 2. *Tom. 2. p. 212.* ad Annibal. diſt. 29. q. unica a. 1. *Sciendum eſt quod liberum arbitrium ſe extendit ad aliquem particularem actum, non autem ad totius temporis curſum: in poteſtate enim liberi arbitrii eſt, quod nunc velim hoc vel illud, aut non velim, ſed non in eſt poteſtate liberi arbitrii, quod nullo tempore aliquid voliturus ſim: non enim eſt in ejus poteſtate immutabilitatem habere.*

Inſt. 2. Auguſtinus ut probet ea quæ ex neceſſitate fiunt, *improbanda* eſſe, utitur hoc Apoſt. textu, *Non quod volo facio bonum, ſed quod odi malum hoc ago*; loquitur itaque S. Doctor de neceſſitate ex quâ proveniunt motus de quibus gemit Apoſtolus: atqui neceſſitas illa plane eſt invincibilis: ergo.

R. vel motus de quibus loquitur Auguſtinus non eſſe peccata niſi materialiter, id eſt inordinatos peccati Adæ effectus, quod negabant Pelagiani; vel ſi vera ſint peccata, non oriri à neceſſitate quam Auguſtinus crediderit invincibilē, licet Interpretes locum Apoſtoli intelligere ſoleant, de primo primis concupiſcentiæ motibus qui ineluctabiles ſunt; nec unquam probabitur Auguſtinum admiſiſſe peccata propriè dicta quæ vinci non poſſent. Nota ſunt hæc *L. de vero Relig. c. 14.* S. Doctoris verba, *Uſque adeo peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.*

Obj. 3. Ille non eſt liber, qui neceſſario ſequitur id quod eum amplius delectat: atqui homo neceſſario ſequitur id quod amplius eam delectat, juxta id Auguſt. in cap. 5. Epiſt. ad Galatas *Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.*

Reſp. 1°. mirum eſſe quod Janſenius toties ac tam confidenter locum hunc S. Auguſtini citaverit, quaſi *qui aureis mereretur ſcribi characteribus*; is *Janſ. L. 4. de gr. Chr. c. 6.* enim textus deſumptus eſt ex Commentario in Epiſt. ad Galat. quem S. Doctor ſcripſit anno 394. quo etiam tempore ſcripſit S. Doctor Commentarium in Epiſt. ad Romanos, ut notant nuperi ejus Editores: atqui eo tempore verſabatur Auguſtinus adhuc Presbiter in errore Semipelagianorum; neque enim ab eo errore reſipuit, niſi poſt tres exinde annos, anno ſcilicet 39 , cum *in ipſo exordio Epiſcopatus* ſui ſcriberet *ad Simplicianum Eccleſiæ mediolanenſis Antiſtitem, qui nuper beato* ſucceſſerat ** Ambroſio*; ut conſtat ex Lib. de prædeſt. Sanctorum c. 3. n. 7. Qui igitur fieri potuiſſet ut Auguſtinus jam tunc ſenſiſſet gratiam ita eſſe efficacem, ut neceſſario, conſenſum voluntatis alliceret? Hæc reſponſio uſque adeo ſolida eſt, ut eam ne tetigerit quidem D. de la Broue Mirapiſcenſis Epiſcopus, in ſua gratiæ per ſe efficacis defenſione.

** Obiit Ambroſius 4. April. an. 397.*

R. 2. diſt. min. Homo neceſſario ſequitur id quod eum amplius delectat delectatione deliberata, conc. indeliberata ſubd. ſequitur neceſſario ſed neceſſitate impropriè dicta, conc. neceſſitate propriè dicta, nego. Delectatio duplex: alia quæ omnem voluntatis conſenſum præcedit, eumque allicit & excitat; alia deliberata qua mens in objecto ſibi ſuaviter propoſito libere conquieſcit. Verum quidem eſt quod homo neceſſario agat ſecundum id quod deliberatè eum magis delectat; quod enim magis hominem delectat, eſt id quod magis placet homini, quod homo præfert alteri bono, quod præ alio eligit; porrò neceſſè eſt ut id homo amplectatur quod præ alio eligit, & hoc eſt quod docere ſolent Philoſophi, cum ajunt voluntatem ſemper ſequi ultimum judicium practicè practicum, quod utique niſi ſequeretur, non eſſet ultimum. Verum hæc neceſſitas conſequens eſt & hypothetica, quia ſequitur liberam determinationem voluntatis, quæ è diverſis objectis illud liberè elegit quod eligere maluit. Jam vero quod Auguſtinus de tali delectatione loquatur, multipliciter probari poteſt 1. ex ipſo qui objicitur loco, & quem placet integrum referre: *Quod amplius nos delectat &c. ut v. g. occurrit forma ſpecioſa fœminæ, & movet ad delectationem fornicationis: ſed ſi plus delectat pulchritudo illa intima & ſincera ſpecies caſtitatis, per gratiam quæ eſt in fide Chriſti, ſecundum hanc vivimus, & ſecundum hanc operamur.* Certè delectatio fornicationis ad quam diabolus movet, & quam excitare cupit, eſt deliberata in peccato complacentia, non autem ſenſus indeliberatus qui jam adeſt eo ipſo quo dæmon per ſpecioſæ fœminæ formam *movet*, cum ipſa hæc motio, ſit delectatio indeliberata: unde ſenſus S. Doctoris is eſt, neceſſe eſt ut *vivamus*, adeoque ut exterius operemur, ſecundum id quod per electionem & deliberatum voluntatis actum magis diligimus. 2. quia S. Auguſtinus delectationem propriè accepiſſe cenſendus eſt, niſi demonſtretur eam impropriè accepiſſe: atqui delectatio *quando propriè ſumitur*, non indeliberatum motum, ſed deliberatam conſenſionem, quietem, ac complacentiam ſignificat, ut ipſe docet Janſenius, L. 4. de gr. Chr. c. 11. 3. quia non aliam explicationem patitur opinio ſemipelagiana in qua tunc erat Auguſtinus. 4. quia paſſim docet S. Doctor hominem majori delectationi reſiſtere: ſic L. 83. quæſt. q. 70. *Homo*, inquit, *etiam cum dolore magnam venanus delectationem poteſt cohibere.* Et Lib. 8. Confeſſ. c. 8. *Non faciebam quod incomparabili affectu amplius mihi placebat*; qui tamen poſterior textus difficultatis aliquid habet.

Quod ſi Auguſtinus intelligatur deliberatione indeliberata, ait Emin. Card. de Biſſy, in ſuo contra Inſtitutiones Juenini Documento, dicendum eſt neceſſitatem quam ex hac delectatione ſequi docet S. Doctor, non eſſe veram, ſed impropriè dictam neceſſitatem, quæ à mente ſemper vinci poteſt, ut colligitur ex textibus Auguſtini ſupra adductis. Sed de his in Tractatu de Gratia.

CONCLUSIO SECUNDA.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiritur libertas à neceſſitate, nec ſufficit libertas à coactione. Ita definierunt Innocentius X. & Alexander VII. contra tertiam Janſenii propoſitionem. Præiverat S. Pius V. damnando hanc 67. Baii aſſertionem, *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſario facit.*

Prob. 1. ex Scripr. Illud ad merendum requiritur, unde Scripturæ hominis meritum repetunt: atqui ex libertate, prout quamcunque neceſſitatem excludit, hominis meritum repetunt Scripturæ: Sic Eccli. 31. meretur homo gloriam, quia *potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit*; ſic 1. Corint. 7. *benefacit* & laude dignus eſt qui *non habens neceſſitatem*, ſed è contra *poteſtatem habens ſuæ voluntatis judicavit in corde ſuo ſervare virginem ſuam.* Sic demum demeretur Cain, quia *appetitus* ſui quem coercere poterat, non *dominatur.*

Prob. ex Patribus. S. Juſtinus in Apologia ad Antonin. *Niſi libero arbitrio*, inquit, *genus humanum & res turpes fugere poteſt, & pulchras ac bonas ſequi, extra cauſam culpamque eſt eorum quæ quoquomodo agun-*

aguntur... Neque ille remuneratione aut laude dignus eſſet, ſi per ſeipſum bonum non eligeret. S. Irenæus, L.4. adverſùs hæreſes, c.71. *Qui operantur* bonum, *& gloriam & honorem percipient, quoniam operati ſunt bonum, cùm poſſent non operari illud. Hi autem qui illud non operantur, judicium juſtum recipient Dei, quoniam non ſunt operati bonum, cùm poſſent operari illud.* Alios innumeros quos apud Bellarminum videris, omitto, ut expendam Auguſtinum in quo præcipuè confidit Janſenius, quaſi verò S. Doctor aliud ſenſerit quàm antiqui Patres, aut magnæ eſſe poſſit authoritatis ſi ab nnatimi cotum ſententiâ receſſerit; ſed abſit ut non ſit noſter Auguſtinus. L. de nat. & gr. c.65. n.78. hæc S. Hieronymi verba refert, *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia neceſſitate trahimur; alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt*, moxque ea quaſi indubia approbat his verbis: *Quis non agnoſcat? Quis non toto corde ſuſcipiat? Quis aliter conditam humanam neget eſſe naturam?* Atqui S. Hieron. conſtanter ſenſit ad meritum requiri veram ab omni neceſſitate immunitatem; ergo idem ſenſit Aug. L. de 2. animab. c.11. *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere... Etiamne hi libri obſcuri mihi ſcrutandi erant, unde diſcerem neminem vituperatione ſuppliciove dignum qui... id non faciat quod facere non poteſt? Nonne iſta cantant & in montibus Paſtores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis... & in orbe terrarum genus humanum?* En juxta S. Doctorem ille ſolùm peccat, vituperationemque & ſupplicium meretur cui liberum eſt abſtinere à peccato, quique id quod non fecit, facere potuit; ergo peſſimè dixit Janſenius, quòd *Auguſtinus nihil omnino curat, an talis peccandi libertas adſit, ſive non adſit, ſed ei abundè ſatis eſſe quòd peccator... plenâ voluntate feratur in malum.* Verum quidem eſt quòd S. Doctor hanc peccati definitionem ad Adam ſpectare declaraverit, ſed non ſic ut ad ejus poſteros non pertineret. Nam 1. docet Auguſt. *neminem* eſſe vituperatione dignum, niſi qui non facit id quod facere poteſt: atqui verba hæc *nemo eſt* vituperatione dignus, non niſi ridiculè de ſolo Adam explicarentur. 2. addit S. Doctor, quòd libertatem hanc *cantant in montibus Paſtores, in theatris Poetæ... & in orbe terrarum genus humanum.* An verò ii omnes ſolius Adæ libertatem cantant? imò an multi de eâ libertate, non autem de ſuâ, cogitant? An Adæ libertatem cantat univerſum genus humanũ, tot conſtans hominibus qui nequidem Adæ nomen audierunt. 3. quia S. Doctor paſſim in Opere imperfecto contra Julianum agnoſcit, *multa eſſe quæ agunt homines mala à quibus eis liberum eſt abſtinere*; ea verò à quibus abſtinere liberum non eſt, vult quidem Auguſtinus mala eſſe & peccata, ſed materialiter tantum: *Hoc peccatum*, ait L.1. retract. c.15. *ideo peccatum vocatur, quia peccato factum eſt, & pœna peccati eſt.* Denique S. Doctor aſſertionem noſtram tam evidenter, tam crebrò inculcat in Libris de lib. arb. ut, quemadmodum notat Bellarminus, libros illos non explicare; ſed igni tradere debuerit, ſi aliquando liberum ab hominibus lapſis arbitrium auferre voluerit. *Quis peccat*, inquit, *in eo quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem, caveri igitur poteſt.* Et alibi: *Habemus liberum voluntatis arbitrium, & eo ſolo peccamus.*

L.4. de ſtatu naturæ lapſæ c.[illegible]

C.47. & 105.

L.3. c.18.

L.2. c.1.

Idem expreſsè docet S. Tho. q.6. de malo. "Deus, „*inquit*, voluntatem movet ſecundùm ejus conditi„onem, non ut ex neceſſitate, ſed ut indeterminatè „ſe habentem ad multa. *Et iterum*: Quidam poſue„runt quòd voluntas hominis ea neceſſitate move„retur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant „quod voluntas cogeretur; non enim omne neceſ„ſarium eſt violentum, ſed ſolùm id cujus principiũ „eſt extra... Hæc autem opinio eſt hæretica; tollit e„nim rationem meriti & demeriti in humanis acti„bus... eſt etiã annumeranda inter extraneas Philo„ſophiæ opiniones, quia non ſolũ contrariatur fidei, „ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ moralia „&c." Hæc S. Doctoris cenſura adverſùs tertiam Janſenii propoſitioné quaſi propheticè lata videtur.

Prob. 3. ratione ſolidâ quam ſubtiliter & nervoſè urgent Salmanticenſes, Tract. 11. diſp.4. Actus humani ſunt actus morales: atqui ſi ad meritum & demeritum ſufficiat ratio voluntarii, jam actus illi non erunt morales. Actus enim ideo morales dicuntur, quia regulis morum ſubjacent, & ab iis dirigi poſſunt; ſed actus purè ſpontanei, morum regulis ſubjacere non poſſunt: actus enim qui regulæ ſubjiciuntur, non debent eſſe invariabiles ſecundùm ſe, fruſtra enim applicaretur regula actioni quæ aliter fieri non poteſt; ſed actus purè voluntarii ſunt ſecundùm ſe invariabiles, ſunt enim ad unum neceſſariò determinati, ut patet in amore beatitudinis in communi; ergo.

Obj. 1. Ad merendum &c. ſufficit vera libertas: atqui ubi eſt immunitas à coactione, ibi eſt ex S. Auguſtino vera libertas. Prob. min. ex Lib. de duab. animab. *Libertas*, inquit, *eſt animi motus cogente nullo ad aliquid.* L. de verâ Relig. c.14. ad peccatum requirit dumtaxat S. Doctor ut ſit *voluntarium.* Eadem eſt aliorum PP. doctrina. *Liberum arbitrium*, ait S. Proſper, *eſt rei ſibi placitæ ſpontaneus appetitus.* Et S. Damaſcenus Lib. 3. de fide c.14. *Arbitrii libertas nihil eſt aliud quàm voluntas.* L. contra Collat. c.18.

℞. Diſt. min. ubi eſt immunitas à coactione, ſeu ſpontaneitas tum latè tum ſtrictè ſumpta, ibi eſt libertas, conc. ubi eſt immunitas à coactione ſtrictè ſumpta, ibi eſt libertas, nego. Spontaneitas dupliciter ſumitur: *ſtrictè*, & tunc idem eſt ac propenſio voluntatis excludens quidem neceſſitatem ab extrinſeco, non autem eam quæ ab intrinſeco oritur; & *latè*, & tunc excludit determinationem phyſicam ad unum, & veram agendi vel non agendi poteſtatem importat. De hac porrò locuti ſunt Patres objecti, qui conſtanter docuerunt nuſquam peccari in eo quod caveri non poteſt.

Inſt. 1. Spontaneitas ſtrictè ſumpta, ea eſt quæ compatitur cum neceſſitate verè invincibili: atqui talis ſpontaneitas ad merendum ſufficit ex Auguſtino, ſtatim ac violentiam & coactionem excludit. Q. inſ. L.6. de gr. Chr. c.6. Prob. min. Spontaneitas quæ compatitur cum neceſſitate ſimili ei quâ neceſſe eſt Deum vivere, & cuncta præſcire, compatitur cum neceſſitate prorsùs invincibili: atqui ſpontaneitas quã ad meritum ſatis eſſe putat Auguſtinus, compatitur cum neceſſitate ſimili ei quâ neceſſe eſt Deum vivere &c. Audiatur S. Doctor Lib. 5. de Civ. Dei. "Si neceſſitas noſtra illa dicenda eſt quæ non eſt in noſtrâ poteſta„te, ſed etiamſi nolimus efficit quod poteſt, ſicut eſt „neceſſitas mortis; manifeſtum eſt voluntates no„ſtras quibus rectè vel perperam vivitur ſub tali ne„ceſſitate non eſſe... Si autem illa definitur eſſe ne„ceſſitas ſecundùm quam dicimus neceſſe eſſe ut „ita ſit aliquid, vel ita fiat, neſcio cur eam timeamus, „ne nobis libertaté auferat voluntatis. Neque enim „& vitam Dei & præſcientiam Dei ſub neceſſitate „ponimus, ſi dicamus neceſſe eſſe Deum ſemper vi„vere, & cuncta præſcire... ſic etiam cùm dicimus „neceſſe eſſe ut cùm volumus libero velimus arbi„trio, & verum procul dubio dicimus & non ideo „ipſum liberum arbitrium neceſſitati ſubjicimus „quæ adimit libertatem;" ergo neceſſitas omnium maxima libertatem non adimit.

Vid. Dechamps l.3. diſp.2. c.10. ℞. Ad 1. neg. min. ad 2. neg.maj. Ut enim jam pridem annotaverunt Pennotus, Bellarminus, & alii fidei vindices contra Calviniſtas & Lutheranos, qui hoc ſancti Doctoris textu non minus abutuntur quàm Janſeniani, neceſſitas quam hic cum libertate compati docet Auguſtinus, non eſt ſimplex, phyſica & antecedens, ſed conſequens, *ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe ut ita ſit aliquid, vel ita fiat*, ſicut à Deo præſcitum eſt: de hac enim Dei præſcientiâ agebatur, & quærebatur an libertati repugnaret, ut contendebat Cicero, an non, ut contendebat Auguſtinus. Ut autem faciliùs concipi poſſet aliquam eſſe neceſſitatem quæ libertatis inimica non ſit, affert Auguſtinus tria exempla in quibus neceſſitas nihil officit libertati, quia illam vel ſupponit vel involvit. Primum eſt de vitâ Dei, quo nomine Auguſtinus actiones illas intellectûs & voluntatis deſignat, quibus Dei *vita* continetur, & in quibus plurimæ ſunt liberæ & ab omni neceſſitate immunes; multa enim ſunt quæ Deus liberè vult, ut mundi creatio & conſervatio, quæ proinde etiam liberè intelligit: unde quod dicitur Deum neceſſariò vivere, non tollit vitæ divinæ libertatem, quia hæc vivendi neceſſitas eſt conſequens, ſupponitque volitionem & intellectionem, non à coactione tantum, ſed etiam ab omni neceſſitate expeditas. Alterum exemplum eſt de *præſcientia* Dei; neceſſe enim eſt Deum cuncta præſcire: atqui tamen hæc neceſſitas non tollit veram libertatem, quia abſoluta non eſt, ſed tantùm ex hypotheſi: ſic enim Deus neceſſariò præſcit id quod futurum eſt, ut poſſit non præſcire, quia poteſt velle ut non ſit futurum, nec præſcit, niſi quia voluit ut futurum eſſet. Utrumque hoc exemplum illuſtrat ſimilitudine divinæ omnipotentiæ, quæ *non minuitur* ex eo quod Deus *mori fallique non poſſe* dicatur, quia moriendi impotentia formaliter omnipotentiam includit; nam *propterea illud non poteſt, quia omnipotens eſt*. Ita neceſſitas illa quæ libertatem includit aut ſupponit, libertati nihil detrahit: quod tertio exemplo adhuc evidentiori confirmat Auguſtinus. *Sic etiam*, inquit, *cùm dicimus neceſſe eſſe, ut cum volumus, libero velimus arbitrio, & verum procul dubio dicimus, & non ideo ipſum liberum arbitrium neceſſitati ſubjicimus quæ adimit libertatem*; quia nempe hæc neceſſitas libertatem involvit, adeoque eam adimere non poteſt. Ergo neceſſitas quam cum libertati compati docet Auguſtinus, eſt neceſſitas conſequens, non antecedens & invincibilis.

Inſt. 2. Solutio mox allata fundatur in violentâ textûs explicatione: nam *vita* Dei præſertim conſiſtit in actionibus intellectûs & voluntatis planè neceſſariis; ut quid ergo eam explicamus de hac accidentali vitâ quæ in actionibus liberis conſiſtit?

℞. Neg. ant. Solutio enim quæ neceſſaria eſt, pro violentâ haberi nequit: atqui hæc noſtra ſolutio neceſſaria eſt; neque enim ſine abſurditate dici poteſt, *L.6. De Gr. Chr. c.4.* præſertim in Janſenii principiis, vitam Dei eſſentialem, liberam illi eſſe juxta Auguſtinũ. Liberũ enim illud eſt, ait Janſenius, quod eſt in noſtrâ poteſtate: id verò in poteſtate noſtrâ eſt, quod cùm volumus facimus; cùm nolumus, non facimus, quod quis ſi vult facit, ſi non vult non facit, ut ait Auguſtinus: atqui nonniſi impiè abſurdèque dici poteſt quod Deus vitam ſuam eſſentialem habeat in poteſtate ſuâ, quòd poſſit vivere ſi velit, non vivere ſi nolit, quòd faciat eam cùm vult, & non faciat ſi non vult; ergo explicatio noſtra quæ ſola tollit incommoda hæc, neceſſariò admitti debet.

Confirm. Quia poſitâ Janſenii explicatione, Auguſtinus difficultatem ſibi quaſi à Cicerone propoſitam non ſolvit. Quæſtio enim eos inter non erat utrùm per Dei præſcientiam fieret ut voluntas vellet invita, ſeu vellet non volens, quod quiſque in terminis implicare ſentit; neque etiam vir qualis erat Tullius exiſtimavit infallibilitatem divinæ præſcientiæ circa volitiones noſtras conſiſtere non poſſe, tametſi neceſſariò evenirent, niſi etiam evenirent coactè: quæſtio igitur erat an quæ à Deo præſcita erant, contingenter evenirent; vel igitur fateri cogitur Auguſtinus præſcita à Deo, jam contingenter non evenire, ſed neceſſariò tametſi ſponte, & tunc reverâ vincitur Auguſtinus à Tullio; vel potiùs oſtendit Dei præſcientiam, nullam rebus præſcitis inferre neceſſitatem, & tunc vincit Auguſtinus, & unâ cum Tullio vincitur Janſenius. Vid. Dechamps ſup. Anti-Janſenium Moraines, id eſt P. Martinon, diſp. 31. ſect. 6. & Petavium qui aliam affert ſolutionem, Lib. 5. de opificio ſex dierum, c. 11.

Inſt. 3. Ex Aug. pluribus in locis *illud nos habere in poteſtate*, adeoque & in libertate *dicimur, quod cùm volumus facimus*; ſed ea quæ maximè neceſſaria ſunt, facimus cùm volumus, & quia volumus: an non enim bonum in communi amamus, quia volumus? *L.1. de lib. arb. c.3.*

℞. Diſt. maj. quod cum volumus facimus, ita ut poſſimus nec velle nec facere, conc. ſecùs, nego. Ut indubia ſit ſolutio, ſatis eſt quòd Auguſtinus *voluntatis* nomine non intelligat generaliter & latè facultatem volendi, prout ſolum voluntarium exprimit, ſed ſtrictiùs facultatem volendi liberè: atqui res ita eſt. Ipſe ſibi interpres erit S. Doctor. *Hoc*, inquit, *quiſque habere in poteſtate dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult non facit*, id eſt quod ex æquo facere poteſt vel non facere; nam *peccati reum dicere eum qui non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſania*, ut alibi tradit Auguſtinus. *L. de ſpir. & lit. c.31.* *L. de 2. anim. c. 11. & 12.*

Obj. 2. S. Bernardus disertè docet ſolam coactionem & vim libertati repugnare. Sic Tract. de grat. & lib. arb. c. 1. *Ubi conſenſus, ibi voluntas; porrò ubi voluntas, ibi libertas; & hoc eſt quod dici puto liberum arbitrium.* Et c. 4. n. 9. *Quomodo ad bonum per gratiam converſus humanæ voluntatis conſenſus, eo liberè bonum, & in bono liberum hominem facit quo voluntarius efficitur, non invitus pertrahitur: ſic ſponte devolutus in malum, in malo nihilominùs tam liberum quàm ſpontaneum conſtituit, ſuâ utique voluntate ductum, non aliunde coactum ut malus ſit.*

℞. Diſt. docet ſolam coactionem prout tollit indifferentiam repugnare libertati, conc. prout tollit voluntarium ſimplex, nego. Coactionis nomen vel ſtrictè & Philoſophicè ſumitur, & tunc eſt vis ab extrinſeco contra voluntatis inclinationem illata; vel latiùs & ſenſu magis vulgari, & tunc idem eſt ac neceſſitas & quævis ad unum determinatio. Docet quidem S. Bernardus coactionem ſolam libertati repugnare, ſed per coactionem intelligit ipſammet neceſſitatem, ſeu neceſſariam tametſi voluntariam ad unam determinationem, & id patet 1. quia promiſcuè utitur coactionis, & neceſſitatis nomine, quæ tamen ſi ſtrictè ſumerentur, toto cœlo differunt: *Eſt enim* inquit c. 1. *habitus animi, liber ſui: ſiquidem non cogitur, non extorquetur: eſt quippe voluntatis non neceſſitatis*; ubi non cogi idem eſt ac non neceſſitari. Et c. 2. *Ubi neceſſitas eſt, libertas non eſt; ubi libertas non eſt, nec meritum.* 2. quia aliquando docet voluntatem cogi, ut eam quam ipſa ſibi imponit neceſſitatem exprimat. Ibid. cap. 12. *Inventa eſt cogi potuiſſe voluntas, ſed... à ſeipſâ.*

3. quia

3. quia voluntatem confundit cum libertate. *Ubi neceſſitas*, inquit c. 12. *jam non voluntas.* Et iterum, *Ubi neceſſitas eſt, libertas non eſt.* 4. quia expreſſè indicat S. Doctor voluntatem eſſe ad bonum & ma- a.4.
lum indifferentem. *Deſtrueret*, ait, ratio voluntatem, id eſt libertatem, *ſi neceſſitatem ei ullam imponeret, quominus liberè pro arbitrio ſe ſe volveret, ſive in malum... ſive ad bonum.* Ex quibus duo ſequuntur. 1. quod Bernardus neutiquam Janſenio faveat. 2. quod reipſa ſit omnino noſter.

Inſt. 1. S. Bernardus c. 10. n. 35. *Nemo*, inquit *putet ideo dictum liberum arbitrium, quod æqua inter bonum & malum poteſtate aut facilitate verſetur... alioqui nec Deus, nec Angeli ſancti, cum ita ſint boni; ut non poſſint eſſe mali, nec prævaricatores item Angeli, cum ita ſint mali, ut jam non valeant eſſe boni, liberi arbitrii eſſe dicentur. Sed & nos illud poſt reſurrectionem amiſſuri ſumus, quando utique inſeparabiliter alii bonis, alii malis admixti fuerimus... Nunc igitur ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod ſive in bono ſive in malo æque liberam faciat voluntatem; nec bonus quiſpiam, nec item malus dici debeat aut eſſe valeat niſi volens.* Unde ſic: ille ad merendum aut demerendum non requirit niſi ſimplicem immunitatem à coactione, juxta quē ad hoc ut peccet homo ſufficit ut malus ſit *volens*, non vero requiritur ut ad bonum & malum indifferens ſit: atqui ex S. Bernardo &c.

℞. diſt. min. ex S. Bernardo ſufficit ut homo, malus ſit *volens*, id eſt liberè, licet non requiratur ut tam liber ſit circa unum quam circa aliud, conc. ſufficit ut volens ſit neceſſario, & ita ad unum determinatus ut nihil habeat libertatis circa aliud, nego. Nomen *volens* difficultatem movere non poteſt, quia evidens eſt ex dictis, voluntatem & libertatem, coactionem & neceſſitatem promiſcuè ſumi à S. Doctore. Non minus evidens eſt non omnem ab eo tolli libertatem, ſed eam tantum quæ in *æqua inter bonum & malum facilitate verſatur.* Ergo nihil inde contra nos qui ſponte fatemur cum Beda, hominem per Adæ peccatum ſpoliatum fuiſſe gratuitis, & vulneratum in naturalibus.

Inſt 2. Juxta eum ſufficit ut homo volens ſit etiam neceſſario, juxta quem ſufficit ut volens ſit ſicut *Deus & Angeli*, qui *ita boni ſunt, ut non poſſint eſſe mali*: atqui juxta S. Bernardum ſufficit &c.

Reſp. neg. maj. Deus enim & Angeli licet neceſſario boni, non deſinunt eſſe in multis liberrimi, quia ad libertatem arbitrii non requiritur indifferentia contrarietatis; ergo hæc S. Bern. comparatio humanæ libertati non nocet, quia oſtendit tantum hominem etiamſi ſit in habitu boni, ut Angelus, vel mali ut dæmon, adhuc fore liberum, quia voluntas vel in *bono firma*, vel *obſtinata in malo* quoad habitum, non eſt tamen quoad actus ſuos neceſſitata. Cæterum non credidit S. Bernardus homines in ſtatu juſtitiæ ad bonum ſemper ferri, ut Deus, aut eoſdem in ſtatu peccati conſtitutos, non niſi ad malum ferri, ut dæmonem, cum juxta eum
In 1. diſt. *ubi libertas (ad bonum vel malum) non eſt, ibi nec*
40. q. 1. *eſt meritum.*
a.1.

Obj. 3. S. Thomam qui ſic loquitur: *Actus ſunt in genere moris, ex hoc quod ſunt voluntarii*: ſed actus pure ſpontanei ſunt voluntarii; ergo.

Gonet. ℞. cum Thomiſtis, S. Thomam in hoc textu ſu-
pag. 517. mere voluntarium pro libero, non autem pro ſpontaneo.

Inſt. Ubi eſt neceſſitas naturalis, ibi non eſt niſi voluntarium ſtrictè ſumptum pro ſpontaneo: atqui ubi eſt neceſſitas naturalis, ibi eſt ex S. Thoma libertas. *Neceſſitas naturalis*, ait 1. p. q. 82. a. 1. *non aufert libertatem voluntatis.*

℞. Ad 1. neg. min. ad 2. diſt. Neceſſitas naturalis non aufert libertatem voluntatis ſpectatæ quoad potentiam, conc. ſpectatæ quoad actum, nego. Itaque ſi S. Thomas hoc unum dicere velit, eam facultatem quæ aliquos actus neceſſariò elicit, v.g. amorem beatitudinis in communi, non obſtante hâc neceſſitate, remanere liberam circa alios actus, profectò jam nihil facit contra nos qui hoc ſponte fatemur: atqui hanc eſſe mentem S. Doctoris patet 1. quia loquitur de libertate potentiæ, non de libertate actûs: *Neceſſitas naturalis*, ait, *non repugnat voluntati, non aufert libertatem voluntatis.* 2. quia liber- In 1 diſt.
tatem per indifferentiam alibi diſertè exprimit: *Ad* 45. q. 1. a.
libertatem arbitrii pertinet, inquit, *ut aliquam actio-* 1. ad 2.
nem facere poſſit, vel non facere: & hoc Deo ipſi convenit, bona enim quæ facit, poteſt non facere.

Quòd ſi D. Thom. intelligatur de libertate actûs, aliter diſtingui poteſt cum Cajetano: neceſſitas naturalis quoad ſpecificationem non aufert libertatem etiam ratione actûs, conc. neceſſitas naturalis quoad exercitium non aufert libertatem, nego. Sic neceſſitas quâ fertur homo in amorem beatitudinis in communi, non impedit quominùs in exercitio hujus amoris liber ſit; etſi enim non poſſit homo beatitudinem odiſſe, poteſt tamen de eâ actu non cogitare, & amoris actum erga illam non exercere, ut expreſsè tradit S. Doctor.

Inſt. 2. Juxta eum neceſſitas naturalis nullatenus libertati etiam propriè dictæ nocet, juxta quem actus quilibet eo ipſo quo voluntarius eſt, eſt meri- In 3 diſt.
torius: atqui juxta S. Thomam..., Sic ille, *Impo-* 12. q. 2. a.
tentia coactionis quæ opponitur voluntario, tollit ra- 2. ad 1.
tionem meriti & demeriti, non impotentia quæ eſt ex perfectione in bonitate vel malitia, quia hæc voluntarium non tollit.

℞. Neg. min. Aliud enim eſt dicere actum qui voluntarius eſt eſſe meritorum, hoc & nos dicimus, quia nullus actus meritorius eſt niſi ſit liber, nullus verò liber eſt niſi ſit & voluntarius; aliud dicere actum eo ipſo quo voluntarius eſt, eſſe meritorium: ſicut aliud eſt dicere quod malitia peccati non conſequitur niſi actum creaturæ, & aliud quòd malitia peccati conſequitur omnem actum creaturæ. Primum dixit S. Thomas; ſecundum omnibus ejus principiis repugnat.

Quod dicit S. Doctor, impotentiam ex perfectione in bono ortam, non tollere rationem meriti, quia non tollit voluntarium, intelligendum eſt de impotentiâ ſecundùm genus, qualis erat in Chriſto, qui ita ad bonum determinatus erat, ut peccare non poſſet; non autem de impotentiâ ſeu neceſſitate quoad exercitium, ut enim ait alibi S. Doctor,
Liberi arbitrii eſſe dicimur, quia poſſumus unum re- 1. p. q. 83.
cipere alio recuſato. a. 1.

Obj. 4. Chriſtus circa mortem ſubeundam non fuit liber à neceſſitate, cùm non potuerit tranſgredi præceptum à Patre acceptum de morte ſubeundâ: atqui tamen Chriſtus meruit, ſibi quidem *nomen quod eſt ſuper omne nomen*; nobis verò gratiam & gloriam.

℞. 1. non agi hic de merito Hominis-Dei ad quod ſolam ſpontaneïtatis libertatem ſatis fuiſſe cenſent non ignobiles Theologi cum Thomaſ- Thom. l. 5.
ſino; agitur tantùm de merito hominis in *ſtatu na-* De In-
turæ lapſa, ad quod judice Eccleſiâ requiritur liber- carn. c. 14.
tas à neceſſitate.

℞. 2. omiſſis variis ſolutionibus quas fusè proſequuntur Theologi in Tract. de Incarn. qui conſuli debet, neg. maj & dico Chriſtum in morte ſubeundâ fuiſſe liberum, nec tamen potuiſſe tranſgredi mandatum Patris. Ut enim verè fuerit liber, abſque eo quòd Patris præceptum tranſgredi poſſet,

ſatis eſt quod mandati hujus diſpenſationem petere potuerit: atqui diſpenſationem hanc petere potuit Chriſtus, quod ipſe clare dicit mat. 26. *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum;* His enim verbis vult Petro probare ſe liberè mori: atqui id non probaret ſi verba hæc alium habere ſenſum poſſent: Vid. Martin. diſp. 11. ſect. 3.

Inſt. Actus charitatis quo Chriſtus Deum diligebat, verè fuit meritorius ex S. Thoma: atqui actus ille non niſi à coactione liber erat, ex eodem S.Do-
In 3. diſt. 28. q 1.a. 2. ad 5. ctore. En ejus verba: *Etiamſi liberum arbitrium Chriſti eſſet determinatum ad unum numero, ſicut ad diligendum Deum (quod non facere non poteſt) tamen per hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis ſive meriti, quia in illud non coactè ſed ſponte tendit, & ita eſt actus ſui dominus.*

℞. actum charitatis in Chriſto non fuiſſe meritorium prout terminabatur ad perfectiones Dei neceſſarias. ſub hoc enim reſpectu planè neceſſarius erat; ſed fuiſſe meritorium prout reſpiciebat Deum ſecundum quod eſt ratio diligendi creaturas, ſub quo reſpectu amor Dei liber erat Chriſto quoad exercitium, ſicut & ipſimet Deo liber eſt. Ita nodum hunc ſolvunt Avarez. Bannez & alii: atque hæc ſolutio neceſſaria eſt, ne S. Thomas ſibi contradicere
3. p. q. 18. a. 4. videatur, ſic enim alibi loquitur: *Dicendum quòd voluntas Chriſti, licet ſit determinata ad bonum, non tamen eſt determinata ad hoc vel illud bonum; & ideo pertinet ad Chriſtum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono.*

Nec nocet quod S. Doctor probet amorem Chriſti fuiſſe liberum, ex eo quod Chriſtus *in illum non coactè, ſed ſponte* tenderet: ſpontaneitas enim & voluntarietas licet non ſit immediata radix meriti, eſt tamen prima ejus radix, quia quod coactum eſt, nec libertatis, nec conſequenter meriti eſt capax; unde S. Doctor ita meriti cauſam à voluntario repetit; ut alibi expreſſè doceat cauſam hanc per ſe ſolam non ſufficere, ut patet ex textibus qui ſupra citati fuere.

De nat. & grat. c. 46. Eodem ſolvitur modo quod paſſim dicit Auguſtinus, Deum non neceſſitari, etſi *non poſſit velle peccare.* Ex his enim textibus id unum ſequitur, una cum neceſſitate quoad ſpecificationem, qua Deus ad bonum rapitur, ſubſiſtere poſſe libertatem arbitrii, ex qua Deus multa, ſemper quidem bona ope-
Pag. 804. ratur, ſed à quibus abſtinere poſſet. Adi Tournely t. 2. de attrib. Moraines, & Dechamps, ubi ſupra. An vero dæmones & damnati ad Dei odium aliaque quæ perpetrant mala neceſſitentur; an poſito quod neceſſitentur, verè peccent, diſcutiunt Interpretes S. Thomæ 1. p. q. 64. Vid. Dechamps de hæreſ. Janſ. l. 3. diſp. 4. c. 7.

Obj. 5. Gratia per ſe efficax ad omnes & ſingulos pietatis actus eſt neceſſaria: atqui gratia per ſe efficax deſtruit libertatem à neceſſitate ſolamque relinquit immunitatem à coactione. Ea enim gratia omnem propriè dictam libertatem deſtruit, quæ eſt neceſſaria conſenſus humani cauſa: atqui gratia per ſe efficax... Ea enim gratia, neceſſaria eſt humani conſenſus cauſa, quæ eſſentialem habet cum voluntaris conſenſu connexionem, & ex qua tam impoſſibile eſt ut conſenſus non ſequatur, quam impoſſibile eſt ut proprietates non ſequantur ex rei eſſentia: atqui talis eſt gratia efficax per ſe & ex natura ſua, ut patet ex terminis; ergo.

℞. data majore quæ ad alium Tractatum pertinet, reſp. inquam ad 1. & 2. neg. min. ad 3. diſt. Gratia per ſe efficax eſſentialem habet cum effectu ſuo connexionem, id eſt habet ex ſe & vi propria virtutem eliciendi infallibiliter conſenſus humani, conc. id eſt conſenſum hunc neceſſario parit, eo modo quo ex eſſentia fluunt rei proprietates, nego. Itaque ambiguum eſt gratiæ per ſe efficacis nomen, aliterque ab Hæreticis, aliter à Catholicis intelligitur. Gratia efficax juxta Novatores ita voluntatem movet, ut ei diſſentire nequeat; juxta Catholicos gratia non eſt per ſe efficax, niſi quatenus ex ſe vim habet efficiendi ut voluntas infallibiliter conſentiat, licet eadem voluntas completam & expeditam habeat diſſentiendi poteſtatem: nam motio Dei, ut ex S. Thoma docet Sylvius, efficit quidem ut mens 1. 2. q. 10. a. 4.
infallibiliter operetur, non autem tollit à voluntate potentiam non operandi.

Inſt. Si gratia efficax non pariat neceſſario effectum ſuum, poterit non eſſe efficax: atqui falſum conſequens. Minor patet, res enim eſſentia ſua privari non poteſt. Prob. maj. Gratia cui reſiſti poteſt, & quæ privari poteſt effectu ſuo, poteſt non eſſe efficax; ſed reſiſti poteſt gratiæ quæ neceſſario effectum ſuum non producit &c.

℞. ad 1. neg. maj. Gratia enim ex ſe & ex natura ſua ſemper eſt efficax, quia ex ſe ſemper habet vim eliciendi certo, infallibiliter, & tamen liberrimè conſenſus humani. Ad 2. diſt. maj. Gratia cui reſiſti poteſt in ſenſu compoſito, poteſt non eſſe efficax, conc. cui reſiſti poteſt in ſenſu diviſo, nego. Sic diſtincta min. neg. conſeq. Adeo celebris eſt hæc *ſenſus compoſiti & diviſi* diſtinctio, ut paulo fuſius explicanda videatur; aliter autem ab Hæreticis, ali- Tom. 2.
ter à Catholicis intelligitur. Audiatur ea de re Go- diſp. 1. a.
net. Primus ſenſus, inquit iſque hæreticus eſt Luthe- 4. §. 11.
ri, Calvini, aliorumque hujus temporis Hæreticorum, juxta quos ſenſus compoſitus eſt quando motio divina, & gratia efficax cum ipſa voluntate conjungitur & componitur, diviſus vero quando ab illa dividitur. Juxta hanc expoſitionem, homo ſub gratia efficaci conſtitutus, in ſenſu compoſito, actu eidem reſiſtere non poteſt, licet reſiſtere poſſit in ſenſu diviſo, quia à gratia ſeparari poteſt; uno verbo diſſentire poteſt, aiebat Vincentius Lenis, *ex euſſa* Epiſt. ad
gratia, non autem merita: hoc ſenſu dici poteſt fu- Petav.
rem catenis conſtrictum fugere non poſſe in ſenſu compoſito, ſeu quamdiu vinculis alligatur: poſſe vero fugere in ſenſu diviſo, quia à vinculis ſuis ſolvi poteſt. Hanc ſenſus compoſiti & diviſi interpretationem Thomiſtis malignè affingi, graviter conqueritur citatus Theologus. „Non *ergo inquit*, di- Gonet.
„citur ſenſus compoſitus & diviſus, ex eo quod pag. 116.
„componat aut dividat præmotionem à voluntate, & 117.
„& ſignificet quod ea poſita & retenta voluntas „non poteſt diſſentire, ſed tantum ea remota & ex„cuſſa.„ ſed ſenſus vocatur compoſitus ex eo quod „conjungat actualem diſſenſum cum præmotione, „& conſequenter cum aſſenſu qui ad eam infallibi„liter ſequitur, quod contradictionem involvit: & „diviſus, ex eo quod ab ea dividat & ſeparet actua„lem diſſenſum, & ſolam potentiam reſiſtendi ac „diſſentiendi relinquat, in quo nulla eſt implican„tia. Nam, ut ait *D. Thomas*, non ſunt iſta incom„poſſibilia, Deus vult iſtum ſalvari, & iſte poteſt „damnari; ſed iſta ſunt incompoſſibilia, Deus vult „iſtum ſalvari, & iſte damnatur.„ His præmiſſis plena eſt, ajunt Thomiſtæ, aliique gratiæ per ſe efficacis defenſores, & aperta ſolutio. Gratiæ efficaci reſiſti non poteſt in ſenſu compoſito, quia non poteſt jungi conſenſus quem hæc gratia infallibiliter operatur cum diſſenſu: at eidem gratiæ reſiſti poteſt in ſenſu diviſo, quia cum actuali conſenſus ſubſiſtit vera & expedita diſſentiendi poteſtas; neque hæc poteſtas gratis fingitur, ſed ex multiplici fonte derivatur, & quidem 1. ex ipſa divinæ voluntatis efficacia, ex qua, ut profundè notat S. Thomas, *non*

[1. p. q. 19. a. 8.] *ſolum ſequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri ; ſed quod eo modo fiant quo Deus ea fieri vult.* ſeu ut paulò poſt ait, *quod fiant contingenter vel neceſſario quæ ſic fieri vult.* 2. ex modo quo bonum quodlibet voluntati noſtræ proponitur, cum enim proponatur modo admodum imperfecto, *non videtur bonum ſecundum quamlibet conſiderationem* : unde *particularia bona* ; vel quæ ut particularia voluntati proponuntur, *in quantum deficiunt ab aliquo bono, poſſunt accipi ut non bona : & ſecundum hanc conſiderationem poſſunt repudiari vel approbari à voluntate.* [1. 2. q. 10. a. 2.] Ita idem S. Thomas. Ex quibus ſequitur intellectum in iis etiam quæ ſibi per gratiam objiciuntur ut bona, ſemper aliquid percipere poſſe, quod ſibi videatur non bonum, & quod ut tale à voluntate repudietur ; ergo talis gratia nunquam ita movebit voluntatem, ut ei voluntas diſſentire non poſſit.

Diſtinctionem hanc ejuſque applicationem vividè aggreditur P. Daniel in gallico Tractatu *De efficacia gratiæ*, quem pro virili inſecutus eſt P. Serry in *Schola* ſua *Thomiſtica &c.* [Tom. 1. p. 163. & tom. 2. p. 152.] At hic gradum ſiſtere cogimur, ne in omnes Theologiæ materias excurramus.

CONCLUSIO. TERTIA.

Eſſentia libertatis in genere non conſiſtit in ſolo voluntario, ſed ad eam eſſentialiter requiritur indifferentia contradictionis. Eſt contra Janſenium Lib. 6. de grat. Chr. per totum, Vincentium Lenem, ſeu Fromondum in Theriaca de lib. arb. l. 2. c. 1. Henricum à S. Ignatio t. 1. l. 2. c. 2. Vanroy t. 1. c. 4. & alios quoſdam qui pro ſe S. Thomam & Thomiſtas ambitioſè citant & adducunt, ſed perperam, *cum nullus poſſit dici verè Thomiſta, qui neget indifferentiam ad libertatis eſſentiam pertinere*, ut optimè notat Gonet tom. 3. pag. 119.

Prob. 1. ex S. Thomâ ; qui ſic loquitur q. 24. de Verit. a. 3. *Oportet dicere in Deo liberum arbitrium inveniri ; ſimiliter & in Angelis, non enim ipſi ex neceſſitate volunt.* Unde quartum argumentum quod eſt hujuſmodi ; *Liberum arbitrium eſt potentia ad oppoſitos actus ſe habens : ſed Deus non ſe habet ad oppoſita cum ſit immutabilis, nec in malum flecti poſſit, ergo liberum arbitrium non eſt in Deo ;* ſic ſolvit S. Doctor. *Dicendum quod voluntas divina ſe habet ad oppoſita, non quidem ut aliquid velit & poſtea nolit ; quod ejus immutabilitati repugnaret ; nec ut poſſit velle bonum & malum, quia defectibilitatem in Deo poneret ; ſed quia poteſt hoc velle & non velle.* Atqui ſi D. Thomas credidiſſet ſpontaneitatem ſolam ad veram libertatem requiri ; non dixiſſet Deum ideo eſſe liberum, *quia poteſt hoc velle & non velle* ; & quia quod vult *ex neceſſitate non vult &c.* ſed facilem hanc & obviam attuliſſet rationem, Deus liber eſt, quia quæ etiam neceſſario vult, ſponte vult, & non coactè.

Prob. 2. Damnatæ ſunt à ſummis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. hæ Baii propoſitiones, *Quod voluntariè fit, etſi neceſſitate fiat, liberè tamen fit.* Et iterum ; *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali* : atqui ſi eſſentia libertatis in ſolo voluntario conſiſtat, eæ propoſitiones præciſè ſumptæ cenſuram non merentur.

At, inquis, damnatæ ſunt, quia innuunt ad merendum ſatis eſſe immunitatem à coactione. Sed 1. unde id habes ; 2. non erat neceſſe ut eâ de causâ damnarentur, cum damnetur ibidem hæc propoſitio ; *Homo etiam damnabiliter peccat in eo quod neceſſariò facit.* Ergò nulla erit cauſa prædictas duas propoſitiones damnandi ; poſito quod in ſe & ſimpliciter ſumptæ nihil enunciarent falſi.

Prob. 3. Ad veram & propriè dictam libertatem requiritur ut agens actus ſuos in poteſtate ſua habeat, & eorum dominus ſit, ut indicat tum id Geneſ. 4. *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius* ; tum id Apoſtoli 1. Corint. 7. *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis* : atqui actus à ſola coactione immunes, non ſunt in poteſtate & dominio agentis ; ut malè contendit Janſenius cum ſuis. Nam 1. ex S. Tho. l. 1. contra Gentes c. 68. *Dominium quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in ejus poteſtate eſt velle vel non velle, excludit determinationem voluntatis ad unum, & violentiam cauſæ exterius agentis.* ſed actus à ſola coactione immunes non excludunt determinationem voluntatis ad unum, imo eam includunt ; adeo ut voluntas non poſſit *velle vel non velle* ; ergo ii actus dici non poſſunt eſſe ſub voluntatis dominio. 2. ex eodem S. Thoma, *ſumus domini noſtrorum actuum, ſecundum quod poſſumus hoc vel illud eligere* : [1. p. q. 82. a. 4.] ſed qui ad unum neceſſario fertur, quantumvis ſpontanee, non poteſt hoc vel illud eligere ; ergo nec actionis ſuæ dominus eſt, nec liber. 3. ex S. Auguſtino L. de ſpir. & litt. c. 31. *Hoc quiſque habere in poteſtate dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult non facit* ; ſeu, ut loquitur S. Clemens Alexandrinus l. 4. Strom. ſub finem, *Id eſt in poteſtate noſtra cujus ex æquo ſumus domini, & ejus quod ei adverſatur, ut philoſophari vel non, credere vel non* : atqui de eo quod homo neceſſario facit dici non poteſt, quod illud faciat ſi vult, aut non faciat ſi non vult &c. Quis enim præter Janſenium ſerio dixerit Deum amare ſe ſi vult, non amare ſi non vult ; Quis dixerit Patrem & Filium qui maxima ſpontaneitate Spiritum ſanctum ſpirant, eundem habere ſub poteſtate ſua & dominio.

Prob. 4. Certum eſt Manichæos, Wiclefum, Calvinum, Lutherum, & alios ejuſdem furfuris Novatores, veram homini eripuiſſe libertatem : atqui falſum hoc erit ſi libertas in ſpontaneitate ſola conſiſtat. Nemo enim negavit unquam aut negare potuit voluntatem non niſi volendo velle : *Voluntas*, ait Lutherus. lib. de ſervo arb. *merâ lubentia & pronitate, at ſponte ſua vult & facit, non coactè, pro natura voluntatis ; quæ ſi cogeretur voluntas non eſſet, nam coactio potius eſt ; ut ſic dicam ; noluntas.* Et Calvinus l. 2. de lib. arb. *Si coactioni opponitur libertas ; liberum eſſe arbitrium & fateor & conſtanter aſſevero, ac pro heretico habeo quiſquis ſecus ſentiat.*

Prob. 5. ex Auguſtino. *Conciliatio libertatis cum gratia ita eſt... difficilis... ut quando aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferre* : [L. de Gratia Chr. n. 52.] ſed ſi libertas propriè dicta in ſolo voluntario conſiſtat, difficultas hæc quæ tot magni nominis Doctores atrivir, jocularis eſt & fictitia ; nec ullus erit qui poſtquam prima Philoſophiæ elementa ſalutaverit, facile non concipiat voluntatem à gratia motam ſpontanee operari. An non ipſæ mulierculæ facile percipiunt Beatos in cœlis Deum ex tota voluntatis propenſione diligere, ita ut & neceſſario diligant, & tamen non diligant inviti.

Obj. 1. cum Janſenio ; Æthica &c. Actus qui eſt in poteſtate noſtra, verè liber eſt : ſed actus quilibet eo ipſo quo voluntarius eſt, eſt in poteſtate noſtra. Prob. min. 1. ex * S. Auguſtino. *Hoc eſt*, inquit, *in poteſtate noſtra, quod cum volumus facimus.* Et alibi : *Quod ſi fieri non poteſt ut dum volumus non velimus... voluntas igitur noſtra, nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate Porro quia eſt in poteſtate, libera eſt nobis. Non enim eſt nobis liberum*, quod

[Janſ. l. 6. de Gr. Ch. c. 8. Æth. tom. 1. l. 2. c. 3. pag. 192. * L. 3. Retract. c. 22. L. 3. de lib. arb. c. 3. tom. 1. pag. 613.]

quod in poteſtate non habemus , *aut poteſt non eſſe quod habemus*. Ergo ex S. Doctore actus omnis eo ipſo quo eſt à voluntate, eſt in poteſtate noſtra, & eo ipſo quo eſt in poteſtate noſtra, *non poteſt non eſſe* liber.

Reſp. 1. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. cum Thomiſtis: illud eſt in voluntate noſtra quod cum volumus facimus, id eſt quod facere poſſumus vel non facere, quodque cadit ſub electionem & determinationem voluntatis, conc. id eſt quod ſponte facimos licet neceſſariò, neg. Itaqoe locutus eſt S. Auguſtinus juxta communem & uſitatum cogitandi & loquendi modum; porrò cum dicitur nos facere aliquid *cum volumus*, aut *ſi volumus*, quæ duo promiſcuè uſurpantur ab Auguſtino, ſubintelligi ſolet juxta communem hominum ſenſum, nos etiam illud non facere *cum nolumus* aut *ſi volumus*, ita ut penes nos ſit vellè aut nolle, facere ant non facere prout libet, ut alibi docet S, Auguſtinus Hinc benè dicitur Deum poſſe annihilare mundum cum volet, & ſi volet: ſed male prorſus diceretur Patrem poſſe generare Filium cum vult, & ſi vult; quia, ut optimè notat S. Thomas, *actus naturales non ſunt*, nec eſſe dicuntur *in poteſtate naturalis agentis, cum natura ſit determinata ad unum.*

L. de ſpir. & lit. c. 31. ſup. pag.

1.2.q.21. a.2.ad.2.

Confirmatur ex ſcopo Auguſtini. S. Doctor in id unum incumbit, ut probet Evodio divinam præſcientiam actionum noſtrarum libertati non officere, quia non impedit quin faciamus *cum volumus*, & *ſi volumus*: atqui ſi per hæc verba intelligat ſolum Auguſtinus, nos ſponte & libenter operari, tametſi ſine indifferentia operemur, jam non reſolvit difficultatem ſibi propoſitam. Neque enim Evodius qui Ciceronis partes agebat, nec alii quicunque libertatis hoſtes, unquam negarunt, aut dubitarunt, aut difficultatis umbram repererunt in intelligendo quomodo Deus ea certò præſcire poſſit, quæ à nobis neceſſariò facienda ſunt, tametſi fiant non coactè, ſed libenter. Et ii quidem ipſi qui admittebant fatum ineluctabile, quo is v.g. qui ſub Veneris planeta natus eſſet, ad libidinem pertraheretur, haud ſomniarunt unquam futurum ut is amaret invitus. Si ergo hoc unum reſponderit Auguſtinus, poſita Dei præſcientia hominem volendo velle, fatendum eſt eum difficultati ſuccubuiſſe, & nihil aliud reſpondiſſe quam quod apertis faucibus prædicabant ejus adverſarii.

Reſp. 2. diſt. 1. min. Actus eſt in poteſtate noſtra eo ipſo quo eſt voluntatis formaliter ſumptæ, conc. eo ipſo quo eſt voluntatis ut natura, nego. Voluntas dupliciter ſpectari poteſt. 1. ut eſt formaliter voluntas. 2. ut eſt natura. Voluntas primo modo ſpectata, eſt voluntas prout ad *utrumlibet ſe habens*, quia *poteſt agere vel non agere, ſic vel ſic facere velle & non velle*, unde ut ſic planè *libera* eſt: voluntas ut natura eſt eadem voluntas prout *ex inclinatione naturali quam habet*, tendit *ad aliquid ſicut ad ultimum finem quem non poteſt non velle*. Ita S. Thomas q. 2, de potent. a. 3. & clarius adhuc 1.p.q.41. a. 2. *Eorum voluntas eſt principium, quæ poſſunt ſic vel aliter eſſe; eorum autem quæ non poſſunt niſi ſic eſſe, principium natura eſt*. Atque hæc doctrina ex S. Auguſtino deſompta eſt, Libro enim de duabus animabus cap. 12. *Illa anima*, inquit, *ſi natura, non voluntate faciunt, id eſt ſi libero & ad faciendum & ad non faciendum animo motu carent &c.* Ubi animam agere *natura*, eſt animam agere ſine libero motu; eandem vero agere *voluntate*, ſeu ut eſt voluntas, eſt eam ſic moveri *ad faciendum*, ut libera ſit *ad non faciendum*. His poſitis vaneſcunt in auras tot Auguſtini textus, quos congeſſit Iprenſis; ſponte enim fatemur omnem actum eo ipſo quo eſt à voluntate, eſſe in noſtra poteſtate, eſſe deliberatum, eſſe ſub dominio noſtro: at contendimos ibi ſermonem eſſe de voluntate prout eſt voluntas, quod nobis omnino favet, quia ex Auguſtino voluntas ut talis non ſubſiſtit ſine *libero animi motu ad faciendum & ad non faciendum*; & ex S. Thoma, *voluntas in quantum voluntas... ad utrumlibet ſe habet, poteſt enim agere vel non agere &c.* Et certè Auguſtinus voluntatem ut eſt natura ſemper excludit, cùm de actionibus verè liberis agitur: ſic agens cum Felice Manichæo, *Cùm*, inquit, Dominus *dicit*, *Aut hoc facite, aut illud facite*; *poteſtatem* (id eſt voluntatem) *indicat, non naturam*; ergo.

Obj. 2. Patres docent hominem liberè operari, eo ipſo quod ſpontè agit & non coactè; ergo libertas ut ſic conſiſtit in ſola immunitate à coactione.

Prob. ant. ex S. Auguſtino, qui eodem lib. 3. de lib. arb. c. 4. ait homines, quorum peccata præſcit Deus, juſtè puniri, quia Deus *neminem ad peccandum* cogit. Hinc apud Eccleſiæ Doctores, voluntarium ſeu ſpontaneum & liberum ſunt omnino ſynonima; unde ſanctus Proſper Lib. contra Collator. c. 19. *Liberum arbitrium*, *eſt res ſibi placita ſpontaneus appetitus*. Et S. Damaſcenus Lib. 3. de fide cap. 14. *Arbitrii libertas nihil aliud eſt quam voluntas*; id eſt, *animi motus cogente nullo*, ut loquitur Auguſtinus Lib. de duabus animabus c. 1 Ergo eo ipſo quòd creatura non cogitur. ſed *cogente nullo*, & *ſpontaneè* aliquid facit, eo, inquam, ipſo, verè libera eſt.

Reſp. diſt. ant. docent Patres hominem operari liberè, cùm non operatur coactè, id eſt, cùm non operatur neceſſariò, conc. id eſt, cùm immunis eſt à coactione ſtrictè ſumpta, nego. Coactionis nomen multipliciter ſumitur. 1. *ſtrictè* pro vi illa interna & planè impoſſibili, qua voluntas invita prorſus ac reluctans adigeretur ad volendum; hoc ſenſu coactum ſumitur à Philoſophis ac Theologis, cùm definitur, Id quod eſt à principio extrinſeco, renitente in contrarium paſſo. 2. *latiùs* pro determinatione neceſſaria ad unum, ſeu pro ſimplici neceſſitate libertati oppoſita; hoc ſenſu *coactionis* nomen à Patribus ſumi conſuevit, ut pridem animadverterunt Catholici cum Calvinianis diſputantes, ut Bellarminus, Eckius &c. Sic autem à S. Auguſtino ſumptum eſſe non ſemel, ne ipſe quidem Janſenius inficiari poteſt; ut cùm v. g. dicit S. Doctor l. 1. Retract. c. 15. n. 3. primos parentes peccati reos teneri, quia *nullo cogente* peccaverunt, & *tentator ſuaſit, ut hoc fieret, non coegit*; ecce enim hic Adam peccaſſe dicitur, quia præceptum tranſgreſſus eſt *non coactus*, id eſt, immunis, non ſolùm à coctione ſtrictè ſumpta, ſed etiam à vera neceſſitate, ut Iprenſis ipſe docere cogitur. 3. *latiſſimè* pro vi quadam morali, quæ nec ſtrictè voluntatem cogit, cùm id ſit impoſſibile, nec eam neceſſariò ad unum determinat, cùm adhuc ad aliod flectere ſe poſſit. Sic ſi nauticus excuſet ſe, quòd alicujus merces in mare projecerit, indubiè dicet ſe *coactum* fuiſſe mortis periculo; ſic ſi quis avarus mendicorum turbæ mortem minitanti niſi pecuniam dederit, crumenam porrigat, dicetur *coactè* agere, tametſi actio ejus immunis ſit tum à rigida illa coactione, tum à ſimplici neceſſitate phyſica, cum voluerit pecuniam largiri, & ità voluerit ut contrarium velle poſſet.

Non minor eſt harumce vocum *ſponte*, *volens*, ambiguitas: cum etiam ſpontaneum opponatur coacto, tot *ſpontanei* quot *coacti* ſpecies eſſe debent,

unde

unde ſpontaneum ſumitur 1. prout excludit internam violentiam, quæ voluntati nunquam inferri poteſt. 2. prout excludit neceſſitatem phyſicam. 3. prout excludit eam neceſſitatis ſpeciem quæ moralis dicitur, Hæc diſtinctio uſque adeo certa eſt, ut Janſenius * ipſe fateatur, ex S. Auguſtini mente *ſponte* ac *volentem* eum agere qui nullâ neceſſitate ad agendum impellitur; eum verò dici poſſe *cogi*, & agere non *volentem*, qui *timore compulſus aliquid facit*. Neque verò id cuipiam mirum videri debet, quia cùm barbaræ quibus nunc utimur voces *neceſſitari*, & *neceſſitare*, in uſu non eſſent, quod per eas exprimimus, per *coactionis* nomen exprimebatur: unde Patres qui ajebant, hominem eſſe liberum quia non cogitur, quia ſponte fertur in objectum, id unum volebant hominem eſſe liberum, quia ſine neceſſitate in objectum fertur. Quapropter non aliter de protoparente & Angelis loquebantur ut eorum libertatem exprimerent, ut patet ex citato S. Auguſtini textu, & aliis pluribus quos citat P. Dechamps de hæreſi Janſen. l. 3. diſp. c. 16. quem utiliter & non ſine voluptate conſules.

* L. 4. de ſtat. nat. lapſ. c. 21.

Obj. 3. cum Janſenio ibid. & Ethicâ cap. 4. Libertas omnium perfectiſſima Deo competit, non ſolùm in ordine ad creaturas, ſed etiam in ordine ad ſemetipſum & juſtitiam ſuam: atqui Deus nullam habet circa ſeipſum libertatem indifferentiæ, cùm non poſſit ſe & juſtitiam non amare; ergo.

Prob. maj. 1. ex S. Thomâ q. 10. de potentia a. 2. ad 5. "Dicendum, *inquit*, quòd naturalis neceſſitas, ſecundùm quam voluntas aliquid ex neceſſitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, ut Auguſtinus docet in 5. Lib. de Civ. Dei... unde voluntas liberè appetit felicitatem licet neceſſariò appetat illam; ſic autem & Deus ſuâ voluntate liberè amat ſeipſum, licet de neceſſitate amet ſeipſum." 2. ex S. Auguſtino L. de nat. & grat. c. 46. cui cùm objeciſſet Pelagius, "voluntatis arbitrio ac deliberatione privari, quidquid naturali neceſſitate conſtringitur, *reſpondet S. Doctor*: Perabſurdum eſt ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem noſtram, *id eſt ad libertatem*, quòd beati eſſe volumus, quia id omnino nolle non poſſumus, neſcio quâ & bonâ conſtrictione naturæ: nec dicere audemus ideo Deum non voluntatem, ſed neceſſitatem habere juſtitiæ, quia non poteſt velle peccare. *Lib.* 1. *Operis imperfect. c.* 100. Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem, *adeo ut non ſit liber quia* injuſtus eſſe non poteſt, & peccare non poteſt? *Et infra*: Hac neceſſitate, ſi neceſſitas etiam ipſa dicenda eſt, non premuntur S. Angeli, ſed fruuntur."

Reſp. diſt. maj. Libertas ſpontaneïtatis Deo competit, conc. libertas ſtrictè ſumpta, ſubd. competit Deo circa ea quæ ſunt ad extra, & à quibus Deus abſtinere poteſt, conc. circa actus ad intra & omnino neceſſarios, nego. Itaque textus à Janſenio objecti vel significant tantùm ineſſe Deo libertatem ſpontaneïtatis; vel ſi libertatem etiam ſtrictè ſumptam ſignificent, non dicunt eam competere Deo in actibus ad quos neceſſariò fertur. Atque id ex diligenti ſingulorum inſpectione probandum eſt. Et quidem 1. quod pertinet ad ſanctum Thomam & Scotum qui idem cum S. Thomâ loquitur, viam pridem obſervarunt Pennotus & alii Controſiſtæ, eos Scholæ Doctores per liberum id intellexiſſe quod nos per voluntarium hodie intelligimus: hinc alibi expreſsè negarunt, ea quæ Deus neceſſariò facit, libero ejus arbitrio fieri; unde S. Thomas 1. p. q. 19. a. 10. "Dicendum, *inquit*, quòd liberum arbitrium habemus reſpectu eorum quæ non neceſſariò volumus, vel naturali inſtinctu. Cùm igitur Deus ex neceſſitate ſuam bonitatem velit, alia verò non ex neceſſitate, ut ſupra oſtenſum eſt, reſpectu illorum quæ non neceſſitate vult, habet liberum arbitrium." Ita S. Doctor in Summâ ſuâ, quæ poſtremam ejus voluntatem ac veluti teſtamentum continet. Hæc Janſenius conciliet, ſi poteſt, cum interpretatione quam objectis S. Thomæ verbis affert; nos utrumque facilè conciliamus. Nec piget annotare quod alii etiam annotaverunt, veteres Theologos dixiſſe quidem actus qui neceſſarii ſunt eſſe *liberos*, non dixiſſe autem eos eſſe à *libero arbitrio*, aut ab *electione*; ſed hæc nomina vulgò reſervaſſe ut exprimerent actus qui ſic poni poſſunt, ut poſſint non poni.

Ut ſolvantur S. Auguſtini textus, ſciendum eſt rem fuiſſe S. Doctori cum Pelagianis, qui, ut notat Janſenius Lib. 7. de grat. Chr. c. 11. ad libertatem requirebant *indifferentiam ad bonum & malum*, juxta hanc Juliani ſententiam, *Liberum non eſt niſi quod duo poteſt velle, id eſt bonum & malum*. Principium hoc impugnat Auguſtinus: *Ergo*, inquit, *Deus liber non eſt, qui malum non poteſt velle? Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem?* Quaſi Juliano diceret S. Doctor: Deus non habet indifferentiam contrarietatis, ſed conſtringitur neceſſitate quoad ſpecificationem, quia ſic vult juſtitiam, ut injuſtitiam velle non poſſit; ergo perperam requirunt Pelagiani ad libertatem, ut quis *duo velle poſſit, id eſt bonum & malum*. Idem probat exemplum aliud è beatitudine deſumptum, quam homo ita vult, ut miſeriam velle non poſſit: inde enim pariter conficitur, cum neceſſitate quoad ſpecificationem, quæ contrarietatis indifferentiam tollit, ſubſiſtere poſſe libertatem, nimirum exercitii.

Aug. tom. 10. p. 932.

Aliter locum hunc Auguſtini ſolvit Eſtius in 2. diſt. 24. Vide etiam Yſambert diſp. 1. de lib. arb. ar. 3.

Inſt. 1. Solutio hæc merum eſt effugium; nam docens SS. Auguſtinus & Thomas libertatem remanere cùm neceſſitate quâ diligitur beatitudo: atqui neceſſitas quâ beatitudinem diligi neceſſe eſt, excludit indifferentiam etiam contradictionis; ergo.

Reſp. neg. min. cum S. Thomâ, qui q. 6. de malo art. unic. ſic loquitur: "Bonum perfectum quod eſt beatitudo voluntas non poteſt non velle, ita ſcilicet quòd velit ejus oppoſitum; poteſt tamen non velle actu, quia poteſt avertere cogitationem beatitudinis, in quantum movet intellectum ad ſuum actum, & quantùm ad hoc nec ipſam beatitudinem ex neceſſitate vult;" ergo juxta S. Thomam voluntas eſt libera circa beatitudinem, non quidem libertate contrarietatis, ſed libertate contradictionis.

Inſt. 2. Eſto quòd voluntas hominis viatoris actum ſuum circa beatitudinem ſuſpendere poſſit: at certè Deus ſuſpendere non poteſt amorem quo juſtitiam ſuam proſequitur, adeoque nullam, ne contradictionis quidem indifferentiam habet circa juſtitiam ſuam: atqui tamen eſt liber ex Auguſtino.

Reſp. diſt. Deus non poteſt ſuſpendere amorem quo amat juſtitiam ſuam in ſe & ſecundùm ſe ſumptam, conc. quia talis juſtitia eſt ipſemet Deus, Deus autem à ſuimetipſius amore abſtinere non poteſt: non poteſt ſuſpendere amorem quo amat juſtitiam ſuam prout terminatur ad creaturas, nego. Si enim liberè Deus circa creaturas operatur, etiam eo ſenſu liberè amat attributa prout ad creaturas relativa ſunt: atqui Deus circa creaturas liberè operatur. *Bona enim quæ facit Deus*, ait S. Thomas, *poteſt non facere, nec tamen malum facere poteſt.*

In 2. diſt. 25 q. 1. a. 1. ad 2.

Inſt. 3. Ille non eſt liber circa juſtitiam ſuam, etiam

etiam prout ad creaturas terminatur, qui eam vult immobili voluntate quam retractare non poteſt: atqui Deus juſtitiam ſuam, prout ad creaturas terminatur, vult immobili voluntate, cùm ſit immutabilis.

Reſp. neg. maj. ut enim ſolidè ait S. Thomas 1. p. q. 19. a. 3. ad 1. *ex hoc quòd Deus vult ab æterno quidquid vult, non ſequitur quòd neceſſe eſt eum illud velle, niſi ex ſuppoſitione.* Hæc autem neceſſitas purè hypothetica non nocet libertati, ſed potiùs eam ſupponit; quatenùs ſupponit Deum pro priori ad decretum ſuum, liberè ſe determinaſſe ad faciendum circa creaturas, id à quo potuiſſet abſtinere.

Inſt. 4. Si ut Deus circa creaturas liber dicatur; ſufficiat ut v. g. ad earum productionem liberè & cum indifferentiâ ſe determinaverit, amor beatificus, quem habent Sancti in cœlis, poterit etiam dici liber, quia ad eum ſe determinaverunt eâdem libertate quâ Deus ad creaturarum volitionem: atqui falſum conſequens.

Reſp. neg. maj. Verum quidem eſt quòd amorem beatificum ſive in Angelis, ſive in hominibus præceſſerit voluntas indifferens ſeu libera per modū meriti, quandoquidem per actus liberos viæ viſionem intuitivam, eique annexum amorem beatificum promeruêre; ſed voluntas hæc indifferens nullo unquam inſtanti fuit principium elicitivum amoris beatifici; ergo nullo unquam inſtanti verum fuit quòd Sancti amorem beatificum liberè elicuerint: ſed Deus juxta noſtram cogitandi rationem, pro priori ad decretum liberè elicuit actum volitionis erga creaturas; ergo actus ille liber dici poteſt, non autem actus quo Sancti Deum amant.

CONCLUSIO QUARTA.

Indifferentia ad bonum & malum, ſubindeque potentia peccandi non pertinet ad eſſentiam libertatis, pertinet tamen ad ſtatum puri hominis viatoris.

Prob. 1. pars ex S. Thomâ, qui in 2. diſt. 25. q. 1. a. 1. ad 2. ſic habet: "Ad rationem liberi arbitrii „non pertinet ut indeterminatè ſe habeat ad bo„num vel malum... & ideo ubi perfectiſſimum eſt „liberum arbitrium, ibi in malum tendere non po„teſt, quia imperfectum eſſe non poteſt. Sed hoc ad „libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam „facere vel non facere poſſit; & hoc Deo convenit, „bona enim quæ facit poteſt non facere, nec tamen „malum facere poteſt," quæ S. Doctoris ratiocinatio paucis ſic reddi poteſt: In Deo circa *bona quæ nobis facit*, vera eſt libertas: atqui in Deo nulla eſt indifferentia ad malum; ergo.

Prob. 2. pars 1. Illud pertinet ad libertatem hominis viatoris, per quod ea libertas tum in Scripturis, tum in Conciliis & Patribus explicari ſolet: atqui libertas hominis ut nunc eſt explicatur per poteſtatem extendendi manum ad bonum & malum. Unde S. Hieronym. Epiſt. 146. "Solus Deus eſt, *ait*, „in quem peccatum non cadit; cætera cùm ſint li„beri arbitrii, in utramque partem, ſuam poſſunt „flectere voluntatem."

2. Si potentia peccandi non ſit pars libertatis noſtræ, neque etiam potentia non peccandi, ſeu abſtinendi à peccato ejuſdem libertatis pars erit: atqui potentia abſtinendi à peccato eſt pars libertatis noſtræ, ut fateri debent qui contra nos ſentiunt, niſi libertatem conſtituere velint quæ ſit ſine potentiâ tum peccandi, tum abſtinendi à peccato, Major prob. quia libertas circa unum è contradictoriis involvit libertatem circa alterum, ut ſalva ſit utrius optio, quod breviter docuit S. Thomas his verbis: *Si operari eſt in poteſtate noſtrâ; oportet etiam quod non operari ſit in poteſtate noſtrâ, & è converſo.*

Dices: Voluntas in quâ reſidet libertas non habet pro objecto niſi bonum; ergo circa peccatum verſari non poteſt; ergo peccandi potentia non eſt pars libertatis.

Reſp. diſt. Voluntas habet pro objecto bonum ut abſtrahens ab honeſto, utili, & jucundo, conc. bonum quod neceſſariò ſit honeſtum, nego. Solutionis veritatem docet infelix & frequens experientia.

CAPUT QUARTUM.

De principiis extrinſecis actus humani, & primò de fine.

Actus omnis fit propter finem; finis omnis eſt bonus, aut ſpectatur ut talis; finis ſimpliciter ultimus eſt etiam ſummum bonum & beatitudo. Unde hic de beatitudine diſſerendum nobis eſt; pauca tamen præmittemus de fine: nihil autem de bono, cujus prout à fine & beatitudine diſtinguitur, conſideratio ad Philoſophos pertinet.

Quæres 1. quotuplex ſit acceptio finis.

℞. Finis accipitur vel impropriè pro rei cujuſcunque termino, etiamſi non intendatur, quo ſenſu mors dicitur finis vitæ; vel propriè pro bono in quod tendit agens, & quo obtento ceſſat actio ejus. Quanquam finis propriè dictus non ſolùm habet rationem cauſæ, quatenus ad agendum movet, ſed etiam termini, quatenus obtento fine ceſſat motus agentis.

Finis definitur à Theologis poſt Ariſtotelem, *Id cujus gratiâ fit aliquid*; ſive eſt *bonum per ſe, cujus obtinendi gratiâ aſſumitur medium.* 1. eſt *bonum*, verum ſcilicet vel apparens, quia voluntas non poteſt amare, niſi id quod ſibi bonum videtur; malum enim qua malum voluntatem non allicit, ſed avertit potiùs & fugat. 2. eſt bonum *per ſe*, id eſt per ſe & propter ſe conveniens; ſi enim ſpectaretur ut conveniens propter aliud; jam non eſſet finis, benè verò illud aliud ad cujus aſſecutionem conveniens foret, juxta id Auguſtini, *Quod amatur propter aliud, non illud amatur; ſed aliud propter quod amatur.* Hinc bonum honeſtum & jucundum finis rationem habere poſſunt, non autem bonum utile; quod quatenus tale, non eſt bonum, niſi ratione finis ad quem utile eſt, & propter quem amatur. 3. *cujus gratiâ fit aliquid*, ſeu *aſſumitur medium*; id eſt illud omne quod ad finis aſſecutionem inſervire poſſe judicatur. Hinc patet 1. finem primam eſſe omnium hominis operationum cauſam; quatenus eſt principium tum conſultationis, quâ de mediis mediorumque delectu diſquiritur, tum operationis quâ ejuſmodi media actu adhibentur; quod expreſſit S. Thomas a. 1. his verbis: *Finis ſe habet in operativis, ſicut principium in demonſtrativis.* Vide S. Doctorem & Sylvium in 1. 2. q. 1. a. 1. Patet 2. bonum & finem non reciprocari; quia licet finis omnis ſit ſaltem apparenter bonus, alioqui non appeteretur; non omne tamen bonum eſt finis, ſive quia multa ſunt bona quorum gratiâ nihil fit, ut patet in ſcientiâ quam pauci habere ſtudent; ſive quia medium omne licet bonum, non eſt tamen finis.

Quæres 2. quomodo dividatur finis.

℞. 1. finis alius eſt *qui*, eſtque res illa & objectum quod per media conſequi intendimus, unde dicitur finis *ut res*, vel finis *objectivus*, vel finis *cujus*,

ſcilicet

ſcilicet conſequendi gratia aliquid fit. Alius eſt *cui*, eſtque ſuppoſitum cui quæritur res quæ eſt finis *qui*. Alius eſt *quo*, eſtque poſſeſſio finis objectivi ; ſeu actio quâ finis objectivus poſſidétur: ſic Deus eſt finis objectivus hominis ; viſio beatifica eſt finis *quo*, vel, ut alii dicunt, finis formalis.

2. Finis alius eſt *operis*, eſtque res illa ad quam opus ex ſe ordinatur ; ſic finis eleemoſynæ eſt ſublevatio pauperis ; alius eſt *operantis*, eſtque res illa in quam operans ordinat id quod facit ; ſic finis dantis eleemoſynam eſt aliquando vanitas, aliquando aliud. Finis operis dicitur etiam *internus*, eſtque idem cum objecto ; finis verò operantis dicitur *externus*.

3. Finis alius eſt *ultimus*, quem ita intendit voluntas ut in eo ſiſtere velit, ſive in eo ſiſtere debeat, & tunc dicitur finis *ultimatus*, qualis eſt ſolus Deus; ſive in eo ſiſtere non debeat, ſed ulteriùs progredi, & tunc dicitur *ultimus reſpectivè*, talis eſt pecunia reſpectu avari. Alius eſt finis *non ultimus*, ſeu *intermedius*, & is eſt ad quem actio ita refertur, ut ipſe ad ulteriorem finem referatur.

Quæres 2. quot ſint effectus finis.

℞. Multos numerari; præcipuos recenſemus. Primus eſt *volitio* ſeu *amor* finis, & quædam in ipſo complacentia; hæc tamen complacentia per ſe non ſufficit, ut agens ſibi bonum aliquod actu proponat tanquam finem, quia bonum quod placet conſiderari poteſt ut impoſſibile, v.g. regia dignitas reſpectu plebeii, bonum autem quod judicatur impoſſibile, non proponitur ut finis, cum nihil illius obtinendi causâ fiat ; unde præter amorem requiritur *intentio* quæ ſecundus eſt finis effectus : hæc autem intentio eſt actus mentis efficaciter tendere volentis in bonum per media conſentanea ; qui proinde ſaltem virtualiter continet propoſitum inquirendi & adhibendi media ſine quibus finis obtineri non poteſt. Quare tertius finis effectus eſt *deliberatio* ſeu *conſilium* conſiſtens in actu quo mens inquirit media, eorumque cum fine proportionem ponderat. Sine eo conſilio deſiderium finis, mera eſt velleitas; nec enim ad finem pervenire poteſt, qui congruis non utitur mediis, neque iis uti qui eadem non inquirit. Hinc illud Eccli. c. 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile.* Sed piè & juſtè monet aliquis conſilium hoc non eſſe quærendum à peccatoribus ; quia cum judicet unuſquiſque prout affectus eſt, & peſſimè erga ultimum finem affecti ſint qui à Deo per criminum habitus diſcedunt, non alia de theſauro ſuo proferre poſſunt quàm mala hinc iterum illud Eccli. c. 8. *Cum fatuis conſilium non habeas ; non enim poterunt diligere niſi quæ eis placent.* Quartus finis effectus eſt *electio*, ſeu actus quo voluntas ex pluribus mediis unum aliis præfert in ordine ad finem intentum. Actus autem ille liber eſt, etiam cùm unicum præſto eſt medium quoad finem perveniatur ; quia electio talis medii omitti poteſt : hinc peccat qui vitam aliter quàm perjurio ſervare non valens, pejerat, quia & finem & medium omittere potuit.

Habert.

Diſputant hic aliqui an voluntas poſſit ex duobus mediis eligere minùs bonum.

Affirmant Scotiſtæ. 1. quia in tali caſu neutrum medium proponitur ut neceſſarium ; ergo voluntas poteſt relicto meliori minùs bonum eligere, cùm ſit etiam bonum utile, & fini proportionatum, adeoque natum ſit mentem movere. 2. quia ſi ſupponantur duæ viæ è Lutetiâ Verſalia conducentes, quarum altera longa ſit, difficilis & aſpera, altera brevior & facilis, poſſum ut Concluſionis hujus veritatem oſtendam, primam eligere poſthabitâ faciliori: atqui tunc eligam medium quod meo etiam judicio minus bonum eſt ; ergo.

At, inquies, oſtenſio libertatis meæ, erit motivum quo voluntas mea ad ſic agendum determinabitur.

℞. Id quidem verum eſſe, ſed nihil inde concludi poteſt, quia oſtenſio libertatis ſe tenet ex parte voluntatis, non ex parte medii, nec facit ut deſinat repræſentari ut minùs bonum.

Inſt. Voluntas agit ut rationalis : ſed non ageret ut rationalis ſi minùs bonum præferret meliori, nã talis agendi ratio contra rationem pugnat ; ergo.

℞. Diſt. agit ut rationalis, id eſt non agit niſi præeunte cognitione eorum in quibus eſt actio ; unde antequam agat noſſe debet finem & media, conc. id eſt ſemper ſequitur id quod rectæ rationi conſonũ eſt, nego. Quot enim ſunt qui de ſeipſis dicere poſſint: *Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas?*

Inſiſtes : Non poteſt voluntas eligere medium minùs bonum niſi repudiet melius cognitum ut tale : atqui voluntas non poteſt repudiare... Voluntas enim non repudiat niſi malum, ſicut non proſequitur niſi bonum : atqui medium melius ut tale, nec eſt nec judicatur eſſe malum ; ergo.

℞. Diſt. min. Voluntas non poteſt medium melius repudiare poſitivè, id eſt per odium, ac deteſtationem, conc. non poteſt repudiare negativè, id eſt non amplecti, non ſequi, nego. Voluntas enim quibuslibet poſitis mediis remanet libera & indifferens ; ergo poteſt omittere id omne quod ſibi proponitur ut bonum privatum, quia nullum bonum privatum ea ſe voluntatem neceſſariò determinare poteſt. Ita docet ſimul & profundè probat Angelus Scholæ hiſce verbis : "Quia defectus cujuſ- 1.2.q.10.
„cunque boni habet rationem non boni, ideo illud a.2.
„ſolum bonum quod eſt perfectum, & cui nihil „deficit, eſt tale bonum quod voluntas non poteſt „non velle, quod eſt beatitudo : alia autem quælibet particularia bona in quantum deficiunt ab aliquo bono poſſunt accipi ut non bona ; & ſecundùm hanc conſiderationem poſſunt repudiari vel „approbari à voluntate."

Fatendum tamen eſt electionem ut recta ſit & honeſta prudenter fieri debere, ut vero prudenter fiat neceſſe eſt ut medium quod eligitur ſit efficacius & idoneum magis ad finis conſecutionem ; atque id præſertim verum eſt in moralibus. In his enim electio debet eſſe actus virtutis ; ſed electio medii minùs idonei rejecto aptiori, non eſt virtutis actus ; virtus enim definitur, Habitus ſecundùm rectam rationem electivus ; ſed qui medium minùs idoneum præfert aptiori, non eligit ſecundùm rectam rationem, ut ex terminis patet.

Dices : Si res ita ſit, peccat contra prudentiam tum is qui conſilia evangelica non eligit ; hæc enim ſunt media ad ſalutem longè aptiora ; tum is qui viam tutam eligit relictâ tutiore : atqui falſum conſequens.

Reſp. conſilia evangelica v. g. de ſervandâ caſtitate, de paupertate amplectendâ, eſſe quidem meliora ſi in ſe abſolutè ſpectentur, non autem relativè ad ſingulos homines. Sic *meliùs eſt nubere quàm uri*; 1.Cor.7.
ſic S. Joannes Baptiſta non præcepit publicanis & militibus ut profeſſionem ſuam dimitterent ; & tamen aliis benè multis præcipiendum eſſet ut à profeſſione tam periculosâ diſcedant. Conſideret igitur unuſquiſque proprium donum quod habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic ; attendat id ad quod vocatur, & pro certo teneat ſe graviter peccaturum contra prudentiam & rationem, ſi mundi concupiſcentiis attractus, vocationem divinam non ſequatur. Ita Habert.

Electio-

Electionem mediorum ſequitur *uſus*, ſeu ipſa mediorum executio & applicatio; neque enim ſatis eſt ſi media ſpeculativè eligas, niſi etiam iiſdem uti velis & utaris de facto. Uſum ſequitur *fruitio*, quæ eſt quies in fine poſſeſſo. Hinc uſus eſt circa media, fruitio verò circa finem, juxta id S. Auguſtini Lib. 11. de Civ. Dei c. 25. "Eâ re dicimur frui quæ nos, „non ad aliud referenda, per ſeipſam delectat; uti „verò eâ re quam propter aliud quærimus. Unde „temporalibus magis utendum eſt quàm fruen- „dum, ut frui mereamur æternis." Cæterùm quies illa quæ fruitionis nomine intelligitur, eſt quidem ceſſatio motûs quo tenditur in finem, ſed non ideo eſt mera operationis cujuſcunque privatio; eſt enim vitalis actus voluntatis quæ in poſſeſſione boni amati & obtenti ſuaviter *conquieſcit*, ut docet Auguſtinus ibid. L. 10. c. 10.

Dices: Poteſt vir juſtus prudenter frui & conquieſcere in virtutum actibus: atqui tamen actus virtutum non ſunt ultimus finis, ſed media ad ipſum; ergo licitum eſt frui non ſolùm fine, ſed etiam mediis.

Reſp. Actus virtutum non eſſe pura media, ſed media ſimul & fines, quibus licitum eſt frui. Ut intelligatur ſolutio quæ eſt magni momenti, quia, ut docet Auguſt. ubi ſup. *non eſt alia vita hominis vitioſa atque culpabilis, quam malè utens, & malè fruens*, ſciendum eſt quòd juxta S. Auguſtinum, *frui eſt amore inhærere alicui rei propter ſeipſam: uti autem, quod in uſum venerit, ad id quod amas, obtinendum referre.*

L. 1. de doct. Chriſt. c. 3. & 4.

Secundùm hoc principium ea cenſentur puri medii rationem habere, quæ per ſe nullatenus appetibilia ſunt; ea verò non ſunt pura media, ſed etiam finis rationem habent, quæ licet ad ulteriorem finem conducant, per ſe tamen appeti merentur; & in hoc ordine ſunt ea omnia quæ naturam rationalem perficiunt, & reddunt ſui poſſeſſione verè meliorem. Hinc ſequitur temporalia quæcunque, quantumvis ſenſibus aut imaginationi placeant, ut fama, honor, divitiæ, pura eſſe media quibus uti licitum ſit non frui, quia hæc in ordine ad Deum animam non perficiunt. At verò Chriſtianæ virtutis actus, licet ſint media ad ultimum finem, juxta id Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata:* ſunt etiam fines, quorum poſſeſſio cùm animam meliorem efficiat, propter ſe expeti meretur, ut docet Pſaltes his verbis, Mandata Dei *deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum &c.* Et alibi, *Beati immaculati in via &c.* Hinc Chriſtus, *Quærite primùm regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Et Apoſt. 1. Tim. 1. *Finis præcepti eſt charitas.* Sed quia opus juſtitiæ in hac vitâ undequaque perfectum eſſe non poteſt, juſtus in eo non quieſcit penitus, ſed quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita fontem eum deſiderat quem qui ſemel deguſtavit, non ſitiet in æternum. Fons ille, ipſe eſt ultimus finis ac vera beatitudo, de quâ priuſquam diſſeramus proponenda hic & ſolvenda eſt quæſtio quam Theologi agitare ſolent.

Pſal. 58. & 118. Matt. 6. 33. 20.

Quæres itaque an homo ſemper agat, ſeu, an omnia quæcunque vult, velit propter ultimum finem.

Sylv. in 1 2 q. 1. a. 6.

Antequam ſolvatur quæſtio, notandum cum Sylvio ultimum finem qui idem eſt cum beatitudine objectivè ſumptâ, dupliciter ſpectari poſſe. 1. confusè & ſub ratione maximè communi, quomodo ſpectatur ab iis qui hoc unum ſciunt quòd felices eſſe velint, nec ſatis ſciunt an in divitiis, honoribus, voluptate &c. felicitatem reperturi ſint. 2. diſtinctè & determinatè, ut ſi quis rem determinatam, v. gr. Deum vel gloriam mundi ſibi proponat tanquam ſummum bonum, & ad illud aſſequendum contendat. His præmiſſis,

℞. Homo ſemper agit propter ultimum finem ſpectatum in communi, non autem ſpectatum in particulari & determinatè.

Prob. 1. pars. 1. ex S. Auguſt. L. 10. de Civ. Dei c. 1. *Omnium certè*, inquit, *ſententia eſt, qui ratione uti poſſunt, beatos eſſe omnes homines velle.* Et Serm. 1. in Pſalm. 118. *Beatum eſſe, tam magnum eſt bonum, ut hoc & boni velint & mali. Nec mirum eſt quòd boni propterea ſunt boni; ſed illud mirum eſt quòd etiam mali propterea ſunt mali, ut ſint beati.*

2. Ille in omnibus agit propter beatitudinem, qui ſemper operatur ut benè ſit ſibi: atqui homo ſemper operatur ut benè ſit ſibi. Ille enim ſemper operatur ut benè ſibi ſit, qui nihil vult niſi quatenus bonum ſibi: atqui homo nihil vult niſi quatenus bonum ſibi: alioqui velle poſſet malum qua malum ſibi, quod fieri non poteſt; cum malum quâ malum nihil ſit, aut ſaltem nihil habeat quod voluntatem allicere poſſit, ut docet ſanior Philoſophia; ergo.

Prob. 2. pars. 1. finis ultimus determinatè ſumptus eſt Deus ipſe, in quo ſolo ſita eſt beatitudo noſtra: atqui homo quidquid vult non vult propter Deum, cùm plura velit quibus ſe avertit à Deo & convertit ad creaturam.

2. Ut quilibet homo ſemper operaretur propter veram beatitudinem, deberet ei conſtare in quo conſiſtat vera illa beatitudo: atqui tanta eſt in hoc corruptæ naturæ ſtatu cæcitas & depravatio, ut Gentiles nedum de beatitudinis objecto convenirent, mirum in modum inter ſe diviſi fuerint, adeo ut S. Auguſtinus Lib. 19. de Civ. Dei, poſt Varronem, ducentas octoginta octo numeret opiniones circa ſummum bonum. *Redite errantes*, ait S. Doctor in Pſalm. 33. & Lib. 4. Confeſſ. c. 12. *quod quæritis, ibi non eſt ubi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis, non eſt illic. Quomodo enim beata vita, ubi nec vita?*

Dices 1. Juſtus vult aliquando peccatum veniale: atqui non vult illud propter ultimum finem; non enim illud vult propter Deum, ad quem ordinari nõ poteſt: neque etiam illud vult propter creaturam, cum ponere finem ultimum in creaturâ, ſit peccatum non veniale ſed mortale; ergo non id omne quod vult homo, vult propter ultimum finem.

Reſp. diſt. min. non vult illud propter ultimum finem determinatè ſumptum, conc. non vult illud propter ultimum finem confusè ſumptum & generaliter, nego. Itaque, ut benè notat Vaſquez in S. Thomam, appetere beatitudinem, vel ultimum finé in communi, nihil eſt aliud quàm velle eſſe beatum: porrò non juſtus tantùm, ſed & quilibet alius, dum peccat, id unum quærit ut fiat beatus; *nam qui bonus eſt ideo bonus eſt ut beatus ſit: & qui malus eſt, malus non eſſet, niſi inde beatum eſſe poſſe ſperaret.* Ita S. Auguſt. aut quivis alius author brevis Tractatûs de Epicureis & Stoicis. Et hoc verum eſſe ſentit quiſquis ſemetipſum conſulit; ergo quilibet homo hoc ſenſu appetit finem ultimum confusè & indiſtinctè. Sed hæc pleniùs intelligentur ex iis quæ dicentur in Tract. de peccatis, ubi peccati mortalis & venialis diſcrimen aſſignabimus. Interim legatur Vaſquez loco citato, Sylvius ubi infra, & Janſen.

Vaſq. diſp. 5. c. 2. in 5. 5.

Tom. 2. p. 159.

Dices 2. Voluntas noſtra planè libera eſt; ergo poteſt quædam velle, etſi non ea velit propter finem ultimum.

℞. Cum eodem Sylvio qu. 1. a. 6. neg. conſeq. Voluntas enim libera quidem eſt quantum ad exer-

citium,

citium, imò & quantùm ad ſpecificationem reſpe-ctu objectorum particularium in quibus ultimum finem conſtituere poteſt, ſed non eſt libera quantùm ad ſpecificationem reſpectu finis ultimi generaliter apprehenſi, unde nihil velle poteſt, niſi id quo partem aliquam beatitudinis à ſe apprebendi poſſe potat.

Dices 3. Actus gaudii quem quis babet ob obtentum finem non fit propter finem; ergo non omne quod vult homo, vult propter finem.

Reſp. Id omne quod facit homo eſſe propter finem vel obtinendum, vel obtentum; & hoc ſenſu actus gaudii etiam eſt propter finem, ut docet S. Thomas q. 31. a. 1. ad a.

CAPUT QUINTUM.

De beatitudine.

Beatitudo definitur ab Auguſtino L. 5. de Civit. Dei c. 1. *Rerum optandarum cumulata plenitudo*, cui definitioni aſtutus eſt ventilata hæc Boëtii, quâ dicitur beatitudo, *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*, qui ut talis, *totaliter ſatiat & quietat appetitum*, ut docet S. Thom. hic q. 2. a. 1.

Beatitudo multipliciter dividitur. Nam 1. alia eſt *naturalis*, quæ naturæ rationali ſecundum ſe ſumptæ convenit, & quam creatura ſolis naturæ ſuæ viribus aſſequi poteſt; eſtque ſtatus bonorum naturalium aggregatione perfectus. Alia *ſupernaturalis*, quæ naturæ vires excedit, & ſolis gratiæ auxiliis comparari poteſt. 2. alia eſt *via*, quâ homo Deo conjungitur per amorem cujus capax eſt in præſenti vitâ; alia *patria*, quâ homo unâ, continuâ & ſempiternâ operatione, bono increato conjungitur, per viſionem ſcilicet eſſentiæ divinæ ut in ſe eſt &c. 3. alia eſt *eſſentialis*, quæ verſatur circa primarium objectum beatificans, puta eſſentiam divinam; alia *accidentalis*, quæ occupatur circa objecta inferiora, v. g. humanitatem Chriſti, cognitionem creaturarum extra Verbum &c. 4. alia eſt eſſentialiter tantùm perfecta; alia quæ omnibus numeris completa eſt. Priorem habent animæ Beatorùm ſtatim poſt mortem, cùm nibil eis purgandum reſtat; poſteriorem non habebunt, niſi reſumptis poſt reſurrectionem corporibus. 5. alia eſt *objectiva*, eſtque res illa ſeu objectum cujus poſſeſſione ſatiatur appetitus hominis; alia verò *formalis* dicitur, & hæc nihil aliud eſt quàm operatio quâ cum ſummo voluptatis ſenſu apprehenditur & poſſidetur ſummum bonum, ſeu res illa quæ beatitudo objectiva nuncupatur. De hac utraque, ejuſque proprietatibus potior hic nobis ſermo.

ARTICULUS I.

De beatitudine objectiva.

Etſi tot fuerint Veterum opiniones de objecto beatitudinis, ut ſupra annotavimus ex Auguſtino, eæ tamen ad tres claſſes reduci poſſunt pro triplici bonorum genere quæ diſtingui ſolent, & quorum alia dicuntur *bona fortunæ*, ut divitiæ, honores, poteſtas, & quæ ſub iis continentur; alia *corporis*, ut robur, pulchritudo, voluptates; alia demum *animæ*, ut virtutes & ſcientiæ. Si ergo ſemel probatum fuerit nullum ex hiſce bonis ad veram hominis felicitatem ſufficere, jam radicitus amputabuntur omnes antiquorum errores. Quod ut magis ac magis & poſitivè fiat, diſertè ſtatuendum erit quodnam tandem ſit illud objectum quo creatura rationalis plenè ſatiari poteſt. Sit itaque

CONCLUSIO PRIMA.

Objectum beatitudinis non eſt aliquid creati, ſed ſolus Deus.

Prob. 1. Objectum veræ beatitudinis tale eſſe debet ut appetitum hominis plenè & perfectè ſatiet; ubi enim non eſt plena hæc ſatietas, ibi eſſe non poteſt ſtatus bonorum omnium complexione perfectus, adeoq; nec beatitudo: atqui ſolus Deus hominis appetitum plenè ſatiare poteſt. Tunc enim tantum omnimodè ſatiatur hominis appetitus, quando nihil ſupereſt quod optare poſſit: atqui quamdiu voluntas Deum non poſſidebit, tamdiu ſupererit aliquid quod optet; ſemper enim exoptare poterit bonum ſummum & increatum, & ipſum dubio procul eò exoptabit magis, quò ardentiùs creato bono adhæſerit, quia eo plùs ſentitur nihilum creaturæ, quò vividiùs diligitur. Ita exemplo ſuo perinde ac verbis docuit Salomon, qui omnia bonorum genera diu & ſtudioſè expertus, in has ab Operis ſui limine voces erumpit: *Vanitas vanitatum & omnia* Eccl. c. 1.
vanitas; unde Librum ſuum his concludit verbis: *Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo. Ergo*, ait S. Bern. Serm. 20. in Cant. *ſi hoc eſt omnis homo, abſque hoc nihil omnis homo.*

Confirm. De ratione beatitudinis, utpotè bona omnia complectentis, eſt intellectum non minùs quàm voluntatem *quietare*, ut loquitur & diſcurrit S. Thomas: atqui cognitis creaturis omnibus diviſivè aut collectivè, non quietaretur intellectus. Cognitis enim effectibus exoritur naturale deſiderium cognoſcendi cauſam, nec cognoſcendi ſolummodo an ſit, ſed etiam quid ſit; ergo nulla creatura intellectum ſatiare poteſt, ideoque nulla adæquatum ejus beatitudinis objectum eſſe valet. Dicant ergo univerſi homines cum Pſalte: *Quid mihi eſt in*
cælo, & à te quid volui ſuper terram? Satientur alii Pſalm. 72.
creaturis ſi poſſunt, *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino meo ſpem meam.* Profectò Joan. 17.
hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Plura non congerimus Scripturæ vel Patrum teſtimonia, quia præſens diſputatio non eſt Chriſtianorum inter ſe, ſed Chriſtianorum cum Ethnicis.

Prob. 2. Si beatitudo hominis in aliquo bono creato conſiſtat, vel in bonis fortunæ, vel in bonis corporis, vel in bonis animæ, vel demum in horumce omnium congerie: atqui nullum ex his dici poteſt.

1. Quidem non conſiſtit in bonis fortunæ. Objectum enim beatitudinis veræ, debet eſſe homine ipſo ſuperius, conſtans ac ſtabile, ejusque deſiderii ſatiativum, alioqui nec verè perficit, nec ſolidè hominem beat: atqui eæ quaitates fortunæ bonis non conveniunt, quæ, ut loquitur S. Bernard. Epiſt. 105. *poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant*; & quæ hominem magis poſſident quàm ab eo poſſidentur: unde Pſaltes divites avaros appellat *viros divitiarum*, non divitias virorum. Inde eſt quod veteres Philoſophi, ut Crates, omnia bona ſua dimiſerint; feliciores certè ſi penitùs executi eſſent illud Chriſti, *Si vis perfectus eſſe, vade, vende* Matt. 19.
quæ habes &c.

2. Nec conſiſtit in honoribus, in voluptatibus corporeis &c. 1. quia hæc omnia non animam perficiunt, ſed corpus; cùm tamen vera felicitas hominis, eidem convenire debeat ſecundùm partem

ejus

Digitized by Google

ejus nobiliſſimam, animam nempe, an ſecundum corpus; hæc enim brutorum potius quam naturæ intellectualis propria eſt. 2. quia bona hæc ſunt *vapor ad modicum parens, & tranſiens quaſi umbra.* Hinc tot Reges, Regumque amici, ut Aman, Sejanus, aliique innumeri, qui quo magis in altum ſublati fuerant eo lapſu graviore corruerunt. Unde Pſaltes: *Vidi impium ſuperexaltatum & elevatum ſicut cedros Libani, & tranſivi & ecce non erat quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus;* & Sapiens Eccleſ. 9. *Rex hodie eſt, & cras morietur.*

Jacobi c. 4. Sap. 5.

Pſalm. 36.

Neque in profana tantum, ut pie notavit aliquis, ſed in ſacra etiam poteſtate caſus hujuſmodi & repentinæ rerum mutationes conſpiciuntur. Exemplo ſunt tot SS. Pontifices qui ne unum quidem Pontificatus ſui menſem numeratè potuerunt. Sic Stephanus II. dies 4. Urbanus VII. dies 7. Bonifacius VI. dies 15. Cœleſtinus IV. dies 17. Siſinnius dies 20. &c. Pontificatum tenuiſſe & abſolviſſe leguntur. Unde S. Bernardus Epiſt. 237. hanc vitæ hujus honorum fragilitatem Eugenii oculis ſubjiciens, *Ipſi te*, inquit, *prædeceſſores tui certiſſimæ & citiſſimæ deceſſionis admoneant; & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum tuorum nunciet tibi... quia quibus ſucceſſiſti in Sedem, ipſos ſine dubio ſequeris ad mortem.* Hanc humani cujuſcumque honoris rapiditatem evincit celebris hæc cæremonia qua combuſtis coram Papa recens exaltato ſtupis, eidem dicitur, *Sic tranſit gloria mundi*; quod autem ſic tranſit feriæ beatitudinis objectum eſſe non poteſt.

Genet. c. 3. p. 21.

Confirmatur utraque probatio. In his non conſiſtit vera hominis felicitas, quibus poteſt quis abundare ſimul & miſerrimus eſſe: atqui poteſt quis bonis, honoribus & deliciis abundare, ſimul & miſerrimus eſſe, quia ſimul poteſt nullam in anima pacem ſentire, mortis metu cruciari, torqueri inſatiabili fame ampliora quam quæ habet bona aſſequendi &c. ergo.

3. Non conſiſtit vera felicitas in bonis animæ 1. quia ne ipſæ quidem Chriſtianæ virtutes hominem reddunt immunem à morbis, doloribus, egeſtate, tentationibus, aliiſque miſeriis: atqui tot miſeriarum ſenſus cum vera felicitate non compatitur, quidquid dicant aut aliquando dixerint ſtoici, quos acriter redarguit Auguſtinus Epiſt. 125. c. 1. his verbis: *O nimium ſuperba jactantia! ſi beata vita eſt in cruciatibus, cur non in ea manet ſapiens ut fruatur &c.* Et certè tam crudeliter animam pungunt hujus vitæ calamitates, ut Apoſtolos ipſos qui pro Chriſto libentiſſimè patiebantur, *tæderet vivere.* 2. vera felicitas excludit timorem ac tremorem: atqui homo magnis etiam animi bonis locupletatus, ſemper timere debet ne ab iis excidat, & ipſis in perpetuum ſpolietur, quod aliis pluribus & fortè Salomoni ipſi contingit. 3. vera felicitas propter ſemetipſam appetitur; bona autem animæ non propter ſe ſola appeti debent, ſed propter Deum, ad quem univerſæ hominis actiones ordinari debent, ut ex dicendis amplius conſtabit.

2. Corint. 1.

L. de morib. Eccl. c. 8.

4. demum nec conſiſtit beatitudo in harumce omnium bonorum congerie, quia hæc etiam conjuncta nec hominem ab omnibus miſeriis eximere, nec appetitum ſatiare poſſunt. Ergo, ait Auguſtinus, *bonorum ſumma Deus nobis eſt; Deus eſt nobis ſummum bonum, nec infra remanendum nobis eſt, nec ultra quærendum alterum; alterum enim periculoſum, alterum nullum eſt.* Et Lib. 4. Confeſſ. c. 5. *Infelix homo qui ſcit illa* bona creata, *te autem neſcit: beatus autem qui te ſcit, etiamſi illa neſciat: qui verò te & illa novit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum beatus.*

Obj. 1. Objectiva hominis beatitudo in bonis creatis reponi debet, poſito quòd bona hæc appetitũ ejus ſatiare poſſint: atqui creata bona hominis appetitum ſatiare poſſunt. Nam 1. facultas finita per finiti boni poſſeſſionem ſatiari poteſt: atqui voluntas humana, facultas eſt finita. 2. eadem voluntas hominis de facto ſatiatur per formam finitam; formalis enim beatitudo etiamſi in viſione aut amore Dei conſiſtere ſupponatur, eſt aliquid creati & finiti: atqui tamen formalis beatitudo appetitum noſtrum quietat; ergo.

℟. Ad 1. neg. min. ad 2. diſt. Facultas finita tum intrinſecè tum extrinſecè ſatiari poteſt per adeptionem boni finiti, conc. facultas intrinſecè finita, infinita verò extrinſecè & objectivè, nego. Porrò voluntas hominis etſi finita intrinſecè & quoad ſubſtantiam, eſt tamen infinita ratione objecti circa quod occupari poteſt. 1. quia nunquam tot appetit quin plura in infinitum appetere poſſit; unde nonniſi infinito bono quietari poteſt. 2. quia illud præcipuè bonum deſiderat quod bona cætera excluſis quibuſcunque malis complectitur, quia ad illud ipſa ſui conſtitutione ordinata eſt. Unde illud Auguſtini, ejus veritatis unuſquiſque ſibi conſcius eſſe poteſt: *Feciſti nos ad te* Domine, *& inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* L. 1. Conf. c. 1.

Ad aliud objectionis membrum, dico viſionem Dei, aut aliam quamcunque operationem in quâ conſiſtit formalis beatitudo, non ſatiare appetitum præcisè prout ipſa eſt aliquid creati, & animi operatio; ſed quatenus ſecum involvit bonum increatum: adeptio enim finis ultimi, ut benè notat Sylvius, non quietat voluntatem, quia eſt adeptio ſimpliciter, vel quia eſt hominis actio; ſed quia eſt adeptio talis rei, ejus ſcilicet quæ eſt per eſſentiam ſummè bona, & proinde finis ultimus, & quia id quod in homine præcipuum eſt, conjungit eum bono infinito quod eſt Deus. Hic q. 2. a. 8.

Inſt. 1. Facultas intrinſecè finita non poteſt ad ſui ſatietatem exigere idem objectum quod requireret facultas extrinſecè infinita: atqui appetitus extrinſecè infinitus nullum amplius ad ſui ſatietatem objectum requireret quàm infinitum; ergo appetitus creaturæ utpote finitus, idem objectum infinitum exigere non poteſt.

℟. diſt. Non poteſt exigere idem objectum & eodem modo, conc. idem diverſo modo, nego. Appetitus infinitus non ſolùm exigeret objectum infinitum, ſed etiam exigeret illud attingere totaliter, adæquatè & infinito modo, nec aliter quàm ſic attingendo ſatiaretur. Sed appetitus finitus etſi exigat objectum infinitum, quia infinito quocunque nihil apprehendit unde innata ſibi fames ſatiari poſſit, non tamen exigit eidem uniri niſi modo finito, quia unionem infinitam utpote impoſſibilem velle non poteſt.

Inſt. 2. Vel facultas finita non exigit objectum quod exigeret facultas infinita, vel ſi illud exigit, exigit ipſum attingere modo infinito; ergo. Prob. ant. Facultas quæ objectum infinitum exigit, non exigit illud niſi ut plenè ſatietur: atqui plenè ſatiari non poteſt niſi objectum infinitum attingat modo infinito. Prob. min. Ideo ex nobis facultas ſeu appetitus ſatiari non poteſt per bona creata, quia poſt cujuſlibet creati boni adeptionem, ſemper ſupereſt aliquid quod voluntas appetere & deſiderare poſſit, bonum nempe infinitum: atqui ſi voluntas exigat objectum infinitum, & illud nonniſi finito modo attingat, ſupererit etiam aliquid quod voluntas

appetere

appetere poſſit, nempe idem objectum perfectiori modo cognoſcibile; ergo non ſatiabitur voluntas niſi objectum hoc modo illo perfectiori cognoſcat, præſertim cùm inſit nobis à natura deſiderium perfectioris hujus cognitionis adipiſcendæ.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. & 3. neg. min. Ut enim creatura rationalis omnimodè ſatietur, ſufficit ut Deum cognoſcat & amet quantum cognoſceee & amare debet: atqui creatura tametſi Deum modo infinito non attingit, cum tamen attingat quantum debet, & hoc ſenſu quantum poteſt; ergo nihil habet amplius quod debeat, adeoque & quod poſſit exoptare.

Inſt. 3. Actiones ſpecificantur ab objectis; ergo actio quæ Deum attingit vel nulla eſt, vel eſt infinita.

Reſp. diſt. Actio ſpecificatur ab objecto quantum ad aliquid, puta quia actio eo eſt dignior & nobilior, quo objectum dignius & nobilius attingit, conc. actio ſpecificatur ab objecto quantum ad omnia, ita ut actio ſit infinita, ſancta, minus honeſta, prout circa objectum infinitum, ſanctum minus honeſtum verſatur, nego. Et certè ex vulgari axiomate, *modus operandi ſequitur modum eſſendi*; & iterum *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*; ergo ſi agens finitum ſit, limitatum &c. actio ejus etſi circa objectum infinitum verſetur, finita erit, & limitata.

Obj. 2. Illud non eſt beatitudo hominis objectiva quod ab homine poſſideri non poteſt: atqui Deus ab homine poſſideri nequit.

℞. neg. min. Nam poſſidere Deum nihil eſt aliud quam ipſi per cognitionem & amorem adhærere; ſic enim facultates ſua poſſident objecta: atqui creatura rationalis ſic poteſt Deo adhærere, imo magis ei utpote mentibus noſtris præſentiori adhærere poteſt, quam cuilibet alteri objecto; ergo.

Alii diſtinguunt & fatentur creaturam nõ poſſe Deum poſſidere poſſeſſione civili & juridica, quia homo non poteſt habere dominium in Deum, ſicut in agrum; ſed negant Deum poſſideri à nobis non poſſe poſſeſſione objectiva & rationali, quod ultimum ſolutionis membrum coincidit cùm prima noſtra reſponſione.

Inſt. 1. Inter facultatem quæ poſſidet & objectum quod poſſidetur aliqua debet eſſe proportio: atqui Deum inter & facultatem creatam nulla eſt proportio.

Reſp. diſt. min. Nulla eſt proportio ratione finiti & infiniti, conc. nulla eſt proportio ratione habitudinis, nego. Deus utpote infinitus à creatura utpote finita, infinito diſtat intervallo, unde ſub hoc reſpectu nulla eſt utriuſque convenientia ſeu proportio? ſed non ideo negandum eſt creaturam habere proportionem habitudinis cum Deo, hæc enim proportio neceſſario inter ea reperitur, quorum unum eſt intelligendi & amandi capax, alterum vero intelligibile & amabile: atqui creatura rationalis, ut talis, capax eſt intelligendi & amandi, Deus verò eſt ſummè intelligibilis, hominemque illuminat ad cognitionem ſui, & accendit ad amorem ergo.

Inſt. 2. Proportio habitudinis fundatur in proportione entitatis: atqui Deum inter & creaturam nulla eſt proportio entitatis:

℞. neg. min. eſt enim inter Deum & hominem proportio entitatis, non ſolum quia ambo ſunt ſubſtantiæ; hæc enim proportio nimis eſt remota ut ſufficere poſſit ad fundandam proportionem habitudinis ſed quia ambo ſunt ſubſtantiæ quarum alia eſt intelligens, alia vero intelligibilis, ut jam dictum eſt, alia capax amandi, alia digniſſima quæ ametur & amari volens; ergo.

Alii diſtinguunt, & concedunt Deum inter & creaturam nullam eſſe proportionem entitatis ſpecificam, quia ambo ratione finiti & infiniti eſſentialiter differunt, ſed contendunt & meritò, inter utrumque eſſe proportionem entitatis genericam, nec genericam ſolum remotam, qualis eſt inter lapidem & Angelum, qui ex æquo ſunt ſubſtantiæ ſeu res per ſe ſubſiſtentes, ſed magis proximam, qualis eſt inter ſubſtantias immateriales, hæc autem proportio eſt principium proportionis habitudinis, quæ ſufficit ut Deus à creatura, poſſideri poſſit.

Quærunt hic Theologi multi, an Deus ut unus, ſit homini beatificando ſufficiens, adeo ut ſi per impoſſibile lateret ut trinus perfecta hominis beatitudo ſubſiſteret. Controverſia hæc parvi admodum momenti eſt, cum fateantur omnes viſa divina eſſentia de facto videri tres perſonas quæ eidem identificantur, & multi exiſtiment ne quidem de potentia Dei abſoluta fieri Poſſe ut eſſentia ſine perſonis conſpiciatur. Hanc tamen quæſtionem non ſinemus omnino intactam, ne eos offendamus, à quibus diſputatio quanto eſt inutilior, tanto videtur pluris æſtimari. Sit ergo cum Thomiſtis, & aliis pluribus.

CONCLUSIO SECUNDA.

Si eſſentia divina per impoſſibile videretur non viſis perſonis, non eſſet ſufficiens humanæ beatitudinis objectum, adeoque in hac hypotheſi periret eſſentia beatitudinis.

Prob. 1. Eſſentia divina non poteſt creaturam perfectè beare niſi videatur ut in ſe eſt: atqui non videretur ut in ſe eſt, niſi viderentur perſonæ. Minor conſtat, quia Deus prout in ſe eſt, non ſolum eſt unus, ſed etiam trinus. Prob. itaque major ex 1. Joan. 3. ubi ſic loquitur S. Apoſtolus: *Cum apparuerit, ſimiles ei erimus*, in beatitudine ſcilicet, *quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. Ergo cauſa propter quam viſio Dei eſt beatifica, eſt quia terminatur ad Deum *ſicuti eſt*: eſt autem trinus perinde ac unus.

Prob. 2. Vera beatitudo tam intellectum perfectè quietare debet, quam ſatiare voluntatem: atqui viſio quæ ad ſolam terminaretur eſſentiam, non quietaret intellectum, quia ſentiret ſe imperfectè admodum cognoſcere eſſentiam, quandoquidem non cognoſceret modum quo eſſentia illa ſubſiſtit; ergo.

Obj. 1. Poſſeſſio boni infiniti ſufficit ad ſatiandam voluntatem: atqui viſio eſſentiæ ſolius, eſſet poſſeſſio boni infiniti; ergo voluntas per eam ſolam plenè ſatiatetur.

℞. diſt. maj. Poſſeſſio boni infiniti ut in ſe eſt, ſufficit, conc. aliter ac eſt in ſe, nego. Viſio enim Dei non eſt beatifica, niſi quatenus appetitum omnem ſatiare poteſt: atqui non ſatiat omnem appetitum, niſi quatenus eſt viſio Dei in ſe; ergo.

Obj. 2. Si per impoſſibile Deus non eſſet trinus in perſonis, homo tamen beatificaretur ejus viſione; ergo hinc merito colligitur quod beatitudo hominis non requirit eſſentialiter viſionem Dei ut trini; ſicut ex eo quod ſalvaretur in Deo ratio primi principii, quamvis perirent divinæ relationes, meritò colligitur relationes non eſſe de eſſentia Dei, prout primum eſt creaturæ principium.

℞. diſt. ant. homo beatificaretur Dei viſione, ita ut beatitudo ejus non eſſet ejuſdem generis ac nunc eſt, conc. ſecus nego. Beatitudo prout de facto

ſto eſt, eſt beatitudo quæ petit terminari ad Deum prout de facto eſt in ſeipſo; unde ſi per ſuppoſitionem impoſſibilem ſupponas aliquid non competere Deo quod de facto ei eſſentialiter competit, tollitur beatitudo prout de facto eſt, & in ejus locum ſubſtituitur beatitudo diverſæ rationis. Porrò in præſenti quærimus an poſito quòd Deus non videretur ut trinus, ſalva remaneret ejus quæ nunc eſt beatitudinis eſſentia. Sed de hoc argumento ſatis ſit quod dictum eſt: qui plura volet, adeat Suarem & Gonet.

ARTICULUS SECUNDUS.

De beatitudine formali.

Sup. p. 191. Beatitudo formalis, ſecundùm ea quæ paulò ante dicta ſunt, quæque hic in mentem revocari debent, nihil eſt aliud quàm ſummi boni poſſeſſio &c. Item beatitudo formalis alia eſt viæ, alia eſt patriæ: de ſecundâ, quæ præcipuum eſt hujus diſputationis objectum, valdè controvertitur in quo reponenda ſit, & circa hoc punctum variæ ſunt aut fuerunt Theologorum opiniones.

Prima eorum eſt qui cenſent animam beatificari formaliter per actionem Dei increatam ipſi unitam. Pro hac ſententiâ citatur Hugo Victorinus, qui de Deo loquens, *Ipſe eſt*, inquit, *ſapientia quâ cognoſcimus; ipſe amor quo diligimus; ipſe gaudium quo exultamus.*

Secunda eorum eſt qui beatitudinem repoſuerunt in illapſu quodam ſpeciali Dei in eſſentiam animæ, ex quo anima ſubſtantialiter ſanctificatur; & quaſi in Deum transformatur, eo fermè modo quo ferrum candens in ignem. Ita ſentire perhibetur Henricus Gandavenſis.

Tertia cæterorum eſt Theologorum qui beatitudinem formalem reponunt in operatione animæ. Verùm & hi quoque inter ſe dividuntur. Thomiſtæ enim operationem hanc putant eſſe viſionē Dei intuitivam; Scotiſtæ verò eam in ſolo amoris actu conſtituunt; alii in utroque actu, alii in gaudio quod inde reſultat. His præmiſſis quid ſentiamus aperiendum eſt, ſit itaque

CONCLUSIO PRIMA.

Beatitudo non conſiſtit in actione Dei increatâ.

Prob. Beatitudo formalis eſt vitalis poſſeſſio ſummi boni quâ homo intrinſecè beatus efficitur: atqui vitalis Dei poſſeſſio eſt eſſentialiter modificatio hominis; talis autem modificatio nec eſt nec eſſe poteſt actio increata, ut ex terminis ipſis evidens eſt; ergo.

Confirm. Non magis actio increata Dei poteſt hominem formaliter beatum efficere, quàm Chriſti juſtitia poſſit eundem hominem formaliter juſtum reddere: atqui dici non poteſt hominem per Chriſti juſtitiam reddi formaliter juſtum: quia quod intrinſecè juſtificat, intrinſecùs inhærere debet; porrò Chriſti juſtitia, ſicut & increata Dei operatio animæ noſtræ intrinſecùs inhærere non poſſunt.

Confirm. iterum: Si Beatus beatitudine ſuâ privaretur, aliquid perderet intrinſeci, cùm homo per viſionem & amorem Dei neceſſariò perficiatur intrinſecè: atqui ſi beatitudo in actione ſolùm increatâ conſiſteret, homo qui eâ ſpoliaretur, nihil amitteret intrinſeci; ergo.

Obj. 1. Beatitudo eſt ſummum hominis bonum: ſed actio creata, utpotè finita, ſummum hominis bonum eſſe non poteſt; ergo.

℞. Cum S. Thoma q. 3. a. 1. quòd beatitudo formalis dicitur eſſe ſummum hominis bonum, quia eſt adeptio & fruitio ſummi boni; vel dico cum Cajetano, beatitudinem formalem vocari ſummum bonum, non ſimpliciter, ſed inter bona creata, quo ſenſu creata operatio ſummi boni rationem habere poteſt.

Obj. 2. Beatitudo formalis hominis conſiſtit in ejus unione cum Deo: atqui unio hæc rectè concipitur ſine ullâ operatione ex parte hominis, per ſolam Dei præſentiam; ergo.

℞. Neg. min. unio enim quæ hominem beat non eſt unio purè localis, alioqui in hac etiam vitâ homo verè beatus eſſet; unio ergo beatificans, eſt vitalis, fitque per cognitionem & amorem ſine quibus homo Deo non frueretur: atqui implicat unionem vitalem quæ in cognitione & amore ſita eſt, eſſe ſine animi operatione; ergo.

CONCLUSIO SECUNDA.

Beatitudo non conſiſtit in ſpeciali illapſu Dei in eſſentiam animæ vel potentias ejus.

Prob. 1. Illapſus quem admittit Henricus Gandavenſis, vel conſiſtit in intimâ Dei mentibus creatis præſentiâ; vel in aliquâ Dei circa eaſdem mentes operatione: atqui neutrum dici poteſt. Non primum, nam Deus eſt creaturis omnibus bonis & malis intimè præſens per immenſitatem ſuam: atqui non omnes tamen creaturæ ſunt beatæ; ergo Dei illapſus ſub hac primâ conſideratione non ſufficit ad beatitudinem. Non ſecundum, hæc enim operatio vel bearet mentes noſtras per ſeipſam, & hoc dici non poteſt, quia alioqui beatitudo hominis conſiſteret in actione Dei increatâ, quod ex dictis falſum eſt; vel eaſdem bearet per effectum in ipſis productum: atqui nullus effectus in hominis animâ productus eam beare formaliter poteſt, ſi ſupponatur, ut ſupponitur ab Henrico, diſtingui ab amore & cognitione: amore enim & cognitione ſecluſis, nullus eſt Dei in animâ effectus qui vitalis ſit, nulla autem eſt formalis beatitudo ſine actu vitali; ergo.

Prob. 2. Deus non illabitur animæ & potentiis ejus, niſi iis habitus ſupernaturales infundendo, gratiam v. g. ſanctificantem, & alia Spiritûs ſancti dona: atqui beatitudo non conſiſtit in habitu, ſed in actu, nempe in continuâ boni fruitione; ergo.

At, inquies, quidni dicatur Deum illabi in animæ potentias, producendo aut ſaltem concurrendo actionibus ejus?

℞. Id quidem poſſe dici, verùm cùm actus animæ ſint cognitio & amor, hæc opinio non ea erit quæ Henrico Gandavenſi tribuitur, ſed ea ipſa erit quam alii tueri ſolent Theologi.

Obj. Vera beatitudo tria exigit. 1. ut facultates animæ Deum per operationes ſuas poſſideant. 2. ut ipſa animæ ſubſtantia Deo impleatur. 3. ut beatitudo quatenus forma omnium præſtantiſſima, ſubjectum habeat perfectiſſimum: atqui hæc duo poſteriora fieri non poſſunt, niſi per illapſum divinitatis in ipſam animæ ſubſtantiam; ergo.

℞. Neg. min. Nam 1. anima ſatis impletur ipſâ Dei ſubſtantiâ cùm ei perfectè per amorem inhæret, eamque poſſidet inſeparabiliter. 2. beatitudo formalis utpote in operatione conſiſtens, illud duntaxat pro ſubjecto exigit, quod operationis ſubjectum eſſe poteſt: atqui ipſa animæ ſubſtantia operationis ſubjectum eſſe nequit; ergo beatitudo in ipſâ animæ ſubſtantiâ reſidere, &, ut ajunt, *ſubjectari* non poteſt.

CON-

CONCLUSIO TERTIA.

Beatitudo formalis in viſione, amore & gaudio conſiſtit.

Antequam probetur Concluſio, definiendæ ſunt quædam voces ad uberiorem rei intelligentiam. Viſio intuitiva eſt cognitio terminata ad Deum ut in ſe eſt, & facie ad faciem; unde viſio intuitiva differt ab abſtractivâ, quâ objectum abſens per ideam tantùm repræſentatur. Amor fruitivus ille eſt quo ſummo & incommutabili bono tanquam præſenti ac poſſeſſo adhæremus. Gaudium denique beatificum eſt intimus ac ſuaviſſimus creatæ mentis ſenſus, quo mens adeo ſibi conſcia eſt ſe benè eſſe, ut nihil ultra expetat. His præmiſſis

Prob. Concl. In eo conſiſtit beatitudo formalis, quod ideam ejus primariò & eſſentialiter ingreditur: atqui prædicti tres actus ideam beatitudinis primariò & eſſentialiter ingrediuntur. Beatitudo enim concipi nequit, quin concipiatur ſummi boni poſſeſſio ita plena ut mens nihil ultra expetat; alioqui enim non intelligitur ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus: atqui talis boni ſummi poſſeſſio concipi non poteſt ſine viſione, amore & gaudio. Nam 1. eatenus mens poſſidet ſummum bonum, poſſeſſione ſcilicet vitali, quatenus ei intimè conjungitur & adhæret: atqui ut mens intimè & vitaliter conjungatur & adhæreat Deo, requiritur tum viſio (quæ intellectum ſummo vero intimè conjungit, tum amor qui efficit ut voluntas ſummo bono plenè adhæreat. Ergo primò requiruntur cognitio & amor; præſertim cùm viſio ſola voluntatem non ſatiet, nec ſolus amor intellectum ſatiare poſſit, nec beatus dici poſſit vel is qui non amat id quod videt, vel is qui non videt id quod amat. 2. requiritur etiam gaudium, & quidem eſſentialiter. Gaudium enim ex dictis, eſt ſuaviſſimus ille ſenſus quo poſito mens ita contenta eſt ut nihil ampliùs petat: atqui ſenſus ille neceſſariò ingreditur eſſentiam beatitudinis formalis, cùm eo ſecluſo intelligatur aliquid deeſſe cujus abſentia beatitudinem tollit.

Confirm. Vel gaudium ingreditur primariò & eſſentialiter notionem beatitudinis, vel dicendum eſt cum adverſariis, gaudium eſſe ſolùm proprietatem quæ neceſſario fluit à beatitudine jam eſſentialiter per ipſam Dei poſſeſſionem completâ: atqui gaudium pro ſola beatitudinis formalis proprietate haberi non poteſt. Nam præciſa per intellectum proprietate adhuc intelligitur remanere eſſentia rei, ut docent Philoſophi omnes, qui ſecundùm hanc regulam oſtendunt in quo conſiſtat vel non conſiſtat rei alicujus natura: atqui præciſo per intellectum gaudio, & poſita quavis Dei poſſeſſione non intelligitur beatitudo formalis adæquata: ſic quantumvis avarus pecuniæ tenaciter inhærens, ſupponatur divitiis affluere, non erit hac ſua poſſeſſione beatus beatitudine naturali, niſi in ea ſuaviter conquieſcat & lætetur; ergo à pari qui Deum poſſidet, non redderetur ex hac poſſeſſione beatus beatitudine ſupernaturali, niſi in ea ſuaviter conquieſceret.

Confirm. 1. Supponamus aliquem è Sanctis, ſanctum v. g. Petrum Deum poſſidere in eo gradu in quo eum de facto poſſidet, ita tamen ut ſciret ſibi nitendum eſſe ut ad altiorem gradum aſcendat, niſi Deo diſplicere velit; hac facta hypotheſi quæ ex natura rei impoſſibilis non eſt, ſic argumentur: Sanctus ille Deum vitaliter poſſideret, ut nunc poſſidet: atqui tamen non eſſet beatus eſſentialiter, ut unuſquiſque ſentire poteſt attendendo; ideo autem beatus non eſſet, quia anima ejus non ita quieſcere poſſet in poſſeſſione Dei, ut nihil amplius haberet ſibi expetendum; ergo.

Confirm. 2. Formalis miſeria non conſiſtit ſolum in mali poſſeſſione, ſi ita loqui fas eſt, imo nec in dolore, ſed inſuper requiritur mœſtitia ex mali perpeſſione orta: unde Martyres qui ſuperabundabant gaudio in omni tribulatione, non erant verè miſeri; ergo à contrario formaliter beati non ſunt qui de bono poſſeſſo non gaudent.

Probant 2. aliqui hoc modo. In eo conſiſtit beatitudo, in quo repoſita eſt à Scriptura & Patribus: atqui Scripturæ & Patres reponunt beatitudinem 1. in viſione, ut Matth. 5. *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.* Et 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum... tunc autem facie ad faciem.* 2. in amore fruitivo *Definimus*, ait Benedictus XII. *quod ex viſione & fruitione Dei*, Sanctorum *animæ ſunt verè beatæ.* 3. in gaudio *Beata* quippe *vita*, ait Auguſt. L. 10. Conf. c. 23. *eſt gaudium de veritate.* Hinc Chriſtus Joan. 16. *Gaudium*, inquit, *veſtrum nemo tollet a vobis.* Sed plura congerere ſuperfluum videtur, quia cum quæſtio hæc ſit metaphyſica, & nec Scriptura nec Patres expreſſè definiant, an ea in quibus beatitudinem reponunt, ſe habeant per modum eſſentiæ aut proprietatis, hinc eſt quod, meo quidem judicio, nihil certi poſſit ex iis authoritatibus colligi.

Obj. 1. cum Scotiſtis, Beatitudo non poteſt reponi niſi in action. poſſeſſiva: atqui viſio non eſt actio Dei poſſeſſiva; ergo.

Reſp. 1. neg. maj. neque enim neceſſum eſt ut id omne quod ad eſſentiam beatitudinis concurrit, ſit actio: affectio enim quâ mens à ſummo bono poſſeſſo ac præſente, ſuaviſſimo delectationis ſenſu perfunditur, pro paſſivâ haberi poteſt, & de facto ut talis habetur à multis cum Philoſophis tum Theologis, & tamen ea ſecluſâ non intelligitur beatitudo; ergo modificationes tum activæ tum etiam paſſivæ ad beatitudinis eſſentiâ concurrere poſſunt.

℞. 2. diſt. min. Viſio non eſt poſſeſſiva Dei quatenus amandi, Deus enim ſub hoc reſpectu non niſi à voluntate poſſideri poteſt, conc. non eſt poſſeſſiva Dei ut eſt intelligibilis, nego. Porrò nihil mirum eſt ſi intellectus & voluntas ex æquo occupentur circa Deum; nam poſſeſſio ejus ſiſtere debet motum omnis facultatis vitalis: atqui intellectus & voluntas facultates ſunt vitales; ergo.

Inſt. 1. Actio Dei poſſeſſiva debet eſſe quædam fruitio: atqui viſio Dei non eſt fruitio; cum frui ſit ſolius voluntatis.

℞. diſt. min. Viſio Dei non eſt fruitio ſtrictè ſumpta, conc. latè ſumpta, nego. Fruitio ſtrictè ſumpta eſt actus voluntatis in objecto amato ſibi ſuaviter complacentis, & hæc viſioni competere non poteſt. Fruitio latius ſumpta eſt unio facultatis cujuslibet cum objecto ſuo ſibi præſente, per actionem ei propriam, quo ſenſu dicitur oculus objecto ſuo frui, cum ei objicitur aliquid quod mille varios trahit colores. Hoc fruitionis genus intellectui competit, cum aliquo etiam modo ſenſibus competat.

Inſt. 2. Nulla facultas Deo frui poteſt, niſi ipſum attingat ut ſummum bonum: atqui intellectus non poteſt Deum attingere ut ſummum bonum; bonitas enim ut bonitas, ſolius eſt voluntatis objectum.

℞. diſt. maj. niſi ipſum attingat ut ſummum bonum hominis, conc. ut ſummum bonum voluntatis, nego. Homo duplici pollet facultate, voluntate ſcilicet & intellectu: voluntas non attingit Deum ut bonum intellectus, nec intellectus eun-

eundem attingit ut bonum voluntatis, ſed utraque eum attingit ut ſummum hominis bonum, una quidem cognoſcendo, altera verò amando; ergo poſito quod vel intellectus, vel voluntas eum non attingeret, homo careret aliquo eorum quæ ad veram & adæquatam beatitudinem requiruntur.

Ad prob. diſt. Bonum ut bonum eſt objectum ſolius voluntatis, prout eſt proſequendum, conc prout eſt cognoſcendum, nego.

Inſt. 3. Facultas quæ attingit ſummum bonum quatenus principium beatitudinis, debet ipſum attingere propter ſeipſam, non propter aliud: atqui viſio non attingit Deum propter ſeipſam ſed propter amorem: viſio enim ad amorem ordinatur; & ut bellè ait S. Anſelm. L. 2. *Cur Deus homo*, c. 1. *Rectus ordo eſt cognoſcere ut diligamus; perverſus autem diligere ut cognoſcamus*; ergo.

℞. Neg. min. Viſio enim attingit Deum ut ſatietur intellectus, ſicut eum attingit amor ut ſatietur voluntas ergo utraque facultas propter ſe operatur. Verù quidē eſt quòd voluntas amare non poſſit, niſi præcedat intellectûs cognitio, at inde ſequitur tantùm unam ex his facultatibus eſſe alterâ priorem, non autem unam operari propter aliam, ſaltem in patriâ. Si enim per impoſſibile homo nullam haberet voluntatem, adhuc tamen utile eidem foret Deum facie ad faciem intueri. Ergo ex eo quod ejus operatio inſerviat voluntati, colligi nequit beatitudinem ſolius eſſe voluntatis.

At, inquies, beatitudo utpote merces meriti ad eam ſolam facultatem pertinere debet quæ eſt principium meriti: atqui ſola voluntas eſt principium meriti.

℞. Neg. maj. Merces enim non facultatibus ſolis retribuitur, ſed propriè perſonæ & ſuppoſito; neque verò dicitur voluntas mereri, ſed homo per voluntatem. Adde quod intellectus merito aliquatenus cooperatus ſit quatenus bonum quod amplectendum erat, malum itidem quod erat fugiendum repræſentavit.

Obj. 2. cum Thomiſtis, Scripturæ beatitudinem in viſione evidenter reponunt. Pſalm. 16. *Satiabor cū apparuerit gloria tua*. Joan. 14. *Si quis diligit me... manifeſtabo ei meipſum &c.* ergo.

℞. Fateri ipſummet Gonetum nihil ex Patribus aut Scripturis colligi poſſe quo præſens controverſia dirimi poſſit. 1. quia alibi loquuntur non de viſione, ſed de amore ſolùm & gaudio, quæ tamen juxta Thomiſtas non ſunt eſſentia beatitudinis, ſed ſolùm neceſſariæ ejus appendices. 2. quia nullibi definiunt in viſione ſolâ ſitam eſſe beatitudinis eſſentiam. 3. quia ſi quid probet Scriptura, hoc pro nobis probat, ſic enim argumentari poſſumus: In eo conſiſtit eſſentia beatitudinis, in quo reponitur à Scripturis: atqui beatitudo non in amore ſolùm, vel viſione, vel gaudio, ſed in tribus, hiſce operationibus ex æquo reponitur in Scripturis; ergo.

Inſt. 1. Ea ſolùm actio conſtituit eſſentiam beatitudinis, quæ eſt quid primum in re: atqui viſio ſeu cognitio eſt quid primum in beatitudine: eſt enim prior tum amore, tum gaudio; ergo.

℞. Diſt. min. Viſio eſt quid primum in beatitudine, ut pars eſſentiæ, conc. ut tota eſſentia, nego. Viſio non aliter eſt quid primum in beatitudine quàm animalitas in homine: atqui animalitas non eſt ita quid primum in homine, ut tota ſit hominis eſſentia; ergo nec viſio tota eſt beatitudinis eſſentia, licet ſit quid primum in eâ. Ratio ulterior eſt, quòd cùm eſſentia ex variis partibus phyſicis aut metaphyſicis compoſita ſit, una ex illis debet cæteris prior eſſe aliquo prioritatis genere: ſic genus prius eſt differentiâ per quam contrahitur, & tamen genus non eſt tota rei eſſentia.

Inſt. 2. Illud eſt quid primum in re tanquam eſſentia tota, unde fluunt cætera quæ ad rem pertinent: atqui ex viſione Dei fluunt omnia quæ ad beatitudinem pertinent, amor ſcilicet & gaudiū; ergo.

℞. Diſt. min. Amor & gaudium fluunt ex viſione, id eſt eam præſupponunt, eo ferè modo quo differentia ſupponit genus quod contrahit & determinat, conc. id eſt dimanant à viſione ut proprietates ab eſſentiâ, nego. Prius quidem eſt cognoſcere quàm amare, ſed non ideo amor eſt proprietas ab intellectu dimanans: quidquid enim fluit ab intellectu eſt cognitio, ſicut quidquid fluit à voluntate eſt amor &c.

Inſt. 3. Sublatâ viſione tollitur beatitudo; ergo beatitudo tota conſiſtit in viſione.

℞. Neg. conſeq. Ratiocinatio hæc non plùs valet quàm iſta: Sublatâ animalitate tollitur homo; ergo homo per animalitatem ſolam conſtituitur. Ratio eſt, quia ſublatâ parte quæ eſſentialiter totius alicujus compoſitionem ingreditur, deſinit neceſſario totum, & tamen implicat in terminis, totum ex ea ſolùm parte compoſitum fuiſſe quæ ſublata ſupponitur.

Inſt. 4. Beatitudo tota conſiſtit in operatione perfectiſſimâ perfectiſſimæ potentiæ: atqui ſola viſio perfectiſſima eſt perfectiſſimæ potentiæ operatio.

℞. Hæc & ſimilia argumenta quæ à quibuſdam Thomiſtis urgentur, claras in mente ideas non excitare; unde ne una quidem eſt propoſitio quæ negari non poſſit. Nam 1. quare beatitudo in unâ tantùm operatione etiam perfectiſſimâ conſiſtet, ſi alia facultas etiam minùs perfecta, ſit in genere ſuo capax beatitudinis? Quare intellectus perfectior erit voluntate, cui competit amor; amor, inquam, qui aliquid eſt tanti ut Deus eum ſollicitet, & exquirat?

At, inquiunt, intellectus reddit objectum præſens, & Deus ipſi unitur per modum *ſpeciei & formæ intelligibilis*; ergo eſt perfectior. Verùm id eſt quod vocant obſcurum per obſcurius. Intellectus cognoſcit, voluntas amat, utraque facultas ſupernaturali auxilio indiget; auxilium illud ejuſdem eſt naturæ, niſi quod eſt lumen in intellectu, & inflammatio in voluntate. Quare ergo una facultas tantùm præſtabit alteri, ut illa non hæc beatitudinis ſedes eſſe poſſit? *Gonet. p. 51.*

Poteſt etiam diſtingui prima major, beatitudo conſiſtit in operatione perfectiſſimâ tum intellectûs tum voluntatis, conc. alterutrius tantùm, nego.

Inſt. 5. Operatio in quâ ſita eſt beatitudo debet eſſe poſſeſſiva Dei: atqui cognitio ſola eſt poſſeſſiva Dei, non amor. Illa enim actio non eſt poſſeſſiva Dei, quæ ſupponit Deum jam poſſeſſum per cognitionem: atqui amor &c.

℞. Ad 1. neg. min. ad 2. diſt. maj. Illa actiò non eſt poſſeſſiva Dei, quæ ſupponit eum jam poſſeſſum adæquatè & eo omni modo quo poſſideri poteſt, conc. inadæquatè, nego. Portò amor ſupponit quidem Deum jam poſſeſſum ab intellectu, non autem à voluntate; quia ſicut intellectus concipit Deum ut verum & bonum, ita & voluntas eum ut verum & bonum amare debet.

Obj. 3. Cum aliis contra tertiam Concluſionis noſtræ partem quæ eſt de gaudio. In eo non conſiſtit beatitudinis eſſentia, quod eſt ſolum proprietas ejus: atqui gaudium eſt ſolum proprietas beatitudinis. Illud enim non eſt niſi proprietas, quod ſupponit rem eſſentialiter completam: atqui gaudium ſupponit beatitudinem eſſentialiter completam.

Tunc

Tunc enim ponitur tota beatitudo, cùm ponitur poſſeſſio Dei adæquata: atqui poſitis viſione & amore ponitur poſſeſſio Dei adæquata, & quæ beat omnes animæ potentias; ergo.

℟. Ad 1. & 2. neg. min. Poſſeſſio enim boni eſt quaſi materia beatitudinis, voluptas verò quæ ex illâ poſſeſſione percipitur eſt quaſi ejus forma: atqui res quæ ex materiâ & formâ conſtare debet, non eſt eſſentialiter completa per poſitionem ſolius materiæ: ſic v. g. quantumvis avarus ingentes auri argentique acervos poſſideat, non intelligetur beatus eſſe niſi intelligatur deguſtare voluptatem pecuniæ ſuæ poſſidendæ; ergo beatitudo nunquam intelligetur omnimodè perfecta, niſi poſſeſſioni boni addatur ille ſuavitatis ac lætitiæ ſenſus, ſine quo nemo verè felix eſſe intelligitur; & qui conſequenter ipſam beatitudinis eſſentiam ingreditur.

Ad 3. neg. maj. Non enim ad beatitudinem ſufficit ſola poſſeſſio in operatione intellectûs & voluntatis conſiſtens, ſed requiritur ſenſus quo mens ſtatûs ſui dulcedine perfuſa nihil ultra expetat. Is verò ſenſus eſt gaudium ipſum.

Inſt. Amor ipſe eſt forma beatitudinis; ergo neceſſe non eſt ut gaudium aſſignetur quaſi ejuſdem forma. Prob. antec. Amor eſt ſummi boni fruitio: atqui fruitio hæc ſufficiens eſt beatitudinis forma; ergo.

℟. Ad 1. neg. ant. ad 2. neg. maj. Amor enim eſt ſolùm actus, quo amatur ſummum bonum; fruitio verò eſt ipſum gaudium, ſeu ſuavis animæ voluptas reſultans ex ſummi boni poſſeſſione, non ea ſolùm quæ eſt per voluntatem, ſed & ea etiam quæ eſt per intellectum: unde gaudium non ad hanc vel illam facultatem, ſed ad totam animæ ſubſtantiam pertinet; ergo gaudium & amor præciſè ſumptus multùm differunt. Dico & *amor* præciſè ſumptus; quod enim aliqui *amorem fruitivum* vocant, nihil eſt aliud quàm amor prout gaudium importat, & in quo proinde beatitudo collocari poteſt.

Obj. iterum: Si beatitudinis eſſentia reponatur in gaudio, vel in gaudio directo quo nempe Beati gaudent de bonis quæ in Deo ſunt, delectanturque quòd infinitas habeat perfectiones; vel in gaudio reflexo, ſeu concupiſcentiæ, quo nimirum gaudent Beati de bonis propriis, & quòd Deum adeo perfectum poſſideant: atqui neutrum dici poteſt. Non primum, nam tale gaudium ab ipſo Dei amore non diſtinguitur; non ſecundum, nam beatitudo Deum pro objecto habere debet: ſed gaudium reflexum non habet pro objecto Deum ipſum; ergo.

℟. Beatitudinē conſiſtere tum in gaudio directo, poſito quòd gaudium illud idem ſit cum amore Dei, quod tamen non admittitur ab omnibus; tum in gaudio reflexo, quia mens non ſolùm beata eſt quia Deus eſt ſummè bonus, ſed quia Deus eſt ſummum ejuſdem animæ bonum; ergo mens gaudere poteſt, non ſolùm de Deo, ſed etiam de ſuâ Dei poſſeſſione.

Confirm. Quod eſt objectum primarium ſpei viatorum, poteſt & debet eſſe objectum beatitudinis comprehenſorum: atqui Deus non ſecundum ſe ſimpliciter, ſed ut aliquando poſſidendus, eſt objectum primarium ſpei, & tamen Dei poſſeſſio non eſt ipſe Deus, ſed aliquid ab eo realiter diſtinctum; ergo objectum beatitudinis non eſt Deus ſolus; ergo gaudium reflexum, tametſi verſetur circa aliquid creati, ingredi poteſt eſſentiam beatitudinis.

An, & quomodo Chriſtus beatitudinem cum triſtitiâ conjunxerit, expendunt Theologi in Tract. de Incarn.

Quæres an aliqua ſit præſentis vitæ beatitudo, & in quo conſiſtat.

Contin. Præl. Theol. H. Tournely.

℟. 1. Perfecta & completa beatitudo vitæ præſenti non competit; quia, ut ait Job c. 7. *militia eſt vita hominis ſuper terram*; & hæc militia tam acris eſt, tamque perpetua ut vix libeat reſpirare. Non eſt 1. Petr. 5.
nobis pax ab inſidiis Diaboli, qui continuò *circuit quærens quem devoret*; non à lege peccati quæ eſt in membris noſtris; non à tentationibus, quæ quo dulciores, & intimas, magis, eò crudeliores inſidias ſtruunt; non à conſcientiâ quæ pungit, & remordet; non a metu judicii qui angit; non à morbis, afflictionibus, calumniis &c. atqui cum tot tantiſque miſeriis ſtare nequit vera felicitas; ergo dicant Chriſtiani cum Apoſt. Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

℟. 2. In hocce ſtatu agnoſci debet aliqua beatitudo inchoata & imperfecta. 1. quia Scriptura quæ neminem fallit, quoſdam jam à præſenti tempore beatos eſſe prædicat. Pſalm. 111. *Beatus vir qui timet Dominum.* Pſalm. 118. *Beati immaculati in viâ.* Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu, beati mites &c.* 2. quia beatitudo conſiſtit in ſummi boni poſſeſſione: atqui homo licet imperfectè, ſummum bonum poſſidere poteſt, juxta id Chriſti: *Si quis diligit me... Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, &* Joan. 14.
manſionem apud eum faciemus. Et 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet.* Hinc Apoſtolus gaudium ſanctum & juge Fidelibus præcipit his Phil. 4.
verbis: *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete &c.*

℟. 3. Vitæ hujus beatitudo in ſinceræ charitatis actibus conſiſtit.

Prob. 1. Beatitudo conſiſtit in actu quo perfectius & delectabilius poſſidetur ſummum bonum, ut patet ex allatâ beatitudinis definitione: atqui actus quo perfectius & delectabilius poſſidetur in hac vitâ ſummum bonum, ſeu Deus, eſt actus charitatis. 1. quidem per huncce actum Deus perfectiori poſſidetur modo, quàm per alium quemlibet: actus enim virtutum moralium cùm circa media & objecta creata verſentur, Deum ipſum immediatè non attingunt; actus verò fidei & ſpei, licet immediatè circa Deum occupentur, imperfectiori tamen modo eum attingunt quàm charitas. *Nunc autem*, ait Apoſt. 1. Corinth. 13. *manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: Major autem horum eſt charitas.* Major, inquam, quia *qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Joan. 4. Hinc S. Auguſtinus poſtquam retulit hæc Pſalmi 72. verba, mihi adhærere Deo bonum eſt; *Hoc*, inquit, *eſt totum bonum.* Porrò quod totum eſt bonum, tota debet eſſe beatitudo.

2. Per actum charitatis poſſidetur Deus modo delectabiliori. Qui enim majori cum pace & gaudio poſſidetur, ille delectabiliori modo poſſidetur: atqui cùm poſſidetur Deus per charitatem, poſſidetur cum majori pace & gaudio. *Fructus* enim *Spiritûs* qui per charitatem cordibus noſtris dominatur, *eſt gaudium & pax.* Gal. 5. & Aug. in Pſal. 76. *Charitas ſine gaudio eſſe non poteſt*; ergo.

ARTICULUS III.

De affectionibus beatitudinis.

QUanquam ſi propriè loqui velimus, beatitudo ad ſolas mentes pertinere poſſit, quia tamen Deus in miſerationibus dives, ſtatuit ut corpus quod laborum & certaminum particeps fuit, ſit etiam præmii ac coronæ particeps, idcirco dicemus 1. de beatitudine corporis. 2. de beatitudine animæ. 3. de iis quæ utrique conveniunt.

SECTIO PRIMA.

De beatitudine corporis.

AD corporis beatitudinem duo ſunt neceſſaria. 1. reſurrectio ejus. 2. immunitas ab incommodis quibus nunc gravatur, & quæ certas dotes exigit. Quæ ut exponantur, Sit.

CONCLUSIO.

Corpora mortuorum aliquando reſurgent. Eſt contra Sadducæos, qui dicebant & uſque in præſentem diem dicunt *non eſſe reſurrectionem*, quos ſecuti ſunt alii quidam veteres Hæretici, quibus ultrò aſtipulantur ii omnes qui cùm felicem in altero ſæculo vitam ſperare non audint, ſaltem id ſibi perſuadere conantur, nec ullam eſſe infelicem quam timere debeant.

V. Dictionar. Biblicum P. Calmet v. Sadducæens.

Prob. autem Concluſio 1. ex Script. Job c. 19. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terrâ ſurrecturus ſum; & rurſum circumdabor pelle mea &c.* Matth. 22. Chriſtus expreſsè Sadducæos confutat his verbis: *Erratis neſcientes Scripturas neque virtutem Dei. In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur... De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis quod dictum eſt à Deo dicente vobis: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob? non eſt Deus mortuorum ſed viventium.*

At, inquies, hæc Chriſti ratiocinatio non eſt efficax; ex ea enim ſolùm colligi poteſt, quòd Abraham, Iſaac, & Jacob viventes ſint, quia Deus nonniſi viventium Deus eſt: at non poteſt colligi quòd iidem Patriarchæ corporibus ſuis aliquando ſint de novo uniendi; quod tamen ad reſurrectionem neceſſarium eſt.

℞. Sadducæos, alioſque ejuſdem generis impios qui reſurrectionem corporum negant, eam non negare niſi quia animarum immortalitatem negant, quam ſi admitterent, nihil circa aliam haberent difficultatis. Cùm ergo immortalitatem hanc efficaciter adſtrueret Chriſtus, & ipſam quoque corporum reſurrectionem adſtruebat, quantum ſatis erat ad eos revincendos qui ipſum laceſſiverant. Adde quòd ſi animæ ſint immortales, legitimè colligitur futurum ut corpora reſurgant: tum quia anima naturali quodam pondere in corpus ſuum tendit, eique uniri poſtulat, adeoque ſine hac unione anima nonniſi dimidiatam felicitatem obtineret, eſſetque in ſtatu quaſi violento; tum quia perquam juſtum eſt ut particeps fuit laboris, ſit etiam præmii particeps, ut ſtatim dicemus.

Idem ex profeſſo docet Apoſt. 1. Corinth. c. 15. *Ecce,* inquit, *myſterium vobis dico. Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in noviſſima tubâ, canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti.*

Prob. 2. ex fidei noſtræ Symbolis quæ reſurrectionem corporum expreſsè profitentur. Symbolum Apoſtolicum * quod meritò cenſetur Apoſtolorum fœtus, *Credo,* inquit, *carnis reſurrectionem.* Conſtantinopolitanum, *Expecto reſurrectionem mortuorum*; concinit celebre Symbolum ſub Athanaſii nomine vulgatum, his verbis: *Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent &c.*

* *Vide Nat. Alexander Diſſert. 12. ſæc. 1.*

Prob. 3. Rationibus quibus in ejuſdem veritatis confirmationem uſi ſunt SS. PP. eorum enim authoritatem adducere ſuperfluum eſſet, cùm omnes egregiæ huic Tertulliani ſententiæ ſubſcripſerint, *Fiducia Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum.* Si mortuorum reſurrectio futura non ſit, vel quia Deus non poteſt, vel ſaltem quia non vult ſuſcitare mortuos: atqui neutrum dici poteſt. Non primum, qui enim *ex nihilo molitus eſt cuncta, poterit carnem in nihilum perductam exprimere de nihilo... utique idoneus eſt reficere, qui fecit, quanto enim plus eſt feciſſe quam refeciſſe?* Atqui Deus *hominum corpora cùm non eſſent, condidit.* Ergo *etiam quomodocunque diſſoluta eâdem facilitate inſtaurabit,* verba ſunt Athenagoræ Chriſtiani Philoſophi in Lib. de reſurr. mortuorum. Non ſecundum. 1. quia, ut ratiocinatur idem Athenagoras, reſurrectio nulli creaturæ nocet: non brutis quibus injuria inferri non poteſt; non animæ quæ ſi corpori corruptibili uniri potuit, multò magis poterit eidem uniri cùm induerit incorruptionem; non ipſi corpori, cui econtra multùm accidit lucri quòd immortalitate donetur. 2. quia reſurrectio carnis nullatenus eſt indigna Deo, imò valdè congruit ejus bonitati, ſapientiæ, & juſtitiæ: tum quia æquum eſt ut pars hominis quæ ejuſdem merito vel demerito cooperata eſt, ejuſdem pœnis aut præmiis conſocietur, quod ſecluſâ reſurrectione non contingeret, cùm ex juſtis multi qui in laboribus fuerunt à juventute, quique vixerunt *egentes, anguſtiati, afflicti*, nihil unquam gaudii in corpore perſenſerint, quod ex adverſo dicendum eſt de impiis: tum quia intolerandum videtur quòd caro carne Chriſti ſaginata, Sacramentis delibuta, vas & templum Dei, Chriſti membrum, martyrii honores animæ promerita &c. non aliâ donaretur ſorte quàm canes & jumenta. Ita contra Baſilidem ratiocinati ſunt ſanctus Irenæus, Lib. 5. contra hæreſes, & Tertull. ubi ſupra. Vid. Nat. Alexand. Diſſert. 26. in hiſt. ſæculi primi.

L. de reſurr. carn.

Tertul. ibid.

Heb. c. 11.

Obj. 1. Multa veteris Teſtamenti loca quibuſcum conciliari nequit fides reſurrectionis. Sic Pſal. 77. dicitur Deum Iſraelitas non perdidiſſe quia *caro ſunt, ſpiritus vadens & non rediens*; ſed ubi ſpiritus vadit & non redit, ibi nec ulla eſt animæ immortalitas, nec corporum reſurrectio. Pſalm. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum*, hoc eſt in ſepulchrum. Eccle. 3. *Unus interitus eſt hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio: ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur &c.* Denique Daniel. cap. 12. *Multi*, ait, *de his qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt*; ergo ſaltem reſurrectio univerſalis futura non eſt, unde Pſalm. 1. dicitur, *Non reſurgent impii in judicio.*

℞. Hæc non nocere, unde ad 1. dico nomine ſpiritûs vadentis & non redeuntis intelligi debere non animam ipſam, ſed ſpiritum vitalem, ſeu vitam ipſam corporalem quæ progrediendo conſumitur, brevique compendio ad mortem tendit ut flores, nec ad priorem ſtatum revertitur, ut Sol & ſydera. Unde ſenſus eſt Deum populo ſuo peperciſſe ob infirmitatem naturæ ejus quæ in malum prona eſt, & vitæ ejus brevitatem: nihil enim magis Deum ad miſericordiam provocat quàm hominis miſeria, quod bellè oſtendit Eccleſiaſticus his verbis: *Numerus dierum hominum, ut multùm centum anni; quaſi gutta aquæ deputati ſunt... propter hoc patiens eſt Deus in illis &c.* Vid. Bellarmin. Synops. critic. Criticos ſacros in hunc locum.

C. 18. v. 8.

Ad 2. Orat Pſaltes Deum ut Juſtis ſuis in hoc ſæculo benedicat, adjiciatque ſuper eos, & ſuper eorum filios, ut longævi ſuper terram, nomen ejus palam & ritu publico celebrent, quod poſt hanc vitam non contingit.

Ad 3. Vel loquitur hic Salomon in perſonâ impiorum, & ſecundùm cœcæ carnaliſque rationis judicium.

judicium, ut cenſent Interpretes multi, quo ſenſu dicit Apoſtolus 1. Corint. 15. *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* Vel ſi in propria perſona loquitur, ſignificat tantum hominem in miſeriis, potiſſimum verò in morte quæ miſeriarum cumulus eſt, convenire cum belluis; non autem contendit æquam ex omni parte eſſe tum belluæ tum hominis conditionem.

Ad 4. Reſurgent non juſti ſolum, ſed & impii; ſed impii in judicio & *concilio juſtorum* non reſurgent, ſed atterentur & cauſa cadent. Hebraica phraſis verti poteſt, *Impii non ſuſtinebunt ſe in judicio*, ſed muti manebunt & elingues, nihilque in ſui defenſionem allegare poterunt. Vide Calmet in hunc locum.

Textus Danielis nihil obeſt, ibi enim vox *multi*, ſumitur pro omnibus, ut cum Rom. 5. v. 19. dicit Apoſt. multos per Adæ inobedientiam peccatores conſtitutos fuiſſe. Abundat Scriptura hujuſmodi locutionibus, quarum exempla plura videris apud Synopſim critic. Fortè autem dixit Daniel *multos*, & non omnes, ut ſignificaret immenſam multitudinem reſurgentium. quæ comprehenſura ſit omnes homines quotquot unquam fuerunt aut futuri ſunt: omnes enim aliquando pauciores ſunt quam multi, ut ſi quatuor vel quinque ſunt in Schola & ſcribant, *omnes* dicentur ſcribere, ſed non *multi*. Ita Sylv. in q. 75. Supplem. a. 2.

Obj. 2. ex Apoſt. 1. Corint. 15. *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt*: atqui poſſiderent ſi futura eſſet reſurrectio.

℞. diſt. maj. Caro & ſanguis, id eſt opera carnalia, regnum Dei non poſſidebunt, conc. id eſt ipſa hominis caro non reſurget, ſubd. non reſurget in *regnum Dei*, conc. nullatenus reſurget, nego. Solutio tota eſt Tertulliani, qui benè notat per Apoſtoli textum, ſi generaliter intelligeretur, non ſolum hominis, ſed & ipſius etiam Chriſti carnem à beatitudine excludi, quod nemo dixerit.

Obj. 3. Reſurrectio carnis noceret animæ Sanctorum; ergo cum Deus Sanctis ſuis benè velit, probabile non eſt quod eorum corpora è tumulo ſuſcitaturus ſit. Prob. antec. Ea reſurrectio noceret animæ Sanctorum, quâ poſitâ anima minùs habet perfectionis: atqui anima corpori unita minus habet perfectionis quam ſi ab eo ſeparata ſit, ſeparata enim fit ſimilior Deo & Angelis; ergo.

℞. neg. ant. & probat. ut enim animadvertit ſanctus Thomas, *Cæteris paribus perfectior eſt ſtatus animæ in corpore, quam extra corpus*, quia anima in corpore habet quidquid requirit naturæ ſuæ conditio, eſtque pars compoſiti ad cujus complementum à Deo ordinata eſt. Cum ergo unaquæque res eatenus divinam perfectionem magis imitetur, quo plenius poſſidet quidquid exigit naturæ ſuæ conditio, ſequitur quod anima hominis corpori ſuo unita plus habeat perfectionis quam ſi ab eodem ſeparata ſit. Adde quod corpus poſt reſurrectionem animam aggravaturum non ſit, quia nec morbis nec corruptioni obnoxium erit.

Obj. 4. Illud admitti non debet quod implicat contradictionem: atqui reſurrectio carnis contradictionem implicat. Nam implicat contradictionem ut caro reſurgat & non reſurgat: atqui ſuppoſita reſurrectionis fide, caro reſurgeret & non reſurgeret; reſurgeret quidem ex hypotheſi; non reſurgeret tamen, quia non eſſet caro eadem.

℞. ad 1. & 2. neg. min. ad 3. diſt. non eſſet eadem caro ſtatu & qualitate, conc. non eſſet eadem ſubſtantia, nego. Itaque in reſurrectione carnem *mutari, converti, reformari licebit* ut ait Tertull. ſed *cum ſalute*, ſeu integritate *ſubſtantiæ. Poteſt* enim *demutari quid, & ipſum eſſe nihilominus*; ſic homo etiam in præſenti vita, licet idem ſemper ſubſiſtat, demutatur *& habitu, & ipsâ corpulentiâ, & valetudine, & conditione, dignitate, & ætate; ſtudio &c.* ergo etiam poterit poſt reſurrectionem in melius aut in deterius immutari, abſque eo quod deſinat eſſe idem homo.

Inſt. Atqui in aliquo ſaltem caſu impoſſibile eſt ut homo in eadem carne reſurgat. Prob. ſubſ. Suppono Petrum filium eſſe antropophagi alicujus qui non niſi carnibus humanis nutritus ſit, adeo ut ipſum ſemen unde Petrus genitus eſt, ex aliorum hominum carnibus prodierit; ſuppono pariter eundem Petrum poſtquam in auras prodiit, non niſi aliorum hominum diſpendio adoleſcere; hac facta hypotheſi quæ nullâ ex parte repugnat, ſic progredior: Atqui impoſſibile eſt ut Petrus in eadem reſurgat carnis ſubſtantia, quam in terris habuit, cum ea caro tota pertineat ad alios homines qui cum ea reſurgere debent; ergo.

℞. 1. hanc hypotheſim eſſe naturaliter impoſſibilem, unde certum eſt nec fuiſſe unquam, nec unquam futurum eſſe aliquem qui toto vitæ decurſu ex carne & ſanguine humanis, ſine pane, ſine cibo alio panis vices tenente, ſine aquâ, aut alio potu nutritus fuerit.

℞. 2. etiam hac factâ hypotheſi indubiam ſtare carnis reſurrectionem qualis ab Eccleſia proponitur. Dicendum enim eſt hominem hunc cujus membra tota ex alienis carnibus compoſita ſupponuntur, cum iiſdem eſſe reſurrecturum: iis vero ex quorum carnibus formatum eſſet hominis hujuſce corpus, aliunde ſuppleretur id quod deeſſe poſſet, quemadmodum ſupplebitur in iis qui ſtatim ut nati ſunt moriuntur, & qui tamen reſurgent in ætate perfecta, ſeu juventute, quam circa triginta aut paulò amplius annos *definierunt doctiſſimi hujus ſæculi homines*, ait Auguſt. Lib. 22. de Civ. Dei c. 15. Neque tamen puer cui multum materiæ ſupplebitur, deſinet eſſe idem homo, quia ſemper manebit in ipſo eadem numero forma, anima ſcilicet, eidem unita materiæ, licet hæc plurimum adaugeatur. Vid. Sylv. in q. 80. Supplem S. Thomæ, & Suarem Tom. 2. in 3. part. diſp. 44. ſect. 2. ubi plura quæ ad hanc materiam pertinent ſolidè pertractantur, quæ paucis tangemus.

Quæres 1. utrum anima reſumat idem numero corpus quod habuit in terris.

℞. affirm. cum Sylvio ibid. q. 79. & eſt de fide. Prob. 1. ex adducto textu Libri Job. *Rurſum circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.* Sed ſi anima idem numero corpus non reſumeret, homo non acciperet *rurſum* pellem ſuam, ſed novam; non videret iiſdem oculis, ſed aliis; ergo.

℞. Prob. 2. ex Apoſt. 1 Cor. 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*: atqui ſi corpora reſurgentium non eadem eſſent quæ fuerint in terris, corruptibile *hoc* non indueret incorruptionem, ſed *aliud*.

Prob. 3. 1. quia reſurrectio Chriſti fuit typus reſurrectionis cæterorum hominum: atqui Chriſtus idem numero corpus aſſumpſit, quod fuerat crucifixum, cum vulnerum cicatrices Thomæ exhibuerit. Joan. 20. 2. quia Sancti qui cum Chriſto reſurrexerunt, dicuntur de monumentis exiiſſe, Matth. 27. ſine dubio cum iiſdem illis corporibus in quibus vixerant. 3. quia in Symbolo profitemur *carnis reſurrectionem*, unde Eutychius qui corpora noſtra inſtar aeris & venti futura eſſe tuebatur, à S. Gregorio tunc Diacono convictus, *pellem manus ſuæ agratus*

tenebat, dicens: *Confiteor quia omnes in hac carne reſurgemus*, ut ipſe refert S. Gregorius Magnus L. 14. Moral. c. 32. Atque id demum definiit Concilium Lateran. ſub Innocentio III. Can. 1. cujus hæc ſunt verba, *Omnes mortales cum ſuis propriis corporibus reſurgent quæ nunc geſtant.*

Prob. 4. ratione Reſurrectio eſt *ejus quod cecidit iterata ſurrectio*: atqui ad hanc ſurrectionem requiritur ut corpus quod per mortem cecidit, idẽ numero reſurgat; alioqui non eſſet ſecunda ejuſdem corporis ſurrectio, ſed aſſumptio novi; ergo.

Obj. 1. Apoſt. 1. Corinth. 15. v. 37. *Quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum.* Et v. 44. *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale*, ergo corpus quod reſumitur ab anima, non eſt idem corpus quod habuit in terris.

℞. neg. conſeq. Nam Apoſtolus non utitur comparatione grani in herbam renaſcentis, ut oſtendat diverſitatem ſubſtantiæ, ſed tantum ut oſtendat diverſitatem conditionis & qualitatis; quod & requirebat quæſtio hic propoſita, *Quali corpore venient*; unde ſenſus eſt, quod quemadmodum ſeminatur nudum granum, naſcitur vero granum herba & ariſtis ornatum atque veſtitum, ita corpus noſtrum ſeminatur ſeu ſepelitur mortale, ſed reſurget gloria veſtitum & immortalitate.

Vid. Eſtium hîc.

Obj. 2. cum Origene: Si anima reſumat corpus quod in terris habuit, vel corpus juvenile, vel ſenile; certum enim eſt quod cum materia ſemper fluat, corpus ſenis idem quod juvenis omnino eſſe non poſſit: atqui neutrum dici poteſt. Quare enim unum potius quam aliud?

Reſp. Suarez unde ſupra, nihil hoc referre, ſed ſatis eſſe ut identitas materiæ aliquo modo ſervetur. Reliqua vero, pergit idem Theologus, Deus diſponet, vel prout magis expediet ad reddendum ſingulis condignum præmium, pœnamve, vel prout neceſſarium fuerit ad communem omnium hominum reſurrectionem perficiendam: quia tamen docet Scriptura futurum ut omnes qui in monumentis erunt, audiant vocem Filii Dei, certius videtur reſurrecturum eſſe corpus quod terræ poſt mortem commiſſum fuerit.

Quæres 2. an omnia humani corporis membra reſurrectura ſint. Ratio dubitandi dùplex eſt. 1. quia membra quædam poſt reſurrectionem inutilia erunt, Deus autem nihil facit fruſtra. 2. quia quidam homines dum vivunt quibuſdam carent membris; quidam vero ſuperflua habent, ut ſex digitos. Reſurrectio priorum tolleret identitatem ſaltem adæquatam corporis; poſteriorum vero reſurrectio inveheret difformitatem quondam quæ in cœlis præcipuè repugnaret. Ut ſolvatur difficultas.

Reſp. hominem cum membris omnibus reſurrecturum. Prob. Duplex erit hominum reſurgentium ordo; alter electorum, reproborum alter; atqui homines in hoc & illo poſiti cum membris omnibus reſurgent: 1. quidem electi, tum quia Philipp. 3. *Chriſtus reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum* ſeu ſimile *corpori claritatis ſuæ.* Et 1. Corinth. 15. *Qualis cœleſtis, tales & cœleſtes*: atqui Chriſtus integer ſurrexit abſque ullo defectu, ergo integri reſurgent electi. Tum quia ſtatus beatitudinis poſtulat ut juſti ſine ullo defectu reſurgant, adeoque cum iis etiam membris quibus caruerint per vitam, ſine iis vero quæ ſuperflua habuerint: quod non impedit ne homo idem quod habuit corpus reſumat, ideoque nec identitatem ejus tollit. Denique quia reſurrectio eſt opus à Deo particulariter operante procedens; ergo in eo nullus eſſe poteſt defectus vel ex parte virtutis quæ infinita eſt, vel ex parte materiæ quæ Creatoris voci docilis obtemperat.

Cæterum membra quorum nullus erit uſus, ſaltem inſervient ad hominis perfectionem, quod ſufficit ut reſuſcitentur.

Quod ſpectat ad reprobos, etſi probabilis ſit ſententia S. Bonaventuræ exiſtimantis deformitates quæ ſunt per diminutionem ab iis eſſe auferendas; remanſuras vero illas quæ ſunt ex indebita membrorum compoſitione, non minus tamen probabilis eſt ſententia S. Thomæ; juxta quem reprobi non reſurgent cum iis deformitatibus quæ non ſequuntur naturaliter ex communibus corporis humani principiis. Atque id ſuadetur 1. quia ex Apocal. c. 1. Chriſtum Judicem *videbit omnis oculus*, ergo etiam oculi reproborum qui cœci fuerint, & quibus proinde reſtituetur viſus. 2. quia communior opinio docet defectum ſtaturæ in reprobis eſſe reparandum, ita ut omnes in ſtatura juvenili ætati convenienie reſurgant: ſi autem defectus ille reſtauretur, cur non & alii; 3. quia hoc ipſum quod membra omnia reprobis reſtituantur, ad majorem & extenſiorem pœnam eis cedet, nedum pro beneficio haberi poſſit: plus enim patientur cum duobus brachiis, quam ſi ſolum haberent quicum nati ſunt; ergo nulla eſt ratio cur negetur reprobos ſine hujuſmodi defectibus reſurrecturos eſſe. At ſi iſtis careant, non ſic carebunt iis qui humano corpori naturales ſunt, ut gravitas, paſſibilitas, tarditas &c.

Quod dictum eſt de membris, extendi debet ad ea quæ non tam membra ſunt quam ornamenta, ut ſunt ungues & capilli, cum iis enim reſurgent homines, quod ſuadetur 1. quia hoc ſaltem electis Dominus his promiſiſſe verbis videtur, *Capillus de capite veſtro non peribit.* 2. quia reſurget homo cum iis quæ ad ornatum & decentiam pertinent: atqui ſic ſe habent capilli & ungues; ergo.

At, inquies, ſi capilli toties detonſi reſurgant, quomodo non erit deformitas.

℞. cum Sylvio, reſurget numerus capillorum & quantitas unguium omnis illa quæ ad hominis ornatum pertinet, non quæ erit ſuperflua. Unde ſicut notat Auguſtinus Lib. 22, de Civ. Dei c. 19. illud Lucæ, *Capillus de capite veſtro non peribit*, de numero potius intelligendum videtur quam de longitudine, juxta id Matth. 10. *Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.*

Quæres 3. quibus ætate, ſtatura, & ſexu reſurgent homines.

Reſp. ad 1. Communiter docent Pàtres & Theologi, homines reſurrecturos eſſe in ea ſtaturæ magnitudine, in eo robore, & in ea corporis totius compoſitione, quæ convenit ætati hominis perfectiſſimæ, qualis eſſe ſolet triginta trium aut quinque annorum; unde penè certum eſt, etſi ab Eccleſia non definitum, ſaltem electos in ætate juvenili reſurrecturos eſſe, qualis ea fuit in qua Adam conditus fuiſſe dicitur, non quidem computando annorum numerum, ut ſatis patet, ſed eum attendendo ſtatum qui in corpore humano ex annis relinqui ſolet.

Hæc autem propoſitio prob. 1. quia ſicut Deus humanam naturam abſque defectu inſtituit, ita & eam reparabit ſine defectu: atqui ut natura humana reparetur ſine defectu, debet in ea reparari ætate quæ juvenilis vocatur: deficit enim natura, ſive in pueris qui necdum ultimam ſuam perfectionem conſecuti ſunt, ſive in ſenibus qui ab eâ receſſère; ergo.

Prob. 2. Ætas reſpondere debet operationibus cor-

corporis & animi: atqui operationes non animi ſolum ſed & corporis perfectæ eſſe debent; ergo & ætatem perfectam eſſe neceſſum eſt, ætas autem perfecta eſt ipſamet juventus. Idem docet Auguſt. L. 22. de Civ. Dei c. 14.

An idem de reprobis ſentiendum ſit, non æque certum eſt: probabiliter affirmant Scholaſtici, quia reſurrectio eſt opus Dei reparantis naturam Ita Sylvius.

℞. ad 2. non omnes reſurrecturos eſſe ſtaturæ ejuſdem. Natura enim per reſurrectionem reparabitur non ſolum quoad perfectionem ſpeciei, ſed etiam quoad perfectionem individui: hæc autem in uno poſtulat unam quantitatem, & aliam in alio; ergo unuſquiſque reſurget in ea quantitate, quam habuit in termino augmenti, vel quam aliquando habiturus erat, niſi præciſa eſſet vita ejus. Hoc tamen intelligendum eſt ſecluſo naturæ defectu & errore; unde gigantes non reſument corpora immoderatæ magnitudinis, neque nani, aut pygmæi (ſi qui tamen ſint, quod inter fabulas multi referunt cum Aulo Gellio,) corpora immoderatæ parvitatis. *Noct. Attic. L. 9. c. 4.*

℞. ad 3. unumquemque in eo reſurrecturum ſexu in quo conditus eſt, & hoc, ait Sylvius, ad fidem pertinet: hoc enim diſerte ſuppoſuit Chriſtus cum interrogatus à Sadducæis, cujus poſt mortem futura eſſet uxor quæ ſeptem habuit viros, reſpondit, non quidem ibi nullas fore fœminas aut viros,
Marc. 12. ſed quod ibi *non nubent neque nubentur*: atqui hæc reſponſio manifeſtè ſupponit fœminas in ſexu ſuo reſurrecturas eſſe, licet non ad eum uſum ut nubant. *Ubi dicitur* non nubent, neque nubentur, *ſexuum diverſitas demonſtratur, nemo enim de lapide & ligno dicit*, Non nubent, neque nubentur, *quia naturam nubendi non habent; ſed de iis qui poſſint nubere, &... non nubunt*, ut loquitur S. Hieronymus Epiſt. 27.

Confirm. 1. Ad veram reſurrectionem requiritur ut idem numero corpus reſurgat, ſecluſis imperfectionibus: atqui non reſurgeret idem numero corpus, ſi fœminæ non in proprio ſed in virili reſurgerent, ut ſomniaſſe dicuntur Armeni. Aliunde *ſexus fœmineus non eſt vitium, ſed natura*: porrò *natura ſervabitur*. Ita Auguſtinus L. 22. de Civ Dei c. 17. ergo.

Confirm. 2. In eo ſexu fieri debet reſurrectio qui meriti majoris occaſio extitit: atqui ſexus ſæpe fuit majoris meriti occaſio, puta in his mulieribus quæ non obſtante ſenſus fragilitate pro fide & pudicitia certantes, mortem dupliciter glorioſam oppetierunt; ergo.

Obj. 1. juxta Apoſtolum Epheſ. 4. *Omnes occurremus in virum perfectum*; ergo.

℞. ſenſum Apoſtoli hunc eſſe, quod Deus varios Eccleſiæ ſuæ Paſtores dederit, ut omnes unam eandemque fidem teneant, & evadant *in virum perfectum*, id eſt aſſequantur robur virile ſeu conſtantiam in fide & cognitione Chriſti, *ut jam non ſimus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ*. An ergo timebat Apoſtolus ne poſt reſurrectionem Sancti omni doctrinæ vento huc & illuc circumferentur; Non ergo verba Apoſtoli intelligenda ſunt de corporum reſurrectione, ſed de ædificatione Corporis Chriſti quæ fit per fidem & charitatem.

Obj. 2. Sexuum diverſitas oculis objecta, non decet ſtatum in quo ſumma vigebit puritas; ergo.

℞. neg. ant. Si enim primi parentes nudi erant in ſtatu innocentiæ & non erubeſcebant, quia aberat à felici illo ſtatu, libido incentiva mali, quanto magis aberit à ſtatu gloriæ cenſatio omnis quæ pudori nocere poſſit.

Quæres 4. an tranſitus ad immortalitatem futurus ſit mediante morte, ſeu an qui vivent in terris ipsâ judicii die, prius morituri ſint quam judicandi; uno verbo, an omnes omnino ſint morituri.

℞. cum S. Thoma Lect. 8. in cap. 15 Epiſt. 1. ad Cor. *Licet hæc littera ſcilicet non omnes moriemur &c. non ſit contra fidem, tamen Eccleſia magis acceptat primam, ſcilicet quod omnes moriemur, ſive reſurgemus.* Eadem eſt omnium Scholaſticorum opinio, ſi Cajetanum exripias. Ita Sylvius ibid. q. 78.

Prob. 1. ex Script. Pſal. 88. *Quis eſt homo qui vivet & non videbit mortem*; 2. Reg. 14. *Omnes morimur* Heb. 9. *Statutum eſt hominibus ſemel mori &c.* atqui verba tam generalia non alio quam generali ſenſu intelligenda ſunt, niſi quid obſtet: at nihil obſtat in præſenti.

Prob. 2. Sententia mortis lata eſt in omnes Adæ poſteros; ergo in omnibus omnino executioni mandabitur. Utrumque colligitur ex his S. Pauli verbis 1. Corint. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur*, qui nempe ſunt Adæ, *ita & omnes in Chriſto vivificabuntur*, qui nempe ſunt Chriſti; ergo omnes prorſus electi, ii etiam qui erunt tempore adventus Chriſti, vivificabuntur: atqui non vivificabuntur, niſi prius mortui fuerint, juxta id ejuſdem Apoſtoli, *Quod ſeminas non vivificatur, niſi prius moriatur*; ergo.

Prob. 3. quia probabile non eſt ullos unquam fore homines qui melioris ſint conditionis quam ipſa fuerit Virgo Deipara: atqui hæc mortua eſt; ergo.

Prob. 4. In adventu ſummi Judicis, tot vel plures erunt mali quam boni: atqui vix credi poteſt malos fore liberos à maledictione propter peccatum illata, morte nimirum; ergo.

Objiciuntur quædam. 1. *Henoch tranſlatus eſt ne videret mortem*, Heb. 11. idem de Elia certum eſt; ergo non omnes morientur. 2. Num. 16. Dathan & Abiron dicuntur *vivi* in infernum deſcendiſſe; ergo mortui non ſunt, Dicitur etiam Apocal. 19. de Antichriſto & ejus pſeudopropheta, quod *vivi miſſi ſunt in ſtagnum ignis* 3. ubi legimus in *C. 15. v. 51.*
Epiſtola 1. ad Corinthios, *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*, græci Codices habent, *Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur.* Conſentiunt Verſiones ſyriaca & arabica, Hæc autem lectio lectioni Vulgatæ duplici de cauſa præferri debet. 1. quia Apoſtolus in toto hoc capite de ſola bonorum reſurrectione agit, ut ex lectione ipſius evidens eſt; ergo non agit de reſurrectione quæ malis communis eſt; de hac autem, utique præter inſtitutum ſuum, ageret, ſi textus haberet, *Omnes quidem reſurgemus* 2. quia ſatis incongruens, atque extra morem Apoſtolici ſermonis eſſe videtur, ut de reprobis agens utatur verbo primæ perſonæ, quale iſtud eſt *Non omnes immutabimur*: quare indubie dixiſſet Apoſtolus *Omnes quidē reſurgent, ſed non omnes immutabuntur.* Ita Cajetanus, Eſtius &c. Denique idem Apoſtolus 1. ad Theſſ. 4. cum dixiſſet: *Mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi*, adjecit, *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis.* quibus verbis ſignificat futurum ut in Judicis adventu, mortui qui in Chriſto dormierunt, ſtatim reſurgant, deinde vero juſti qui tunc vivent, (& in quorum perſona loquitur Apoſtolus cum ait, *Nos qui vivimus*) iis qui jam à mortuis ſurrexerint conſotiati, una cum ipſis in regnum Chriſti transferantur.

Atque

Atque id confirmatur ex his Symboli verbis quæ ajunt Chriſtum venturum *judicare vivos & mortuos.* Vid. Eſtium & Nat. Alexand. in hunc locum S. Pauli.

℞. Hæc momenta, tametſi opinionem noſtræ oppoſitam, & apud Græcos Patres ſatis receptam, probabilem faciant; unde fatemur cum Eſtio, Corn. à Lapide, Nat. Alex. Bernardino à Piconio, eam nec erroris nec temeritatis incuſari poſſe; hæc, inquam, momenta non ſunt omni exceptione majora.

Ad 1. Tranſlatus eſt Henoch ne videret mortem eo tempore quo alii eam videre ſolent, nempe poſt certum annorum ordinem, non autem ut eam penitus evaderet. Unde licet Chriſtianus & Catholicis omnibus id rejiciendum ſit, quod Hebræi quidam, & eorum ſententiam ſecuti ex ſectariis nonnulli dicunt, Henoch jam olim mortuum eſſe, meritò tamen de eo dicitur quod Eliâ ſcribit S. Gregorius Hom. 29. in Evang. *Mortem diſtulit, non evaſit.* Hinc conſtans eſt Fidelium omnium opinio, quòd Henoch & Elias *crudelitatis Antichriſti ſævitiam in ſuâ adhuc mortali carne paſſuri ſunt*, ut docet idem S. Greg. L. 14. Moral. cap. 12. idque patet ex c. 11. Apocal.

Vid. Eſtium in c. 5. Epiſt. ad Hebr.

Ad 2. Dathan & Abiron vivi deſcenderunt in abyſſum, quia vivi abſorpti ſunt à terrâ; ſed vivi non pervenerunt ad gehennam, quia terrâ ſe occludente ſuffocati ſunt. Sic Apocal. 19. Antichriſtus ejuſque propheta dicuntur vivi deſcendiſſe in ſtagnum ignis, tametſi certo conſtet Antichriſtum eſſe moriturum, quandoquidem *Dominus Jeſus eum interficiet ſpiritu oris ſui*, teſte Apoſt. 2. Theſſ. 2.

Ad 3. ℞. 1. neg. ant. Etſi enim Codices quidam græci habeant, *Non omnes dormiemus*, alii tamen multi habent, *Omnes quidem dormiemus*, quæ lectio cum lectione vulgatâ coincidit. Ita monet S. Hieron. Epiſt. 152. ad Minetium &c. *Scio*, inquit, *quòd in nonnullis Codicibus ſcriptum ſit: Non quidem omnes dormiemus; omnes autem immutabimur.* Et ante: *Quæritis*, inquit *quo ſenſu dictum ſit, & quomodo in 1. ad Corinth. Epiſt. ſit legendum, Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur: an juxta quædam exemplaria, Non omnes dormiemus, omnes autem immutabimur. Utraque enim in græcis Codicibus invenitur &c.* Ergo lectio quæ nobis objicitur, non erat olim in omnibus græcis Codicibus, imò nec in plurimis, ſed in *nonnullis*, & juxta *quædam* exemplaria.

Nec nocet quod contra vulgatam noſtram lectionem objicitur. Ad 1. enim dicendum eſt Apoſtolum præcipuè quidem loqui de reſurrectione bonorum, interſerere tamen aliqua ad communem omnium reſurrectionem pertinentia, ut eſt illud, *Omnes reſurgemus*, & iſtud iterum, *Mortui*, omnes nempe: *reſurgent incorrupti*, eâ nimirum incorruptione quæ dicit immortalitatem, non eâ quæ impaſſibilitatem & gloriam importat, ut explicant S. Hieron. & alii apud Sylvium.

Ad 2. Non rarò S. Paulus de re bonis perinde ac malis communi diſſerens, in primâ perſonâ loquitur, ut Rom. 14. *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti.* Et 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti;* ergo lectio vulgata optimè retineri poteſt, præſertim cùm Tridentina Synodus velit ſtandum eſſe Vulgatæ.

℞. 2. neg. conſeq. Ex iis enim Græcis qui amplexi ſunt græcam lectionem quæ nobis opponitur, non pauci crediderunt futurum ut omnes prorsùs homines reſurgerent, & conſequenter ut morerentur. Rem paucis aperiunt hæc Oecumenii verba: *Iſtud, Non omnes dormiemus, hoc modo oportet accipere, quòd non dormiemus diuturnâ dormitione, adeo ut opus ſit ſepulchro ac ſolutione ad corruptionem; ſed brevem mortem ſuſtinebunt, qui tunc*, in adventu ſcilicet Chriſti, *reperientur.* Hæc ille non improbabiliter, ut notat Eſtius. Neque verò objecta lectio habet, *Non omnes moriemur*, ſed, *Non omnes dormiemus.* Atqui dormire, in hâc Scripturæ phraſi, non eſt mori ſimpliciter, ſed mortis ſomno teneri, quaſi quadam quiete quæ mortem conſequatur, & diu perduret; unde Danielis 12. vocatur dormitio in terræ pulvere. Quapropter qui reperientur viventes in adventu Domini, morientur quidem, ſed quia ſtatim reviviſcent, ſomnum mortis non capient; ergo negare potuit Apoſtolus eos dormituros eſſe, licet negare non potuerit eoſdem eſſe morituros, cum ipſe generaliter pronuntiet ſtatutum eſſe *hominibus mori.*

Ad 4. dicendum cum S. Auguſtino L. 20. de Civ. Dei c. 20. eos etiam qui vivi reperientur, quique ab Apoſtolo dicuntur rapiendi obviam Chriſto, morituros eſſe vel in ipſo raptu, vel ante raptum per ignem conflagrationis, qui, ut docet S. Thomas in Suppl. q. 74. bonos purgatione indigentes probabit & purgabit; vivos verò quoſcunque reperiet, extinguet, ut guſtatâ morte, alii in vitam, alii in judicium reſurgant.

Ad 5. 1. per *mortuos* quos judicabit Chriſtus, intelligi poſſunt, ii qui jam mortui ſunt; per *vivos* verò ii qui nunc vivunt, & in poſterum vivent. 2. per *mortuos* intelligi poſſunt ii qui ante diem judicii mortui fuerint; per *vivos* verò, non eos quidem qui vivent ipſo judicii tempore, quandoquidem nulli tunc erunt qui vivant, ſed qui adhuc vivent *quando judicii* jam nunc futuri *ſigna apparere incipient*, ut ait hic B. Thomas.

Quæres ultimò quot futuræ ſint corporum beatorum dotes.

℞. Dos corporis eſt diſpoſitio quædam ſeu qualitas ſupernaturalis ab animâ beatâ in corpus glorioſum dimanans, quæ illud eidem animæ perfectè ſubjectum facit. Quatuor autem hujuſmodi dotes Sanctorum corporibus inexiſtent, nempe impaſſibilitas, ſubtilitas, agilitas, & claritas, juxta hos verſus:

Clari, ſubtiles, agiles, impaſſibileſque,
Omnes quadruplici pollebunt dote Beati.

Quas quidem dotes ex hoc uno S. Pauli loco depromunt Theologi: *Seminatur corpus in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloriâ. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.* 2. Cor. 15. v. 43.

1. Quidem corpus Beatorum erit impaſſibile, quatenus incorruptibile. Corpus enim quod patitur partium ſuarum diſſolutionem, aut aliquem doloris ſenſum, eatenus corrumpitur & imminuitur: atqui corpus quod incorruptibile eſt, nec imminui nec corrumpi poteſt.

Præterea corpus Beatorum perfectè ſubjectum erit animæ, adeoque nihil contra ejuſdem animæ diſpoſitionem ab intrinſeco recipere poterit; ergo nihil poterit pati quod ſit moleſtum, pœnale, afflictivum; unde Apocal. 21. *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque clamor, neque dolor erit ultra.*

Abſit tamen ut Beati ab iis paſſionibus immunes ſint, quæ ſubjectum delectant & perficiunt. Hinc oculi reficientur viſione ſacræ Chriſti humanitatis, tum fulgentiſſimorum corporum qui-

bus

bus beati ditabuntur. Aures demulcebuntur ſono laudis hujus perpetuæ quam *dicent Deo noſtro omnes ſervi ejus*, Tob. 13. & Apoc. 19. &c.

2. Corpora beatorum ſulgentia erunt claritate, juxta id Daniel. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Et Matth. 13. *Juſti fulgebunt ſicut Sol in conſpectu Dei.* Quibus conſonat id Apoſtoli 1. Cor. 15. *Chriſtus reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.*

De hac claritate, quæ eſt qualitas ſupernaturalis quæ corpus Beatorum reddet luminoſum ac ſimile criſtallo, hæc docent Theologi. 1. erit inæqualis. *Alia* enim, ait Apoſtolus, *claritas ſolis, alia claritas Lunæ, alia claritas ſtellarum.. ſic & reſurrectio mortuorum.* Et vero claritas hæc cauſabitur ex redundantia gloriæ animarũ in corpora, porro gloria animarũ non erit æqualis. 2. claritas hæc naturaliter videri poterit etiã ab oculo non glorioſo, quia lux & fulgor naturaliter habent quod viſũ moveant. Denique non tamẽ neceſſario videbitur à corpore nõ glorioſo, quia cũ corpus glorioſum perfectè voluntati ſubdatur, non videbitur, niſi cum anima ipſum videri permittet. Ita Sylvius, cujus ratio non eſt admodum efficax: quod enim corpus aliquod ex ſe viſibile, videatur vel non, non tam ſe tenet ex parte ipſius, quam ex parte oculi qui ipſum intueri poteſt. Porrò probat Sylvius animam Beatorum ita dominam eſſe viſionis illorum qui beati non ſunt, ut pro nutu impedire poſſit ne ipſi percipiant corpus fulgidum oculis ſuis præſens.

3. Summa erit horumce corporum agilitas, adeo ut ad animæ nutum ab uno loco ad alium imperceptibili tempore tranſire poſſint ſine labore, laſſitudine, & quavis moleſtia. Hanc dotem exprimunt hæc Sap. c. 3. verba, *Fulgebunt juſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*; id eſt tam rapido motu per quamlibet loci differentiam movebuntur, quam ſcintillæ ignis quæ arundinetum tranſcurrunt. Idem evincit citatum id Apoſtoli, *Simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aera*, quod magnam agilitatem ſonat. Hac dote Chriſtus apparuit Diſcipulis poſt Reſurrectionem, eademque in cælos conſcendit. Specimem aliquod fuit Daniel. ult. & 8. Actor. ubi Habacuc & Philippus *alium in locum ſubitò tranſlati fuere.*

Dixi, *imperceptibili tempore*, non tamen in inſtanti, alias corpus illud deberet eſſe eodem inſtanti in termino à quo, ad quem, & in omnibus locis intermediis. Poteſt quidem Deus ſic replicare corpus, ſed tunc in hiſce diverſis locis immotum conſiſteret, adeoque non tranſiret ab uno ad alium, quod requiritur ad agilitatem & motum, quia motus localis eſt coexiſtentia rei ſucceſſiva & continua diverſis locis abſque quiete media.

4. demum mira erit glorioſi corporis ſubtilitas: hanc vero alii aliter explicant. Juxta quoſdam ſubtilitas eſt qualitas quæ reddet corpus glorioſum alterius corporis penetrativum, & cum ipſo coexiſtens loco eidem. Sic, inquiunt, Chriſti corpus re-
Joan. 20. ſurrexit clauſo ſepulchro, & oſtia clauſa penetravit; quod enim dicit Calvinus Chriſtum fores aperuiſſe, vel intraſſe per feneſtram, Novatore dignum eſt magis quam homine Chriſtiano, de quo vid. Bellarm. de Euchar. L. 3. c. 6. Cornel. à Lapide in cap. 20. Joan. verſu eod. Juxta alios vero ſubtilitas hæc quam expreſſit Apoſtolus dicens, *Surget corpus ſpiritale*, nihil aliud eſt quam dos corporis ipſum perfectè ſubjiciens animæ, ſine neceſſitate ſomni, cibi, potûs, alimenti &c. Hæc *ſpiritualitatem* corporis explicandi ratio quæ eſt S. Thomæ, non negat quin corpora glorioſa poſſint alia penetrare quando Deus voluerit, ſed dicit hoc iis non competere ex dote ſubtilitatis, ſeclusâ aliâ Dei operatione. Imò aſſerit ſanctus Doctor, nunquam futurum ut corpora duo glorioſa ſimul ſint in eodem loco, quia nulla unquam erit ratio tranſgrediendi ordinem debitum qui diſtinctionem loci requirit. Cæterùm rejicienda eſt ut hæreſis, opinio eorum qui ex Apoſtoli verbis inferebant, corpus poſt reſurrectionem in ſpiritum mutatum iri, aut ſimile futurum aëri & vento: utrumque enim repugnat ideæ reſurrectionis qualis ab Eccleſiâ admittitur.

Circa corpora reproborum docet S. Thomas 1. hæc cum ſuis deformitatibus reſurrectura non eſſe, quia reſurrectio eſt opus Dei, qui ſicut ab initio humanam naturam creavit integram, ſic & integram reparabit. 2. hæc incorruptibilia fore eo incorruptibilitatis genere quòd mortem eorum impediat, & hoc eſt fidei: nam *in diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam: & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis*, Apoc. 9. v. 6. 3. eadem fore paſſibilia, quod etiam de fide eſt, nam *ibi erit fletus & ſtridor dentium* Luc. 13. Ibi, ait Auguſt. Enchir. c. 92. *dolor perpetuus non interimet, ſed affliget; ipſa corruptio non finitur.* Hoc ſenſu, ut benè notat Sylvius, quædam alteratio ſeu corruptio, miſeriæ ſcilicet & afflictionis, reprobis conveniet. 4. reprobi nullâ claritate gaudebunt, cùm per æternitatem totam manſuri ſint in *terrâ miſeriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*, Job. 10. 22. 5. nec certè agiles erunt cùm *ligatis manibus ac pedibus* projiciendi ſint *in tenebras exteriores.*

SECTIO SECUNDA.

De beatitudine animæ.

Circa hoc punctum tria præcipuè quæri ſolent à Theologis. 1. utrùm animæ Sanctorum quibus nihil expiandum ſupereſt, ſtatim à corporis morte Deum videant. 2. an eum diligant neceſſariò. 3. an, & unde ſint impeccabiles. Circa primũ non immorabimur, quia quæſtionem hanc fusè agitavit doctiſſimus Tuornely Tom. 1. de attribut. p. 547. & ſequent. ubi nunc communiter tractatur à Theologis. De aliis ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Beati neceſſariò diligunt Deum, ita ut ab ejus amore ceſſare non poſſint. Ita Thomiſtæ contra Scotiſtas.

Prob. 1. Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit, ſive prophetiæ evacuabuntur &c.* id eſt nunquam ceſſabit in cœlo perfectæ charitatis exercitium, tametſi iiſdem cæterorum donorum, prophetiæ v. g. fidei & ſpei uſus & exercitium ceſſet. Apocal. 4. Beati *requiem* non habent, ſed *die ac nocte* dicunt: *Sanctus, Sanctus &c.* unde bellè Auguſtinus, *Deus* Lib. ult. de
ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fati- Civ. Dei
gatione laudabitur, quæ laus jugis & perpetua, præ- c. ult.
ſtantiſſimæ charitatis exercitium continet; Beati ergo Deum jugiter & perpetuò amant. Subſumo: atqui voluntas Beatorum ab hocce actu ceſſare non poteſt. Voluntas enim quæ rectæ rationis dictamen ſequitur, non poteſt ceſſare ab actu, niſi intellectus in eo deprehendat aliquam mali rationem, aut in ejus ceſſatione ſpeciem majoris boni: atqui

voluntas

voluntas Beatorum rectæ rationis dictamen neceſſariò ſequitur, utpote quæ contra rectam rationem peccare non poſſit; aliunde verò fieri non poteſt ut ratio Beatis proponat motiva quibus ab amore Dei ut malo aut minùs bono avertantur; ergo.

Confirm. Clara Dei viſio non compatitur judicium erroneum : atqui erroneum foret judicium quo mens judicaret ſibi melius eſſe ceſſare ab amore Dei; ergo.

Obj. 1. Charitas viæ & charitas patriæ ſunt ejuſdem ſpeciei, & intenſionis; imò charitas viæ eſt aliquando intenſior charitate patriæ, ut patet exemplo amoris quo B. Virgo in terris adhuc conſtituta, Deum proſequebatur, qui dubio procul omnium Beatorum amorem ſuperabat : atqui tamen amor viæ non eſt neceſſarius quoad exercitium; ergo nec amor patriæ.

℟. 1. Per argumentum hoc probari amorem patriæ nequidem neceſſarium eſſe quoad ſpecificationem, cùm amor viæ quoad ſpecificationem neceſſarius non ſit : atqui ne ipſi quidem Scotiſtæ contendunt amorem patriæ ita Beatis liberum eſſe, ut Deum poſſint odiſſe ſi velint.

℟. 2. Diſt. maj. Sunt ejuſdem ſpeciei, ſed non eodem nituntur principio, &, ut ajunt, non eodem modo *regulantur*, conc. ſecùs nego. Amor enim patriæ regulatur per lumen gloriæ & viſionem beatificam, quæ Deum ut ſummum bonum neceſſariò proponunt, adeoque ut neceſſariò diligendum; quia non poteſt non diligi id cujus non diligendi nec ulla eſt ratio, nec ulla poteſt concipi : at verò amor viæ hiſce principiis non nititur, ut per ſe evidens eſt.

Inſt. Amor viæ fundatur in cognitione per fidem habitâ; ſed cognitio habita per fidem, tam neceſſariò repræſentat Deum ut ſummè diligendum, quàm cognitio beatifica; ergo vel amor viæ erit neceſſarius, vel ſi ſit liber, ut de facto liber eſt, liber etiam erit amor patriæ.

℟. 1. Hoc argumentum ſicut & præcedens nimis probare, & ideo oihil : ex eo nimirum ſequitur amorem patriæ liberum eſſe libertate ſpecificationis.

℟. 2. Neg. min. Viſio enim beatifica duo habet. 1. quòd ſemper repræſentet id quod repræſentandú eſt. 2. quòd abjici non poſſit. Primum competit fidei, quia nihil proponit niſi veri; at ſecundum noo competit eidem, tum quia fides poteſt penitus excidere, ut cùm quis ſit infidelis; tum quia oculi mentis ab eâ averti poſſunt, & converti ad lumen illud quod à Chriſto tenebrarum nomine donatur.

Obj. 2. Fieri poteſt ut Beati in amoris ceſſatione aliquam boni ſpeciem apprehendant, exercitium nempe libertatis; ergo neceſſarium non eſt ut ſemper in amoris divini exercitio verſentur.

℟. Neg. ant. Ut enim intellectus ſuum primis principiis aſſenſum quacunque de causâ negare non poteſt; ſic nec voluntas libertatem ſuam circa bonum infinitum clarè cognitum exercere poteſt. Ratio eſt, quia utrumque neceſſariò movet : atque ut illud neceſſariò percipitur ut verum, ſic & iſtud neceſſariò diligitur ut ſummè bonum; ergo actus animi circa neutrum ſuſpendi poteſt.

CONCLUSIO SECUNDA.

Beati ſunt impeccabiles, & quidem ab intrinſeco.

Prob. prima pars. 1. ex SS. PP. Auguſt. Enchir. cap. 111. *Poſt reſurrectionem*, inquit, *facto univerſo completoque judicio, ſuos fines habebunt civitates duæ... una bonorum, altera malorum: utraque tamen & Angelorum & hominum; iſtis voluntas, illis facultas non poterit ulla eſſe peccandi.* Sed ſi Beatis ineſſe non poterit ulla peccandi voluntas, neceſſum eſt ut impeccabiles ſint. Idem docet S. Fulgentius, Lib. de fide ad Petrum c. 23. *Firmiſſimè tene*, inquit, *& nullatenus dubites... non jam poſſe quemlibet SS. Angelorum in deterius commutari, quia ſic acceperunt æternam beatitudinem quâ Deo ſtabiliter perfruuntur, ut eâ carere non poſſint.* Atqui beati homines eam quoque acceperunt beatitudinem quâ carere non poſſunt; ergo cùm hæc æternæ beatitudinis poſſeſſio efficiat ut Angeli peccare non poſſint, idem in aliis Sanctis præſtabit.

Prob. 2. Peccatum eſt averſio à Deo & converſio ad creaturam : atqui impoſſibile eſt ut qui Deum vident ab eo avertantur, ad creaturas convertendi. Mens enim ab eo objecto divelli non poteſt, quod totam ejus capacitatem exhaurit, quodque ita amat ut nihil aliud niſi propter ipſum amare poſſit: atqui talis eſt Beatorum conditio, quâ ſeclusâ non intelligerentur omnimodè Beati; ergo.

Prob. 3. Quia, ut benè S. Thom. L. 4. contra Gent. c. 12. *voluntas creata peccare non poteſt, quin præceſſerit in intellectu error & incogitantia* : atqui in intellectum Beatorum nec error nec incogitantia irrepere poſſunt. Non error, quia qui vident Deum, in ipſo non vident niſi quod eſt verum: non inadvertentia, quia qui neceſſariò attendunt ad Deum cujus amore inebriantur, neceſſariò attendunt ad id omne quod à peccato avertere poteſt; qui autem neceſſariò attendunt ad id quod à peccando deterrere poteſt, ii ſanè per incogitantiam peccare non poſſunt : atqui Beati neceſſariò attendunt ad Deum, qui ſolus & totus omnes animæ eorum potentias occupat; ergo. *Vid Vaſq. diſp. 18. c. 2.*

Hinc refellitur error Origenis qui ſenſit Angelos in hominum cuſtodiâ aliquando peccare : quem, ait Vaſquez diſp. 18. c. 1. ſecutus videtur Hieronymus in cap. 6. Micheæ, ſive ex propriâ ſententiâ locutus fuerit, ſive ex ſententiâ aliorum quod magis probabile eſt.

Dices : Si Angeli peccare poſſint, à fortiori peccare poſſunt alii Beati: atqui Angeli peccare poſſunt, juxta id Job 4. v. 18. *Ecce qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem.* Et verò Daniel. 10. referuntur pugnæ ac diſcordiæ inter Angelos variis Regnis præſidentes, excitatæ.

℟. Ad 1. neg. min. ad 2. dico 1. hæc verba non eſſe ipſius Job, ſed amici ejus Eliphaz, qui ut probaret innocentes nunquam à Deo affligi, quod falſum eſt, multa parum accurrata congerit: unde c. 42. de eo conqueritur Deus, quòd non ſit locutus *rectum ſicut Job.* Dico 2. hæc verba intelligi de Angelis viatoribus, quorum alii Deo firmiter adhæsêre, alii verò in juſtitiâ *ſtabiles* non fuerunt, & ii ſunt in quibus Deus reperit pravitatem. Circa textum hunc legi poteſt Vaſquez in 1. p. diſp. 227. cap. 4.

Quod objicitur è cap. 10. Danielis non multùm urget : tum quia cenſent Interpretes multi quos ſequitur P. Calmet, eum Perſarum principem qui reſtitit Gabrieli viginti & uno diebus, eſſe Cyrum Regem; tum quia alii, ut Caſſianus & Rupertus, hoc intelligunt de malis Angelis bonorum conatus impedire volentibus; tum denique quia ipſi etiam boni Angeli hoc ſenſu inter ſe pugnare poſſunt, quòd aliquando pro diverſis Regnis ſibi commiſſis quædam à Deo petunt pugnantia, aut de iiſdem Dominum conſulunt. Hæc autem poſſunt ſine

peccato

peccato fieri, quemadmodum ſine peccato fit ut duorum Regnorum contra ſeſe invicem dimicantium Sacerdotes, unuſquiſque pro Principe ſuo victoriam exorent.

Prob. 2. pars contra Scotum in 4. d. 49. q. 6. Gabrielem, Ocam & alios qui cenſent Sanctos Deum videntes impeccabiles non eſſe per formam aliquam intrinſecam, quâ tollatur in iis ac veluti ligetur remota potentia peccandi; ſed ex ſolâ Dei providentiâ, quâ Beatis aſſiſtit ut eos à peccato incolumes ſervet, eo fermè modo quo quis alterius oculos velo cooperiens, eundem ab alicujus objecti conſpectu prohibet, nec utique tamen ab eo intrinſecam videndi potentiam tollit. His poſitis

Prob. 2. pars. 1. quia ſi aliqua gratia hominem poſſit impeccabilem facere ab intrinſeco, maximè gratia patriæ, quæ Deo intuitivè viſo hominem potentius affigit: atqui poſſibilis eſt gratia quæ hominem ab intrinſeco reddat impeccabilem; ut patet exemplo gratiæ quâ in terris ditata fuit B. Virgo, quæque ipſam ab omni peccato etiam veniali immunem reddidit, & quidem ab intrinſeco. Talis enim gratia eo modo à peccato præſervat, quo movet ad bonum peccato oppoſitum: atqui gratia hæc ex ſe & ab intrinſeco movet ad bonum; ergo etiam ab intrinſeco præſervat à malo, quod eſt impeccabilem facere eum cui conceditur. Ita Gonet p. 67. cujus argumentum longè efficacius eſt cùm agitur de gratiâ patriæ. Vide de B. Virgine Suarem t. 2. in 3. p. diſp. 4 ſect. 4.

2. Beatitudo neceſſariò includit amorem beatificum; atqui peccatum cum amore beatifico compati non poteſt. Nam per peccatum, ſi mortale ſit, homo *avertitur* à Deo tanquam à fine ultimo; ſi verò veniale, ſaltem *divertitur*, ut ajunt Theologi: atqui hæc averſio, aut diverſio à Deo cùm amore beatifico nec compatitur, nec compati poteſt ex naturâ rei. Nam per amorem beatificum utpote continuum, homo convertitur continuò in Deum tanquam ultimum finem: atqui ab intrinſeco repugnat ut qui in aliquid continuò & neceſſariò fertur, ab eodem averti aut tantillùm ſubduci poſſit; ergo.

Objiciunt quòd charitas patriæ ejuſdem ſit ſpeciei cum charitate viæ, quæ tamen non excludit potentiam peccandi, imò nec peccatum actuale ſaltem veniale; ergo. Verùm huic objectioni ſupra reſponſum fuit. An de potentiâ Dei abſolutâ ſtare poſſit peccatum actuale vel ſaltem habituale cum viſione vel amore beatifico, vide apud Gonet ubi ſupra.

SECTIO TERTIA.

De iis quæ conveniunt beatitudini tum animæ tum corporis.

DUo hic inveſtiganda ſunt. 1. an beatitudo ſemel obtenta poſſit amitti. 2. an ſit in omnibus æqualis.

Circa primum erravit Origines docendo beatitudinem & damnationem alterius vitæ non fore perpetuam, ſed alteram alteri ſucceſſuram eſſe, ita ut Beati damnentur, & damnati evocentur ad gloriam. Errorem hunc Origeni tribuit S. Auguſtinus Lib. de hæreſib. c. 43. & Lib. 21. de Civ. Dei c. 17. *Sunt*, ait S. Doctor, *hujus Origenis alia dogmata quæ Catholica Eccleſia omnino non recipit, in quibus nec ipſum falsò arguit, nec poteſt ab ejus defenſoribus falli, maximè de purgatione & liberatione, ac rursùs poſt longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis univerſæ creaturæ.* Idem de Origene dicit S. Hieronym. in Epiſt. 59. ad Avitum. Ejuſdem tamen erroris Hieronymum ipſum accuſavit aliquando Ruffinus Lib. 1. contra ipſum, ob quædam verba quæ emiſit S. Doctor in magnis Commentatiis Epiſt. ad Epheſios: at reſpondit Hieronymus ſe iiſce Commentariis ea inſeruiſſe quæ in aliis Doctoribus invenit, unde fit ut ſcripta hæc aliquando errore non careant. An autem Sixtus Senenſis Lib. 5. Biblioth. annot. 126. meritò exiſtimet errorem hunc Origenis libris hæreticâ manu fuiſſe inſertum, expendere non vacat. Quare ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Sanctorum beatitudo æterna erit, nullique viciſſitudini obnoxia. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Script. Sap. 5. *Juſti in perpetuum vivent.* Matth. 6. *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur.* Ibid. c. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum, Juſti autem in vitam æternam.* Joan. 22. *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* 1 Petri 1. Beatitudo vocatur hæreditas *incorruptibilis, incontaminata & immarceſſibilis.* Apoc. 20. Reprobi *cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum*: atqui ii omnes textus, ſi naturaliter & in obvio ſenſu intelligantur, ut intelligi debent, quia nihil obſtat, beatitudinis æternitatem exprimunt; ergo.

Prob. 2. ex PP. S. Cyprianus in exhortat. Martyr. *Mors*, inquit, Martyribus *infertur, ſed immortalitas ſequitur... vita temporalis extinguitur, ſed æterna reparatur*; ergo Sanctorum beatitudo æterna eſt & immortalis. S. Auguſtinus, ut cæteros omittam, L. 22. de Civ. Dei c. 1. Beatitudo, inquit, *non propter ætatis per multa ſæcula longitudinem tamen quandocunque finiendam æternitatis nomen accepit, ſed quemadmodum ſcriptum eſt in Evangelio*, Regni ejus non erit finis. Et cap. ult. ejuſdem Libri, *Tunc*, inquit, *plena erit, certa, ſecura, ſempiterna felicitas*; & hoc eſt quod profitemur his Symboli verbis, *Vitam æternam.*

Prob. 3. ratione. Beatitudo talis eſſe debet ut omne Beati deſiderium expleat, & ab eo omne mali genus excludat: atqui hoc præſtare non poteſt, niſi ſit inamiſſibilis. Si enim amitti poſſit tantum ac tale bonum, non minor erit erga Beatorum anxietas atque ſollicitudo, quàm eorum qui in terris poſiti geſtant theſaurum quo ſpoliari poſſunt, imò major, quia Beati meliùs norunt conditionis ſuæ pretium, certioreſque erunt de ejuſdem amiſſione: atqui ſollicitudo hæc & anxietas cum verâ beatitudine compati non poſſunt; ergo.

Quærunt hic Theologi, an perpetuitas beatitudinis eidem conveniat ex naturâ rei & ab intrinſeco; an ex gratuitâ voluntate Dei eam perpetuo conſervantis.

Reſp. Utrumque dici poſſe ſub diverſo reſpectu. 1. quidem beatitudo abſolutè loquendo & de potentiâ Dei, ut ajunt, extraordinariâ, creaturis quibuslibet auferri poteſt; quia nulla eſt cui debeatur æterna conſervatio; nulla cui, dum conſervatur, debeatur in æternum viſio beatifica. Ergo quòd creaturæ beatitudo conſtituatur æterna, pendet à Dei beneplacito. Aliunde verò quia ſtatus beatitudinis qualis eſt de facto, omnem prorsùs anxietatem removere debet, atq; id ex naturâ ſuâ poſtulare videtur, dicendum eſt hoc ſenſu neceſſarium eſſe ut Sancti ſciant ſe in perpetuum beatos fore: alioqui verè beati non eſſent, aut ſaltem non eadem fruerentur beatitudine quâ juxta Scripturam & Patres perfrui debent.

debent. Plura de hac quæſtione ſatis inutili vide Gonet diſp. 6. a. 2. & Vaſquem diſp. 21. c. 2.

CONCLUSIO SECUNDA.

Beatitudo Sanctorum eſt inæqualis. Eſt de fide contra Jovinianum, qui ut æqualia peccata, ſic & æqualia merita, & parem conſequenter mercedem faciebat.

Prob. 1. Joan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* 1. Corinth. 3. v. 8. *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm laborem ſuum.* Ibid. c. 15. v. 41. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum... ſic & reſurrectio mortuorum.* 2. Corinth. 9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.* Sed ubi variæ ſunt manſiones, ubi merces labori reſpondet, ubi major eſt & minor claritas, ibi beatitudo eſt inæqualis.

Prob. 2. ex Patribus. S. Polycarpus Judicem ſupplicia intentantem alloquens: *Merita mea,* ajebat, *doloris æſtimatione penſabo. Quantò graviora pertulero, tantò præmia majora percipiam.* Tertull. in Scorpiaco c. 6. *Quomodo,* inquit, *multæ manſiones apud Patrem, ſi non pro varietate meritorum? Quomodo & ſtella à ſtella diſtabit in gloria, niſi pro diverſitate radiorum?* S. Hieronymus ea de re expreſsè ſcripſit contra contra Jovinianum.

Obj. Operarii de quibus loquitur Chriſtus Matt. 20. non eodem modo laboraverant, ſed alii à primo manè, alii ab hora ſolum nona &c. atqui tamen omnes eodem modo remunerati ſunt, omnes enim acceperunt eundem denarium; ergo.

Reſpondet Cornelius à Lapide in hunc locum, non eundem omnibus datum fuiſſe denarium, ſed aliis cupreum, aliis aureum, quod tamen illicò animadverſum non fuit, quia hæc denariorum diſtributio facta eſt in tenebris. Sed omiſſâ hac ſolutione quæ vix ſine riſu audiri poteſt.

℞. 1. neg. maj. Etſi enim diſpar fuerit laboris diuturnitas, ſupponi poteſt eos qui ſeriùs operi manum admoverunt, tanto cum fervore & diligentiâ laboraſſe ut cæteros adæquaverint: certè primi Fideles qui hora ſolùm undecima in vinea Domini laboraverunt, ſtatim ut è gentilitatis tenebris emerſerunt, intra modicum tempus tales in pietate progreſſus fecêre, ut ſanctiora Synagogæ tempora penè ſtatim adæquaverint, & ſic in brevi multa expleverint tempora; ergo non minùs quàm alii laboraverunt, nec minori ſunt mercede donandi.

Vid. Tanner. de attrib. s. 1. ℞. 2. diſt. min. Omnes eodem modo remunerati ſunt, quoad ſubſtantiam rei per denarium ſignificatæ, conc. quoad gradum & perfectionem, nego. Omnes quidem vitam habebunt æternam, at non omnes eundem in ea gradum conſequentur, ſed alia erit claritas Solis, alia Lunæ &c. Neque tamen alius aliis invidebit, quia, ut bellè notat Auguſtinus Lib. 22. de Civ. Dei c. 30. *Tam nollet eſſe unuſquiſque quod non accepit, quàm nec in corpore vult oculus eſſe qui eſt digitus.* Beati nempe ſunt vaſa alia aliis capaciora, ſed uſque adeo plena ut ſuperfluant, nec ampliùs quàm quod habent valeant continere. Cæterùm parabolæ non ita preſsè urgeri debent, alioqui enim ſequeretur in cœlis eſſe murmur & mutuam offenſionem.

Quæres quid ſit aureola Beatorum.

℞. Præmium eſſentiale, quo donantur Beati vocatur *aurea,* ſive *corona aurea*: tum quia Beati regnant in cœlo, ſuæ autem ſunt Regibus coronæ; tum quia regnum cœlorum certaminibus & victoriis obtinetur. Ab aureâ dicta eſt *aureola,* id eſt parva corona, & hæc definiri poteſt, Gaudium accidentale à Beatis de ſingulari quadam victoria perceptum, & in corpus ſpeciali fulgore redundans. Dico, *ex ſingulari quadam victoria*; non enim quodlibet opus ſanctum meretur aureolam, ſed ſolùm inſignis victoria de hoſte. Hæc verò triplex eſt, ut & triplex eſt hoſtis, mundus ſcilicet, caro, & diabolus. Vincunt mundum Martyres contemptu mortis, quo malo nullum gravius à mundo inferri poteſt. Vincunt carnem virgines cùm ejus illecebris reſiſtunt, & de hoſte domeſtico, contra quem continua eſt pugna & rara victoria, glorioſè triumphant. Vincunt diabolum Doctores, aliique verbi miniſtri & interpretes, cùm eum è cordibus hominum, quibus petulanter dominatur, ejiciunt atque deturbant. Quænam ex his aureolis altera potior ſit, diſputant Theologi, quia nonnulli Patres virginitatem videntur anteferre martyrio. Sic Tertul. *Majus eſt vivere cum caſtitate: quam mori pro caſtitate.* Et Hieronym. *Inter omnia Chriſtianorum certamina, duriora ſunt prælia caſtitatis, in quibus eſt continua pugna & rara victoria.* Communiter tamen cæteris præfertur aureola martyrii, *quia pugna Martyrum ſecundùm ſe eſt fortior, & vehementiùs affligens*; aureola verò ſecundum ſe debetur victoribus. Vide S. Thomam in Supp. q. 96. a. 12. ubi rem totam angelicè explanat. An, & quomodo aureola differat à *fructu* evangelico, vide S. Doctorem ibid. a. 2. 3. & c. Sylvium & alios Interpretes.

CAPUT SEXTUM.

De proprietatibus actuum humanorum.

PEr proprietates actuum humanorum intelligimus cum Valentia, tum quædam eorum attributa, ut ſunt malitia & bonitas; tum ea quæ bonitatem & malitiam ſequuntur, ut meritum & culpa. De culpâ alibi dicemus, cætera hic diſcutienda veniunt.

ARTICULUS I.

De bonitate & malitia morali actuum humanorum.

DIcemus 1. quid ſit bonitas & malitia moralis in genere. 2. an omni & cuilibet actui conveniat. 3. unde repetenda ſit.

SECTIO PRIMA.

In quo conſiſtat malitia & bonitas actus humani.

IN actu humano duplex *eſſe* conſiderari poteſt, ſcilicet eſſe *phyſicum* ſeu *naturale*, & eſſe *moris* ſeu *morale*. Eſſe phyſicum eſt ipſa entitas actionis nudè & ſimpliciter ſpectata, quatenus eſt aut eſſe poteſt extra nihil; eſſe verò morale, ſeu moralitas actus, eſt ejuſdem habitudo ad certas regulas, quibus ſi conformis ſit, aut difformis, bonus eſt aut malus in ordine morum. Mores autem non dicuntur à *more*, prout purè ſignificat conſuetudinem, quaſi ea actio diceretur moralis, quæ fit eo modo quo homines communiter agere ſolent; ſed à *more* à quo homines habent ut laude vel vituperio, præmio vel pœnâ digni ſint. Unde

Dico 1. Moralitas actus non conſiſtit in ſolo libero: tum quia actus concipitur liber, antequam concipiatur moralis; tum quia concipitur liber prout deliberatè proficiſcitur à voluntate; moralis verò prout elicitur conſentaneè aut diſſentaneè ad

ad rectam rationem. Omne tamen liberum eſt morale, ſicut omne morale eſt liberum quia quidquid liberè producitur eriam in naturalibus aut artefactis, non ſolum juxta artis aut naturæ regulas, ſed eriam juxta rarionis leges produci debet, ſecundum id Apoſtoli, *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, de quo infra. Utinam vero artifices tantum inſudarent, ut juxta rationis quam ut ſecundum artis regulas operarentur.

1. Cor. 10, 31.

Obj. In eo ſita eſt moralitas, quo poſito ponitur & quo ſublato tollitur: atqui poſita libertate ponitur moralitas, v. g. actûs imputanir in malum, qui eadem ſublata libertate deſinit imputari; ergo.

R. diſt. maj. Quo poſito tanquam eſſentia rei ponitur moralitas, conc. quo poſito tanquam prærequiſito, neg. Itaque ad morale prærequiritur liberum, unde ſublato libero tollitur morale; ſicut ſublato voluntario tollitur liberum, quia ad liberum prærequirtiur voluntarium: non magis tamen morale in ſolo libero conſiſtit, quam liberum in voluntario ſolo; quia ſicut voluntarium & liberum diverſis conceptibus objectivis concipiuntur, ſic liberum & morale diverſis repræſentantur ideis. Et certe remanente eadem libertate, variari poteſt moralitas, ut ſi actus qui in primo inſtanti bonus erat, quia permiſſus, in ſecundo malus fiat, quia ſuperveniente lege prohibitus fuit. Item non multiplicata libertate, multiplicari poteſt moralitas, ut ſi quis committat adulterium caſtitati ſimul & juſtitiæ oppoſitum.

Dico 2. Regula ex cujus commenſuratione deſumitur moralitas, eſt rectà ratio Ita vulgò Theologi. Adque id tradit S. Auguſtinus Lib. de utilitate credendi c. 12. ubi ait: *Rectum factum nullo modo eſſe poteſt, quod non a recta ratione proficiſcitur*. Porro recta rario duplex eſt, una *increata*, quæ in mente divina exiſtit, & lex æterna dici ſolet; altera *creata*, quæ eſt lumen a Deo creaturæ rationale impreſſum, ſeu ipſa legis æternæ cognitio, indicans quid faciendum ſit, aut fugiendum, aut quid ſimpliciter bonum ſit. Ut coim bene notat, Sylvius hic q. 19. a. 4. actus, ut bonus ſit, non neceſſatio conformis eſſe debet alicui legi præcipienri, (alioquio facere ea quæ ſunt conſilii non eſſet bonum) ſed neceſſe eſt & ſufficit ut ſit conformis rationi vel præcipienti ut fiat, vel judicanri poſſe bene fieri, ſimulque præſcribenti quomodo fieri debeat. Utraque hæc ratio actuum noſtrorum regula eſt, ita tamen ut ratio creata, per ſe regula non ſit, ſed prout ſubſtat legi æternæ. Unde S. Thomas 1. 2. q. 71. a. 6. *Regula voluntatis humanæ eſt duplex: una propinqua & homogena, ſcilicet ipſa ratio humana; alia vero eſt prima regula, ſcilicet lex æterna quæ eſt quaſi ratio Dei*. Et certè quod ſe habet tantum ut conditio prærequiſita ad hoc ut à lege æterna dirigamur, illud per ſe & ſimpliciter non eſt regula: atqui creata ratio ſe tantum habet... Nam ratio creata ſe habet erga actuum noſtrorum directionem, ſicut divinæ bonitatis cognitio ſe habet erga amorem quo Deum diligimus: atqui ipſa cognitio noſtra non eſt amoris noſtri motivum, ſed tantum conditio quâ mediante ipſa Dei bonitas ad amorem ipſius accendit. Ergo ſi ſtrictè loqui velis dicendum eſt 1. quod propriè non ſit niſi unica actuum noſtrorum regula, nempe ratio Dei. 2. quod bonitas actus ſit ejus conformitas cum eadem regula; malitia vero in oppoſita difformitate conſiſtat.

Obj. Bonitas aut malitia actûs repeti debent ex convenientiâ, vel diſconvenientia cum dictamine rectæ rationis noſtræ, potius quam ex convenientia cum ratione; Dei ergo.

℞. neg. ant. Nam prius eſt rem eſſe in ſe bonam aut malam, quam ut ratio dicter eam qua talem amplectendam eſſe aut fugiendam, ſicut prius eſt hominem eſſe animal, quam eum judicari animal, ergo &c.

Inſt. Si quis bonâ fide judicet mentiendum eſſe ut ſalvetur vita innocentis, benè operabitur: atqui hæc actio non erit bona per ſuam cum recta ratione increata convenientiam, ſed ſolum per convenientiam cum dictamine rationis creatæ; ergo hæc potius quam illa aſſignari debet ut regula moralitatis.

℞. diſt. maj. Benè operabitur æſtimativè, quatenus ſcilicet id faciet quod tametſi in ſe malum, invincibiliter credit bonum eſſe, conc. benè operabitur, id eſt eliciet actionem bonam bonitate intrinſeca ſeu à parte rei, de qua ſola hic loquimur, nego.

Obj. 2. Motus concupiſcentiæ indeliberati, non ſunt mali, nec imputantur: atqui tamen repugnant ſupremæ rationi; ergo diſconvenientia cum ſupremâ ratione non eſt malitiæ regula, adeoque nec bonitatis.

℞. diſt. maj. Non ſunt mali formaliter, conc. non ſunt mali, vel potius inordinati materialiter & objectivè, nego. Ut intelligatur ſolutio notandum eſt quod duplex diſtinguatur moralitas; una *objectiva* quæ ſe tenet ex parte actus ſecundum ſe ſolum conſiderati; altera *formalis*, quæ non tam dicit ordinem ad objectum ipſum quam ad agentem ut benè vel malè *moratum*. Recta ratio utriuſque hujus moralitatis regula eſt, unde quod ei repugnat, ea parte qua repugnat, habet aliquid mali: ſed quia repugnantia hæc aliquando involuntaria eſt, ut in iis qui vel non quod volunt faciunt, vel invincibili laborant ignorantia, ideo non ſemper imputatur ad culpam, ſed aliquando ad meritum, ob bonam fidem agentis qui rectam rationem ſequi putat, dum etiam ab ea deficit.

Obj. 3. ex S. Auguſt. Enchir. c. 101. *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult... ut ſi bonus filius patrem velit vivere, quē Deus bona voluntate vult mori*; ergo ſaltem aliquando ratio Dei & ratio hominis non ſunt regulæ bonitatis actionis, cum ambæ nonnunquam à ſe invicem diſſentiant.

℞. neg. conſeq. & diſting. probat. Nonnunquam ratio Dei & ratio humana diſſentiunt in objecto materiali, ſeu in re volita, conc. in objecto formali, ſeu in modo volendi, nego. Itaque diſſentiunt quadantenus Dei & hominis voluntates, cum Deus vult ut moriatur aliquis, quem filius ejus vivere deſiderat; ſed reipſa plus inter ſe congruunt quam prima fronte videatur, 1. quia vult Deus ut filius patris ſui mortem avertat quantum poteſt: is ergo cum optat ut pater non moriatur, divinæ voluntati conſentit. 2. quia filius non optat vitam patris niſi conditionatè, & abſolutè cupit ut fiat voluntas Dei; ergo & ex hac etiam parte voluntas hominis cum Dei voluntate congruit.

An malitia mera ſit privatio, dicemus in Tractatu de peccatis.

SECTIO SECUNDA.

An dentur actus indifferentes.

NOt. 1. actus indifferens is eſſe dicitur qui nec bonus eſt nec malus.

Not. 2. actus humanus de quo ſolo hic agitur, utpote qui ſolus deliberatus ſit, dupliciter conſiderari poteſt, *in ſpecie* ſcilicet, & *in individuo*: ſicut

enim homo conſiderari poteſt vel ſolum ſecundum ſpeciem, ſeu eſſentiam, prout abſtrahit ab exiſtentiâ, aliiſque accidentibus, & tantummodo ſpectatur ut animal rationale; vel in individuo prout eſt hic vel ille homo, doctus vel indoctus &c. ita & actus humanus. Unde actus humanus in ſpecie, eſt actus ſpectatus in genere, & comparatè ad objectum duntaxat, abſtrahendo à fine, & cæteris circumſtantiis; v. g. Deum peccari, furari, deambulare, quorum primum etiam ratione objecti ſpectatum, bonum eſt, ſecundum vero malum, tertium denique indifferens, ita ut poſſit bonum eſſe vel malum. Actus vero ſpectatus in individuo, eſt actus prout à parte rei ponitur, & comparatè ad objectum, finem, & omnes circumſtantias.

Certum eſt dari actus indifferentes in ſpecie, qui ſpectati ſeorſim à fine quo fiunt, nihil boni continent aut mali moralis; cum eorum objectum non pertineat ad mores, Hinc illud S. Hieronymi Epiſt. 89. *Bonum eſt continentia, malum eſt luxuria, inter utrumque indifferens ambulare.* Sed graviter controvertitur an dentur aut dari poſſint actus indifferentes in individuo. Affirmant alii, ut Aleoſis, S. B[…]na[…]ntura, Gabriel, Alm[…]inus, Vaſquez & Scotus cum ſuis 2. diſt. 41. Alii plures negant, eo nixi fundamento quod omnes actus noſtri, niſi in bonum finem referantur, ſint verè mali. Verum hic recrudeſcit controverſia: cum enim finis omnis à creaturâ diſtinctus, ſit Deus ipſe ſaltem ſub conceptu confuſo, quæritur quâ ratione actio ut ex parte finis bona ſit, debeat ad Deum referri; de quo non una eſt omnium opinio.

1. Enim cenſent aliqui actionem, ut bona ſit, ad Deum referri debere ex charitate habituali & juſtificante, unde ſequitur omnes peccatoris actiones totidem eſſe peccata. Ita Joannes Hus, inter cujus propoſitiones damnata eſt hæc à Concil. Conſtant. Seſſ. 15. *Si homo eſt vitioſus, & agat quidquam, tunc agit vitioſè; & ſi eſt virtuoſus, & agat quidquam, tunc agit virtuoſè: quia ſicut vitium quod crimen dicitur, ſive peccatum mortale, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi; ſic virtus, ſive charitas vivificat omnes actus hominis virtuoſi.* Eundem errorem ſi non ſenſu, de quo judicet Deus, ſaltem verbis exprimere viſus eſt Queſnellus, cujus propoſitio 45. ſic habet: *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.* Quæ propoſitio, prout docet omnes actus hominis charitate deſtituti & in quo regnat cupiditas, eo ipſo vitiati & corrumpi, uſque adeo mala eſt, ut ex iis qui ad futurum appellavere Concilium, non deſint melioris fidei homines qui eam execrentur, quod me præſente factum eſt. Queſnello præiverat Baius, cujus 35. propoſitio ſic habet: *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.* Baio autem præiverat Lutherus, qui citatam Joannis Hus propoſitionem expendens aiebat: *Hic articulus eſt à Catholicis concedendus.* Haud tamen eum *conceſſit* ſacra Facultas pariſienſis, quæ anno 1521 doctrinam hanc reprobavit; haud conceſſit Eccleſia tota, quæ docet aliquid boni à peccatoribus ipſis; aliquid venialiter mali à juſtis aliquando prodire.

Lop. tom. 12. p. 133.

2. Docent alii malam eſſe actionem omnem quæ virtualiter ſaltem ad Deum non refertur ex motivo charitatis, ſive perfectæ, ſive imperfectæ, hoc eſt quæ non refertur ad Deum propter ſe dilectum. Ita Janſenius Lib. 3 de ſtatu nat. lapſ. c. 17. *Nullum*, inquit, *omnino fieri poteſt opus bonum, hoc eſt ſine peccato, niſi in Deum propter ſe dilectum referatur*; idem paſſim inculcat Iprenſis. Eadem, niſi fortè pejor, fuit Queſnelli ſententia, ut patet ex textu citato. Hanc fusè & acriter, ut ſolet, defendit Æthica amoris Tom. 1. Lib. 8. & nuper Eccleſiaſtici quidam Senonenſes, quorum doctrinæ eſt ſumma, Fideles nimirum omnes per primum Decalogi præceptum teneri ad referendas omnes prorſus actiones ſuas ad Deum *tanquam ad finem ultimum*; relationem hanc fieri non poſſe niſi inchoato ad minus Dei amore; amorem Dei omnem, ſi modo legitimus ſit, eſſe initium aliquod charitatis propriè dictæ, illius ſcilicet quâ Deus *propter ſe* diligitur,

Dom. 2. p. 815.

2. Lm. p. 3.

3. Cæteri Theologi negant eum qui ex charitatis propriè dictæ motu non operatur, ſemper peccare. Sententiam hanc non adſtruemus, niſi paucis, tum plenior ejus inveſtigatio ſupponit plenam charitatis cognitionem, quæ ex Tractatu de virtutibus theologicis repetenda eſt; tum quia ex iis quæ circa opera Infidelium moraliter bona docuit doctiſſimus Tournely, facilè colligitur quid hic ſentiendum ſit. Sit itaque.

CONCLUSIO PRIMA.

Non dantur actus indifferentes in individuo. Ita præter D. Thomam & Thomiſtas docent celebres multi Theologi, ut Bellarminus, Suares, Valentia &c.

Prob. 1. ex SS. Patribus. Auguſtin. L. 2. de peccat. meritis &c. c. 18. *Mirum*, inquit, *ſi voluntas poteſt in medio quodam ita conſiſtere, ut nec bona, nec mala ſit. Aut enim juſtitiam diligimus, & bona eſt, ſed mala & peſſima*, ut ibidem addit S. Doctor. Et Lib. de utilitate credendi c. 12. *Omne factum, ſi rectè factum non eſt, peccatum eſt: nec rectè factum ullo modo eſſe poteſt, quod non à recta ratione proficiſcitur.* Et Epiſt. 82. alias 19. *Cavendum eſt, ne ſicut Philoſophi, facta quædam hominum media ducamus inter rectè factum & peccatum, quæ neque in rectè factis, neque in peccatis numerentur.* Unde ſic. Actio indifferens ea eſt quæ nec bona eſt nec mala, quæ inter rectè factum & peccatum media eſt: atqui ex S. Auguſtino nulla debet admitti actio hujuſcemodi, ſed econtra *cavendum eſt* ne admittatur. Atque id ita manifeſtum eſt, ut Vaſquez qui contra nos pugnat, ingenuè fateatur SS. Auguſtinum, Proſperum, Fulgentium & Thomam, ſibi adverſari; ergo &c.

Vaſq. diſp. 52. n. 33.

Prob. 2. Actio ſpectata in individuo, eſt actio quæ fit propter aliquem finem; quæ enim non fit propter finem eſt actio ſpectata in ſpecie: atqui actio quæ fit propter finem non poteſt eſſe indifferens. Eatenus enim talis actio poſſet eſſe indifferens, quatenus fieret propter finem indifferentem, & qui nec bonus eſſet nec malus; atqui impoſſibile eſt ut actio aliqua fiat propter finem qui nec bonus ſit nec malus. Nam finis omnis vel eſt Creator, vel creatura: ſed actio quæ fit propter Creatorem, ut agens in eo conquieſcat, fit propter bonum finem; actio vero quæ fit propter creaturam ut voluntas in illâ ſola conquieſcat, fit propter malum finem. Sic malum eſt comedere etiam ſine exceſſu, aut opus conjugii exercere propter ſolam voluptatem: unde damnatæ ſunt ab Innocentio X. eæ propoſitiones, *Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum. Et opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa & defectu veniali.* Ratio ulterior eſt, quod delectatio nobis a Deo data non ſit ut actionum noſtrarum regula, ſed recta ratio, quam

qui

qui non ſequitur, eo ipſo non agit ut homo, ſed ut merum animal; ergo.

Prob. 3. ratione S. Thomæ hic q. 18. a. 9. quæ ſic proponi poteſt: Omnis actio otioſa eſt moraliter mala: atqui omnis actio quæ ad debitum finem non ordinatur eſt otioſa; ergo. Major & minor ſeorſim probandæ veniunt.

Prob. Itaque major. Non minùs actio otioſa eſt moraliter mala, quàm verbum otioſum, imò magis, cùm inactione otioſâ tempus tam inutiliter occupetur quàm in verbo otioſo, & aliunde jactura rei
In Pſal. 16. otioſæ major ſit quàm damnum verbi otioſi, quod inter creata quæcunque minimum reputari ſolet; unde S. Hieron. *Si de verbis otioſis redditur ratio, quantò magis de operibus?* Atqui verbum otioſum eſt moraliter malum, quandoquidem *reddent* homines *de eo rationem in die judicii*; non ſolùm propter diſcuſſionem, ut temerariè reſpondent quidam ex adverſariis, ſed propter condemnationem, ut patet ex verbis Chriſti immediatè ſequentibus: *Ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Unde Tertull. Lib. de patientia c. 4. *Traditum eſt in doctrinâ Chriſti, manere nos omnis vani & ſupervacanei dicti reatum*; ergo.

Prob. min. nempe quòd omnis actio eo ipſo quod ad debitum finem non refertur, otioſa ſit. Et id quidem evidens eſt ex terminis: actio enim non dicitur otioſa eo quòd malum habeat finem; ergo ideo ſolùm otioſa dicitur quia caret debito fine. Et hoc plerique Patres docent: Otioſum verbum, ait S. Hilarius, eſt verbum *ineptum & inutile*. S. Greg. Hom. 6. in Evang. *Otioſum verbum*, inquit, *eſt quod utilitate rectitudinis, aut ratione juſtæ neceſſitatis caret.* S. Cæſarius Hom. 30. *Si extra Eccleſiam occupari otioſis ſermonibus, malum eſt, quantò magis in Eccleſiâ?* S. Bernardus L. de triplici cuſtodiâ &c. *Otioſum verbum eſt, quod nullam rationabilem cauſam habet*; ergo pariter actio otioſa ea eſt quæ debito fine caret. Unde Matth. 20. operarii dicuntur otioſi, non quia nihil prorſus agerent, ſed quia nihil efficerent utile, & quod ad debitum finem poſſet ordinari.

Prob. 4. Si teneatur homo omnes actus ſuos ad Deum referre, jam certum eſt non dari actus indifferentes, quia boni erunt qui ad hunc finem referentur, mali verò qui non referentur: atqui tenetur homo actus ſuos omnes ad Deum referre. Qui enim *omnia* generatim & indiſtinctè, qui actiones etiam minimas in gloriam Dei facere tenetur, ille omnes actus ſuos ad Deum referre tenetur: atqui tenetur homo omnia generatim... Prob. min. ex celebribus S. Pauli verbis 1. Corinth. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*: atqui hæc verba nullam ne minimam quidem actionem excludunt, quæ non debeat ad Deum referri. Et ſi potus ipſe & eſus, & aliud quid ſimile, ad Dei gloriam ordinari debet, quantò magis aliæ majoris momenti actiones?

At, inquiunt, verba hæc non ſunt præceptum, ſed conſilium.

Contra 1. Apoſtolus utitur verbo imperativo *facite*, nihilque addit quo indicet ſe conſilium merum dare; ergo cenſendus eſt præceptum dediſſe, præſertim cùm id patiatur materia, nec ullæ obſtent circumſtantiæ. 2. in hiſce verbis verum agnovêre præceptum Patres. Sic Auguſt. Lib. de corrept. & gr. c. 3. *Præcipit Apoſtolus dicens: Omnia veſtra in charitate fiant.* Cœleſtinus I. *Omnia*, inquit, *ſtudia & omnia opera ac merita Sanctorum, ad Dei gloriam laudeſque referenda ſunt.* S. Maximus Hom. 2. de gratiis &c. *Chriſtianus ſemper debet Patri ac Domino ſuo laudes dicere, & in ejus gloriam omnia procurare, ſicut ait B. Apoſtolus: Sive manducatis, ſive bibitis &c.* S. Thomas Lect. 3. in cap. 3. Ep. ad Coloſſ. relatis hiſce Apoſtoli verbis, *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ſubjungit: *Quidam dicunt quòd hoc eſt conſilium, ſed hoc non eſt verum.* Hinc 1. 2. q. 21. a. 4. *Deus*, inquit, *eſt ultimus finis hominis. Eſt autem debitum ut ad finem ultimum omnes actus referantur.*

Obj. 1. cum Vaſque & aliis S. Hieron. qui ſic loquitur: "Bonum eſt continentia, malum luxuria, inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi „ſtercora... hoc non eſt bonum nec malum; ſive „enim feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam habe„bis, nec injuſtitiam." Unde ſic: Actiones de quibus hic loquitur S. Doctor verè ſunt indifferentes, cùm nec ad meritum ſeu juſtitiam, nec ad demeritum ſive injuſtitiam proſint: atqui actiones illæ non ſolùm conſiderantur in ſpecie, ſed etiam in individuo; hæc enim vox, *feceris*, denotat exercitium actionis in individuo, cùm actus non poſſit fieri niſi in individuo & ſingulari. Ubi ſupra.

℞. 1. Tranſeat major, quæ efficaciter non probatur, quia poteſt aliqua actio nec ad meritum nec ad demeritum inſervire, & tamen non eſſe indifferens, ſi nempè ſit ſolùm moraliter bona. De quo vide Tourn. de grat. tom. 2. quæſt. 4.

℞. 2. Dato quòd Hieron. hic ex propriâ ſententiâ loquatur, quod certum non eſt, ut probat Sylv. q. 18. a. 9. neg. min. Etſi enim loquatur S. Hieronymus de actione prout à parte rei exercetur, non reſpicit tamen niſi objectum ejus; & abſtrahit tum à fine tum à circumſtantiis; ut ab iis abſtrahit, cùm ait bonum eſſe continentiam, quæ tamen, ut in conjugatis, aliquando mala eſſe poſſet: unde ſenſus ejus eſt, *ſive feceris, ſive non*, id eſt præcisè quia feciſti vel non feciſti, nec juſtitiam habebis nec injuſtitiam; quamvis aliunde laude vel vituperio dignus ſis, prout ex rationabili causâ, & ex bono fine, atque in debitis circumſtantiis feciſti, vel non. Et vero alibi docet S. Doctor, hominem non de verbis tantùm, ſed de quibuſvis operibus rationem eſſe Deo redditurum; ergo ab hac ratione non excepit deambulationem.

Confirm. ex Epiſt. ad Cteſiphont. ubi S. Hieronymus hæc refert Pelagii verba, quibus Novator Eccleſiæ dogma de gratiæ ad actus ſingulos neceſſitate quaſi ridiculum explodere nitebatur. *Audite quæſo, audite ſacrilegium: Si voluero curare digitum, movere manum, ſedere, ſtare, ambulare, diſcurrere, ſputa jacere,... ſemper auxilium Dei mihi neceſſarium erit.* Sic verò vividè reſpondet Hieronymus: *Audi, ingrate, imò ſacrilege, Apoſtolum prædicantem: Sive manducatis, ſive bibitis &c.* Ergo vult S. Doctor ut non deambulatio ſolùm, ſed eæ etiam actiones quæ magis animales videntur, ad Dei gloriam referantur.

Atque hinc colliges eum peccare qui ſolius voluptatis causâ comedit, flores odoratur, campum innumeris variorum coloribus reſpicit, muſicæ cantibus demulcetur, uxore utitur &c. Ita docet S. Auguſt. 1. Lib. 10. Confeſſ. c. 33. *Cùm*, inquit, *mihi accidit, ut me ampliùs cantus quàm res quæ canitur moveat, me peccaſſe confiteor.* 2. Lib. de bono conjug. cap. 6. *Conjugalis concubitus*, inquit, *generandi gratiâ non habet culpam; concupiſcentiæ verò ſatiandæ, ſed tamen cum conjuge, propter fidem thori, venialem habet culpam.* Et c. 7. *Reddere debitum conjugale nullius eſt criminis, exigere autem ultra generandi neceſſitatem, eſt culpa venialis.* 3. Sanctus Thom. in 4. Sent. diſt. 31. q. 2. a. 2. *Duobus ſolis modis conjuges*

juges abſque omni peccato conveniunt, ſcilicet causâ procreandæ prolis, & debiti reddendi; alias ſempe ibi eſt peccatum ad minus veniale.

Obj. 2. Actus qui nec bonitatem nec malitiam contrahunt ex [illegible], fine & circumſtantiis, ſunt indifferentes in [illegible]dividuo: atqui dantur hujuſmodi actus. Actus enim qui fiunt ad ſublevandam levem naturæ indigentiam, ut ambulare, ſputa ejicere ad ignem frigoris abigendi gratia accedere, ſunt actus quorum 1. objectum nec bonum eſt nec malum moraliter: Nam ſublevatio naturæ, licet in ordine phyſico ſit aliquid boni, quia corpori convenit; eſt tamen indifferens ſi in ordine ad mores ſpectetur. 2. finis eſt etiam indifferens: qui enim ad ignem frigoris expellendi gratiâ accedit, per ſe loquendo non plus meretur, quam qui non accedit. 3. circumſtantiæ ſunt & ſupponuntur eſſe indifferentes; ergo.

℞. ad 1. neg. min. ad 2. nego actus de quibus agitur eſſe ratione finis indifferentes: vel enim fiunt propter ſolam voluptatem, & tunc includunt culpam venialem; ut ait S. Thomas; vel fiunt ut corpus functionibus ſuis magis habile fiat, & ideo mens promptius & melius ea quæ officii ſui ſunt peragat, & tunc ſortiuntur bonitatem à fine quem operans ultimatè intendit, ergo quocumque modo conſiderentur, non ſunt indifferentes.

Inſt. Si prædicti actus boni eſſe poſſent, poſſent voveri; rurſum ſi forent mali, deberent pœnitentes ſe de iis accuſare: atqui neutrum dici poteſt. Non primum; nam ridiculum eſſet & ſtultum vovere v. g. deambulationem ad ſublevandam levem naturæ indigendam. Non ſecundum, nemo enim eſt qui ſe de iis accuſet; nemo qui antequam quæſtionem hanc in Scholis tractari audierit, crediderit ſe peccare dum ſpueret, nares emungeret &c. niſi hæc honeſtum in finem referret; nemo qui his ſolis abſolutionem impendere auſit: atqui hoc fatentur adverſarii ipſi, cum candidè loqui volunt; ergo.

℞. neg. primam partem majoris, quæ moraliter loquendo falſa eſt; quia non omne bonum voveri poteſt, ſed id tantum quod eſt melius: porrò ii etiam actus qui boni ſunt, non ſunt meliores quam ipſorum omiſſio, ſed contra. Sic tametſi matrimonium ſit per ſe bonum & optimum, haud tamen communiter loquendo voveri poteſt, quia excludit ſtatum virginitatis, qui Deo acceptior eſſe ſolet. Dixi, moraliter loquendo, quia ſicut matrimonium in quibuſdam raris caſibus voveri poteſt, ſic & actus de quibus loquitur objectio, ob quaſdam cauſas quæ raro occurrunt voveri poſſent.

Ad ſecundam partem reſpondet Gonet his verbis; "Quia ſimiles actus ut plurimum ſine deliberatione ex ſola imaginatione fiunt, & ſi fiant cum „conſilio & deliberatione rationis, ad ſanitatem vel „honeſtam recreationem, vel naturæ quietem & „ſolatium virtualiter referuntur, regulariter ſunt „materia dubia. & ideo prudens Sacerdos raro debet his ſolum abſolutionem impendere, ſed monere pœnitentem ut de aliis, licet jam confeſſis, „quæ certò ſcit fuiſſe peccata, ſe accuſet." Adde quod multi ſint ex iis, qui Deum verè timent, qui ſæpius in die actus ſuos omnes Deo offerunt, & oblationem hanc ideotidem repetunt, ne interrumpatur: multi etiam qui ſe ut peccati reos habent cum illud pietatis officium omiſerunt.

Obj. 3. Illa opinio admitti non debet, quæ jugum imponit quod portari non poteſt: atqui talis eſt opinio noſtra. Quis enim hominum poteſt in ſingulis actibus, iis etiam qui animales ſunt, ut ſpuere, rectum finem ſibi ſemper proponere

℞. neg. min. Non enim requirit ut relatio *actualis* qua homo in actibus ſingulis de ultimo fine cogitet, quemadmodum qui Lugdunum tendit, non ſemper de Lugduno cogitare debet; ſed ſufficit relatio *virtualis*, quæ nimirum etiam deſiit eſſe præſens actu, manet virtute actualis præhabitæ, quæ nec revocata eſt per actum contrarium, puta peccatum, nec interrupta per longiorem temporis moram: atqui talis relatio ad quam ſatis eſt ut homo aliquoties in die ſuum benè operandi propoſitum renovet, viro Chriſtiano onerosior videri non debet, cum eo uſque progreſſi ſint vel ipſi Gentiles, ut eorum aliquis dixerit:

Ni ratio jubeat, digitum exere, peccas.

Obj. 4. Omiſſio divini Officii in Laico eſt indifferens, cum nullum ſit caput unde bonitatem vel malitiam haurire poſſit; ergo & actus poſitivus quo vult omiſſionem hanc eſt indifferens. 2. actus qui alioquin eſſet malus, ſed per ignorantiam invincibilem excuſatur, ut copula Jacob cum Lia, nec *Gen. 29.* bonus eſt, utpote qui circa materiam indebitam verſetur, nec malus cum nihil in eo ſit peccati. 3. qui bona fide exiſtimat dari actus indifferentes in individuo, & deambulando nullum ſibi bonum finem proponit, nec peccat cum agat juxta opinionem cujus falſitas inculpatè ignorari poteſt; nec benè agit, cum nec actu nec virtute bonum finem intendat; ergo.

℞. cum Sylvio ad 1. neg. ant. Omiſſio enim voluntaria (de qua ſola hic agi poteſt) actus non præcepti, vel eſt ſecundum rectæ rationis dictamen, & ſic eſt bona; aut non eſt rationabilis, & ſic eſt mala.

Ad 2. dico talem actum bonum eſſe, quia verſatur circa materiam quæ licet à parte rei indebita ſit, debita tamen eſt ſecundum prudens judicium rationis practicæ. Et vero an non peccaſſet Jacob ſi Liæ quam conjugem ſuam bona fide credebat, conjugele debitum denegaſſet; ergo contraria ejus actio ob eandem bonam fidem, bona judicari debet.

Ad 3. Reſpondent aliqui ſententiam quæ negat dari actus indifferentes, intelligendam eſſe quantũ eſt ex rei naturâ & per ſe loquendo, hoc eſt ſecluſa ignorantiâ invincibili, licet per accidens ob eandem ignorantiam fieri poſſit ut aliqui ſint actus indifferentes. Sicut licet bellum ex utraque parte juſtum eſſe non poſſit materialiter, fieri tamen poteſt ut duo Reges, ſicut & duo collitigantes, mutuo ſibi bellum indicant, nec peccent, quia uterque invincibiliter credit Provinciam v. g. de qua dimicant, ſuam eſſe, non alterius.

Melius reſpondetur fieri non poſſe ut hic occurrat ſaltem practicè ignorantia invincibilis, quia ratio fide præſertim adjuta evidenter dictat nemini unquam eſſe licitum otiosè & inutiliter operari.

Obj. 5, in Concilio Conſtantienſi damnata eſt hæc Joannis Hus propoſitio, *Nulla ſunt opera indifferentia: ſed hæc eſt diviſio immediata humanorum operum, quod ſint vel virtuoſa, vel vitioſa*; ergo admitti debet hæc contradictoria, aliqui ſunt actus indifferentes.

℞. diſt. ant. Damnata eſt in ſenſu Joannis Hus, conc. in ſenſu Catholicorum qui noſter eſt, nego. Contendebat Joannes Hus omnem & quemlibet actum, virtuoſum eſſe vel vitioſum, prout elicitur ab homine juſto, vel peccatore; quia, inquiebat, *vitium ſeu mortale peccatum inficit univerſaliter actus hominis vitioſi, & virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.* Hanc hæreſim me-

meritò proſcripſit Synodus Conſtantienſis, quia inter vitioſa hominis mali, & virtuoſa hominis juſti opera, dantur actus aliqui medii, qui nempe nec juſti ſunt, tametſi fiant ab homine juſto, cùm is aliquando venialiter peccet; nec vitioſi, tametſi fiant ab impio, quia is nonnunquam piè agere poteſt. At Synodus Conſtantienſis circa propoſitionem ipſam abſolutè ſumptam non pronuntiavit, cùm quæſtiones inter Eccleſiæ Catholicæ Theologos illæsâ fide agitatas dirimere non intenderit.

CONCLUSIO SECUNDA.

Ut actio ſit ex omni parte bona, neceſſe non eſt ut ad Deum propter ſe dilectum referatur, ſeu ut fiat ex motivo charitatis ſaltem initialis ſtrictè ſumptæ. Imò ſententia quæ relationem hanc requirit, *falſa eſt & erronea*, ut loquitur Gonet tom. 4 diſp. 1. de neceſſitate grat. a. 3. Aſſertionis noſtræ præcipua indicare fundamenta ſufficiet; ſed antea monere volo, hæc duo quæ aliquibus ſynonima videntur, operari *propter Deum propter ſe dilectum*, & operari *propter Deum tanquam ultimum finem*, mihi omnino diſtincta videri: actus enim ſpei Deum attingit ut ultimum finem, nec tamen tendit in eum propter ſe, id eſt propter abſolutam ejus bonitatem.

Prob. itaque 1. Si ut actio ex omni parte, atque etiam ratione finis bona ſit, & penitus immunis à peccato, requiratur charitatis ſupernaturalis influxus, omne opus liberi arbitrii ſibi dimiſſi peccatum erit ſaltem veniale; & ad nihil valebit libertas niſi ad peccandum: atqui omnino falſum eſt quòd opus omne liberi arbitrii ſibi dimiſſi ſit peccatum. Prob. min. 1. quia inter propoſitiones Baianas quas anno 1560. die 27. Junii notavit Facultas Pariſienſis, hæc propoſitio num. 4. *Liberum arbitrium ex ſe non poteſt niſi peccare, & omne opus liberi arbitrii ſibi dimiſſi eſt peccatum mortale vel veniale*, damnata eſt ſub hac cenſura, *Hæc propoſitio pro utraque parte eſt hæretica*. Iſta item, *Homo faciendo quod in ſe eſt peccat, & non poteſt non peccare faciendo quod in ſe eſt*, ſic confixa eſt: *Tota hæc propoſitio eſt hæretica*. 2. quia proſcripta eſt à Romanis Pontificibus hæc Baji propoſitio, *Liberum arbitrium ante gratiam nihil valet niſi ad peccandum*. Hanc etiam reprobavit Alexander VIII. *Omne quod non eſt ex fide Chriſtianâ ſupernaturali, peccatum eſt*. 3. quia cùm doctrinam hanc renovaſſet Monachus quidam Theologiæ Profeſſor, hanc ab eo fidei profeſſionem exegit, (nemine in Senonenſi Provincia reclamante) Epiſcopus Altiſſiodorenſis anno 1711. " Je reconnois „que la foi n'eſt pas tellement neceſſaire pour les „actions moralement bonnes, que ſans un commencement de foi & de charité, on ne puiſſe faire „aucune bonne œuvre morale d'un ordre naturel, „laquelle ne ſoit pas un peché au moins d'omiſſion, „à cauſe qu'on ne la rapporte pas à Dieu par quelque acte de charité au moins commencée."

Prob. 2. Si omnis actio ſine charitatis actualis influxu elicita ſit peccatum, peccabit qui ſolius æternæ mercedis intuitu operabitur: atqui dici non poteſt operationem illius qui actu nonniſi de mercede æternâ cogitat, peccatum eſſe. Minor patet ex Concilio Trid. Seſſ. 6. Can. 31. *Si quis dixerit juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur, anathema ſit.* Hinc damnata eſt ab Alexan-
an. 1696. dro VIII. iſta hæc propoſitio, *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.* Et hæc iterum, *Intentio quâ quis deteſtatur malum & proſequitur bonum, merè ut cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta nec Deo placens.*

At, inquiunt authores Epiſt. ad Illuſt. Archiep. Senonenſem, amor qui Deum ut mercedem noſtram reſpicit eſt amor charitatis; ergo probatio mox allata ex hac parte nutat.

℞. 1. Si res ita ſit, id ſolùm in præſenti puncto, nos inter & adverſarios erit diſcriminis, quòd ipſi nomine charitatis ſtrictè ſumptæ intelligant id quod nos ad ſolam ſpem, aut aliquid ſimile revocamus; unde tunc quæſtio de nomine ſolùm eſſe videbitur.

℞. 2. Falſum eſt charitatem ſtrictè ſumptam habere pro objecto mercedem. " Suppono tanquam „certum, *ait Gonet tom. 4. diſp. 10. de virtute charitatis a. 3.* objectum formale charitatis eſſe bonitatem divinam, non prout nobis bonam & commodam, ſed prout bonam Deo, ipſique convenientem... Nam in hoc amor concupiſcentiæ differt „ab amore amicitiæ, quòd ille terminatur ad bonum „quatenùs utile amanti; iſte verò bonum amici reſpicit prout illi conveniens eſt... hæc ſunt certa & „indubitata apud omnes." Aut ſaltem opinio hæc receptior eſt & communior, ut agnoſcebat an. 1698 Epiſcopus Carn. ſcribens contra Librum cui titulus, *Explication des maximes des Saints*. Et verò S. Th. p. 19. 2. 2. q. 23. a. 6. "Fides, *inquit*, & ſpes attingunt „quidem Deum, ſecundùm quod ex ipſo provenit „nobis *bonum*: ſed charitas attingit ipſum Deum, ut „in ipſo ſiſtat, non ut ex eo aliquid boni nobis proveniat; & ideo charitas eſt excellentior fide & „ſpe."

℞. 3. Dato quòd qui operatur intuitu mercedis æternæ, eliciat actum charitatis ſtrictè ſumptæ, at non elicit certè actum charitatis ſumptæ ſecundùm eam ſui partem quæ Deum ut in ſe, non autem ut nobis bonum conſiderat, quæque amor benevolentiæ dicitur; ergo nec tunc intentum ſuum habebunt adverſarii, qui amorem Dei propter ſe requirunt, & per amorem ſpei aut concupiſcentiæ ſolitariè ſumptum primum Decalogi præceptum impleri negant, aut negare debent ſi principiis ſuis ſtent.

Prob. 3. ex Concil. Trid. quod Seſſ. 14. cap. 4. declarat "illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati „conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, non ſolùm non facere „hominem hypocritam & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritûs ſancti impulſum... quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat. *Et Seſſ. 6. Can.* 8. Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei „de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando „abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores „facere, anathema ſit." Unde ſic: Timor de quo agitur in prædictis textibus non includit initium charitatis ſtrictè ſumptæ: atqui tamen timor ille ex omni parte bonus eſt; ergo ut actio ex omni parte bona ſit, ſufficit impulſus & motio Spiritûs ſancti à charitate diſtincta.

Major patet 1. quia Synodus Tridentina explicans quo motivo moveatur ille qui timet, non aſſignat charitatem, ſed conſiderationem turpitudinis peccati, aut gehennæ metum; ergo, ſaltem *communiter* loquendo, attritio non aliis ex motivis naſcitur, & à fortiori ex præſtanti charitatis ſtrictè ſumptæ motivo non producitur. 2. quia Lutherus contra quem editus eſt prædictus Canon, in expoſitione Articulorum quos Leo X. condemnaverat, diuque conſequenter ante Tridentin. Syno-

dum, declaraverat attritionem quâ hominem magis peccatorem fieri cenſebat, non eam eſſe quæ ex Dei amore proficiſcitur. Sic enim loquebatur an. 1520. in aſſertione omnium Articulorum per Bullam Leonis X. damnatorum : *Si dixerint*, inquit, *ſe loqui de contritione in charitate facta, jam Articulus nihil ad me ; non enim unquam ſic docui.* Et ſupra : Doceo *contritionem quantumlibet magnam, niſi fiat amore juſtitiæ, & (ut ipſimet* Catholici *dicunt) in charitate Dei, non eſſe veram ſed ſimulatam.* Et infra : *Donec ab amore legis incipiant pœnitere, ſeſe hypocritas eſſe* ſciant. Ergo ea ſolùm contritio Luthero diſplicuit, quæ non concipitur ex amore juſtitiæ, & ex charitate Dei ; ergo contritio quæ juxta Patres Tridentinos, quibus ignota non erat Lutheri apologia, ſupernaturalis eſt, & quatenus talis *ad juſtitiam* conducit, non includit amorem charitatis. Et verò propoſitio quam reprobat Synodus Trident. Seſſ. 14. cap. 4. totidem verbis deſumpta eſt ex Serm. 2. Lutheri de pœnit. ubi ne uno quidem verbo indicat eum à ſe reprobari timorem qui charitate habituali deſtitutus ſit. Eſto Novator plus aliquando in hoc puncto erraverit ; ſed varias erronei ſyſtematis partes reprobare potuit Synodus Trid. & de facto reprobavit Canonibus VII. & VIII. 3. quia uſque adeo loquuntur Patres de timore qui amorem non includit, ut dilectionis nomen è Concilii decreto quale primò conceptum erat, tolli & eradi voluerint. Cùm enim, ut refert Palavicinus Lib. 12. cap. 10. prius decretum ſtatueret attritionem etiam ex eo timore qui ſervilis dicitur, ſufficere ad Sacramenti Pœnitentiæ conſtitutionem, *cùm ſine aliquo dilectionis in Deum motu vix eſſe queat* ; monuit Æmilianus Tudetanus Epiſcopus, 1. falsò dici hujuſmodi dolorem ſine amore vix unquam concipi poſſe &c. *Quamobrem*, ait Palavicinus, *decretum ſicut nunc extat, reformatum eſt.* 4. quia propoſitio hæc, *Attritio quæ ex gehennæ metu concipitur ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus & ſupernaturalis*, ab Alexandro VIII. damnata eſt, indubiè quia Tridentino adverſabatur ; ergo pro certo habendum eſt timorem de quo loquitur Synodus Trident. abſtrahere ab amore Dei propter ſe.

Tom. 2. edit. Ienæ an. 1557. fol. 316.

Tom. 1. fol. 13.

Nunc probanda eſt minor, nimirum timorem hunc prout ab amore præſcindit, eſſe ex omni parte bonum. Probatur autem in hunc modum : Timor de quo loquuntur Patres Tridentini, non facit hominem hypocritam & magis peccatorem : atqui ſi timor ille non eſſet ex omni parte bonus, ſed malus defectu legitimi finis, jam hominem faceret magis peccatorem ; peccatum enim peccato additum, facit hominē magis peccatorem : atqui timor ille eſſet peccatum, defectu ſcilicet boni finis, peccato additum ; ſicut operire nudum, ſi fiat ex malo fine, peccatum eſt juxta S. Auguſt. ergo.

Et verò quod non eſt ex charitate, neceſſariò eſt ex cupiditate juxta adverſarios, apud quos *non ſunt niſi duo amores unde volitiones & actiones omnes noſtræ naſcuntur &c.* atqui timor de quo agimus non eſt à charitate ; ergo ſupereſt ut ſit à cupiditate, ſive ab eo amore qui eo ipſo quo omnia propter Deum non agit, *malus* judicari debet.

Prop. 44. Quenel.

Objiciunt 1. magnum illud præceptum : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex omnibus viribus tuis* : atqui præceptum illud non implet qui omnes actus ſuos ad Deum non refert ex motivo charitatis ; ſic enim aliquam cordis ſui, motuumque ſuorum partem abripit & tollit à præcepto quod omnes humani cordis motus comprehendit & exigit ; ergo.

Luc. 10. 27.

℞. 1. Argumentum hoc adverſùs eos à quibus proponitur militare. Docent enim eum qui in actione ſua tenue aliquod charitatis initium, ac debiliores amoris hujus ſcintillas habet, eatenus ab omni peccato immunem eſſe, de quo conſulatur Epiſtola Paſtoralis Epiſcopi. Antiſſiodorenſis p. 8. Sed qui naſcentia ſolum charitatis primordia habet, nec agit niſi ex debiliore ejus ſcintillâ, non poteſt dici tantum ac tale præceptum implere. An non enim magnam cordis ſui partem Deo ſubtrahit, qui non niſi exiguam ejuſdem portionem Deo porrigit ; An non *modus diligendi Deum, eſt diligere ſine modo*, ut bellè S. Bern. Tract. de diligendo Deo ; An non conſequenter & is quoque præcepti tam extenſi tranſgreſſor judicabitur, qui loco ignis exæſtuantis quo flagrare debeat, non niſi levem quæ vix fortis prodit, flammam experietur ; Imo an non peccabit quiſquis operabitur extra ſtatum charitatis habitualis, quæ primo Decalogi præcepto requiri videtur ; Ergo adverſariorum argumentatio nimis probat, ſicque nihil.

℞. 2. diſt. maj. Tenetur homo Deum diligere quantum poteſt, & ſecundum menſuram & naturam gratiæ quam Deus ipſi largitur : aut niſi obicem poneret, largiretur, conc. ſecus nego. Sic diſtincta min. neg. conſeq. Ut intelligatur ſolutio & infinitæ adverſariorum declamationes convellantur, duo ſufficiunt quorum veritatem agnoſcunt cæteri præter Janſenianos Theologi. 1. ut Deus non jubeat impoſſibilia, ſed ſimul præceptum & auxilium, legem & miſericordiam afferat. 2. ut non omnis quæ homini conceditur gratia, eundem ad idem objectum ferat, ſed alia aliquando ad fidem, alia ad timorem, alia ad charitatem magis aut minus provectam &c. Atqui hæc duo pro certis & inconcuſſis haberi debent 1. enim Deus non jubet impoſſibilia ; *nec enim impoſſibile aliquid potuit imperare qui juſtus eſt*, ait S. Cæſarius Arelat. de quo vid. Tract. de grat. 2. non omnis gratia ad eundem effectum proximè ordinatur ; hæc excitat ad timorem, illa ad initium fidei, alia inſpirat amorem Dei propter ſe, alia amorem Dei ut eſt bonum nobis conveniens ; uno verbo : ut docet Auguſtinus L. 1. ad Bonofacium c. 19. & L. de nat. & grat. c. 67. Deus humanas voluntates ad bonum faciendum movet *miris & multis modis*, qui ut rectè notat Cardinalis Noriſius, *non ita facilè* explicari poſſunt. Unde colligere eſt quam malè contendat author Examinis theologici in geminâ ad Epiſcopum Sanct. Epiſtolâ, omnem & quamlibet veram Chriſti gratiam, eſſe charitatem propriè dictam, ſaltem inchoatam ; quo ſemel poſito ſyſtemate, mahumetani, Athei cæterique Infideles qui *ſine Deo* vivunt, ſi quid à Deo gratiæ recipiant, ut eos aliquando ſaltem recipere in confeſſo eſt etiam apud nobiliores S. Thomæ diſcipulos, charitatis illius eximiæ qua Deus caſtè & gratuitò propter ſeipſum diligitur participes eſſe dicendi ſunt, quod quam abſurdum ſit nemo eſt qui non intelligat.

Apud S. Aug. in App. 5. Serm. 273.

Noriſ. vind. Auguſt. p. 19. edit. Lovan.

His poſitis, propoſita difficultas facilè vaneſcit. Dato enim quod per præceptum *Diliges*, teneatur homo ſingulos ſuos actus ad Deum referre, ad id non tenetur, niſi ſecundum præſentes quas habet vires, aut quas haberet, niſi poneret obicem gratiæ : atqui homo non ſemper habet gratiam charitatis ſtrictè ſumptæ quâ Deum propter ſe diligat, ſed aliter & aliter movetur à multiformi gratia Dei ; ergo non deſinit tunc adimplere præceptum de diligendo Deo, quia illud impletur ab iis etiam qui ſine charitate agentes ad charitatem ſe diſponunt, juxta id S. Thom. 1. 2. q. 100. a. 10. *Non eſt impoſſi-*

poſſibile hoc præceptum obſervare , quod eſt de actu charitatis , quia homo poteſt ſe diſponere ad charitatem habendam &c.

Cæterum ſolutio noſtra non rationi modò ſed & textui ipſi mirè congruit : præcipitur enim ut Deum diligamus ex totis viribus , ſeu ut habet textus Æthiopicus, *ex tota potentia quæ nobis* ineſt , ex omni *facultate & poſſibilitate.* Vid. Corn. à Lapide hic & ad cap. 6. Deuteron.

Inſt. Quod teneor facere ex præcepto charitatis , hoc teneor facere ex motivo charitatis : atqui &c.

℟. neg. maj. Nam ex præcepto charitatis teneor credere & ſperare , aliaſque diſpoſitiones ad charitatem neceſſarias habere,& tamen non teneor hoſce actus elicere ex motivo charitatis. Sic obligatus die Dominicâ ad ſacrum præcepto Religionis , teneor eodem præcepto è lecto ſurgere , nec tamen teneor ſurgere ex motivo religionis.

Obj. 2. citata Apoſtoli verba, "Sive manducatis,
1. Cor. 10. Coloſſ. 3. „ſive bibitis &c. *Et iterum* : Omne quodcunque „facitis in verbo aut in opere , omnia in nomine „Domini Jeſu Chriſti, gratias agentes Deo & Patri „per ipſum : " atqui hæc verba præceptum continent & quidem generale, quod impleri nequit, niſi homo actus ſuos ad Deum referat ex proprio charitatis motivo, ut docet S. Thomas.

℟. Neg. min. & dico 1. præceptum Apoſtoli generale non eſſe ; alioqui enim extendi deberet ad omnes prorſus homines , atque etiam ad Infideles negativos ; quod dici nequit, cùm ii qui de Chriſto nihil unquam audierunt , peccare quidem poſſint cùm actus ſuos ſaltem implicitè non referunt ad Deum creatorem , quem invincibiliter ignorare poſſunt ; ſed peccare non poſſint eoſdem actus non referendo, ſeu non faciendo *in nomine Domini Jeſu Chriſti* , quem invincibiliter ignorant. *Sententia Apoſtoli*, ait Sylvius in 2. 2. q. 10. a. 4. *eos ſolos obligat quibus fides Chriſti annuntiata eſt.* Idem dicit Eſtius in cap. 10. Epiſt. 1. ad Corinth. *Videtur* , inquit, *hoc præceptum pertinere non ad omnes homines, ſed ſolum ad Fideles.*

Dico 2. cum S. Thomâ ibid. & Sylvio, hominem Chriſtianorum teneri omnes actus ſuos in Deum referre , nec teneri tamen ſemper ad eos ex charitatis motivo referendos. Præceptum enim de diligendo Deo , non debet confundi cum præcepto de referendis ad Deum omnibus actionibus ; quia præceptum iſtud , *Diliges Dominum Deum tuum*, non continet univerſalitatem quam continet iſtud , *Omnia in gloriam Dei facite* : & propterea præceptum dilectionis cùm ſit affirmativum & ſine univerſalitate,non pro ſemper obligat ; præceptum verò de referendis omnibus ad Deum, licet ſit affirmativum , quia tamen continet univerſalitatem actionum , obligat pro omni tempore quo aliquid deliberatè operamur ; alioquin non omnia in gloriam Dei eſſent referenda , cùm ad eam non referentur quæ fierent eo tempore quo præceptum non obligaret.

Nec refert quòd dicit S. Thomas, ad præceptum dilectionis ex toto corde pertinere ut omnia in Deum referantur: inde enim ſequitur quidem præceptum dilectionis non poſſe impleri pro tempore quo obligat , niſi homo tunc omnia ſua in Deum propter ſe dilectum referat, ſed non inde ſequitur è converſo, neque id dicit aut ſignificat S. Thomas, quòd nullo modo poſſit quiſpiam omnia ſua referre in Deum,niſi etiam impleat præceptum dilectionis ; id eſt niſi agat ex motivo charitatis ſtrictè ſumptæ ; ſed ſufficit juxta S. Doctorem ,ut homo id omne quod facit, faciat propter Deum , ſive dilectum ſuper omnia & propter ſe, ſive ſolummodo fide cognitum & aliquo modo honorandum , aut propter ejus reverentiam. Sic propter Deum operantur , qui licet Deum non diligant ſicut oportet, aliqualiter tamen ei benè afficiuntur, & recuſant pejerare, fidem aut Chriſtum abnegare ; ſicut & illi qui Miſſam audiunt, jejunant, eleemoſynas largiuntur,quia Eccleſia ſic jubet , quia Chriſtianos ſic decet operari. Et juxta hunc ſenſum intelligenda videtur ſententia quæ aſſerit eſſe præceptum Chriſtianis omnia facere ſaltem virtualiter in gloriam Dei, ſeu propter Deum.

His conformiter, iſta Apoſt. 1. Cor. 16. ſententia, *Omnia veſtra in charitate fiant*, intelligi poteſt, aut de charitate quâ Deus propter ſemetipſum diligitur , & ſic rectè dici poteſt quòd hæc Apoſtoli ſententia , non contineat præceptum , ſed exhortationem & conſilium ; aut de charitate quâ ſic diligitur Deus , ut in eo opere quod propter ipſum fit , quodque ita bonum eſt, ut omni reprehenſione careat, nihil ipſi præponatur aut æquetur,& ſic omnia facere ex charitate præceptum eſt,quia omnia referri debent ad finem charitatis qui Deus eſt ; licet necdum fiant ex motivo charitatis illius quæ Deum propter bonitatem ſuam abſolutam diligit.

Solutio hæc quæ quoad ſenſum , & penè quoad verba traditur à Sylvio,penitus congruit iis quæ docet S. Thomas in eodem loco. En S. Doctoris verba, quibus toties abuſi ſunt Janſeniſtæ : "Ad 2. dicendum quòd ſub præcepto charitatis continetur, „ut diligatur Deus ex toto corde : ad quod pertinet „ut omnia referantur in Deum, & ideo præceptum „charitatis implere homo non poteſt , niſi etiam „omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat „parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi „hujus præcepti, quod eſt, Honora parentes, ſed ex „vi hujus præcepti , Diliges Dominum Deum tuum „ex toto corde tuo. Et cùm iſta ſint duo præcepta „affirmativa non obligantia ad ſemper, poſſunt pro „diverſis temporibus obligare : & ita poteſt contingere , quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum , non tunc tranſgrediatur „præceptum de omiſſione modi charitatis." Circa quæ liceat inſigniter malam Janſenianorum fidem carpere , qui centies textum hunc S. Thomæ citant, & centies corrumpunt , cùm cautè ſupprimant poſteriora ejus verba , hæc nimirum, *Et cùm iſta ſint præcepta affirmativa , non obligantia ad ſemper &c.* Ita inter alios noviſſimè Parochi & Canonici quidam Senonenſes in ſuâ ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum ſuum Epiſtolâ p. 4. Author Lib. cui titulus, *Reponſe au premier Avertiſſement &c.*

Sed his omiſſis , manifeſtum eſt ſanctum Thomam docere eum qui non ex motivo charitatis, ſed ex alio motivo etiam honeſto parentes honorat, aliquando peccare , aliquando non. Peccat, & quidem moraliter , ſi quo tempore urget præceptum charitatis , non honorat parentes ex ejuſdem charitatis motivo : peccat , inquam, non contra præceptum honorandi parentes , quia ſupponitur eos ex honeſto motivo colere , & aliunde præceptum honorandi parentes , nec obligat, nec obligare poteſt ad modum charitatis ; ſed peccat contra præceptum charitatis , quod tunc urgere ſupponimus , & quo proinde hic & nunc tenetur ad faciendum ex charitatis motivo id omne quod facit. At verò non peccat , ſi præceptum charitatis , quod utpote affirmativum non ſemper obligat , actu non obliget ; tunc enim neque peccat contra præceptum honorandi parentes , quos de facto honorat ; neque contra præceptum charitatis , quod tunc ſupponitur non obligare. Et verò ſi docuiſſet S. Thomas hominem hunc quacunque factâ

hypotheſi

hypotheſi peccare eùm parentes non honorat ex motivo charitatis, cenſuiſſet eum pro tunc mortaliter peccare, & à fortiori credidiſſet alias quæ minus honeſtæ ſunt hominis actiones, totidem eſſe mortalia peccata. Ratio eſt, quia juxta S. Thomam ibid. *Quicunque non ſervat præceptum* charitatis, *peccat mortaliter*. Atqui nemo eſt qui tam alienam opinionem S. Doctori attribuere auſit.

Objiciunt tandem plures S. Auguſtini, aliorumque Patrum textus, in quibus quidquid à charitate non proficiſcitur, ſterile & defectuoſum eſſe perhibetur. Sic Auguſt. L. de ſpir. & litt. c. 14. *Non enim fructus eſt bonus, qui de charitatis radice non ſurgit.* Lib. 4. contra Julianum cap. 3. *Sine amore Creatoris, nullis quiſquam bene utitur creaturis.* S. Gregorius Hom. 27. in Evang. *Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis*; ergo.

℞. 1. SS. PP. ſimilibus uſos eſſe verbis cùm alias virtutes, earumve actus commendaverunt. Sic S. Greg. Hom. 13. in Evang. *Nec opus bonum eſt aliquod ſine caſtitate.* Vah! quoties textum hunc citaſſent Queſnelliani, ſi S. Pater pro *caſtitate* dixiſſet *charitate*? Non minùs expreſsè de humilitate locuti ſunt, ut videre eſt in omnibus Libris qui de eâ virtute diſſerunt.

℞. 2. Nihil è voce *charitatis* quâ uſi ſunt SS. Doctores, multominus è voce *amoris* & *dilectionis* colligi poſſe, quia voces illæ in eorum Operibus uſurpantur 1. ad exprimendam charitatem habitualem, cujus tamen influxus ad actionem, ut à peccato vacet, ſine hæreſi requiri non poteſt. 2. ad exprimendum non ſolùm eum voluntatis motum quo mens Deum propter ſe diligit, ſed etiam quemcunque
Tom. 3. bonum animi affectum etiam naturalem. "Charitas, *ait Auguſtinus Serm. 349. de char. alias 52. de temp.* alia eſt divina, alia humana; alia humana licita, alia illicita... Ut ergo breviter inſinuem, licita eſt humana charitas, quâ uxor diligitur; illicita quâ meretrix vel uxor aliena... licitam ergo charitatem habete: humana eſt, ſed ut dixi licita eſt. Non ſolùm autem ita licita eſt ut concedatur; ſed ita licita, ut ſi defuerit, reprehendatur &c." His præmiſſis,

Vide S. Thomam 2.2 q 23. a.7. ℞. 3. diſt. Quod fit ſine charitate defectuoſum eſt, ſi fiat poſitivè contra charitatem, ut ſi quis frui velit creaturâ, conc. defectuoſum eſt ſi ſimpliciter fiat ſine charitate, ſubd. ſi fiat ſine charitate latè ſumptâ pro quolibet bono motu, & tendentiâ in debitum finem, conc. ſi fiat ſine charitate ſtrictè ſumptâ, iterum diſt. defectuoſum eſt quatenus nec meretur de condigno, nec ad æternæ vitæ comparationem ſufficere poteſt, conc. defectuoſum eſt, id eſt verè peccatum, nego. Ne unius quidem eſt ex iis textibus quos catervatim citat Ethica amoris, & alii, cui ſolutio hæc applicari non poſſit. Sed quia hoc ſigillatim oſtendere non licet per tempus, conſulat Lector Tractatum Theologicum Eminentiſſimi Cardinalis de Biſſy authoritate editum; item Epiſt. quintam Illuſt. Sueſſionis, nunc Senonenſis Archiepiſcopi.

ARTICULUS SECUNDUS.

De affectionibus moralitatis.

PEr affectiones moralitatis intelliguntur hic 1. ejus principia. 2. ejuſdem multiplicatio. 3. denique augmentum ipſius.

SECTIO PRIMA.

De principiis moralitatis.

PRincipia moralitatis ſunt ea omnia ex quibus fit, ut actus bonus ſit, aut malus, aut indifferens. Quæritur autem quot, & quænam ea ſint: cui quæſtioni ut ſatisfiat, ſit Vide S. Thomam hic q. 18. a. 2. 3. &c.

CONCLUSIO.

Tria ſunt moralitatis principia, ſcilicet objectum, finis, & circumſtantiæ.

Antequam probetur propoſitio, not. 1. objectum non ſumitur hic in tota ſua latitudine pro eo omni quod voluntati objicitur, ſic enim comprehenderet etiam finem & circumſtantias; ſed ſtrictè & propriè, pro re omni aut perſonâ quæ primò & per ſe ab actu attingitur. Hoc ſenſu res aliena eſt objectum furti, Deus objectum charitatis, & proximus homicidii. Porrò cùm objectum dupliciter concipi poſſit, vel materialiter & phyſicè, prout ens aliquod poſitum extra nihil, vel moraliter prout ab agente attingitur modo qui rectæ rationi conſentit, aut ab eadem diſcrepat; manifeſtum eſt objectum à quo actus moralitatem deſumit, non accipi phyſicè, ſed moraliter. Sic, ut benè Sylvius, objectum ex quo ſumptio cibi & potûs habet quòd bona ſit, non eſt cibus vel potus ſecundum ſe, ſed eſt ipſe conſideratus ut ſumitur modo qui rectæ rationi congruit. Sic etiam objectum unde furtum habet ut malum ſit, non eſt res aliena, præciſè ut res, ſed prout prohibet ratione ſubripiatur. Cæterùm multi refert, ſit-ne objectum intrinſecè & ex naturâ ſuâ rationi conforme, ut amor Dei; aut extrinſecè tantùm & vi legis poſitivæ, ut jejunium: quia in primo caſu objectum eſt invariabile, adeo ut ſit ſemper bonum aut malum, ut patet in actu charitatis, aut odii injuſti; in ſecundo autem caſu idem objectum bonum aliquando, aliquando malum ex circumſtantiis evadere poteſt.

Not. 2. Circumſtantia actûs, eſt accidens quoddam moraliter afficiens actum humanum jam conſtitutum in ſuo eſſe tum phyſico, tum morali. Eſt 1. *accidens*, quia eſt quid extrinſecum entitati actûs quæ ſine tali accidente concipi & ſubſiſtere poteſt, ſic locus ſacer eſt circumſtantia furti: atque id exprimit ipſum nomen circumſtantiæ, quo ſignificatur aliquid rei eſſentiæ extrinſecum. 2. *moraliter afficiens* &c. id eſt modificans actum in ordine ad rectam rationem, adeoque ipſi conferens aliquid bonitatis vel malitiæ accidentalis; alioqui poſſet quidem eſſe circumſtantia actûs humani quâ phyſicus eſt, ſed non quâ moralis. Sic eleemoſynam dare inimico eſt circumſtantia moralis, quæ actionem facit magis acceptam Deo; ſed eleemoſynam dare dextrâ manu vel ſiniſtrâ, nec nocet nec prodeſt moribus. 3. *jam conſtitutum* etiam *in ſuo eſſe morali*; quia objectum actûs dat ipſi primam moralitatem, & idcirco circumſtantia non niſi ſecundam dare poteſt. Circumſtantiæ actionis quas latiùs proſequemur agentes de peccatis, ſeptem recenſentur hoc verſu exprimi ſolitæ

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Not. 3. Licet finis una ſit è præcedentibus circumſtantiis expreſſa vocabulo *Cur*, de fine tamen particulariter agunt Theologi, quia finis præcipuè movet in actione, & ab eo potiſſimum deſumitur mora-

moralitas. Cæterum finis de quo agitur in præſenti, non eſt finis operis, is enim non diſtinguitur ab objecto; ſed eſt finis operantis, quique extrinſecus vocari ſolet. His præmiſſis, ut theſis probetur per partes.

Dico 1. actionem humanam habere moralitatem ſuam, eamque primariam ab objecto, ſpectato in eſſe morali. Ita S. Thomas & alii communiter.

Prob. 1. Ab eo actio ſuam habet moralitatem, à quo habet ut bona ſit aut mala, tum in genere, tum in ſpecie: atqui ab objecto habet actio ut bona ſit vel mala, tum in genere, ſi objectum concipiatur generaliter ut rectæ rationi conveniens, aut diſſentiens, juxta id Oſeæ 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt*; cum in ſpecie, ſi objectum conderetur ut bonum aut malum in hac vel illa ſpecie; ergo.

Confirm. Ab eo ſumitur ſpecifica moralitas actus, ratione cujus quædam virtutes & vitia, ac proinde eorundem actus, à ſe invicem ſpecie differunt: atqui quædam virtutes ſicut & vitia ac proinde ipſorum actus, à ſe invicem ſpecie differunt ratione objecti circa quod verſantur. Sic virtutes theologicæ ſpecie differunt à moralibus, quod theologicæ Deum habeant pro objecto, non autem morales: ſic etiam homicidium & adulterium ſpecie diſtinguuntur, eo quod illorum objecta ſpecie diſcrepent; ergo actus moralis ſuam moralitatis ſpeciem deſumit ab objecto, ac proinde bonitas moralis quæ ab objecto deſumitur eſt bonitas ſpecifica, quia per eam actus conſtituitur in certa ſpecie. Unde, ut notat Sylvius hic a. 2. quod dici ſolet actum *ex objecto* bonum, eſſe bonum *ex genere ſuo*, ſic accipiendum eſt ut in hujuſmodi ſermone genus pro ſpecie ſumatur, quomodo dicimus genus humanum, totam humanam ſpeciem. Ab objecto tamen haberi poteſt bonitas propriè generica, cum objectum concipitur ut rationi conveniens, ſed modo generali, & abſtrahendo ab hac vel illa ſpecie, ſeu ſpeciali modo conveniendi cum recta ratione.

Quod autem moralitas quam actus ab objecto deſumit, ſit primaria & eſſentialis patet, quia illa moralitas primaria dici debet quæ actui ante aliam quamcumque convenit, & quæ etiamſi aliæ mutentur, ſemper eadem remanet: atqui moralitas ab objecto ſumpta ante aliam quamcumque actui convenit, cum actus ſine eâ concipi non poſſit, benè vero ſine aliis; & aliæ mutari poſſint, iſta vero nunquam mutetur. Sic furtum eo ipſo quo intelligitur verſari circa rem alienam injuſtè poſſidendam, malum eſſe concipitur ſine ordine ad ullas circumſtantias; & quidquid ſit de mutatione circumſtantiarum, de fine, de motivo, furtum rationi diſconveniens eſt; & ut tale intelligitur eſſe malum.

Quod demum moralitas non ſumatur ab objecto in eſſe rei, ſed in eſſe moris ſpectato, ſequitur ex iis quæ prænotata ſunt; & patet, quia diverſi actus voluntatis quorum alter bonus ſit, alter malus, poſſunt ferri in idem objectum ſecundum *eſſe rei*, & entitativè ſpectatum. Sic eadem pecunia, poteſt eſſe objectum furti & reſtitutionis; eadem fœmina objectum adulterii, & actus conjugii &c.

Obj. 1. Moralitas actus non ſumitur ab eo quod nullam habet moralitatem: atqui dantur objecta quædam, quæ nullam ex ſe ipſis moralitatem habent, ut videre eſt in deambulatione, quæ ratione ſui nec bona eſt mala; ergo.

℞. 1. conc. totum, quia cum dicimus moralitatem deſumi ab objecto, intelligimus eam deſumi ab objecto quando de ſe bonum eſt aut malum; ſi vero ſit indifferens, moralitas repetenda eſt, vel à fine, vel à circumſtantiis quæ efficiunt ut qui objectum illud amplectitur, hic & nunc benè vel malè agat.

℞. 2. neg. min. Si quæ enim objecta omni eſſent moralitate deſtituta, ea maximè quæ indifferentia ſunt: atqui talia objecta non omni carent moralitate, quia indifferentia ipſa haberi poteſt pro ſpecie moralitatis. Illud enim eſt ſpecies moralitatis quod ſubjicitur legi: atqui indifferentia legi ſubjicitur, ſcilicet permittenti; quatenus lex permittit ut vir prudens amplectatur objectum quod ex ſe malum non eſt. *Quidam* actus, ait S. Thomas 1. 2. q. 92. *ex genere ſuo* ſunt *indifferentes*, *& reſpectu horum lex habet permittere.*

Obj. 2. Amor proximi mali, eſt actus bonus; ſed proximus malus eſt objectum malum; ergo actus non deſumit bonitatem ab objecto.

℞. diſt. maj. Amor proximi mali ut proximi, eſt actus bonus, conc. proximi ut mali, nego. Porrò proximus quà talis, eſt objectum bonum.

Obj. 3. Odium Dei eſt actus peſſimus: atqui tamen objectum hujuſce actus, Deus ſcilicet, eſt bonum & optimum.

℞. diſt. min. Eſt bonum in ſe & à parte rei, conc. eſt bonum prout ſubeſt odio, nego. Non enim odio habetur, niſi quia judicatur crudelis, injuſtus &c. objectum autem quod ut tale percipitur, percipitur ut malum.

Obj. iterum. Actus humanus debet ſumere primariam ſuam moralitatem ab eo, quod primo reſpicit: atqui primo reſpicit finem, cum non velit objectum niſi propter finem, qui proinde ante objectum volitus eſt; ergo.

℞. diſt. maj. Actus humanus debet ſumere, primariam ſuam moralitatem ab eo quod primo reſpicit intrinſecè & eſſentialiter; conc. quod primò reſpicit extrinſecè & accidentaliter, nego. Itaque actus humanus primò reſpicit finem, ſed ut aliquid extrinſeci, adeoque ab eo non deſumit niſi moralitatem extrinſecam: verum idem actus primariò & intrinſecè reſpicit objectū ſuum, illudque ſemper reſpicit, ſive varietur finis operantis, ſive non; ergo ab eo deſumere debet bonitatem ſuam intrinſecam, quæ quatenus intrinſeca eſſentialis eſt, & per conſequens neceſſario primaria. Plura videris apud Gonet p. 220.

Duo hic notanda. 1. ut actus ſit bonus moraliter, neceſſe eſt ut voluntas ſaltem confusè feratur in objectum bonum & honeſtum. Hinc qui ex ſolo humanæ æſtimationis comparandæ deſiderio reddit alteri quod ſuum eſt, facit quidem actum objectivè bonum, ſed non bonum moraliter, quia non agit propter ipſam honeſtatem, ſed propter ſolam delectabilitatem, à quâ actus habere non poteſt quod ſit moraliter bonus 2. ut actus ſit moraliter malus, non requiritur ut ipſa objecti malitia directè intendatur; alioqui nemo aut penè nemo peccaret, cum omnes delectationem quærant, nulli aut fermè nulli malitiam velint, quam pleriqque ab actu malo, ſi fieri poſſet, procul abeſſe vellent.

Unum addam, quod ſcilicet quamvis præcedens theſis benè defendi poſſit, ut ex dictis patet rectius tamen loqui videntur, qui actuum moralitatem deſumunt non ab objecto, ſed à modo tendendi in ipſum, ita ut bona ſit actio quæ modo rationi conſono objectum attingit, mala quæ ſecùs. Ita facilè explicatur cur amor Dei bonus ſit, odium vero ejus peſſimum. Hinc illud Auguſt. L. 15. de Civ. Dei c. 22. *Omnis creatura cum bona ſit, & bene poteſt amari, & male; benè ſcilicet ordine cuſtodito, male autem ordine perturbato.*

Dico

Dico 2. Actus humani tam interni quam exteriores bonitatem aut malitiam deſumunt à circumſtantiis.

Prob. 1. ex Marc. 12. ubi *vidua pauper* quæ in gazophilacium *miſit duo minuta*, præfertur divitibus qui ſummas majores dederant; ergo actio viduæ hujus ex paupertatis circumſtantiâ nobilior & ſanctior facta eſt. Atque idem de ſincero ejus deſiderio videtur eſſe dicendum.

Prob. 2. Si circumſtantiæ nullam actibus etiam merè internis moralitatem impertirent, Eccleſiæ clavibus ſubjici non deberent, quia actus ex iis nec melior fieret nec deterior: atqui tamen ſubjici debent ex Trid. Seſſ. 14. c. 5. ubi ait *eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant: quod ſine illis peccata ipſa a pœnitentibus integre non exponantur.* Atqui hæc ratio oſtendit ipſas etiam actuum internorum circumſtantias in confeſſione aperiri debere; neque enim iis ſuppreſſis pœnitentes peccata ſua ſatis exponerent. An enim ſatis peccati ſui gravitatem exprimeret, qui ſignificans ſe iniqua circa uxorem proximi habuiſſe deſideria, reticeret ſe ea voluiſſe in templo Domini implere.

Prob. 3. Dantur actus alii aliis meliores aut pejores, licet idem habeant objectum eundemque finem tum operis, tum operantis: atqui tales actus neceſſario bonitatis aliquid aut malitiæ deſumunt ex circumſtantiis. Min. patet, prob. maj. Actio illius qui nummum furatur in templo ad ſubveniendum inopiæ ſuæ, pejor eſt quam ſi extra templum fieret: pariter actio illius qui pauperi Sacerdoti eleemoſynam erogat, cæteris paribus ſanctior eſt, quam actio ſtipem erogantis Laico; ergo.

Obj. 1. cum Durando: Si circumſtantiæ tribuerent bonitatem aut malitiam objecto, maximè cum volitæ ſunt: atqui circumſtantiæ cum volitæ ſunt, jam pro circumſtantiis haberi non debent. Quod enim tranſit in rationem objecti, pro circumſtantia haberi non poteſt; ſed circumſtantiæ cum volitæ ſunt, tranſeunt in rationem objecti: ſicut enim omne quod viſum eſt, eſt viſionis objectum, ita omne quod volitum eſt, eſt volitionis objectum; ergo.

Ex hac objectione patet quæſtionem quæ nos inter & Durandum movetur, eſſe de nomine, quatenus ad objectum revocat, quod nos ad circumſtantias pertinere dicimus. Quapropter ne in quæſtionibus de verbis hæreamus, quos magis ſeria manent,

℞. ad 1. & 2. neg. min. Etſi enim circumſtantiæ prout volitæ ſunt, dici poſſint objectum voluntatis latiori ſenſu, non tamen ſtrictiori illo ſenſu quo nunc loquimur. Objectum enim ſtrictè ſumptum, eſt illud ſolum, quod primo & per ſe objicitur actui, & ab eo primario attingitur; non autem quod attingitur ſecundario tantum, & per modum acceſſorii: atqui circumſtantiæ non attinguntur niſi ſecundariò, Furans enim in templo, non primariò reſpicit locum, ſed de re ſola ſollicitus eſt, cum ab hac non ab illo moveatur. Exemplum viſionis non probat, cum viſio actus ſit corporeus, æqualiter reſpiciens quidquid ſibi obvertatur: actus vero voluntatis, utpote à mente liberâ dependens, non æqualiter in eadem fertur objecta, ſed in alia primario, in alia ſecundario tantum.

Si quis tamen, ut ii faciunt qui exultant in rebus peſſimis, non tendat in objectum ſimpliciter, ſed in objectum ut tale, v. g. in vas ut ſacrum, aut in pecuniam alienam, ut ea ad fornicandum utatur, facilè confitebor, hujuſmodi circumſtantias tranſire in rationem objecti, Et hac de cauſâ monent aliqui, id quod eſt circumſtantia reſpectu actus ſecundum unam rationem conſiderati, eſſe eſſentiale reſpectu ejuſdem ſecundum aliam rationem ſpectati. Sic res ſacra, quæ eſt circumſtantia reſpectu furti præcisè, eſt quid eſſentiale ipſius quatenus ſacrilegium eſt.

Obj. 2. Quod dat moralitatem intrinſecam actui, debet eſſe eidem actui intrinſecum: atqui multæ ſunt circumſtantiæ, quæ actui non ſunt intrinſecæ, ut locus & tempus; ergo.

℞. neg. maj. Objectum enim eſt actui extrinſecum, & tamen moralitatem intrinſecam eidem communicat. Ratio ulterior eſt, quia ordo quem actus dicit ad objectum aut circumſtantias eſt eidem actui intrinſecus, ſive eſſentialiter, ſive non: porrò ex ordine hoc intrinſeco, naſcitur moralitas intrinſeca.

Quæres quotuplicis generis ſunt circumſtantiæ.

℞. 1. Aliæ dant actui primam & eſſentialem ſpeciem in genere moris, ut cum actus qui ratione objecti non pertinebat, aut ſaltem tali modo non pertinebat ad mores, ad eoſdem pertinere incipit ratione circumſtantiæ: ſi v. g. actus de ſe indifferens, ut ambulatio, fiat ex circumſtantiis bonus aut malus; aut ſi actus eam ex circumſtantiis acquirat moralitatem, quam non habebat ex objecto, v. g. eleemoſyna data humanæ laudis intuitu. In hoc caſu circumſtantia, ut modo dictum eſt, non manet circumſtantia, ſed induit rationem objecti, quia primum eſt objectum à quo actus habet primam ſuam ſpeciem moris. Aliæ vero circumſtantiæ ſupponunt in actu aliquam ſpeciem ad mores pertinentem, ut circumſtantia loci ſacri; quæ in actu ſupponit ſpeciem furti, & ei dat ſpeciem ſacrilegii, & eæ propriè vocantur circumſtantiæ.

2. Circumſtantiæ aliæ ſunt formales, eæ ſcilicet quæ ſe tenent ex parte actus, ut intenſio, remiſſio, libertas, metus in actione &c. Aliæ objectivæ, ſunt, quæ ſe tenent ex parte objecti, ut major vel minor quantitas furti, circumſtantia loci, temporis, perſonæ circa quam aliquid agitur.

3. Circumſtantiæ tum formales tum objectivæ, duplicis iterum generis diſtinguuntur: aliæ mutant ſpeciem actus, aliæ non mutant. Circumſtantiæ ſpeciem mutantes eæ ſunt, quæ actui morali addunt, dant aut adimunt moralitatem ſpecie diverſam ab ea quam ab objecto ſuo immediatè deſumit. Sic circumſtantia loci *addit* furto novam malitiæ ſpeciem, quam de ſe non habet. Sic circumſtantia *Cur*, in eleemoſyna factâ puellæ ad corrumpendam ejus pudicitiam, *dat* actioni de ſe bonæ novam moralitatis ſpeciem. Sic in homicidio commiſſo cum moderamine inculpatæ tutelæ, circumſtantia *Quomodo* totam *adimit* malitiam homicidii. Circumſtantiæ quæ ſpeciem non mutant, eæ ſunt quæ augendo vel minuendo afficiunt objectum actus ſub eadem moralitate quam ex natura ſua habet, ut intenſio, remiſſio, quantitas, duratio, metus, ignorantia, ex quibus actio magis aut minus vituperio vel laude digna efficitur. Ex iis circumſtantiis una eſt, nempe duratio, circa quam Confeſſarii non ſatis interrogant pœnitentes.

4. Circumſtantiæ quæ ſpeciem non mutant phyſicè, poſſunt eam mutare theologicè & demeritoriè. Sic furtum magnum & parvum, licet non differant ſpecie phyſica, nec morali abſoluta, quatenus eidem juſtitiæ virtuti opponuntur, differunt tamen theologicè & demeritoriè, quatenus furtum grave meretur gratiæ & gloriæ privationem, non autem leve. Hinc tales circumſtantiæ in confeſſione aperiri debent; plus enim peccat qui cum ſorore,

quam

quàm cum conſanguineâ in tertio vel quarto gradu crimen committit, licet utrobique ſit eadem mali ſpecies, nempe inceſtus; plus etiam peccat qui aureos centum, quàm qui decem ſubripit. Quod ſi circumſtantiæ non notabiliter, ſed leviter tantùm malitiam adaugeant, non aliter neceſſarium eſt eas confiteri quàm peccata venialia. Cætera in Tractatu de peccatis.

Dico 3. Moralitas actuum humanorum etiam deſumitur à fine.

Prob. Ab eo deſumitur moralitas actûs, quod facit actum ex indifferente bonum vel malum, ex malo pejorem, ex bono malum, vel meliorem: atqui finis facit actum 1. ex indifferente bonum vel malum: ſic deambulatio mala eſt ſi fiat v. g. luxûs oſtentandi causâ, bona verò ſi fiat ut quis liberiùs deinceps Deo famulari poſſit. 2. facit actum ex malo pejorem, ut ſi quis furetur quo poſſit lautiùs vino indulgere. 3. facit actum ex bono malum, ut ſi quis jejunet eo fine ut hominibus appareat jejunans: vel ex bono meliorem, ut ſi quis eleemoſynam eroget ut peccata ſua redimat; ergo.

Quæres an actus malus bonum in finem relatus deſinat eſſe malus: an v. g. peccet qui mentitur ut innocenti vitam conſervet.

℞. 1. Actum hunc eſſe reipsâ malum, & prob. 1.
Rom. 3. quia Apoſtolus eos damnat qui dicunt, *Faciamus mala, ut eveniant bona.* 2. quia ad malitiam moralem ſatis eſt ut deſit vel unicum eorum quæ debentur actui, ſecundùm vulgatum S. Thomæ axioma, *Bonum ex integrâ causa, malum ex quolibet defectu*; ergo ubi medium eſt malum, actus ſimpliciter malus eſt. 3. quia ex Alexand. III. c. 4. de uſuris *Scriptura ſacra prohibet pro alterius vitâ mentiri.* Quod expreſsè repugnat iis quæ docet Caſſianus Collat. 17. c. 17.

Dices: Matth. 6. habetur, *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus lucidum erit*; atqui per oculum intelligitur intentio, actio verò per corpus. Unde S. Ambroſius L. 1. Offic. c. 30. *Affectus tuus nomen imponit operi tuo.* Et Auguſt. Præfat. in Pſal. 31. *Bonum opus intentio facit.* Hinc recepta hæc ſententia, *Quidquid agunt homines, intentio judicat omnes.*

℞. Ex his Scripturæ vel Patrum textibus nihil concludi contra nos, quia intentio non eſt ſimplex niſi cùm eſt recta, non eſt autem recta niſi bonus finis intendatur & benè: atqui bonus finis non intenditur benè, niſi cùm per media licita intenditur; ergo &c. Hinc Chriſtus eos damnavit qui Apoſtolos perſequebantur, exiſtimantes *obſequium ſe præ-*
Joan. 16. *ſtare Deo.* Vide Gonet p. 250.

Dices iterum: E duobus malis eligendum eſt minus; ergo ſi vel mentiendum ſit, vel auferenda innocenti vita, poteſt & debet eligi mendacium.

℞. Neg. conſeq. Neque enim proximi mors, eſt malum reſpectu tui, cum nonniſi mendacio vitam ejus conſervare potes: adeoque non teneris inter duo mala eligere, ſed ab omni malo abſtinere.

Reſp. 2. Minuitur tamen malitiâ actûs mali, cùm ad finem bonum dirigitur. Ita S. Thomas 2. 2. q. 110. a. 2. *Quantò,* ait S. Doctor, *bonum intentum eſt melius, tanto magis minuitur culpa mendacii.* Præiverat Auguſt. L. contra mendacium c. 8. ubi *pejor* dicitur *qui concupiſcendo, quam qui miſerando furatur.* Ratio ulterior eſt, quia peccati gravitas deſumitur ex affectu ad peccatum: porrò ubi actus malus bonum ad finem ordinatur, minor eſt ad peccatum affectus; quia tunc non tam amatur id quod in peccato placere ſolet, quàm ratio utilitatis quæ in eo detegitur relativè ad bonum quod procurare poteſt.

Objiciuntur præcipuè tria. 1. Auguſtinus qui ſic loquitur: *Etiamſi* fur *totum* pauperibus *tribuat quod* Hom. 7.
abſtulerit, addit potiùs peccata quàm minuit. 2. intentio illius qui actum malum in bonum finem ordinat, non eſt recta; ergo actûs malitiam minuere non poteſt. 3. ſi finis bonus malitiam operis minuat, finis optimus eam auferet totam, quod falſum eſt. inter 50.

Verùm hæc facilè ſolvuntur. Nam 1. ideo qui ex furto eleemoſynam dat, peccata peccatis ingeminat, quia conjicit ſe in impotentiam reſtituendi: alioqui enim leviùs peccaret, etiam juxta Auguſtinum qui loco jam citato ea peccata agnoſcit *in ſuo genere aliis ejuſdem generis peccatis leviora* fieri, *quæ bono animo videntur admitti.*

2. Verum quidem eſt rectam non eſſe omni ex parte intentionem illius qui per medium illicitum ad bonum finem tendit; at eo ſaltem ſenſu minùs iniqua eſt, quòd medium illicitum non amet niſi ſub ratione honeſtâ, & quatenus ipſum apprehendit ut ad bonum finem utile.

3. Bonitas finis quantocunque in gradu ſupponatur non impedit ne medium quod illicitum eſt, reverâ maneat illicitum; ergo totam ejus malitiam auferre non poteſt.

SECTIO SECUNDA.

De multiplicatione moralitatis in eodem actu.

DUó hic quæruntur. 1. an unus & idem numero actus, ut una eademque eleemoſyna; poſſit ſimul habere duas oppoſitas moralitatis ſpecies, id eſt bonitatem ſimul & malitiam, aliam quidem ex unâ parte v. g. ex objecto, aliam autem ex aliâ parte, putà ex fine. 2. an ſaltem unus idemque actus poſſit duas habere moralitates ejuſdem generis, v. g. duas bonitatis aut malitiæ ſpecies. Ut certa ab incertis ſecernantur,

Not. 1. Conveniunt penè omnes contra Gabriëlem, eundem numero actum poſſe ſucceſſivè eſſe moraliter bonum malum, & econtra. Sic poteſt aliquis velle veſci carnibus tempore licito, & volitionem hanc eo etiam tempore continuare quo carnium eſus illicitus ſit: atqui tunc unus eſt idemque actus in genere phyſico, cùm, ut ſupponitur, interruptus non ſit; & tamen diverſus eſt in eſſe moris, tranſitque ab unâ moralitatis ſpecie in aliam.

Not. 2. Certum etiam eſt eum qui è duobus quæ ſimul concurrerent præceptis, graviori neglecto ſciens & volens minus obſervaret, eliciturum eſſe actum ſimpliciter malum; quia peccat qui non facit id quod Deus vult ab ipſo fieri: atqui juxta S. Auguſt. vult Deus *ut potius potiora, & minus minora diligamus*; ergo.

Not. 3. Et id quoque extra controverſiam eſt. 1. circumſtantiam moraliter malam totum actum vitiare, ut ſi quis non celebret Sacrum niſi ut lucrum habeat. 2. actionem intrinſecè & ratione objecti malam, non poſſe ullâ cohoneſtari circumſtantiâ, unde ſtatim inferebamus eum ſemper peccare qui mentitur ut proximo vitam conſervet. Quæſtio igitur procedit de intentione aliave circumſtantia venialiter mala, an totam actûs cui jungitur ſubſtantiam ita corrumpat, ut in eo actu unica ſolùm reperiatur moralitas, eaque mala, quæ totam objecti de ſe boni bonitatem auferat. Quæ difficultas ut ſolvatur, adhuc notandum eſt malam circumſtantiam actioni de ſe bonæ dupliciter annecti poſſe. 1. antecedenter cùm in actum influit ut cauſa ipſius, ſi quis v. g. jejunet ut hominum laudes aſſequatur. 2. concomitanter, cùm nempe actioni de ſe bonæ &

bonum in finem directæ accedit in operis decurſu mali; ut ſi quis inchoato bonum in finem jejunio, gloriam inanem inter jejunandum concipiat, vel aliqua veniali impatientia, tædio parvo, diſtractione afficiatur. His præmiſſis ſit

CONCLUSIO PRIMA.

In actu qui bonus eſt objectivè, malus verò ratione finis, unica eſt moralitas, nempe finis malitia quæ in objectum ejus redundat, ejuſque bonitatem moralem omnino deſtruit. Ita S. Thomas in 2. diſt. 38. q. 1. a. 4. *Cum aliquis*, inquit, *vult dare eleemoſynam propter inanem gloriam, hic eſt unus actus voluntatis, & hic actus totus eſt malus, licet non ab eo omne quod in eo eſt malitiam habeat.* Vide Gonet diſp. 4. p. 229.

Matt.6. Prob. 1. ex Scripr. Qui orant, jejunant, ſublevant pauperes, ut videantur ab hominibus, *receperunt* *Conc.12. in Pſ.118.* *mercedem ſuam, vani vanam*, ut breviter explicat Auguſtinus: atqui ſi mala intentio non vitiaret ſubſtantiam eorum orationis, jejunii &c. poſſent aliam mercedem recipere, ut per ſe patet.

At, inquies, actus præcedentes fiebant ex hypocriſi, quæ, cum peccatum ſit mortale, non mirum eſt ſi vitiet illud omne cui admiſcetur.

℞. Hypocriſis quam increpat Chriſtus, multoties ſaltem debuit eſſe venialis, cùm qui humanæ laudis intuitu operantur, ſæpe non peccent niſi venialiter. Et certè cùm verba Chriſti generalia ſint & indiſtincta, cur abſque neceſſitate reſtringentur ad eam ſolam hypocriſim, quæ peccatum eſt mortale?

Prob. 2. Si actio illius, qui ob vanam gloriam mendico ſtipem erogat, bona eſſet, utique ratione objecti: atqui hæc actio ne ratione quidem objecti bona eſt. Ut enim hæc actio non ſit etiam objectivè bona, ſufficit ut objectum actionis hujus non ſit eleemoſyna ſimpliciter, ſed eleemoſyna prout ad malum finem relata, quæ ut talis non poteſt eſſe moraliter bona: atqui objectum talis actionis non eſt ſimpliciter eleemoſyna, ſed eleemoſyna prout ad finem malum ordinata. Hæc enim actio cùm ſit electio, habet pro objecto medium non in ſe ſimpliciter, ſed ut conducens ad finem; ergo objectum ejus non eſt purè eleemoſyna, ſed eleemoſyna materialiter ſumpta & prout peccati inſtrumentum, quod ſanè malum eſt.

Prob. 3. Circumſtantia mala quæ influit in objectum de ſe bonum, eſtque cauſa ſeu motivum cur objectum illud ponatur, tranſit in rationem objecti, ut benè docet S. Thom. hic q. 19. a. 5. ad 4. atqui non poteſt tranſire in rationem objecti, niſi deſtruat bonitatem, quæ ex objecto ſumenda erat. Eo enim ipſo quo tranſit in rationem objecti, tranſit in rationem ſpecificativi, quia actus ſpecificantur ab objecto in moralibus: eo autem ipſo quo tranſit in rationem ſpecificativi, deſtruere debet bonitatem, quæ ex objecto deſumenda erat; alioqui duplex in eodem actu occurreret ſpecies ſeu eſſentia prorſus oppoſita, quod nemo dixerit.

Prob. 4. Actus qui non dirigitur, ſeu, ut ajunt, non regulatur per rectæ rationis dictamen, non poteſt eſſe etiam inadæquatè & partialiter bonus: ſed electio medii de ſe boni ad finem malum, non dirigitur à rectâ ratione; quia recta ratio præcipit ut bonum benè fiat, & ut malum cenſeatur quidquid malè fit: porrò bonum ex malo fine, maloque motivo factum, malè fit; ergo.

Obj. 1. Ibi duplex eſt moralitas, ubi bonitas objecti non deſtruitur per malitiam finis: atqui in actu eleemoſynæ ob vanam gloriam datæ bonitas objecti non deſtruitur per malitiam finis. Quod enim non impedit, quominùs objectum remaneat bonum, illud non deſtruit objecti bonitatem: atqui malitia finis... Finis enim eſt quid extrinſecum reſpectu objecti: atqui quod extrinſecum eſt objecto, hujus naturam mutare non poteſt; ergo objectum ſemper remanet bonum, adeoque duplex occurrit in eodem actu moralitas.

℞. Ad 1. & 2. neg. min. ad 3. diſt. maj. Finis eſt quid extrinſecum in genere entis, conc. in genere moris, nego. Quod enim tranſit in rationem objecti ſpecificantis, non eſt objecto extrinſecum: atqui finis malus tranſit in rationem objecti ſpecificantis; tunc enim objectum intenditur ut medium, adeoque ut habens ordinem ad malum finem. Quod autem conſideratur reduplicativè ut ordinatum ad malum, nonniſi pro malo haberi poteſt.

Inſt. Qui inſtante præcepto dandi eleemoſynam, eam erogat ex motivo inanis gloriæ, implet præceptum, & meliùs facit quàm qui nihil dat: atqui nec præceptum impleret, nec meliùs ageret quam alter, ſi eleemoſyna ejus ex malo fine vitiaretur: præcepta enim nonniſi per actus bonos implentur &c.

℞. Eum qui pauperi ex vanæ gloriæ motivo ſuccurrit, implere præceptum materialiter, quatenus materiam, ſeu ſubſtantiam actûs lege præceptam ponit; non autem formaliter & adæquatè, quaſi illud omne faciat quod Deus fieri præcepit. Unde licet minus peccet quàm qui nihil dat, ſi tamen propriè loqui velis, non meliùs facit, quia neuter formaliter benè facit; & ideo comparativum *meliùs* eſt de ſubjecto non ſupponente. Itaque qui in præſenti caſu ſtipem erogat, eo ferè modo ſe habet ac ille qui decimas vel pecunias alteri debet, & cui eas ſolvere nolenti è manibus per vim eripiuntur: is enim non quidem actum fecit juſtitiæ, ſed tamen liber manet ab obligatione præcepti, quia ſubtracta eſt ejuſdem præcepti materia, ex quâ naſcebatur ipſius obligatio. Eadem de cauſa qui eleemoſynam malo ex fine largitus eſt, non tenetur ad novæ eleemoſynæ collationem, tametſi propriè non ſatisfecerit præcepto. Vid. Sylvium ad q. 100. a. 9. & Suarem L. 2. de legib. cap. 11.

Ergo, inquies, in tali eleemoſynâ duplex erit malitia, una ex fine vitiante, altera ex objecto vitiato: atqui hoc ridiculum eſt, alioqui in omni ferè actu duplex ſimul occurreret peccatum.

℞. Aliqui fatentur hic duplicem reperiri malitiam, ob rationem in objectione allatam; ſed alii unicam tantùm admittunt, vanæ ſcilicet gloriæ, quæ totam hanc actionem vitiat, ad inſtar fermenti quod totam farinæ cui injicitur maſſam corrumpit: unde ut in maſsâ non alia eſt corruptio quàm fermenti, ſic & in hujuſmodi actionibus una ſolùm eſt malitia quæ finem afficit intrinſecè, & objectum extrinſecè.

Obj. 2. Ex opinione noſtrâ ſequitur 1. hominem juſtum qui martyrium ex aliquo gloriolæ motu ſubiret, omni cariturum eſſe merito, imò peccaturum. 2. eum qui ex eodem motivo Baptiſmum ſuſciperet, gratia donandum non eſſe: atqui abſurdum conſequens; alioqui vix homo ullum eliciet opus quod bonum ſit, cùm vix ulla ſit è noſtris actionibus cui non aliquid miſceatur imperfecti, & *Iſai.44.*
quaſi pannus menſtruatæ ſunt *omnes juſtitiæ noſtræ.*

℞. Neg. min. Neque enim abſurdum eſt ut qui verum martyrium non ſubit, Martyrum gloriâ & aureolâ fruſtretur: atqui non verum ſed apparens martyrium ſubit qui pro vanitate moritur, cum verum

rum martyrium ſit effuſio ſanguinis propter Chriſtum, fideive aut alterius virtutis defenſionem. Unde S. Hieronymus in c. 1. Epiſt. ad Galat. *Martyrium ipſum, ſi ideo fiat ut admirationi & laudi habeamus à fratribus, fruſtra ſanguis effuſus eſt.* Imò aliqui exiſtimant, ait Gonet p. 233. profuſionem vitæ & ſanguinis in tali caſu eſſe peccatum mortale, quia licet inanis gloria ſecundùm ſe ſit tantùm veniale, vitam tamen ex inanis gloriæ motivo prodigere, eſt mortale, ſicut ſe abſque aliquo bono fine morti exponere.

Pariter qui ex malo fine Baptiſmo ſe donari permitteret, characterem reciperet, non autem gratiam, quæ certas prærequirit diſpoſitiones in adultis, ut alibi docent Theologi.

Neque tamen animis cadendum eſt: tum quia juvante gratiâ facilè eſt ſe ſuaque in Deum referre; tum quia non omnis circumſtantia mala operi bono adveniens ſuam ipſi malitiam communicat, ut ſtatim dicemus, ſed ea tantùm quæ eſt actionis cauſa, quam agens ſibi proponit, quæ virtutis actus eligit ut medium ad iniquitatem, quæ peccatum exercet ſub pietatis umbrâ &c.

Quod objicitur ex Iſaia, nihil probat: non enim loquitur Propheta de juſtitia eorum qui ſincerè Deum timent; ſed de exteriori Judæorum impiorum juſtitiâ ſeu juſtificatione, ut loquitur S. Paulus Heb. 9. hæc autem juſtitia cùm mera eſſet hypocriſis & dolus, Deo placere non potuit.

Obj. 3. ex S. Thoma hic q. 19. a. 1. *De bono & malo in actionibus oportet loqui, ſicut de bono & malo in rebus* phyſicis: atqui in naturalibus poteſt eadem res, idem v. g. homo deformis eſſe per pedes, non autem per manus; ergo.

℞. Propoſitionem S. Thomæ intelligi quoad aliquid: nam ſicut in phyſicis una eſt bonitas eſſentiæ, alia accidentis, ita & in moralibus. At eadem comparatio urgeri non debet quoad omnia, & præſertim quoad punctum de quo nunc agimus: deformitas enim unius partis non inficit partis alterius bonitatem; malitia verò circumſtantiæ totam actûs ſubſtantiam inficere poteſt. Cæterùm etſi preſſius urgeretur comparatio S. Thomæ, nihil inde contra nos: quod ut magis oſtendatur, ſit

CONCLUSIO SECUNDA.

Circumſtantia venialiter mala adveniens actui bono totam ejus bonitatem non aufert, nec omne meritum delet. Ita communior & probabilior opi-
Tom. 1. p. 432. in fol. nio quam fusè probat Contenſon Lib. 6. diſſert. 2. c. 2. Nos paucis enucleabimus.

Prob. 1. Si quævis circumſtantia venialiter mala in ipſos etiam virtutis actus irrepens, totam eorum bonitatem extingueret, vix ullus erit actus meritorius; quia vix ullus eſt actus bonus in viris etiam ſanctis licet cautè vigilantibus, qui non aliqua vitioſa circumſtantia, teporis v. g. tædii, impatientiæ, gloriæ &c. veluti terreno halitu obnubiletur: atqui falſum & nimis durum conſequens, imò & Patrum doctrinæ, & ſolito ac ſuavi ſummi Proviſoris agendi-modo repugnans. Etſi enim Sancti ſe ſervos eſſe inutiles fateantur, haud tamen deſpondent animum ſed bonis operibus inceſſanter inſiſtunt, ſcientes quod Scrutator renum & cordis ſeparabit pretioſum à vili, & ita bonorum operum ſordes velut paleas igne Purgatorii examinabit, ut quod inde ſupererit, pro auro mundo habiturus ſit. Argumentum hoc piè & ſolidè affert S. Gregorius L. 1. Moral. c. 16. *Dum*, inquit, *ipſam ſubtiliter radicem meæ intentionis inſpicio, Deo quidem ex ea me ſummopere placere voluiſſe cognoſco; ſed eidem intentioni, quâ Deo placere ſtudeo, furtim ſe, neſcio quomodo, intentio humanæ laudis interſerit. Quod cùm jam poſtmodum, tardèque diſcerno, invenio me aliter agere, quod ſcio me aliter inchoaſſe. Sic etenim ſæpe intentionem noſtram, dum ante oculos Dei rectè inſpicitur, occultè ſibi ſubjuncta, & eam velut in itinere comprehendens intentio humanæ laudis aſſequitur, ſicut pro neceſſitate quidem cibus ſumitur, ſed in ipſo eſu, dum furtim gula ſubrepit, edendi delectatio permiſcetur... Si autem de his divinitùs diſtrictè diſcutimur, quis inter iſta remanet ſalutis locus, quando & mala noſtra, pura mala ſunt, & bona quæ nos habere credimus, pura bona eſſe nequaquam poſſunt?*

Prob. 2. à priori. Idem ſit de cæteris actibus judicium, ac de actu illius qui ſic comparatus eſt ut nolit quidem prædicare niſi propter Dei gloriam, aut eleemoſynam dare niſi propter ſublevationem pauperis à Deo præceptam, & qui ad illa opera promptiùs determinari ſolet & velut ineſcari proprii amoris titillatione, ſociorum choro, invitante comitatu, vel aurâ populari demulcente; rara enim eſt avis in terris, cujus operibus non nihil humani affectus ſenſim ſine ſenſu miſceatur; atqui ſic prædicans, ſic ſuccurrens pauperi, edit opus bonum, quamvis non omni ex parte defæcatum. Illud enim opus eſt verè bonum, in quo agens juvante gratia bonum ſibi proponit finem, & in eum tendit medio proportionato: atqui hoc contingit in propoſito caſu, bonum enim eſt gloriam Dei per verbi miniſterium procurare; ergo.

At, inquies, malitia circumſtantiæ ſupervenientis bonum hoc corrumpit.

℞. Neg. ant. Mala enim circumſtantia de quâ loquimur, non influit in bonum actum, neque eſt ejus cauſa efficiens aut finalis præcipua. Quapropter quod hic dicitur circumſtantia, non tam eſt circumſtantia quàm actus planè diverſus, qui ſecundùm ſe malus eſt, dum alter ſecundùm ſe bonus eſt, licet hocce conſortio minuatur ejus bonitas.

Obj. 1. Quod rectæ rationis dictamini conſentaneum non eſt, bonum eſſe nequit: atqui objectum de ſe quidem bonum ſed malâ vitiatum circumſtantiâ, eo ipſo deſinit conſentaneum eſſe rectæ rationi. Recta enim ratio præcipit ut bonum benè fiat: ſed bonum quod malis veſtitur circumſtantiis benè non fit; ergo.

℞. ad 1. diſt. min. Objectum de ſe bonum deſinit rectæ rationi conſentaneum eſſe, ſi ordinetur in malam circumſtantiam ut purum medium, conc. ſi quæratur præcipuè propter bonitatem ſuam intrinſecam, ſubd. non eſt rectæ rationi conſonum, nec benè fit omnino & adæquatè, conc. nullâ ex parte conſonat rectæ rationi & fit malè penitùs, nego. Itaque ſi bonum opus aſſumatur ut medium purum vanitatis & peccati, haud dubium eſt quin talis actio ſecundum ſe totam vitietur, & eo pejor ſit quòd bonitas iniquitatis miniſtra conſtituitur: ſed ſi circumſtantia habeat ſe per modum acceſſorii, nec impediat quominus agens rem amet propter ipſius bonitatem, eamque præcipuè intendat, tunc etiam pro certo tenendum videtur, actionem hanc etſi imperfectam, non omni ſua juſtitia excidere. Quis enim credat eum qui ex ardenti mortificationis amore caſtigat corpus ſuum, & tantiſper à modo & medio diſcretionis recedit, laboris ſui fructum omnem perdere? Quis putet magiſtrum qui laſcivientes diſcipulos paulò ſeveriùs animadvertit, continuò nihil habere coram Deo meriti; eum item qui ex juſtâ neceſſitate, & ut Deo validiùs ſervire

queat, cibum ſumens, non nihil inſidianti voluptati indulget, iis illicò annumerandum eſſe qui contra Dei gloriam agunt? Si res ita ſit, dicendum eſt cum Calvinianis, nullam moraliter loquendo eſſe hominis actionem quæ peccatum non ſit.

Inſt. Si talis actus eſſet aliqua ex parte bonus, idem actus eſſet ſimul meritorius & demeritorius. Falſum conſequens.

℞. 1. Neg. maj. Tunc enim non tam unus eſt & idem actus, quàm actus duo qui ſe invicem comitantur. 2. neg. min. non enim implicat, quòd eidem actui prout bonus eſt, debeatur præmium, & pœna prout malus eſt. Sic remuneratæ ſunt obſtetrices Ægyptiæ, eo quòd timuerint Deum & Hebræorum mares conſervaverint, licet mendacium, aut ſaltem mentiendi diſpoſitio bonam hanc earum actionem inquinaverit. Unde S. Thom. 1. 2. qu. 114. *Obſtetrices*, inquit, *habuerunt bonam voluntatem, quantùm ad liberationem puerorum, non tamen fuit earum recta voluntas quantùm ad hoc quòd mendacium confixerunt.*

Obj. 2. Actus bonus eſt actus virtutis; ſed actus virtutis nullâ poteſt eſſe ratione malus.

℞. Diſt. min. Actus virtutis, id eſt actus prout à virtute procedit, non poteſt eſſe malus, conc. id eſt actus prout eſt à voluntate quæ deficit, aut à malo habitu qui ſe ingerit, non poteſt aliquid ſordium contrahere, nego. Quæſtio non eſt an actus virtutis prout à virtute procedit malus eſſe queat; quæſtio eſt utrùm imminui poſſit per aliquam circumſtantiam malam, v. g. gloriam inanem, nec tamen quoad ſubſtantiam tolli. Hoc ſecundum aſſerimus, ſeu potiùs contendimus hominem qui gratia motus aliquid agit, & ſimul cupiditate irrepente laceſſitus, eidem paulò plùs indulget ſenſin ſæpius expoſito, peccare quidem dum malu titillanti conſentit, ſed nihilominus aliquid promereri, quia non deſinit in bonum finem per bonum medium tendere.

CONCLUSIO TERTIA.

Unus idemque actus poteſt ſimul habere duas bonitatis aut malitiæ ſpecies, unam ex objecto, alteram ex fine. Eſt communis contra Vaſquem hic diſp. 51. c. 3.

Prob. 1. Malitia & bonitas actus ſumuntur ex ejus difformitate vel conformitate cum ratione: atqui unus idemque actus poteſt multis ſimul modis rationi difformis eſſe vel conformis. Cùm enim quis furatur ut ſe inebriet, duplex in eo actu reperitur deformitas, alia quidem ex objecto, re ſcilicet alienâ, quæ tollitur, alia ex fine, ebrietate nimirum quam fur intendit; & hanc partem nobiſcum agnoſcit Vaſques; ergo à pari cùm quis eleemoſynam tribuit pauperi ut peccata ſua redimat, duplex in eo actu occurrit bonitas, alia miſericordiæ, altera verò pœnitentiæ.

Prob. 2. Ideo juxta Vaſquem in actu qui bonus eſt ratione objecti & finis, duplex non eſt bonitas, quia bonitas objecti deſtruitur per ejus relationem ad ulteriorem finem; quatenus talis objecti bonitas non eſt volita ratione ſui, ſed ratione alterius: atqui hæc ratio, ejuſque probatio nullius eſt momenti. Nam 1. forma ſuperior non deſtruit, ſed potiùs perficit inferiorem ipſi ſubordinatam; & in genere, bonum bono non eſt contrarium, ſicut nec verum vero. 2. ſi bonitas objecti deſtruatur ex ejus relatione ad finem ulteriorem, non erit majoris meriti eligere ad finem charitatis opera excellentioris virtutis, quàm alterius minùs eximiæ, imò quàm actus de ſe indifferentes: quia cùm bonitas moralis hujuſmodi objectorum pro nihilo reputetur, ſed deſumatur tota à fine, qui ſemper idem remanebit, perinde valebit jejunium unius diei ac actus martyrii, quod abſurdum eſt. 3. ſi charitas dum virginitatis actus alioſve ſimiles imperat, eorum bonitatem tolleret, meritum hominis & merces Dei ſoli charitati reſponderent, quod pluſquam falſum eſt: tum quia Deus non ſolam charitatem remunerat, ſed aliarum etiam virtutum actus à charitate imperatos, juxta id Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum: eſurivi enim & dediſtis mihi manducare*; tum quia ex unanimi Theologorum ſenſu, martyrio & virginitati correſpondent accidentalia quædam præmia, quæ aureolæ appellantur, de quibus ſupra; ergo.

Dices: Qui opus aliquod pietatis eligit propter pœnitentiam, opus illud non appetit propter ſe, ſed ut medium ad pœnitentiam: atqui medium ut medium non habet rationem boni honeſti, quæ ſoli fini convenit, ſed tantùm boni utilis; ergo qui tale opus eligit, nullam in eo invenire poteſt bonitatem quàm finis.

℞. Neg. min. Nam, ut benè ait Angelicus Doctor in 1. diſt. 1. q. 2. a. 1. ad 3. *non eſt inconveniens ut aliquid propter ſe ametur, & tamen ad alterum ordinetur.* Et ratio eſt, quia quod ad alia ordinatur, ut eleemoſyna ad pœnitentiam ſeu ſatisfactionem pro peccatis, ſuam propriam honeſtatem atque bonitatem habere poteſt: unde non habet rationem puri medii, qualis eſt in medicina quæ nonniſi ob ſanitatem diligitur, ſed finis intermedii; ac proinde eſt bonum utile prout ordinatur ad aliud, & bonum honeſtum ratione ſui; ergo duplicem neceſſariò habet bonitatem, aliam quidem ratione finis, aliam verò ratione ſui. An autem actus ad finem extrinſecum ordinatus, ſpeciem eſſentialem bonitatis aut malitiæ à fine ſumat, an ab objecto, diſputant Gonet Valentia & alii quos conſule.

SECTIO TERTIA.

De augmento moralitatis per actum exteriorem.

Quæritur an executio actûs exterioris v. g. erogatio actualis eleemoſynæ ſuperaddat aliquid bonitatis, efficaci ejuſdem actûs deſiderio. Idem de furto furtique voluntate dicendum. Ut ſtatus quæſtionis pleniùs intelligatur, S. Thom. 1. 2. q. 20.

Not. 1. Certum eſt apud omnes actum exteriorem interiori conjunctum veram habere bonitatem vel malitiam, quia tunc eſt liber & rationi conformis aut difformis. Unde in Decalogo & Scripturis præcipiuntur aut prohibentur, commendantur aut vituperantur actus exteriores; cum tamen Deus non præcipiat aut laudet niſi quod bonum eſt, nec prohibeat aut vituperet niſi quod moribus bonis adverſatur.

Not. 2. Certum eſt etiam ſæpè diutiùs continuari actum internum propter actum exteriorem. Sic qui vult homicidium perpetrare, ejuſdem homicidii voluntatem protrahit & continuat, dum media ad ſcelus ſuum, arma, comites, occaſionem inquirit: de hac additione, utpote quæ accidentalis ſit, non movetur difficultas.

Not. 3. Certum etiam eſt actum interiorem ſæpe augeri & intendi per exteriorem. Sic v. g. actualis voluptas, quæ ex ebrietate aut impuris criminibus dum fiunt, miſerè percipitur, fornicationis, aut exceſſivi potûs affectum inteſtiorem ſeu ardentiorem efficere ſolet. Neque de hac intenſione controvertitur, ſed potiùs de extenſione, ſeu

quæſti-

quæritur an alia ſit bonitas aut malitia formalis actûs exterioris, quàm interioris à quo imperatur, adeo ut melior ſit actio illius qui eleemoſynam dat de facto, quàm ejus qui eam dare vult & non poteſt defectu facultatis vel occaſionis. Affirmare dicuntur Scotiſtæ, negant verò Thomiſtæ, ſed re propiùs inſpectâ, non multùm à ſe diſcrepant. Ut ut ſe res habeat, ſit.

CONCLUSIO.

Actus exterior prout eſt mera executio actus interni, non adjungit ei bonitatem aut malitiam in ordine ad præmium vel pœnam eſſentialem, adjungit tamen in ordine ad præmium vel pœnam acciden-
Vid. Hon- talem. Ita S. Thomas in 2. diſt. 40. q. 1. a. 3. cujus
p. 172. verba citantur & adoptantur à Scotiſtis.

Prob. 1. pars. 1. ex Script. quæ non minùs laudat aut redarguit, quæ quis ſincerè & plenè facere voluit, quàm ſi de facto ea feciſſet. Sic Geneſ. 22. dicit Deus ad Abraham: *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi*; & tamen Abraham de facto filium ſuum non occiderat. Matth. 5. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Quæ verba expendens S. Bernardus ait Epiſt. 77. *Quid planiùs*, inquit, *quòd voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit neceſſitas.* Et Auguſt. de lib. arb. c. 3. *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge alienâ, planum tamen aliquo modo ſit id eum cupere, & ſi poteſtas detur, facturum eſſe, non minus reus eſt quam ſi in ipſo facto deprehenderetur.*

Prob. 2. Si poſitio actus externi efficeret actum meliorem, defectus ejuſdem actus externi detraheret aliquid à bonitate ejus: atqui hoc dici non poteſt. Quod enim penitùs involuntarium eſt reſpectu actus, non poteſt aliquid detrahere ab ejuſdem bonitate: atqui defectus ſeu non poſitio actus externi eſt quid maximè involuntarium in caſu noſtro: loquimur enim de voluntate ad executionem perfectè diſpoſita, quæ ideo ſolùm non exequitur, quia exequi non poteſt.

Confirm. Actus humanus non eſt bonus vel malus moraliter, niſi prout procedit à libera voluntate: atqui in ſuppoſitione noſtra actus interior ab exteriore ſeparatus tam procedit à libera & æqualiter perfecta voluntate, quàm ſi conjungeretur actui exteriori: actus enim exterior nullam per ſe intrinſecam libertatem habet, adeoque ne unum quidem libertatis gradum actui interiori communicare poteſt, cùm potiùs quidquid habet liberi ab eo recipiat; ergo actus exterior, utpote qui non ſit liber niſi in causâ, non eſt etiam imputabilis niſi in cauſa, adeoque non plùs habet bonitatis aut malitiæ formalis ſive imputabilis quàm ſit in causâ.

Prob. 3. Si actus exterior aliquem bonitatis gradum ſuperadderet actui interno, poſſet quis alium privare aliquâ bonitate morali, & per conſequens præmio eſſentiali quod ipſi correſpondet; poteſt enim quis per vim impedire ne alter ſacro interſit, aut eleemoſynam det pauperi: atqui falſum conſequens; alioqui dona gratiæ & gloriæ, fortunæ vicibus & furum violentiæ obnoxia forent, ut & ipſa exteriora bona; ergo.

Prob. 2. pars 1. ex communi Theologorum ſen-
In 4. diſt. ſu, qui poſt S. Thomam docent eos qui ſola volun-
49. q. 5. tate martyres ſunt, poſſe quidem mereri æquale &
a. 3. majus præmium eſſentiale, quàm qui reipsâ patiuntur pro Chriſto, quia poſſunt majori affici charitate; non tamen præmium accidentale quod ſupra aureolam vocavimus, quia hæc non rependitur niſi exteriori paſſioni.

Prob. 2. Præmium eſſentiale eſt conjunctio animæ ad Deum per viſionem & amorem fruitivum; præmium verò accidentale eſt gaudium de quocunque bono creato: ſed qui actum externum, v. g. eleemoſynam poſuit, de ejus poſitione gaudebit in cœlis, qui verò ponere voluit & non potuit, de poſitione ejus gaudere non poterit; ergo licet ambo conveniant in præmio eſſentiali, different tamen in accidentali. Idem à contrario dicendum de reprobis, qui licet conveniant in pœnâ eſſentiali quæ eſt ſeparatio à Deo, different tamen in accidentali; quia qui actu de facto peccaverunt, cruciabuntur non de eo ſolum quod malè voluerunt, ſed de eo etiam quod malè fecerunt, & de omnibus malis quæ externas eorum iniquitates conſecuta ſunt.

Obj. 1. S. Auguſt. Lib. 13. de Trin. c. 5. ſic loquitur: *Malâ voluntate vel ſolâ quiſque miſer efficitur; ſed miſerior poteſtate quâ deſiderium malæ voluntatis impletur*: atqui non efficeretur miſerior, ſi exterior actus nullam malæ voluntati malitiam novam ſuperadderet; ergo.

℞. Neg. min. Fit enim quis ex actu exteriori miſerior. 1. quia actus exterior innumera ſecum adducit incommoda quæ ſolus actus interior non parit. Sic actus exterior hebetat ſenſus, hominem ad malum propenſiorem facit, generat ſcandala, inducit obligationem reſtituendi, cenſuris obnoxium facit, quod non præſtat actus interior. 2. quia plerumque contingit ut voluntas operi conjuncta fiat eo ipſo opere intenſior, adeoque ut tunc creſcat ejus malitia. Verùm de hac intenſione non loquimur: tum quia actum externū non ſemper comitatur, ut ſi pauper furetur ex merâ neceſſitate, ſi virgo mortis metu mali aliquid patiatur; tum quia talis intenſio etiam reperiri poteſt ubi nō ponitur actus exterior.

Obj. 2. Peccatum definitur, *Dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*: atqui hæc definitio rejicienda foret niſi externi actus peccata forent ab internis diſtincta.

℞. Neg. min. Senſus enim eſt quædam dari peccata quæ in ſola voluntate conſiſtunt, quædam quæ exteriùs ſeu verbis ſeu aliis operibus ſe produnt; ſed ſenſus non eſt peccata operis ab iis quæ ſolius cordis ſunt diſtingui per novam malitiæ ſpeciem. Unde S. Thomas hic q. 27. a. 7. *Dicendum*, inquit, *quòd peccata cordis & oris non diſtinguuntur à peccato operis, quando ſimul cum eo conjunguntur &c.*

Inſt. Qui voluit furari aut adulterare & non potuit, de omiſſione hac Deo gratias habere debet: atqui nulla eſſet ratio cur tales ageret gratias, ſi actus exterior nihil ſuperadderet mali; ergo.

℞. Neg. min. Eſt enim ſemper cur Deo gratias habeat qui abſtinuit ab opere quod animo conceperat. Tum quia *vix fieri poteſt*, quod poſt Hugonem Victorinum notat Sylvius, *ut voluntas opere externo non augeatur*; tum quia opus externum accidentali pœnâ non ab hominibus ſolum punitur, ſed à Deo; tum quia ex actu exteriori generantur pravi habitus qui ad ſimiles actus inclinant, incurritur infamia, irregularitas &c.

Obj. 3. Si actus exterior nihil conferat ad bonitatem, tantùm recipit gratiæ qui martyrium ſincerè quærit, quàm qui illud ſubit reipsâ; item qui Sacramentis refici optat, quàm qui iiſdem actu reficitur; aut qui jejunare vellet & non poteſt, quàm qui jejunat de facto: atqui hæc falſa ſunt, præſertim de Sacramentis quæ percepta gratiam conferunt ex opere operato, quam in voto ſolùm non conferunt.

Confirm. Quia alioqui direndum eſſet Chriſtum non plùs nobis præſtitiſſe boni mortem ſubeundo, quàm volendo mori, quod pluſquam falſum eſt.

Vid. Maronnem tom. 2. p. 155. R. Neg. maj. Ratio eſt, quia martyrium ex ſingulari Dei privilegio & velut ex opere operato plùs proficit tùm revera ſuſtinetur, quàm tùm deſideratur. Idem à fortiori dicendum de Sacramentis, quorum actuali receptioni alligata eſt ex Chriſti inſtitutione gratia quædam particularis, quæ ex eorumdem deſiderio non producitur. De hac efficacia quæ certis operibus à Deo indita eſt non loquimus, ſed de opere operantis, quod ſi ſolitariè ſumatur non plùs meretur præmii eſſentialis tùm operi externo conjungitur, quàm cùm ab eodem involuntariè ſeparatur.

Quòd ſi quæras quare martyrio dum actu toleratur, hæc privilegia data fuerint, recurrendum eſt ad ſimplex Dei beneplacitum. Poteſt tamen hæc aſſerri convenientia, quod per actuale martyrium homo privetur vitâ & ſtatu in quo ampliùs mereri poſſit, non autem per ſolum martyrii deſiderium: unde æquum fuit ut Deus qui ab homine non vincitur in benefactis, ex ſuâ parte compenſaret, id quod homo ex aliâ ſibi præripere videtur.

Ad id quod additur de jejunio, fateor ſeriam jejunandi volitionem non minùs gloriam mereri quàm ipſum jejunii exercitium; ſed cautè tavendum meliorem tamen eſſe conditionem illius qui revera jejunat, quàm qui ſolùm vult jejunare: tum quia actus exercitus efficit ut bona voluntas diutiùs continuetur & ſæpe intendatur; tum quia homo licet per ſolum jejunii deſiderium mereatur, per illud tamen aut alia ſimilia non ſatisfacit eodem modo ac per ipſum jejunium, quia ad ſatisfactionem requiritur opus quatenus pœnale, ſeu vera pœnæ perpeſſio, quæ in ſolo actu interiori, eodem modo non occurrit.

Vid. Sylv. hic q. 20. a. 4. Quod ſpectat ad Chriſtum, dico nos quidem, ſi ſolus ſpectetur valor, uno ipſius actu potuiſſe redimi, quia omnes ejuſdem actus infiniti valoris fuêre; ſed poſita Dei ordinatione neceſſe fuit ut moreretur, quia non aliter quàm per proprium ejus ſanguinem conſummari debuit opus redemptionis noſtræ.

Inſt. Si voluntas benefaciendi idem mereatur quod ipſum bonum opus, qui vellet tantùm Deo placere & obſequi quantùm B. Virgo & omnes Sancti, tantum merebitur quantum illa & ipſi; item qui vellet Deum infinito amore proſequi, aut infinitis pauperibus ſtipem conferre, infinitè merebitur: falſum & abſurdum conſequens.

℞. Neg. maj. tanquam de falſo ſupponente. Ut enim quis tantùm Deo placere vellet quantum B. Virgo & omnes Sancti, deberet non unicum ſed tot & cum eodem fervore elicere actus interiores quot elicuerunt B. Virgo & omnes Sancti; & tunc etiamſi externa Sanctorum opera non ederet, quia non poſſet, non minùs tamen mereretur quàm meruerint omnes Sancti: atqui ſupponi non poteſt eſſe aliquem qui tot & cum tanto fervore eliciat actus, quot elicuerunt B. Virgo & omnes Sancti, imò nec quiſquam eſt qui de iis eliciendis cogitet quos de facto elicere poſſet.

Idem dicendum de voluntate Deum amandi infinitè, aut infinitas erogandi eleemoſynas. Hæc enim voluntas cùm ſit de rebus impoſſibilibus ſeriò haberi non poteſt; & quamvis poſſet quis infinitas largiri eleemoſynas, non ita facilè id vellet niſi ſpeciali Dei auxilio juvaretur, quia ſi tam ægrè exiguæ poſſeſſioni renuntiamus, quantò difficiliùs omnia prorsùs abjiceremus? Verùm hæc nihil aliud ſunt quàm chimeræ à quibus chimericum eſt argumentari.

Obj. 4. Ideo juxta nos opus externum, v. g. fornicatio actualis, non addit novam actui interno malitiam, quia non eſt imputabile ſecundùm ſe, ſed dumtaxat in cauſa in qua ſola liberum eſt: atqui fundamentum hoc omninò ruinoſum eſt. Quod enim in ſe ipſo prohibitum eſt, imputabile eſt ſecundùm ſe ipſum: atqui opus externum ut tale prohibitum eſt, & alio quidem præcepto quàm quo vetitum eſt ipſius deſiderium: ſi enim dictum fuit, *Non concupiſces uxorem proximi tui*: dictum eſt, *Non mœchaberis*. Et verò ſi externum opus novam non adderet malitiam, non teneremur illud confiteri, quia declarato actu interiori tota actûs malitia ſufficienter declararetur: atqui hoc repugnat uſui & judicio totius Eccleſiæ.

℞. Opus externum non addere novam actui interiori malitiam, quia non eſt imputabile, ſeu malum malitia diverſa ab ea quam habet efficax ejuſdem operis deſiderium; potuiſſe tamen & debuiſſe prohiberi, quia reipſâ malum eſt, & variis obnoxium augmentis & effectibus quæ in ſolo ejus deſiderio non reperiuntur. Non ergo quærendum eſt cur actus exterior prohibitus ſit, tùm tot de cauſis debuerit prohiberi, ſed quærendum cur actus interior inſuper prohibitus fuerit. Cujus quidem hæc redditur ratio, quòd rudis Judæorum gens facilè ſibi perſuadere potuiſſet ſolam concupiſcentiam uxoris aut rei alienæ nihil habere per ſe mali; quæ opinio, quantumvis Moſaicæ Legi contraria, vigebat tempore Chriſti, ut patet ex citatis ejus verbis: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam &c.*

Quod ſpectat ad confeſſionem, dubio procul aperienda eſt actûs externi circumſtantia. 1. quia ex hac declaratione magis aperitur efficacia & gradus malæ voluntatis. 2. quia alia peccatis quæ in corde conſummantur, alia quæ foris prodeunt remedia applicari debent. 3. quia actus exterior inducit cenſuras, onus reſtituendi & ſimilia quæ ex ſolo actu interiori non conſequuntur.

Obj. Tandem, Damnata fuit hæc Petri Abaylardi propoſitio: *Nos verò dicimus quod ſola voluntas à Deo æternaliter remuneratur, ſive ad bonum ſive ad malum: nec propter opera pejor vel melior efficitur homo, niſi fortè dum operatur, in aliquo ejus voluntas augetur*: atqui hæc ipſiſſima eſt doctrina quam tuemur; ergo doctrina noſtra proſcripta eſt, & quidem meritò, cùm directè tendat ad boni cujuſque operis exterioris ſubverſionem.

℞. 1. cum Vaſque, propoſitionem hanc tanquam Abaylardi fœtum nullibi reperiri niſi apud Gregorium Ariminenſem, apud quem Abaylardus excludit non ſolùm meritum actûs externi, ſed etiam interni, ut patet ex hac ejuſdem alia propoſitione: *Neque opus, neque voluntas ... peccatum eſt.*

℞. 2. Juxta Sylvium & alios, erraſſe Abaylardum, quia docuit opera etiam ut ab interiori voluntate procedunt eſſe ad ſalutem inutilia, ideoque eos etiam qui exteriùs poſſunt benè operari, ad hoc non teneri; hoc autem ut erroneum deteſtamur. Certum eſt enim voluntatem quæ in actum erumpere poteſt, graviter peccare ſi otioſa maneat: unde actus exteriores bonos præcipimus ut à Deo præceptos; malos verò rejici volumus, perſuaſi quòd adulteria, furta, fornicationes quæ de corde exeunt & exteriùs conſummantur, coinquinant hominem.

ARTICULUS III.

De merito actuum humanorum.

S. Th. 1. 2. q. 114. Dicemus 1. quid & quotuplex ſit meritum, & an homo mereri poſſit. 2. quænam ſint actionis meritoriæ conditiones. 3. quid cadat ſub meritum.

SECTIO PRIMA.

De eſſentiâ & exiſtentiâ meriti.

Meriti nomen à merendo dictum, ſumitur aliquando in malam partem, ut cùm fur patibulum mereri dicitur; ſæpius in bonam ut in præſenti, & definitur, Opus bonum præmio ſeu retributione dignum. Sed quia retributio bono operi multis modis deberi poteſt, multiplex diſtinguitur meriti genus: aliud *de congruo*, cùm præmium debetur non ex obligatione juſtitiæ, ſed ex decentiâ quadam, & liberalitate, ac ut ita dicam, ex honeſtate præmiantis; aliud *de condigno*, cùm præmium debetur tanquam merces ex juſtitiâ. Si opus cui ex juſtitiâ debetur merces habeat æqualitatem cum mercede, ſine gratiâ ex parte remunerantis, erit meritum de condigno rigoroſo, ſi vero operis valor & dignitas, remunerantis gratiâ nitatur, erit meritum de condigno ordinario. Quæritur an homo mereri poſſit. Quæſtio non movetur de merito rigoroſo quod ſoli Chriſto competit; actiones enim noſtræ in gratiâ fundantur, ſuntque Dei dona, & aliunde ita ipſi debitæ ſunt ut omnes ſibi vindicare poſſit; agitur ergo de merito ſimpliciter quidem dicto, ſed tamen minus rigoroſè ſumpto, ſit

CONCLUSIO.

Homo per gratiam operans poteſt *verè* & propriè mereri, & reipsâ meretur. Eſt de fide contra Calvinum L. 3. Inſt. c. 15.

Prob. 1. Merces reſpondet merito propriè dicto, juxta id Auguſt. Epiſt. 194. aliàs 105. *Idem eſt merces operantis, quod ſtipendium militantis*: atqui Scriptura variis in locis docet reddendam eſſe à Deo mercedem juſtorum operibus. Sap. 5. *Apud Dominum eſt merces* juſtorum. Matth. 5. *Merces veſtra copioſa eſt in cælis*: ergo Scriptura docet æquivalenter hominem mereri. Imò *exoſum* Calvino meriti nomen admittit expreſsè, ut Eccli. 16. *Miſericordia facit unicuique locum, ſecundùm meritum operum ſuorum.* Et Heb. 13. v. 16. *Beneficentiæ & communionis nolite oblviſci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus*: atqui meritum ſimpliciter & abſolutè dictum, ſignificat meritum de condigno ordinario, quia meritum de congruo non eſt veri nominis meritum; aliunde autem meritum rigoroſum puræ creaturæ non convenit.

Confirm. Quod datur à Deo ut juſto Judice, quod datur ex juſtitia, illud datur ob meritum de condigno: atqui vita æterna datur... 2. ad Timot. 4. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus juſtus Judex.*

Prob. 2. Ex Patribus. S. Cyprianus Lib. de unit. Eccl. *Præceptis* Dei *obtemperandum eſt ut accipiant merita noſtra mercedem.* S. Chryſoſtomus Hom. 4. de Laz. *Si juſtus eſt Deus, illis reddet pro meritis, id eſt bonis & malis.* S. Aug. cit. Epiſt. 194. ad Sixtum, *Nulla-ne ſunt merita juſtorum? Sunt planè, quia juſti ſunt; ſed ut juſti fierent, merita non fuerunt... Sicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors, ita merito juſtitiæ tanquam ſtipendium vita æterna.* Quæ verba ſi quid, certè meritum propriè dictum ſignificant.

Objiciunt Novatores 1. quòd omnia juſtorum opera ſint peccata, adeoque nihil mereri poſſint. 2. quod hominis merita, Chriſti meritis detrahant.

Sed utrumque planè falſum eſt. Quomodo enim opera quæ Deus fieri diſtrictè jubet; quæ eo inſpirante fiunt, quorum ipſe eſt *merces magna nimis*, peccata dici poſſunt? 2. quomodo merita quæ vim totam ſuam habent à meritis Chriſti, quæ ſine ejus influxu nulla ſunt, ejuſdem gloriam diminuere poſſent? Certè hinc maximè commendatur virtus Chriſti, quòd non ſolùm mereri potuerit, ſed etiam ſuis meritis vim nobis ad merendum obtinere.

Objicit 2. Wollebius meriti conditiones hoc expreſſas diſticho: *Da tua, ſed quæ non debes; proportio & adſit. Non aliter meritum dixeris eſſe tuum.* Atqui homo nihil poteſt dare quod ſuum ſit, cùm nihil habeat quod non acceperit. 2. nihil indebitum, cùm innumeris titulis ſe totum ſuaque Deo debeat; unde ii etiam qui omnia ſibi præcepta fecerunt, dicere debent, *Servi inutiles ſumus; quod debuimus facere fecimus.* 3. nihil mercedi proportionatum, quia ex Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones &c.* Comp. Christian. Theol. p. 207. Luc. 17.

℟. Hoc argumento probari quidem opera noſtra non eodem eſſe modo meritoria ac opera Chriſti, ſeu de rigore juſtitiæ, non autem ea veram ex Chriſti gratiâ dignitatem non habere, qui poſitâ Dei ordinatione merces debeatur: hoc autem meriti nomine intelligimus cum universâ Traditione, ut benè oſtendit Illuſtriſſimus Boſſuet. in Lib. cui titulus, *Expoſition de la doctrine de l' Egliſe &c.* num. 7. Vid. Trid. Seſſ. 6. c. 16.

Textus Lucæ quem confidentiùs jactant Heterodoxi, nihil omnino probat: loquitur enim Chriſtus de iis qui ſola præceptorum ſibi impoſitorum executione contenti, nihil ultra in Dei gloriam operantur, & conſilia negligunt. Ii porrò præſertim ſe pro inutilibus ſervis habere debent. 1. quia nihil faciunt cujus faciendi virtutem ipſis non indiderit Deus. 2. quia nihil non debeant Deo, & quidquid operari poſſunt nihil eidem adfert utilitatis. 3. quia inutilis ſervus dici ſolet non is ſolùm qui nihil facit, ſed & is etiam qui expleto penſo ſuo, alia negligit per quæ Domino ſuo placere poſſet, aut qui quæ facit, non facit niſi quia facienda ſunt, non autem corde magno & animo volenti: quo ſenſu ait Apoſtolus 1. Corinth. 9. v. 16. *Si evangelizavero non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit*; ſed *ſi volens* ſeu promptè & alacriter *hoc ago, mercedem habeo.* Etſi ergo ſecundùm has explicandi rationes ex humilitate & juſtitiâ cognoſcere debeamus nos ſervos eſſe inutiles, haud tamen omni merito & utilitate caremus. Unde juxta S. Chryſoſt. cùm dicimus, *Servi inutiles ſumus*, dicit Chriſtus, *Euge ſerve bone & fidelis*; unde etiam 2. ad Timoth. 2. qui ſe emundaverit à peccatis dicitur *vas in honorem & utile Domino*. Quorũ omnium hæc eſt ratio & conciliatio, quòd *tanta eſt erga omnes homines Dei bonitas, ut eorum velit eſſe merita quæ ſunt ipſius dona*: teipſa enim nobis qui naturâ ſervi ſumus, poterat Deus quod vellet præcipere, & nihil rependere mercedis. Trid. ſup.

* * * *

SECTIO SECUNDA.

De conditionibus ad meritum requiſitis.

CUm duplex ſit meritum, aliud de condigno, aliud de congruo, duplex eſt ratio conditionum quæ ad utrumque requiruntur. Ex iis autem aliæ ſe tenent ex parte actus meritorii; aliæ ex parte hominis merentis; aliæ demum ex parte Dei apud quem meretur. Unde licet abſolutè loquendo, ad meritum de condigno duo requirantur & ſufficiant, 1. ut opus ex ſe eſt operante habeat dignitatem mercedi proportionatam. 2. ut ſit promiſſio pro tali opere talem rependendi mercedem; majoris tamen explicationis gratiâ conditiones illæ in alias reſolvi ſolent. Eæ verò ſunt ut actus ſit 1. liber. 2. bonus. 3. in obſequium Dei. 4. ab homine qui ſit in ſtatu gratiæ. 5. qui ſit etiam viator. 6. ut ei merces à Deo promiſſa ſit. Tres primæ conditiones ſe tenent ex parte operis, duæ ſequentes ex parte operantis, ultima ex parte Dei; & hæ quidem ſpectant ad meritum de condigno, pauciores enim ad meritum de congruo pertinent, ut ex decurſu patebit.

Dico 1. Ad meritum quodcunque requiritur ut actus ſit liber, etiam à neceſſitate. Eſt de fide, ut benè notat Gonet tom. 4. diſp. 1. de merito a. 2. Vid. ſup. p. 552. Ratio ulterior eſt, quòd merito debetur merces: atqui debitum non oritur niſi ex eo quod unus dat alteri id quod ſuum erat; jam verò eatenus poteſt homo Deo aliquid dare quod ſuum ſit, quatenus dat ei aliquid cujus diſpoſitio in ſua libertate eſt.

Obj. Meritum dependet ex Dei acceptatione, unde opus quantumvis liberum & bonum, nullius eſt meriti ſi a Deo non acceptetur ad præmium: atqui poteſt Deus acceptare ad vitam æternam opera etiam neceſſaria. Nec ſolum id poteſt, ſed de facto fecit, ut cùm mortem SS. Innocentium licet non liberam acceptavit ad martyrium; ergo.

℞. Neg. maj. Etſi enim ut mereatur homo debeat actio ejus acceptari à Deo, hæc tamen acceptatio non ſufficit, ſed requiritur in opere bonitas moralis quæ veram indifferentiæ libertatem involvit: unde ſi Deus actibus neceſſariis aliquid promiſiſſet, ii tamen actus reipſa meritorii non eſſent, nec vita eis redderetur tanquam merces, ſed ut donum duntaxat. Quod ſpectat ad Infantes pro Chriſto occiſos, non magis dici poſſunt martyrii aureolam promeruiſſe, quàm qui accepto Bapriſmate moriuntur, vitam æternam mereantur. Gaudent quidem primi, quod pro Chriſto occiſi ſint, at gaudium hoc ex mera Dei liberalitate habent, non ut verum præmium; quia ut docet S. Thomas, *Mereri propriè eſt facere aliquam actionem unde aliquis juſtè ſibi acquirit mercedem*, qq. diſp. 3. de virtut. in comm. a. 5. ad 2. atqui Infantes cognitione deſtituti non propriè aliquam fecerunt actionem; ergo.

Dico 2. Ut homo quocunque modo mereatur, requiritur opus bonum & quidem ſupernaturaliter.

Prob. 1. pars. Opus quod bonum non eſt, vel eſt malum, vel indifferens: atqui neutrum mereri poteſt vitam æternam. Non primùm: nam *ſtipendia peccati mors*. Rom. 6. Non ſecundum: tum quia opus indifferens mera eſt chimera; tum quia ſi quod eſſet hujus generis opus, illud non præmio magis quàm ſupplicio dignum foret; ergo.

Prob. 2. pars. 1. ex Conc. Trid. Seſſ. 6. Can. 1. 2. & 3. & c. 16. ubi docetur quòd ſine Chriſti gratiâ & virtute *quæ bona* hominum *opera ſemper antecedit, & comitatur & ſubſequitur*, eadem opera *nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſunt*. 2. quia inter medium & finem, meritum & præmium, quædam eſſe debet æqualitas & proportio: atqui inter opus naturale & præmium ſupernaturale nulla eſt proportio; ergo ſicut nemo dixerit vile opus bajuli regiam dignitatem mereri poſſe, quia ei proſſus improportionatum eſt, ita nemo dicet opus ſolis liberi arbitrii viribus elicitum, utpote generis & ordinis toto cælo diverſi, gloriam cœleſtem poſſe promereri.

Quæres 1. an ut opus ſit meritorium de condigno, neceſſe ſit ut ſit ſupererogationis, id eſt nulla lege præceptum,

℞. negativè, imo contraria opinio erronea videtur. Ratio eſt 1. quia juxta Concilium Tridentinum, nihil juſtificatis deeſt *quominus plenè illis quidem operibus quæ in Deo ſunt facta... vitam æternam... verè promeruiſſe cenſeantur*: atqui ea etiam opera quæ ſupererogationis non ſunt, ſed præcepti, in Deo ſunt facta; ergo per ea homo vitam æternam promeretur. 2. Lucæ 6. dicitur, *Diligite inimicos veſtros... & erit merces veſtra multa*. Matth. 16. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. 2. Timoth. 4. *Fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ &c.* Atqui hiſce textibus promittitur & rependitur merces iis etiam operibus quæ ſunt præcepti; non enim conſilii ſolius eſt inimicorum dilectio, cuſtodia fidei &c.

Dices: Servus qui facit id quod debet, non conſtituit dominum ſuum debitorem ſibi. Pariter qui debitum ſuum ſolvit alteri, non conſtituit eum ſibi creditorem: atqui homo dum præcepta ſula adimplet, eſt ſervus qui mere facit id quod debet &c.

℞. Id ita eſſe apud homines qui meritum repetunt ex labore prout ſibi utili, & indebito; non autem apud Deum, qui meritum repetit ex libera operis ad ſui gloriam perpetrati honeſtate. Certè adverſariorum argumentatio probaret hominem nequidem conſilia obſervando mereri, nam obſervatio hæc eo ſaltem ſenſu Deo debita eſt, quod à gratia ejus dependeat, & ab eo exigi poſſit.

Quæres 2. an actus ſupernaturalis cujuſlibet virtutis ſit in homine juſto de condigno meritorius; an non potius ad meritum de condigno requiratur ut actus ſit à charitate elicitus aut imperatus. Ut intelligatur quæſtio, quædam ſunt prænotanda.

I. Virtutes aliæ ſunt theologicæ, quæ pro objecto immediato habent Deum ſupernaturaliter cognitum, eumque directè & immediatè attingunt actu ſuo interiori; aliæ morales, quæ pro objecto habent aliquid à Deo diſtincti, ut juſtitia & religio. Eæ vero virtutes, vel ſunt ſupernaturales & à Deo infuſæ; vel naturales, id eſt animo à natura inditæ, aut ſolis naturæ viribus acquiſitæ.

II. Aliud eſt actum à charitate elici, aliud eum à charitate imperari. Actus elicitur à charitate, cum immediate ab ea procedit, & nullum aliud habet objectum quam charitatis. Actus vero imperatur à charitate, cum licet aliunde fluat quam à charitate, & in aliud quam charitatis objectum de ſe feratur, producitur tamen ex imperio charitatis & ad ejus finem refertur.

III. Actus multipliciter referri poteſt ad Deum tanquam finem charitatis. 1. habitualiter & concomitanter, cum ſcilicet producitur ab homine habitualiter juſto, abſque ullo alio juſtitiæ & charitatis habitualis influxu. Relationem hanc ſatis ad verum meritum eſſe putant inſignes quidam Theologi, ſecundum quos opus quodlibet hominis juſti moraliter bonum, etiam in ordine naturali, eſt æternæ vitæ meritorium de condigno. Ita Vaſquez

hic

hic diſp. 217 Cajetan. q. 21. a. 3. Valentia diſp. 8. q. 6. punct. 3. & alii apud ipſos. Fundamentum hujus opinionis eſt, vel quod ſtatus perſonam dignificans, quamdam in omnes ejus actiones bonas dignitatem influat; vel quod juſtus ita ſit erga Deum affectus per charitatem, ut ſponte in Deum referret quidquid agit, ſi de eo referendo cogitaret; vel quod idem juſtus ſe ſuaque omnia ſaltem aliquando per actum charitatis in Deum retulerit, 2. actus aliquis poteſt ad Deum referri ex charitate actualiter, aut virtualiter, formaliter aut imperativè, ut ex dictis patet. 3. poteſt opus ad Deum referri, non tamen ex charitate ſtrictè ſumpta, ut actus fidei, ſpei &c.

Valentia n.1.p.139

IV. Præmium reſpectu actionis meritoriæ duplex poteſt intelligi, aliud eſſentiale quod eſt poſſeſſio Dei; aliud accidentale, quod beatitudini accidentaliter connexum eſt, ut aureola quæ datur Martyribus.

V. Multiplex eſt Theologorum in præſenti materia ſententia. Prima quæ jam à nobis expoſita fuit, eorum eſt qui cenſent opus omne etiam naturale juſti, eſſe de condigno meritorium. Secunda eorum eſt qui cenſent nullum opus quod duntaxat ſit moraliter bonum, vitæ æternæ meritorium eſſe, niſi in finem ſupernaturalem referatur per charitatem aut aliam virtutem infuſam: & ii etiam docent actus virtutem infuſarum ab homine juſto factos, eſſe de condigno meritorios beatitudinis ex vi bonitatis ſuæ intrinſecæ, abſque ulla eorumdem actuum relatione actuali aut virtuali per actum præſentem aut præteritum charitatis facta. Ita Suares Lib. 12. de grat. c. 8. &c. Tertia ſententia, pergit Gonet, aſſerit nullum actum virtutis infuſæ, & multo minus virtutis moralis acquiſitæ, eſſe de condigno vitæ æternæ meritorium abſque aliquo imperio ſeu relatione ſaltem virtuali charitatis, eique ſoli deberi præmium eſſentiale beatitudinis; *aliis autem virtutibus, niſi ab illa imperentur, præmium duntaxat accidentale concedi.* Iiſdem penè verbis utitur Contenſon. *Sufficit*, inquit, *ex propria ratione actus virtutis infuſæ, ut ſit meritorius præmii accidentalis: præmium enim eſſentiale ſoli charitati per ſe reſpondet, aliis vero quatenus duntaxat ex charitatis radice formaliter aut virtualiter ſurgunt.* Hanc ſententiam communiter defendunt Thomiſtæ, ſi Goneto fides. Ergo, ut curſim & obiter amorem, juxta celebriores Thomiſtas, omnes prorſus Theologi adverſantur Janſenianis, ſecundum quos omnis actus etiam virtutis infuſæ, eo ipſo quo à charitate non imperatur, verum eſt defectu finis legitimi peccatum. His poſitis breviter.

Vide Sylv. hic q.114.

℞. 1. Habitualis in finem ſupernaturalem relatio, ſive concomitantia habitus charitatis non ſufficit ut actus virtutis acquiſitæ, ſeu ut opera quæ ſolum ſunt moraliter bona, ſint æternæ vitæ meritoria.

Prob. 1. ex Trid. ubi cum dixiſſet Chriſtum in ipſos juſtificatos jugiter influere virtutem, *quæ bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur & ſubſequitur*, addit, *ſine quâ nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent*: atqui opera etiam moraliter bona hominis juſti non fiunt ex virtute quam Chriſtus in ea influat.

Prob. 2. Ut actus æternæ vitæ meritorius ſit, debet eſſe quoad modum ſupernaturalis, quia meritum inter & præmium vera debet eſſe proportio: atqui ſola charitatis concomitantia nullam in actus aliunde naturales ſupernaturalitatem infundere poteſt: tum quia alioqui à contrario ſtatus peccati mortalis in ſingula naturalis ordinis bona vitioſitatem influeret, quod dici non poteſt; tum quia ad meritum de condigno non ſufficit ſola perſonæ dignitas, quia hæc materialiter ſe habet, ſed requiritur ipſa dignitas operis: atqui hæc prorſus deeſt ſi opus virtualiter ſaltem non producatur à gratia. Ergo dicendum cum S. Thoma in 2. ſent. diſt. 40. q. unic. a. 5. & 6. *Non ſufficit omnino habitualis ordinatio actus in Deum, quia ex hoc quod eſt in habitu nullus meretur, ſed ex hoc quod actu operatur.*

Objiciuntur quædam. 1. quod merces promittatur ei omni *qui fecerit voluntatem* Dei: hanc autem voluntatem facit qui virtutum etiam naturalium actus elicit. 2. quod ſola perſonæ Chriſti dignitas omnibus ejuſdem actionibus valorem infinitum communicaret; ergo conditio juſti debet ſervata proportione aliquid in actiones ejus meriti infundere.

Matth. 12.

Sed hæc non urgent. Ad 1. diſt. Ei omni qui fecerit voluntatem Dei promittitur merces eſſentialis aut accidentalis, conc. eſſentialis ſemper, ſubd. promittitur ſi agat in obſequium Dei, & modo mercedi proportionato, conc. ſecus nego. In iis Scripturæ locis quæ à Vaſque citantur, ſupplenda eſt conditio quam alibi disertè exprimit Chriſtus, ut nempe non quibuſvis operibus promittatur merces, ſed iis quæ fiunt in nomine Chriſti. Sic Matth. 19. *Qui reliquerit patrem & matrem... propter nomen meum, vitam æternam poſſidebit.* Et Marci 9. *Quiſquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, non perdet mercedem ſuam.* Etſi enim per opera moraliter bona homo Legi ſatisfaciat, non tamen æternam vitam promeretur, juxta id S. Thomæ, *Modus charitatis ſub neceſſitate præcepti includitur, ſecundum quod præceptum ordinatur ad conſecutionem beatitudinis, non autem ſecundum quod ordinatur ad vitandum reatum pœnæ.*

Quæſt. .. de ma'o ... 3. ad 7.

Ad 2. Valor actionum Chriſti non repetitur à ſola dignitate ſuppoſiti merè concomitanter ſe habentis, ſed ad eas activè concurrentis per modum principii quod, ut fuſius docent Scholaſtici ubi de Incarnatione. Adde quod minor ſit charitatis habitualis noſtræ vis & efficacia, quam divinitatis Verbi actiones theandricas vivificantis.

℞. 2. Illa omnia hominis juſti opera ſunt vitæ æternæ meritoria, quæ actu vel virtute fiunt ex imperio charitatis. ſive ſint actus virtutis infuſæ, ſive acquiſitæ. Ita Sylvius. Ratio eſt, quia nihil hujuſcemodi operibus deeſt, quominus meritoria ſint, cum fiant in gratia & ex gratia, quatenus à charitate imperari ſupponuntur. Et vero ſi homo dum manducat & bibit, hæc propter Deum operari poteſt & debet; quidni propter hæc remuneretur;

℞. 3. Ea ſolum hominis juſti opera de condigno merentur præmium eſſentiale, quæ à charitate imperantur; cætera vero non niſi præmium accidentale merentur. Ita Bellarm. L. 5. de juſtific. 15. Gonet, Grandin de gr. p. 308. P. Simonnet ibid. p. 508.

Prob. 1. ex S. Thoma, qui ſic loquitur 1. 2. q. 114. c. 4. *Meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes ſecundariò, ſecundum quod earum actus à charitate imperantur.* Ibid. ad 3. *Fidei actus non eſt meritorius*, vitæ æternæ ſcilicet, *niſi fides per dilectionem operetur, ut dicitur Gal. 5. ſimiliter etiam actus patientiæ & fortitudinis non eſt meritorius, niſi aliquis ex charitate hæc operetur.* Idem S. Doctor in cap. 3. Epiſt. 1. ad Corint. hæc expendens verba, *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*, hæc habet: *Præmium laboris noſtri attenditur primò ſecundum formam charitatis, cui reſpondet merces eſſentialis... ſecundò ex ſpecie operis*, & huic reſpondet aliqua

præro-

prærogativa *præmii accidentalis*. Qui textus opinionem noſtram integrè complectuntur.

Prob. 2. Cum meritum ab ordinatione Dei dependeat, ea ſolum opera vitæ æternæ meritoria ſunt quæ Deus ad vitam æternam acceptare dignatus eſt: atqui ea ſola opera quæ à charitate eliciuntur aut imperantur, ad vitæ æternæ meritum acceptantur à Deo. Prob. min. 1. quia Scripturæ non attribuunt hoc meritum niſi charitati. Joan. 14. *Si quis diligit me... diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum* 1. Cor. 2. *Oculus non vidit... quæ præparavit Deus diligentibus &c.* Jacobi c. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam quam repromiſit Deus diligentibus &c.* 2. quia Deus ea media ad finem ordinare ſolet quæ plus cum eo proportionis habent: atqui charitatis actus majorem habent cum æternâ vitâ proportionem. 3. quia non eſt æquum ut ancillæ idem habeant præmium eademque coronam ac domina & regina, niſi ex ejus imperio: atqui charitas ſe habet ut regina virtutum, cæ vero ut ejuſdem ancillæ; ergo.

Prob. 3. Quæ vitam æternam merentur, merentur etiam charitatis augmentum: atqui ſoli actus à charitate eliciti aut imperati ejuſdem augmentum mereri poſſunt. Tum quia id habitibus omnibus commune eſt; ut non augeantur, niſi per actus proprios; tum quia actus aliarum virtutum non ſunt perfecti ſatis, adeoque tale augmentum de condigno mereri non poſſunt.

Alias omitto probationes, quarum aliæ ab Auguſtino depromptæ nimis probant, aliæ vix quidquam. Imò multi ex nobilioribus S. Thomæ diſcipulis opinionem modo propoſitam ita explicant, ut juſtus per ſingula quæ facit bona opera mereri debeat; quia, inquiunt, ut actio à charitate imperata cenſeatur, ac proinde de condigno vitam æternam mereatur, ſufficit actus ille *quo homo in primo inſtanti juſtificationis, diligendo Deum* ex charitate, *totam ſuam vitam retulit in ipſum, omneſque actus ſuos ad eum referibiles. Cum enim bonorum actuum operatio ſit executio talis propoſiti, virtualiter ipſum includit, niſi per peccatum mortale talis intentio revocetur vel interrumpatur*. Ita Gonet diſp. 2. a. 5. in fine §. 6. Quare licet ſupra docuerit concomitantiam habitus charitatis à Vaſque admiſſam non ſufficere ad meritum actionum naturalium quæ poſtea ab homine juſto fiunt, docet tamen ad illud ſufficere eam relationem qua actus virtute primi actus charitatis eliciti in inſtanti juſtificationis refertur ad Deum: unde, inquit, repugnat dari in eo qui habet gratiam habitualem, actum moraliter bonum qui non ſit meritorius.; ergo Gonet aliter loquitur ac Vaſquez, ſed reipsâ idem cum ipſo ſentit.

Sup. §. 3.

Sylv. p. 801. In idem, tametſi viâ diſſimili, conſpirat Sylvius ad q. 114. a. 4. ibi enim poſtquam retulit textus S. Thomæ & S. Bonaventuræ, qui clarè adſtruunt eos ſolum actus eſſe condigne meritorios qui ſaltem imperantur à charitate, docet tamen *credere fidei articulos quia ſunt revelati à Deo, ſperare vitam æternam velut bonum à Deo promiſſum, offerre ſacrificium, Deum laudare & invocare, vel gratias ei agere*, eſſe actus æternæ vitæ meritorios, etiamſi nullus actus præceſſerit qui tunc perduret, ſeu cujus virtute imperentur aut exerceantur; quia tales actus habent id omne quod Tridentinum Concilium requirit ut juſtificatorum opera ſint meritoria, ſunt enim actus hominis juſti, viatoris, liberi, ſupernaturales &c.

Quod ſi dixeris tales actus non imperari à charitate, negabit id Sylvius; quia, inquit, imperium charitatis non eſt aliud quam actus voluntatis per charitatem informatæ & à Deo per gratiam motæ quæ actus illos imperat, ideoque eos vel explicitè vel implicitè refert in finem charitatis. Unde S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 9. ad 2. *Conſideratio ſcientiæ*, inquit, *poteſt eſſe meritoria ſi referatur ad finem charitatis, id eſt ad honorem Dei, vel utilitatem proximi*. Et in q. q. diſp. 4. de charitate a. 3. *Omnis virtus vel potentia ſuperior dicitur movere per imperium inferiorem, ex eo quod actus inferioris ordinatur ad finem ſuperioris: unde cum omnes aliæ virtutes ordinentur ad finem charitatis, ipſa imperat actus omnium virtutum*. Quapropter, pergit Sylvius, ſi S. Thom. vel q. 2. de malo vel alibi, aliquid his adverſum ſcripſerit, hic ſententiam ſuam explicaſſe, vel etiam mutaſſe dicendus eſt.

Dico 3. Ut opus ſit meritorium debet fieri in obſequium Dei. Ratio eſt, quia meritum reſpicit retributionem prout à certa perſona debitam: atqui merces nec debetur, nec à certa perſona exigi poteſt, niſi actio ad ipſam dirigatur, & in ejus obſequium cedat. Unde S. Thomas hic q. 21. a. 3. *Retributio ſecundum juſtitiam fit alicui ex eo quod agit in profectum vel nocumentum alterius.*

Dico 4 Ex parte merentis requiritur ſtatus gratiæ Eſt contra Baium, qui propoſitione inter damnatas 13. docet *opus bonum citra gratiam adoptionis factum, eſſe regni cœleſtis meritorium*, additque id nonniſi à Pelagianis negari.

Prob. 1. Joan. 15. *Sicut palmes* ait Chriſtus, *non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic nec vos niſi in me manſeritis*: atqui homo peccator non manet in Chriſto; quia is ſolum manet in Deo, *qui manet in charitate*, 1. Joan: 4. ergo peccator quamdiu eſt in ſtatu peccati mortalis ferre non poteſt fructum, eum præſertim qui vitam æternam meretur. Hinc opera omnia etiam ſupernaturalia quæ ſine gratia habituali fiunt, vocantur mortua.

Prob. 2. Ad meritum requiritur ex parte remunerantis promiſſio: atqui Deus non niſi juſtificatis vitam æternam promiſit. Nam vita æterna promittitur ut hæreditas: atqui hæreditas pertinet ad filios, juxta id Apoſt. Rom. 8. *Si filii, & hæredes.*

Confirm. 1. Si homo exiſtens in habitu peccati, vitam æternam mereri poſſet de condigno, poſſet etiam de condigno mereri remiſſionem peccatorum, quia qui meretur hæreditatem, meretur adoptari in filium cui ſoli debetur hæreditas: atqui peccatorem de condigno veniam mereri non poſſe certum eſt apud Catholicos, qui omnes his S. Auguſtini verbis ſubſcribunt, *Dicat peccator, Salvum me fac propter miſericordiam tuam... quia nullum habet meritũ peccator, qui adhuc juſtificari deſiderat.* In Pſal. 7.

Confirm. 2. Quia talis homo eſſet ſimul dignus vita æterna, & damnatione; vita quidem æterna, quia eam de condigno mereretur; damnatione verò, quia hæc peccati per pœnitentiam nondum deleti ſtipendium eſt: atqui &c.

Dico 5. *Mereri & demereri pertinet ad ſtatum viæ*: ſeu ad meritum requiritur ſtatus viatoris. S. Thom. 2. 2. q. 13. a. 4.

Prob. ex Scriptura Eccle. 9. *Quodcumque facere poteſt manus tua inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Et iterum: *Mortui... non habent ultra mercedem.* Eccli. 14. *Ante obitum tuum operare juſtitiam*; quia nempe, ut ait Chriſtus Joan. 9. *Venit nox quando nemo poteſt operari*. Eccle. c. 11. Ubi *ceciderit* lignum, *ibi erit*. Si autem homo eo in ſtatu debeat perpetuò manere in quo eum mors apprehenderit, nihil poſt mortem mereri poteſt: hinc Beati non merentur, licet eorum orationes ex præcedentibus meritis & divina acceptatione

vim

vim habeant impetrandi. Hujus rei ratio nulla poteſt afferri quam Dei voluntas : unde ſi voluiſſet Deus, tempus merendi vel deſiiſſet ante mortem, vel poſt eam perſeveraſſet, non quidem quoad actiones neceſſarias, ſed quoad plurimas quas liberè eliciunt comprehenſores. Sic ſtatus comprehenſoris Chriſtum à merendo non impedivit.

Quæres an Enoch & Elias in Paradiſo terreſtri, vel alibi degentes, etiam mereantur.

Negant multi, eo nixi fundamento quod alioqui Elias & Enoch S. Joannem Baptiſtam & Apoſtolos gratiâ ſuperarent ; quia per tot annorum circulos ſemper mereri, gratiam auget quaſi in infinitum. Affirmant alii, quia hiſce Sanctis nihil omnino ad meritum deeſt, ſive ex parte eorum, ſunt enim in ſtatu gratiæ & viæ; ſive ex parte operum, quæ faciunt, ſunt enim hæc & libera, & ſupernaturaliter bona &c. ſive demum ex parte Dei, neque enim divinam bonitatem deceret ut viros egregiè Sanctos tandiù ſine fructu ullo viſione beatificâ privaret. Nec vero mirum foret ſi qui in ſecundo adventu Chriſti Præcurſores & Apoſtoli erunt, atque *Antichriſtum ſanguine ſuo extinguent*, ut loquitur Tertullianus, eadem cum primis Apoſtolis, aut etiam majori coronâ donentur. Cæterum qui eos nunc mereri negant, non negant eos cum ſuũ pro Chriſto ſanguinem fundent, eſſe merituros. Sed de his quæ à ſolâ & nobis non manifeſtatâ Dei voluntate pendent, ſatius eſt ſilere, quam vaticinando loqui.

Dico 6. Ad meritum de condigno requiritur ex parte Dei pactum de dandâ mercede.

Probant aliqui ex iis Scripturæ vel Triditionis textibus, in quibus vita æterna iis quibus reddenda eſt, promiſſa fuiſſe dicitur. Sic Jacobi 1. v. 12. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam... accipiet coronam vitæ quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Sic Conc. Trid. cit. c. 16. Seſſ. 6. *Bene operantibus uſque in finem... proponenda eſt vita æterna... tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione... fideliter reddenda.* Verum hæc probatio parum firma videtur. Neque enim quæritur an Deus vitam æternam promiſerit iis qui diligunt eum, ſed utrum hæc Dei promiſſio ita neceſſaria ſit, ut eâ ſublatâ potuiſſet Deus æternam vitam non rependere iis qui bonum operati ſunt : contendit enim Vaſquez quem hic impugnamus, Deum ſtatim ac gratiam quæ boni operis principium eſt confert, eo ipſo obligari ad ejuſdem boni operis remunerationem ; unde etſi eam non promiſiſſet, adhuc ad eam dandam obligaretur, non quidem ex fidelitate, quia ſupponetur non promiſiſſe, ſed ob operis condignitatem cui ſua merces denegari nequit.

Vaſq. in 1. 2. diſp. 224.

Prob. Itaque efficacius. 1. ex Concilio Senonenſi in decr. fidei c. 16. ubi hæc habet : *Faciet tandem omnis miſericordia locum unicuique juxta meritum operum ſuorum, non abſolutâ condignitate... ſed gratia magis & liberali repromiſſione.* Atqui ſi bona opera citra pactum æternæ vitæ meritoria forent, mercedis hujus retributio magis rependeretur abſolutæ eorum condignitati, quam gratuitæ Dei repromiſſioni: imo, ut ait Vaſq. etiamſi non accederet Dei promiſſio, redderetur tamen vita æterna; ergo.

Conc. Lab. tom. 14. p. 495. an. 1528.

Prob. 2. Meritum de condigno ex parte hominis inducit obligationem mercedis ex parte Dei : atqui Deus ex ſua ſolum promiſſione ad remunerandum hominem obligari poteſt; ergo.

Majorem negat Mœratius diſp. 14 ſect. 2. quia, inquit, ad meritum ſatis eſt ut actus præmiabilis ſit, non autem ut reipsa præmio donetur, juxtà quam reſponſionem præſens quæſtio eſſet de nomine, quatenus non eadem apud omnes foret meriti condigni definitio. Sed refellitur Mœratius. 1, quia ſi ad meritum ſufficit ut opus ſit præmiabile, paſſiones eorum qui purgatoriis ignibus torquentur, dici poterunt meritoriæ; tam enim potuit iis præmium decerni à Deo, quam paſſionibus præſentis vitæ ſponte ſuſceptis, ut ſtatim dicemus. 2, quia vel ipſum meriti nomen, exprimit opus per quod aliquid nobis ab alio retribuendum meremur, & propter quod ideo tenetur alius ad dandam remunerationem; ergo actus meritorius melius ille dicitur qui remunerationis obligationem inducit, quam qui ex dignitate ſuâ habet ut præmiabilis ſit, ita ut tamen poſſit ipſi merces denegari. Itaque

Prob. min. ex S. Auguſtino Serm. 158. alias 16. de verbis Apoſt. *Debitor factus eſt Deus, non à nobis aliquid accipiendo, ſed aliquid quod ei placuit promittendo. Aliter enim dicimus homini, Debes mihi, quia promiſiſti mihi : & aliter dicimus, Debes mihi, quia dedi tibi.* Eadem fermè habet in Pſalm. 109. Unde : ſic : Ex Auguſt. qui conſtituitur alterius debitor, & obligatus ad aliquid ei reddeodum, conſtituitur debitor vel accipiendo vel promittendo : atqui ex eodem Auguſtino Deus non poteſt conſtitui debitor hominis aliquid ab eo accipiendo, cum homo nihil Deo dare poſſit quod ab eo non acceperit. Et vero aliunde docet ipſa Entis ſupremi idea, ipſum nihil creaturis debere poſſe, niſi velit & liberè velit : hinc Cœleſtinus Papa Epiſt. 1. c. 12. ait tantam eſſe Dei miſericordiam, *ut noſtra velit eſſe merita quæ ſunt ipſius dona*, quod repetit Trid. Seſſ. 6. c. 16.

Prob. 3. Ea opera vitam æternam non merentur de condigno ſeclusâ Dei promiſſione, quæ ſine eâ nullum homini jus ad vitam æternam actu obtinendam tribuunt : atqui bona opera... Quæ enim à Deo ad alium à vitâ æternâ finem acceptari poſſunt, hæc nullum conferunt homini jus quo vitam æternam ut ſibi debitam repetere poſſit : atqui juſtorum opera acceptari poſſunt... nempe ut creatura Deo ſolvat id quod ipſi innumeris debet titulis, creationis v. g. ſupremi in omnes creaturas dominii ; ergo.

Prob. 4. Quia nulla alia poteſt reddi ratio præter ordinationis & promiſſionis divinæ defectum, cur 1. non mereamur nobis de condigno perſeverantiam & auxilia efficacia, ſicut vitam æternam. 2. cur animæ defunctorum non mereantur in Purgatorio, aut animæ Patrum antiquorum non merentur in limbo, per bona opera quæ tunc ab iis fiebant, quæque non minus præmio erant proportionata quam quæ nunc à nobis eliciuntur; idem dicendum de Enoch & Elia; quos benè multi nunc non mereri concedunt.

Reponunt Vaſquez & Mœratius iſtos omnes non mereri, quia ſunt extra ſtatum viæ, qui ex rei natura, non verò ex libera Dei conſtitutione ad meritum requiritur; quatenus exigit ipſa rerum natura ut qui in termino eſt, non amplius ad ipſum tendat.

Refelluntur. 1. quia in idea Entis ſummè perfecti includitur ipſum remunerare poſſe quamlibet actionem piam & liberam ubicumque ea eliciatur, cum hoc non repugnet ulli ex attributis Dei, vel creaturæ, quæ ſicut præmium majus quam quod habet recipere poteſt, ita & illud Deo volente promereri poteſt. 2. quia repugnat quidem eum tendere ad terminum ſimpliciter, qui jam eo fruitur ; ſed non repugnat eum tendere ad majores gloriæ gradus quos nondum habet, & quos obtinere à Deo poteſt.

Neque idcircò dicimus opera mercede non digna, fieri digna mercede per voluntatem Dei extrin-

ſecam

ſecam: verum dicimus opera alioqui digna, id eſt bona, pia, Deo grata &c. nihil mereri cum Deus nihil vult ipſis rependere præmii.

Obj. 1. cum Nœrario: Falſum eſt ad rationem meriti de condigno neceſſarium eſſe ut inducat obligationem remunerandi; ergo ruit totum præcedentis aſſertionis fundamentum.

Prob. ant. Obligatio hæc neque neceſſaria eſt ad rationem meriti ut meritum eſt, cum non requiratur ad meritum de congruo; neque ad rationem condigni ut condignum eſt, cum ratio condigni nihil aliud dicat quam condignitatem, ſeu æqualem præmio valorem, qui ab aliquo extrinſeco pendere non poteſt, cum id quod rei alicui extrinſecum eſt, nihil in eam valoris influere poſſit.

℞. ad 1. neg. ant. Ad 2. dico obligationem remunerandi neceſſariam eſſe, ſi non ad rationem meriti ut ſic, aut ad ſolam condignitatem, ſaltem ad rationem meriti prout eſt de condigno: quia juxta nos mereri vitam æternam condignè, eſt mereri mercedem, non quæ retribui poſſet, ſed quæ de facto retribuenda eſt. Ad hoc autem requiritur acceptatio Dei, ejuſque promiſſio.

Ad 2. diſt. Ratio condigni nihil dicit quam condignitatem, ſi condignum ſumatur intrinſecè pro ſolo rei valore qui ad vitam æternam acceptari poteſt vel non, conc. ſi ſumatur intrinſecè & extrinſecè prout ad eam de facto acceptatur, nego. Hic porrò meritum accipimus pro opere quod certò & infallibiliter coronandum eſt, niſi per peccatum ſubſequens retractetur: atqui nullum opus aliunde quam ex promiſſione Dei habere poteſt ut certò & infallibiliter coronetur; ergo.

Obj. 2. Se habet bona actio in ratione meriti, ſicut mala in ratione demeriti: atqui opus malum pœnam meretur citra quodlibet Dei pactum; unde punitur, non quia ipſi pœna promiſſa eſt, ſed quia pœnam meruit, imo nec promiſſa eſt ei pœna, niſi quia eam meruit.

Reſpondent aliqui neg. min. quia, inquiunt, culpa ſecluſo pacto digna quidem eſt quæ puniri poſſit, ſed propriè non meretur pœnam: unde peccata quæ de novo à dæmonibus admittuntur, novæ pœnæ meritoria non ſunt: cujus rei nulla poteſt afferri ratio, niſi quod aliquo ſenſu promiſerit Deus ſe ea nunquam eſſe puniturum.

℞. 2. neg. maj. Diſparitas eſt 1. quod qui peccat Deum non faciat ſibi debitorem, cum Deus non obligetur ad puniendum; ſed potius ipſe homo ſe Deo, divinæque juſtitiæ debitorem faciet, unde peccata dicuntur *debita*, quatenus ex iis acquirit Deus jus peccantes puniendi ob injuriam ſibi illatam. At cum de merito agitur, Deus ipſe ſit debitor, & in eum jus quadantenus acquirit homo, ita

In Pſal. 83. ut juxta Auguſtinum dicere poſſit: Feci quod juſſiſti, *redde quod promiſiſti*. Itaque ſicut à ſe tantum habet homo quod peccet, ita & ſe Dei debitorem ſine ullo pacto conſtituere poteſt: at verò Deum ipſum ſibi debitorem efficere nequit, niſi ex parte Dei præcedat talis debiti fundamentum, quod eſt ipſa Dei promiſſio ſub operis conditione. 2. diſparitas etiam in eo eſt, quod homo per quodcumque opus bonum nihil Deo reddat, niſi quod ipſi debet, imo nec hoc totum reddit; ergo efficere non poteſt ut Deus præmium aliquod ſibi reddendum debeat: at verò peccatum, utpote Deo per ſe injurioſum, ſe ſolo debitum inducere poteſt, & Deo vindictæ jus conferre; ergo licet nulla ad demeritum requiri dicatur promiſſio ex parte Dei, ea tamen ad meritum requiri dicenda eſt.

Dico ultimo: Ad meritum de congruo requiritur 1. opus bonum in ordine ſupernaturali. 2. liberum. 3. ab homine viatore elicitum. 4. in obſequium Dei; quia ſine his conditionibus nullum opus Deum movere poteſt ad præmii ſupernaturalis retributionem. Non requiritur vero abſolutè ſtatus gratiæ ſanctificantis, aut promiſſio Dei; nam Cornelius, Act. 10. ſuis eleemoſynis & orationibus meruit & obtinuit aliquid quod Deus ipſi non promiſerat. Etſi vero conditiones eæ non *abſolute* requirantur, haud tamen negandum eſt eas aliquando intervenire: nam Ezech. 18. v. 21. Deus peccatori pœnitenti veniam promittit, quam peccator utpote nondum juſtus de congruo ſolum mereri poteſt. Pariter Jacobi 5. dicitur, *Orate pro invicem ut ſalvemini: multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Ubi requiritur ſtatus juſtitiæ ad hoc ut quis alteri mereatur, & tamen homo qui aliis meretur, meretur ſolum de congruo. Denique apud omnes conſtat hominem ſibi non mereri donum perſeverantiæ, niſi ſit juſtus; conſtat quoque neminem donum hoc de condigno mereri.

SECTIO TERTIA.

De objecto meriti.

QUæ ſub meritum cadunt, meriti objectum eſſe dicuntur. Ea verò vel ſunt bona gratiæ, vel bona temporalia: bona gratiæ, vel ſunt præſentis, vel futuræ vitæ, & hæc omnia vel nobis vel aliis poſtulare poſſumus. Unde ut præſens quæſtio methodicè & breviter pertractetur,

Dico 1. Nemo ſibi primam gratiam actualem mereri poteſt, etiam de congruo. Ratio eſt, quia homo ille deberet mereri gratiam per ſolas naturæ vires, ex quibus ſolis operatur, qui ante primam gratiam actualem operatur: atqui homo per ſolas naturæ vires gratiam mereri nequit. Unde receptum illud, *Principium meriti non cadit ſub meritum*; & damnatam illud Pelagii, *Gratia ſecundum merita datur.*

Dico 2. Nemo ſibi primam gratiam habitualem de condigno mereri poteſt; poteſt tamen eam mereri de congruo: ſecundam de condigno mereri poteſt.

Prob. 1. pars. Prima gratia habitualis ea eſt quæ transfert hominem de ſtatu injuſti ad ſtatum juſti: atqui homo talem gratiam de condigno mereri nequit. Nam ut quis de condigno mereatur, debet eſſe juſtus, ſed ante gratiam primam habitualem homo non eſt juſtus, ut patet ex terminis; ergo. Idem docet Apoſtolus his verbis: *Juſtificati gratis per* Rom. 3.
gratiam ipſius. Et Auguſt. in Epiſt. nunc 194. ad Sixtum ubi ſic loquitur; *Nulla ne ſunt merita juſtorum? Sunt planè quia juſti ſunt; ſed ut juſti fierent, merita non fuerunt. Juſti enim facti ſunt cum juſtificati ſunt; ſed ſicut dicit Apoſtolus, Juſtificati gratis.* Ac denique Trid. Seſſ. 6. c. 8. ubi ait nos ideo gratis juſtificari, *quia nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur*: atqui meritum quod ii textus juſtificationi prævium eſſe negant, eſſe ſaltem meritum propriè dictum ſeu de condigno; ergo iis aſſentiendum eſt qui credunt hanc primam aſſertionis noſtræ partem eſſe de fide.

Obj. 1. Contritio perfecta meretur de condigno gratiam ſanctificantem; ergo.

℞. neg. ant. Nam contritio perfecta eſt quidem ultima ad juſtificationem diſpoſitio, quam *juſtificatio ipſa ſequitur*, ut ait Trident. ibid. cap. 7. ſed diſpoſitio hæc nec eſt nec dici poteſt de condigno meritoria; quia illud ſolum de condigno meritorium eſt, quod eſt opus hominis juſti; atqui con-

contritio quæ ad juſtificationem proximè diſponit, nondum eſt opus hominis juſti, cum prior ſit infuſione juſtificationis. Confirmatur: Quod neceſſarium eſt ad impetrandam remiſſionem peccati, ſupponit peccatum nondum remiſſum, adeoque eſt opus hominis nondum juſti: atqui ea Trid. Seſſ. 14. c. 4. *Contritionis motus fuit quovis tempore neceſſarius ad impetrandam veniam peccatorum.* Ubi ſancta Synodus non loquitur tantùm de attritione, ut perperam regerunt adverſarii, ſed de contritione latè ſumptâ, perfectam & imperfectam ſub ſe continente, quarum prima *fuit ſemper* in antiquâ Lege neceſſaria, & etiamnum in novâ citra Pœnitentiæ Sacramentum neceſſaria eſt; ergo contritio etiam perfecta non eſt formaliter juſtificatio, ſed ipſi præexiſtit, ideoque eam de condigno non meretur: imò neque eam condignè mereri poteſt etiam de abſolutâ Dei potentiâ, juxta Martinon diſp. 44. de grat. ſect. 5. contra Suarem &c.

Inſt. 1. Saltem contritio prout conjuncta gratiæ ſanctificanti quæ ipſâ poſitâ ſtatim infunditur, gratiam hanc de condigno meretur: tunc enim contritio eſt actus hominis reipsâ juſti.

℞. neg. ant. Si enim contritio perfecta ut conjuncta primæ gratiæ ſanctificanti eam mereretur, gratia hæc eſſet ſeipsâ prior ſimul & poſterior. Prior quidem, quia eſſet principium meriti ſui ipſius, poſterior verò, quia ejuſdem meriti præmium & terminus foret: atqui fieri nequit ut gratia quæpiam ſit principium ſui ſimul & terminus. Confirm. Quia præmium non facit, ſed ſupponit dignitatem operis cujus eſt præmium; nec quiſquam præmio dignus fit per ipſum præmium: atqui in hypotheſi quam impugnamus homo per ipſam gratiam ſanctificantem contritioni annexam, eâdem gratiâ ſanctificante dignus fieret, quatenus ipſam mereretur; ergo.

Inſt. 2. Non repugnat ut aliquis mereatur præmium jam acceptum: ſic qui equum à domino accepit, eundem mereri poteſt ſi ejus ope domino grande obſequium præſtet; ergo homo primam gratiam mereri poteſt.

℞. neg. conſeq. Ratio diſparitas eſt, quòd qui equum à domino accipit, ab eo non accipiat bonum equi uſum, ſed à propriâ ſolùm induſtriâ; qui verò à Deo gratiam accipit, ab eo etiam accipit bonum gratiæ uſum, ita ut uſus ille plus ſit Dei quàm hominis. Deinde gratia ſanctificans eſt omnino principium meriti, valoremque in omnia quæ ſubſequuntur opera influit: non ita verò eſt de equo, vel de armis quæ Regi alicui donarentur, hæc enim per ſe ſterilia ſunt, & mera boni ſequentis inſtrumenta.

Prob. 2. pars. 1. Auguſtino citatâ Epiſtolâ ad Sixtum. *Sed nec ipſa remiſſio peccatorum*, inquit, *ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat: neque enim nullum eſt meritum.* Sed qui meretur remiſſionem peccatorum, meretur primam gratiam juſtificantem ſine quâ peccata non remittuntur. Unde idem S. Doctor Tract. 44. in Joan. *Iſta*, inquit, *confeſſio* Publicani Deum ſibi propitium eſſe precantis, *meruit juſtificationem*; ergo homo primum gratiæ ſanctificantis gradum mereri poteſt: non meretur autem de condigno; ergo de congruo.

2. Idem ſequitur ex citato Concilii Tridentini textu, juxta quem contritio perfecta ſemper impetravit veniam peccatorum.

3. Meritum de congruo illud dicimus quod ex decentiâ quâdam vim habet Deum inducendi ad beneficii alicujus conceſſionem: atqui actus quibus homo ſe ad juſtificationem diſponit, vim habent ex decentiâ inducendi Deum ad conceſſionem primæ gratiæ ſanctificantis, ſunt enim actus ſupernaturales, Deo placentes &c. ergo ſunt meritorii de congruo. Scio Thomiſtas aliquos duplex genus meriti de congruo diſtinguere, aliud ſtrictè ſumptum, quod conſiſtit in *jure amicabili* ad præmium, quod jus ſupponit gratiæ habitualis ſtatum quo ſolo amici Dei conſtituimur; aliud latè ſumptum, quod conſiſtit in quâdam habitudine & diſpoſitione quæ aliquo modo exigit formam ad quam diſponit. Hâc admiſsâ diſtinctione, peccator non poteſt mereri de congruo ſtrictè ſumpto, gratiam primam ſanctificantem, ſed ſolum de congruo latiùs ſumpto. Verùm ſatis non ſcio an hæc diſtinctio admitti debeat; S. enim Thomas Lect. 3. in cap. 3. ad Hebr. ſimpliciter dicit quòd *duplex eſt meritum, unum quod innititur juſtitiæ, & iſtud eſt meritum condignum; & aliud quod ſoli miſericordiæ innititur, quod dicitur meritum congrui.* Ubi vocem *ſoli* videtur excludi jus amicabile in ſtatu gratiæ fundatum. Gonet p. 196.

Prob. 3. pars. 1. Secunda gratia nihil eſt aliud quam augmentum juſtitiæ quæ homini miſericorditer à Deo conceſſa eſt: atqui hoc augmentum homo meretur ex Concilio Tridentino Seſſ. 6. Can. 32. *Si quis*, inquit, *dixerit... ipſum juſtificatum bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam... atque etiam gloriæ augmentum*, anathema ſit 2. quia nihil juſtorum operibus deeſt quominus augmentum hoc gratiæ mereantur.

Porrò juſti merendo gratiæ ſanctificantis augmentum, merentur etiam omnia auxilia ſine quibus juſtitiam conſervare non poſſunt: unde dicit Juſtus, *Juſtum auxilium meum à Domino*; atque inde eſt quòd Deus ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab iis prius deſeratur. Sed de his alibi.

Dico 3. Adultus non meretur de condigno primam gloriam, benè verò ſecundam; ſed primam meretur de congruo.

Not. Hic non agi de parvulis, quibus vita æterna datur ut hæreditas, quia per Baptiſmum ſunt filii; non ut merces quia merendi incapaces ſunt. Agitur ergo de adultis, quorum ſi alicui merito reſpondet prima gloria, utique gratiæ primæ habituali, vel actibus cum ipsâ elicitis, cum ſine ea nullum eſſe poſſit meritũ de condigno. His præmiſſis,

Prob. 1. pars. Prima gloria primus, ut ita dicam cœleſtis beatitudinis gradus: atqui hunc homo de condigno mereri non poteſt. Quod enim retribuendum eſt homini ante quodlibet meritum de condigno, illud homo de condigno mereri non poteſt: atqui primus gloriæ gradus jam homini retribuendus eſt ante quodvis meritum de condigno. Nam primus gloriæ gradus reſpondet primo gratiæ ſanctificantis gradui, cùm per eum homo filius ſit & hæres: atqui homo primam gratiam ſanctificantem recipit ante quodlibet meritum de condigno; ergo recipit jus ad primam gloriam antequam eam de condigno meritus fuerit.

Prob. 2. ex Trid. Seſſ. 6. cap. 10. *Nihil*, ait, *ipſis juſtificatis ampliùs deeſſe credendum eſt, quominùs plene illis quidem operibus quæ in Deo ſunt facta... vitam æternam promeruiſſe cenſeantur*; ubi ponderanda eſt vox hæc *ampliùs*; ergo ei ſolùm qui juſtificatus eſt, non in fieri, ſed in facto eſſe, nihil ampliùs deeſt ad hoc, ut vitam æternam operibus in Deo factis promereri poſſit; ergo ei tamdiu aliquid deeſt ad hoc meritum, quamdiu juſtificatus non fuerit.

Obj. Conc. Trid. docet juſtos mereri *vitam æternam & gloriæ augmentum*: atqui per vitam æternam hic intelligitur prima gloria, ſicut per augmentum

mentum gloriæ intelligitur gloria ſecunda; unde idem Concilium loquens de merito gratiæ, non dixit juſtos mereri gratiam, ſed eos mereri augmentum gratiæ. Et vero Scriptura & Patres indiſtincte pronuntiant juſtos vitam æternam mereri.

Vid. Mat. ienon p. 333. ℟. neg. min. Synodus enim Tridentina per *vitam æternam* intelligit gloriam abſolute, abſtrahendo á primâ & ſecundâ: addit vero *augmentum* gloriæ, non ut ſignificet primam gloriam cadere ſub meritum, ſed ut confutet Hæreticos qui negabant gloriam augeri per opera bona in ſtatu gratiæ facta. Et vero ibidem dicitur juſtos mereri *vitam æternam, & vitæ æternæ conſecutionem*: quis tamen credat Patres Tridentinos hæc veluti duo præmia explicare voluiſſe? Idem dicendum eſt ad Scripturam & Patres, qui nihil unquam circa metaphyſicas hujuſmodi quæſtiones definierunt. Adde quod eorum textus de merito congruo explicari poſſint.

Inſt. Si res ita ſit, dicendum eſt aliquos adultos & merendi capaces, ſalvari ſine merito: atqui hoc repugnat Scripturæ docenti unumquemque ſecundum laborem ſuum remuneratum iri.

℟. neminem adultum & merendi capacem ſalvari ſine bonis meritis ſaltem de congruo. Poteſt autem quis ſalvari ſine meritis de condigno, ut ſi quis poſt acceptam in Sacramento Pœnitentiæ vi attritionis requiſitæ, juſtificationis gratiam, antequam ullum deinceps actum emiſerit, moriatur: is enim ſalvabitur abſque eo quod actum de condig-
Vid. Suar. Lib. 12. de Gr. c. 12. no meritorium elicuerit, & hoc agnoſcunt etiam ex adverſariis noſtris multi.

Prob. 2. pars Secunda gloria eſt ipſum gloriæ augmentum: atqui ex citato Canone Concilii Trid. homo *vere* meretur gloriæ augmentum. Idem evincunt probationes quibus ſupra oſtendimus hominem de condigno mereri.

Obj. 1. Quod datur ex miſericordia, non datur ex merito: atqui vita æterna... juxta id Pſalm. 102. *Qui coronat te in miſericordia.*

℟. diſt. Datur ex miſericordiâ, quia prima cauſa perveniendi ad vitam æternam eſt gratia Dei, conc. quaſi excludatur libera hominis huic gratiæ cooperatio, adeoque & meritum, nego.

Obj. 2. Rom. 8. *Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*; ergo.

℟. diſt. Non ſunt condignæ paſſiones ſecundum ſubſtantiam, & præciſæ à charitate & gratia, conc. ſpectatæ prout procedunt à gratiâ, ſubd. non ſunt condignæ eâ dignitate quæ ſignificet æqualitatem rei ad rem, conc. dignitate habitudinis & propor-
Pſalm. 45. Joan. 4. tionis nego. Nam vita æterna eſt *flumen lætificans civitatem Dei*, gratia verò eſt *fons aquæ ſalientis in vitam æternam*: atqui flumen inter & fontem eſt vera proportio, licet plena non ſit æqualitas. Hinc Deus dicitur remunerare ultra condignum, non quia vitam rependit iis qui nihil habent meriti: ſed quia bonum merito præſtantius, & plures gloriæ gradus quam meriti ſimus nobis rependit.

Prob. 3. pars. Quia ex dictis homo primam gratiam habitualem de congruo mereri poteſt; ergo & primam gloriam quæ huic gratiæ correſpondet de congruo ſaltem meretur.

Dico 4. Juſtus nec de condigno neque de congruo infallibiliter mereri poteſt, ut ſi excidat à juſtitia, lapſum hunc reparet.

Prob. 1. pars. Si homo dum juſtus eſt, de condigno mereretur reparationem poſt lapſum mereretur ut Deus juſtitiæ ejus præcedentis recordaretur, & ut juſtitia hac liberaretur, atque id certò & infallibiliter obtineret: atqui juſtus hæc non meretur de condigno. Nam meritum de condigno innititur promiſſioni divinæ: atqui Deus non promiſit ſe juſtum qui in peccatum prolapſus eſſet, ab eo liberaturum eſſe ob præcedentes ejus juſtitias, ſed potius contrarium promiſit Ezech. 18. v. 24. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem... omnes juſtitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur.* Ibid. c. 33. v. 12. *Juſtitia juſti non liberabit eum in quacunque die peccaverit.*

Obj. Homo dum juſtus erat meruit de condigno vitam æternam; ergo & reparationem poſt lapſum ſine qua vitam æternam aſſequi non poſſet.

℟. diſt. Meruit vitam æternam, ſed obtinendam tantum ſi in juſtitia perſeveret, conc. obtinendam quacunque facta hypotheſi, nego. Alioqui quiſquis ſemel juſtificatus eſt, vitam æternam obtineret.

Prob. 2. pars 1. experientia quæ docet aliquos poſt plurima & eximia pietatis opera in ſtatu juſtitiæ perpetrata, tandem lapſos eſſe, & mortuos in peccato. Ita Saul, Tertullianus, fortè Salamon, & alii nimis multi; ergo. 2. peccator non reſurgit à ſtatu peccati, niſi per gratiam hanc efficacem quæ ſpiritualiter mortuos ſuſcitat: atqui nemo gratiam hanc fortem meretur de congruo infallibiliter. Qui enim non meretur minus in eodem genere non meretur plus: atqui... Nam minus eſt juſto mereri gratiam efficacem qua non excidat à juſtitia, quàm gratiam qua efficaciter reſurgat à lapſu: atqui primam non meretur infallibiliter, ut eadem experientia docet; ergo ſecundam multò minus. 3. opera juſtorum ſaltem ordinariè per peccatum mortificantur; ſed non ita mortificarentur ſi valerent ad hominem è peccato liberandum, ut benè notat Sylvius ad a. 7. quæſtionis 114.

Dixi, de congruo *infallibiliter*; quia aliquando evenit ut Deus juſtis qui lapſi ſunt, efficacia ad reſurgendum auxilia indulgeat intuitu boni alicujus operis quod ediderant in ſtatu juſtitiæ. Sic 2. Paralip. 19. dicit Jehu ad Regem Joſaphat: *Impio præbes auxilium... & idcirco iram quidem Domini merueras, ſed bona opera inventa ſunt in te*: quæ verba indicant Deum ob præcedentia bona Joſaphat opera cum eo miſericorditer egiſſe, non modo circa pœnam temporalem, ſed probabiliter circa remiſſionem peccati. Verum de his nulla extat Dei promiſſio: unde ſæpe lapſis pœnitendi ſpatium non concedit; & quibus concedit, fortè ſine ullo ad antiquam eorum juſtitiam reſpectu concedit. *Vid. Tournely de attrib. t. 2. p. 515.*

Dico 5. Juſtus perſeverantiæ donum mereri non poteſt de condigno, aut etiam de congruo infallibiliter. *Gonet. p. 200.*

Prob. 1. pars quæ eſt certa de fide 1. ex Scriptura. Rom. 11. *Tu autem fide ſtas, noli altum ſapere ſed time.* 1. Corint. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Philip. 2. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini, Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Ex quibus ſequitur incertam eſſe perſeverantiam, & proinde non extare ejus promiſſionem: atqui tamen promiſſio hæc ad meritum de condigno requiritur. 2. ex S. Auguſtino L. de dono perſev. c. 13. *Satis dilucidè*, inquit, *oſtenditur, & inchoandi, & uſque in finem perſeverandi gratiam: non ſecundum merita noſtra dari.* Quæ verba excludunt ſaltem meritum de condigno. 3. perſeverantia eſt complexio omnium auxiliorum per quæ homo juſtus non tantum perſeverare poteſt, ſed de facto in finem uſque perſeverat: atqui juſtus auxilia hæc efficacia de condigno mereri non poteſt, alias non excideret à gratia, à qua tamen vel ipſi juſtiſſimi ſæpius excidunt.

Prob. 2. pars 1. ex S. Auguſtino L. de dono perſev. c. 8. *Ex duobus piis cur huic donetur perſeverantia*

rantia uſque in finem, illi autem non donetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei : atqui in hoc inſcrutabilia non eſſent Dei judicia, ſi perſeverantia caderet ſub meritum etiam de congruo tantùm, ſed infallibiliter connexum cum effectu ; ſtatim enim reſponderetur hunc meritum eſſe perſeverantiam, alterum non item.

2. Perſeverantia vel ſumitur paſſivè pro unione mortis cum ſtatu gratiæ ; vel activè pro continuatione in bonis operibus uſque in finem : atqui neutro modo perſeverantia cadit ſub meritum de congruo infallibili. Non primo, alioqui nemo juſtificatus malè moreretur, quod falſum eſt. Non ſecundo, hæc enim perſeverantia importat collectionem auxiliorum efficacium quibuſcum ſucceſſivè acceptis, juſtus uſque in finem vitat malum, & bonum operatur : atqui hæc collectio ſub meritum infallibile non cadit. Nam 1. prima hujus collectionis gratia ſub meritum non cadit ; aut ſi cadit, cadit ſub meritum naturale, quod pelagianum eſt. 2. nec gratia ſecunda ejuſdem collectionis ſub meritum cadit. Si enim juſtus eam meretur, utique per primam, eademque de causâ tertiam meretur per ſecundam, & quartam per tertiam & ſic de cæteris : atqui hoc dici non poteſt ; alioqui juſtitia inamiſſibilis foret, ſalvarenturque omnes qui ſemel juſtificati fuêre, nec juſtificatus unquam fuiſſet qui malè moreretur : quæ totidem ſunt intolerabilia pſeudoreformati ſyſtematis conſectaria, ut ſolidè demunſtrat illuſtriſſ. Boſſuetus Meldenſis ; ergo.

Obj. 1. Homo augmentum gratiæ & gloriæ meretur ; ergo & bonam mortem mereri poteſt, cùm hæc in ratione beneficii non ſit majus aliquid gratiâ & gloriâ. 2. Chriſtus Luc. 21. *Vigilate*, inquit, *omni tempore orantes, ut digni habeamini... ſtare ante filium hominis*, id eſt uſque ad mortem perſeverate. Unde S. Auguſt. L. de perſev. c. 6. *Hoc Dei donum ſuppliciter emereri poteſt* ; ergo.

℞. Ad 1. neg. conſeq. In his tota ratio facti eſt ſuprema voluntas facientis. Non negamus potuiſſe Deum efficere ut homo bonam mortem non minùs quàm vitam æternam de condigno mereretur: at id ab eo factum eſſe negamus.

Ad 2. neg. adhuc conſeq. Fatemur enim hominem de congruo perſeverantiam mereri, ſed non de congruo infallibili ; unde non tam eam meretur quàm impetrat. Et hoc ex ipſis qui objiciuntur textibus clarè conſequitur: vox enim *ſuppliciter* quâ utitur Auguſtinus, ſignificat orationem quàm etiam commendat Chriſtus. Portò oratio prout eſt ſimplex petitio, non meretur ſed impetrat : impetratio autem à ſolo Dei beneplacito dependet.

Inſt. 1. Ideo ex nobis homo perſeverantiam verè non meretur, quia Deus eam ipſi non promiſit : atqui falſum conſequens. Ille enim perſeverantiam promiſit, qui promiſit ſe eum timorem nobis daturum eſſe vi cujus ab ipſo non ſimus receſſuri: atqui Deus... Jerem. 32. *Timorem meum dabo in corde eorum ut non recedant à me*.

℞. Ad 1. neg. min. ad 2. diſt. min. Promiſit Deus Eccleſiæ ſuæ cujus pars nobilior ſunt electi, conc. promiſit unicuique ſigillatim juſto, nego : imò ne
Eccl. 9. juſtus quidem ſcit an *amore vel odio dignus ſit* ; ergo à fortiori ignorat an uſque in finem perſeveraturus ſit.

Inſt. 2. Ille etiam privatis perſeverantiam promiſit, qui ad ſingulos hæc dirigit verba : *Non te deſeram neque derelinquam* : atqui Deus unicuique juſto verba hæc dirigit Hebr. 13.

℞. diſt. min. Promiſit Deus ſe non eſſe deſerturum, id eſt auxilia ſufficientia abundè collaturum

eſſe, conc. auxilia efficacia quæ ſola perſeverantiam important, neg.

Dico 6. Juſti poſſunt juxta S. Thomam mereri de condigno bona temporalia, prout neceſſaria ſunt aut valdè utilia ad opera virtutum quibus in vitam æternam perducimur. Eadem vero bona nudè & ſecundum ſe ſpectata ſub meritum de condigno non cadunt ; fieri tamen poteſt ut ſive juſti ſive peccatores ea de congruo mereantur per opera moraliter bona. Ita S. Doctor q. 114. a. 10. Sylvius &c.

Prob. 1. pars : Eodem merito quo quis meretur finem, meretur & media ad finem conducentia : atqui juſtus per bona opera meretur finem, nempe vitam æternam ; ergo eodem merito mereri debet bona temporalia, non ſimpliciter, quo ſenſu vera bona non ſunt, ſed prout ex ordinatione divinâ conducunt ad finem, & ut ſic finis bonitatem participant. Unde S. Thomas ait bona hæc cadere *ſub merito directè & ſimpliciter*, *ſicut & augmentum gratiæ*.

Confirm. quia hic reperitur divina promiſſio, de quâ major difficultas moveri poteſt; ait enim Apoſtolus 1. Timoth. 4. *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.*

Nec nocet quod juſti ſæpe non impetrent hujuſmodi bona pro quibus tamen plurimum orant ; inde enim ſequitur eadem bona juſtis plerumque ùtilia ad ſalutem non eſſe. Unde S. Proſper Sent. 212. *Fidelis*, inquit, *ſupplicat pro neceſſitatibus hujus vitæ, & miſericorditer auditur, & miſericorditer non auditur : quid enim infirmo ſit utilius, magis novit medicus quàm ægrotus.*

Prob. 2. pars. Juſti plerumque bonis temporalibus ſunt deſtituti ; ergo ea de condigno non merentur, meritum enim de condigno mercedem ſuam infallibiliter conſequitur.

Prob. 3. pars. Quia juxta doctrinam S. Auguſtini in Libris de Civ. Dei, Romani qui peccatores erant mundi totius imperium meruêre, propter opera quædam moraliter bona. Unde S. Thomas in 2. Sent. diſt. 27. q. 1. a. 4. ſic loquitur : *Frequenter, ut Gregorius dicit, Deus in hoc mundo remunerat eum qui præmium futuræ gloriæ non meretur, ut nullum bonum irremuneratum inveniatur.*

Dico 7. Juſtus poteſt aliis mereri de congruo quidquid ſibimetipſi meretur, & aliquid ampliùs. Ratio primæ partis eſt, quòd ut juſtus aliis mereatur id quod ſibi mereri poteſt, ſufficit ut offerat Deo opus huic præmio proportionatum, quod à Deo acceptari conveniens ſit : atqui juſtus offerre poteſt Deo opus prædicto fini proportionatum, ſupernaturale ſcilicet, & conforme ordini divinæ providentiæ quæ vult ut homines ſe invicem in negotio ſalutis adjuvent, & hoc opus cùm ſit hominis Deo amici, ab eodem Deo acceptari conveniens eſt. Hinc S. Ambroſius L. 5. in Lucam: *Magnus*, inquit, *Dominus qui aliorum merito ignoſcit aliis.*

Ratio ſecundæ partis eſt, quòd homo ſibi gratiam ſimpliciter primam mereri non poſſit, quia hæc, utpote meriti omnis principium, non cadit ſub meritum : atqui eandem tamen aliis mereri poteſt. Unde Sancti bonis quæ edunt operibus peccatorum converſionem aliquando merentur; ergo homo poteſt aliquid aliis mereri quod mereri ſibi non poteſt.

4. Dividitur in ſcrupuloſam, & latam. *Scrupuloſa*, ea eſt qua mens levibus nixa fundamentis judicat, aut timet, ne mali aliquid ſubſit in actione bonâ vel indifferenti, puta ne peccet ambulando ſuper paleas quæ decuſſatim poſitæ crucem efformant. Nomen *ſcrupuloſi* ducitur à *ſcrupulo*: eſt autem ſcrupulus, lapillus aſper pedem lædens, & obſiſteos progredientibus, ſic enim conſcientia ſcrupuloſa moleſtiam parit, & animæ paci reluctatur. Conſcientia ſcrupuloſa differt 1. à rectâ, ut per ſe patet. 2. à dubia, hæc enim eſt ſuſpenſio, non illa. 3. ab opinione, quia hæc nititur ex fundamentis non contemnendis. Conſcientia lata ea eſt quâ mens exiguis fulta ratiunculis licitum eſſe putat quod malum eſſe deprehendi facilè poteſt, aut pro levi peccato habet quæ duriores gehennæ flammas merentur. Utraque conſcientiæ ſpecies ad erroneam pertinet; ſicut & conſcientia *pharisaica* quæ magna parvi, & parva magni facit, *calicem excolans, & camelum glutiens*. Matth. 23. & *cauteriata*, quæ propter longam in malo conſuetudinem, ita obduruit, ut vulnus ſuum non ſentiat.

5. Dividitur in probabilem, & improbabilem. Hæc vel nullis vel leviſſimis rationibus innititur; illa gravi quidem motivo nititur, ſed tamen fallibili; unde dicitur fundari in opinione probabili. De his conſcientiæ ſpeciebus, potiſſimum verò de probabili, ſigillatim tractandum. Sit itaque.

ARTICULUS SECUNDUS.

De conſcientia erronea.

SUppono 1. licitum non eſſe agere contra conſcientiam rectam quæ præcipit aliquid boni, aut prohibet aliquid mali. Talis enim conſcientia vel eſt ipſamet ratio recta, vel eidem rationi conformis in re non liberâ: atqui à rectâ ratione in materiâ neceſſariâ diſcedere non licet; ergo.

Obj. Poteſt Judex licitè condemnare eum quem ex propriâ conſcientiâ inſontem eſſe cognoſcit: atqui Judex ille agit contra conſcientiam præcipientem ut vita ſervetur innocenti.

℞. 1. neg. maj. cum Sylvio, Pontas, & aliis pluribus. Ratio eſt, quia Judex nec à Deo nec à Republicâ recepit poteſtatem innocentes occidendi: imo vetitum ei eſt ne turbam ſequatur ad faciendum malum ergo potius Magiſtratui, imo & vitæ renuntiare debet, quam unum morti addicere quem juſtum eſſe cognoſcit.

℞. 2. neg. min. Nam juxta hujus ſententiæ patronos Judex ille agit quidem contra propriam ſcientiam, ſed non contra conſcientiam; conſcientia enim tunc dictat perſonam publicam qua talem teneri ad judicandum ſecundum allegata & probata.

Suppono 2. licitum eſſe agere contra conſcientiam rectam conſulentem. Nam agere contra hanc conſcientiæ ſpeciem, eſt agere contra conſilium: atqui id licet. Licet enim id non facere, quod nulla lege imperatum eſt: atqui implicat ut conſilium quatenus tale, lege aliqua præceptum dicatur. Hinc licet non ſervare virginitatem, nubendo; non ſervare paupertatem, ut eam ſervant Religioſi &c. quia ipſamet recta ratio dictat hæc fieri poſſe aut omitti.

Quæſtio igitur eſt 1. an peccet nec ne, qui conſcientiam erroneam ſequitur. 2. quale ſit ejus peccatum. 3. quid obſervandum cum eo qui erronea conſcientia laborat. Quæ ut ſolvantur.

Dico 1. Non peccat qui agit ex conſcientia errante, ſi error ſit invincibilis, imo peccat qui contra eam agit.

Prob. 1. pars. Quia ut quis in hoc caſu peccaret, neceſſum eſſet ut ignorantia invincibilis non excuſaret à peccato: atqui ignorantia invincibilis excuſat à peccato ex dictis. Hinc S. Thomas quodlib. 8. q. 6. a. 15. *Error conſcientiæ*, inquit, *quandoque habet vim abſolvendi, ſive excuſandi; quando ſcilicet procedit ex ignorantia ejus quod quis ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur*. Vid. Supp. 182.

Ergo, ut piè notat Habert, neque ex erronea conſcientia, neque ex fine laudabili excuſantur defectus eorum qui Officium ſæculare vel eccleſiaſticum quod eorum vires & talenta ſuperat, etiam non quæſitum ſuſcipiunt. Eorum enim error ſaltem in cauſa voluntarius eſt; debuerunt enim coram Deo penſare quid valerent, quid ferre recuſarent humeri; debuerunt viri prudentis qui eos ex plana interioris hominis manifeſtatione cognoſceret, judicium ſequi. Si enim peccet qui talentum ſibi commiſſum *metu fortè, aut ſegnitie, aut minus diſcreta humilitate* abſcondit in terra; peccat & is quoque qui *ſemiplenus feſtinat effundere*, iiſque qui ipſum ad hæc officia trahere conantur, reſpondere debet, *Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Hab. t. 3. de conſc. c. 3. Vid. S. Bern. Serm. 18. in Cant.

Prob. 2. pars. Ille peccat qui vult peccatum; ſed qui agit contra conſcientiam etiam errantem vult peccatum. Ille enim vult peccatum, qui facit id quod judicat eſſe peccatum: atqui agens contra conſcientiam &c.

Confirm. 1. ex Apoſt. Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, atqui hæc Apoſtoli verba ſignificant id omne eſſe peccatum quod eſt contra conſcientiæ dictamen. 1. enim id fatentur nobiliores S. Pauli Interpretes, & inter alios Eſtius 2. Concilium Lateran. IV. verba hæc non ſenſu fidei theologicæ, ſed ſenſu conſcientiæ interpretatur. 3. id apertè oſtendit contextus. Agitur enim de iis qui cibos quoſdam præ aliis prohibitos eſſe credentes, iis tamen veſcebantur: *Qui* verò *ſic diſcernit* inter cibos, ait Apoſtolus, *ſi* nihilominus *manducaverit, damnatus eſt quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Vid. Tract. de rel. p. 57.

Dico 2. Qui conſcientiam habet vincibiliter errantem peccat ſive contra eam agat, ſive non. Peccat quidem contra eam agendo, ut patet tum ex probationibus modò allatis, tum ex cap. 13. *De reſtit. ſpoliat.* ubi generaliter dicitur: *Quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam.* Peccat verò pariter agendo ſecundum ipſam; quia tenetur & poteſt eam deponere, cum error ſupponatur vincibilis.

Obj. 1. Si vincibiliter errans mentiatur, ut v. g. ſuccurrat proximo ſuo cui per mendacium ſuccurrendum eſſe credit, peccat contra præceptum non mentiendi; ſi verò non mentiatur, peccat contra conſcientiam: atqui nemo poteſt in ſtatu tam perplexo conſtitui ut ſive agat, ſive non, peccet; ergo.

℞. diſt. min. Nemo poteſt in eo ſtatu conſtitui ut ſive agat ſive non, peccet, & nullum habeat medium quo evadat, conc. ſi hoc & illud peccatum evadere poſſit, nego. Tota ergo quæ huic homini incumbere videtur peccandi neceſſitas, planè eſt voluntaria: debet enim & poteſt errorem ſuum deponere, ſive peritiores conſulendo, ſive rem profundius inſpiciendo, ſive ſtatuendo ex principiis generalibus quid facto opus ſit. Quod ſi non ſuppetat ſatis temporis ut error per ſapientū conſultationem, aut plenius rei examen deponatur, tunc eliciendus eſt actus contritionis de priori ignorantiæ peccato, eaque eligenda pars in qua minus apparet eſſe mali; & ſic culpa ulterior non imputabitur, quia error è vin-

è vincibili fiet invincibilis, cum cauſa ejus retractata fuerit, & quantum fieri poteſt à peccato diſcedatur.

Obj. 2. Si peccet quis agendo contra conſcientiam vincibiliter errantem, tenebitur ad ſequendam eam; ne non ſequendo peccet: atqui homo teneri non poteſt ad ſequendam conſcientiam vincibiliter erroneam; alioqui teneretur ad ſequendam partem peccati.

Reſpondent Sanchez Lib. 1. in Decal. c. 11. Mœrat. diſp. 9. de actibus humanis ſect. 2. & alii apud Martinon ibid. diſp. 14. ſect. 3. negando minorem: ſed melius negatur major, quia inter duo extrema quæ hic occurrere videntur, datur medium. Unde qui conſcientiâ vincibiliter erroneâ laborat, nec debet agere contra illam, ne faciat id quod judicat malum cum non ſit; nec agere ſecundum illam, ne faciat id quod reverâ malum eſt, etſi tale non judicetur, ſed eam deponere & rectam ſibi conſcientiam efformare: ſed qui eam quam gerit conſcientiam deponere tenetur, non tenetur eam ſequi: ergo.

Quæres an conſcientia plus obliget quam præceptum Superioris.

℞. cum Sylvio hic q. 19. a. 5. Vel conſcientia eſt recta, vel dubia, vel erronea. Si primum, major eſt obligatio conſcientiæ quam cujuſcumque præcepti humani, juxta id Act. 4. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Si ſecundum, docet idem
P. 167. Theologus ſubditum qui dubitat rectum ne ſit an malum, id quod ſibi à Superiore præcipitur, eidem obſequi debere: v. g. ſi præcipiat Superior ut ſubditus ob morbum cujus gravitas dubia eſt, à jejunio vel Horis abſtineat. Ratio eſt 1. quod Superior habeat jus exigendi obedientiam à ſubdito: atqui dubium ſubditi non tollit jus Superioris, cum *in dubiis melior ſit conditio poſſidentis.* 2. quia præceptum impleri debet, cum nullum imminet peccati periculum in ejus executione; atqui nullum imminet ſubdito periculum peccati in præſenti caſu. Periculum enim illud ſe teneret ex parte conſcientiæ quæ dubia ſupponitur: hoc autem periculum timeri non debet, quia conſcientia hæc dubia poteſt & debet deponi; poteſt enim inferior præſumere rem de quâ dubitat an licita ſit, eſſe verè licitam ob varias rationes quas Superiores præ ſubditis attendere & ponderare ſolent: unde ſi quid tunc erroris obrepat, Superiori imputandum eſt, non inferiori cui obedientia à Deo præcepta eſt.

Porrò ſupponimus 1. Superiorem cui in dubio obediendum eſſe dicimus, virum eſſe doctum, diſcretum, prudentem. 2. mandatum ejus non niti momentis quorum infirmitas ab inferiori cognoſcatur, aut viris non minus quam ipſe ſit gravibus penè certa videatur. Sic non facilè aſſentiendum eſt Superiori præcipienti ut ſæcularibus miniſtrentur Sacramenta, ſi parum firmè probet jus illud ſibi competere. 3. inferiorem non poſſe tutâ conſcientiâ obſequi, quamdiu dubium ejus perſeverat: ſic enim peccaret, dum ſe peccati periculo exponeret, ut docet Cabaſſutius L. 1. theor. &c. c. 21. & cum eo Pontas v. *Obeiſſance* caſ. 4. 4. demum quando omnibus ſpectatis & ſecundum Deum conſideratis, dubitat ſubditus ex causâ quæ ſibi & aliis rationabilis videtur, an res ſibi imperata juſta ſit, non ſemper eſt obediendum, ſed pars tutior eſt amplectenda. Ita Sotus, Medina, Henno & alii. Verum hæc vix aliter quam per circumſtantias explicari poſſunt: eæ verò circumſtantiæ ſunt natura mandati, circumſtantia perſonæ mandantis, bonum aut malum proximi inde eventurum &c.

Quod ſi conſcientia ſubditi ſit erronea ſed invincibiliter, ita ut nullæ appareant rationes quibus ea deponi poſſit, ſequendum eſt, ait Sylvius, dictamen conſcientiæ & relinquendum Superioris præceptum. Ibid. p. 161
Si v. g. ſubditus vidit aliquam legem pontificiam, quæ revocata quidem eſt, ſed cujus ipſe revocationem non cognoſcit; Superior verò qui contra eam aliquid jubet, ignorat legem hanc aliquando latam fuiſſe; ſubditus conſcientiam ſuam non autem Superioris præceptum ſequi debet, quia lex illa proponitur menti inferioris tanquam vinculum quod nec tolli poteſt ex parte Superioris, qui in lege pontificia diſpenſare non poteſt; nec ex parte ſubditi, quia cum ignorantiâ invincibili laboret, errorem ſuum deponere nequit.

Si vero ſubditi conſcientia erronea quidem ſit, ſed tantum vincibiliter, ſubditus eam deponere tenetur & Superioris mandatum adimplere; ſequitur ex dictis.

Quæres iterum, an gravius peccet qui agit contra conſcientiam errantem, quam qui ſecundum eam operatur.

℞. cum eodem Sylvio, neutrum eſſe ſimpliciter altero gravius, ſed pro diverſitate materiæ unum aliquando gravius eſſe, aliquando aliud. Si v. g. credas te teneri ad mentiendum, ut proximi vitam conſerves, & non mentiaris, reus eris homicidii, omittendo ſcilicet id ad quod te obligari putas; ſi verò mentiaris, non niſi officioſum, ac proinde veniale mendacium committes. Si vero è contra credideris te ſub venialis peccati pœnâ teneri ad furandum ut ſuccurras pauperi, venialiter tantum peccabis non furando; mortaliter verò ſi gravem ſummam ſubripias. Idem docent Salmantic. Tract. 20. cap. 5.

Dico 3. Peccatum contra conſcientiam invincibiliter erroneam eſt mortale, ſi conſcientia dictet ipſum eſſe mortale; veniale vero ſi conſcientia illud non niſi veniale eſſe dicat, ſive interim actio ſit bona in ſe aut mala, ſive mala graviter vel leviter. Ratio eſt, quia in hiſce actionibus tale eſt peccatum quale voluntas ipſum vult, atqui voluntas vult peccatum aut grave aut leve, cum fertur in objectum quod judicat eſſe graviter aut leviter malum; ergo qui ſpuit in Templo peccat mortaliter, ſi conſcientia dictet id eſſe peccatum mortale; venialiter vero ſi dictet peccatum eſſe veniale, & nullatenus ſi dictet, quod reverâ eſt, nihil ibi eſſe peccati.

Dico 4. Peccatum contra conſcientiam vincibiliter errantem tale eſt qualis apprehenditur materia circa quam verſatur: ita ut ſi materia ut gravis apprehendatur, grave ſit peccatum; ſi ut levis, leve: modo quod apprehenditur ut leve, non ſit reipsâ grave. Ratio primæ partis eſt, quod peccatum actionis quæ fit contra conſcientiam errantem, naſcitur ex modo quo voluntas vult idem peccatum; ergo ſi voluntas vult peccatum quod mens ex errore judicat eſſe in materiâ gravi, graviter peccabit &c. Ratio ſecundæ partis eſt, quod materia gravis ſufficiat ad peccatum mortale, niſi error conſcientiæ tollat conſenſum, atqui error vincibilis de quo loquimur, conſenſum hunc tollere non poteſt, cum is error ſit voluntarius; ergo ſcholaſticus qui credit ſe mortaliter peccare, ſi levem ſummam parentibus furetur, mortaliter peccat; & adhuc mortaliter peccat, ſi grandem ſummam furando exiſtimet ſe leviter ſolum peccare, quia is error facilè deponi potuit.

Sed quid ſi conſcientia errans dictet quidem aliquid eſſe malum, ſed non determinet ſit-ne mortaliter malum, an venialiter dumtaxat.

℞. cum Sylvio, Salmanticenſibus & aliis apud

ipſos,

ipſos, cum qui contra talem conſcientiam agit peccare mortaliter. 1. quia cenſetur velle peccatum qualecumque illud ſit, & ſe exponit periculo mortaliter peccandi, quia facit id quod eſſe poteſt peccatum lethale; atqui homo in tali diſpoſitione mortaliter peccat. 2. qui paratus eſt falſum perinde ac verum juramento confirmare, mortalis peccati reum ſe facit cum jurat, quia perjurii periculo ſe exponit: ſed qui agit contra conſcientiam dictantem aliquid eſſe peccatum quodcumque illud ſit, paratus eſt mortale perinde ac veniale peccatum committere; ergo peccat mortaliter, ſaltem contra charitatem quam Deo & ſibimetipſi debet, quæque vetat peccatum ut Dei offenſam & malum peccantis. Vid. Sylv. p. 163.

Cæterum, qui contra conſcientiam erroneam peccat non incurrit cenſuras & pœnas quas incurrit qui contra conſcientiam rectam agit. Si quis v. g. Laicum percutiat quem Clericum credit, non ſubjacet excommunicationi quam incurrunt qui ſcienter percutiunt Clericum. Pariter irregularitatem non contrahit qui celebrat credens falsò ſe eſſe excommunicatum.

Dico 4. Cum quis erroneâ conſcientiâ laborat, aliæ ſunt obligationes ex parte ipſius, aliæ ex parte Confeſſarii.

Quod ſpectat ad eum qui erroneâ conſcientiâ laborat, tenetur eam deponere, non temerè ſed prudenter. Conſcientiam temerè deponit, qui ad ejus dictamen non advertit, ſed potius alio convertit animum; aut qui mediis improportionatis utitur. Sic enim non deponitur conſcientia, ſed con-

Job. 21. temnitur, ut ii faciunt qui dicunt Deo, *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus:* ſimiles iis facti qui Iſaiæ 30. dicunt *videntibus, Nolite videre, & aſpicientibus, Nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt; loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Conſcientiam erroneam prudenter deponit, qui media ad hunc finem idonea aſſumit. Ea verò ſunt, ait Sylvius, humilis & frequens oratio, exacta diſcuſſio rei totius, Librorum qui de hac materia ſolidè tractant lectio, conſilii à viris doctis & qui Deum timent petitio, quæ media ſic adhiberi debent ut ſi prius nón ſufficiat ad alterum recurratur: & tunc ſi adhuc perſeveret error, cenſetur invincibilis. Monet tamen Sylvius exiſtimandum non eſſe quod teneatur homo adhibere ſummam omninò diligentiam quæ humanitus poteſt adhiberi; ſed ſatis eſt, inquit, quod tantam adhibeat quantam viri prudentes & timorati ordinariè adhibere ſolent: unde neceſſe non eſt ut conſulantur tot Directores aut Doctores quot ab aliquibus conſuluntur; ſed ſufficit ut viri aliquot pii perinde ac eruditi, & laxiorum opinionem minimè ſequaces interrogentur. Imo generaliter loquendo debet pœnitens obedire Confeſſario, Parocho, aut Superiori, cum præcipiunt ut conſcientiæ dictamen tanquam erroneum contemnatur; iis enim eſt lumen à Deo conceſſum quod deficiente rationis noſtræ lumine ſequi debemus. Si tamen pœnitens timoratæ ſit conſcientiæ, & aliunde noverit ſe ſcientiam habere Confeſſarii ſcientiæ parem aut ſuperiorem, non tenetur, nec debet ſententiam illico mutare, ſed actionem ſuſpendere donec ſtudio, oratione & multorum conſilio rem diligentius indagaverit.

Quod ſpectat ad Confeſſarium cum homine qui erroneâ laborat conſcientiâ tractantem, certum eſt ei maturè & graviter eſſe procedendum, Aliquando enim tenetur monere, pœnitentem de errore, aliquando eundem monendo peccat. Et quidem tenetur eum monere, cùm pœnitens interrogat an talis actio ſit peccatum nec-ne: Confeſſarius enim Doctor eſt eorum qui in tenebris ſunt; ergo eos ſaltem cum illuminari volunt, erudire debet, Adde quod qui Confeſſarium interrogat, aliquid habeat in mente dubii, ac proinde non laboret ignorantiâ invincibili: ſed cum ignorantia vincibilis eſt, pœnitens moneri debet, quia non poſſet per eam excuſari. Et hoc verum eſt, etiamſi Confeſſarius prævideat monitionem ſuam pœnitenti profuturam non eſſe, quia eædem urgent rationes.

Quod ſi pœnitens ignorantia invincibili laboret, aliquando moneri debet, aliquando non. Debet quidem moneri 1. ſi ſpes emendationis affulgeat: debet enim Confeſſarius quantum poteſt eos quorum eſt Doctor ab erroris via ad ſemitam veritatis revocare. 2. ſi ignoret media ad ſalutem neceſſaria, moneri debet, etſi nihil ex illa monitione ſperetur boni. Sic moneri debet qui erroneè judicat ſolam ſine dolore confeſſionem ſufficere ad obtinendam peccati lethalis veniam. Idem dicendum de eo qui Incarnationis myſterium neſcit, unde damnata eſt ab Innocentio XI. propoſitio iſta, *Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Redemptoris.* 3. moneri non debet ſi monitio nociva magis quam utilis futura eſſe prævideatur, adeo ut pœnitens qui hactenus materialiter tantum peccavit, deinceps formaliter peccaturus præſentiatur, Confeſſarii monita ſpernendo. Ratio eſt, quia ad actum inutilem & à fortiori ad actum periculoſum nemo tenetur: atqui Confeſſarii monitio non inutilis ſolum eſſet, ſed noxia. Hinc illud Auguſtini in Cap. *Si quis*, diſt. 7. de Hom. 41.
pœnit. *Si ſcirem non ſibi prodeſſe, non te admonerem,* inter 50.
non te terrerem. Hinc non eſt monendus pœnitens de nullitate matrimonii, ſi ſubſit legitimus timor, ne ea cognita diſpenſationem non petat, ſed pergat maritaliter habitare cum ea quam uxorem ſuam non eſſe cognoſcit; aut è contra ſi præſumatur eum non ſine prolis periculo, & proximi offenſione, ab uxore ſibi invisâ diſceſſurum eſſe. De quo vid. Collat. Andegav. de matrim. tom. 2. p. 165. edit. nov. 4. moneri tamen debet pœnitens ſi ignorantia ejus verſetur circa principia juris naturalis, non primaria ſolum quæ invincibiliter ignorari nō poſſunt, ſed ſecundaria: tum quia hæc non facilè ignorantur invincibiliter; tum quia eorum ignorantia facile fit vincibilis ob malitiæ ſuſpicionem quam actio de ſe mala & inhoneſta ingerere ſolet: unde, ut bene notat P. Henno, adoleſcens qui pollutionis malitiam invincibiliter ignoraret, quod fieri poſſe multi negant, de peccati hujus gravitate monendus foret, tametſi vetus adhæſivi peccati conſuetudo vix ullam futuræ emendationis ſpem permitteret. Ratio eſt, quia præterquam talis ignorantia diu durare non poteſt, homo ille majori cum remorſu peccabit, conſuetudinem ſuam aliis Confeſſariis aperiet, remedia ejuſdem coercendæ edocebitur, & aliquando tandem meliorem ad frugem poterit adduci. 5. ſi error invincibilis in boni communis diſpendium vergat, monendus eſt pœnitens, quidquid ſit de monitionis ſucceſſu. Hinc invalidè ordinatus moneri debet, quia bonum publicum particulari præferendum eſt. Idem dicendum mihi videtur ſi pœnitentis error talis ſit ut grave proximo damnum ingenerет: poſtulat enim charitas & ſæpe juſtitia, ut grave proximi damnum, cum id fieri poteſt, avertamus

ARTICULUS III.

De conſcientia ſcrupuloſa.

QUandoquidem ex eſt ſcrupuloſi hominis calamitas, ut pax animæ ejus continuò perturbetur, mens crucietur aſſiduè, tollatur ea ſpiritus libertas quæ decet filios Dei, & totus homo quaſi omni conſolatione deſtitutus ab orationis cæterarumque virtutum exercitio deterreatur, ita ut apertum à pietate aut etiam à ſanitate mentis excidendi periculum ſubeat, idcirco præſentem materiam breviter quidem ſed quam exactè poterit fieri, pertractabimus. Sed ante notandum eſt nomine ſcrupuloſorum non hic eos à nobis intelligi qui ex juſto Dei timore non mortalia ſolum, ſed & venialia peccata, imo eorum ſuſpicionem vitare enixè ſatagunt, quique ſicut Job verentur *omnia opera* ſua; ii enim non ſcrupuloſi, ſed verè timorati dicendi ſunt. Pariter nec ii pro ſcrupuloſis haberi debent, qui ob peccata præterita malè vel leviter confeſſa anxii ſunt: ſed ii demum ſcrupuloſi judicandi ſunt, qui ex motivo parvi vel nullius momenti judicant aliquid prohibitum eſſe vel præceptum, quod revera vel præceptum non eſt vel prohibitum, adeoque
Pſalm. 13. qui *illic trepidaverunt timore ubi non erat timor.*

Quæres 1. quibus ſignis poſſit homo ſe ſcrupuloſum judicare.

℞. Hæc afferri ſolent. 1. ſi cum ſalutis ſuæ ſtudioſus ſit, ſæpe tamen dubitet, & in uno vel multis capitibus anxiè alios interroget. Item ſi variis inquietetur cogitationibus circa fidem, caſtitatem, religionem, aliaſque virtutes contra quas data occaſione peccare nollet. 2. Si non niſi cum timore & anxietate viri etiam prudentis conſilia & deciſiones ſequatur. 3. ſi confeſſiones ex vero converſionis deſiderio & ſincerè factas repetere velit, iiſque aliquid ſemper defuiſſe credat. 4. ſi viri pii perinde ac in materiis ad mores ſpectantibus verſati, dubia ejus pro ſcrupulis habeant; tunc enim, etiamſi alia deſint ſigna, pro ſcrupuloſo ſe habere debet. 5. ſi judicet id quod in aliis excuſat à culpâ ſibi illicitum eſſe; ſi de omnibus ferè quæ ad ſe pertinent dubitare ſoleat &c.

Quæres 2. quænam ſint ſcrupulorum cauſæ.

℞. Aliæ ſunt *ab intrinſeco* v. g. frigida complexio, ideoque formidoloſa. 2. immoderatæ auſteritates quæ caput & poſtea animum infirmant. 3. abundantia proprii judicii, quæ relictis etiam ſaniorum conſiliis, cerebri ſui viſionibus præfractè adhæret. 4. ſubtilitas ingenii quod dubitandi rationes invenit, eaſdem vero præ agitatione ſuâ ſolvere non valet. 5. defectus judicii, tentationem à conſenſu, veniale à mortali non ſecernentis. 6. ſuperbia, amor proprius, & confuſa quædam inclinatio in eo nos conſtituendi ſtatu in quo Deo reddamus quidquid ipſi debitum eſt. Aliæ ſunt ab *extrinſeco*, ut 1. converſatio cum ſcrupuloſis. 2. lectio Caſuiſtarum qui ſatis non penetrantur. 3. & ſæpius aſtutia diaboli qui jugum Dei ſuave in aſperum transformare nititur, ut hominem à virtutis via, à celebratione Miſſæ, à participatione Sacramentorum avertat, aut conjiciat in deſperationem, de quo vid. Delugo, qui diſp. 16. de pœnit. ſect. 14. narrat hiſtoriam juvenis cujuſdam nobilis quoad cætera quidem prudentis, ſed plus æquo ſcrupuloſi, qui *cum confeſſionem generalem totius vitæ facere vellet, per quindecim dies ſe ad illam præparavit, & plurima folia de ſuis peccatis ſcripſit, quibus legendis multi dies non ſuffecerunt. Sed neque his contentus novum adhuc examen inſtituit. Quo facto, cum jam per dies aliquot confiteri cœpiſſet Valliſoleti... in eas tandem anguſtias, confeſſionis occaſione, redactus eſt, ut ipſemet pugione lethaliter ſe percuſſerit, Deo tamen providente ut ante mortem poſſet iterum confiteri.* 4. permiſſio Dei, qui peccata hominis præterita plectere, futura augere præmia, ſuperbiam ex talentis naſcituram moderari curat.

Quæres 3. quænam ſint ſcrupulorum remedia, & quam cum iis agendi rationem ſervare debeant Confeſſarii.

℞. varias à variis regulas afferri, nos aliquot exhibebimus deſumptas ex Ethica amoris, cujus au- Tom. 1. l.
thor in laxioris æthices ſuſpicionem non veniet. 1. p.

1. itaque Confeſſarius ſcrupuloſos monere de- 733.
bet quod ſcrupuloſi ſint, ideoque ſecundùm ſcrupuloſorum regulas curandi: hoc autem pœnitens & Confeſſarius ex ſignis ſupra relatis cognoſcere poterit. Porrò cùm quis ſcrupuloſus judicatur ab iis quibus interiora ſua ſæpius manifeſtavit, iiſdem fidem habere debet, non autem ſtare ſuo judicio, tametſi vir ſit doctus; ſcrupuloſus enim raro vel nunquam ſcrupuloſum ſe credit, ſaltem in actu ſingulari, nec judicat levia eſſe momenta quibus hic & nunc inquietatur, alias non ſineret ſe iis inquietari.

2. Inculcanda eſt ſcrupuloſis neceſſitas obedientiæ cæcæ, quæ ſola tanti mali remedium eſſe poſſit. Quapropter niſi obedientiam hanc totalem ſpondeat, aut eam aliqui ſeriò conetur, dimittendus eſt tanquam cujus plaga inſanabilis ſit. Hæc verò obedientia hiſce motivis ſuadebitur. 1. quod ſcriptum ſit Prov. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ, & ne ſis ſapiens apud temetipſum.* Quæ ſententia præſertim apud ſcrupuloſos valere debet, qui cum, quatenus ſcrupuloſi, cerebrum habeant paulisper læſum, & oculos mentis obnubilatos, ſeipſos dirigere non poſſunt, ſed ab aliis dirigi debent. 2. quod judicium ſuum aliorum judicio anteponere animi ſit elati, & contra modeſtiæ, prudentiæ, humilitatiſque regulas peccantis. 3. quod hanc obedientiam ſæpe remuneraverit Deus, & propter eam homines à ſcrupulis liberaverit, ut liberatus eſt ille S. Bernardi diſcipulus, qui Patri ſuo præcipienti ut contemptis ſcrupulis celebraret, obſecutus humiliter, ab omni anxietate immunis evaſit. Quod ſi reponat ſcrupuloſus, ſe libenter obtemperaturum, ſi alium pro Directore Bernardum haberet, oſtendendum eſt quam graviter hallucinetur; neque enim
Directori obeditur tanquam homini, *Omnis enim* Pſalm.
homo mendax; ſed tanquam Deo: unde juxta Bernar- 115.
dum ipſum, *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod* De præc.
non ſit certum diſplicere Deo, haud ſecus omnino ac- & diſp. c.
cipiendum eſt ac ſi præciperet Deus. Atque id eo ve- 12.
rius eſt, quod error Superioris & Confeſſarii, ſi quis hic occurreret, non imputaretur pœnitenti qui obediendo fecit id quod ſuum eſt, quodque ab eo Deus exigit.

3. Inculcandum eſt homini ſcrupuloſo id Gerſonis: *Debent ſcrupuloſi audacter contra ſcrupulos operari; alias nunquam pacem habebunt.* Non quod licitum ſit ſcrupuloſo contra ſcrupulum quem retinet, operari, ſi per ſcrupulum intelligatur verum judicium, tametſi futilibus cauſis innixum, (non autem, ut intelligunt aliqui, timor an actio mala ſit junctus cum judicio abſoluto de bonitate ipſius) non enim magis operari licet contra conſcientiam ſcrupuloſam actu retentam, quam contra erroneam quæ adhuc permanet; ſed quia poteſt & debet ſcrupuloſus ſcrupulum ſuum explodere, non diſputando, non rationes intrinſecas opponendo, ſic enim nemo præſertim ſcrupuloſus finire poteſt; ſed utendo rationibus extrinſecis, quæ ſcilicet ab authoritate

Con-

Confeſſarii, vel Paſtoris deſumuntur ; aut quæ eruuntur è principiis quæ in caſibus, propè aut omnino ſimilibus, à viro pio & erudito expoſita fuere: abſit enim ut quoties novus urget ſcrupulus, toties ad Directorem ſit recurrendum.

4. Qui ſcrupuloſum dirigit, epikeiâ ſeu rationabili legum etiam divinarum interpretatione uti debet oſtendendo ſcrupuloſos non teneri ad obſervandas leges quas ſine magnâ anxietate & moleſtiâ, adeoque ſine gravi difficultate obſervare non poſſunt. Hinc qui magnas in Horarum lectione anxietates patitur, & continuò formidat ne hunc vel illum verſiculum omiſerit, repetere non debet, niſi ſibi certò de hac omiſſione conſtet, quia præceptum Eccleſiæ tanto cum incommodo non obligat. Imò non ſcrupuloſus qui in lectione Sacri vel Horarum invenit ſe in medio vel fine Pſalmi alicujus, aut alterius orationis, in dubio non debet anteriora repetere, quia probabiliter credere poteſt ſe non tranſiliiſſe ordinem ſolitum, & à principio ad finem omiſſis mediis tranſvolaſſe. Unde Sacerdotes præſertim ſcrupuloſi qui ultra conſecrationem ſe inveniunt, ambiguntque an conſecraverint, repetere non debent. Hanc regulam extendit poſt Breſſetum Henricus à S. Ignatio ad eos etiam qui memoriter recitant, quod difficilius admitterem pro iis qui maleſidam & huc atque illuc errantem memoriam à naturâ ſortiti ſunt.

5. Scrupuloſi qui dubitant an in cogitationes blaſphemiæ aut impuritatis conſenſerint, præſumere debent ſe reipsâ non conſenſiſſe, ſaltem ſi timorati ſint, & eo uſque abhorreant à peccato, ut illud tardò vel nunquam deliberatè admittant. Idem ſentire debent qui ita ſcrupuloſi ſunt, ut quidquid ſibi venit in mentem, commiſiſſe ſe credant. Nec refert quod circa hoc quandam habere ſe putant evidentiam, ea enim non naſcitur, niſi ex imaginatione vividè concuſſâ & timore malè fundato. Et hoc, ait citatus Theologus, ita verum eſt, ut procedat etiam in caſu quo ſcrupuloſus exiſtimaret poſſe jurare ſe hiſce cogitationibus conſenſum præbuiſſe.

6. Scrupuloſi qui circa præteritas confeſſiones verentur ne aliquid omiſerint, aut ne circumſtantias debitè non expreſſerint, vel eum neceſſario dolore non fuerint confeſſi, repetere non debent, ſi, poſt mediocrem diligentiam, defectum certò non deprehenderint. Monendi ſunt inſuper, ſi timorati ſint & fréquenter confiteantur, ſufficere iis examen valdè mediocre; quia præceptum faciendi examen pluſquam mediocre, tunc ſaltem ceſſat, cum id exigit juſtiſſima cauſa, qualis ea eſt ut quis devitet moleſtiſſimas anxietates quibus alioqui ſine dubio torqueretur.

Nec refert quod aliqua fortè peccata hinc omitti contingat; quia ex communi Doctorum ſenſu ad materialem confeſſionis integritatem non tenentur, qui eam abſque notabili incommodo obſervare non poſſunt: neque enim inſtituta fuit Confeſſio, ut hominum conſcientias diſcruciet, ſed ſoblevet; nec de Domino in bonitate ſentiunt, qui exiſtimant eum ab ægrotis idem exigere quod à ſanis. Hinc ſequitur ſcrupuloſos non teneri dubia confiteri peccata, ſicut ea ſani confitentur ſed certa duntaxat; alias non eſſet finis: ſcrupuloſi enim ſimiles ſunt hydropicis, quorum ſitis eo plus accenditur, quo magis bibendo ei ſatisfaciunt. Cæterum hæc de eo ſcrupuloſorum genere dicta ſint, qui timoratæ ſunt conſcientiæ: ſunt enim ſcrupuloſi quidam vitæ laxioris qui in omne malum facilè proruunt, & paulò poſt ſcelerum furiis & remorſu agitantur, & iis permitti debet ut confeſſiones præteritas repetant, niſi, ait Æthica ex iſta repetitione incurrant periculum de novo peccandi. Ratio eſt, quia talibus proſunt ſcrupuli quatenus ſuperbiam evertunt, vivaces paſſionum ſtimulos hebetant, & injiciunt frænum quo tuens à peccato terrebitur.

Et hæ ſunt quæ ſcrupuloſorum morbo à Confeſſariis adhibendæ ſunt curationes: alias alii recenſent quæ meditanti facilè occurrent, ut quod plerumque cum ſcrupuloſis benignè agendum ſit, ne afflictis addatur afflictio nova; aliquando tamen auſterè tractandi ſint, ut diſcant parere. Item non patiatur Director ut ſæpius ad ſe recurrant, eoſque etiam non auditos dimittat, qui recurſus ille & colloquia, nova ſunt ſcrupuloſorum propago. Item non permittat eos abſtinere à frequentandis ut decet Sacramentis, ne priventur gratiâ ſacramentali, quæ pacandis conſcientiis plurimum inſervit. Sed pœnitentes propriæ ſuæ paci non minus allaborare debent: unde 1. ſollicitè cavere debent omne peccatum 2. frequenter orare, & alia edere pietatis exercitia, præſertim actus amoris & fiduciæ in Deum; multum enim eo nomine peccant ſcrupuloſi, quod Deum pro duriore magiſtro, & exactore auſteriori habent. 3. cavere otium & vagas cogitationes quæ ſcrupulis januam aperiunt; adeoque labori ſedulo incumbere, ei præſertim qui plus animum juvat, ſi aliunde nihil habeat mali. 4. ſcrupulorum cauſas evertere, ita ut ſuperbus prudentiæ ſuæ non innitatur; timidus meditetur bonitatem Dei; melancholicus Medicorum arte bilem atram expellat. 5. Directoris conſilium ſequi ſine examine; Directorem quem pium & peritum, ſive per ſe, ſive per alios eſſe reſciverit, non mutare facilè, neque alios interrogare malè-ne an benè caſum hunc ſolverit; haud credere Confeſſarium non ſatis intellexiſſe caſum ſibi propoſitum &c.

ARTICULUS QUARTUS.

De Conſcientia dubia.

Licet conſcientia dubia non ſit propriè conſcientia, cum ad conſcientiam requiratur judicium, & mens dubitans non judicet, ſed potius ſuſpendat judicium, de eâ tamen hic agemus, quia nullibi commodius de eâ agere licet.

Dubium dividitur 1. in negativum, & poſitivum, de quibus jam ſupra: ubi notandum eſt eos hallucinari qui cum Tamburino ſentiunt, dubium propriè dictum tunc ſolum contingere, dum vel nullæ occurrunt rationes ſive pro unâ, ſive pro alterâ parte contradictionis, vel non occurrunt niſi leves. Nam 1 qui dubitat ſine ratione, non tam dubium habet quam neſcientiam, ut ſupra animadvertimus. 2. qui graves habet rationes circa utramque partem contradictionis, eo ipſo conſcientiam habet verè dubiam, non autem probabilem, ut malè contendunt adverſarii. Tunc enim propriè homo eſt in ſtatu dubitantis, cum mens ejus inter duas contradictionis partes ita eſt ſuſpenſa, ut non magis ad unam partem quam ad aliam declinet per aſſenſum: atqui ubi momenta ſunt æqualia aut quaſi æqualia, ſive gravia ſint, ſive levia, mens non magis in unam contradictionis partem quam in aliam ferre ſe poteſt per aſſenſum; ergo neceſſum eſt eam fluctuantem & ſuſpenſam ac proinde verè dubiam remanere, eo fermè modò quo neceſſe eſt ſtateram remanere ſuſpenſam & æquilibrem dum æqualia in utraque bilance ſunt pondera.

Dividitur 2. in dubium *purè ſpeculativum*, quo quis dubitat de re quæ ad mores non pertinet, ſed ſcientiam præciſè, ut ſi quis dubitet an fluxus mari-

timus ab hac vel illâ causâ dependeat; *ſpeculativè practicum*, quo quis dubitat an aliqua actio vel omiſſio in genere, ſit licita vel non, v. g. an die feſto pingere liceat, nec ne; & *practicè practicum* quo dubitatur an actio aliquâ hic & nunc cum omnibus circumſtantiis ſuis fieri poſſit; v. g. an hoc die feſto liceat mihi pingere ad exornandam Eccleſiam, aut ob aliam ſolemnitatem publicam.

Dividitur 3. in dubium juris, quo quis dubitat de lege, præcepto & quocumque obligationem pariente, vel de aliquo ad obligationem prærequiſito, qua tali, v. g. de legitima poteſtate ab obligandum &c. ut ſi quis dubitet, an extet lex quæ jejunium tali die præcipiat; an emiſerit votum de re facienda; an Superior qui talem conſcientiæ caſum reſervavit, reſervationem hanc facere potuerit. Dubium facti eſt dubium, quo quis certus quidem eſt de lege, ſed dubitat an eam adimpleverit: ut cum certus ſum de voto, ſed dubito an adimpleverim, & an rurſus adimplere tenear. Idem dubium ſub diverſo reſpectu eſſe poteſt dubium facti & juris; vel ſaltem ex dubio facti ſæpe naſcitur dubium juris. Dubitat quis v. g. an matromonium liberè contraxerit, eo dubium facti: ideoque dubitat an in hoc caſu teneatur ad reddendum debitum, en dubium juris. His præmiſſis eædem circa conſcientiam dubiam moventur quæſtiones quæ circa erroneam, quibus ut fiat ſatis,

Dico 1. Qui dubitat negativè vel poſitivè an actio ſua licita ſit vel illicita, peccat peccato ejuſdem ſpeciei & gravitatis de quo dubitat, ſi dubio manente operetur.

Prob. 1. pars. Nempe quod peccet. 1. quia non agit ex fide ſeu ex perſuaſione quod actid ſua ſit licita, cum dubitet an non ſit illicita: ſed *quod non eſt ex fide peccatum eſt*. 2. quia peccat qui vult ponere opus quod judicat poſſe eſſe malum, & offenſam Dei: atqui operans in tali dubio &c.

Prob. 2. pars. Idem ſit de cæteris judicium ac de eo qui agit dubitans an perjuret, an mentiatur &c. atqui homo ille peccat in genere vel perjurii, vel mendacii; quia vult interpretativè perjurium aut mendacium. Vult enim illud peccatum cui ſe exponit: unde probata manet tertia pars, nimirum quod peccatum ejus eandem habeat gravitatem quam in eo eſſe poſſe credit; quia in tantum peccat in quantum grave eſt peccatum cui ſe exponit: atqui gravitas periculi cui ſe exponit, reſpondet dubio ipſius, cum non peccet niſi ratione dubii ſui.

Aſſertio hæc noſtra intelligenda eſt de dubio etiam ſpeculativè practico, non ſolum vincibili, ſed etiam invincibili. Ratio eſt, quia non poteſt quis licitè operari, niſi practicè certus ſit actionem quam vult exercere eſſe licitam; ſed qui dubitat an talis actio ſit in univerſum prohibita, non poteſt certò judicare eam hic & nunc licitam eſſe, cum dubium per aliquam circumſtantiam non tollitur: dubium enim de aliqua propoſitione univerſali redundat in omnem particularem ſub ea contentam. Et hoc verum eſt in eo etiam caſu in quo dubium illud eſt invincibile: hæc enim, ſi ita loqui fas eſt, dubii invincibilitas non tollit ab eo rationem dubii; ergo qui tale habet dubium, certam ſibi conſcientiam formare non poteſt, quod actio ſua licita ſit; ergo nec poteſt in hoc caſu operari niſi peccando; ergo qui dubitat an tres v. g. contractus in genere liciti ſint, & dubium hoc vincere non poteſt ſtudendo, legendo, conſulendo, dubitat an iidem contractus hic & nunc ſibi liciti ſint & proinde ab iis ineundis abſtinere debet.

Obj. Si peccet homo cum id facit de quo dubitat an ſit peccatum nec ne, quiſquis de actionis ſuæ bonitate certus non erit, non poterit operari: atqui falſum conſequens; alioqui homo ſuſpenſus remanebit, cum certitudinem in moralibus habere nequeat dicente Scriptura Sap. *Cogitationes mortalium timidæ, & incerta providentia noſtra.*

℞. diſt. maj. Non poterit homo agere niſi habeat certitudinem moralem, conc. phyſicam aut metaphyſicam, neg. Certitudo triplex, metaphyſica, phyſica, & moralis. Certitudo metaphyſica eſt adhæſio mentis ei veritati quæ etiam per omnipotentiam Dei aliter ſe habere non poteſt: ſic certus ſum me eſſe dum cogito. Certitudo phyſica eſt adhæſio mentis alicui veritati quæ ſecundum conſuetas naturæ leges, aliter habere ſe nequit, tametſi abſolutè aliter ſe habere poſſit: ſic certus ſum hominem qui in ignem conjicitur dolorem pati, tametſi fieri poſſit ut revera nihil patiatur mali, quemadmodum contigit pueris in fornacem miſſis. Certitudo moralis eſt adhæſio mentis ei veritati quæ licet aliter eſſe poſſit etiam ſine miraculo, ſpectatis tamen circumſtantiis omnibus prudenter & ſine probabili timore judicatur talis eſſe qualis apprehenditur. Talis eſt certitudo Judicis, qui duobus teſtibus de aliquo facto conſentientibus fidem habet; talis etiam eſt certitudo plebis quæ Parochi minimè ſuſpecti catecheſibus credit: licet enim non deſint exempla eorum qui vel à teſtibus, vel à Parochis decepti fuere, ea tamen rariora ſunt & remoriora quã ut prudenter timeri debeant; & ſi timerentur jam nullus eſſet dubiorum finis, nulla ex eo dubio emergendi via. Fatemur certitudinem phyſicam aut metaphyſicam non eſſe homini neceſſariam, cum in iis quæ ad mores ſpectant neutra ſoleat reperiri: at moralem certitudinem qua dubium excluditur, requiri contendimus. 1. quia ſine illa exponeret ſe homo periculo peccandi, faciendo id quod malum eſſe poſſe cognoſceret. 2. quia talis certitudo facilè habetur ab iis qui fidei vel etiam rationis lumen conſulunt, aut ſaltem ſeipſis peritiores conſulere non detrectant.

Inſt. Paſtor in dubio poteſt & debet infirmo in extremis poſito Sacramenta miniſtrare: atqui talis Paſtor non habet certitudinem moralem.

℞. diſt. min. Non habet certitudinem de effectu Sacramenti, conc. de actionis ſuæ bonitate, nego. Etſi enim Sacramenta dando ſecuritatem non demus, certò tamen nobis conſtat in extremis extrema quæque tentanda eſſe, adeoque infirmis Sacramenta conferri debere, quia prodeſſe valent, & ſalutem iis procurare qui alioqui, perituri fuiſſent.

Dico 2. Qui conſcientiam habet negativè dubiam an actio hic & nunc licita ſit, ſi omnibus rite ponderatis nullam probabilem detegat authoritatem qua actionem hanc illicitam eſſe conſtet, poteſt dubium ſuum tanquam malè fundatum deponere, & actionem hanc exequi. Ita Henricus à S. Ignatio p. 739.

Prob. Qui dubitat negativè an actio illicita ſit, nullam aut levem admodum de ejus in honeſtate rationem habet, alioqui poſitivè dubitaret: ſed qui nullam de alicujus actionis inhoneſtate rationem habet, poteſt prudenter eandem actionem ponere. Nam prudenter agit qui nullas habet rationes non agendi, aut ſaltem tam leves habet, ut eas tanquam leves & inanes ſerupulos abjicere debeat: atqui negativè dubitans nullas habet rationes non agendi &c.

Confirm. Qui ignorat invincibiliter actionis alicujus malitiam, actionem hanc tutâ conſcientiâ exercere poteſt; ſed qui poſt ſeriam inquiſitionem, nihil in actione aliquâ advertit mali, ejuſdem actionis malitiam ignorat: dubium enim negativum

ut

ut ſupra dixi non tam eſt dubium quam ignorantia, & ignorantia hæc involuntaria eſt cum ſufficienti rerum examine ſuperari non poteſt.

Hinc colliges conjugem quæ ex credulitate *levi & temerariâ*, non autem *probabili & diſcretâ*, de matrimonii ſui validitate, adeoque de illicita debiti exactione dubitat, poſſe *conſcientiâ levis & temerariæ credulitatis exploſâ, non ſolum reddere, ſed etiam exigere debitum conjugale.* Ita Innoc. III. c. 44. *De ſent. excomm.*

Dico 3. Qui de *licitate* ſeu honeſtate actus poſitivè dubitat ob æqualem vel pene æqualem momentorum vim, tenetur partem eligere tutiorem & ab agendo abſtinere.

Prob. 1. ex ipſis Gentilibus qui regulam hanc poſuère, quam commendat Tullius L. 1. de Offic. *Bene præcipiunt qui vetant quidquid agere quod dubites æquum ſit, an iniquum*: atqui vere dubitat an actio ſua juſta ſit vel iniqua, qui non minores circa ejus illicitatem rationes habet quam circa licitatem. Tunc enim mens verè dubitat, cum inter utramque contradictionis partem ita ſuſpenſa manet, ut non magis pro unâ quam pro altera parte judicium ferre poſſit: atqui quando rationes utrimque apparent æquales, mens non magis pro una quam pro altera parte judicium ferre poteſt. Nam judicium ferre pro una præ altera, eſt unam ut veram alteri ut falſæ præponere: atqui cum rationes utrimque ſunt æquales, mens unam partem ut veram alteri ut falſæ præferre non poteſt: ſicut cum ratio evidens pro una parte militat, non poteſt intellectus contra evidentiam hanc judicare; ergo mens inter æquales utriuſque partis rationes poſita, verè eſt dubia; ergo benè præcipiunt qui vetant ne quidquam agat quod dubitet æquum ſit, an iniquum.

Eccli. 3. & 21. Prob. 2. ex Scripturis quæ præcipiunt 1. ut homo *quaſi à facie colubri* fugiat *peccatum*, ejuſque committendi periculo ſe non exponat: atqui hanc agendi rationem non ſervat qui ſciens & volens facit id quod tam probabiliter judicat eſſe quam non

Pſalm. 1. 8. eſſe peccatum. 2. ut homo mandata Dei cuſtodiat *nimis*, id eſt cum exquiſita ſollicitudine: atqui cum hac ſollicitudine Dei mandata non cuſtodit, qui vult facere id quod æquè probabiliter eſt quam non eſt, contra mandata Dei; ſicut artium Leges exquiſitè non ſervat qui facit id quod judicat tam eſſe

Rom. 14. poſſe, quam non eſſe contra eaſdem leges. 3. ut homo pro peccato reputet id *omne quod non eſt ex fide*, ſeu ex conſcientia dictante non eſſe peccatum: atqui quod fit ex conſcientiâ dubiâ non fit ex conſcientia dictante illud non eſſe peccatum, ſed ex conſcientiâ quæ tam dictat illud eſſe quam non eſſe peccatum; ergo.

C. 12. 18. 24. De homic. Prob. 3 ex Jure ſæpius clamante quod *in dubiis ſententiam debemus eligere tutiorem*: ſed qui verſatur in æquali contrariarum opinionum probabilitate, verſatur in vero & propriè dicto dubio, ut patet tum ex dictis initio hujus Articuli; tum ex S. Thomâ, qui q. 14. de veritate a. 1. ſic habet: *Quandoque intellectus non inclinatur magis ad unum quam ad aliud: vel propter defectum moventium, ſicut in problematibus de quibus rationes non habemus; vel propter apparentem æqualitatem eorum quæ movent ad utrumque partem. Et iſta eſt dubitantis diſpoſitio quæ fluctuat inter duas partes contradictionis.* Et ex S. Antonino 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. reg. 6. *Qui agit ſcienter id de quo dubitat eſſe mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, ſumendo propriè & ſtrictè dubitationem, prout rationes ſunt æquè ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam partem quam ad aliam.* Ergo tam dubius eſt qui graves pro utraque parte rationes æquales habet, quam qui nullas; ergo ſi agat in ſenſu compoſito dubitationis id *de quo dubitat eſſe mortale, mortaliter peccat.* Vid. Æthicam n. 112. ubi ſupra.

Prob. 4. Qui probabiliter dubitat an peccatum quod committit mortale ſit, an non; item an turpi cogitationi conſenſerit nec ne, hoc confiteri debet ex unanimi Eccleſiæ conſenſu, ut ipſe fatetur Caramuel in Theolog. fundamentũ atqui ratio hujus neceſſitatis confitendi, ea eſt quam tradit S. Thomas, quia *qui aliquid committit vel omittit in quo dubitat eſſe peccatum mortale, peccat mortaliter diſcrimini ſe committens; & ſimiliter periculo ſe committit, qui de hoc quod dubitat eſſe mortale, negligit confiteri.* Atque, ut benè notat Joannes Eckius Lib. 3. de pœnit. c. 11. *agere incertum & dimittere certum, in materia morali eſt mortale,... ut docuit Sapiens Eccli 3. Qui amat periculum, peribit in illo.*

Prob. 5. Ad licitè hic & nunc operandum requiritur judicium prudens quod hic & nunc operando non peccetur: imò *communis ferè omnium ſententia eſt, quod ut operatio aliqua licitè ponatur, intellectus debent eſſe moraliter certus operationem illam non eſſe peccaminoſam*, ait P. Terillus, opioſus probabilitatis aſſertor, & *omnes quod ſciam ita ſentiunt*, præter Vaſquem & Sanchem: ſed qui probabiliter judicat actionem ſuam eſſe malam, prudenter judicare non poteſt ſe eam eliciendo peccatum non eſſe, ut patet ex terminis. De conſc. prob. q. 13.

Prob. 6. Non minus cautè ac prudenter in ſalutis noſtræ negotio procedendum eſt, quam in negoriis noſtris temporalibus: atqui in dubio circa res temporales ille pro imprudenti haberetur qui partem minus tutam eligeret dum eligere tutiorem poteſt, qui v. g. aſſumeret eſcam quam dubitat veneno infectam eſſe, dum aliam veneni expertem præ manibus haberet; ergo.

Obj. 1. Deus non obligat, niſi ad abſtinendum ab iis quæ lege ſuâ prohibentur: atqui ſi pars tutior amplectenda ſit in dubiis quæ adeo frequentia ſunt inter homines, abſtinendum erit à multis quæ nullâ Dei lege prohibentur; ergo quod pars tutior in dubiis ſit neceſſariò tenenda ab iis ſolùm ſtatui poteſt, qui cum Phariſæis *alligant onera gravia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum.* Matth. 29.

℞. 1. retorq. argumentum Deus obligat ad abſtinendum ab iis quæ lege ſuâ prohibentur: atqui ſi teneri poſſit pars libertati favens contra legem de qua ſæpe etiam cum verè exiſtit, dubitatur ſæpe fiet ut non abſtineat homo ab eis quæ Dei lege prohibentur; ergo.

℞. 2. diſt. min. Si pars tutior amplectenda ſit, abſtinendum erit à multis quæ non prohibentur lege Dei directa, conc. lege Dei reflexa, nego. Ut voces moram non faciant: per legem Dei directam eam intelligo de qua dubitatur an exiſtat nec ne; & fateor quod poſita opinione noſtra ſit abſtinendum à multis quæ lege hac non prohibentur, quia ſæpe dubitamus ubi non dubitaremus ſi minoribus tenebris involveremur. Legem verò reflexam eam dico quæ præcipit ut in his dubii caſibus amplectatur homo id quod ipſum minus exponit periculo peccandi; porrò cum lex illa reflexa & generalis amplectendi id quod tutius eſt, in hocce dubio obliget, ut patet ex dictis, manifeſtum eſt hominem in opinione noſtra non abſtinere ab actione quam alioqui poneret, niſi ut divinæ legi obediat; adeoque hoc ſenſu ab iis ſolum abſtinet quæ Dei lege prohibentur.

Obj. 2. Quilibet prudenter facit id quod prudenter & inculpatè judicat non eſſe prohibitum: ſed

homo

homo prudenter & inculpatè judicare poteſt eam partem de quâ dubitat an prohibita ſit, non eſſe prohibitam. Fieri enim poteſt ut viri docti & prudentes judicent partem hanc reipsâ prohibitam non eſſe: atqui fieri etiam poteſt ut homo aliquis ea omnia percipiat motiva ex quibus viri illi docti & prudentes judicarent partem hanc non eſſe prohibitam; ergo fieri poteſt ut homo ille ſicut & illi, prudenter judicet licitum ſibi eſſe partē hanc amplecti.

℞. Ad 1. neg. min. ad 2. diſt. min. Fieri poteſt ut homo percipiat omnia motiva ex quibus viri illi prudenter judicarent &c. ſed fieri non poteſt ut motiva hæc ipſum moveant eodem modo quo ipſi per motiva hæc moventur, conc. & motiva hæc eundem in ipſo ac in illis effectum producent, nego. Itaque motiva quæ menti meæ præſentia ſunt, poſſunt viros pios in varios aſſenſus inculpatè diſtrahere, ſed ad hoc neceſſe eſt ut ex hiſce motivis alia aliis graviora & veriſimiliora iiſdem videantur, alioqui non eſſent extra ſtatum dubii: verùm motiva hæc intellectui meo modo longè diſpari objiciuntur, nempe ut omnino æqualia, ita ut inter utramque partem mens mea planè ſuſpenſa remaneat; ergo iiſdem motivis quamdiu talia remanebunt determinati non poſſum ad judicandum hanc contradictionis partem veram eſſe præ alterâ; ergo in hoc caſu eam debeo partem amplecti quæ magis à periculo peccandi removet, licet alii qui in eodem dubii caſu non ſunt, eam poſſint partem amplecti quæ longè probabilior ipſis videtur, ut ex dicendis conſtabit.

Obj. 3. Canones qui dicunt tutiorem partem in dubiis eſſe amplectendam, conſilii ſunt, non præcepti.

℞. neg. ant. 1. quia Canones illi his utuntur verbis, *Via tutior eſt eligenda, ſemitam debemus eligere tutiorem. Quod certius exiſtamus, tenere debemus*: atqui verba hæc, ſi quæ unquam, præceptiva ſunt. 2. quia ex iis Canonibus quidam gravi feriunt pœnâ, v. g. depoſitionis, eum qui in dubio tutiorem partem non elegerit, ut patet ex cap. *Illud. De Clerico excomm.* atqui pœna tanta non decernitur pro ſolâ conſilii tranſgreſſione. 3. citati Canones præcipiunt ut pars tutior teneatur, eo quòd *in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur*. c. 18. *De homic.* atqui amplecti id quod nullum habet periculum, eo relicto in quo magnum timetur, non eſt conſilii ſed præcepti. Hinc patet quàm infundatè aſſerant Probabiliſtæ has Juris regulas in foro ſolùm exteriori procedere, aut non procedere niſi in caſibus Jure expreſſis. Regulæ enim quæ fundantur in ipſis naturæ principiis, regulæ quæ petuntur ex diſcrimine ſalutis cui ſe exponit qui in dubio partem minus tutam ſequitur, non in exteriori ſolùm foro, aut hoc vel illo caſu, ſed in foro conſcientiæ & ſemper vigere debent.

Inſt. 1. Saltem dici poteſt hanc regulam procedere in dubiis facti, non juris; vel in dubiis in quibus rationes probabiles ſunt pro lege, nullæ, vel nonniſi leves pro libertate.

℞. neg. ant. Nam regula de tutiori parte amplectendâ procedit in omni caſu in quo timendum eſt ne quis periculo peccandi ſe exponat: atqui hoc timendum eſt in dubio juris ſicut & in dubio facti. 2. Clemens V. Clementin. *Exiget*. eâdem regulâ utitur in quæſtione juris, an ſcilicet Fratres Minores ſub mortali teneantur ad obſervantiam omnium quæ in Regulâ verbo imperativo præſcribuntur. 3. demum regula hæc cùm applicatur ad dubium facti, reſpicit dubia juris quæ ex dubiis facti naſcuntur: ſic qui dubitat an commiſerit homicidium, eſt in dubio facti, ſed quatenus inde dubitat an poſſit celebrare, eſt in dubio juris: ergo cùm præcipiunt Canones ut tunc tutiorem partem amplectatur, non ad factum duntaxat, ſed ad jus quoque extenduntur.

Quod additur regulam hanc intelligi in dubiis in quibus rationes nullæ vel ſolùm leves ſunt pro libertate, perinde falſum eſt. Atque id patet ex cap. 44. *De ſent. excomm.* in quo præcipit Innoc. III. ut *cùm conſcientia* alterius conjugum *pulſat animum ex credulitate probabili & diſcretâ, quamvis non evidenti & manifeſtâ*, quòd conjugium ſuum ob aliquod impedimentum dirimens, ſit nullum, *debitum quidem reddere poſſit, ſed poſtulare non debeat, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam.* Atqui Pontifex non juberet reddi debitum, ut vitaretur peccatum contra legem conjugii, ne probabiliter quidem validi; nec illud exigi prohiberet ſi nullitas ejuſdem infirmis & penè nullis rationibus probaretur; ergo regula tutiorem amplectendi partem tunc etiam urget cùm momenta quæ libertati favent nec nulla ſunt, nec contemnenda.

Inſt. 2. Si pars tutior in dubiis tenenda ſit, maximè ut caveatur periculum peccandi: atqui hæc ratio non valet; alioqui pars tutior tenenda eſſet, etiam cùm longè minus habet probabilitatis.

℞. Ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. quia cùm pars libertati favens contra legem longè probabilior eſt eâ quæ legi favet contra libertatem, nullum remanet peccandi periculum, ut infra fuſiùs oſtendetur.

Obj. 4. Lex dubia non poteſt parere certam obligationem: atqui ſi in dubio de licitate actionis, ab eâ eſſet abſtinendum, lex dubia certam pareret obligationem. Minor patet, prob. major. Lex quæ ſufficienter non eſt promulgata, imò quæ invincibiliter ignoratur, non poteſt parere veram obligationem: atqui lex dubia ſufficienter promulgata non eſt, imò ignoratur invincibiliter.

℞. diſt. maj. Lex dubia non poteſt parere obligationem certam petitam ex parte ipſius legis de quâ dubitatur, conc. petitam ex parte legis generalis quæ vetat ne quis exponat ſe periculo peccandi, nego. Cùm enim dubim an hæc vel illa lex obliget, necne, certè non dubito an in hoc caſu eam debeam partem amplecti quæ magis à peccato removet; adeoque etſi lex de quâ dubito ſupponatur non eſſe ſatis promulgata, lex illa generalis partem tutiorem tenendi non poteſt ſupponi non eſſe ſatis promulgata, cùm vel ipſis Gentilibus innotuerit, ut ex dictis evidens eſt: unde teneor ad abſtinendum ab actione non vi legis, quæ dubia eſt, ſed vi legis naturæ, quæ præcipit non ſolum ut obediam Superioribus, ſed etiam ut me non exponam evidenti periculo eorum leges tranſgrediendi.

Quod addunt legem aliquam eo ipſo quo dubia eſt ignorari invincibiliter, omnino falſum eſt. Qui enim legem ignorat invincibiliter, invincibiliter etiam ignorat malitiam actionis ſuæ: ſed qui poſitivè dubitat de malitiâ actionis oppoſitæ legi, malitiam hanc invincibiliter non ignorat. Ille enim ſolus ignorat invincibiliter malitiam actionis ſuæ, cui inculpabiliter non venit in mentem cogitatio, vel ſaltem dubium prudens de ejuſdem actionis malitiâ: ſed qui dubitat cum fundamento, dicere non poteſt quòd ſibi non venerit in mentem cogitatio, & dubium prudens de malitiâ actionis ſuæ; cùm econtra certò ſciat ſe prudenter agere dubitando an malum ſit id quod agit.

Confirm. Ille non ignorat legem invincibiliter & abſolutè ſed tantum ſecundùm quid, qui licet certò non cognoſcat exiſtentiam legis, certò tamen

cognoſcit

cognoſcit probabilitatem exiſtentiæ legis: hæc porrò eſt hominis dubitantis conditio; ergo non poteſt ſequi libertatem probabilem contra legem æquè probabilem, quia hoc ipſo ſe exponit periculo transgrediendi veram legem; ergo licet excuſabilis ſit quatenus ignorat an hic vel ille contractus ſit licitus, nec ne, quia faciendo quod in ſe eſt, rei hujus notitiam aſſequi non potuit, eſt tamen inexcuſabilis, ſi de ejus liceitate dubitans, aut ob æquales utrimque rationes dubitare debens, ab illo non abſtineat, quia agit contra præceptum ſibi notum de vitando probabili peccandi periculo.

Obj. 5. Si in dubio de exiſtentiâ legis obediendum ſit legi, in dubio ſimili de revelatione dogmatis, credendum erit eidem, quia non minori cum curâ credendum eſt Deo revelanti, quam obediendum Deo præcipienti: atqui in dubio an aliquid ſit revelatum nec ne, credi non debet illud eſſe revelatum, fides enim non ſe extendit ad dubia; ergo.

℞. neg. maj. In dubio enim an dogma aliquod ſit revelatum, eidem credere, eſt ſe exponere periculo erroris. Ut enim errat qui non credit id eſſe de fide quod revelatum eſt, ſic errat qui credit eſſe de fide quod revelatum non eſt: cum verò quis in dubio an aliquid ſit prohibitum, ab eo abſtinet, nullum ſubit periculum peccandi; magnum ècontra ſubiturus ſi faciat illud quod probabiliter judicat fuiſſe à Deo prohibitum, ut evincunt probationes noſtræ

Dices: Si tam ſtrictè urgeat effatum iſtud, *In dubiis pars tutior tenenda eſt*, nullius erit uſûs celebre hoc axioma, *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis.*

Reſp. regulam hanc, *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*, valere poſſe in materiâ juſtitiæ, non autem in aliis, in quibus proinde adhiberi debet regula hæc, *In dubio pars tutior eſt eligenda*; vel hæc ſaltem, *Pro eo ſtandum eſt pro quo ſtat præſumptio.*

Antequam probetur ſolutio, not. 1. poſſeſſio eſt occupatio rei tanquam ſuæ: unde is rem aliquam poſſidere dicitur, qui eam veluti ſuam retinet & ſervat.

Not. 2. Authores qui principium iſtud, *Melior eſt conditio poſſidentis*, non ſolum in materiâ juſtitiæ, ſed & in aliis quoque extra juſtitiam materiis locum habere putant, duplicem diſtinguunt poſſeſſorem, legem ſcilicet, & hominis libertatem. Poſſeſſio, inquiunt, ſtat pro lege contra libertatem, dum conſtat de lege & dubitatur de eo per quod tollitur obligatio legis; èontra verò poſſeſſio ſtat pro libertate contra legem, dum conſtat de libertate, & dubitatur de eo per quod introducitur obligatio legis. Hinc, juxta eos, qui dubitat an ſonuerit hora duodecima inter Sabbatum & Dominicam, non poteſt comedere carnes, quia lex abſtinentiæ eſt in poſſeſſione die Sabbati: qui vero dubitat an ſonuerit duodecima inter diem Jovis & diem Veneris, poteſt carnibus veſci, quia libertas eſt in poſſeſſione die jovis. Pariter, ajunt, qui dubitat an votum emiſerit, illud implere non tenetur, quia dubitat de lege, non autem de libertate; qui verò certus eſt de voto, ſed dubius de ejus adimpletione, ipſum adimplere tenetur, quia certus eſt de lege, dubius verò de libertate.

Not. 3. præſumptionem haberi ab aſſuetis, juxta regulam 45. juris in 6. *Inſpicimus in obſcuris quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.* His præmiſſis.

Dico 1. regulam, *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*, valere in materiâ juſtitiæ. Ita Theologi

omnes qui hoc probant, tum ex conſenſu Gentium omnium quæ in pari caſu favorabilius excipiunt poſſeſſorem, quam eum qui poſſeſſor non eſt; tum ex eo quod poſſeſſor ultra rationes quas æquales habere ſupponitur, habet pro ſe poſſeſſionem quam non habet alter. Ex hac autem poſſeſſione melior eſt ejus conditio, quia meritò præſumitur meum eſſe quod apud me eſt: etſi enim contrarium evenire poſſit, communius tamen evenit ut unuſquiſque rem ſuam non apud alios, ſed apud ſe conſervet, unde in materia ipſius juſtitiæ cum hac regula, *Melior eſt conditio poſſidentis*, concurrit hæc alia regula, *Pro eo ſtandum eſt, pro quo ſtat præſumptio.* An autem in caſu dubii poſſit poſſeſſor totum id de quo dubitat, ſibi retinere, an aliquam ejus partem alteri pro dubii proportione dividere teneatur, diſputant Caſuiſtæ. Communior opinio totum adjudicat poſſeſſori, quia ſupponit ita judicatum fuiſſe Reipublicæ totius conſenſu. Haud tamen contemnenda ſunt opinionis alterius momenta. Vid. Tractatum noſtrum de jure p. 100.

Quemadmodum autem Reipublicæ ordinatio ſinit ut in materia juſtitiæ pars tutior non teneatur, ſic & in raris quibuſdam materiis id permittit ordinatio Dei & Eccleſiæ. Sic c. cap. 5. *De frigidis & maleſic.* ſtatuitur naturaliter frigidos quorum perpetua coeundi impotentia certa non eſt, ſed dubia, per triennium experiri poſſe an matrimonium conſummare poſſint, non obſtante dubio de matrimonii nullitate. Etſi enim tutius videretur in hoc dubio abſtinere, concedit tamen Deus ut attentent copulam: tum quia non aliter de vero frigiditatis impedimento conſtare poteſt, tum quia hoc neceſſarium eſt ut via præcludatur infinitis abuſibus; multi enim paſſim allicerentur ad fornicandum, ſub prætextu cognoſcendi an impotentes eſſent, an non: tum quia magna in conjugiis eſſet incertitudo, ſi conjuges de impotentia ſua dubii, eo ipſo ab omni attentatione copulæ abſtinere deberent, etiam cum ſpes aliqua adeſt copulam perficiendi poſt temporalem experientiam. Hic caſus cum fundetur in jure quod habent conjuges, ad juſtitiam revocari poteſt; imo in utroque hoc caſu dici poteſt quod aliquatenus teneatur pars tutior, quia ea tenetur quæ plura vitat inconvenientia.

Dico 2. prædicta regula, In dubio melior eſt conditio poſſidentis, ſeu libertatis, ut interpretantur Probabiliſtæ, nullius eſt utilitatis in aliis præter juſtitiam materiis: unde ut dubium deponatur, recurrendum eſt vel ad iſtam, *Pro eo ſtandum eſt &c.* vel ad aliam, *In dubio pars tutior &c.*

Ut enim in dubio de lege melior eſſet conditio poſſidentis, ad ſenſum Probabiliſtarum, poſſeſſio eſſe deberet pro libertate: atqui in dubio de lege poſſeſſio non eſt pro libertate. Nã poſſeſſio libertatis eſt jus rem hanc vel illam faciendi pro arbitrio: atqui in dubio de lege homo nunquam habet jus faciendi pro nutu quidquid libuerit. Qui enim dubitat an ſit obligatus ad unum, non habet jus faciendi id quod ſibi libuerit; alioqui ſe exponeret periculo non faciendi id ad quod obligatus eſt: ſed qui dubitat de lege, eo ipſo dubitat an non ſit obligatus ad unum, ad id nempe quod lex præcipit: cum enim obligatio ſit proprietas eſſentialis legis, qui de lege dubitat, eo ipſo dubitat an non ſit obligatus ad hoc potius quam ad illud; ergo non habet jus id quod libuerit faciendi; ergo non eſt verè poſſeſſor libertatis; ergo axioma quod poſſeſſori meliorem attribuit conditionem homini de lege dubitanti inſervire non poteſt; ergo etiamſi homo qui certus eſt diem ſancti Martini v. g. non eſſe feſtivam, certò habeat jus laborandi vel non;

ille tamen qui cum fundamento dubitat, an dies illa feſtis annumerata non ſit, non habet certò idem jus, ſed de eo dubitat; ac proinde in tali dubio poſſeſſio non ſtat pro libertate ipſius.

Confirm. quia etiam ſuppoſito quòd in dubio poſſeſſio ſtaret pro libertate, non poſſit tamen eſſe titulus ſufficiens ad deponendam conſcientiam dubiam, niſi in materiâ juſtitiæ; ergo regula hæc ad dubii depoſitionem inſervire non poteſt.

Prob. ant. Ideo in materiâ juſtitiæ poſſeſſio in dubio favet poſſeſſori, quia legitimè præſumitur poſſeſſorem eſſe verum rei quam penes ſe habet dominum, quatenus moraliter loquendo meum eſt non alienum quod apud me eſt: atqui poſſeſſio quæcumque fingatur, præſumptionem hanc quæ libertati favet, in aliis præter juſtitiam materiis facere non poteſt. Sic v. g. qui dubitat an voverit caſtitatem, & ex conſequenti an nubere poſſit, quantumvis fingatur libertatis ſuæ poſſeſſor, nullam tamen inde habet præſumptionem ex quâ inferre poſſit ſe non voviſſe. Pariter qui dubitat an ſonuerit hora duodecima inter diem Jovis & Veneris, ex poſſeſſione libertatis ſuæ quam retinere gratis fingitur, nullam habere poteſt præſumptionem de rei veritate, id eſt quòd potiùs non ſonuerit duodecima, quam ſonuerit, ac proinde quod carnes comedere poſſit. Et verò an non ridiculus foret qui interrogatus cur credat ſe non voviſſe, aut duodecimam non ſonuiſſe, potius quam è contra, reſponderet ſe id credere quia reflexit ſe ſuam poſſidere libertatem.

Obj. Quod ſufficit ad depoſitionem dubii, etiam in materiâ legis naturæ, ad id ſufficere poteſt in materiâ legis humanæ, atqui poſſeſſio libertatis ſufficit ut quis dubium deponat, & certam ſibi conſcientiam efformet in materiâ ipſa legis naturæ. Nam uxor quæ dubitat de matrimonii ſui validitate, debet marito petenti reddere debitum: atqui hoc ideo ſolum poteſt, quia libertatem ſuam poſſidet.

℞. ad 1. & 2. neg. min. Vera enim ratio cur uxor teneatur debitum reddere, eſt quia è duobus malis illud eligi debet quod Eccleſiæ judicio minus eſt: porrò minus eſt malum reddere debitum in dubio, quam denegare; reddendo enim ad ſummum læderetur virtus caſtitatis, denegando verò læderetur juſtitia virtutũ nobiliſſima, exponeretur maritus blaſphemiæ, periculo incontinentiæ, ſuſpicionis &c.

Et certè ſi licentia reddendi debitum fundaretur in poſſeſſione libertatis, uxor non ſolum poſſet debitum reddere, quod permittit Eccleſia, ſed etiam illud exigere, quod Eccleſia prohibet. Accedit quòd etiam ſtatuat Eccleſia, ut dubitans reddat debitum dum poſſeſſio ſtat pro lege contra ipſum, v. g. cum mala fide matrimonium contraxit, & alter contrahens qui ſine periculo moneri non poteſt de rationibus dubitandi, perſeverat in bona fide; ergo poſſeſſio libertatis non eſt cauſa cur reddatur debitum, ſed neceſſitas è duobus malis id quod gravius eſt evitandi.

Ex his principiis ſolvi poſſunt innumeræ quæſtiones, v. g. quod qui dubitat an comederit aut biberit poſt mediam noctem non poſſit communicare; an inchoaverit annum 22. non poſſit ſacros Ordines ſuſcipere; an voverit, teneatur adimplere votum; an voverit ſex aut octo jejunia, teneatur ad octo; an incurrerit cenſuras, obligetur ad abſtinendum ab iis à quibus abſtinere debet qui eandem cenſuram incurrerunt; quia in his omnibus pars tutior eſt tenenda.

ARTICULUS QUINTUS.

De conſcientia probabili.

QUandoquidem in hoc puncto præcipuus volvitur difficultatis nodus, ideo omni ope enitendum eſt nobis, ut tanti momenti materiam ſolidè pertractemus. Cum autem conſcientia probabilis in opinione probabili tota fundetur, ante omnia explicandum eſt quid ſit opinio, quid probabile &c.

Opinionis nomen alio apud S. Auguſtinum ſenſu intellectum eſt quam nunc à Theologis intelligatur. Sanctus enim Doctor opinionem cum errore paſſim confundit, ſic L. de utilit. credendi c. 11. *Quod intelligimus*, inquit, *debemus rationi, quod credimus authoritati, quod opinamur errori.* Et Lib. de mendacio c. 2. *Qui opinatur, putat ſe ſcire quod neſcit.* Melius definitur opinio à S. Thomæ, *Actus intellectus qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Vel, ut ait Doctor Seraphicus, *Aſſenſio unius partis cum formidine alterius.* 1. p. q. 9. a. 9.
Opinio prout eſt *aſſenſus*, differt à dubio, in quo ſuſpenditur aſſenſus; prout verò juncta eſt cum formidine, differt tũ à ſcientia, tum à fide divina quarum prior evidenti motivo nititur, poſterior fundatur in infallibili Dei loquentis authoritate, quæ quidem omnẽ errandi formidinẽ ab aſſenſu excludunt.

Probabile, ſecundum vim nominis, eſt id quod probari poteſt, unde Auguſtinus: *Quomodo*, ait, *eſt illud quod ſequuntur probabile, ſi non probatur*; L. 2. contra Acad. c. 11. At ſecundum nominis uſum, probabile eſt id quod licet non ſit certò verum, eſt tamen veriſimile: hinc probabile non dicitur, niſi comparatè ad intellectum noſtrum. Si enim ſententiæ morales ſecundum ſe & abſolutè ſpectentur, vel veræ ſunt, vel falſæ, nulla probabilis: falſum enim probabile non eſt, ſed improbabile; verum autem non merè probabile eſt, ſed certum: unde Deo qui res ut in ſe ſunt videt, nihil eſt probabile, ſicut nihil eſt tenebroſum Soli. Itaque

Opinio probabilis definiri poteſt: Actus quo mens ob motivum grave, ſed tamen fallibile, prudenter judicat aliquid eſſe licitum vel illicitum. 1. eſt *actus quo mens judicat*; opinio enim, prout à dubio diſtinguitur, verum mentis judicium includit 2. *ob motivum grave*, id eſt quod licet non habeatur abſolutè pro vero, tantam tamen veritatis apparentiam habet, ut prudenter judicetur eſſe verum: unde ſi motivum opinionis quæ opinioni meæ adverſatur, ſit vel gravius, vel æquale, opinio mea non erit veri nominis opinio, quia nullum mihi ſuppetit motivum ex quo efformare poſſim prudens judicium de honeſtate & licentia actionis 3. ſed tamen *fallibile* cum opinio differat tum à ſcientia, tum à fide. 4. *prudenter.* Ut autem homo prudenter judicet neceſſum eſt 1. ut præoccupationem ac præjudicia deponat: & ſerium inſtituat examen quo & ſuæ, & oppoſitæ etiam partis rationes expendat, imò & ſolvat; agit enim imprudenter ſi ſtatim pro una parte concludat. 2. ut motivum ex quo judicat, nec Scripturæ, nec communi Patrum ſenſui, nec Eccleſiæ definitionibus, aliiſve ejuſdem generis momentis adverſetur: unde inferes quam abſurdè erraverint ii qui quantulamcumque rationem vel authoritatem ſatis eſſe crediderunt ut opinio probabilis efficeretur. Hinc meritò proſcripta eſt ab Innocentio XI. propoſitio ſequens, *Generatim dum probabilitate ſive intrinſecâ, ſive extrinſecâ quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Hæc item ab Alexandro VII. *Si Liber ſit alicu-*

alicujus junioris & moderni debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe a Sede Apoſtolicâ tanquam improbabilem.

Opinio ſpectata ratione fundamenti quo innititur, alia eſt probabilis *intrinſecè*, cujus probabilitas deſumitur ex momentis veriſimilibus in ipsâ rei naturâ fundatis; alia probabilis *extrinſece*, cujus probabilitas deſumitur ex Doctorum vel teſtium authoritate: hæc tamen Doctorum authoritas non movet, niſi in quantum præſumitur conjuncta rationibus quibus ii ad tenendam hanc opinionem determinati fuerint; unde probabilitas extrinſeca non tam ex numero Doctorum metienda eſt, quam ex eorum merito, probitate, doctrinâ, ſtudio, diligentiâ, & communi prudentum æſtimatione.

Opinio ad opinionem comparata, alia eſt probabilior, alia tutior, alia communis, alia communior. Opinio *probabilior* ea eſt quæ ſpectatis rationum pondere, & gravitate authoritatis veriſimilior apparet. Opinio *tutior* ea eſt quæ magis removet à periculo peccandi: unde opinio tutior ſtat pro præcepto, ſeu favet legi, eamque hic & nunc obligare declarat; cum econtra opinio *minus tuta* faveat libertati, quatenus negat hominem ulla quæ hic & nunc obliget lege conſtringi, ſed potius aſſerit eum pro arbitrio quod voluerit eligere poſſe. Hinc opinio tutior & probabilior multum à ſe differunt, quia cum ſecuritas opinionis deſumatur ex diſtantiâ ejus à peccato, probabilitas verò ex majori veritatis apparentiâ, fieri poteſt ut opinio minus probabilis ſit tutior, & ut probabilior ſit minus tuta. Sic opinio quæ docet Beneficiarium habentem bona patrimonialia, ex iis non autem ex eccleſiaſticis vivere debere, tutior, eſt, quia qui eam ſequitur non peccat; eſt tamen juxta nos minus probabilis, quia minus eſt fundata: è contrario opinio quæ docet eundem Beneficiarium poſſe è bonis eccleſiaſticis vivere, probabilior eſt, & minus tuta, quia minus removet à peccato. Quæ verò docet Beneficiarium ſuperfluum reditus eccleſiaſtici pauperibus ex juſtitia largiri debere, aut tres contractus eſſe illicitos, tutior eſt ſimul & probabilior, adeoque quæ docet oppoſitum eſt ſimul minus tuta, & minus probabilis.

Opinio *communis* illa eſt quæ habet pro ſe decem aut octo Authores, non quoſcumque, ſed graves, non laxiores, & qui rem non curſim & perfunctoriè, non alios inſtar ovium ſequendo, ſed ex profeſſo & intimè tractaverunt. *Communior* verò, quam major numerus poſt idem ac ſerium examen amplectitur. Ac proinde *minus communis* ea eſt quæ à paucioribus tenetur.

Hic cautè notandum, quod licet ex duabus opinionibus quæ ſecum conferuntur, altera probabilior dicatur, altera verò minus probabilis, non inde tamen concludendum ſit, eam quæ minus probabilis dicitur, eſſe verè & abſolutè probabilem in concurſu oppoſitæ probabilioris. Nam illud ſolum verè probabile dicendum eſt, quod per aſſenſum prudentem probari poteſt, quodque nititur fundamentis adeo gravibus, ut per ea ſufficienter elidantur oppoſitæ opinionis motiva, adeò ut rebus maturè & ſine paſſione perpenſis poſſit homo prudens judicare partem hanc eſſe aliâ veriorem: atqui opinio minus probabilis haſce conditiones nec habet, nec quà talis habere poteſt; ergo opinio hæc non eſt verè & propriè probabilis, ſed abuſivè tantum & nomine tenus. Hinc cum dixiſſet S. Auguſtinus ſe *probabiliùs* objicere Traditionem Creſconio, & inde concluſiſſet Creſconius eam ergo à ſe *probabiliter* objici, futilem hunc triumphum coercet Auguſtinus oſtendendo comparativum

L. 3. contra Creſconium c. 71.

aliquando dici ſine poſitivo, ut cum ait Apoſtolus Heb. 6. *Confidimus de vobis meliora &c.* & tamen bona non erant ea de quibus ante locutus erat S. Paulus. Idē patet ex Poeta dicente *Dii meliora piis &c.* & tamen non bona, ſed potius magna erant eorum mala, de quibus ante dixerat, quod *diſciſſos nudis laniabant dentibus artus.* Vid Gonzal. diſſert 3.

His expoſitis, cum opinio quæ favet libertati, & ut talis minus eſt tuta, tripliciter comparari poſſit cum opinione quæ favet legi, & ſic tutior eſt, nempe ut minus probabilis cum probabiliori; ut æquè probabilis cum æquè probabili; ut probabilior cum minus probabili, ideo triplex hic proponitur quæſtio. 1. utrum liceat amplecti opinionem minus probabilem *de licito*, ſeu quæ libertati, favet declarando rem aliquam fieri poſſe ut licitam, in concurſu alterius opinionis probabilioris *de illicito*, ſeu quæ favet legi, declarando rem illam eſſe illicitam, & ut talem fieri non poſſe. 2. utrum non liceat ſaltem amplecti opinionem quæ favet libertati, cum ipſa æquè eſt probabilis ac oppoſita quæ favet legi. 3. demum, an ad minus non liceat amplecti opinionem quæ favet libertati, cum oppoſita quæ favet legi minus eſt probabilis. Quarta addi debet quæſtio, an nimirum liceat amplecti opinionem libertati faventem quæ oppoſitam vincit probabilitate, cum exceſſus quo alia aliam vincit, levis eſt, non autem notabilis.

Sed antequam ſolvatur difficultas, notandum eſt quæſtionem de præceptis ſolum, non autem de conſiliis moveri: cum enim de conciliis agitur, pars tutior & probabilior non eſt neceſſariò tenenda, ſatis eſt ſi verè tuta ſit pars quam ſequimur, *alias*, ait S. Antonius, *oporteret multos ingredi Religionem in qua tutius vivitur quam ſæculo*. 2. p. tit. 3.

Not. 2. multos fuiſſe qui præterito ſæculo contenderint licitum eſſe opinionem etiam minus tutam atque minus probabilem amplecti. Hæc ſententia nondum Scholas invaſerat anno 1571. quo Antonius de Corduba Franciſcanus Quæſtionarium ſuum Theologicum publici juris fecit: in eo enim non ſolum aſſerit, *partem tutiorem eſſe tenendam quando oppoſita ſententia ſunt, aut creduntur æquè probabiles*, & à fortiori *quando una eſt probabilior alterâ*, ſed & addit, quod *in hoc omnes Theologi conſentiunt.* Ita vero intra breve tempus crevit Probabiliſmi commentum, ut Salonius è familiâ D. Auguſtini, in Tractatu ſuo de juſtitiâ & jure palam aſſeruerit anno 1592. poſſe quemlibet è duabus opinionibus probabilibus, *dimiſſa probabiliori eligere probabilem*, ſubditque *ita ſentire multos ac graviſſimos Theologos, ac maximè ex diſcipulis S. Thomæ.* Ita notat Gonzalez, juxta quem quidquid clamitent nonnulli Probabiliſmum è Jeſuitarū officinâ produſſe volentes, primi eum nutri ſunt Thomiſtæ, nempe Bartholomæus de Medina in 1. 2. q. 19. a. 6. Dominicus Bannes S. Thereſiæ Confeſſarius, in 2. 2. q. 10 a. 1. quorum prior ſcribebat an. 1577 alter an. 1584 ut patet ex Opere Jacobi Quetif de Scriptoribus Ordinis Prædic. Vaſquez porrò qui primus è Societate opinionem hanc diſertè defendit Tom. 1. in 1. 2. eum non edidit niſi an. 1598. de quo legi poteſt tum *Queſtio facti* Patris Dechamps, tum *Introductio* Thyrſi Gonzal Sed omiſſa hac diſputatione certum eſt è Societate prodiiſſe vividos Probabiliſmi impugnatores, quos inter fuere Ferdinandus Rebellus, qui anno 1608. & Paulus Comitolus, qui anno 1609 ſcripſit, & fuſo calamo demonſtrat Probabiliſmum *fœdam* eſſe *prolapſionem* Idem anno 1694. præſtitit Thyrſus Gonzales Societatis Jeſu Præpoſitus, & an. 1703. Jo-

annes Gisbert ex eadem Societate. Ex iiſce Scriptoribus ſi quid hic afferimus boni, depromptum eſſe fatemur perlubenter. Sit itaque

CONCLUSIO PRIMA.

Non poteſt quis ſine peccato ſequi opinionem libertati faventem & minus probabilem, in concurſu opinionis alterius ſtantis pro lege, & ſimul probabilioris.

Prob. 1. ex Script. Deuter. 26. *Hodie Dominus Deus præcipit tibi ut facias mandata hæc atque judicia; ut cuſtodias & impleas ex toto corde tuo, & totâ anima tuâ.* Quibus conſonant quæ, multoties repetuntur in Evangelio, Luc. 10. 27. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis;* ſed qui ſententiam minus probabilem amplectitur, non diligit Deum ex totis viribus. Ille enim non diligit Deum ex totis viribus, qui ea tranquille facit, vel omittit, ex quibus Deum graviter offenſum iri probabilius judicat: ſed qui ſententiam minus probabilem libertati faventem contra præceptum amplectitur, ea fecit vel omittit... novit enim longè ſecurius eſſe ad obſervantiam præcepti, ſi probabiliori adhæreat ſententiæ; quia hæc ſimul eſt tutior, & nulli Deum offendendi periculo exponit, & prudenter judicatur eſſe verior, imò & ſola vera, ut ex dicendis conſtabit.

Eccleſiaſt. 3. 17. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Sed qui ſequitur in praxi opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris, periculo manifeſtè ſe exponit; tunc enim ipſi timendi locus eſt ne legem tranſgrediatur, ſi fortè ea exiſtat: atqui nunc longè probabilius eſt eam exiſtere, quam non exiſtere; ergo.

Proverb. 12. 15. *Via ſtulti recta in oculis ejus, qui autem ſapiens eſt, audit conſilia.* Eccleſiaſtici 25. *Quam ſpecioſum canitiei judicium, & Presbyteris cognoſcere conſilium! Quam ſpecioſa veteranis ſapientia, & glorioſis intellectus & conſilium!* Cap. 32. *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile*, hoc eſt rationum firmitate roboratum, ut exponunt Interpretes: atqui Probabiliſtæ non agunt ex conſilio ſapientum & veterum, ſed juniorum, ſi quidem ſub medium 16. ſæculi nondum caput extulerat illa hæc effrænis opinandi licentia: via ergo quam tenent recta non eſt, niſi in oculis eorum; adeoque via ſtultorum eſt: non eos præcedit *verbum verax*, quia frequentius opinioni minus probabili falſum ſubeſſe contingit, ut ex innumeris patet propoſitionibus, quas ut probabiles admiſere, quæque ne à Turcis quidem admitterentur. Neque etiam *ſtabile* eſt quod ſequuntur conſilium: utpote quod inſtabili minoris probabilitatis arenâ fundetur, & juxta eos ipſos à veritate magis recedat quam ab errore; ergo.

Matth. 7. *Quam arcta via & anguſta eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam!* Atqui ſi liceat operari juxta quamcumque opinionem probabilem, relictâ quæ tutior nobis & probabilior videtur, via cœli non erit arcta, ſed lata prorſus & planiſſima; imò ſic aliquando dilatata, ut nemo fermè ſit qui cum ambitionibus ſuis, uſuris, ſimoniis &c. per eam latè & commodè ambulare non poſſit: hoc etiam poſito probabilitatis commento, vix actio ulla erit illicita, quia vix eſt quæ à recentioribus Caſuiſtis licita non aſſeratur, adeoque quæ juxta eoſdem licitè exerceri non poſſit, ut patet ex hac eorum propoſitione quam poſt Innoc. XI. damnavit Clerus Gallicanus: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſecâ, ſive extrinſecâ quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Hac de causâ, Mechlinienſis Archiepiſcopus die 18. Feb. an. 1655. Libros omnes Caramuelis à Diœceſi ſuâ proſcripſit, *quod*, inquit, *faciat plurima hominibus licita, quæ hactenus æſtimantur eſſe peccata, & ſic viam cœli in dies latiorem & faciliorem reddat: quaſi verò poſſit adinventionibus ſuis mendacem facere ſermonē evangelicum Domini noſtri Jeſu Chriſti dicentis, Intrate per anguſtam portam.* Et verò fidenter hæc ſcripſerat Caramuel: *Eccleſia Catholica felicior debet dici, quod exuberet ſanctiſſimis & doctiſſimis viris qui introduxerunt benignas opiniones, quia damnarentur plurimi, quos ſententiæ probabilitas ſalvat; nec inde Eccleſia infelix quod Doctores opinentur paſſim, ſed & inde felicior quod facilius & benignius ſuos poſſit ad lauream empyream promovere.* Et ibidem: *Si jam ſunt probabiles quæ antea non erant, jam non peccant homines, cum antea peccarent, cum probabile omne à peccato excuſet.* Quæ verba ſubtiliter perſtringens Mercarus Inquiſitor Mantuanus, Lib. de praxi opin. limitatâ, ait: *Si nova hæc felicitas Eccleſiæ quam ſupponit hic Author, eſſet plaudendum... eſſet ſimul condolendum infelicitati Eccleſiæ ſæculorum antecedentium, quibus hæc janua cœli fuit clauſa; & cum magno Guigone Carthuſianorum quondam Generali exclamandum: O Apoſtolorum tempora infeliciſſima! O viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miſeratione digniſſimos, qui ut ad vitam pertingerent, propter verba labiorum Dei tam duras vias cuſtodiebant, & hæc noſtra compendia neſciebant!* O miſeros primævi temporis populos, quibus Deus non conceſſerit præſtantem hunc Dianam, qui, ut ait Caramuel, centena à mundo abſtulit peccata, quia centenas propoſitiones fecit probabiles!

Rom. 14. 23. *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt;* ſive, ut poſt Interpretes docuimus, quod eſt contra conſcientiam, ſeu prudens judicium, quo judicatur id quod fit licitum eſſe, illicitum eſt: ſed qui adhæret opinioni minus probabili, non ſequitur prudens illud judicium. Mens enim non prudenter judicat illud eſſe licitum, quod omnibus ritè penſatis judicat illicitum magis quam licitum: atqui &c.

Confirm. Agit ille contra conſcientiam, qui meliora videns & approbans, deteriora ſequitur quæ improbat: ſed qui opinioni minus probabili adhæret, ſequitur deteriora quæ improbat; qui enim opinionem minus tutam, minuſque probabilem judicat, eo ipſo eam improbat, & in oppoſitâ conſcientiam ſuam format; ergo.

Tota pro nobis eſt aurea illa prudentiæ regula, quam omnibus commendat Apoſtolus 1. Theſſal. 5. 22. *Omnia probate, quod bonum eſt tenete, ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Sed qui agunt ex conſcientia minus probabili 1. non omnia probant, probationem enim ritè factam ſequitur prudens determinatio: atqui profectò prudenter non ſe determinant Probabiliſtæ; unde 2. non tenent quod bonum eſt, cum illud lubenter amplectantur quod eis malum magis apparet quam bonum. 3. non abſtinent ab omni ſpecie malâ, imò feruntur in illud quod prudentius & probabilius malum eſſe judicant: majorem certè præ ſe fert mali ſpeciem ſententia minus probabilis, minuſque tuta, quam ſententia quæ tutior & probabilior apparet.

Confirmatur iterum, quia in Probabiliſtis tota quanta eſt impletur illa Chriſti ſententia Lucæ 16. 8. *Filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.* Qui enim pro rebus fluxis ac volu-

bilibus plus cavent, caverique à ſuis volunt, quam Chriſtiani pro iis quæ ad ſalutem pertinent, illi certè in generatione ſua, id eſt in rerum ſuarum adminiſtratione filiis lucis ſunt prudentiores: atqui plus cavent filii hujus ſæculi pro fluxis caducíſque rebus quam filii lucis pro rebus ad æternitatem ſpectantibus. Quis enim è filiis ſæculi theſaurum in domum ſuam tranſlaturus, è duabus viis eligeret eam quæ minus tuta eſſet, & in quâ moltò probabilius foret obviam ſibi fore latrones qui nec theſauris nec vitæ parcerent; Nemo ſanè ita ſe gerer; atqui tamen permittunt Probabiliſtæ, ut in uno neceſſario, negotio ſcilicet ſalutis, ita ſe gerant homines; ergo vereantur illud S. Spiritus effatum, *Pondus & pondus, menſura & menſura, utrumque abominabile apud Deum.* Proverb. 20. 10. aliter enim pro rebus ſæculi, aliter pro rebus Dei ponderant Theologi quos impugnamus.

Prob. 2. Illa opinio penitus rejicienda eſt, quam Eccleſia tota per ſexdecim ſæcula ignoravit, aut non cognovit niſi ut improbandam: atqui opinio quæ partem minus tutam & veri minus ſimilem in praxi teneri poſſe docet, primo per ſexdecim ſæcula in Eccleſiâ Chriſti incognita fuit. Prob. minor. 1. quia adverſarii ne unum quidem teſtum citare poſſunt qui facilè non ſolvatur, ut infra oſtendemus. 2. quia, ut jam ſupra dictum eſt, Antonius Corduba, inſignis è familia Fratrum Minorum Theologus, in ſuo Quæſtionario Theologico, poſtquam ſtatuit partem tutiorem eſſe eligendam cum pars oppoſita vel minus, vel æqualiter ſolum eſt probabilis, ſubjungit, *Et in hoc omnes Theologi conſentiunt.* 3. quia idipſum agnoverunt Probabiliſtæ qui-
Vid. Giſbert. Antiprob. p. 107. bus hâc in parte haberi fides debet. Nam Franciſcus Amicus probabilitatis defenſor ſincerè affirmat, *omnes ferè antiquos Theologos negare licitum eſſe operari ſecundum ſententiam minus tutam & ſimul minus probabilem; ſemperque ad licitè operandum ex ſententiâ minus tutâ exigere ut illa ſit probabilior.* Inde eſt quod Stephanus Gradius Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, in diſp de opin. probab. c. 23. celebrem alloquens Probabiliſtam dicere non dubitaret: *Ultro vinciendum & in triumpho ducendum tibi me tradam, ſi quiſquam unquam per omnem præteritorum ſæculorum memoriam,* ante finem ſæculi decimi ſexti, *ita locutus inveniatur ut Probabiliſta.*

Neque ſolum non idem cum Probabiliſtis locuti ſunt Patres, ſed & benignam eorum opinionem formaliter prædamnaverunt, licet tacitus, quia nec nata erat, nec inter Chriſtianos eſſe naſcituram ſuſpicabantur. Probatur ex ſelectis aliquod eorum textibus.

S. Chryſoſtomus vel quivis Author Homil. 44. in Matth. *Si veſtimentum empturus,* inquit, *unum gyras negotiatorem & alterum; & ubi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori ab illo comparas, an non oportet,* vel ut alii legunt, *quomodo non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere ubi ſincera Chriſti veritas vaenundatur, & ubi corrupta; & veriorem eligere pluſquam veſtimentum;* Sed qui tenetur veriorem eligere doctrinam; qui ut benè operetur, non unum aut alium, ſed eos præcipuè Doctores conſulere debet qui ſinceram Chriſti veritatem exponunt, illam partem quæ plures falſitatis & peccati caracteres præ ſe fert, amplecti non poteſt; ergo ſi hanc teneat *inexcuſabilis* eſt, ut paulò ante docuerat idem Author.

S. Auguſtinus Lib. 2. de doct. Chriſt. c. 8. hunc modum a viro prudenti *in Scripturis canonicis* teneri vult, *ut eas quæ ab omnibus recipiuntur Eccleſiis præponat eis quas quædam non accipiunt; in his verò quæ non accipiuntur ab omnibus præponat eas quas plures gravioreſque recipiunt, eis quas pauciores minoriſque authoritatis Eccleſiæ tenent: ſi autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus, quamvis hoc facilè invenire non poſſit, æquales authoritatis eas habendas puto.* Atqui ſi Scriptura probabilior eligenda eſt & præferenda minus probabili, nulla eſt ratio cur opinioni minus probabili non ſit præferenda opinio probabilior: ideo enim Scriptura probabilior minus probabili præfertur, quia ſequenda eſt ſententia probabilior præ minus probabili, unum enim formaliter includitur in altero. Vide Giſbertum, qui hunc S. Doctoris textum à futilibus Probabiliſtarum cavillis fortiter vindicat p. 73. & ſequent.

Idem S. Doctor Epiſt. 154. *Si quis,* inquit, *bonum putaverit eſſe quod malum eſt, & fecerit hoc putando, utique peccat;* ergo à fortiori peccat qui facit id quod non judicat eſſe bonum, ſed veriſimilius eſſe malum. Et certè ideo peccat qui facit quod malum eſt, licet illud credat eſſe bonum, quia actionis hujus malitiam non ignorat invincibiliter: ſed qui judicat id quod facturus eſt, eſſe veriſimilius malum, non ignorat invincibiliter malitiam quæ actioni ſuæ ſubeſſe poteſt; ille enim ſolus ignorantiâ laborat invincibili, qui moraliter adhibuit ſtudium omne, omnemque conatum & induſtriam ut veritatem amplecteretur. Quæro autem an ea ſit conditio hominis qui eam amplectitur opinionem quam novit errori quam veritati eſſe propiorem.

S. Bernardus Lib. de præc. & diſp. c. 14. *Ut oculus interior,* inquit, *verè ſit ſimplex, duo illi neceſſaria arbitror, charitatem in intentione, & in electione veritatem,* quantum ſcilicet haberi poteſt. Et iterum: *Patet igitur laudabilem illam, & à Domino laudatam ſimplicitatem abſque his duobus non eſſe bonam, benevolentiâ & prudentiâ, & oculus videlicet non ſolum pius qui fallere nolit, ſed & cautus ſit qui falli non poſſit.* Unde ſic cum Giſberto: Si oculus ſimplex non ſit nequam eſt, unum enim alteri opponit Chriſtus: atqui oculus ſequentis partem minus probabilem & minus tutam, non eſt ſimplex, cum nec charitatem habeat in intentione, nec veritatem in intellectu. Charitatem quidem non habet in intentione cum ſe determinet ad id quod probabilius eſt Deo diſplicere, quod charitas non dictat; neque etiam habet veritatem in intellectu, ſaltem quantum poteſt, cum id ſequatur quod veriſimilius judicat falſum eſſe quam verum.

S. Thomas quodl. 9. a. 15. expendens an licitum ſit plures Præbendas habere, ait id *periculoſè determinari... quia Theologi Theologis, & Juriſtæ Juriſtis inveniuntur contraria ſentire:* atqui, ut benè diſcurrit Gonet, ſi liceret opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris eligere, nullum eſſet in deciſione hujus quæſtionis periculum propter diverſas Doctorum opiniones: poſſet enim quiſque eam quam mallet tenere ſine periculo peccati; quia juxta Caramuel, opiniones *benigniores, etſi aliquando ſint minus probabiles, per accidens tamen ſunt ſemper utiliores & ſecuriores.*

Et quodlib. 8. a. 13. in corp. *Si,* inquit, *ille qui poſſidet plures Præbendas in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & manente tali dubitatione plures Præbendas habeat, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat, utpote magis amans Beneficium temporale quam propriam ſalutem.* Sed qui ſequitur opinionem minus probabilem, non poteſt non induci in aliquod dubium de ejus veritate, cum fortiora ſint motiva quæ eam falſam eſſe convincunt, quam quæ adſtruunt eandem eſſe veram. Et verò hæc S. Thomæ verba

adeo probabiliſmum ſubvertunt, ut Amadeus Gumenius in Tract. de opin. probab. n. 6. dixerit, *Hæc ſi vera ſunt, væ operantibus ex opinione probabili.* Plura videbis apud Contenſon L.6. diſſ. c. 2. Atque hæc Angelici Præceptoris doctrina ita eſt omni exceptione major, ut eidem conſentiat Doctor ſubtilis in 3. diſt. 25.q. 1. & alibi paſſim. Conſuli poteſt Comitolus, qui Lib. 5. Reſp. Moral. pro hâc noſtrâ ſententia citat Gerſon. S. Antonin. Majorem, Adrianum, Cajetan. &c.

Prob. 3. quia Probabiliſmi doctrina conſtanti Rom. Eccleſiæ traditioni adverſatur; ergo.

Prob. ant. 1. quia RR. Pontifices hoc ſemper principii inſtar habuerunt, *in his quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus* tenendum eſſe, cap. 3. *De ſponſalib.* & alibi centiés: ergo à fortiori ſenſerunt in his quæ ſunt plus quam dubia, ut quæ ſunt veri minus ſimilia, partem certiorem ſeu probabiliorem ſequendam eſſe. 2. quia eo etiam tempore quo infelicius graſſata eſt probabilitatis novitas, eam nec in deciſionibus, nec in Libris ſuis ſecuti ſunt Cardinales, & ſi qui eam aliquando ſecuti fuere ut Pallavicinus, ab eadem ante obitum receſſerunt. 3. quia Sedes Apoſtolica ſi non omne omnino Probabiliſmi genus, * at eum certè qui communior erat tam in ſe quam in horrendis quæ inde ſcaturiebant propoſitionibus reprobavit. Has enim quatuor propoſitiones damnavit Innoc. XI. Prima, *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi &c.* Unde ſic: Ideo illicitum eſt opinionem minus probabilem ſequi in conferendis Sacramentis, quia periculum eſt ne violetur lex divina præcipiens ut Sacramenta tali modo conficiantur aut conferantur: id patet ex reſtrictionibus quas propoſitioni ſuæ appoſuerant ejuſdem Authores, niſi id vetet lex, conventio, &c. atqui periculum etiam eſt ne in aliis materiis ad mores ſpectantibus violetur lex Dei, qui mandata ſua mandavit cuſtodiri nimis; ergo. Secunda propoſitio ſic habet: *Probabiliter exiſtimo Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Atqui non minus prohibitum eſt homini judicare contra legem Dei in his quæ ad æternam ſalutem ſpectant, quam Judici judicare contra jus alterius hominis, in his quæ temporalia ſolum bona reſpiciunt. Si enim opinio minus probabilis de jure alieno non efficit ut res de qua litigatur, ad eum potius pertineat qui minus habet juris; certè nec opinio minus probabilis efficere poteſt, ut actio de cujus licitate diſputatur, præſumatur licita eſſe, econtra. Tertia propoſitio his concepta eſt verbis, *generatim dum probabilitate ſive intrinſeca &c.* ut ſupra. Atqui admiſſâ ut admitti debet hujus propoſitionis cenſura, dicendum eſt partem longè probabiliorem ſemper eſſe tenendam; pars enim huic parti oppoſita non niſi *tenuem* habere poteſt probabilitatem; porrò falſum eſt ex cenſura, quod prudenter operetur qui *ex tenui probabilitate*, tametſi vera, operatur. Quarta propoſitio hæc eſt, *Ab infidelitate excuſabitur Infidelis non credens, ductus opinione probabili:* atqui ſi opinio minus probabilis favens hæreſi v. g. quæ ut norunt omnes difficillimis aliquando rationibus ſe ſe tuetur, à peccato contra fidem non excuſet, nulla eſt ratio cur opinio minus probabilis in aliis ſpei, charitatiſve materiis excuſet eos qui ipſam ſequuntur; ergo ut opinio probabilior in materia fidei, ſic & eadem in aliarum virtutũ materiis eſt neceſſariò tenenda. At, inquies, Eccleſia Romana partem benigniorem minuſque tutam non rarò amplexa eſt: ſic cap. 2. *De cognat. ſpirit.* decidit Alexander III. ut

Vid. Giſbert p. 201.

Sup. p. 78.

vir aut mulier qui ſive ex ignorantia, ſive ex malitia filium ſuum de ſacro Fonte ſuſceperunt, non ſeparentur ab invicem, ſed *alter alteri* debitum reddat. Ratio autem hujus deciſionis quæ libertati favet contra legem, hæc eſt quod *quidam humanius ſentientes aliter ſtatuerunt*; quæ ratio probabilior videri non poteſt.

℞. ad 1. neg. ant. Ad 2. dico 1. materiã de qua hic agitur, eſſe ex iis in quibus diſpenſare poteſt ſummus Pontifex, imo & in quibus diſpenſare debet cum non aliter amoveri poteſt periculum peccandi, ut amoveri nequit cum conjuges *ad continentiam ſervandam non poſſunt induci*, quod ſupponit Alexander III. Dico 2. Pontificem amplexum fuiſſe partem quæ probabilior erit, ut patet ex ratione quam ſubjicit. *quia ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur: ſi ex malitia, eis ſua fraus patrocinari non debet vel dolus.* Verè enim in his materiis excuſatur qui agit ex ignorantia probabili juris vel facti; verè etiam ſtatuitur, ut qui ex malitia propriam prolem baptiſavit, adhuc teneatur ad redditionem debiti, licet illud petere ipſe non poſſit. quia alioqui fraus ſua eidem patrocinaretur. Adde quod ante Alexandrum III. variæ eſſent leges circa hoc punctum: quis verò dubitet eum qui in his omnibus diſpenſare poteſt, potuiſſe benigniorem amplecti? Vid. Pirhing. tom. 4. in l. 4. tit 11.

Prob. 4. ratione. 1. enim ſi liceret ſequi opinionem minus probabilem, minuſque tutam in concurſu probabilioris, maximè quia talis opinio eſſet verè probabilis: atqui ut fusè diſcurrit Gonzal. diſſ. 3. c. 2. implicat quod opinio minus tuta, minuſque probabilis verè & propriè maneat probabilis quando concurrit cum probabiliori. Nam ex definitione Probabiliſtarum, opinio verè & propriè probabilis eſt ea quæ nititur gravi & ſolido fundamento, quodque ſufficiat ad obtinendum aſſenſum ab homine probo & erudito: atqui ſententia minus probabilis non nititur gravi & ſolido fundamento... Nam illud ſolum fundamentum ſatis ſolidum eſt & grave ut viri pii pariter & eruditi aſſenſum extundere poſſit, cujus momenta non modo non ſuperantur à contrariis, ſed etiam eorum vim ſenſibiliter eludunt; unde fit ut opinio iis nixa momentis ad veritatem potius quam ad falſitatem accedere judicetur, adeoque excludat prudentem peccandi metum: atqui vis tota qua niti poteſt ſententia minus probabilis, nedum oppoſitam vincat, imo ab eadem vincitur quam plurimum; ergo.

2. Conſtans eſt apud omnes, & ut vidimus à multis Pontificibus confirmata hæc veritas, *In dubiis ſemitam debemus eligere tutiorem.* Atqui hoc uno axiomate lis tota dirempta videtur: ſi enim qui judicat opinionem minus tutam & dubiam, non eam poſſit amplecti, non licebit à fortiori minus tutam minuſque probabilem tenere; non enim licet amplecti opinionem quæ non ſolum dubia judicatur, ſed & magis quam dubia: ſed qui judicat opinionem minus probabilem, eam judicat dubiam & magis quam Dubiam. Dubia enim judicatur opinio quæ non magis ad veritatem quam ad falſitatem judicatur accedere: ſed qui judicat opinionem minus probabilem, judicat eam magis ad falſitatem accedere quam ad veritatem; ſi enim eam æquè ad utramque partem accedere putaret, non jam minus probabilem, ſed dubiam haberet; ergo.

Res clarior exemplo fiet. Deliberet aliquis num tres contractus ſint liciti, perpenſiſque Caſuiſtarum rationibus, eas æquales arbitretur, & inter utramque partem fluctuet ſuſpenſus; is, quia dubitat, ſub pœna peccati ab hoc contractus genere abſti-

Vide infra Con. 2. abſtinere debet. Idem verò re maturius conſideratâ, cenſeat probabilius eſſe tres contractus eſſe illicitos, minus verò probabile eoſdem eſſe licitos, certè is tunc ex Probabiliſtis poterit contrahere: atqui id omnino videtur intolerandum. Qui enim modò dubitans de bonitate contractus, contrahere licitè non poterat, quomodo nunc, cum non modò dubitat de peccato contractus, ſed etiam probabilius credit & judicat ai ineſſe peccatum, eundem poterit inſtituere contractum? Ita-ne verò rationes quæ videntur æqualiter ponderoſæ ſequi nô licet, contra verò ubi earum pars altera videbitur infirmior, eidem licebit adhærere?

3. Implicat ut qui judicat actionem eſſe malam, poſſit licitè eam exercere in ſenſu compoſito illius judicii, neque enim cuiquam licet contra propriam agere conſcientiam: ſed qui ſententiam minus probabilem relictâ probabiliori ſequitur, judicat in rei veritate, rem ſententiâ minus probili expreſſam eſſe malam, & lege prohibitam. Is enim rem illam illicitam & prohibitam judicat, qui judicat ſententiam minus probabilem falſam eſſe: ſed in illâ hypotheſi qui ſequitur opinionem minus probabilem, cum oppoſitam videt probabiliorem, judicat eam quæ minus probabilis eſt eſſe falſam; ſiquidem non poteſt judicare opinionem quæ ipſi veriſimilior apparet eſſe veram, quin ſtatim minus veriſimilem judicet eſſe falſam. v. g. non poteſt judicare iſtam propoſitionem, Contractus A, eſt uſurarius, eſſe veram, quin ſtatim judicet falſam eſſe oppoſitam propoſitionem, Contractus A. non eſt uſurarius: ſed qui ſibi repræſentat duas propoſitiones quarum una eſt longè probabilior alterâ, is profectò judicat, cum formidine quidem, ſed tamen prudenter, illam propoſitionem quæ ipſi veriſimilior apparet eſſe veram, tum quia occurrunt ex parte illius propoſitionis ea omnia quæ ſolent intellectum trahere ad aſſenſum, puta major authoritas Doctorum, graviora momenta &c. tum quia qui opinatur, abſolutum fert judicium, non de veriſimilitudine, ſed de veritate unius partis; & hoc quidem probo cum Gonzale c. 1. n. 4.

Nam ex dictis, judicium quod fert quiſque opinatur, attingit unam partem cum formidine alterius: atqui non attingit cum formidine niſi veritatem illius partis. Vel enim attingit cum formidine veritatem hujuſce partis, vel ejus veriſimilitudinem: atqui licet ille qui opinatur moveatur ad opinandum à veriſimilitudine objecti, non attingit tamen cum formidine hanc veriſimilitudinem. Non enim attingo cum formidine id quod clarè & evidenter percipio: atqui cum opinor, certò & evidenter percipio veriſimilitudinem objecti circa quod opinor: imo clarè & evidenter percipio veriſimilitudinem partis oppoſitæ. Ideo enim in unam partem feror, quia cognoſco eam eſſe veriſimilem: ideo autem in eam non feror ſine formidine, quia novi quoque partis oppoſitæ veriſimilitudinem; ergo dum uni parti probabiliter aſſentior potius quã alteri, judico abſolutè partem hanc eſſe veram, licet ſimul agnoſcam non repugnare quod falſa ſit.

4. Ea ſententia non poteſt defendi quæ repugnat in terminis: atqui, ſi ſerio perpendatur, repugnat in terminis ſententia quæ docet licitum eſſe partem minus probabilem ſequi. Siquidem ſententia quæ docet licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem, docet eam poſſe à voluntate approbari; atqui repugnat mentem approbare opinionem minus probabilem. Repugnat enim mentem approbare eam opinionem quam reverâ improbat: atqui mens reverâ improbat rejicitque opinionem minus probabilem. Improbatio enim eſt actus mentis acquieſcere renuentis: atqui mens acquieſcere renuit opinioni minus probabili; opinio enim minus probabilis non dicitur probabilis eo quod ipſi conſentiam, ſed eo quod iis nixa ſit rationibus ob quas poſſint alteri ipſi conſentire. Ergo quæſtio utrum liceat opinioni minus probabili adhærere, iis expreſſa terminis qui eam naturaliter declarant, in eo conſiſtit, an poſſit mens ſequi opinionem quam improbat, & approbare quod probabile non judicat.

5. Nemini licet agere imprudenter, & uti ſtaterâ mendaci: ſed qui ſequitur opinionem minus probabilem ſe gerit imprudenter, & utitur ſtaterâ mendaci. Ille enim ſe gerit imprudenter, qui eandem pro anima diligentiam non adhibet, quam pro corpore: ſed qui opinionem ſequitur minus probabilem, non eadem erga animam ſollicitudine utitur, ac erga corpus. Qui enim nollet cibum quem longè probabilius venenatum exiſtimaret ſumere, vel qui unius Medici minus periti, duorum peritiorum judicio, opinionem non præponeret, ille plus corpori conſulit quam animæ: atqui quiſquis ſapit ſemper abſtinebit à cibo quem probabilius venenatum exiſtimat; citius habebit fidem pluribus Medicis, quorum veriſimiliora ſibi videntur momenta, quam uni qui minus probabiliter diſcurrit; ergo.

Obj. 1. Jugum Chriſti eſt ſuave, Matth. 11. Lex ejus non eſt lex ſervitutis, ſed libertatis, Gal. 4. Sed qui negant benignas opiniones teneri poſſe, jugum Chriſti aſperum faciunt, & aſſeclas ſuos redigunt in ſervitutem.

℟. diſt. maj. Jugum Chriſti eſt ſuave, quia tale per gratiam efficitur; item lex ejus lex eſt libertatis, quia nos liberat à ſervitute tum legis Moſaicæ, tum diaboli & peccati, conc. quia unicuique licitum eſt facere quod velit, atque id etiam quod probabilius judicat eſſe peccatum, neg. Itaque ſuave eſt Chriſti jugum, quia *quidquid durum eſt in præceptis, ut ſit lene charitas facit*, ut docet Auguſtinus Serm. 96. ſed non ideo jugum Chriſti leve eſt ſenſu Probabiliſtarum, qui mendacem faciunt Chriſtum dicentem arctam eſſe Cœli viam, & paucos qui per eam ingrediantur. Et verò an ideo jugum Chriſti aſperum facimus, quia contra laxiores caſuiſtas docemus falſum eſſe quod *homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore teneatur elicere actus fidei, ſpei, & charitatis &c.* aut quod *Chriſtus ſuo nos ſanguine liberavit à neceſſitate ſerviendi Deo ex amore &c.* aut quod *licitum ſit jurare falſum cum reſtrictione mentali &c.* aut quod *copula ſoluti cum conjugata conſentiente marito non ſit adulterium*, aliaque id genus horrenda quæ vel ipſis Gentilibus improbarentur, & quæ cum ſint Probabiliſmi fructus, quam mala ſit arbor illa facilè demonſtrant.

Obj. 2. Falſum eſt opinionem Probabiliſtarum ab antiquis Patribus rejectam eſſe: nam S. Leo Epiſt. ad Ruſticum, *In his*, inquit, *quæ dubia ſunt, vel obſcura, id noverimus eſſe ſequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum videtur adverſum eſſe*: atqui opinio verè probabilis nec adverſa eſt &c. Et verò Iſaac Habertus, Vabrarum Epiſcopus, in Opuſculo de opinione probabili, inter probabilitatis defenſores S. Auguſtinum alioſque innumeros Tridentino Concilio antiquiores recenſet.

Confirm. Romani Pontifices aliquando diſpenſarunt in voto ſolemni caſtitatis: atqui pars tutior & probabilior negat cum S. Thoma hujuſmodi diſpenſationem valere.

℟. neg. min. intellectam de opinione prout eam adverſarii probabilem appellant; talis enim opi-

nio & Evangelio & Patribus manifeſtè repugnat. Ii enim docent io dubio an actio mala ſit, ab eâ declinandum eſſe, incedendumque per viam tutiorem, ut ex dictis patet, parebitque ex dicendis: atqui hæc doctrina opinioni Probabiliſtarum directè adverſatur; ergo allucinatus eſt author Opuſculi citati, cum Auguſtinum, alioſque Scriptores in probabilitatis patrocinium advocavit; hæc enim omnibus eorum principiis repugnat.

Ad confirmationem petitam è diſpenſationibus quas aliquando conceſſerunt RR. Pontifices, dico 1. eos opinionem ſecutos eſſe quam alibi probabiliorem eſſe oſtendimus. 2. etiamſi opinio hæc reipsâ minus probabilis eſſet, haud inde ſequitur eam minus probabilem viſam fuiſſe iis qui eam tenuerunt. Hic autem non expendimus an homo aliquando amplecti poſſit opinionem quæ minus in ſe probabilis eſt, hoc enim tam certum eſt, quam certum ſit hominem aliqoando falli: ſed utrum eam poſſit opinionem ſequi quam omnibus maturè ponderatis judicat ipſe minus eſſe tutam, minuſque veriſimilem.

Obj. 3. Licitum eſt ſequi ſententiam probabiliorem: ſed ſententia quæ docet licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem, eſt longè probabilior oppoſita, cum eam tenuerint omnes fermè Scriptores ſæculi proximè elapſi.

℞. neg. min. Duplex enim eſt probabilitas, alia ab intrinſeco, ſeu à momentis rei intrinſecis; alia ab extrinſeco, ſeu ab ipsâ Doctorum authoritate: atqui ſententia quam docemus, utraque illâ anthoritatis ſpecie gloriatur; non autem oppoſita, ut evincunt probationes noſtræ, & objectionum quæ hic ab adverſariis proponuntur debilitas. Et verò quis authoritatem Caſuiſtarum quales fuere Diana, Caramuel, aliique id genus qui ſe ſic ut oves ſecuti ſunt, & mille abominationum genera docuere, comparare auſit cum authoritate Scripturæ, Patrum, Doctorumque quos citavimus quique ſententiam noſtram diſertè tradiderunt?

Inſt. Si Probabiliſmi opinio quam impetimus tam mala ſit & horrenda, ſequitur 1. quod Deus Eccleſiam ſuam per unum fermè ſæculum deſeruerit, permittendo ut ea undequaque doceretur 2. quod mortaliter peccaverint qui ſententiam illam in praxi tenuere, & à fortiori qui eam docuerunt: atqui utrumque abſurdum eſt.

Reſp. neg. maj. quoad primam partem Probabiliſmus enim, qualeſcumque feciſſe progreſſus ſupponatur, pro communi Eccleſiæ fide haberi nunquam potuit. 1. quia ad ſummum fuit opinio; hæc autem eſt opinionis natura, ut eam liceat amplecti vel deſerere, utque Eccleſia eam, ſi ita judicaverit, reprobare queat; ergo non magis Deus Eccleſiam deſeruit permittendo ut Probabiliſmus in eâ aliquandiu radices ageret, quam paterfamilias agrum ſuum deſeruit permittendo ut zizania non ſtatim eradicarentur. 2. quia ex iis qui pro Probabiliſmo citantur, pauci ſunt qui eum defenderint, prout à laxioribus quibuſdam defenſus eſt. Multi enim è potioribus Probabiliſtis qui voluerunt licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem de licito, relicta probabiliore de illicito, per opinionem minus probabilem intelligebant eam quæ à multis minus probabilis credebatur, ſed quam ipſi tamen oppoſitâ probabiliorem judicabant, de quo vide Gonzalem diſſert. 2. & 3. Atque hæc opinio etiam rigidis Theologis placet, eamque in praxi tenuit Henricus à S. Ignatio, cum docuit licitum eſſe aliquid ſupra ſortem accipere propter probabile periculum ſortis; quod ſentiunt pauci ex iis Theologis quos ſequi amat prædictus Henricus. 4. quia Probabiliſmus nunquam ab Apoſtolicâ Sede probatus eſt; imò Eccleſia Romana tum in Rotâ, tum in Congregatione Concilii, tum in Pontificiis Deciſionibus probabiliorem partem toto eo tempore amplexa eſt, ut teſtatur Proſper Fagnan, in ſingulari diſſertatione de hac materiâ. 4. ab eodem Probabiliſmo abhorruerunt S. R. E. Cardinales. *Prolixus eſſem* ait Cardinalis Aguirius in Præfat. ad Tomos Concil. Hiſpanic. *ſi omnes DD. Cardinales Probabiliſmi illius laxi inimicos & tutiorum aut ſaltem palam probabiliorem ſententiarum tenaces, tam factis quam ſcriptis, jam vitâ functos nominare vellem. Inter tam multos eorundem qui uſque modo ſanctitate aut doctrina inſignes floruerant, vix, credo invenietur aliquis qui ita ſenſerit aut docuerit.* Fuerat quidem aliquando Probabiliſta Cardinalis Pallavicinus, ſed ab eâ opinione, veritate tandem compertâ, diu ante mortem receſſerat, ut teſtatur Thyrſ. Gonzales diſſ. 13. n. 76. pag. mihi 354. Ita ne verò Eccleſia Romana omnium mundi Eccleſiarum magiſtra, eam amplexa eſt opinionem quam *vix* ejus Cardinalium *aliquis* tenuit? Mitto Epiſcopos, Parochos, & Theologos qui animadverſo tandem Probabiliſmi commento, in ipſum, quaſi facta conjuratione inſilierunt, quos inter, ut diximus, primas tenuere Rebellus & Comitolus, ambo Itali, ambo è Societate Jeſu. Vide Gisb. p. 184. Vide etiam Ærbicam amoris Tom. 1. Lib. 11. c. 47. 48. 74. &c. Ergo Deus Eccleſiæ ſuæ ſemper præſto fuit, cum ei ſemper conceſſerit viros graves qui Fideles ab errore revocarent. Et verò deſeruit-ne Deus Sponſam ſuam per ſæcula ſexdecim per quæ Antiprobabiliſmum viguiſſe oſtendimus?

Quod ſpectat ad ſecundam partem, reſp. Deum non me conſtituiſſe judicem, nec meum eſt eos condemnare quos abundantia bonæ fidei excuſare potuit. Interim vix ac ne vix quidem eos hodie excuſarem à peccato, qui probabiliſmum tot, à tempore Alexandri VII. virorum pietate & ſcientia inſignium Operibus ſolidè confutatum renovare auderent, cum miſera hæc opinio iis qui rem accuratè & coram Deo, nec decipere nec decipi volentes, perpendunt, probabilis videri non poſſit.

Obj. 4. Redargui non poteſt qui prudenter agit; ſed qui ſequitur opinionem verè probabilem, etiam in concurſu probabilioris, prudenter agit. Opinio enim verè probabilis, qua talis, nititur motivo gravi, & non repugnat Scripturæ, Patribuſve aut Conciliis: ſed qui talem opinionem ſequitur, agit prudenter. Ideo enim imprudenter ageret, quia opinio hæc ſupponitur concurrere cum probabiliori: atqui hæc ratio nulla eſt; tum quia opinio ipſa quæ probabilior videtur, poteſt eſſe falſa; tum quia ex eo quod opinio hæc ſit probabilior, non ſequitur quod iſta non ſit verè probabilis; ſicut ex eo quod Petrus ſit Doctior Joanne, non ſequitur quod Joannes non ſit verè doctus; ergo.

Reſp. ad hoc argumentum, quo qui rem ſatis non penetrant decipi poſſent, nego minorem tanquam de falſo ſupponente. Licet enim verum ſit eum prudenter agere qui agit ex opinione verè probabili, ſeu quæ gravi & prudenti fundamento nititur, falſum tamen eſt, ut jam diximus, eum qui opinionem minus probabilem & cognitam qua talem amplectitur, operari ſecundum opinionem verè probabilem reſpectu ipſius agentis. *Sup. p. 799.* Nam ut ipſi adverſarii aliquando tandem fateri coacti ſunt, ea ſolum opinio eſt verè probabilis ſaltem practicè, quam agens judicat gravibus atque ſolidis nixam eſſe rationibus, atqui implicat quod agens ſententiam quæ longè minus probabilis ſibi videtur judicet ſolidis gravibuſque nixam

eſſe

eſſe rationibus. Qui enim prudenter judicat opinionem hanc eſſe potius falſam, non poteſt judicare momenta quibus ea nititur gravia eſſe & ſolida: ſed qui judicat aliquam opinionem eſſe alterâ longè improbabiliorem, prudenter judicat eam eſſe falſam potius quam veram, nec poteſt judicare eam eſſe potius veram quam falſam; imò nequidem hoc judicare poſſet, ſi momenta utriuſque opinionis omnino forent æqualia, ut ſtatim dicemus.

Confirm. quia ſi prudenter agit qui ſequitur opinionem verè probabilem, ut eam explicant adverſarii, id eſt quam alii talem judicant ob aliquam rationem quæ iiſdem gravis videtur, quælibet opinio probabilis *quantumvis tenui probabilitate*, poterit prudenter teneri; hæc enim non deſinit eſſe verè probabilis, ſicut non deſinit eſſe verè juſtus qui juſtitiam habet in gradu quantumvis remiſſo: atqui falſum conſequens, ut patet ex propoſitione damnatâ, quam ſupra retuli.

Hinc ſolvitur reliqua argumentatio, & patet eam opinionem quam adverſarii probabilem dicunt, fortè quidem eſſe probabilem reſpectu eorum quibus longè verior apparet, non autem reſpectu operantis aut conſilium dantis, qui ex hypotheſi eam longè minus veriſimilem judicat.

Nec nocet 1. quod opinio quæ probabilior videtur, poſſit eſſe falſa; quia prudenter judicatur eam eſſe veram, ſicut prudenter judicatur eam quæ oppoſita eſt, & minus probabilis, ad falſitatem magis quam ad veritatem accedere.

Nec nocet 2. quod dicunt probabilitatem unius non deſtrui per majorem alterius probabilitatem; hoc enim verum quidem eſt in iis, in quibus poſitio unius non importat negationem alterius, ſicut poſitio ſcientiæ majoris in Petro, non importat negationem ſcientiæ in quocunque alio: at id verum eſſe nequit in iis, in quibus ex poſitione unius ſequitur negatio oppoſiti. Porrò ex eo quod talis opinio ſit longè veriſimilior, ſequitur oppoſitam magis judicari falſam quam veram, ac proinde eam teneri non poſſe; quia quod non eſt ex fide peccatum eſt: non eſt autem ex fide de licito, quod potius eſt ex fide de illicito.

CONCLUSIO SECUNDA.

Vid. ſup. p. 77. Ex duabus opinionibus æquè probabilibus, quarum altera favet legi, libertati altera, ea teneri debet quæ tutior eſt.

Prob. 1. ex toto Articulo præcedenti. In dubiis extra materiam juſtitiæ pars tutior eſt eligenda: atqui cum momenta duplicis circa eandem rem opinionis æquè probabilia alicui proponuntur neceſſe eſt eum eſſe in ſtatu dubii, ut jam diximus, ſicut neceſſe eſt eum eſſe in dubio, cum ex duobus viris ejuſdem omnino authoritatis, alter aſſerit Regem eſſe Pariſiis, alter illud negat; ergo ſi *ſcienter agat id de quo ſic dubitat, permanente dubitatione, mortaliter peccat*, ut ſupra diximus ex S. Antonino.

Prob. 2. Non poteſt homo opinionem ſequi niſi cum ei perſuaſum eſt eam eſſe veram, alioqui non ageret *ex fide*, quod *peccatum eſt*: ſed qui duas inter opiniones æquè probabiles verſatur, perſuaſum habere non poteſt hanc præ alterâ veram eſſe, cum nullam habeat rationem ex quâ hoc judicare poſſit.

Prob. 3. Peccat qui ſe exponit periculo Deum offendendi; ſed qui agit cum rationibus quæ tam perſuadent aliquid eſſe quam non eſſe offenſam Dei, exponit ſe periculo Deum offendendi; perinde enim ſe habet ac ſi diceret, Sive Deus hoc benè habeat, ſive non, placet mihi ut illud peragam; ergo.

Argumentum hoc fusè proponit Gisbertus è Societate Jeſu in Antiprobabiliſmo, hunc in modum. Pag. 314. edit. 1703.
Peccat qui in materiâ morali certis incerta præponit: atqui operans ſecundum libertatem probabilem, poſthabitâ lege æquè probabili, certis incerta præponit in materia morali Major & minor ſeorſim ſunt probandæ.

Prob. itaque major. ex S. Auguſtino, qui Donatiſtam certum quod Baptiſmus rectè in Eccleſiâ Catholica ſuſciperetur, dubitantem verò an non etiam rectè ſuſciperetur in parte Donati, ſic perſtringit Lib. 1. de Bapt. c. 3. *Etiamſi dubium haberet* Donatiſta, *non illic*, hoc eſt in parte Donati, *rectè accipi, quod in Catholicâ rectè accipi certum haberet, peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo quod certis incerta præponeret. Quis enim dubitet*, ait paulo poſt, *certum eſſe peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum eſt non eſſe peccatum*; Idem S. Auguſtini principium generaliter amplexus eſt S. Thomas tum in 4. Sent. diſt. 21. q. 2. a. 3. ad 3. tum Quodlib. 8. ubi de Clerico plures Præbendas quærente, in dubio an hoc licitum ſit, pronunciat eum *procul dubio* peccare, *quia periculo ſe committit...utpote magis amans Beneficium temporale quam propriam ſalutem*. Eandem amplexi ſunt regulam omnes vitæ ſpiritualis magiſtri; ergo conſtat eum qui in dubio incerta certis præponit peccare, quatenus *ſe periculo committit*, & eam non tenet partem in qua *certum eſt non eſſe peccatum*.

Prob. nunc prima minor. Ille certis incerta præponit, qui non implet legem quæ certiſſimè impleretur ſine peccato, ſed operatur ſecundum libertatem dubitans & incertus an ſecundum eam operando non tranſgrediatur legem: atqui ſic ſe habet qui operatur ſecundum libertatem non magis probabilem quam ſit ipſa lex. Ille enim operatur dubius & incertus an non tranſgrediatur legem, qui operatur dubius & incertus an non exiſtat lex prohibens actionem quam hic & nunc exercet; ſed qui operatur ſecundum opinionem minus tutam, operatur dubius an exiſtat vel non lex prohibens actionem quam hic & nunc facit. Qui enim nullum habet ex parte ſua motivum, quo dubium de exiſtentia legis repellat, operatur dubitans an exiſtat lex actionem ſuam prohibens: atqui operans ſecundum opinionem non magis probabilem, nullum habet ex parte intellectus motivum, quo expellat dubium de exiſtentia legis; cum motivum pugnans pro libertate non ſit validius motivo, quod pugnat pro lege.

At, inquiunt, verum quidem eſt, quod intellectus per ſe ſolum non poſſit ex duobus motivis planè æqualibus uni potius quam alteri conſentire; ſed id poteſt accedente voluntatis imperio. Sicut enim cum ob motiva æqualia dubito de probitate Petri, prudenter imperare mihi poſſum ex charitate, ut judicem eum eſſe virum frugi; ſic à pari cum æqualia mihi obverſantur momenta, imperare poteſt voluntas, ut intellectus pro honeſtate potius actionis judicet, quam pro ejuſdem illicitate.

℞. fieri non poſſe ut voluntas hocce imperium prudenter in intellectum exerceat, *Quamvis nulla ratio te moveat ut opineris contractum hunc eſſe potius licitum quam illicitum, volo tamen ut eum judices eſſe licitum potius quam illicitum, & ita licitum, ut ſine peccato exercere poſſis*. Ratio eſt 1. quia intellectus non ſubjicitur deſpoticè voluntati. Poteſt quidem ex ejus imperio hoc potius quam illud objectum conſiderare: at ſicut non poteſt pro aliqua parte opinari, cum nullam habet pro ea opinandi rationem, puta judicare nequit ſtellas eſſe

deter-

determinatè partes; ſic nec poteſt ex quocunque imperio pro unâ potius quam alterâ parte opinari, cum nullam habet id efficiendi rationem. 2. ut quis prudenter judicet, judicare debet ſecundum meritum & momenta cauſæ, omnibus hinc & inde maturè conſideratis, ex ſolo eoque ſincero veritatis & æquitatis amore: atqui non judicat ſecundum meritum cauſæ, & rationum momenta, qui pro unâ potius quam alterâ parte judicat, cum æqualia ſunt utriuſque momenta; ergo ſicut vituperio dignus eſt judex qui in æquali rationum & teſtium concurſu, bonum de quo controvertitur Petro potius adjudicat quam Joanni; ita à pari &c.

Ad confirmat. diſt. prudenter judicare poſſum Patrum eſſe virum frugi, interpretando, ſi poſſim, meliorem in partem indicia eidem oppoſita, conc. ſecus nego. Itaque charitas ut cum agitur de proximo, indicia quæ probitatis ejus ſuſpicionem ingerunt, meliorem in partem interpreter; ſic autem interpretata, jam nihil contra proximum probant, unde tunc in favorem ejus pronuntiare poſſum: at ſi indicia hæc talia ſint, ut bonam in partem explicari nequeant, tunc nec teneor, nec poſſum aliter judicare quam ſecundum momenta rationum quæ mihi proponuntur. Vid. Tract. de juſt. p. 402. Supponimus porro momenta quæ pro lege pugnant talia eſſe, ut per oppoſita nullatenus elidi poſſint.

Prob. 4. authoritate Cleri Gallicani, qui in generali Conventu anni 1700. ſic loquebatur: *Abſit vero ut probemus eorum errorem qui negant licere ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam: ſed ad rectum uſum probabilium opinionum has regulas à Jure præſcriptas agnoſcimus. Primum, ut in dubiis de ſalutis negotio, ubi æqualia utrimque animo ſeſe offerunt rationum momenta, ſequamur id quod tutius, ſive quod eſt in hoc caſu unicè tutum: neque id conſilii ſed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura, Qui amat periculum, in illo peribit. Hæc prima regula. Altera... ut nemini liceat eligere eam ſententiam quam non veritati magis conſentaneam duxerit.*

Obj. 1. Ea opinio admitti non debet quæ ſanctiores Juris regulas evertit: atqui opinio noſtra...
Reg. 11. ſ51. o. in 6. Eæ enim ab omnibus receptæ ſunt regulæ; *Cum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius quam actori*; *actor* autem ille eſt qui agitur pœna & obligatio alteri, *reo* ſcilicet imponatur. Hæc item, *Odia reſtringi, favores convenit ampliari*. Atque iſta demum, *In obſcuris minimum eſt ſequendum*. Juxta nos autem in obſcuris ſequendum eſt id quod eſt rigoroſium magis.

℟. ad 1. neg. min. Ad 2. receptæ ſunt eæ regulæ, quatenus ſtatuunt ut pars mitior teneatur in dubiis facti, & cum agunt de pœna infligenda, conc. receptæ ſunt in dubiis ubi agitur de licito & illicito, neg. Itaque ſtatuunt quidem Jura ut mitior opinio teneatur cum agitur de pœna criminibus non ita certis infligenda, ſed hæc diſpoſitio nobis non nocet, imo plurimum prodeſt, fundatur enim in hac alia Juris regula, quæ præſcribit ut in dubiis pars tutior teneatur. Quod ſic probo: Ut hæc regula, *In obſcuris minimum eſt ſequendum*; hæc item, *Cum jura partium ſunt obſcura &c.* fundetur in hac alia Juris regula, *In dubiis pars tutior eſt tenenda*, unum ſufficit, ſcilicet ut tutius ſit in hujuſmodi dubio & obſcuritate partem ſequi benigniorem: atqui reipsâ tutius eſt hoc in caſu partem benigniorem ſequi. Qui enim illam ſequitur ſe ſolum exponit periculo non condemnandi, vel mitius puniendi reum; qui verò oppoſitam ſequeretur, exponeret ſe periculo damnandi innocentem, aut reum ultra meritum puniendi: atqui longè tutius eſt exponere ſe periculo abſolvendi reum, quam periculo condemnandi innocentem; ergo *in re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus juſtius eſt quam tutius*, ut habet altera Juris regula.

Confirm. 1. quia iniquum eſt eos qui pugnant pro lege, quaſi actores minus prudentes minuſque audiendos excipere. 2. quia nunquam licuit leges qui ad bonum commune referuntur, inter odioſa computare. 3. quia *in obſcuris ſequendum eſt* id quod *minimum* habet periculi; quod autem à violandæ legis periculo avertit, minus habet periculi.

Confirm. 2. quia etiamſi permiſiſſent aliquando Romani Pontifices ut teneretur pars favens libertati, an ideo regulæ citatæ materiis omnibus applicari poſſent? An poſſunt aliquid Papæ contra jus naturale aut divinum? Si verò nihil hic poſſint, cur ergo regulæ quæ ad ſummum in materia humanæ poteſtati ſubjecta valent, ad eas etiam materias extenduntur in quibus nullius poſſunt eſſe momenti?

Obj. 2. Licitum eſt ſequi ſententiam verè & ſolidè probabilem: atqui ſententia alteri tutiori & æqualiter probabili oppoſita, remanet verè & ſolidè probabilis; altera enim nullam alteri probabilitatem tollit, neque elidit momenta ejus.

℟. ad 1. diſt. maj. Si hæc ſententia ſolide probabilis non impugnetur alia non minus probabili, & tutiori, conc. ſecus nego. Cum enim in propoſito caſu ſupponatur opinio tutior nixa fundamento non minus gravi, opinio minus tuta non poteſt magis judicari vera ob rationes quibus nititur, quam falſa ob rationes opinionis oppoſitæ; ergo neceſſum eſt ut intellectus inter utramque anceps & ſuſpenſus maneat: atqui in hoc dubii ſtatu, nihil melius fieri poteſt quam ſi pars ſecurior teneatur, & ſervetur præceptum generale, vetans ne quis ſe peccandi periculo exponat; ergo.

CONCLUSIO. TERTIA.

E duabus opinionibus licitum eſt eam ſequi quæ libertati favet, modò ſit probabilior altera. Vid. Theol. Gottenl. diſſ 10 c.2.
Ita Gonet Lherminier, Habert, & alii omnes demptis paucis qui cum Synnichio in Libro qui inſcribitur *Saul Ex-rex*, Wendrochio in notis ad Epiſtolam quintam Montaltii contrarium ſentiunt. Gonet pag. 306. tom 4.

Prob. 1. ex S. Thoma 2. 2. q. 70. a. 2. *In actibus humanis*, inquit, *ſuper quibus conſtituuntur judicia, non poteſt haberi certitudo demonſtrativa; eo quod ſint circa contingentia & variabilia: & ideo ſufficit probabilis certitudo quæ in pluribus veritatem attingat, etſi in paucioribus à veritate deficiat.* Et quodlib. 8. a. 13. tradit ſanctus Doctor eum qui plures habet Præbendas non peccare, *ſi adhibens diligentiam* non inveniat aliquid quod ipſum moveat ad credendum id eſſe illicitum: atqui ſi non liceret ſequi opinionem minus tutam etiam alia probabiliorem, non ſufficeret probabilis certitudo, ſed vel opus eſſet certitudine omnimoda quæ nunquam à veritate deficit, vel ab actione abſtinendum eſſet.

Idem poſt Gerſonem docet S. Antoninus. *Notandum* inquit, 1. p. tit. 3. c. 10. *ſecundum Cancellarium quod certitudo quæ reperitur in materia morali, non eſt certitudo evidentiæ, ſed probabilis conjectura... non enim conſurgit certitudo moralis ex evidentiâ demonſtrationis, ſed ex probabilibus conjecturis groſſis & figuralibus magis ad unam partem quam ad aliam ſe habentibus. Dicitur autem probabile quod pluribus & maximè ſapientibus apparet*

ve-

verum... In humanis agibilibus... ſufficit talis certitudo quæ non ſemper ſcrupulos omnes abjiciat ; & quæ, ut loquitur Gerſonius, *non removet in una parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis, licet magis declines ad iſtam vel ad aliam, quod ſufficit.* Quæ verba theſim noſtram continent.

Prob. 2. ex cenſurâ hujus propoſitionis quam anno 1690 damnavit Alexander VIII. *Non licet ſequi opinionē vel inter probabiles probabiliſſimam.* Atqui ſi requireretur perfecta certitudo vel evidentia veritatis extra omnem formidinem poſita, ut volunt adverſarii, non liceret opinionem quantumvis probabilem ſequi cum tutior non eſt: opinio enim probabilis ut ſic, annexam neceſſariò habet aliquam falſitatis formidinem.

Reponunt nihil ex hâc cenſurâ colligi poſſe, quia dicit quidem S. Pontifex licitum eſſe ſequi opinionem probabiliſſimam, ſed non dicit hoc licitum eſſe cum ea opinio favet libertati contra legem. Verum miſera hæc evaſio reſponſionem non meretur. Nam 1. propoſitio illa damnata eſt in ſenſu obvio & naturali quem præ ſe fert; in quo ante cenſuram intelligebatur, in quo eam defendebat Sinnichius in Libro ſuo, ubi iiſdem verbis habetur quibus delata eſt ad Sedem Apoſtolicã, & condemnata: porrò in iis omnibus eodem intelligebatur ſenſu quo eam accipimus, eamque ſic intellectam defendebant Lovanienſes, ob rationes in objectionibus diſcutiendas. 2. ſi valeat adverſariorum reſponſio, inanis fuit & abſurda Romani Pontificis cenſura. Ecquis unquam dubitavit licitum eſſe ſequi opinionem probabiliſſimam, cum ea pugnat pro lege, eſtque æqualiter tuta aut etiam tutior quam oppoſita.

Prob. 3. Poteſt quivis ſine peccati periculo illud agere quod prudenter judicat eſſe licitum; non enim peccat quis ſequendo prudentiam quæ una eſt è præcipuis morum regulis: ſed qui ſequitur opinionem quam videt oppoſita eſſe aperte probabiliorem, prudenter judicat objectum illius eſſe licitum. Prob. min. 1. quia prudenter judicare non poteſt illud eſſe illicitum; nec poteſt etiam ſuum eâ de re judicium ſuſpendere. Nam ex hypotheſi opinio illa proponitur ut manifeſtè veriſimilior oppoſitâ: atqui intellectus non poteſt non conſentire opinioni quæ manifeſtè ſibi proponitur, ut veriſimilior oppoſitâ; id enim, re penitius inſpectâ, repugnat, ſicut repugnat ut qui judicat colorem A. eſſe ſimiliorem albo quam nigro, in ſenſu compoſito iſtius judicii judicet colorem A. eſſe nigrum. 2. ſi prudenter non judicet qui judicat veram eſſe opinionem quæ momentis longè gravioribus innixa eſt, nullum erit judicium prudens quod non ſit actus ſcientiæ, ſapientiæ, ſynderéſeos, aut fidei divinæ, ac proinde in politicis, œconomicis, militaribus, & innumeris caſibus conſcientiæ quorum deciſio nec ex fide, nec ex evidenti ratione colligitur, faciendum erit id quod faciebant Academici, id eſt, abſtinendum à ferendo circa veritatem alterutrius partis judicio unde ſolummodò judicari poterit de probabilitate & veriſimilitudine; quod eſt pluſquam abſurdum, & conſtanti Eccleſiæ totius agendi rationi repugnat. 3. judicium illud verè eſt prudens quod nec ex parte ſubjecti, nec ex parte objecti redargui poteſt: atqui judicium de quo nunc agimus nec redargui poteſt ex parte ſubjecti, cum feratur poſt ſerium examen & ſufficientem diligentiam; nec ex parte objecti, cum feratur ob motivum grave, & tale ut ex eo vir prudens determinari conſueverit; ergo.

Vid. Thyrſ. Gonz. diſſ. 3. c. 2.

Id. diſſ. 10. §. 3.

Prob. 4. Si non poſſit homo ſequi ſententiam longè probabiliorem in concurſu tutioris & minus probabilis, neceſſarium erit ut eam ſemper ſequatur quæ tutior eſt: atqui falſum conſequens. Prob. min. 1. quia ſic evertitur omne Theologiæ moralis ſtudium. Ut quid enim laborant & ſudent Doctores, ut è diverſis opinionibus eam ſtabiliant quæ verior eſt; Ut quid Patrum & Caſuiſtarum Libros evolvunt; Ut quid congerunt argumenta quæ vix unquam ſunt demonſtrativa; Imo ut quid eruditi conſuluntur à rudibus an talis contractus iniri poſſit &c. jam enim ante omne ſtudium & conſultationem norunt omnes tutius eſſe ſi ab his abſtineatur &c. 2. imponitur humeris hominum jugum adeò grave ut Chriſti jugum eſſe non poſſit; ſi enim pars tutior ſit ſemper tenenda, præſcriptio legitima non erit titulus ad rem retinendam ſufficiens, quia tutius eſt rem illam domino priori reſtituere. Eadem de causâ nihil ſupra ſortem exigi poterit ratione lucri ceſſantis. Pariter qui unum contritionis actum elicuit in ordine ad Sacramentum, tenebitur ſecundum elicere, & deinde tertium, quia hoc tutius eſt, fierique potuit ut primus non ſufficeret &c. Ut argumenti hujus efficacia melius capiatur, ponat unuſquiſque concluſiones omnes minus tutas, quas tamen ut magis probabiles ſequitur, licet eas non judicet certas certitudine metaphyſicâ tuncque facilius intelliget quam abſurda ſit, quam improbabilis, imò quam parum tuta adverſariorum opinio, ex quâ ſequitur S. Thomam alioſque omnes Theologos qui partem minus tutam ſed magis probabilem centies amplexi ſunt, ſeſe mortalis peccati periculo expoſuiſſe, adeoque & mortaliter peccaſſe. Quod ſi eos ob bonam fidem excuſatos eſſe dicant, & nos ob eandem excuſatum iri credimus Meminerint ergo adverſarii cum Gerſone, *nimiam in opinionibus rigiditatem plus Fidelium animabus nocere quam prodeſſe*; ponderentque id Eccle. c. 7. *Noli eſſe multum juſtus, neque plus ſapias quam neceſſe eſt, ne obſtupeſcas*; id eſt ne in continuo inevitabilium timorum concurſu, certitudinem ſemper quæritans, in ſtupiditatem mentis incidas. Hæc aliaque ejuſdem generis argumenta fusè apud Thyrſum Gonzalem propoſita conſule.

L. 4. de vit. ſpir. lect. 4.

Obj. 1. Nemo prudenter ſe exponit errandi periculo, cum periculum vitari facilè poteſt: ſed qui ſequitur opinionem minus tutam, etſi probabiliorem, exponit ſe &c.

℞. diſt. maj. Nemo prudenter ſe exponit periculo errandi formaliter, conc. errandi materialiter ſubd. periculo probabili & quod contemni non debeat, conc. periculo quod à viro etiam prudente contemni debet, nego. Sicut enim Judex prudenter condemnat eum qui à duobus tribuſve teſtibus accuſatur, quia ſtatuunt jura omnia, ut in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum, unde & prudenter contemnit periculum incidendi in errorem qui tunc non niſi materialis eſſe poteſt; ita & intellectus qui eſt judex veritatis, prudenter judicat veriorem & reipsâ veram eſſe opinionem quæ momentis longè gravioribus innititur, & prudenter contemnit errandi periculum quod his ſubeſſe poteſt, quia melius eſt interdum errare plerumque aſſequendo veritatem, quam ſemper manere in ſtatu dubii & ſuſpenſionis. Hæc ſolutio penè eſt Gisberti, in Opere quod non ſine encomio ab Eliâ Dupin approbatum eſt, & Cardinali Noalio dedicatum; ergo licitum eſt ſequi opinionem probabiliorem, etiam minus tutam: qui enim eam in hoc caſu ſequitur, certus eſt ſe non peccare contra ullam legem obligantem; nulla enim eſt lex obligans in circumſtantiis in quibus prudenter

Ant. pro 8. p. § 18.

denter creditur eam non exiſtere : lex enim quæ prudenter creditur non eſſe, perinde eſt ac ſi non eſſet in ordine ad obligandum.

Inſt. Ille ſe exponit periculo errandi & peccandi formaliter, adeoque actu errat & peccat formaliter, qui facit id de quo dubitat an peccatum ſit nec ne: ſed qui ſequitur partem minus tutam facit &c. Major patet ex iis quæ ſæpius dicta fuere. Prob. mi. Quamdiu actionis honeſtas non eſt certa, tamdiu ejus inhoneſtas eſt dubia: atqui actionis minus tutæ licet probabilioris honeſtas non eſt certa; alioqui opinio oppoſita eſſet improbabilis, quod eſt contra hypotheſim.

℞. ad 1. neg. min. Implicat enim eum qui judicio abſoluto, & ob momenta longè graviora judicat aliquid eſſe verum & tutum, eſſe in ſtatu dubii, quia dubium eſt ſuſpenſio judicii. Quod ſi quis omnino contendat opinionem etiam graviorem non excludere omne dubium, dicendum erit cum Guillelmo Altiſſiod. & Gerſone, obligationem omittendi id de quo dubitatur non habere locum, niſi quando dubium eſt *vehemens, & magis aut ſaltem æquè inducit mentem credere quod* aliquid *eſt mortaliter illicitum, ſicut quod eſt licitum. Secus eſt ubi mens plus inclinatur & judicat quod eſt licitum quam illicitum, quamvis non habeat usquequaque certitudinem evidentem aut fixam; quia nec hoc ipſum requiritur.*

Gerſ. De præpar. ad Miſſam.

Ad 2. diſt. maj. Quandiu actionis honeſtas non eſt certa moraliter, tamdiu ea eſt dubia, con. quamdiu non eſt certa metaphyſicè, nego. Porrò actionis quæ opinione probabiliori nititur, honeſtas eſt moraliter certa; quia ad certitudinem moralem ſatis eſt quod ob motiva vehementia & clarè præeminentia motivis partis oppoſitæ, ſibi quis perſuadeat rem eſſe honeſtam: hæc autem certitudo, quæ ſola in rebus moralibus poſſibilis eſt, ſufficit ut homo tutè operetur. Certitudo *moralis*, ait Gerſon. Lib. 4. de Conſol. Theol. *admittit formidinem de oppoſito, & ſcrupulos, non tamen advertendos, ſed contemnendos; & hæc certitudo ſufficit in moralibus ſecundum Philoſophum 1. Æthic. dicentem: Diſciplinati eſt in unaquaque re certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ. Æquè enim vitioſum eſt*, inquit, *mathematicum perſuadentem quærere, & moralem demonſtrantem.* Quæ verba referunt & ſequuntur Gabriel, S. Antonin. & alii.

Inſt. 2. Illius actionis honeſtas non eſt moraliter certa, ſed verè dubia, quam qui judicat eſſe honeſtam ſimul judicat fortè eſſe inhoneſtam: ſed qui judicat actionem minus tutam de qua loquimur eſſe honeſtam, ſimul judicat eam fortè eſſe inhoneſtam; neceſſariò enim dicit, *Probabilius eſt actionem hanc eſſe honeſtam, fortè tamen eſt illicita.*

℞. 1. neg. min. Qui enim propter momenta veri magis ſimilia opinatur rem aliquam eſſe licitam, hoc tantummodo dicit: Non habeo quidem argumenta quæ demonſtrativè probent actionem hanc eſſe licitam, unde non repugnat metaphyſicè me falli: prudenter tamen judicio eam eſſe licitam, quia momenta quibus ad id opinandum adducor, tam gravia ſunt præ oppoſitis, ut hæc velut ſcrupuli contemni debeant; imò nec mihi fas eſt judicare opinionem oppoſitam eſſe veram, impoſſibile enim eſt ut quod poſt ſerium meum aliorumque examen veriſimilius eſſe judico, judicem non eſſe verum.

℞. 2. diſt. min. Simul judicat actionem hanc eſſe poſſe inhoneſtam inhoneſtate materiali & non imputabili, conc. formali & imputabili, nego. Eo enim ipſo quo quis prudenter dicit: Actio hæc mihi longè videtur veriſimilior, nec ullum habeo momentum quo ſufficienter moveri poſſim ad aſſentiendum opinioni oppoſitæ, ſtatim dicere poteſt: Ergo etiamſi opinio hæc in ſe falſa foret non peccabo eam ſequendo, quia laboro ignorantiâ quæ virum prudentem excuſare poteſt; alioqui nunquam poſſem celebrare, nunquam abſolutionem petere à Confeſſario, quia nunquam ſum metaphyſicè certus mihi adeſſe diſpoſitiones ad utrumque neceſſarias, nec repugnat metaphyſicè ut decipiar cum opinor me iis non eſſe deſtitutum.

Objiciunt aliqui S. Auguſtinum, qui in Lib. de util. credendi, docet omnem opinionem eo ipſo quo talis eſt, vitioſam eſſe. Verum S. Doctor opinionem non ſumit ut ſumitur à nobis, ſed eam confundit cum errore, eoſque ſolum *opinari* dicit qui in errore verſantur, *quod opinamur*, inquit, *debemus errori.* Opinionem ſenſu longè diverſo à nobis accipi patet ex iis quæ hujus Articuli initio dicta fuere.

CONCLUSIO QUARTA.

Ut opinio probabilior de licito teneri poſſit, prætermiſſa opinione minùs probabili de illicito, non ſufficit quicumque probabilitatis exceſſus, ſed requiritur notabilis. Ita Gibert ubi ſupra p. 340.

Prob. 1. quia fieri poteſt ut exceſſus probabilitatis quo opinio favens libertati ſuperat eam quæ ſtat à lege, ſit adeo levis ac tenuis, ut moraliter pro nullo haberi debeat, juxta id vulgatum, *Parum pro nihilo habetur.* Atqui in hâc hypoth: ſi utraque opinio eſt moraliter æqualis: in æqualitate autem morali quæ dubium parit, lex libertati præferenda eſt, non libertas legi, ut ſupra probatum eſt.

Prob. 2. E duobus quæ formari poſſunt judiciis, illud alteri præferendum eſt quod ſanius eſt, tum ſubjectivè, tum objectivè: atqui judicium quod in præſenti caſu inclinat in favorem legis, ſanius eſt 1. ſubjectivè; vereri enim debet homo ne tenuis ille probabilitatis gradus quo libertas videtur legem ſuperare, non tam ſit à parte rei, quam in imaginatione quæ amore proprio deluſa, libertatem repræſentat ut probabiliorem quam in ſe ſit. 2. objectivè, quia in causâ pari aut ferè pari, lex Dei melioris debet eſſe conditionis quam hominis libertas, adeoque hæc illi anteponi.

Quod ſi poſtules ut definiatur quo in gradu eſſe debeat ille probabilitatis exceſſus, vi cujus libertas contra legem teneri poteſt, reſpondet idem Theologus rem arduam poſtulari: cenſet tamen exceſſum non eſſe notabilem: niſi æquivaleat teſtimonio duorum aut trium teſtium; unde ſi æquivaleat ſolum teſtimonio unius, non magis ſufficiet ut libertas legi divinæ præferatur, quam ſufficiat teſtis unus ut quis bono poſſeſſo ſpolietur. Non minus enim habet lex Dei ex origine & conditione ſuâ ut præferatur libertati, quam homo ex poſſeſſione ſuâ ut de bono quod præ manibus habet non deturbetur; ergo ſicut non ſufficit teſtis unus ut poſſeſſori huic auferatur id quod habet, ſic nec unus, ſi ita loqui fas eſt, ſufficit probabilitatis gradus, ut libertas tollat à lege poteſtatem obligandi quam ex naturâ ſuâ habet.

Ut gravi huic controverſiæ finem faciamus, quædam expediendæ ſunt difficultates, quod ut fiat.

Quæres 1. an communiter loquendo authoritas unius tantum Doctoris ſufficiat ad reddendam opinionem in materiâ morali probabilem, & in praxi tutam.

℞. negat, cum Gonet & aliis, qui notant recentiores Caſuiſtas, ut patentem omnibus opinionibus januam aperirent, docuiſſe opinionem eo ipſo

Gon. tom. 3. p. 305.

que

quo ab aliquo Doctore gravi defenditur eſſe probabilem. Ut verò Doctor aliquis pro gravi haberetur, magnis eum celebraverunt encomiis, quibus & ipſe vicisſim laudatores ſuos largâ cumulabat manu. Sic Dianam laudat Caramuel, ut virum Orbi toti mirabilem, & Caramuëlem Diana, ut hominem doctiſſimum, & ingenii acutiſſimi. Jam reſponſio noſtra

Prob. 1. ex S. Thomâ quodlib. 3. a. 10. *In his*, inquit, *quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excuſatur ſi ſequatur opinionem erroneam alicujus Magiſtri*: atqui ſi generaliter loquendo Doctoris unius authoritas opinionem ſatis probabilem & in praxi tutam efficeret, excuſaretur à peccato qui in rebus dubiis ad fidem bonoſve mores ſpectantibus ſequeretur opinionem erroneam alicujus Magiſtri.

Prob. 2. Si Doctoris unius gravis ſuffragium ſufficiat ad reddendam aliquam opinionem in praxi tutam, tutæ erunt in praxi opiniones omnes à junioribus Caſuiſtis aſſertæ; ſunt enim ii, judicio quidem ſuo & mutuo, viri graves, docti, verè ſagaces &c. atqui abſurdum conſequens. An enim, ut ſolidè notat citatus Thomiſta, an quia ſic pluribus Caſuiſtis placuit, licitum erit puellæ procurare abortum ante fœtus animationem ut infamiam devitet? An concubinario retinere concubinam, ne eâ demiſsâ vitam agat triſtiorem? An reo Judicem interimere, cùm iniquam ab eo ſententiam veretur? An Clerico voluntariè diſtrahi, quia docuit Caramuel attentionem ad Horas internam non eſſe præcepti? An admitti poterit ſtupenda hæc quæ tamen Caramuëli placuit ratiocinatio, *Petrus die Sabbati ſub mediam noctem ut primùm audivit duodecimam horam, comedit carnes, & poſt quam ſatur exceſſit è menſâ, audivit aliud horologium ſignificans horam duodecimam, die ſequenti communicare vult & ſic diſcurrit: Horologia habent opinionum probabilium virtutem: at ego comederam antequam tale horologium ſonuerit; ergo probabile eſt quòd comedi ante duodecimam; ergo probabile eſt quòd ſim jejunus. At opinioni probabili conformare conſcientiam poſſum; ergo potero communicare.* Quâ mirâ Caramuelis arte contigit ut quis ſimul & carnes non manducet die Sabbati, & tamen jejunus ſit die Dominicâ.

Excipit Gonetus ab hâc regulâ Doctores qui ita clari & in Eccleſiâ celebres eſſent, ut eorum authoritas aliorum multorum rationibus & authoritati præponderet. Talis, inquit, eſt S. Thomas: tum quia doctrina ejus à pluribus Academiis, & Summis Pontificibus ut tutiſſima & inconcuſſa approbata eſt; tum quia S. Doctor nihil profert quod vel Scripturæ & Patrum teſtimonio non corroboret, vel efficaci aliquâ ratione ſaltem quantùm materia patitur: quia tamen iiſdem utuntur rationibus Scotiſtæ ut probent tutas eſſe Seraphici Doctoris aſſertiones, hic limitationem hanc cum omni humilitate: & ſalvâ quæ tantis Magiſtris debetur, ſemperque à me exhibebitur reverentia, apponi debere puto, ut ſcilicet cùm illi Patres vel à ſe invicem, vel ab aliis ejuſdem authoritatis diſſentiunt, tunc examinandum ſit uter alterum rationum & authoritatum numero & pondere vincat. Atque illud eo videtur æquius, quòd juxta Sylvium & alios quædam aliquando aſſeruerit ſanctus Thomas, quæ retractaſſet ſi non ante ad cœleſtem patriam raptus eſſet, quàm ultimam Summæ ſuæ manum impoſuiſſet. Quia verò tale examen non ad omnes pertinet,

Quæres 2. quænam præſcribi poſſint regulæ iis qui circa difficultatem aliquam ſuſpenſi manent & ancipites.

℞. Triplex diſtingui poſſe hominum genus: alii ſunt illiterati & rudes, ut plebei; alii docti & eruditi, qui magnam moralis ſcientiæ notitiam, ſtudio & praxi ſibi comparaverunt; alii inter utroſque medii incedunt, & ita communes obvioſque caſus decidere valent, ut in difficilioribus qui non rarò occurrunt, hæreant, aut ſaltem hærere debeant.

Illiterati, quia nihil eſt quod melius faciant, Parochi, Confeſſariive ſui conſilium ſequi debent: unde ſi diſcant aliquid vetitum eſſe, ab eo abſtinere tenentur; ſin audiant aliquid eſſe licitum, illud ſine ſcrupulo facere poſſunt. Quòd ſi è duobus æquè piis ac doctis quos interrogaverint aliud alius reſpondeat, debent id quod tutius eſt amplecti. Peccarent tamen etiam plebei Parochi aut Confeſſarii deciſionibus adhærendo. 1. ſi, ut ſæpe contingit, hunc ideo præ aliis elegiſſent, quia noverunt eum mollioris ac laxioris eſſe doctrinæ. 2. ſi juſtam haberent rationem ſuſpicandi eum non docere viam Dei in veritate, ſive ex ignorantiâ, ſive ex incuriâ, ſive ex præſumptione; ut ſi Parochus, aut Director ſeſe Superioribus ſuis Paſtorum Capiti unitis doctiorem eſſe verbis aut aliter ſignificet.

Viri docti, vel qui Librorum & ingenii ſatis habent, ut de malitiâ vel bonitate actionis judicent, eam ſequi debent opinionem quam omnibus ritè & coram Deo ponderatis, vel tutam magis, vel certè probabiliorem judicaverint, prout ſupra diximus.

Ii demum qui mediocri ſunt vel ingenio, vel ſcientiâ; (quod qui ſeipſos non fallunt facilè intelligent, ſive ſeipſos conſulendo, ſive eos audiendo qui ampliorem habent in ſpirituum diſcretione experientiam, ſive ſua cum aliorum ſtudiis & progreſſibus ſtudiis comparando) debent viros ſcientiâ & pietate graves, nec rigidioris, nec laxioris moralis ſuſpectos interrogare. Quòd ſi Theologos evolvant, ei ſententiæ adhærebunt quam magni & intacti nominis Doctores ſuſtinent, oppoſitam opinionem vel non citando, vel uno ore rejiciendo ut falſam aut longè minùs conſonam veritati. Si quando contingat ut Author quem conſulunt, fateatur opinionem ſuam quæ libertati favet, minus eſſe communem quàm quæ favet legi, tunc generaliter loquendo eam rejicient; quia vir parum peritus vix aliam ſequi poteſt regulam quàm authoritatis, quæ tunc eidem deeſſe ſupponitur: ubi autem Doctores duo ejuſdem fermè meriti varias in partes ſcinduntur, ea tenenda erit quæ tutior videbitur. Cæterum ſentit unuſquiſque hic afferri non poſſe regulas ita generales ut nullam patiantur exceptionem.

F I N I S.

TRACTATUS
DE
VIRTUTE RELIGIONIS.

SANCTI Thomæ methodum ſecuti, poſt abſolutum de juſtitiâ hominibus debitâ Tractatum, differemus de religione, quæ circa cultum ſupremo Numini debitum tota occupatur, quæque inter potentiales juſtitiæ partes recenſetur, quia totam juſtitiæ rationem & potentiam non obtinet, utpote quæ non reddat Deo adæqualitatem, quod ipſi debitum eſt. Tres erunt hujuſce noſtri Tractatus partes. Prima erit de religione ſecundùm ſe ſpectatâ. Secunda, de præcipuis ejuſdem actibus, devotione nimirum, oratione, voto & juramento. Tertia demum, de vitiis religioni oppoſitis.

PARS PRIMA.

De Religione ſecundùm ſe ſpectatâ.

QUatuor erunt hujuſce partis capita. Primum erit de nomine & eſſentiâ religionis. Secundum, de ejus objecto. Tertium expendet, ſitne religio virtus moralis, an Theologica. Quartum, affectiones religionis, ejuſdemque actus explicabit.

CAPUT PRIMUM.

De nomine & eſſentiâ Religionis.

REligio dupliciter accipitur. 1. pro ſocietate hominum qui Deum legitimè colunt; quo ſenſu dicitur Religio Chriſtiana. 2. pro ipſa virtute quæ circa Dei cultum verſatur; & ſic accipimus religionem in præſenti. Religionis ſic ſumptæ nomen alii deducunt à relegendo, quòd ea quæ ad Dei cultum pertinent, ſæpius ſint animo volvenda, ac veluti relegenda. Ita Cicero, Lib. 2. de naturâ Deorum; & poſt eum, S. Iſidorus. Alii, à reeligendo, quòd per eam reeligamus Deum, quem *amiſeramus negligentes*. Ita Auguſt. Lib. 10. de Civ. Dei. cap. 4. Alii denique, à religando, eo quòd nos religio Deo aſtringat & alliget. Ita Lactantius, & ex parte Hieronymus, de quo vide Suarem in prolixo ſimul & eximio tract. de religione, cap. 1.

Religio definitur, Virtus moralis inclinans mentem ad exhibendum cultum & honorem Deo debitum, tanquam ſupremæ rerum omnium Domino. Eæ voces, *virtus moralis*, locum generis tenent, quia religio per eas cum cæteris virtutibus moralibus convenit; cæteræ locum habent differentiæ. Hinc patet allatam definitionem eſſe legitimam, quod & ſtatim magis patebit. Itaque

Religio dicitur 1. *virtus*. Actus enim honeſtus & laudabilis ad aliquam virtutem pertinet, ex S. Thom. 2. 2. q. 81. art. 2. atqui actus religionis, qui in cultu Dei conſiſtit, actus eſt honeſtus & laudabilis; ergo religio inter virtutes recenſeri debet.

Dicitur 2. virtus *moralis*. Ea enim virtus debet moralis dici, quæ naturæ rationalis mores componit juxta præſcriptum rationis: atqui religio &c. Sed eâ de re pluribus infra.

Dicitur 3. *ad exhibendum cultum, &c.* Quæ ut intelligantur, hæc tria diſtingui debent, honor, cultus, & gloria. *Cultus* eſt honor cùm ſubmiſſione; ſive eſt teſtimonium excellentiæ alienæ, & propriæ ſubmiſſionis. *Honor* propriè eſt ſignum æſtimationis propriæ de excellentiâ alienâ. Honor latiùs patet cultu: non enim includit ſubmiſſionem honorantis; hinc Deus Sanctos ſuos & amicos honorat, quos tamen, ſi ſtrictè loqui velis, non colit. *Gloria*, juxta Auguſtinum, eſt frequens de aliquo fama cum laude; ſeu, ut vulgò ajunt, eſt clara cum laude notitia: unde gloria differt ab honore, quatenus honor formaliter conſiſtit in quacunque teſtificatione de alienâ excellentiâ, ſive fiat per laudem, ſive per alia quæcumque ſigna, ut genuflexionem, & alia ejuſdem generis. In definitione noſtrâ, honoris nomine, honos intelligitur & gloria, quæ Deo maximè competunt, juxta id Apoſtoli, 1. ad Timoth. 1. *Soli Deo honor & gloria.* Magna ergo eſt, & præſtantiſſima virtus religio, cujus illud eſt munus, ut hæc officia tanta Deo procurari curet.

Dicitur 4. cultum *Deo debitum*. Ubi debitum eſſe, non ſemper idem eſt, ac ſtrictè exigi à Deo, ut patet in voto caſtitatis, quod conſilii eſt, non præcepti; ſed idem eſt, ac eſſe Deo conveniens: Deo enim, & quidem ſoli votum voveri poteſt, imò & ab eo ſtrictè exigi poſſet. Alii ſunt religionis actus: qui Deo ſtrictè debentur, ut cultus latriæ.

Dicitur 4. *tanquam ſupremo omnium rerum Domino.* Supremi enim hujuſce dominii ratio includit aut ſupponit omnem perfectionis excellentiam ex parte Dei; ex parte verò creaturæ, quæ excellentiam hanc & ſuam ab eâ dependentiam contemplatur, efficit ut agnitâ vilitate ſuâ, ſeſe coram Deo profundè ſubmittat, & internam hanc ſubmiſſionem exteriùs profiteatur, ſive verbis, corporis geſtu, aut ſimilibus, ſi de hominibus agitur; ſive ſpirituali locutione, aut aliâ quam non capimus viâ, ſi de Angelis ſit ſermo: atque is ille eſt cultus, & Majeſtati divinæ, & ſubſtantiæ noſtræ nihilo tam conveniens, quem proſequitur religio.

Dices 1. Hæc ſubmiſſio pertinet ad virtutem humilitatis, non religionis. Ergo.

Reſp.

Reſp. cum Becano, cap. 81. nu. 5. pertinere ad utramque diverſâ ratione : ad humilitatem quidem, ſi fiat quia utile nobis eſt, ut intra conditionis noſtræ limites contineamus nos ; & extra per ſuperbiam non feramur ; ad religionem verò, ſi eo animo fiat, ut divinæ Majeſtatis excellentiam profiteamur, & eam ſubmiſſione noſtrâ honoremus.

Dices 2. Deus colitur ut excellens in juſtitiâ, miſericordiâ, &c. Ergo non colitur ſolùm ut primum rerum omnium principium.

Reſp. Concedo totum, & dico hæc verba, *tanquam ſupremo rerum omnium Domino*, non apponi in definitione religionis excluſivè & reſtrictivè, ſed vel quia intelligimus omnem prorsùs excellentiam in ratione ſupremi dominii incluſam eſſe; vel quia religio noſtra eam magis præcipuè excellentiam contemplatur, quæ in ſupremo Dei dominio conſiſtit, utpote quæ magis idonea ſit ad excitandam in nobis ſubmiſſionem.

CAPUT SECUNDUM.

De objecto Religionis.

Repetenda eſt à Philoſophis definitio & diviſio objecti, quæ etiam habentur apud Authorem, tom. 1. de Attributis, quamque hic in probationibus noſtris ſatis revocabimus. Sit ergo

CONCLUSIO PRIMA.

Deus eſt *objectum cui* religionis.

Prob. 1. Objectum *cui*, eſt illud quod attingitur ab aliquâ virtute, non quidem immediatè, ſed mediante alio quod illa virtus primariò & directè conſiderat : ſic homo eſt objectum *cui* juſtitiæ, quia juſtitia hominem attingit mediante reſtitutione, circa quam eadem juſtitia immediatè verſatur : atqui religio Deum attingit mediantibus actibus quibus idem colitur, hos verò actus ſeu hunc cultum directè & immediatè conſiderat religio ; ergo.

Prob. 2. Ille eſt objectum *cui* religionis, cujus gloriam & honorem intendit religio : atqui religio Dei gloriam & honorem intendit; ergo. Vid. Suarem, Lib. 1. cap. 4. & 5.

CONCLUSIO SECUNDA.

Objectum materiale religionis ſunt actus omnes honeſti quibus debitus Deo honos exhiberi poteſt.

Prob. Illud eſt objectum materiale religionis, circa quod religio verſatur, & ita verſatur, ut aliæ virtutes circa ipſum etiam occupentur. Atqui 1. religio verſatur circa actus quibus debitus Deo honos exhiberi poteſt, cum tota velit adorationem, ſacrificium, devotionem, & alia id genus, quibus ſupremi Numinis majeſtas, & hominis vilitas agnoſcitur. 2. Aliæ quoque virtutes circa hos eoſdem actus verſantur, quod ad objecti materialis rationem; licet non ab omnibus, paſſim tamen exigi ſolet. Ut enim ſcitè notat Suarez, Lib. 2. cap. 9. num. 4. quod principuum videtur religionis objectum, ſi alio fiat quàm religionis motivo, ad aliam à religione virtutem pertinet. Sic qui Sacrum audit in die feſto, quia id præceptum eſt ſimpliciter, non ex religione, ſed ex obedientiâ operatur; qui rurſum operabitur ex religione, ſi cultum Deo propter ſupremam ejus excellentiam debitum perſolvere intendat. Pariter qui ſe ſubmittit, actum præſtat qui ad religionem vel humilitatem pertinere poteſt, ut ſtatim dictum fuit. Ergo.

CONCLUSIO TERTIA.

Objectum formale religionis eſt ſpecialis illa honeſtas & convenientia quæ eſt in cultu divino; ſeu eſt ipſe Dei cultus, prout excellentiæ divinæ & noſtræ ſubmiſſionis ſignum eſt.

Prob. Objectum formale virtutis eſt ſpecialis ea ratio ſub quâ virtus in objectum materiale tendit : atqui ratio ſpecialis ſub quâ religio in cultum Dei tendit, hæc eſt quòd honeſtum ſit & conveniens ut talis honor & cultus ſupremo Numini exhibeatur : neque ulla aſſignari poteſt virtus ex iis etiam quæ ad Dei honorem aliquo modò ordinantur, quæ cultum ejus eadem ratione attingat ; ergo.

Dices : formale objectum religionis eſt excellentia divina ; ergo non illud quod adſtruimus.

Reſp. neg. ant. Verum quidem eſt quòd religio radicaliter & mediatè differentiam ſuam eſſentialem ſumat ex excellentiâ divinâ ; unde præſtantior eſt cultus qui Deo impenditur, quàm qui Sanctis, quia honeſtas unius ſumitur ab excellentiâ increatâ, alterius verò à creatâ. At ejuſdem religionis differentia eſſentialis proximè ſumitur ab honeſtate & convenientiâ cultûs divini, non autem ab ipsâ Dei excellentiâ. 1. quia alioqui religio virtus eſſet Theologica, ad quam ſufficit quòd Deum reſpiciat ut objectum formale, ut patet in fide quæ eſt verè Theologica, cum quis credit objectum aliquod creatum, modò id propter authoritatem divinam credat : porrò religionem non eſſe virtutem Theologicam ſtatim evincemus. 2. quia ſe habet religio ad Deum, ſicut juſtitia ad hominem : ſicut ergo quamvis jus in juſtitia reſpiciat hominem cui jus illud reddi debet, non ipſe tamen homo, ſed jus reddendum eſt objectum juſtitiæ ; ſic & licet in religione cultus reſpiciat Deum cui defertur, non ipſe tamen Deus, ſed cultus religionis objectum cenſeri debet, quæ quidem ex proximè dicendis ampliùs eluceſcent.

CAPUT TERTIUM.

An Religio virtus ſit Theologica.

Religionem virtutibus annumerandam eſſe nemo negat, quæritur tantum Theologica-ne ſit an moralis. Primarium inter eas diſcrimen illud eſt, quòd virtus Theologica Deum habeat pro objecto immediato, quod nempè directè & immediatè actu ſuo interno attingit; virtus verò moralis actu ſuo immediato circa aliquid creatum verſatur : quod ſi religio virtus ſit moralis expendendum ſuperetit an ab aliis diſtinguatur, an non: quæ ut ſigillatim diſcutiantur, ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Religio non eſt virtus Theologica.

Prob. 1. Actus elicitus virtutis Theologicæ immediatè verſatur circa Deum : nam v. g. aſſenſus fidei habet Deum pro objecto ſuo tum materiali, quia creditur Deus ; tum præſertim formali, quia quidquid

quidquid creditur, etiamſi Deus non ſit, ot mortuorum reſurrectio, propter veracitatem Dei creditur. Atqui actus elicitus religionis non verſatur immediatè circa Deum, ſed taotùm circa cultum Dei, quomodo juſtitia noo verſatur immediatè circa hominem cui jus reddendum eſt, ſed circa jus ipſum quod homini reddi debet; ergo "religio non eſt virtus Theologica, cujus objectum „eſt ultimus finis, ſed eſt virtus moralis, cujus eſt „eſſe circa ea quæ ſunt ad finem." Verba ſuot S. Thomæ hic art. 5.

Prob. 2. Virtus Theologica Deum proximè & immediatè attingere debet ut *objectum quod*, & ideo dicitur virtus *divina*, quia hominem Deo proximè conjungit; & id evidens eſt in ſpe v. g. quæ ita aliquid à Deo ſperat, ut ipſum præcipuè Deum tanquam ſummum ſperantis bonum intendat. Atqui religio licet excellentiâ divinâ oitatur, ei tamen nos non unit immediatè ut objecto *quod*: religio quippe ſuam Deo excellentiam non vult, ut hanc enim ſic velle noo religionis eſt, ſed charitatis quæ Deo bonum omne tum intrinſecum tum exteroum vult. Religio igitur tota hæret circa teſtimonia internâ vel externa, excellentiæ divinæ reverenter exhibenda: hæc verò teſtimonia non ſunt Deus ipſe, ſed ſunt aliqui actus noſtri, in quos ut in objectum ſuum fertor religio, quoſque reſpicit per proprios actus internos, qui non alii ſunt quàm affectus colendi Deum; ergo. Ita Suarez, Martinoo, & alii communiter.

Prob. 3. Si religio ſit virtus Theologica, vel eſt quid idem cum fide, ſpe, aut charitate; vel aliquid ab iis diverſum: atqui neutrum dici poteſt. Non primum: religio enim nec aſſentitur revelatis, ut fides; nec æternæ vitæ bona expectat, ut ſpes; nec circa Dei propter ſe, aut proximi propter Deum, amorem occupatur, ut charitas. Non ſecundum, quia tres tantum Theologicas virtutes agnoſcunt omnes Theologi, quas his expreſſit verbis S. Paulus, 1. Cor. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, & charitas, tria hæc.* Ergo.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Ea virtus à Theologicis oon diſtinguitur, quæ idem habet officium quod cæteræ virtutes Theologicæ, præſertim verò charitas; adeoque & eandem habet cum ipſis eſſeotiam: atqui religio, &c. Nam illud eſt religionis officium ut Deum colat: ſed cultum Dei præſtant virtutes Theologicæ. Probatur minor ex S. Auguſtino, qui Enchir. cap. 2. & 3. dicit Deum coli à nobis *fide, ſpe, & charitate*; & lib. 1. de Civit. Dei c. 9. *Hic eſt Dei cultus, hæc vera religio*, nempe Dei amor. Ergo.

Reſp. Ad primum nego min. Virtus enim Theologica Deum primariò & directè attingit: atqui religio non attingit directè & immediatè Deum; religio enim inclinat oon immediatè in ipſum Deum, ſed io aliqoid Deo exhibeodum ob recognitionem excellentiæ ipſios. Ergo.

Ad ſecundum nego min. vel diſtiog. Virtutes Theologicæ Deum colunt, latiùs ſumpto cultûs nomine, concedo: ſtrictè, nego. Itaque cultus, ut ootat S. Bonaventura, tripliciter ſumi poteſt. 1. latiſſimè pro quocunque virtutis actu ad Deum relato; is enim cum Deo placeat, Deum honorare dicitur. 2. Sumitur minus latè, pro actu qui nos immediatè Deo conjungit. 3. propriè pro actu quo quis vult honorem Dei, & divinæ excellentiæ teſtimonium. Virtutes Theologicæ Deum colunt, primo & præcipuè ſecundo ſenſu, noo tertio; virtus enim quæ tertio hoc ſeoſu Deum colit, habet pro objecto ipſum cultum, non autem Deum: ſed virtus Theologica Deum habet pro objecto *quod*; ergo &c.

Ad primum Auguſt. textum afferri poteſt præcedens ſolutio, quâ reipsâ uti videtur S. Bonaventura.

Reſp. 2. Cum S. Thoma 2. 2. quæſt. 81. art. 5. ad 1. diſting. Deus colitur per fidem cauſaliter, quatenus mens prævio fidei lumine, Dei excellentiam cognoſcens, movetur ad ejus cultum volendum, concedo: colitur per fidem formaliter, oego. Actus enim fidei elicitus tendit præcisè ad credendum Deo, non ad ipſi volendum cultum, niſi cultus nomen latiùs ſumatur, ut dictum eſt, nempe pro omni actu qui ſacrificii inſtar Deo acceptus ſit, ut Jacobi 1. v. 27. *Religio munda & immaculata hæc eſt, viſitare pupillos & viduas, &c.*

Reſpondent 3, alii cum eodem S. Thoma in 3. ſent. diſtinct. 9. qu. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. colitur Deus fide & ſpe, tanquam actibus quos religio imperat, concedo: tanquam actibus quos ipſa religio per ſe eliciat, nego. Ut conſtet ſolutio, duo ſufficiunt: 1. ut virtus moralis imperare poſſit actus virtutis ſeipſa perfectioris; 2. ut actus ſic imperati proportionem habeant & aptitudinem ad finem religionis, propter quem imperantur: atqui utrumque conſtat. Primum quidem oon repugnat; tale enim imperium noo eſt oiſi motio, ſeu applicatio ad actum proprium propter finem alterius virtutis: atqui hæc applicatio fieri poteſt ex libertate voluntatis: ſic actus contritionis quatenus reſpicit Deum ut in ſe bonum, eſt actus charitatis elicitus; atqui tamen actum hunc applicat pœnitentiæ virtus, ut Deo offenſo ſatisfaciat. Ergo. Confirmatur ex S. Thoma qui art. 6. ad 1. & 2. dicit religionem eſſe virtutem univerſalem in imperando; ergo & virtutibus etiam Theologicis imperare poteſt. 2. nihil deeſt actibus Theologicarum virtutum quod impediat oe aſſumi poſſiot ut oota ſobmiſſioois ac cultûs. Nam fides v. grat. per quam intellectus in obſequium fidei captivatur, aptiſſima eſt quæ ſubmiſſionem teſtificetur; ſpes quoque quæ quidquid expectat booi, à Deo expectat, tum in divinæ excelleotiæ, tum io dependentiæ noſtræ ſignum aſſumi poteſt: idem ſervatâ proportione de charitate dicendum. Ergo.

Objicies 2. Illa virtus eſt Theologica, quæ exhibet cultum Deo & excellentiæ divinæ immediatè propter ſe: atqui talis eſt religio; ergo.

Reſp. 1. nego maj. Licet enim juſtitia immediatè reddat homini jus ſuum, non tamen immediatè verſatur circa hominem ut *objectum quod*, ſed circa jus ipſum homioi reddendum: ſic à pari religio licet reddat cultum Deo, Deum tamen proximè non vult, ſed cultum Deo tanquam *objecto cui* reddendum. Unde

Reſp. 2. diſt. Ea virtus eſt Theologica, quæ exhibet immediatè cultum Deo, id eſt quæ verſatur immediatè circa Deum ut objectum *quod*, concedo: quæ verſatur circa Deum duntaxat ut objectom *cui*, oego. Itaque Deus immediatum eſt objectum *cui* religionis, cum ei tribuatur honos non mediante alio cui prius tribuatur:

ſed

ſed non eſt objectum ejus *quod* immediatum, cùm religio directè non inclinet in Deum, ſed in aliquid Deo exhibendum, quo nempe ipſius excellentiam teſtetur. Porro ex definitione virtutis Theologicæ, liquet eam circa Deum ut objectum *quod* immediatè verſari debere.

Inſt. Illa virtus verſatur immediatè circa Deum ut objectum *quod*, cujus actus proprii, imò eliciti, Deum proximè & immediatè attingunt ut objectum *quod*: atqui actus proprii & religionis..... Nam oratio & laus, ſunt actus proprii & eliciti religionis, nulla enim alia poteſt virtus aſſignari à quâ eliciantur: atqui laus & oratio Deum immediatè attingunt ut objectum *quod*.

Nec dicas eos quidem actus proximè Deum attingere, non verò religionem ipſam quæ potiùs tales actus proximè attingit, quàm Deum ipſum: nam charitas, etſi proximè attingat actus ſuos, eſt tamen Theologica; quia nempe iidem actus Deum proximè & immediatè attingunt.

Reſp. Ad primum, nego min. ad ſecundum, nego maj. Oratio enim & laus ſunt actus imperati religionis, quatenus iis utitur ut mediis divinam excellentiam teſtantibus; quo modo religio ipſos Theologicarum virtutum actus imperat. Actus ergo eliciti religionis alii non ſunt quam 1. ſimplex complacentia circa cultum divinum. 2. efficax ejus intentio. 3. ſpes ejus futuri. 4. gaudium de eo præſenti. Atqui nullus eſt ex hiſce actibus qui circa Deum immediatè occupetur, ut per ſe evidens eſt; unde magis ac magis illuſtratur diſcrimen Religionis à Theologicis virtutibus. Charitas enim v. g. conſiderata in ratione habitus, eſt voluntas ſeu amor habitualis Dei ut objecti *quod*; eadem conſiderata in ratione actûs, eſt volitio ſeu amor actualis ejuſdem Dei, ut objecti *quod*: religio verò conſiderata ut habitus, eſt voluntas habitualis cultûs ut objecti *quod*, relativè ad Deum ut objectum *cui*; ſpectata verò ut actus, eſt volitio actualis ejuſdem cultûs, ſeu volitio aſſumendi quodlibet medium quo noſtram Deo ſubmiſſionem teſtari poſſimus.

CONCLUSIO SECUNDA.

Religio diſtinguitur à virtutibus moralibus, ſive quæ hominem componunt in ordine ad ſeipſum, ſive quæ eundem conſtituunt in ordine ad proximum.

Prob. Quia religio hominem benè componit in ordine ad Deum; ergo ab iis diſtingui debet virtutibus quæ circa Deum non verſantur: unde religio nec eſt temperantia vel fortitudo, nec miſericordia, nec alia quævis ejuſdem generis.

Difficultas præcipua eſt 1. an religio diſtinguatur à juſtitiâ erga Deum. 2. an diſtinguatur à duliâ quâ colimus Sanctos. Rationes dubitandi pro utraque parte ex dicendis eluceſcent. Unde ſit

* * * *
* * *
* *
*

CONCLUSIO TERTIA.

Religio aliquo ſenſu dici poteſt juſtitia, etiam propriè; differt tamen ab eâ rigoroſâ juſtitiæ ſpecie quæ in homine ad hominem reperitur.

Prob. Ut quis juſtitiam ſervare ſaltem aliquo ſenſu dicatur, tria ſufficiunt 1. ut reddat quod strictè debet. 2. ut id reddat alteri ſufficienter à ſe diſtincto. 3. ut reddat quantum poteſt. Atqui religio 1. reddit id quod ſtrictè debet, ſi non per ſingulos ſuos actus, quorum multi ſunt ſupererogationis & conſilii, ut vota pleraque, ſaltem per alios qui planè neceſſarii ſunt, ut adoratio, oratio, &c. 2. reddit alteri ſatis à ſe diſtincto, nempe Deo. Tametſi enim Deus & homo conſiderari poſſint, juxta doctrinam S. Thomæ, ut totum quoddam morale, ſicut pater & filius, dominus & ſervus, adeoque tanta fortè non ſit inter eos *alteritas*, quanta duos inter homines, certum tamen eſt quòd Dei & hominis diſtincta ſint jura, adeoque ſint ſufficienter diverſi & alteri. 3. religio aliquam ſervat æqualitatem, licet non omnimodam, ſed quantam poteſt; adeoque propriam, licet non ſummam: atqui hæc æqualitas ſatis eſt ad juſtitiam. Virtus enim non reſpicit effectum ſed potius affectum, ut ait S. Thomas hic art. 6. Ergo religio aliquo ſenſu juſtitia dici poteſt.

Haud tamen ejuſdem eſt rationis ac juſtitia humana; hæc enim ex naturâ ſuâ tendit ad æqualitatem omnimodam, licet per accidens extrinſecum eam non ſervet: impotentia verò religionis in conſtituendâ circa Dei cultum æqualitate, naſcitur ab intrinſeco, nempe tum ab excellentiâ debiti quod alterius eſt ordinis, tum à conditione perſonæ quæ nihil habet proprium reſpectu Dei cui debet id omne quod eſt & quæ quo magis eidem ſatisfacere conatur, debitum ſuum adauget.

CONCLUSIO QUARTA.

Religio à duliâ, hoc eſt à virtute quâ coluntur Sancti aliquo ſenſu diſtinguitur, aliquo ſenſu dici poteſt non diſtingui.

Antequam probetur aſſertio hæc, notandum eſt cum Theologis, Sanctos dupliciter coli poſſe. 1. ob intrinſecam & abſolutam quam ipſi in ſe habent perfectionem; puta ob ſingularem quâ accenduntur charitatem, ob viſionem beatificam quâ fruuntur, ob eximiam quâ pollent ſanctitatem. 2. propter extrinſecam Dei ipſius excellentiam ad quam ipſi reſpectum habent, & quæ in iis relucet: atque hoc duobus modis intelligi poteſt. Vel enim ita coluntur, ut Deus ſit terminus & principale objectum hujuſce cultûs, Sancti verò objectum ſecundarium; vel ita ut ſint integer terminus ejuſdem cultûs, ſed tamen cum reſpectu ad excellentiam Dei, qui cum certam ipſi conjunctionem habent. His poſitis.

Prob. Prima pars. Datur cultus Sanctorum propter abſolutas eorum perfectiones, abſtrahendo ab excellentiâ Dei; atqui talis cultus eſt dulia à religione in Deum planè diſtincta. Nam virtutes finibus præcipuè & motivis diſtinguuntur ex S. Auguſt. atqui motivum colendi abſolutas Sanctorum perfectiones penitus differt à motivo colendi Deum: hoc enim ipſa eſt infinita Dei excellentia; illud verò excellentia Sanctorum ab ipsâ Dei excel-

lentiâ toto genere diverſa. Ergo ſicut bona diverſi generis per ſe expetenda, diverſorum habituum objecta ſunt, ita cultus Dei propter excellentiam Dei, objectum eſt à cultu Sanctorum propter eorundem excellentiam omnino diverſum.

Prob. Secunda pars. Quia tam poſſunt Sancti eâdem religionis virtute coli quâ colitur Deus, quàm poſſit proximus eâdem charitatis virtute amari quâ diligitur Deus: atqui eâdem charitatis virtute diligi poteſt proximus quâ Deus ipſe. Minor communis eſt inter Theologos poſt S. Thomam. Prob. maj. Ideo charitas Theologica erga proximum non diſtinguitur à charitate ergaDeum, quia ratio amandi proximi eſt Deus ipſe, ſeu divina bonitas: atqui pariter cùm coluntur Sancti propter Deum, prout in ipſis tanquam in templis & imaginibus relucet, jam ratio colendi Sanctos ipſa eſt Dei excellentia, non abſoluta Sanctorum perfectio; tunc enim cultus non ſiſtit in Sanctis,ſed ad Deum immediatè tranſit; atque is cultus ei omnino ſimilis eſt qui cruci & imaginibus redditur; ergo.

Prob. 2. Certum eſt Sanctos coli propter moralem quæ ipſis inexiſtit dignitatem: atqui moralis illa dignitas neceſſariò includit excellentiam divinam, ſaltem in obliquo, ita ut ſine eâ concipi non poſſit. Hæc enim moralis dignitas nihil eſt aliud, quàm quidam reſpectus quo Sancti ad Deum referuntur, ut filii ad patrem, amici ad amicum, &c. atqui talis reſpectus excellentiam divinam in conceptu ſuo includit. Ergo Sancti ſub aliquâ conſideratione coluntur propter excellentiam Dei. Ergo ſicut eadem virtus inclinat in finem, & in media propter finem, quia medii bonitas deſumitur ex ordine ad finem; ita eadem religio inclinat ad cultum Dei & ad cultum Sanctorum, quando dignitas & excellentia Sanctorum apprehenditur prout eſt ipſa Dei excellentia Sanctis extrinſecùs applicata.

CAPUT QUARTUM.

De affectionibus & actibus Religionis.

AFfectiones religionis hic explicandæ, duæ ſunt: prima eſt ejus ad cæteras virtutes comparatæ ordo & dignitas: ſecunda eſt ejuſdem unitas; quæ duo paucis expedienda ſunt.

Dico itaque 1. Religio virtutibus Theologicis eſt dignitate inferior & poſterior.

Prob. Virtus eo dignior eſt, quò Deum propiùs attingit: atqui virtutes Theologicæ Deum propiùs attingunt quàm religio, cùm illæ Deum pro immediato habeant objecto, religio non item; ergo.

Dico 2. Religio primum morales inter virtutes locum tenet, eſtque cæteris præſtantior.

Prob. Quia, ex dictis, nobilior eſt ea virtus quæ propiùs attingit Deum: atqui, ut docet & probat S. Thomas q. 81. art. 6. *religio magis de propinquo accedit ad Deum quàm aliæ virtutes morales*, & circa eum digniori modo occupatur; cùm pro objecto formali mediatè & indirectò divinam habeat excellentiam, & pro fine *cui* ipſum Deum. Ergo.

Objicies 1. Obedientia & pœnitentia Deum tam propè attingunt quàm religio, ergo non eſt cur hæc illis anteponatur.

Confirmatur, quia Scriptura obedientiam & pœnitentiam ſacrificio, qui præſtantior eſt religionis actus, disertè præfert. 1. Reg. 15. v. 22. *Melior eſt obedientia quàm victima*. Pſalm. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*. Porrò non tanti æſtimat Deus ſacrificia, juxta id ejuſdem Pſalmi, *Holocauſtis nòn delectaberis*.

Reſp. Fidem, licet immediatè Deum attingat ſicut charitas, non ideo eſſe charitati æqualem, quia non ita digno modo eum attingit: ſic etiam obedientia & pœnitentia religioni non æquiparantur, quia religio Deum nobiliori modo attingit. Religio enim nec præceptum expectat ut obedientia, nec peccatum ſupponit ut pœnitentia; adeoque ſemper major eſt religionis quàm obedientiæ nobilitas.

Ad textus Scripturæ diſt. Præfertur obedientia actibus religionis exterioribus, inordinatè & ſine pietate factis, quale fuit ſacrificium à Saüle oblatum, qualis etiam eſt eorum cultus de quibus dicitur Matth. 15. v. 8. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*. conc. præfertur iiſdem actibus factis eâ quâ decet pietate, nego.

Obj. 2. Ea virtus aliis eſt inferior, cujus actus dimittuntur, ut aliarum virtutum actus exerceantur: atqui dimittuntur actus religionis, &c. juxta id Matth. 5. v. 23. *Relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo*. Ergo.

Reſp. neg. maj. In practicis enim fieri poteſt ut dignioris virtutis exercitium omittatur, cùm urget exercitium alterius minùs dignæ; aut cùm ea quæ nobilior eſt dignè exerceri nequit, niſi ea ante exerceatur quæ minus eſt digna: atque illud eſt quod contingit cùm quis antequam fratri ſuo reconciliatus fuerit, aſcendit ad altare.

Dico 3. Religio una eſt ſpecie virtus.

Prob. Virtutes ſpecificantur ab objecto præſertim formali; ergo ubi unum idemque eſt objectum formale, ibi una eſt ſpecie virtus: atqui religionis unum eſt & idem objectum formale, nempe cultus Deo exhibitus ob ſummam ejus excellentiam in ratione primi principii, ad cujus conſtitutionem omnia Dei attributa concurrunt; ergo.

Obj. Cultus qui redditur per ſacrificium, ſpecificè differt ab eo qui redditur per votum; ergo religio quæ circa omnem cultum verſatur, habet objecta formalia ſpecificè diverſa: ac proinde cum virtutes ſpeciem ſumant ab objectis, religio non una eſt virtus, ſed multiplex.

Reſp. diſt. differt ratione actûs & materialiter, quia aliud eſt actio vovendi, aliud actio ſacrificandi, conc. differt ratione principii à quo procedit, & motivi propter quod producitur, nego. Votum enim & ſacrificium ab eadem religionis virtute, & eadem de cauſa, nempe propter honorem Dei producuntur: ergo materialiter quidem differunt, non autem formaliter; adeoque non magis duplex ob duplicem hunc actum diſtingui poteſt religio, quàm duplex diſtingui poſſit temperantia, eo quod cibus & potus circa quos ex æquo occupatur temperantia, à ſe invicem diſtinguantur.

Quod ſpectat ad actus religionis, ii dividuntur 1. in *internos* qui in animo conſummantur, nec tranſeunt exteriùs: in hoc ordine recenſentur oratio & devotio; & *externos* qui aliquo corporis organo perficiuntur, ut ſacrificium, juramentum, &c. utroque actuum genere Deum colere tenemur, utpote qui ſpiritûs noſtri & corporis principium ſit.

2. Dividuntur in elicitos, & imperatos. *Elicits* ii ſunt qui immediatè à religionis virtute procedunt: eos ſuprà recenſuimus, conſiſtuntque potiſſimum in ſeriâ divini cultûs volitione. *Imperati* verò illi ſunt qui immediatè ab aliis virtutibus eliciuntur, ſed imperante religione quæ ipſos ad cultum

tum divinum ordinat. Ex imperatis alii *per ſe* tales ſunt, qui nati ſunt immediatè per religionem imperari, ut adoratio, ſive ſpiritalis, ſive corporea; alii *per accidens*, quales ſunt actus fidei, miſericordiæ, aliarumque virtutum quibus uti poteſt religio. Imperatos actus qui per ſe tales ſunt, elicitos etiam dicunt aliqui Theologi poſt ſanctum Thomam, quia nimirum nullam pro principio habent virtutem nominatam, quàm religionem: reverâ tamen illi actus à religione phyſicè & immediatè non eliciuntur; & qui eos ab ipsâ elici dicunt, vix poſſunt religionem à virtutibus Theologicis diſcernere.

PARS SECUNDA.

De actibus Religionis in ſpecie.

TOT erunt hujuſce partis capita quot actus à religione primariò imperati: nam de elicitis nulla movetur difficultas. Itaque dicemus 1. de adoratione & devotione. 2. de oratione. 3. de juramento. 4. tandem de voto.

CAPUT PRIMUM.

De adoratione & devotione.

ADorationis nomen ſumitur latiſſimè & latè. Adoratio latiſſimè ſumpta eſt quæcunque veneratio alteri exhibita in ſignum excellentiæ ejus, quæcunque ea ſit. Sic Geneſ. 23. v. 7. *Abraham adoravit.... filios Heth*; & Judith. 10. v. 19. & 20. *Videns Judith Holofernem..... adoravit eum proſternens ſe ſuper terram.* Hujuſmodi adoratio merè politica eſt & civilis, ut per ſe evidens eſt. Adoratio latè ſumpta eſt veneratio alteri exhibita propter excellentiam ejus ſupernaturalem. Sic *Joſue cecidit pronus in terram, adorans Angelum*, Joſue cap. 5. v. 15.

Adoratio latè ſumpta dividitur in duliam, hyperduliam, & latriam. *Dulia* eſt veneratio quæ Sanctis, Angelis vel hominibus, iis præſertim qui cum Chriſto regnant impenditur. *Hyperdulia*, quæ Virgini Deiparæ ob ſingulare divinæ ejus maternitatis privilegium exhibetur. *Quoniam enim*, ait S. Bonaventura in 3. diſt. 9 qu. 3. nu. 19. *excellentiſſimum nomen habet, (quod virgo exiſtens, Dei mater eſt) ita quod excellentius pura creatura convenire non poteſt, ideo non tantùm debetur ei honor duliæ, ſed hyperduliæ.* *Latria* quæ ſola eſt verè & ſtrictè dicta adoratio, eſt actus quo teſtificamur increatam ac infinitam Dei excellentiam, noſtramque erga eum ſubmiſſionem, ſupremumque ejus in res omnes dominium agnoſcimus, juxta illud Matth. 4. v. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

Triplex hæc adorationis ſpecies dividitur 1. in *abſolutam*, quæ rei propter excellentiam ejus intrinſecam exhibetur, & ſic adoratur Verbum caro factum; & *relativam*, quâ aliquid adoratur vel honoratur ob excellentiam rei alterius ad quam aliquam habet habitudinem aut conjunctionem, & ſic adoratur Crux, &c. Addi D. Tournely Tract. de Incarn. Quæſtione totâ ultimâ.

Dividitur 2. in internam, & externam. Prima ea eſt quæ fit interiùs, animo ſcilicet & corde, juxta id Chriſti ad Samaritanam Joan. 4. v. 23. *Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* Secunda ea eſt quæ fit exterioribus ſignis; atque hæc, ſi interior deſit, nullius eſt meriti, ſed mortua eſt perinde ac corpus ſine animâ: nam *& Pater tales quærit qui ſincerè* & interiùs *adorent eum.* Cætera pertinent ad Tract. de Incarnatione.

Devotionis nomen deducit S. Thomas à verbo devovere. *Unde, inquit, devoti dicuntur qui ſeipſos quodammodo Deo devovent, ut ei ſe totaliter ſubdant. Sic apud Gentiles devoti vocabantur, qui ſeipſos Idolis devovebant in mortem pro ſui ſalute exercitûs.* Qu. 82. art. 1.

Devotio ibidem definitur à S. Doctore, *Voluntas promptè tradendi ſe ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum*: quo ſenſu Exodi 35. dicitur: *Multitudo filiorum Iſrael obtulit mente promptiſſimâ atque devota primitias Domino.*

Dicitur 1. *voluntas*; id eſt efficax & expedita intentio, quæ proinde non conſiſtit in ſenſibili guſtu & cordis teneritudine quæ ſubinde inter orandum & meditandum ſentitur, ſed in pio animi affectu, & promptâ Deo famulandi voluntate.

Dicitur 2. *tradendi ſe*, totum ſcilicet, non aliqua tantùm ad ſe pertinentia. Unde non dicitur devotus, qui unum aut alterum duntaxat actum ad cultum Dei alacri & fervidâ mente refert, ſed qui ſe totum divino cultui conſecrat.

Dicitur 3. *promptè*: qui enim etiam abdicatis negotiis ſæcularibus ſe totos divino cultui mancipant, ut Clerici & Religioſi, devoti non ſunt ſi tepidè & ſegniter circa Dei cultum ſe gerant, atque pœnâ digniores ſunt quàm præmio, juxta id Jerem. 48. 10. *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter*, ſeu *negligenter*, ut vertunt LXX.

Dicitur 4. *ad ea quæ, &c.* Unde ſequitur devotionem eſſe actum religionis, eumque præſtantiſſimum, ac quaſi cæterorum animam, utpote cujus auxilio promptè & ardenter executioni mandentur ea quæ ſunt cultûs divini.

Porrò cùm maximè cavendum ſit ne falſa devotio ſinceræ locum occupet; quod dæmones qui præſtantioribus virtutibus præcipuè inſidiantur, efficere curant, eo ferè modo quo, ut advertit Guilelmus Pariſienſis, adulterinæ monetæ fabricatores, non vile metallum, ſed pretioſius putà aurum adulterare ſolent; ideirco ut falſa devotio ab eâ diſtinguatur quæ vera eſt, ponderandæ ſunt veræ devotionis cauſæ, ejuſdemque effectus.

Cauſa devotionis duplex, juxta S. Thomam, *extrinſeca & principalis*, nempe *Deus*; *de quo dicit Ambroſius ſuper Lucam cap. 9. quod Deus quos dignatur vocat, & quem vult religioſum facit, & ſi voluiſſet, Samaritanos ex indevotis devotos feciſſet. Cauſa autem intrinſeca ex parte noſtrâ oportet quod ſit meditatio, ſeu contemplatio*, partim *divinæ bonitatis & beneficiorum ejus*, quia *hæc conſideratio excitat dilectionem quæ eſt proxima devotionis cauſa*; partim defectuum noſtrorum, quos ſi ſeriò perpendamus, in hæc Pſaltis verba erumpemus: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Et *hæc conſideratio*, ait S. Thomas, *excludit præſumptionem, per quam aliquis impeditur ne Deo ſe ſubjiciat, dum ſuâ virtute innititur.* Hinc rurſus David: *In meditatione*, inquit, *meâ exardeſcet ignis.*

Tria hic monet Angelus Scholæ. 1. vitandas eſſe eas ſubtiliores meditationes, quæ intellectum ita occupant, ut aridam reddant voluntatem, & lac pietatis exſugant. 2. quod licet *ea quæ ſunt divinitatis, &c. ſint ſecundùm ſe maximè excitantia devotionem*; iis tamen, ob humanæ mentis debilitatem, inhærendum ſit meditationibus *quæ pertinent ad Chriſti humanitatem*, ut ſicut canit Eccleſia, *Dum viſibi-*

viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc in inviſibilium amorem rapiamur. "Aſſuefaciant ergo qui „Patres ſpirituales vocantur, clientes ſuos, præſertim fœminei ſexûs, meditari quæ Chriſtus pro „nobis fecit & paſſus eſt, potiùs quàm ſublimia divinitatis myſteria." Ita Sylvius hic, & meritò. 3. Demum docet Angelus Scholæ, quòd ſcientia & ingenium *quandoque* & ſæpe ſæpius *devotionem* occaſionaliter *impediunt*; unde *in ſimplicibus & mulieribus devotio abundat*, rarò autem in iis qui ſcientiæ totos ſe dedunt, juxta illud Auguſtini Conf. lib. 3. cap. eodem: *Surgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce ubi volutamur in carne & ſanguine?*

Effectus devotionis itidem duplex. 1. lætitia ſpiritualis ex conſideratione infinitæ Dei bonitatis, juxta id Pſalm. 76. *Memor fui Dei, & delectatus ſum.* 2. ſalutaris quædam triſtitia, ex infirmitatis noſtræ, & exilii à cœleſti patriâ, meditatione procedens. Hos veræ devotionis characteres feliciter attigit author Libri *de ſpiritu & animâ* cap. 50. apud ſanctum Auguſtinum in Appendice Tom 6. pag. 55. juxta quem devotio, *pius eſt & humilis affectus in Deum: humilis ex conſcientiâ infirmitatis propriæ, pius ex conſideratione divinæ clementiæ.* Quàm procul ergo à verâ devotione diſtant, qui nihil niſi mali & corrigendi in cæteris inveniunt; qui ſuo quidem judicio non ſunt *ſicut cæteri hominum*; qui juſtitiam Dei ita ob oculos ponunt, ut miſericordiam quæ ſuper omnia ejus opera eſt, reticeant, &c.

CAPUT SECUNDUM.

De Oratione.

OCto nobis hoc in capite veniunt explicanda. 1. Quid & quotuplex ſit oratio. 2. An neceſſaria ſit. 3. An, & quatenus efficax. 4. 5. & 6. Quis orari, quis orare, quid orari debeat. 7. Pro quibus orandum ſit. 8. Dicendum de Horis canonicis, & ea quæ ad Officium divinum ſpectant fusè pertractanda.

ARTICULUS I.

De nomine, eſſentiâ & diviſione orationis.

QUod ſpectat ad primum: nomen orationis tripliciter ſumitur, ut obſervat S. Bonaventura. 1. pro quolibet bono opere: quo ſenſu Beda accipit illud Chriſti apud Luc. cap. 18. v. 1. *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* 2. pro quovis pio animi motu in Deum: & ſic author Libri *de ſpiritu & animâ* cap. 50. *orationem* dicit *eſſe converſionem mentis in Deum per pium ac humilem affectum.* 3. demum pro petitione à Deo factâ; & hæc acceptio præſentis eſt inſtituti.

Ad ſecundum, *oratio eſt petitio decentium à Deo*; ita S. Joan. Damaſc. lib. 3. fid. orthod. c. 24. Dicitur 1. *petitio*, id eſt intimatio deſiderii ſui alteri facta ad obtinendum aliquid ab eo; & ſic exprimi ſolet oratio Matth. 7. *Petite & accipietis.* Marci 11. *Quidquid orantes petitis, &c.*

Dicitur 2. *rerum decentium.* Impium enim eſſet id petere quod nec Deus dare poſſet, neque nos accipere: petitio rei malæ non tam oratio eſſet, quàm execratio.

Dicitur 3. *à Deo.* Etſi enim oratio non ſemper immediatè ad Deum dirigatur, ſed aliquando ad amicos Dei, Sanctos nempe; petitio tamen propriè non fit niſi Deo, à quo ſolo omne donum eſt deſurſum deſcendens, ut monet S. Jacobus cap. 1. v. 17.

Addunt nonnulli, *ut aliquid ab ipſo impetretur*; quia beneficii collatio finis eſt orationis. At hæc additio ſuperflua videtur, ut quæ contineatur in petitione: quis enim petat, niſi id quod petit, velit impetrare.

Hinc patet orationem ſub uno reſpectu ad religionem pertinere, & ad ſpem ſub alio. Ad religionem quidem, quia per orationem teſtamur Deum eſſe authorem bonorum noſtrorum, & nos ipſo inferiores eſſe, eoque indigere. Ad ſpem verò, quia oratio aliquid ſperat & expectat à Deo; nec quiſquam eſt qui ad alium ſupplex accedat, ſi certò noverit eum nunquam ad vota ſua flectendum eſſe.

Agitant hic alii & multis expendunt, an oratio actus ſit intellectus, an non voluntatis.

Reſp. Orationem pertinere ad intellectum præſuppoſitivè, formaliter verò ad voluntatem.

Prob. Prima pars. Qui orat noſſe debet tum indigentiam ſuam & infirmitatem, tum illius quem orat benignitatem & potentiam, atqui hæc cognitio in intellectum cadit; ergo.

Prob. Secunda pars. Oratio nihil aliud eſſe videtur quàm deſiderium illius qui orat, ei qui oratur ſignificatum, juxta id Pſalmi 10. *Deſiderium pauperum exaudivit Deus.* Atqui deſiderare ſeu velle ad voluntatem pertinet, ut ex terminis evidens eſt; ergo.

Quod ſpectat ad tertium. Oratio dividitur 1. in mentalem, & vocalem. Prima fit ſolâ mente. Secunda fit cùm vox corporalis mentali locutioni ſuperadditur. Unde oratio vocalis nulla eſt ſine mentali; ſola enim mens efficaciter loquitur, nec prodeſt ſtrepitus oris muto corde. Unde Joann. 4. v. 24. *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Mentali tamen orationi conjunguntur voces. 1. quia homo ſecundùm ſe totum, id eſt ſecundùm animam & corpus honorem Deo pendere debet. 2. quia non ſolùm corde credere, ſed & ore confiteri oportet Deum eſſe omnis boni fontem. 3. quia voces ex vehementi cordis affectu ſponte & naturaliter erumpunt, juxta id Pſaltis, *Lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea.* 4. tandem quia multi ſunt quorum mens minùs evagatur cùm orant vocaliter.

2. Oratio mentalis dividitur in meditationem, & contemplationem. Meditatio eſt pia veritatis alicujus, occultæ vel non, inveſtigatio ad concipiendum devotionis fervorem. Inveſtigatio *pia*, non mera ſpeculatio Philoſophica. Veritatis *occultæ aut cognitæ*, quia ſubjectum meditationis deſumi poteſt tum ex iis rebus quas jam multoties meditati ſumus; tum ex iis etiam myſteriis quæ de ſe minùs nota, fiunt meditatione notiora. *Ad concipiendum, &c.* quia is eſſe debet meditationis ſcopus, ut ex eâ exurgat ſacer ignis quo voluntas ad fugam mali, & boni proſecutionem excitetur.

Contemplatio ab authore Operis *de modo orandi*, inter S. Bernardi opera deſcribitur: *Mentis in Deum ſuſpenſa elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans.* Meditatio & contemplatio non tam ſunt diſtinctæ orationis ſpecies, quàm ejuſdem partes. Meditatio petit, & pulſat ut ſibi aperiatur; contemplatio guſtat & fruitur. Illa eſt animi labor & motus; hæc fruitio eſt & quies. An neceſſaria ſit meditatio dicemus Articulo ſequenti.

3. Oratio

3. Oratio vocalis dividitur in *publicam*, quæ fit à publico miniſtro, ad id deputato, Eccleſiæ nomine, & pro ſalute populi; & in *privatam*, quæ fit à perſonâ particulari ut tali.

4. Aliam orationis diviſionem exhibet S. Paulus his verbis 1. ad Timoth. 2. *Obſecro igitur primum fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* De quâ vide S. Thom. q. 83. art. 13. & Apoſtoli interpretes.

ARTICULUS SECUNDUS.

De neceſſitate orationis.

VArii circa orationis neceſſitatem & utilitatem prodierunt errores.

Primus eorum fuit qui divinam negaverunt providentiam, quorum iſta vox eſt Job. 22. *Circa cardines cœli ambulat, & noſtra non conſiderat.* Secundus eorum fuit qui fatum admittebant, & omnia ex neceſſitate contingere opinabantur. Tertius fuit Pelagianorom, qui ſublatâ gratiæ neceſſitate, & orationis neceſſitatem implicitè ſaltem & conſequenter evertebant. Quartus Meſſalianorum qui etiam dicti ſunt Euchitæ ſive Precatores, qui in errorem iis qui mox recenſiti ſunt oppoſitum lapſi, tantam orationi virtutem attribuebant, ut eam ſolam ſatis eſſe ad ſalutem dictitarent, de quibus vide Auguſt. hær. 57. & Damaſc. hæreſi 80. Quintus fuit Wicleſiſtarum, qui de bonis operibus interpretabantur, quæcnoque in Scripturis leguntur de neceſſitate orationis; adeo ut orare nihil aliud eſſet juxta eos, quàm benè operari. Sextus fuit Michaëlis Molinos Hiſpani Presbyteri, cujus 68. propoſitiones ab Innocentio XI. an. 1687. damnatæ ſuot, quas inter extat hæc num. 14. *Qui divinæ voluntati reſignatus eſt, non convenit ut à Deo rem aliquam petat, quia petere eſt imperfectio... & eſt velle quòd divina voluntas noſtræ conformetur; & illud Evangelii*, Petite & accipietis, *non eſt dictam à Chriſto pro animabus internis, &c.* Omnes hoſce errores inſequi præſentis non eſt materiæ, ſufficiat orationis neceſſitatem adſtruere.

CONCLUSIO PRIMA.

Oratio neceſſaria eſt ad ſalutem, tum neceſſitate præcepti, tum etiam, ſaltem communiter, neceſſitate medii.

Prob. 1. ex hìs Chriſti verbis Lucæ 18. verſ. 1. *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* Matth. 26. *Vigilate & orate ut non intretis in tentationem.* Jacobi 4. v. 2. *Non habetis, propter quòd non poſtulatis. Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis.* Atqui hæc verba, *Orate, oportet orare*, præceptum indicant; cætera verò oſtendunt, multa eſſe ad ſalutem neceſſaria quæ non alia quàm orationis via haberi poſſunt, ut victoria teorationum, &c. Ergo.

Prob. 2. ex Patribus. S. Aug. Lib. de dono perſev. cap. 16. "*Conſtat*, inquit, *alia Deum, danda etiam non orantibus, ſicut initium fidei; alia nonniſi orantibus præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantiam.* S. Cœleſtinus in Epiſt. ad Galliarum Epiſcopos, *In omnibus actibus, cauſiſque, cogitationibus, motibus adjutor & protector orandus eſt; ſuperbum eſt enim ut quidquam ſibi humana natura præſumat.* Ergo oratio neceſſaria eſt, tum ut Deus perpetuò nobis adſit, tum ut eâ mediante magnum perſeverantiæ donum conſequamur; tum etiam ut fratres noſtros à viâ veritatis devios ad eam reducamus, juxta illud S. Auguſt. Serm. 1. de S. Stephano: *Si Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.*

Prob. 3. Quod neceſſarium eſt neceſſitate medii, eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti; præcipit enim Deus ut mediis neceſſariis utamur, ut notat S. Thomas, 2. 2. q. 3. a. 2. Atqui oratio neceſſaria eſt neceſſitate medii.

Prob. min. ex Trid. Seſſ. 6. cap. 11. cujus hæc ſunt verba: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Præiverat author Lib. de Eccl. dogm. paulò infra citandus. Unde ſic: Illud eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, ſine quo ſalus, poſitis à Deo rebus ut ſunt, obtineri non poteſt: atqui ſine oratione obtineri non poteſt ſalus; hæc enim non obtinetur niſi per gratiam: atqui ex citatis textibus oratio medium eſt ad obtinendam gratiam neceſſariam; ergo.

Dixi, *communiter*: quia licet attentis divinæ providentiæ diſpoſitionibus omnia aut penè omnia auxilia ad ſalutem neceſſaria mediante oratione conferantur, non ita tamen hiſce legibus alligatus eſt Deus, ut in aliquo caſu raro largiri non poſſit abſque prævia oratione gratias quibus quis ſalutem conſequatur. Sic Saulo non oranti, ſed potius Chriſtum perſequenti, tanta gratiarum copia cælitus immiſſa eſt, ut ex perſecutore in Apoſtolū converſus fuerit. Unde D. Tho. q. 83. art. 2. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quòd Deus nobis multa præſtat ex ſuâ liberalitate, etiam non petita.* Ita Salmanticenſes Tract. 21. *De Præcept. Decalogi* cap. 9. punct. 3. Hæc tamen doctrina & limitatio vix ullius eſt momenti; certum enim videtur eum qui repente converteretur ut S. Paulus, ſuam ſtatim coram Deo infirmitatem agnoſcere debere, & gratias ad perſeverandum neceſſarias ſupplicem exorare ne Deo faciem avertente, fiat conturbatus.

Objectio.

Objicies: Illud neceſſarium non eſt, quod nequidem eſt utile: atqui oratio nequidem eſt utilis. Oratio enim eatenus utilis eſſe poteſt, quatenus vel patefacit Deo indigentiam noſtram; vel poteſt ejus benevolentiam nobis conciliare, voluntatem ejus ex nobis infensâ mutando in voluntatem nobis amicam: atqui neutrum præſtare poteſt oratio. Non primum, Deus enim omnia, & ipſam cordis noſtri præparationem novit. Non ſecundum, Dei enim voluntas planè eſt immutabilis, nec fieri poteſt ut velit in tempore quod ab æterno noluit, aut quod ſemel voluit, velle deſinat. Ergo oratio nedum utilis ſit, impia eſt, ut quæ Deum vel ignorantiæ, vel mutationi obnoxium ſupponat.

Reſp. ad primum, nego min. ad ſecundum, nego maj. Utilis enim eſt oratio, non quaſi per eam cognoſcat Deus quod ante ignorabat; ſed quia efficit ut homo veriſſimam nihili ſui cognitionem acquirat, peccata ſua coram Deo humiliter confiteatur, & cœleſte imploret auxilium. An non quotidie prodigus filius coram patre qui rogam ejus agendi rationem novit, utiliter in hæc erumpit verba: Peccavi in cœlum & coram te, miſerere mei? Neque etiam per orationem mutatur divina voluntas, ſed potius impletur, dum id per preces obtinendum ſuſcipitur, quod Deus nonniſi ad preces largiri decrevit. Unde bellè S. Gregor. Lib. 1. Dialog. cap. 8. *Non propter hoc oramus ut divinam diſpoſitionem immutemus, ſed ut impetremus quod Deus diſpoſuit per orationes eſſe implendum.*

Quæres quo tempore urgeat orandi præceptum.

Reſp.

Reſp. 1. nos non teneri ſingulis momentis orare, quidquid dixerint aliqui, de quibus loquitur S. Auguſt. hæreſi 57. Atque hoc patet 1. quia certa quædam dari debent tempora quieti aliiſque innumeris negotiis, quæ cum oratione non compatiuntur. 2. quia nullum eſt præceptum quoad faciendam ſingulis momentis orationem adſtringamur.

Opponitur illud Lucæ 18. *Oportet ſemper orare* &c. Verum multiplex eſt ejus expoſitio. Prima eorum eſt qui cenſent hominem teneri ad *ſemper* orandum, quatenus tenetur ad *ſemper* benè operandum. Hinc author libelli cui titulus, *Remarques importantes ſur le Catechiſme de M.r Archevêque de Sens*, graviter in hanc ejuſdem Catechiſmi reſponſionem invehitur, (Catech. p. 106.) *Nous devrions prier ſans ceſſe s'il étoit poſſible*, &c. quaſi vero, inquit; homo non poſſit ſemper orare, actiones ſuas omnes ad Deum, ut par eſt, referendo? Verùm hæc objecti textus interpretatio, communiter rejicitur, & meritò. 1. quia SS. PP. & Theologi ex hoc loco paſſim colligunt neceſſitatem orationis, prout ea ab aliis operibus bonis diſtinguitur. 2. quia tota loci hujus ſeries cuilibet legenti demonſtrat mentionem hic fieri de oratione ſtrictè ſumpta pro petitione. Atqui non omne opus bonum eſt oratio & petitio ſtrictè ſumpta; ergo.

Secunda igitur reſponſio cui ſtandum, hæc eſt, non quidem omnibus momentis orandum eſſe; hoc enim prorsùs impoſſibile eſt; ſed orandum *per certa intervalla horarum & temporum,.... ne quod tepeſcere cœperat, omninò frigeſcat & penitus extinguatur, niſi crebrius inflammetur.* Ita S. Aug. Epiſt. 130. Unde, ut notant interpretes apud ſynopſim Criticorum, ly *ſemper* opponitur intermiſſioni ex tædio & deſperatione; quapropter addunt, iidem, *ſemper orare, eſt orare aſſiduè, omni tempore opportuno, ſtatis precationum temporibus nunquam prætermiſſis.*

Reſp. 2. Quamvis definiri non poſſit quo præcisè tempore, & quoties orandi præceptum obliget, cum id pendeat non ſolum ex Dei ordinatione, ſed etiam ex cujúſque diſpoſitionibus, tentationibus, aliiſque circumſtantiis; certum tamen eſt ſæpius eſſe orandum, eúmque in ſalutis ſuæ diſcrimen venire, qui illud religionis opus diu omittit.

Prob. 1. ex citato Lucæ textu; cui conſonat alius S. Pauli 1. Theſſal. 5. v. 16.. *Sine intermiſſione orate.* & Eccli. 18. *Non impediaris orare ſemper.* Atqui hoſce textus de crebra & frequenti oratione intellexerunt, tum Fideles qui act. 1. *erant unanimiter perſeverantes in oratione;* tum Patres, qui, ut S. Auguſtinus, citata Lucæ & Pauli verba dixerunt *ſaniſſimè* ſic accipi, ut nullo die intermittantur certa orandi tempora. Ergo,

Prob. 2. Sæpius orandum eſt, ſi ſæpius recurrant cauſæ propter quas ad orationis præſidium confugere neceſſe ſit; atqui cauſæ illæ ſæpe ſæpius recurrunt. Nam triplex præcipuè eſt cauſa quæ nos ad præſidium orationis confugere compellit. 1. ut mundet nos Deus à peccatis noſtris; & gratiam ſanctificantem annexaque ei dona infundendo, ſpiritum rectum innovet in viſceribus noſtris. 2. ut nos ſemel juſtificatos de virtute in virtutem progredi faciat, quia non progredi, regredi eſt. 3. demum ut in acceptâ juſtitiâ uſque ad finem perſeveremus. Atqui tria hæc ſine oratione & quidem crebrâ haberi non poſſunt. Minor propoſitio, quam cuilibet cor ſuum inveſtiganti, ſatis probat propriæ infirmitatis conſcientia, ipſa miſerrimæ hujus vitæ conditio quæ militia eſt; vis & impetus rugientis adverſarii qui *circuit quærens quem devoret*, (1. Petr. 5.) hæc inquam, propoſitio efficaciter demonſtratur ex variis Scripturæ & Patrum textibus. Matth. 26. v. 41. *Vigilate & orate ut non intretis in tentationem.* Epheſ. 6. v. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſùs inſidias Diaboli.* Hanc autem armaturam ſic exponit Apoſtolus v. 18. *Per orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia.* Hæc & ſimilia Scripturæ teſtimonia de neceſſitate ſæpiùs orandi à Patribus intellecta fuere. Sic author de Eccleſiaſticis dogmatibus inter Opera S. Auguſtini: *Nullum credimus*, inquit, *ad ſalutem, niſi Deo invitante venire; nullum invitatum ſalutem ſuam niſi Deo auxiliante operari; nullum niſi orantem auxilium promereri.* In eundem ſenſum loquitur S. Chryſoſtomus Lib. 1. de orando Deo, *Profiteor*, inquit, *deprecationem caput eſſe bonorum omnium, baſim ac radicem vitæ frugiferæ.* Et Hom. 23. in Matth. *Nihil eſt quod non obtineat oratio, etiamſi mille peccatis obnoxius ſis: ſed vehemens, ſed aſſidua.* Hac de causâ Publicanus delictorum ſuorum veniam conſecutus eſt, non autem vel Phariſæus; (Luc. 18.) cujus verba non tam oratio erant, quam propria ſui commendatio; vel *antiqui gigantes*, (Eccli. 16.) qui *non exoraverunt pro peccatis ſuis*, & ideo *deſtructi ſunt.* His adjunge quod ſupra dicebat S. Auguſt. perſeverantiam nonniſi orantibus à Deo præparatam fuiſſe, quod docuit ipſe ſalvator Lucæ 21. v. 36. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini.... ſtare ante filium hominis*, Ex his facilè colliget quiſquis ſapit ea quæ Dei, ſunt, ſine oratione frequenti fieri non poſſe ut homo vel à peccatis ſuis mundetur; vel perpetuas carnis, mundi, diabolique tentationes vincat, adeoque virtutibus augeatur; vel demum ad æternæ ſalutis portum feliciter appellat.

Cæterum ii etiam qui negant hominem divino aut naturali præcepto teneri ad ſæpius orandum; fatentur tamen multos eſſe caſus in quibus orandum ſit ex neceſſitate. Præcipui vero ii ſunt: 1. Si quis deficiente Pœnitentiæ miniſtro, debeat ob celebrationem Sacri ad gratiam ſe diſponere per actum contritionis. 2. Si quis in evidenti mortis periculo verſetur, maximè ſi ſit in peccato mortali. 3. Si ingruat tentatio, & illud dæmoniorum genus quod *non ejicitur niſi oratione.* 4. Si proximus in eâ conſtitutus ſit neceſſitate in qua poſſit & debeat precibus juvari. Unde cenſent Navarrus & Sylveſter, orandum eſſe pro iis qui jamjam duello conflicturi ſunt, neque aliter poſſunt impediri. Credunt tamen alii non eſſe veram pro talibus orandi neceſſitatem, quia, inquiunt, vix probabile eſt futurum ut oratio hominibus qui totis pedibus in crimen proruunt, prodeſſe poſſit. 5. Cum Miſſa audienda eſt, & Sacramenta ſuſcipienda, &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Oratio mentalis, ſive meditatio, videtur etiam omnibus Fidelibus neceſſaria.

Antequam probetur Concluſio, notandum eſt meditationem dupliciter ſumi. 1. ſecundùm ſe quatenus eſt ſtudioſa quædam inveſtigatio eorum quæ ad ſalutem conducunt. 2. ſecundum circumſtantias, puta locum, temporis diuturnitatem, methodum, &c. De meditatione priori ſenſu ſumpta loquimur; eam enim ſi poſteriori modo accipiatur, utilem eſſe, non verò neceſſariam, fatentur omnes.

Prob.

Prob. 1. Oratio ut ſic, eaque viva & vehemens, ad ſalutem eſt neceſſaria ex dictis: atqui talis oratio aliquam meditationem neceſſariò ſupponit. Ad vivam enim & efficacem eorum quibus indiget homo poſtulationem, neceſſum eſt ut idem homo agnoſcat animæ ſuæ plagas, tenebras intellectus ſui, cordis infirmitatem, occaſionum virtuti funeſtarum pericula, perpetuam divinæ protectionis
Pſal.68. 14. neceſſitatem, ut cum Propheta exclamet: *Salvum me fac Deus: de neceſſitatibus meis erue me.* Atqui luce clarius eſt hæc ſeriò & practicè cognoſci non
Jacobi 1. poſſe ſine aliquâ meditatione & reflexione, qua ſeclusâ ſimiles ſumus *viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo; conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit*: quæ oblivio in hoc corruptæ naturæ ſtatu, facillima eſt, quia
Sap 4. *faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum.* Unde niſi homo juxta præceptum Apoſtoli adhortetur ſemetipſum *per ſingulos dies, ut non obduretur... fallacia peccati*, quæ adhortatio ſine meditatione conſiſtere non poteſt, bonum quidem ſpeculativè cognoſcere poterit, ejuſque notitiam aliorum animis inſtillare; at in verâ mentis cæcitate & practicâ veritatis ignorantiâ ſemper verſabitur, & ex eorum numero erit, qui meliora vident & probant, ſed *deteriora ſequuntur; qui ſem-
2.Timot.3. per diſcunt, & nunquam *ad ſcientiam veritatis* perveniunt; qui litteram occidentem tenent, ſed ſpiritum non aſſequuntur; qui, ut verbis utar S. Bonavent. Lib. 7. de proceſſu Relig. cap. 11. *favum teneat, & melle carent.* Doctrinam hanc totam ſolidè in pauca contraxit author Libri *de modo orandi*, apud S. Bernardum: *Quid prodeſt homini*, inquit, *ſi per meditationem quæ agenda ſunt videat, niſi orationis auxilio, & Dei gratia ad ea obtinenda convaleſcat? Quomodo autem eſſet ſollicitus ad poſtulandum, niſi prius eum accendiſſet meditatio?* Ergo.

Prob. 2. ex Script. Eccli. 3. v. 22. *Quæ præcipit tibi Deus, illa cogita ſemper.* Et Jerem. 12. v. 11. *Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt qui recogitet corde.* Hinc Matth. 13. verbum Dei non recogitatum eſt ſemen vel cadens ſecus viam & conculcatum, vel in ſpinas & ſuffocatum. Ergo ut tollatur hæc terræ deſolatio, & ut ſemen verbi ſterile non ſit, recurrendum eſt ad meditationem, juxta illud Iſaiæ 46. v. 8. *Redite prævaricatores ad cor.* Ea de cauſa David etſi tot negotiis undique preſſus,
Pſal.76. *meditatus ſum*, inquit, *nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* Et S. Bernardus in opere de Conſideratione, totus eſt in commendanda Eugenio 3. Pontifici meditationis neceſſitate, ſcribitque de ſalute ejus actum eſſe, niſi ſeria reflexione cordis ſui diſperſiones revocet & congreget. Et verò quotidiana docet experientia juſtos facilè labi, cum à meditandis Dei eloquiis ceſſant; graviſſimos verò peccatores ad Deum converti, cum in ſe reverſi, & priſtinam à qua exciderunt juſtitiam, & præſentis ſui ſtatus miſeriam animo & corde volvunt & revolvunt.

Dices: Idiotæ, peccatores, aliique quibus adeo incumbit jugum filiorum Adæ, ut vix habeant ſpatium quieſcendi, meditationis prorſus incapaces ſunt. Ergo meditatio iis neceſſaria eſſe non poteſt.

Reſp. 1. hujuſmodi homines ſatis invenire temporis ad peccandum, ad ſerviendum ebrietati, ad fovendas corde malas cogitationes: quidni ergo ab iis exigamus ut Deo conſecrent aliqua ſaltem momenta ex iis quæ diabolo conſecrare ſolitì ſunt?

Reſp. 2. diſt. Non ſunt capaces meditationis diuturnæ & ſublimis, conc. cujuſcumque, nego. Quamdiu enim rationales ſunt tenentur corà Deo ingemere, eidem animæ ſuæ vulnera detegere, quod aliquam requirit meditationem, cujus idiotæ ſæpe capaciores ſunt quam litterati, qui cum litteris ſuis merguntur in abyſſum, dum ſurgunt indocti & rapiunt regnum cœlorum. Hinc nulla eſt conditio quæ cœlo cives non pepererit: nulla negotiorum abundantia quæ peritus prohibeat, ne homo vocaliter oret, & ſic orando ea quæ labiis volvit, animo verſet, iiſque identidem immoretur; nulla actio in cujus initio & progreſſu mens ad Deum levari non poſſit, ut eam Deus dirigere & ſanctificare dignetur: & ſi Paſtores ad hanc meditationis ſpeciem, ipſos etiam ruſticos diſponerent & incitarent, multum ex ea, non dico oneris, ſed ſolatii perciperent, quia crux unctione mixta, fit jugum leve.

At, inquies, lectio & auditio verbi divini meditationis locum tenere poſſunt: ergo.

Reſp. eam ſolam lectionem, divinique verbi auditionem prodeſſe, quam comitatur aut ſequitur mentis affectus; alioqui ſemen verbi cadit in petroſa, & ſtatim rapitur ab avibus cœli: porrò ſecluſa meditatione quis eſſe poteſt mentis affectus? *Quid prodeſt*, ait author Lib de modo orandi, *lectione continua tempus occupare, Sanctorum geſta & ſcripta legendo tranſcurrere, niſi ea etiam maſticando & ruminando ſuccum elicimus, & tranſglutiendo uſque ad cordis intima tranſmittamus?*

Ex his facilè colligetur quanta ſit meditationis neceſſitas reſpectu Religioſorum & Clericorum. Circa Religioſos iis habenda eſt fides qui Religioſæ vitæ obligationes melius norunt.

S. Joan. Climac grad. primo ſpirit. ſcalæ. *Monachus eſt*, inquit, *qui ſolum ad Deum acie mentis intentus, illum ſemper orat in omni tempore; loco, & re.* S. Bonav. Lib. de perfect. cap. 5. *Revera*, inquit, *Religioſus orationem non frequentans aſſiduè, non ſolum eſt miſer & inutilis, quinimò coram Deo fert animam mortuam in vivo corpore.* Unde Cajetan. hic q. 83. art. 3. *Nec Religioſi, nec Religioſa nomine vocari poteſt, qui ſaltem *ſemel in die ad hujuſmodi ſe non confert.* Ergo dato quod tenent Suarez, Navarrus, & Salmantic. quod oratio non ſit Religioſis *ex vi ſtatus*, ſecluſa ſpeciali locorum lege, neceſſaria ſub mortali, certum tamen eſt quod vix per aliquot dies abſque peccato omitti poſſit, cum, inquiunt Salmantic. *ſit valdè conducens ad tendendum in perfectionem, quam ſub mortali Religioſi conari teneatur.*

Atque hæc omnia longè validius adſtruunt orationis neceſſitatem pro Clericis, qui quo difficilius ac periculoſius miniſterium tractare debent, eo pluribus ac potentioribus gratiis indigent, ut & ſemetipſos & plebem ſibi commiſſam ſanctificent, & à ſæculo nequam cuſtodiant.

ARTICULUS TERTIUS.

An, & quatenus efficax ſit Oratio.

UT quæ hoc continentur titulo exponamus, duo nobis præſtanda ſunt. 1. videndum quænam ſit orationis virtus & efficacia. 2. quæ neceſſariæ ſint conditiones ut oratio ſuum aſſequatur effectum. Sit

* *

CON-

CONCLUSIO PRIMA.

Oratio ſi undequaque talis ſit, qualis eſſe debet, triplicem habet efficaciam, *merendi* ſcilicet *ſatisfaciendi*, & *impetrandi*. Ita Orthodoxi omnes.

Antequam probetur Concluſio, notandum in oratione tria poſſe conſiderari. 1. quod ſit actus ſupernaturaliter bonus. 2. quod hic actus ſit etiam laborioſus & pœnalis, juxta illud Eccleſ. 12. v. 12. *Frequens meditatio, carnis eſt afflictio.* Mens enim ad Deum aſſurgere non poteſt ſine lucta cum ſenſibus, & corporis deſatigatione. 3. demum quod actus ille ſit per ſe & ex naturâ ſuâ alicujus rei petitorius. Homo enim cum orat, mendicus eſt Dei, ait Auguſtinus: petitio autem mendici præcisè ſumpta, non tendit ad exhibendum diviti honorem, impendendamve ei ſatisfactionem, ſed ſolum ad impetrandum id quod ab eo poſtulatur. His præmiſſis.

Probatur prima pars Concluſionis. Ille actus eſt meritorius, qui habet conditiones omnes ad meritum ſive de condigno, ſive de congruo requiſitas: atqui talis eſt oratio legitimè facta. Ad actum enim meritorium de condigno, requiritur & ſufficit ut ſit bonus, ſupernaturalis & liber, ab homine juſto & in ſtatu viæ elicitus, ac denique ut ei promiſſa ſit merces: ad meritum vero de congruo requiritur actus bonus, liber, ſupernaturalis, & ab homine viatore procedens, ut fuſius expendemus in Tract. de actibus humanis. Atqui oratio legitimè facta, eas omnes conditiones habet, ſi fiat ab homine juſto, & ſaltem quatuor poſteriores; ſi fiat à peccatore. Dixi, *ſaltem quatuor poſteriores:* quia orationi legitimæ, etiam peccatoris, facta videtur rei petitæ promiſſio his Chriſti verbis apud Matth. 7. *Petite & accipietis*; & iterum, *Omnis qui petit accipit*: aliunde certum eſt meritum de congruo non ſemper excludere promiſſionem Dei; Deus enim apud Ezech. 18. veniam promittit peccatori pœnitenti; peccator autem non meretur de condigno. Unde S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 16. ad 2. ſimpliciter docet quod quamvis *oratio* peccatoris *non ſit* ſtrictè *meritoria, poteſt tamen eſſe impetrativa, quia meritum innititur juſtitiæ, & impetratio innititur gratiæ.* Et certè, ut optimè notat Suarez hic cap. 25. promiſſiones Chriſti generales limitari non debent, ubi nec verba cogunt, nec materia: porrò nihil cogit ad excludendos à promiſſionibus Chriſti peccatores; imo miſericordia Dei ſine tali limitatione magis commendatur. Ergo.

Probatur ſecunda pars. 1. Quia ſatisfactio eſt ſubmiſſio perſonæ offendentis coram perſona offenſâ: atqui hæc ſubmiſſio reperitur in oratione hominis veniam à Deo per Chriſti merita ſuppliciter deprecantis, ergo hæc oratio vera eſt ſatisfactio.

2. Quia actus ex gratiâ procedens, pœnalis, & laborioſus, cui promiſſa eſt pœnæ remiſſio, verè eſt ſatisfactorius: atqui oratio facta ut fieri debet, procedit ex gratiâ; pœnalis eſt, ut docet experientia, & citatus Eccleſ. textus; aliunde promiſſa eſt ei pœnæ remiſſio. Hæc enim non huic vel illi operi bono promiſſa eſt, ſed generaliter omni operi ſupernaturali & pœnali, qualis eſt potiſſimum *oratio cum jejunio & eleemoſyna*, ut ex cap. 12. Tobiæ colligunt Theologi in Tract. de Pœnitentiâ, & docet Tridentinum Seſſ. 14. can. 13. his verbis: *Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnam temporalem minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri.... jejuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus.... anathema ſit.*

Probatur tertia pars, nempe quod oratio facta cum debitis conditionibus ſit infallibiliter impetratoria. Ad cujus intelligentiam notandum eſt cum Suare tom. 2. Lib. 1. cap. 23. orationem ex propria ſua & ſpeciali conditione habere quod ſit apta ad impetrandum. Petitio enim id habet ex natura ſua, ut animum alterius inducat ad id nobis dandū quod petimus, non quia illud emimus, aut meremur, ſed ſolum quia illud rogamus, & quia convenit liberalitati illius quem rogamus, ut poſtulata nobis largiatur. Atque hinc eſt quod licet jejunium & eleemoſyna à Sanctis dicantur orationis alæ, ſola tamen oratio per ſe eſt impetratoria; & eo nomine diſtinguitur ab aliis virtutibus quibuſcum id commune habet quod mereatur & ſatisfaciat. Itaque, ut oratio ſit certo & infallibiliter impetratoria, ſatis eſt ut Deus promiſerit ſe eam, cum legitimè fiet, eſſe exauditurum; nam *fidelis eſt Deus, ſeipſum negare non poteſt*, 2. Timot. 2. Atqui Deus id frequenter promiſit in Scripturis. Pſalm. 49. *Invoca me in die tribulationis, & eruam te.* Joan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ergo fide certum eſt orationem legitimè factam infallibiliter habere effectum. Unde S. Auguſt. in hæc Pſalm. 65. verba, *Benedictus Deus qui non amovit orationem meam &, miſericordiam ſuam a me*, ſic habet: *Securi de pollicitatione ipſius, non deficiamus orando... cum videris non a te amotam deprecationem tuam, ſecurus eſto, quia non eſt à te amota miſericordia ejus.*

Quæres, an tres iſti orationis effectus à ſe ſe invicem aliquando ſeparentur.

Reſp. affirmat. cum Valentia diſp. 6. q. 2. punct. 4. Sylvio q. 83. art 15. & aliis Theologis. Aliquando enim oratio impetratoria eſt, non tamen meritoria, aut ſatisfactoria, ut oratio Sanctorum pro nobis; quia non procedit à gratia viæ. Aliquando impetratoria eſt, & ſatisfactoria, non tamen meritoria ſtrictè, ſive de condigno, ut oratio pœnitentis nondum juſtificati, quæ non ſolum impetrat, ſed etiam juxta Scotum cum ſuis & alios multos, ſatisfacit. Aliquando meritoria eſt, non tamen impetratoria, ut cum juſtus pro ſe petit id quod non ei expedit ut aſſequatur: quomodo Apoſtol. 2. Corinth. 12. petens à ſe auferri ſtimulum carnis, hoc non impetravit, & tamen ejus oratio, utpote ab homine juſto per gratiam operante procedens, fuit opus æternæ vitæ meritorium. Aliquando demum oratio unum impetrat, & aliud meretur: ſic juſtus qui per orationem bonum aliquod temporale obtinet, non tam illud meretur, quam impetrat; ſed verè meretur vitam æternam, quæ cujuſcunque boni operis ſupernaturalis præmium eſt & merces: è contra qui vitam æternam aliis poſtulat, eandem impetrare poteſt, non condignè mereri; ſi verò eam ſibi petat, illam meretur & impetrat, ſed dandam ſuo tempore, ſi in gratia perſeveret.

Ex dictis colligere eſt, promiſſionem de exaudiendis hominum orationibus à Deo factam, non eſſe abſolutam, ſed pendere à certis conditionibus quæ ſi deſint, oratio infallibilem effectum non habet. Hinc verba hæc Chriſti, *Omnis qui petit accipit*, quæ abſoluta videntur, in aliis Scripturæ locis reſtricta ſunt, ut Jac. 4. *Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis* & 1. Joan. 5. *Quodcunque petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos.* Supereſt igitur ut eas conditiones declaremus, quapropter ſit

CON-

CONCLUSIO SECUNDA.

Ut oratio infallibiliter ſit impetratoria, quatuor requiri ſolent: ſcilicet ut quis pro ſe petat, neceſſaria vel conducentia ad ſalutem, pie & perſeveranter. Ita S. Thomas hic art. 15. ad 2. Vide & art. 7. ad 2.

Explicantur ſimul & probantur eæ conditiones. Prima quæ plus paritur difficultatis, eſt ut quis pro ſe oret, eamque diſertè tradit Auguſtinus Tract. 102. in Joan. *Exaudiuntur*, inquit, *omnes Sancti pro ſe ipſis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis ſuis, vel quibuſlibet aliis: quia non utcumque dictum eſt, dabit, ſed dabit vobis.* Expreſſa quidem eſt authoritas S. Doctoris. ſed infirma eſt ratio quâ nititur, ut notat Sylvius art. 15. & Suarez cap. 27. Non enim illud ſolum nobis datur, cujus effectum in propriâ perſonâ conſequimur, ſed etiam quod datur in gratiam noſtri, unde Angelus Act. 27. dixit Paulo: *Donavit tibi Dus omnes qui navigant tecum.*

Alia ejuſdem doctrinæ ratio afferri ſolet, nempe quod ii pro quibus oramus, ſæpe non ſint idonei ad accipiendum id quod pro ipſis exoramus, quia ſordeſcunt in peccatis, & gratia Dei indignos ſe reddunt. Unde S. Chryſoſtom. Homil. de progreſſu Evang. eos carpit divites qui eleemoſynis preces pauperum ſibi concilrant, & interim ipſi orare negligunt. In eundem finem adducunt aliqui hæc Chriſti apud Matth. cap. 10. verba: *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite, Pax huic domui: & ſiquidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam; ſi autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos.*

Hæc tamen ratio non omnino convincit. Ex ea enim ſequeretur orationem uniuſcujuſque pro ſe non eſſe infallibiliter impetratoriam; qui enim pro ſe petit, non eſt ſemper idoneus ad recipiendum. Sicut ergo oratio pro ſe facta dicitur infallibilem habere effectum, tametſi ſubintelligitur hæc conditio, niſi qui orat, impedimentum ponat; ita Idem dici poſſet de oratione pro aliis Deum fuſâ.

Confirm. 1. quia facta videtur promiſſio de exaudiendis orationibus in gratiam proximi factis. *Hæc eſt*, ait S. Joan. Epiſt. 1. cap. 5. v. 14 *hæc eſt fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos.* Atqui quando pro fratribus noſtris oramus, maximè petimus ſecundum voluntatem Dei; hoc enim præcipuè commendant Scripturæ ut pro aliis oremus Sic Jacobi 5. *Orate pro invicem ut ſalvemini, multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Et 1. ad Timoth. 2. *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes... pro omnibus hominibus.* Ergo cum Deus in promiſſis ſuis verax ſit, & neminem fallat, certum videtur orationes pro aliis factas, ſi obicem non ponant, certo eſſe exaudiendas.

Confirmatur 2. quia S. Joannes citato loco non obſcurè tradit certum eſſe effectum orationis quam pro fratribus noſtris fundimus. *Qui ſcit*, verba ſunt dilecti Diſcipuli, *fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem petat, & dabitur ei vita ejus* Ergo, &c.

Neque verò iis etiam neganda eſt oratio qui effectibus ejus obicem ponunt; cum Deus cujus natura bonitas eſt, multa concedat quæ non promiſit. Aliunde docet experientia, utiliter orari pro converſione peccatorum etiam impœnitentium: ſic Eccleſiæ donavit Deus & Saulum precibus S. Stephani, & Auguſtinum lacrymis S. Monicæ.

Secunda legitimæ orationis conditio eſt ut ſit de re quæ ad ſalutem ordinetur, adeoque de re bonâ & quæ majus bonum non impediat: nam ex S. Joanne, *quodcumque petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos.* Atqui ex S. Paulo 1. Theſſal. 4 *hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio noſtra.*

Hine non modo non exaudiretur, ſed Deo injuriam faceret oratio quâ mali quidpiam peteretur; & talis petitio, licet eſſet rei non niſi venialiter malæ, eſſet peccatum mortale, ſicut & omne perjurium aſſertorium in materiâ etiam levi: quia non minorem, imo majorem Deo injuriam irrogat, qui eum putat peccati etiam leviſſimi authorem eſſe poſſe, quam qui eum in mendacii etiam levis teſtem invocat. Ita Suarez cap. 23. n. 4.

Quærit idem Theologus ibidem, qoid dicendum de oratione illius qui à Deo peteret rem indifferentem; id eſt nec turpem nec honeſtam, & ſine ulla ad debitum finem relatione; puta ſi quis dum ludit, petat à Deo lucrum, ex ſolo lucri intuitu.

Reſpondet autem petitionem hanc defectu legitimi finis eſſe peccatum. Idem docet S. Aug. in Pſal. 85. *Si invocas*, inquit, *ut veniat ad te pecunia* v. g. ex ludo, *Deum tibi adjutorem ponis cupiditatum, non exauditorem deſideriorum.* An autem peccatum illud mortale ſit, definire non audet Suarez, quem vide ubi ſupra n. 5.

Neque verò ſufficit ut res quæ petitur bona ſit, ſed etiam oportet ut boni majoris non ſit impeditiva: bonum enim eſt liberari á ſtimulo carnis; neque id tamen obtinuit Apoſtolus, quia periculum fuiſſet ne revelationum magnitudine extolleretur.

Tertia conditio eſt ut oratio pie fiat, ad quod duo poni debent, & duo excludi.

1. itaque neceſſaria eſt fides ex quâ procedat oratio. Ita Chriſtus Dominus Matth. 21. *Omnia quæcumque petieritis in oratione Credentes, accipietis.* Ibidem, *Si habueritis fidem, & non hæſitaveritis* Jacobi 1. *Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans.* Et Rom. 10. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Et verò promiſſio orationi facta, per ſe primò ordinatur ad aſſecutionem vitæ æternæ, juxta id Matth. 6. v. 33. *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus.* Atqui fides fundamentum eſt ſalutis: ergo oratio ut ſit efficax, fidei inniti debet.

Quæres, an requiratur fides ipſius promiſſionis á Deo factæ circa orationis efficaciam.

Reſp. 1. non requiri fidem qua quis certò credat ſe id obtenturum eſſe quod petit: orabat enim Apoſtolus ex fide, ut auferretur ſibi ſtimulus carnis: atqui tamen certus non erat ſe id obtenturum eſſe quod deprecabatur; cum potius contrarium ei revelatum fuerit. Adde quod promiſſio Dei certis alligata ſit conditionibus, de quarum præſentiâ homo non niſi per revelationem certus eſſe poteſt.

Reſp. 2. cum Suare habenti ſufficientem promiſſionis notitiam, requiri fidem ejus. Tum quia hoc indicant verba hæc Chriſti apud Marcum cap. 11. v. 24. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis.* Tum quia quiſque credere tenetur Deum veracem eſſe ſuiſque in promiſſis fidelem. Idiotis verò qui promiſſionem hanc diſtinctè non didicerunt, ſatis eſſe videtur, ſi firmiter credant Deum ita potentem eſſe, ut quod petitur conferre valeat? ita miſericordem, ut idipſum largiri velit, ſi ad noſtram ſalutem expediat, & obicem noo ponamus.

2. Neceſſaria eſt ſpes firma, ſeu fiducia quæ impellit

pellitur ad opus, efficitque ſi ſit vehemens, ut cùm affectu magno & efficacitate poſtulemus; cùm econtra fiduciæ defectus io cauſa ſit cur hæteamus, & obſtet oe progrediamur. *Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus*, Hebr. 4. Sequamur exemplum Abrahæ, qui *contra ſpem in ſpem credidit..... & non infirmatus eſt fide.... in repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentiâ*, Rom. 4.

3. Ex conſeqoenti abeſſe debet diffidentia & hæſitatio; *qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris quià vento movetur & circumfertur: non ergo æſtimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino*, Jac. 1. v. 6. & 7.

4. Nec minùs cavenda eſt præſomptio quàm diffidentia. *Reſpexit Deus in orationem humilium, & non ſprevit preces eorum*, Pſal. 101. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit*, Eccli. 35. 21. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*, Jacob. 4. Hinc Daniel cap. 9. *Neque enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.* Eâ de cauſâ rejecta eſt oratio Pharitæi, & aliorum *qui in ſe confidebant tanquam juſti*, Luc. 18.

Quarta conditio ad hoc requiſita ut oratio exaudiatur, eſt perſeverantia. Exaudit quidem oos aliquando Deus ſtarim ac peteré incœpimus: ſic Daniel cap. 9. v. 21. cùm necdum orationem compleviſſet, ſed *ab exordio precum* ſuarum, exauditus eſt; neqoe id mirum, cùm ſæpè etiam non orantes præveoiat Deus in benedictionibus ſuis: at ſæpius contingit ut obtineat perſeverantia, quod prima petitio noo obtinuit. Hinc illud Chriſti, *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*; quod confirmat Salvator duplici exemplo, viduæ ſcilicet, quæ per importunas preces vicit tandem & fregit duritiam iniqui Judicis; & hominis, qui ab alio repulſam paſſus, propter improbitatem, id eſt ſuam in petendo perſeverantiam obtinuit panes quotquot habebat neceſſarios: unde illud Auguſtini Tract. 73. in Joan. *Quadam, quamvis in nomine ejus petamus, non tunc quando petimus facit Deus, ſed tamen facit: differtur enim quando petimus, non negatur. Veruntamen orantes tanquam ſeminantes non deficimus; tempore enim ſuo metemus.*

Cur autem perſeverantiam in orationibus noſtris exigat Deus, eæ à SS. Patribus rationes afferri ſolent. 1. Ut doni quod poſtulamus capaciores efficimur, atque ut illud ardentiùs deſideremus, avidiùs proſequamur, pluris æſtimemus, & ſollicitiùs
Luc. 18. conſervare coitamur. Ita S. Auguſt. Serm. 61. de verbis Domini. "Servat tibi Deus, *inquit*, quod non „vult citò dare, ut & tu diſcas magna magnè deſiderare. *Et iterum*: Cùm aliquando tardiùs dat, „commendat dona, non negat. Diu deſiderata „dulciùs obtinentur, citò autem data vileſcunt." Et verò veniæ obtinendæ facilitas, quædam eſt peccandi occaſio; difficultas verò & labor, hominem efficiunt c:otiorem.

2. Ut per propriæ indigeotiæ & ioſirmitatis experientiam in humilitate contineamur. "Quid eſt, „*ait S. Bernardus Serm. 4. in Pſalmum* 90. quod „inceſſanter orantes & ſupplicantes non poſſumus „ad eam quam deſideramus gratiæ abundantiam „p-rvenire? Putatis quia avarus aut inops factus eſt „Deus, impotens aut inexorabilis? Abſit hoc, prorſ:s abſit, ſed ipſe cognovit figmentum noſtrum;" quod ita miſerum eſt & infirmum, ut ſuperbiæ vermis in nobis facilè generetur, cùm potimur optatis.

3. Ut Deus nos ſibi magis devinciat; quia, ut loquitur S. Chryſoſt. "Oratio cum eo colloqui aſ„ſuefacit, & ad ſapientiæ ſtodium nos dedocit: ſi „enim qui cum magno aliquo viro multùm verſa„tur, ex ejus conſuetudioe maximum fructum per„cipit, quantò magis qui cum Deo perpetuam ha„bet conſuetudinem.

Quæres quamdiu perſeverare debeat oraoo, ut infallibiliter impetret.

Reſp. 1. Id neque ex Setipturâ, neque ex Patribus definiri poſſe: nec noſtrum *eſt noſſe tempora* Act. 1,
vel momenta quæ Pater poſuit in ſuâ poteſtate. Satis v. 7.
eſt ut noverimus ſemper orandum eſſe, nec unquam deficiendum.

Reſp. 2. Id ex iis quæ petuntur utcumque judicandum eſſe. Vel eoim temporalia petimus; vel ea quæ ad ſalutem conducunt, ut ſunt tentationum victoria, præceptorum adimpletio, magnum & inſigne perſeverantiæ donum. Si primum, cum Deus poſtulatis annuit, puta cùm reddidit amici vitam cui timebamus, oratio in gratiarum actiooem convertenda eſt. Si econtra id amiſerimus quod nobis ſervari eoixè precabamur, imitandus eſt mm David, qui poſt auditam filii mortem, mutatâ veſte lugubri, & facie lotâ, ingreſſus eſt templum Domini ut adoraret; tum ille hominum infeliciſſimus ſimul & patientiſſimus, qoi crudeliſſima quæque ſuorum fata ſingulis momentis accipiens, in has piè
voces erupit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſi-* Job. 1. v. 21
cut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Si ſecundum, id eſt, ſi ea poſtulamus quæ ad ſalutem conducunt, orationi perpetuò inſtandum eſt, non ſolùm donec optata cooſequamur, ſed etiam poſtquam ea conſecuti fuerimus: Amalec enim adverſarius ooſter ſemper ſtat in acie, vincitque ſi manus extendere ceſſemus. Id ergo faciendum, cujus exemplum præbet Pſaltes his ver-
bis: *Perſequar inimicos meos, & non convertar,* ſeu Pſ. 17.
non deſinam perſequi, *donec deficiant.* Cùmque in v. 4.
hâc vitâ non deficiant unquam, ſed ad extremum uſque vitæ halitum perpetuò nobis ioſidientur, omni operum ſanctorum genere inſequendi ſuot, vigilantiâ potiſſimum & oratione.

Hæc de orationis conditionibus prolixiùs dixiſſe non piget, quia *verè novit rectè vivere, qui rectè novit orare.* Ita vetus Author apud Auguſt. Serm. 15. in Appendice.

ARTICULUS QUARTUS.

An Deus & quidem ſolus debeat orari.

QUæſtionem hanc paucis perſtringemus, quia de Sanctorum invocatiooe, quæ præcipuam hic difficultatem movet, diſſeruit doctiſſ. D. Tourniely, quem continuamus, io Tractatu de Incarn. p. 788. Generalia ergo fidei noſtræ principia evolviſſe ſufficiet; unde

Dico 1. Solus Deus orari debet, tanquam Author & principalis cauſa bonorum omnium, gratiæ præſertim & gloriæ, quæ imprimis per orationem petuntur.

Prob. Tum quia ſolus Deus *gratiam & gloriam* dat, ex Pſalmo 83. tum quia ſolus ipſe eſt bonorum omnium author, oulluſque eſt ſive in cœlo, ſive in terrâ, qui ab alio quàm ab ipſo boni aliquid habere poſſit.

Dico 2. Soli Deo ea impendi debet oratio, quæ cultum latriæ continet: ſic enim alium præter Deum orare, manifeſta eſſet idololatria.

Quæ de Deo diximus, ad Chriſtum, ut Deum, extendenda ſunt, juxta id Hebr. 1. verſ. 5. *Adorent eum omnes Angeli ejus.* Et Philipp. 2. v. 10.

In

In nomine Jeſu, omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Si autem adorari poteſt Deus-homo, poteſt & orari. Vide Tournely ubi ſupra pag. 785.

Dico 3. Licitum eſt ab hominibus quamdiu vivunt, auxilium interceſſionis orare, ſeque eorum precibus commendare. Id expreſsè docet Apoſt. 1. ad Theſſal. 5. *Fratres orate pro nobis.* Et 2. ad Theſſal. 3. *De cætero fratres orate pro nobis, ut ſermo Dei currat & clarificetur.* Baruch. 1. v. 13. Judæi qui erant captivi in Babylone, eos qui Hieroſolymis erant ſic deprecantur: *Pro nobis ipſis orate ad Dominum Deum noſtrum, quia peccavimus Domino.*

Dico 4. Rectè omnino & utiliter invocantur Sancti qui cum Christo in cœlis regnant. Ita Catholici omnes contra Vigilantium, Petrum de Bruys, Hæreticos qui dicti ſunt Apoſtolici, Pauperes de Lugduno, Wicleſum, Lutherum, Calvinum, & alios ejuſdem farinæ novatores.

Reſponſio hæc ſequitur ex præcedente. Si enim licitum ſit ad Sanctos, dum in terris nobiſcum infirmitatibus circumdati verſantur, confugere, ut ad Deum pro nobis intercedant; quantò magis ad eorum opem confugere licitum eſt, qui jam à mortalitatis vinculis ſoluti, teneriori nos charitate complectuntur, pluſque ad Deum favoris habent & gratiæ? Quod enim ait Calvinus, Sanctos non habere aures tam longas ut nos precantes audiant; frigidum eſt, puerile, & homine ſenſato prorsùs indignum. Quaſi verò deſint Deo media quibus preces noſtras Sanctis manifeſtet, ſive ad hoc Angelorum miniſterio utatur, ſive vota noſtra Sanctis conſpicienda præbeat, vel in eſſentiâ ſuâ, vel immediatâ revelatione. Certè qui Prophetis res longè diſſitas aperire potuit, mirum eſt ſi ſervorum ſuorum gemitus Beatis aperire nequeat. De his plura videris loco citato.

Quæres 1. an extet præceptum aliquod interpellandi Sanctos, ut orent pro nobis.

Reſpondet affirmat. Sylvius quæſt. 83. a. 4. Quia, inquit, lege naturali tenemur eum ordinem obſervare quem Deus inſtituit: atqui conſtituit Deus, ut inferiores ad ſalutem perveniant; implorato ſuperiorum ſubſidio; ergo.

Quæres 2. an juſtos in Purgatorio conſtitutos orare liceat.

Reſpondent non pauci id vanum eſſe & otioſum. 1. quia nondum fruuntur viſione Verbi, ut poſſint preces noſtras, & cogitationes cognoſcere.

2. Quia non ſunt in ſtatu orandi, ſed magis ut oretur pro eis, ait S. Thomas hic art. 11. ad 3. Sicut ergo qui in carcere pro debitis detinentur, etſi Principis gratiâ non exciderint, non ſatis ad Principem habent acceſſus, ut pro aliis intercedere auſint, ſic à pari.

3. In Miſſa defunctorum nulla pro vivis collecta dici poteſt, ut ſignificetur, ait Durandus in Rationali div. offic. Lib. 4. cap. 15. vivos à mortuis juvari non poſſe.

4. Animæ illæ nec mereri poſſunt, utpote quæ ſint extra ſtatum merendi; nec impetrare, qui enim pro ſe impetrare non poteſt, multo minus id poterit pro aliis. Ita ſentiunt Salmanticenſes Tract. 21. cap. 9. punct. 3. n. 24. & alii apud ipſos.

Contrariam opinionem tenent Bellarmin. Lib. 2. de Purgat. cap. 15. Leſſius Lib. 2. cap. 37. dub. 5. Layman, Medina, Palaus, Bonavina, Sylvius, Henricus à S. Ignatio, & alii plures.

1. Quia refert D. Gregorius Lib. 4. Dial. cap. 40. animas Paſchaſii & Severini adhuc in Purgatorio commorantes, miracula in terris edidiſſe: atqui hoc probabiliter ſuadet eaſdem Fidelium precibus motas, divinum ipſis auxilium impetraſſe.

2. Quia piè credi poteſt animas *purgantes*, ut ajunt, pro iis orare qui pro ipſis orant; hoc enim mutuæ charitatis commercium, valdè conveniens eſt, nedum repugnet: atqui animæ quæ pro viventibus orant, à vivis implorari poſſunt.

3. Ideo cenſent adverſarii animas illas pro nobis orare non poſſe, quia orationum noſtrarum notitiam non habent: atqui dici optimè poteſt orationes viventium illis manifeſtari ſive per Angelos ſuos cuſtodes, ſive per noſtros; hoc enim angelicæ cuſtodiæ conſentaneum eſt. Adde quòd etſi noſtras orationes non haberent compertas, ſufficeret ut Deus vel Angeli qui eas cognoſcunt, animas illas moverent ad orandum pro nobis; quomodo fortè movebatur Jeremias needum viſione beatificâ fruens, ſed degens in lymbis ad orandum pro populo ſuo, juxta id Machab. 2. cap. 17. *Hic eſt qui multùm orat pro populo, & univerſâ ſanctâ civitate, Jeremias Propheta Dei.* Et vero an non poſſunt ſaltem generatim orare pro Eccleſiâ militante, pro amicis ſuis ſi adhuc ſint in viâ, pro iis quorum ſuffragiis juvantur? &c.

4. Quia haud magni momenti ſunt rationes pro opinione contrariâ adductæ.

Ad primam enim dici poteſt animas purgantes ea quibus indigemus aliâ quàm viſionis intuitivæ viâ cognoſcere; imò neque neceſſaria eſt hæc cognitio, ut ſtatim diximus: unde Sancti adhuc invocandi eſſent, etiamſi orationes noſtras neſcirent, ut docent Eckius, Bellarminus, & alii.

Ad ſecundam, ſanctæ illæ animæ in eo quidem ſunt ſtatu, in quo precibus noſtris juvari indigent, ſed non ideo non poſſunt orare pro nobis, ſicut viventes pro viventibus orant, etſi alii ab aliis juvari indigeant. Verum quidem eſt eas à Deo miris modis puniri, ſed non ut ab inimico, benè verò ut à ſponſo, qui vel leviores in ſponſis ſuis maculas ſufferre non valens, eaſdem ad ſui amplexum vocat, *ſic tamen quaſi per ignem.* Dolor verò quo inde afficiuntur, neque in ipſis rationem & judicium perturbat, nec efficit ut quæ patiuntur tormenta, à nobis avertere non curent.

Ad tertiam, aliena eſt & detorta Durandi ratio. Meliùs dixeris ideo in Miſſis quæ pro defunctis celebrantur, nullam fieri vivorum mentionem, tum ut defuncti pro quibus unicè oratur, adjuventur efficacius; tum ut ſola mortuorum commemoratio, fortiùs ac vividiùs meditationem mortis nobis inculcet.

Ad quartam, ſicut Beati, licet jam non poſſint mereri, à nobis utiliter invocantur; ſic à pari & animæ illæ nobis prodeſſe poſſunt, ſi non per viam meriti, at certè per viam ſimplicis impetrationis fundatæ in mutuâ ipſas inter & Deum amicitiâ. Speciali quidem decreto ſanxit Deus, ut animæ illæ pro ſe nihil impetrent, quia ſanxit ut rigidè ſatisfaciant, niſi juventur à nobis; at non legitur decreviſſe ut nihil pro viventibus impetrent.

Quod ſpectat ad D. Thomam dici poteſt cum Sylvio & aliis, S. Doctorem non negare quod poſſimus purgantes animas orare, ſed dicere tantùm quòd eas non oremus; quia ſcilicet non ſolemus eas orare, ſed potiùs pro ipſis, quod non nocet aſſertioni noſtræ.

An licitè invocari poſſit Elias Carmelitarum Parens, vide Carmelitas Salmanticenſes, Tract. 21. c. 9. punct. 3. §. 3. qui affirmativam omni probationum genere demonſtrant.

ARTICULUS V.

De ſubjecto orationis.

PEr ſubjectum orationis, ii intelliguntur, qui orare poſſunt. Videndum quinam ii ſint.

Quæres itaque 1. an Deus orare poſſit.

Reſp. Neg. quia oratio eſt indigentis ad non indigentem, adeoque ad ſuperiorem: atqui Deus nec cujuſcunquam rei eget, nec ſuperiorem habere ullum poteſt; ergo.

Dices 1. Ex Apoſt. ad Rom. cap. 8. *Spiritus* ſanctus *poſtulat* ſeu orat *pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Reſp. Cum S. Auguſt. Lib. 1. adverſus Maximinum, diſt. poſtulat, id eſt poſtulare facit; conc. poſtulat ratione ſui, & formaliter; neg. Non ergo gemit ipſe Spiritus ſanctus, ſed *adjuvat infirmitatem noſtram,* ut utiliter gemamus; & in eo, ſeu per eum clamemus *Abba Pater*, ut ibidem dicit Apoſtolus.

Dices 2. Exodi 32. orat Deus Moyſen his verbis: *Dimitte me ut iraſcatur furor meus*: ergo Deus orare poteſt.

Reſp. Deum hic loqui humano more, ut oſtendat quantum apud ſe valeant ſervorum ſuorum preces. Certè enim ſi voluiſſet, non oraſſet Moyſes, aut etiam eo orante Iſraelitas perdidiſſet, quia *nemo voluntati ejus reſiſtere poteſt*, Job. 9.

Chriſtum de facto orare & interpellare pro nobis, docent Theologi ubi de Incarnatione.

Quæres 2. an homo orare poſſit in omni ſtatu.

Reſp. Duplex eſt ſtatus: alter hujus vitæ, alter futuræ; & hic triplex, Beatorum, Damnatorum & Purgantium.

Certum eſt 1. Beatos orare poſſe, tum pro nobis, tum pro beatitudine corporis ſui; quod utique faciont ſine moleſtiâ & anxietate: non orant autem pro retinendâ in perpetuum beatitudine, cùm certò ſciant futurum non eſſe unquam ut ab eâ excidant. Vide Suarem cap. 11. num. eod.

Certum eſt 2. Damnatos veræ & propriè dictæ orationis incapaces eſſe; tum quia non poſſunt pios habere motus, cùm omni gratiâ careant; tum quia nimis noverunt æternum ſibi eſſe cœlum, ſeque nihil ſalutare orationibus ſuis conſequi poſſe. Poſſunt tamen dæmones & damnati aliquid petere vel

Job.1. à Deo, vel à Sanctis. Sic petivit dæmon ut ſibi licitum eſſet tentare Job; ſic dives epulo flammis cruciatus guttam aquæ petit ab Abrahamo: at eæ petiones orationis nomen non merentur, cum nec ad cultum religioſum pertineant, nec ex pio affectu procedant, ut jam dictum eſt.

Certum 3. Videtur multis, animas in purgatoriis ignibus languentes orare poſſe, tum pro nobis, de quo ſupra, tum pro ſeipſis; ſunt enim juſtæ, multiſque indigent bonis, quæ ex pio affectu petere poſſunt. Aliunde verò licet jam non ſint in ſtatu merendi, poſſunt tamen impetrare; neque enim ad impetrationem requiritur ſtatus viæ, ut patet in Sanctis, qui multa pro nobis impetrant: hoc autem à Deo petere poſſunt, ut eam nobis charitatem tribuat, quâ pro ipſis oremus, & ſatisfaciamus. Vide Suarem ſup. n. 12. Salmantic. n. 27.

Certum eſt 4. Juſtos orare poſſe & debere. 1. quia ad eos ſicut ad cæteros homines diriguntur verba Chriſti, ex quibus orationis neceſſitatem ſupra probavimus. 2. quia ii etiam qui ſtant, videre debent ne cadant; & omni ope atque operâ eniti, ut ſingulare perſeverantiæ donum conſequantur. Quæſtio præcipua volvitur de peccatoribus & impiis. Inter 101. propoſitiones ex Libro Reflexionum moralium extractas, extat hæc n. 59. *Oratio impiorum novum eſt peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.* Hæc propoſitio ut ſonat uſque adeo mala eſt, ut Epiſcopus Virdunenſis Hyppolitus de Bethune, etſi ex eorum numero qui ad futurum Concilium appellavêre, eandem *peſſimam* eſſe declaraverit: & reipsâ prædicta propoſitio quæ doctrinalis eſt, æquivalet utpote indefinita propoſitioni univerſali. Quid verò pernicioſum magis fingi poteſt; quàm ea aſſertio quæ omnem indiſtinctè orationis ſpeciem à peccatore profectam peccatis annumerat. Sit itaque

CONCLUSIO.

Impii & peccatores ſæpiſſimè orant utiliter; nec proinde oratio impiorum novum eſt peccatum.

Prob. 1. ex Script. 2. Eſdr. c. 9. v. 26. & 27. *Provocaverunt te ad iracundiam.... feceruntque blaſphemias grandes.... & in tempore tribulationis clamaverunt ad te, & tu de cœlo exaudiſti.* Pſalm. 106. *Exacerbaverunt eloquia Dei, & conſilium Altiſſimi irritaverunt.... & clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberavit eos.* Ex quibus ſic. Ii de quibus loquuntur citati textus, benè & utiliter oraverunt, quandoquidem à Deo miſericorditer exauditi fuêre: atqui iidem in ſtatu habituali impietatis & injuſtitiæ maximæ erant, eo etiam tempore quo orabant ad Deum. Ex eo enim ſtatu tranſlati non fuerunt antequam à Deo exaudirentur: atqui ante quam exaudirentur, utiliter oraverant; priùs enim eſt orare, quàm exaudiri, quia priùs eſt eſſe, quàm eſſe tale; ergo.

Nec dicas eorum orationem piam fuiſſe: quis enim unquam negavit piam eſſe orationem quæ Dei gratiam allicit? ſed oratio hæc tametſi pia ratione actûs, erat tamen impiorum, qui necdum ab impietatis & peccati ſtatu revixerant. Sic peccata venialia in quæ decidunt juſti, etſi ratione ſui mala ſint, ſunt tamen hominis quoad habitum juſti opera.

Probatur 2. Ex Patribus. Origines Homil. 5. in Iſai. "Etſi, *ait*, peccatores eſtis, orate Dominum.
„Peccatores exaudit Deus. Quòd ſi timetis illud
„quod in Evangelio dicitur: Scimus quia peccato-
„res non exaudit Deus; nolite pertimeſcere, nolite
„credere: cæcus erat qui hoc dixit."

Auguſtin. Serm. 135. aliàs 43. inter Homil. 50. cap. 5. num. 6. "Ait *cæcus* cui oculi aperti ſunt:
„*Scimus quia peccatores Deus non exaudit..* Date
„mihi qui roget, ecce eſt qui exaudiat.. Qui dixit,
„Propitius eſto mihi peccatori, verum dixit, an
„falſum? Si verum dixit, peccator erat, & *tamen*
„exauditus eſt, & juſtificatus eſt... lava interiorem
„faciem tuam, & videbis quia peccatores Deus ex-
„audit; fefellit te imaginatio cordis tui.

Magiſtro ſuo concinit Angelus Scholæ hic q. 83. art. 16. "Dicendum, *inquit*, quòd in peccatore duo
„ſunt conſideranda; ſcilicet natura quam diligit
„Deus, & culpa quam odit. Si ergo peccator oran-
„do aliquid petit, in quantum peccator, id eſt ſe-
„cundum deſiderium peccati, in hoc à Deo non
„exauditur ex miſericordiâ, ſed quandoque auditur
„ad vindictam. Orationem verò peccatoris ex bo-
„no naturæ deſiderio procedentem Deus audit,
„non quaſi ex juſtitiâ, quia hoc peccator non mere-
„tur, ſed ex purâ miſericordiâ.

Probatur 3. Impiis quibuslibet præceptum eſt ut orent, & dicant, *De neceſſitatibus meis erue me.* Sed

qood

Probatur 3. Impiis quibuslibet præceptum eſt ut orent, & dicant, *De neceſſitatis meis erue me.* Sed quod impiis præceptum eſt, peccatum eſſe non poteſt: & ſi oratio impiis in peccatum verteretur, tenerentur ab omni oratione, omnibuſque orandi occaſionibus, ac proinde à Templis, à Miſſæ ſacrificio abſtinere. Ergo.

Objicies 1. cum authore Hexaplorum. Proverb. 28. v. 9. *Qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Ibid. cap. 15. v. 8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino.* Pſal. 65. v. 18. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus, &c.* Ergo impia eſt quælibet impii deprecatio.

Reſp. diſt. cum S. Thoma. Impia eſt deprecatio impii, ſi fiat ab eo ſecundùm deſiderium peccati, conc. ſi fiat ab eo in ordine ad converſationem, nego. Itaque fatentur omnes, non exaudiri, ſed econtra procul rejici orationes quas quis ad complementum peccati facit, & contra rationem ſalutis. Sic non exauditur avarus, qui divitiarum copiam ingentem petit; ſicut nec impudicus, qui voluptatis conſecutionem à Deo requirit, aliique omnes qui ex affectu peccati, aut ſine devotione, ſed ex labiis tantùm Deum honorant. De hâc oratione loquuntur citati textus. *Hoſtiæ impiorum abominabiles,* ait Salomon Prov. 21. *quia efferuntur ex ſcelere*: ergo non abominabiles forent, ſi ex alio proficiſcerentur principio; eas autem à pio motu mediante gratiâ manare poſſe, indicant mox allatæ probationes.

Quod ſpectat ad hæc verba, *Scimus quia Deus peccatores non audit*, quæ imperitè à quibuſdam obtruduntur, dicendum cum S. Auguſt. Tract. 44. [Aug. l. 2. contra Parmen. cap. 8.] in Joan. ea eſſe verba cæci adhuc *inuncti*, & *nondum intùs illuminati*, nec in rebus divinis adhuc plenè inſtructi, ut poſt ſanctum Thomam docet Sylvius hic art. 16. Quamquam, ut addit idem Theologus, in hoc ſenſu verificari poſſint, quod non exaudiantur peccatores qui miracula petunt, ut eorum ope probent ſe bonos eſſe ac ſanctos.

Objicies 2. cum eodem authore authoritates Patrum. Sanctus Auguſtinus Pſalm. 108. ſic loquitur: *Oratio quæ non fit per Chriſtum, non ſolùm non poteſt delere peccatum, ſed etiam ipſa fit peccatum.* S. Hilarius in Pſalm. 54. *Ubi operatio iniquitatis extabit, illic deſpicitur oratio deprecantis.* S. Ambroſ. Lib. 2. de Caïn & Abel cap. 9. *Avertit ſe Deus à precibus impiorum.* Atqui oratio quæ deſpicitur, à quâ ſe Deus avertit, uno verbo quæ peccatum eſt, non eſt utilis, nec exauditur; ergo.

Reſp. Ad primum, concedo textum Auguſtini, & nego minorem, quam ſupponunt & non probant adverſarii, nullam ſcilicet impiorum orationem fieri per Chriſtum. Contrarium ſupponit Auguſtinus objecto loco: *Si per Chriſtum oraret*, inquit, *indulgentiam rogaret, ſpem haberet*, &c. ſed *oratio ejus fiat in peccatum illi; quia non fit per Chriſtum quem noluit ſequi, ſed perſequi.* Non eſt autem mirum ſi oratio hominis qui Chriſtum vult perſequi, novum ſit peccatum.

Idem docet S. Leo Serm. 1. ſub finem. *Dominus in cruce fruſtrà non oravit dicens: Pater dimitte illis, quia neſciunt quod faciunt; quod remedium nec te Juda tranſiret, ſi ad eam pœnitentiam confugiſſes quæ te revocaret ad Chriſtum, non quæ inſtigaret ad laqueum.*

Ad ſecundum ſolutio eſt in textu. *Deſpiciuntur*, ait Hilarius, *orationes leves, diffidentes, inutiles, ſæculi curis anxiæ... ubi ergo operatio iniquitatis, &c.* Loquitur ergo S. Doctor de orationibus quæ leves ſunt, &c. quas deſpici debere fatemur omnes: at de iis orationibus non loquitur quas humiliter emittere poteſt impius, ut à Deo adjuvetur, & quas à Deo non deſpici certum eſt, cùm alioqui credenda eſſent è Litaniis verba hæc: *Peccatores te rogamus audi nos; ut nobis parcas; ut nobis indulgeas; ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, &c.*

Ad tertium reſp. 1. Aliud eſt quod avertat ſe Deus ab impiorum orationibus, ita ut iis petita non largiatur; aliud quòd orationes illæ reatum ſemper in peccantibus augeant, & nova ſint totidem peccata; quod in ſenſu obvio affirmat propoſitio damnata.

Reſp. 2. cum Bellarmino in Pſal. 108. cujus hæc ſunt verba: "Admonendi ſunt lectores, orationem „peccatoris, non ſemper eſſe peccatum; ſed ſæpè „multùm valere ad remiſſionem peccatorum, ut „intelligi poteſt ex oratione Publicani, *Lucæ* 18. „Tunc autem fieri in peccatum, & verè eſſe peccatum, cùm is qui orat, vel non orat quem debet „orare... vel non orat pro re bonâ... vel non orat „per unicum mediatorem qui eſt Chriſtus, ſed per „merita ſua quæ ſuperbè ſe habere præſumit; vel „denique non orat cum ſpe, aut fide, aut aliis neceſſariis bonæ orationis conditibus." Porrò de tali oratione loquebatur ſanctus Ambroſius, nempe de oratione Caïn, quæ ex animo maligno & in fratrem invidenti proficiſcebatur, quæque ſpe deſtituta erat, ut hæc indicant ejus verba, Geneſ. 4. v. 13. *Major eſt iniquitas mea quàm ut veniam merear.*

Quæres an authori Reflexionum moralium attribui poſſit quòd ſenſerit omnem impii orationem, novum eſſe peccatum: hæc enim excuſatio quò gravior eſt, eò timidè magis alteri eſt impingenda. Adde quòd variis in locis oſtendat peccatores nonnunquam utiliter orare.

Reſp. Non agi de ſecretâ Theologi hujus intentione, quæ ſoli Deo nota eſſe poteſt, ſed de ejus propoſitione, quæ præcisè ſumpta, ut jacet & ſonat, mala eſt & *peſſima*, ut ſuprà fatebatur Epiſcopus Virdunenſis. Addo, propoſitionem hanc, etiam univerſaliter ſumptam, nimiùm ſequi ex ejuſdem authoris principiis.

Prob. Oratio impii, vel naſcitur ex gratiâ, vel ex ſolis naturæ viribus: ſi ex gratiâ, tunc, juxta Quenellum, non eſt oratio peccatoris, ſed juſti; quia ex propoſitione 28. *prima gratia quam Deus concedit peccatori eſt peccatorum remiſſio.* Deinde oratio quæ eſt ex gratiâ, eo ipſo eſt ex fide, quia ex propoſitione 26. *nullæ dantur gratiæ niſi per fidem*; & ex propoſitione 27. *fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum*: ſed oratio quæ eſt ex fide, ſupponit juſtitiam; quia ex propoſitio 51. *fides juſtificat quando operatur, ſed ipſa operatur niſi per charitatem.* Quòd ſi oratio ex gratiâ & fide non oriatur, neceſſariò peccatum eſt; quia ex propoſitione 38. *peccator non eſt liber niſi ad malum ſine gratiâ Liberatoris*; & ex propoſitione 40. *ſine gratiâ nihil amare poſſumus niſi ad noſtram condemnationem.* Ergo.

Confirmatur ex propoſitione 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceſſe eſt ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.* Quæ propoſitio affinis eſt huic Joannis Hus decimæ-ſextæ, quam proſcripſit Concilium Conſtantienſe Seſſ. 15. *Si homo eſt vitioſus & agat quidquam, tunc agit vitioſè... quia peccatum mortale inficit univerſaliter actus hominis vitioſi.* [Tom 12. edit. Lab. p. 133.] Atqui in corde impii non ampliùs regnat amor

Dei; ergo neceſſe eſt ut in eo regnet carnalis cupiditas: jam verò carnalis cupiditas omnes actiones corrumpit;ergo & ipſam orationem,quam proinde in peccatum mutat.

Quod addunt authorem prædictum variis in locis docuiſſe utiles quandoque eſſe peccatorum orationes, imò & propoſitionem 59. ab eo reſtrictam fuiſſe & immutatam; hæc, inquam, tantùm oſtendunt 1. authorem ſibimetipſi contradixiſſe. 2. propoſitionem citatam ita eidem, vel potiùs iis qui Libri ejus editionem curaverunt, malam viſam fuiſſe, ut de eâ modificandâ cogitaverint.

ARTICULUS VI.

Quid orandum ſit.

NOt. 1. Bona duplicis eſſe generis: alia quibus abuti non poſſumus,ut charitas & virtutes infuſæ; alia quibus ut benè ſic & malè uti poſſumus, ut divitiæ, honores, &c

Not. 2. Bonum quodlibet duplici modo per orationem peti poſſe, abſolutè nimirum, & conditionatè.

Not. 3. Nonnullos fuiſſe qui docuerint nihil determinatè eſſe à Deo petendum, ſed omnia voluntati divinæ ſic eſſe remittenda, etiam circa beatitudinem & virtutes quibus ea comparatur, ut homo veluti paſſivè ſe habeat, & paratus ſit ſe accipere, ſi largiatur Deus, privari verò ſi denegét. Eâ de re legantur Conſtitutiones Innocentii XI. & Innocentii XII. contra Molinos, & Librum cui titulus, *Explication des Maximes des Saints.* Sit nunc

CONCLUSIO PRIMA.

Bona quibus abuti poſſumus non ſunt abſolutè petenda, ſed conditionatè tantùm.

Prob.Quia,ex hypotheſi,poſſumus iiſdem abuti: ſed bonum quo abuti poſſumus, abſolutè peti non debet; quia ſi obtineretur, fortè noceret ſaluti æternæ: multi enim petierunt divites & gloriâ circumdati, ut Saul, qui egeni non periiſſent. Ergo.

Quod de temporalibus bonis dictum eſt,de malis itidem temporalibus dictum intelligi debet, ut ægritudine & bonorum jacturâ, quæ ut ad ſalutem conducere, ſic & eidem nocere poſſunt. Docent autem Theologi, hominem hæc mala ut ſibi ſic & aliis petere poſſe, poſito nempè quòd iis ad animæ ſalutem prodeſſe valeant, juxta id Scripturæ,
Pſal 82. *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine.* Sed monent in hujuſmodi petitionibus cautè eſſe procedendum, ne oratio noſtra odii potiùs & invidiæ quàm charitatis proles ſit.

Objectiones. Dices 1. Licitum eſt petere abſolutè, illud quod licitum eſt poſſidere abſolutè: atqui licitum eſt bona prædicta poſſidere abſolutè; nec enim qui bonis temporalibus utitur ad actus etiam malos, peccat quia ea poſſidet, ſed quia ea malè impendit; ergo licitum eſt ea abſolutè petere.

Reſp. Neg.maj. *Poſſidere* enim bonum temporal. non eſt actus humanus, unde hæres etſi parvulus, *dominus eſt* boni ſui, ut docet Apoſtolus Galat. 4. at verò *petere*, actus eſt humanus,qui proinde,ne vitioſus ſit, ad bonum finem ordinari debet. Non ordinatur autem ad bonum finem, quod eidem fini nocere poteſt: huic porrò fini nocere poteſt temporale bonum; ergo ſic ſolùm peti poteſt, quatenus huic fini nociturum non ſit, quod eſt petere conditionatè. Ita Valentia, & poſt eum Sylvius hic art. 6. ubi addit quòd ſi poſſeſſio ſit aliquando actus humanus, ſit etiam actus malus,ſi ad debitum finem non referatur.

Dices 2. Fruſtra additur in oratione hæc conditio, *ſi bona hæc ſint profutura ad ſalutem*; quandoquidem Deus ea non concedet, ſi non ſint ſaluti profutura; ergo.

Reſp. neg. ant. Et ejus probationem: quia,ut ait Auguſt. Tract. 73. in Joan. *Si hoc a Deo petitur, unde lædatur exauditus; magis metuendum eſt, ne quod poſſet non dare propitius, det iratus.* Ergo ne bona hæc à Deo ut irato tribuantur, petenda non ſunt, niſi dari debeant à Deo ut propitio, & hoc eſt ea petere ſub conditione ſi Deus videat eorum uſum ad ſalutem profuturum.

Dices 3. Oratio eſt mentis aſcenſus in Deum,appetitus verò temporalium eſt deſcenſus ad inferiora. Ergo pro temporalibus orari non poteſt.

Reſp. diſt. Appetitus temporalium eſt mentis deſcenſus, ſi temporalia propter ſe appetantur, conc. ſi propter vitam æternam, neg. Sicut enim æger qui remedia quærit, eadem non amat propter ſe, ſed propter ſanitatem, adeoque ea in ſe non amat, ſed ſanitatem; ſic qui temporalia bona propter vitam æternam quærit, non ea ſed vitam æternam quærere cenſetur; ubi enim multa ordinantur ad unum, non cenſentur multa, ſed unum.

CONCLUSIO SECUNDA.

Bona quibus abuti non poſſumus, ut charitas & beatitudo, petenda ſunt abſolutè & determinatè.

Prob. Contra novos Myſticos. Licet eo modo orare quo Sancti utriuſque Teſtamenti oraverunt: atqui Sancti utriuſque Teſtamenti multa abſolutè & determinatè à Deo petierunt, & inter ea præcipuè vitam æternam; unde illud Regis Prophetæ,
Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, &c. Idem & quidem jubente Chriſto fecerunt Apoſtoli. Pſal.26. *Sic vos orabitis*, ajebat Salvator Matth. 6. *Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur, &c.* Atqui in hac oratione Dominicâ, *qua*, ut loquitur Auguſtin. Epiſt. 157. *omnibus neceſſaria eſt, & quam etiam ipſis arietibus gregis, id eſt Apoſtolis ſuis Dominus dedit*, abſolutè & determinatè petimus, ut ſanctificetur nomen Domini, ut nobis adveniat Regnum ejus, &c. Ergo, ut Auguſtini verbis concludam, *Utinam novi Myſtici intuerentur orationes quas ſemper habuit & habebit Eccleſia ab exordiis ſuis,donec finiatur hoc ſæculum... ſicut ergo in his orationibus,ita & in hac fide nata eſt, & creſcit, & crevit Eccleſia.*

Reſpondent ſe equidem bona hæc petere, ſed conditionatè, ſi nimirum Deus ea largiri voluerit; Objectiones. quia nempe voluntas humana divinā præire non debet.

Sed contra. Conditio hæc apponi non poteſt, niſi ſupponatur dubium eſſe & incertum an Deus iis qui petunt ut oportet,ſalutem & media ad eam aſſequendam tribuere velit: atqui hoc dubium eſſe non poteſt. Certum enim eſt Deum paſſim in Scripturis præcipere ut ad ſalutem per media nobis oblata tendamus: atqui Deus non præcipit niſi quod vult à nobis fieri; alioqui ſupponi poſſet hominem qui graviſſimis Dei præceptis obtemperat, ire poſſe contra Dei voluntatem. Ergo.

Inſtant,

Inſtant. Fides tria docet. 1. neminem ſalvandum eſſe niſi ſit prædeſtinatus. 2. non omnes, ſed paucos eſſe prædeſtinatos. 3. neminem abſque ſpeciali revelatione certum eſſe poſſe de prædeſtinatione ſuâ. Ergo reipsâ dubium eſſe debet animæ fideli, an Deus ſalutem ejus velit; ergo ut in hoc dubio voluntatem ſuam divinæ conformet, non debet abſolutè ſalutem ſuam petere, ſed conditionatè tantùm, parata eâ privari, ſi Deus ita decreverit.

Reſp. neg. conſeq. Nemo enim eſt è Fidelium grege qui firmâ fide credere non debeat, Deum ſalutem ejus velle, & Chriſtum ea ſincerâ ejuſdem ſalvandi voluntate, ſuum effudiſſe ſanguinem ita illuſtriſſimus Boſſuetius: qui ergo pereunt, non ideò pereunt quia id velit Deus qui neminem vult perire, ſed quia ſalvari nolunt, ut tradit Auguſtinus. Ergo quò certius eſt paucos eſſe qui ſalvi fiant, eò magis oranda eſt & inquirenda ſalus noſtra, juxta illud 2. Petri cap. 1. *Magis ſatagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Contemplantes*, ait Apoſtolus Hebr. 12. *ne quis deſit gratiæ Dei.*

Obj. Iterum: Moyſes Exodi 32. v. 31. Deum his alloquitur verbis, *Aut dimitte* populo *hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.* Et Apoſt. Rom. 9. *Optabam anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Ergo perfectus Dei amor, ac proinde perfecta ejus oratio, ſic fieri debet, ut ipſi etiam æternæ ſaluti propter eum renuntiet homo. Idem docent ſancti Patres. *Purus amor*, ait S. Bernardus Serm. 83. in Cant. *mercenarius non eſt.* Præiverat cum aliis ſanctus Chryſoſt. Hom. 5. in Epiſt. ad Romanos.

Reſp. Neg. conſeq. quæ non ſequitur ex allatis textibus, quibus ſigillatim reſpondendum eſt.

Ad Primum: Nonnulli Patres verba Moyſis intelligunt de libro viventium non in cœlo, ſed in præſenti vitâ, ita ut ſenſus ſit: Si non parcis populo huic, abſcinde me morte immaturâ. Ita S. Hieron. ad Algaſ. & S. Greg. Lib. 10. Moral. cap. 7. & confirmari poteſt ex ſimili locutione quæ habetur Num. 11. v. 15. *Sin aliter... obſecro ut interficias me.*

At, inquies, reſpondet Deus: *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo.* Ergo præcedentia Moyſis verba intelliguntur de libro prædeſtinationis; quandoquidem ipſi juſti de libro temporalis vitæ deleantur.

Reſp. delentur quidem juſti, ſed vulgò non delentur morte præcipiti & immaturâ, qualem optabat Moyſes; hac verò ſæpe obruuntur peccatores, juxta id Pſaltis, *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Pſal. 54.

Auguſtinus vero & alii poſt ipſum, librum de quo loquitur Moyſes, intelligunt de libro vitæ æternæ. Atque ii Interpretes inter ſe dividuntur. Nonnulli, ut Hugo Victorinus, cenſent Moyſem ita locutum fuiſſe ex impetu paſſionis, non ex deliberatione rationis. Alii in verbis Moyſis hyperbolem agnoſcunt, & expreſſionem maximi affectûs, ei ſimilis quem haberet mater, quæ ad placandum maritum filio iratum diceret: Occide me, ſi hanc proli meæ offenſam remittere nolis.

Quod ſpectat ad reatum Apoſtoli, Hieronymus citato loco cum poſt Origenem exponit eodem ſenſu quo ſuperiùs adducta Moyſis verba. *Vult Apoſtolus*, verba ſunt ſancti Doctoris, *perire in carne, ut alii ſalventur in ſpiritu; ſuum ſanguinem fundere, ut multorum animæ conſerventur.* Et ut ſupra dixerat, *perire in præſentiarum, non in perpetuum.* Et infra, *Quod autem anathema interdum occaſionem ſonet, multis veteris Inſtrumenti teſtimoniis probari poteſt &c.* Textus ſic expoſitus nihil nobis nocet.

Verùm quidem eſt quòd hanc expoſitionem vividè & acriter inſectetur S. Chryſoſt. ſerm. 16. in hunc locum, adeo ut dicat eos qui verba Pauli ad hunc ſenſum flectunt, non magis *Paulum agnoſcere, quam cæcos quemquam ex Sideribus natis. Qui enim*, inquit, *quotidie moriebatur, qui in tot periculorum fluctibus poſitus dixit, Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* qui, ut addit Salmeron, pro Gentium ſalute mori ardenter expectabat cùm diceret: Ego libentiſſimè impendam & ſuperimpendar pro animabus veſtris, *Quomodo, quæſo, poſt illa omnia velut magnum quid dicens temporalis mortis recordaretur?* Cenſet ergo S. Doctor, & cum eo Ambroſius, Paulum deſideraſſe eſſe anathema, id eſt abeſſe & ſeparari, non quidem à charitate Chriſti, quod ſine peccato non potuiſſet, ſed ab ejus præſentia & fruitione. Sed neque hæc interpretatio Myſticis prodeſt, quia optabam, idem eſt ac *optarim*, vel *optarem*, ut habent tum Chryſoſtom. tum Lectio Syr. & Æthiop. Optaſſet ergo S. Paulus anathema eſſe, ſi hoc licuiſſet, ſi hoc fieri potuiſſet, ut notat S. Thomas in hunc locum. Non optavit autem de facto, quia ſciebat id nec licere, nec fieri poſſe, præſertim pro Judæis, quorum reprobationis conſcius erat. Sic jubebat idem Gentium Doctor, dici anathema Angelo de cœlo, ſi extraneam inveheret doctrinam, quam à ſpiritu cœleſti afferri non poſſe cognoſcebat. Vide Salmeron in hunc locum.

Quod ſpectat ad Patres, juxta quos *purus amor mercenarius non eſt*, quique à vero Dei amore proprium intereſſe excludere videntur. 1. opponi iis poſſunt alii Patres, qui preſſiùs & diſtinctiùs locuti ſunt 2. intelligi debent de mercede humanâ & intereſſe terreſtri. Sic S. Chryſoſtomus Homil. 5. in Epiſt. ad Romanos, poſtquam dixit: *Amore Chriſti omnia facite, & non ſpe mercedis*, ſibimetipſi ſtatim eſt Interpres: *Hæc eſt vera merces, hæc vera gloria, ut Chriſtum poſſideamus. Hoc noſtrum regnum eſt, noſtra deliciæ.* Idem eſt S. Bernardi ſenſus. S. Bern. Serm. 83. in Cant.

Quæres quænam oratio cæteris præſtet, & ut ſic frequentiùs ſit populis inculcanda.

Reſp. Eſſe orationem dominicam, hæc enim alias omnes antecellit. 1. *authoritate*, quia à Chriſto Domino tradita eſt & inſtituta. 2. *brevitate*, quia pauciſſimis verbis complectitur & docet, non ſolùm quid petendum ſit, ſed etiam quid credendum, ſperandum, diligendum, & fugiendum; unde à Tertulliano cap. 9. de Orat. vocatur, *Breviarium totius Evangelii*; & à S. Cypriano, *Compendium doctrinæ cœleſtis*. 3. *efficaciâ*, quia nihil Patri cœleſti acceptius eſſe poteſt quàm ſi ipſum eâ formulâ invocemus, quæ ab unigenito ejus Filio ejus præſcripta eſt & imperata. 4. *neceſſitate*, & *ordine*; quæ duo paulò latiùs ſunt exponenda.

Primò quidem adeò neceſſaria eſt oratio dominica, ut omnes, verba ſunt Sylvii, eam ſcire teneantur, ac frequenter recitare. Patet id 1. ex Diſtinct. 4. cap. 105. ubi citantur hæc S. Auguſtini verba Patrinos alloquentis: *Ante omnia Symbolum & orationem dominicam & vos ipſi tenete, & illis quos ſuſcepiſtis de ſacro fonte oſtendite.* 2. in Pontificali Romano monentur Suſceptores, ut quos ad Confirmationem tenuerint, orationem dominicam doceant cum ſalutatione angelicâ, utpotè qui ad hoc ſint obligati. 3. in Concilio Toletano IV. vocatur oratio quotidiana, eo quòd quo-

tidie dici debeat. 4. in Concilio Remenſi anni 813. dicitur quòd eam *ignorare nulli Chriſtiano licet*. Atque hinc eſt quod, ut notat Sylvius, in II. Synodo Provinc. Cameracenſis tit. 11. cap. 6. ſtatutum eſt ut ad matrimonium admittantur, qui ignorant orationem dominicam, ſalutationem angelicam, Symbolum, Decalogum, & quinque Eccleſiæ Præcepta; & Author Collat. Lucion. indiſtinctè aſſerit à Sacramentis arceri eos debere, qui Symbolum, orationemve dominicam neſciunt.

Hic duo obſervanda. 1. eam fuiſſe veteris Eccleſiæ praxim, ut orationem dominicam in ſcriptis non traderet, tum ut eam Fideles memoriæ commendare ampliùs tenerentur; tum ne ſacra quæ in eà continentur myſteria. Gentium ludibrio exponerentur. *Cave*, ait Ambroſius Lib. 1. de Cain & Abel cap. 9. *ne incautè Symboli vel dominicæ orationis divulges myſteria*. 2. quòd ſi aliquis tam hebeti foret ingenio, ut nequidem orationem hanc ediſcere poſſet, non ideo extra ſaluris portum locandus eſſet, cùm ad impoſſibile nullus obligetur. Ita Sylvius.

Secundò, oratio dominica *ordine* ſuo commendatur. *In oratione dominicâ*, ait S. Thomas hic art. 9. *non ſolùm petuntur omnia quæ rectè deſiderare poſſumus, ſed etiam eo ordine quo deſideranda ſunt... manifeſtum eſt autem quod cadit in deſiderio noſtro finis: deinde ea quæ ſunt ad finem*; quæ ut obtineantur, neceſſaria eſt illa fiducia, quæ facit ut quis *poſtulet, nihil hæſitans*. Atqui & finis, & media & motiva hujuſce fiduciæ in oratione dominicâ reperiuntur.

Nam 1. quod ad fidem, ſeu fiduciam toties in Scripturis commendatam attinet; hanc excitant verba hæc, quæ præambuli locum tenent, *Pater noſter qui es in cœlis*. Si enim *Pater* ſit, adeo ut *tam Pater nemo*, ut bellè ait Tertull. ſi inſuper *Pater* à nobis dici velit; ergo magna eſt ejus in nos filios ſuos benevolentia, juxta id 1 Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus*. Si ſit *in cœlis*, ibique ut Rex ſupremus, ac rerum omnium arbiter dominetur; ergo magna eſt & ſuprema ejus poteſtas, adeo ut in cœlo & in terrâ quæcunque vult, facere poſſit. Sed majus fiduciæ motivum proponi non poteſt, quàm impenſa benefaciendi voluntas, & æqualis huic voluntati poteſtas; ergo.

2. Eadem oratio continet finem in quem tendere debet omnis affectus noſter: is enim finis Deus eſt, in quem dupliciter ferimur. 1. volendo Deo gloriam ejus. 2. gloriæ hujus fruitionem nobis exoptando. Atqui primum volumus per hæc verba, *Sanctificetur nomen tuum*; id eſt celebretur ab omnibus, laudetur, adoretur, eique *ſoli* ſit *honor & gloria*, 1. ad Timoth. 1. v. 17. Secundum verò intendimus per ſubſequentia, *Adveniat regnum tuum*; per quæ petimus ut Deus in nobis per omnia æternitatis tempora regnet & dominetur, ut nos aliquando faciat regni illius participes, quòd à conſtitutione mundi nobis præparavit.

3. Eadem oratio media nobis ſuppeditat ad aſſequendum hunc finem. Duplex enim eſt medium ad aſſequendum finem: aliud per ſe, aliud per accidens, quo removetur prohibens, id eſt quo tollitur illud omne quod impedire poteſt ne finem conſequamur. Atqui oratio dominica duplex hoc mediorum genus continet. Nam mandatorum obſervatio medium eſt per ſe & principaliter neceſſarium ad æternæ vitæ aſſecutionem, juxta id Chriſti apud Matth. cap. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Atqui cùm dicimus, *Fiat voluntas tua, &c.* nihil aliud petimus quàm ut Dei mandata obſervemus *in terra*, ſicut ea Sancti & Angeli ſervant *in cœlo*, id eſt eà omni curâ, ſollicitudine & diligentiâ quâ poterimus. Præſentis verò vitæ ſubſidia, quæ ad victum, veſtitum, cæteraſque vitæ neceſſitates pertinent, inſtrumentaliter ad Dei conſecutionem juvant; hæc autem petimus his verbis, *Panem noſtrum quotidianum &c.* quæ licet de ſubſidio ſpirituali, de Euchariſtiâ, & aliis conſequenter Sacramentis, à SS. Patribus non paucis exponantur, optimè tamen & fortè melius de pane temporali intelligi poſſunt; quia alioqui, ut notat Sylvius, hæc petitio includeretur in præcedenti, cùm ſpiritualis animæ cibus ſit facere voluntatem Dei, Joan. 4. neque dicere deberemus, *Da nobis hodie*, ſed da nobis in æternum, quemadmodum in Miſſâ dicimus, *Fac nos tuis ſemper obedire mandatis*. Tria verò ſunt obſtacula, quæ nos à beatitudine comparandâ removere ſolent: *peccata* ſcilicet, quoad culpam & pœnam, quibus non remiſſis, nullus regnum Dei poſſidebit; tentatio quæ à Deo nos retrahit, & ad malum ſollicitat; ac denique malum, ſeu pœnalitas præſens, ut fames, bellum, peſtis, & quidquid peccandi occaſio eſſe poteſt. Ab his autem liberari petimus his verbis, *Dimitte nobis debita noſtra, &c.* Additur ut Epilogus, *Amen*, quæ vox paſſim idem eſt ac *fiat*; vel, *utinam omnia hucuſque poſtulata eveniant nobis, ſicut petita ſunt*.

Hinc colliges 1. orationem dominicam conſtare ſeptem petitionibus, tametſi S. Lucas non expreſſerit niſi quinque, quia tertia & ſeptima quas omiſit, quodammodo in præcedentibus comprehenduntur.

2. Verùm eſſe quod paſſim docet Auguſtinus, per orationem hanc remitti peccata venialia quoad culpam, mortalia verò quoad pœnam, ſi jam per claves Eccleſiæ remiſſa fuerint. *Delet omnino hæc oratio*, ait S. Doctor cap. 71. in Ezech. *minima & quotidiana peccata, delet & illa à quibus vita Fidelium, etiam ſcelerate geſta, ſed pœnitendo in melius mutata, diſcedit*. Et certè oratio hæc piè recitata, ſignum eſt & affectus ſinceræ charitatis in Deum & proximum. *Charitas* autem *operit multitudinem peccatorum*. 1. Petri 4. v. 8.

3. Et id quoque certo certius eſſe quod tradit idem S. Doctor Epiſt. 130. alias 121. cap. 12. *Quælibet alia verba dicamus, nihil aliud dicimus, quam quod in iſtâ oratione dominicâ poſitum eſt, ſi rectè & congruenter oramus*.

4. Cavendum eſſe, quod ſæpiùs contingit, ne orationem illam recitando, aliud verbis, aliud opere & corde loquamur. Qui enim peccata levia ſpernit, qui cupiditates coërcere non curat, qui non ſatagit an alii Deum timeant, necne, an ſeriò & verè ſatis dixit: *Sanctificetur nomen tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo &c. Ne nos inducas in tentationem?* Similiter injuriarum memor, & proximi defectus impatienter ferens, an non iram Dei ſibi imprecari videtur cùm ait: *Dimitte nobis ſicut dimittimus*; an non reipsâ poſtulat eâdem à Deo ſeveritate excipi, quâ fratrem ſuum excipit ipſe?

ARTICULUS VII.

Pro quibus orandum.

EOrum pro quibus an orare liceat, ambigi poteſt, alii ſunt adhuc viatores, alii extra viam poſiti. Sit itaque

CON-

CONCLUSIO PRIMA.

Orandum eſt pro viatoribus omnibus, ſive juſti ſint, ſive injuſti; ſive amici, ſive inimici; ſive fideles, ſive non.

Prob. 1. ex Apoſt. 1. ad Tim. 2. "Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus Pro Regibus, *qui whiles erant*, & omnibus qui in ſublimate ſunt... hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro Deo qui omnes homines vult ſalvos fieri & c *Jacobi* 5. Orate pro invicem ut ſalvemini. *Et Matth.* 5, Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos." Atqui hi textus adſtruunt neceſſitatem orandi pro omnibus ſine exceptione hominibus. Ergo.

Prob. 2. ex Patribus, quorum inſtar in re tam clara ſit S. Cyprianus in expoſitione dominicæ orationis: "Noluit pacis Doctor; ut quis pro ſe tantum precetur. Non enim dicimus: Pater meus; nec, panem meum da mihi, &c. ſed Pater noſter, panem noſtrum da nobis, &c."

Prob. 3. Quod aliis optare debemus, hoc & aliis debemus precari: atqui ex charitate tenemur multa non ſolum nobis, ſed etiam aliis exoptare, alioqui jam non diligimus proximum eodem, quo nos diligimus modo; ergo.

Obj. 1. Pro iis orandum non eſt, quibus moraliter certum eſt inutilem fore orationem: atqui de innumeris hominibus moraliter certum eſt quod oratio iiſdem inutilis futura ſit. Minor patet potiſſimum de Infidelibus, iiſque qui in omnium ſcelerum ſpurcitie diu volutati ſunt, qui non magis
Jerem. 13. converti poſſunt, quam poſſit *pardus mutare varietates ſuas*. Major non minus certa eſt: quia ut v. g. non tenearis date Petro eleemoſynam, ſatis eſt judicium moraliter certum quo judices Petrum non eſſe pauperem. Ergo à pari.

Reſp. prætermiſſa majore, neg. min. 1. quia ante *finem hujus vitæ de aliquo deſperandum non eſt*, ut docet Auguſt. Lib. de correp. & grat. cap 15. 2. quia novimus multos ſimiles, aut iis etiam pejores de quibus deſperari poſſe videretur, reipſa tamen fuiſſe converſos. 3. quia quantumvis graves habere quis poſſit de reprobatione ſua conjecturas, adhuc tamen ex charitate quam ſibi debet, pro ſemetipſo orare tenetur: quidni ergo alii pro ipſo orare debeant? 4. demum quia non obſtantibus quibuſcumque conjecturis, certum manet neminem eſſe de quo judicari non poſſit ſalutem ei adhuc eſſe poſſibilem. Atqui judicium illud ſatis eſt ad orandum. Nec ſimile eſt de eleemoſyna, quæ ut ex præcepto fieri debeat, non ſufficit judicium de poſſibilitate paupertatis, ſed aliquid certius ac fundatius requiritur quam mera poſſibilitas. Ergo.

Obj. 2. 1. Joan. 5. v. 16. ſic habetur: *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Et Jerem. 7. v. 16. *Noli orare pro populo hoc.* Ergo quidam ſunt peccatores pro quibus orandum non ſit. Suar. p. 4 . t 2.

Reſp. 1. Si per peccatum ad mortem, illud intelligatur, ut intelligunt multi, in quo quis ad mortem uſque perſeverat, vel impœnitentia finalis, mirum non eſſe ſi pro tali peccato, nec oretur, nec orari debeat.

Reſp. 2. ſenſum hujuſce verſus iſtum eſſe, non prohibeo quidem ne pro eo oretur qui tale peccatum admittit, ſed nec audeo polliceri quod ea quæ petit ſit impetraturus. Et ideo *non dico utroget quis*, nimirum cum eâ certa ſpe impetrandi de qua ſermo eſt in præcedenti verſu. Ita Cornel. à Lapide, & alii paſſim interpretes. Quod ſpectat ad textum Jeremiæ, non prohibuit Deus ne pro populo oraret, ſed ne oraret pro avertendis ab eo temporalibus miſeriis, quæ eidem efficaci Dei decreto præparatæ erant.

Obj. 3. Sancti nedum pro omnibus orarent in bonum, è contra iis ſæpiſſimè malum imprecari ſunt, ut Pſal. 68. *Deleantur de libro viventium.* Ergo non eſt orandum pro omnium converſione.

Reſp imprecationes illas factas eſſe per modum prædictionis, ita ut *Deleantur &c.* idem ſit ac certiſſimè delebuntur Ita P. Calmet, qui verba hæc ſi per modum deſiderii exponantur, ad impium detorqueri ſenſum oſtendit. Alii eadem ſic intelligunt: Deleantur quamprimum de libro viventium, ſi futurum ſit ut peccata peccatis ingeminent; ſatius enim eſt, ut citò pereant minus rei, quam ut contra te diutius peccent, crudelius in inferno puniendi Alii denique per librum viventium, intelligunt hominum memoriam, unde Chald. vertit *Deleantur è libro memoriæ viventium*; ne eorum nomina cum juſtorum nominibus in annalibus celebrentur; juxta id Prov 10. v. 7. *Memoria juſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet.*

CONCLUSIO SECUNDA.

Neque pro Beatis, qui ſunt in cœlo, neque pro iis, qui inferno ſepulti ſunt, orare licitum eſt.

Probatur prima pars. Quia ut fert vulgatum illud S. Auguſt. Serm. 17. de verbis Apoſt. *Injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre.*

Cum hoc tamen ſtare poteſt quod oremus pro accidentali aliqua Sanctorum gloria, quam & ipſi ſibi à Deo poſtulare poſſunt. Hanc ſententiam refert Innocentius III. cap. *Cum Marthæ. De celeb. Miſſar. Pleriſque*, inquit, *reputant non indignum Sanctorum gloriam uſque ad judicium augmentari, & ideo Eccleſiam poſſe augmentum glorificationis eorum optare.* Huic autem opinioni non reſiſtit ſummus ille Pontifex; imò judicat juxta illam poſſe intelligi aliquas orationes Eccleſiæ, quibus dum Sacrificium offert, poſtulat, *ut proſit Sanctis ad gloriam, ſicut prodeſt nobis ad medelam.* Vide, Suar. tom. 2. cap. 14. n. 4.

Probatur ſecunda pars. Pro iis orandum non eſt qui precibus noſtris juvari non poſſunt: atqui damnati &c. unde receptum illud: *In inferno nulla eſt redemptio* Ergo &c.

Prob. 2. ex S. Gregorio magno, cujus authoritas præcipuum hic dubium movet, nam unanimis eſt in præſenti quæſtione cæterorum Patrum traditio. Sic autem loquitor ſanctus Doctor Lib 34. Moral cap. 16. *Si quandoque finienda ſunt ſupplicia reproborum, quandoque finienda ſunt ergo & gaudia beatorum. Per ſemetipſum namque veritas dicit: Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam, &c.* Unde ſic. Pro iis orari non poteſt, qui ſtatim ac damnati ſunt, non ad tempus ſed in æternum damnati, ſunt, adeoque qui nulla poſſunt oratione liberari: atqui tales ſunt reprobi, ex citato S. Gregorii textu.

Objicies 1. S. Gregorius Magnus conſpecta Trajani ſtatuâ, quæ imperatorem hunc exhibebat ex equo deſilientem, ut viduæ, quæ filii ſui mortem cruentam vindicari precabatur, quærimonias audiret, miſericordiâ ſuper clementiſſimo Principe commotus, ad S. Petri Baſilicam pervenit, ibique tot pro Trajani ſalute lachrymas fudit, ut ſequenti nocte reſponſum acceperit, ſe fuiſſe auditum. Ergo

* Obiit Tra. an. 117. Sanctus Gregor. an. 604.

go ſi quingentos * poſt annos ab inferis redimi potuerit Trajanus, & alii liberari poterunt.

Reſp. 1. Suppoſita hujus hiſtoriæ veritate, id unum ſequitur fieri poſſe de abſolutâ & extraordinariâ Dei potentiâ, ut quis ab inferis revocetur. At inde non ſequitur pro reprobis orandum eſſe, cum Joannes Diaconus qui ex quibuſdam Anglorum codicibus, ſuſcitati Trajani hiſtoriam finxit, expreſſè aſſerat S. Gregorium poſt obtentam hujus Imperatoris ſalutem, monitum fuiſſe ne ulterius pro ullo Pagano poſt ejus mortem oraret.

Reſp. 2. Hæc liberati ab inferis Trajani narratio, & preces pro ipſo ad Deum fuſæ à S. Gregorio, mera ſunt ferientis ingenii commenta. Atque id probatur 1. quia probabile non eſt S. Gregorium oraſſe pro Principe flagitioſiſſimo, Chriſtianorum perſecutore, infami puerorum amori dedito: talis autem fuit Trajanus, ut ſcribunt Dio, Ælius Spartianus &c. 2. Quia Joannis Diaconi, qui tribus fermè ſæculis poſt S. Gregorium vixit, narratio, prorſus rejici debet, ut quæ abſurda multa & inſulſa contineat, & nullis antiquiorum authorum teſtimoniis corroboretur. Nullus enim Scriptorum qui Trajani præclarè geſta ſummâ diligentiâ litteris commendaverunt, egregium iſtud æquitatis in viduam facinus retulit; neque ejus meminit Plinius in Panegyrico quem Trajano dixit, quamvis & nihil eorum prætereat quæ ad hujus Imperatoris commendationem pertinent, & Panegyricus ille dictus non ſit, niſi poſt tempus quo hæc miſericordiæ actio à Trajano peracta ſupponitur. Adde quod Beda quem S. Gregorii ſtudioſiſſimum fuiſſe conſtat, & ipſe S. Gregorius qui ſuis in Dialogis multa longè minoris momenti refert, nihil unquam hac de re tradiderint. Adde iterum quod ubique S. Pontifex doceat omnino non licere viventibus pro damnatis orare, ſicut nec pro *Diabolo, Angelisque ejus æterno ſupplicio deputatis*. 3. demum quia tanta eſt authorum in hac referendâ hiſtoriâ diſſenſio, ut quod unus aſſerit, alter neget: de quo vide Nat. Alexand. Diſſert. 1. in Hiſtor. ſæculi II.

Inſt. S. Joan. Damaſcenus Orat. de Fidel. defunct. eandem liberati ab inferis Trajani hiſtoriam refert: *Quodque iſtud verum ſit*, ait, *atque ab omni calumnia alienum, Oriens totus atque Occidens teſtantur. En hoc præſtantius eo eſt, quod de Falconilla refertur. Illa etenim præter idolorum cultum, nihil aliud ſceleris perpetrarat: hic* Trajanus, *contra plurimos Martyres crudeliſſima morte affecerat.* Atqui rejici non poteſt hiſtoria, Damaſceni, Orientiſque totius & Occidentis authoritate ſuffulta. Ergo.

Reſp. citatam orationem *de defunctis*, non eſſe ſancti Damaſceni fœtum, ſed imperiti alicujus Scriptoris, qui eam fabulis & erroribus compegit. Nam 1. author hujus orationis ſupponit preces & Miſſæ ſacrificia pro damnatis etiam offerri poſſe, & ait eum eſſe Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ ſenſum. Atqui in errorem adeo fœdum non impegit S. Damaſcen. qui Lib. 2. de fide orthod. cap. 4. diſertè docet quod *hominibus poſtquam ex hac vita migrarunt, præcluſa jam ſit omnis reſipiſcendi facultas*. . . Pſeudo-Damaſcenus ibidem docet æthnicos Philoſophos, qui providentiam, non tamen ſine erroris labe fuerant venerati, nec divinam habuerant fidem, à Chriſto ad inferos deſcendente, fidei radiis fuiſſe illuſtratus, & ſolutos à vinculis inferni. Quis verò tam inſulſam opinionem vero Damaſceno affingere auſit? 3. docet idem author eos *omnes* qui Chriſto crediderint, *ſalutem conſequi*; quod erroneum eſt, & ſupponit vel habitam ſemel juſtitiam nunquam amitti, vel ſemper recuperari. 4. ſcribit idem, Trajani liberationem Orientis totius & Occidentis teſtimonio firmari: atqui id egregiè falſum eſt. Quare enim Joannes Diaconus, qui ſeu per ſe, ſeu per interpretem linguæ Græcæ peritum, monumenta ſolliciitè omnia conquiſivit & collegit, quæ ad ſancti Gregorii laudem inſervire poſſent, nulla alia in hujus hiſtoriæ ſuæ gratiam citat inſtrumenta, quam obſcuras quaſdam Eccleſiarum Anglicanarum vel Saxonicarum chartas, niſi quod eam à nullo probato authore hactenus aſſertam cognoverat.

Inſt. Atqui verè dixit prædictus author Trajani redemptionem totius ſaltem Eccleſiæ Orientalis judicio roborari: ergo. Prob. ſubſumpt. ex Euchologio Græcorum cap. 96. cujus hæc ſunt verba, *Quemadmodum Trajanum per intenſam ſervi tui Gregorii interceſſionem flagro ſolviſti, exaudi etiam nos te orantes, &c.*

Reſp. 1. cum Nat. Alexand, cujus hæc ſunt verba, *Eccleſiæ Græcæ Romanam opponimus, cæterarum Eccleſiarum matrem & magiſtram, ex Concilio Lateran. IV. cujus Pontifex omnium Chriſtianorum pater eſt & doctor*, ut Græca ipſa Eccleſia in Concilio Florentino profeſſa eſt in Definitione fidei: hæc namque Eccleſia fabulam illam jam ab ipſo Joannis Diaconi tempore explodebat, & in piacularibus precibus canit: *In inferno nulla eſt redemptio.*

Reſp. 2. Euchologium à Goartio editum, multa complecti quæ prætenſam Trajani liberationem funditus evertant ſic in officio funereo Sacerdotis, *Non eſt in inferis pœnitentia, nulla ibi relaxatio.... nec ullus inferno eripitur.* Si autem nulla ſit in inferis relaxatio, ſi nullus inde eripitur, quomodo ereptus eſt ab inferis Trajanus? En generalia fidei principia, quibus derogare nequit commentitia Principis æthnici liberatio è pſeudo-Damaſceni Oratione in Græcorum Euchologium invecta, ut notat Billius; neque mirum eſt fabulam hanc adoptatam eſſe à Græcia, qui ab eo præſertim tempore quo per ſchiſma à Latinis receſſerunt, in tot prolapſi ſunt errorum monſtra.

Obj. 2. Trajani liberatio ab inferis revelata eſt ſanctæ Brigittæ, Lib. 4. Revel. cap 13. & S. Mechtildi, Lib. 5. Revelat. cap. 6. Ergo pro fabulâ haberi non poteſt.

Reſp. Si Auguſtino dicere licitum fuit, *Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas*, à fortiori licere non habere fidem revelationibus Eccleſiæ authoritate non comprobatis. Atque id magis eſt verum cum hujuſmodi revelationes vergunt in legis à Deo conſtitutæ deſtructionem, qualis ea eſt quæ cruciatibus æternis omnes prorsùs reprobos alligat.

Confirmatur, quia Sanctæ utriuſque revelationes ſibi invicem adverſari videntur: ſanctæ enim Brigittæ revelatum dicitur animam Trajani ab inferis in ſublimem gradum èvectam fuiſſe: ſanctæ verò Mechtildi Deus revelaſſe dicitur nolle ſe ut ſciant homines quid ſuâ liberalitate de anima Trajani ſtatuerit. Si ergo Trajani redemptio revelata fuit ſanctæ Brigittæ, & per eam hominibus manifeſtata; quo pacto ſtare poteſt quod revelatum eſt ſanctæ Mechtildi, velle Deum ut neſciant homines quid in Trajani gratiam à Deo præſtitum fuerit.

Addunt aliqui ſanctæ Brigittæ verba intelligi poſſe de liberatione non quoad ſubſtantiam, ſed quoad aliquam mitigationem; unde cenſent potuiſſe fieri ut ſancto Gregorio non quidem orante pro Trajano, ſed velleitatem aliquam habente ut damnatus non eſſet, ſi id juſtitiæ Dei, & ſtatuta

ab

ab eo de malâ reproborum æternitate legibus non repugnaret, mitigata ſint hujus Imperatoris ſupplicia. Certè enim, inquiunt, ſunt ex SS. Patribus, qui probabile putant minui aliquando, aliquando augeri damnatorum pœnas. Opinionem hanc proponit & permittit S. Auguſt. Enchir. cap. 112. his verbis; *Pœnas damnatorum certis temporum intervallis exiſtimens, ſi hoc eis placet, aliquatenus mitigari: etiam ſic quippe intelligi poteſt manere in illis ira Dei, hoc eſt ipſa damnatio.... ut in irâ ſuâ... non tamen contineat miſerationes ſuas, non æterno ſupplicio finem dando, ſed levamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus.* Idem exprimitur in Miſsâ quam exhibet pervetuſtus Codex Gellonenſis, in quâ petitur *pro animâ famuli quam* traxit *Deus de præſenti ſæculo abſque pœnitentiæ ſpatio, ut ſi forſitan non meretur ſurgere ad gloriam, per hæc ſacra oblationis libamina, vel tolerabilia fiant ipſa tormenta.* De his penes alios eſto judicium; hæc enim, ut ſatis evidens eſt, non carent difficultate.

Eſſet hic exponendi locus, an juſtorum animæ quibus aliquid poſt mortem luendum ſupereſt, Fidelium precibus ac ſuffragiis juventur ac ſubleventur: at quæſtionem hanc præoccupavit, ac fusè tractavit clariſſimus D. Tournely tom. 1. de Attributis pag. 616.

Quæres 1. quomodo ſacrificia, orationes, indulgentiæ mortuis applicentur.

Reſp. Hæc applicari non per modum judicii & abſolutionis, ſed per modum ſuffragii.

Ratio primæ partis eſt, quia Eccleſia judicium exercere non poteſt in eos qui clavibus ejus atque juriſdictioni non ſubjacent: atqui tales ſunt mortui qui ſolius Dei foro ſubditi ſunt. Ergo.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſuffragium Eccleſiaſticum eſt, ut definit Pulmanus, *opus bonum, ſatisfactorium* adeoque pœnale, *remiſſionis pœnæ proximè impetratorium.* Ergo ſi orationes, ſacrificia, indulgentiæ mortuis proſunt, ut docet fides, non iis proſunt niſi per modum ſuffragii. An verò indulgentiæ iis etiam proſint, qui charactere baptiſmali inſigniti non ſunt, putà Catechumenis, diſputant Theologi. Negant quidam, affirmant alii, quia nulla eſt ratio cur animæ per charitatem Chriſto conjunctæ non ſint capaces illius auxilii, quod Eccleſia per modum ſuffragii omnibus indiſtinctè Fidelibus applicat. Et certè ſi pro Catechumenis offerri poſſint preces & ſacrificia, ut patet ex agenda-tatione S. Ambroſii ejuſque Orat. *de obitu Valentiniani*, quidni & iis applicari poſſint indulgentiæ?

Vide Tournel de Pœnit. ſub fin.

Quæres 2. An oratio pro pluribus defunctis facta, æquè proſit omnibus ac ſi pro uno tantùm fieret.

Reſp. Si agatur de oratione ſecundùm quod eſt ſatisfactoria, eam non æquè prodeſſe omnibus, quia ut ſic eſt finita; finitum autem inter plures diviſum, minus ſingulis contingit. At ſi agatur de oratione prout impetratoriâ, cenſent multi eam perinde prodeſſe omnibus, ſive paucis, ſive multis applicetur. Ratio eſt, quod impetratio, nitatur tantum, aut ſaltem nitatur præcipuè Dei liberalitate & miſericordiâ: atqui Dei miſericordia non minuitur eo quod oratio fiat pro multis; imò potius videretur augeri, quia major eſt miſericordia ex parte Dei, ubi major eſt charitas ex parte hominis. Hæc autem major eſt, cæteris paribus, quo ad plurea extenditur. Atque hæc eſſe videtur ſententia S. Thom. in 4. diſt. 45. art. 4. quæſtiunc. 2. Sic etiam Cajetan. Salmantic. contra Suarem Lib. 1. de Orat. cap. 27. n. 6.

Quæres 3. quanto tempore orandum ſit pro mortuis, & an diu remaneant in Purgatorio

Reſp. Sotum credidiſſe animas non torqueri in Purgatorio ultra decennium, unde ſequebatur expleto decennio non eſſe pro iis orandum. Sed opinio hæc quæ nullâ probabili ratione nititur, à Theologis cæteris meritò exploſa eſt: qui ergo fundationea pro mortuorum ſalute implendas habent, eaſdem etiam poſt mille annos implere tenentur; & meritò proſcripta eſt hæc propoſitio ab Alexandro VII. quæ eſt inter ab eo damnatas nn. 43. *Annuum legatum pro animâ relictum, non durat plusquam per decem annos.*

Quæres 4. quid ſentiendum de Presbytero qui tot accipit Miſſarum ſtipendia, ut eaſdem nonniſi longo poſt tempore celebrare poſſit, & perſolvere.

Reſp. Cum omnibus Doctoribus, eum graviter peccare, utpote qui ſit notabiliter in mora ſatisfaciendi debito juſtitiæ, cui tenebatur intra modicum tempus ſatisfacere: hoc enim regulariter intendunt, hoc exigunt, qui ſtipendium dant. Et ideo S. Congregatio prohibuit ne accipiantur eleemoſynæ pro Miſſis, niſi infra modicum tempus omnibus ſatisfieri poſſit; aut niſi dans ſtipendium conſentiat, ut conſentire poteſt, in Miſſarum dilationem.

Quodnam autem tempus in hac materiâ modicum cenſeatur, variant opiniones.

Cenſuit Peyrinus modicum tempus eſſe tres annos: verùm hæc opinio à cæteris rejecta eſt, eamque nequidem probabilem eſſe judicavit Diana, tametſi laxiorum opinionum ſtudioſus. Alii ſex menſes aſſignent, ut Arriaga: ſed communis penè omnium ſententia, cui adhærendum eſt, cenſet eum graviter peccare, qui tot Miſſis ſe onerat, ut eas intra duos circiter menſes celebrare non poſſit, niſi ut dictum eſt, qui dat ſtipendium, expreſsè aut virtualiter conſentiat in dilationem, ut conſentire cenſetur cum uni Sacerdoti extra Communitatem conſtituto ducentarum Miſſarum ſtipendia largitur. Dixi, *extra Communitatem*; quia cùm Communitas multis conſtat Sacerdotibus, præſumunt qui pro multis Miſſis eleemoſynam præbent, futurum ut eæ inter omnes diſtribuantur, quò citiùs celebrari poſſint. Videant ergo aliqui quâ conſcientiâ, ſub prætextu ne ſibi Miſſæ deficiant, tot accumulent, ut nequidem anni unius ſpatio eaſdem exſolvere poſſint. Et quidem ſi Miſſæ in ſolatium & levamen mortuorum petitæ ſint, videat Peyrinus an in medio flammæ tam terribilis incendio exiſtens, vellet tres ad annos differri Miſſas, quibus fortè citò liberaretur. Videant alii, an ad medium annum, &c. Vide Card. de Lugo, P. Henno, Henricum à S. Ignatio, & alios vulgo ſub finem Tractatûs de Euchariſtiâ.

ARTICULUS VIII.

De Horis Canonicis.

Ut Articulum hunc, qui multa ſcitu neceſſaria complectitur, clariori & pleniori methodo pertractemus. Videndum 1. quid, & quando inſtitutæ ſint Horæ canonicæ. 2. Quinam ad eas teneantur. 3. Quo Breviario utendum ſit. 4. Quis ordo & tempus in privatâ Officii recitatione ſervari debeant. 5. Dicendum de publicâ quæ fit in Choro Officii recitatione. 6. Examinandum quomodo Officium debeat recitari. 7. Diſcutiendæ ſunt tum cauſæ quæ ab Officii recitatione diſpenſant, tum obligationes eorum qui non recitaverunt.

SECTIO PRIMA.

Quid ſint Horæ canonicæ, & quando inſtitutæ.

Horæ Canonicæ ſunt *quædam preces vocales ex Canonum præſcripto regulariter recitandæ à perſonis ad id deputatis.* Triplici potiſſimum nomine donantur, Hotarum ſcilicet, Breviarii, & Officii Canonici. *Horæ* quidem dicuntur, quia certis horis, nocturnis & diurnis, juxta locorum conſuetudinem ſunt perſolvendæ. *Breviarium* verò, ſive quia utrumque Teſtamentum, Patrum ſententias, & vitas Sanctorum breviter, ſummatim & compendioſè continent; ſive, ut aliis placet, quia Officium ut nunc recitatur, non eſt niſi compendium Officii multò longioris quod primis Eccleſiæ ſæculis recitabatur. Ac denique *Officium divinum Canonicum, & Eccleſiaſticum*; quia ad Dei cultum juxta Canonum regulas inſtitutæ ſunt, & Eccleſiæ nomine perſolvuntur: unde preces ſunt publicæ, etiam cùm extra Chorum & privatim recitantur.

Horæ canonicæ ſunt ſeptem, juxta id Pſalmi 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* Quamquam enim aliqui diviſis à Matutino Laudibus, octo Horas recenſeant, à cæteris tamen nonniſi ſeptem numerantur, ſcilicet Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ & Completorium; atque his repræſentantur tum principaliora Dei beneficia, creationis nimirum, conſervationis, redemptionis, prædeſtinationis, vocationis, juſtificationis, & glorificationis; tum præcipuè ſeptem Dominicæ Paſſionis myſteria, hiſce verſibus contenta apud Gloſſam cap. 10. *De celebr. Miſſarum.*

Hæc ſunt ſeptenis propter quæ pſallimus horis.
Matutina ligat Chriſtum qui crimina purgat:
Prima replet ſputis, dat cauſam Tertia mortis;
Sexta cruci nectit, latus ejus Nona bipertit.
Veſpera deponit: tumulo Completa reponit.

Quæres quo tempore inſtitutæ ſint Horæ Canonicæ.

Reſp. Horas ſpectari poſſe, vel ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecundùm formam & ordinem in quo nunc ſunt.

Si Horæ ſpectentur ſecundùm ſubſtantiam, nempe pro precibus quæ quotidie ſtatis horis à Fidelibus perſolvebantur, credibile eſt eas ab Apoſtolis emanaſſe. 1. enim legitur Act. 2. quòd naſcentis Eccleſiæ Fideles *erant perſeverantes in fractione panis, & orationibus* id eſt *in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus cantantes & pſallentes* ut loquitur Apoſt. Epheſ. 5. 2. Tertull. tempus hiſce Dei laudibus, pſalmis, & canticis deſtinatum, Horas Apoſtolicas vocat. *Horarum Apoſtolicarum*, inquit, *Tertia, Sexta, Nona, &c.* 3. Quia Conſtitutiones Apoſtolicæ, quæ licet falsò Apoſtolis attribuantur, magnæ tamen ſunt antiquitatis, ſic habent Lib. 8. cap. 30. *Precationes facite manè, tertiâ horâ, & ſextâ, nonâ & veſpere uſque ad galli cantum.* Ex his porrò orationibus, pſalmis, & canticis, temporum lapſu efformatum fuiſſe Breviarium, probabile eſt; atque hoc orandi genus tam regulariter obſervabitur, ut juxta Palladium in vitâ S. Chryſoſtomi, *Epiſcopi* qui cum Fidelibus publicæ orationi intereſſe non poterant, *vigilias*, ſeu Officium, *intra ſua diverſoria celebrarent.* Et S. Germanus Pariſienſis, referente Fortunato, *equitans, curſum*, id eſt Horas, *nudo capite diceret, etſi hiems, aut nix urgeret.*

Quod ſpectat ad Breviarii formam, refert Radulphus ineunte ſæculo XIII. breviatum fuiſſe in Æde ſacrâ Pontificiâ Officium, quod ideo dicebatur *Officium breviatum Curiæ Romanæ.* Addit idem, diſcipulos S. Franciſci hanc brevioris officii formam, prout in Eccleſiâ Lateranenſi uſurpabatur, amplexos fuiſſe; cum autem eorum unus Haymo nomine, Breviarium in eo in quo nunc eſt ſtatu repoſuiſſet, præcepit Nicolaus III. ut ab omnibus Eccleſiis aſſumeretur: *Unde*, inquit Radulphus, *hodie in Româ omnes libri ſunt novi & Franciſcani.* Ea de re legi utiliter poteſt Thomaſſinus Diſcip. Eccleſiaſt. Part. 4. Lib. 1. cap. 40. ubi & obiter probat precem *Dominus vobiſcum*, ab iis non eſſe omittendam, nec mutandam ab iis qui Officium privatim recitant, uti jam dudum ex profeſſo probavit Petrus Damiani, qui anno 1057. Cardinalis & Hoſtienſis Epiſcopus creatus eſt.

SECTIO SECUNDA.

Quinam ad Horas Canonicas teneantur.

TRiplex hic movetur difficultas: prima eſt de Clericis, qui ſacris Ordinibus ſunt initiati; ſecunda, de Beneficiariis; tertia, de Perſonis Religioſis. Sit itaque

CONCLUSIO PRIMA.

Clerici omnes in ſacris conſtituti, etiamſi Beneficiari non ſint, ſub mortali tenentur ad officii recitationem, etiam extra Chorum.

Prob. 1. quoad Presbyteros ex cap. *Presbyter.* 1. *De celebr. Miſſarum*, quod deſumptum eſt ex Concilio Agathenſi, * *Presbyter*, inquit, *manè matutinali officio expleto, penſum ſervitutis ſuæ, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperamque exolvat.* * an 506

Hic porrò agitur de privatâ recitatione; cum idem Canon præcipiat, ut ille Presbyter curet officium publicè recitari, ſi fieri poteſt. Quia tamen Canon ille ab aliquibus intelligitur de Presbytero Beneficiario.

Prob. 2. Et meliùs ex Seſſ. 21. Concilii Baſil. * quæ ante ſchiſma celebrata eſt, cujus hæc ſunt verba: *Quoſcunque Beneficiatos, ſeu in ſacris conſtitutos, cum ad Horas canonicas teneantur, admonet hæc ſancta Synodus, &c.* ubi non conditur nova lex, ſed condita ſupponitur. * an 1435. 9. Junii

Prob. 3. Quia conſuetudo ubique recepta, vim legis habet: atqui eſt dudum in Eccleſiâ tum Occidentali, tum Orientali recepta conſuetudo, ut Clerici in ſacris conſtituti, ad officii recitationem teneantur; unde hic dici poteſt quod in ſimilibus dictum eſt à Tertulliano, *Harum & aliarum ejuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo conſervatrix, & fides obſervatrix.*

Dixi 1. *Clerici in ſacris*, quia ex univerſali conſuetudine manifeſtum eſt, onus officii recitandi minoribus Clericis non incumbere.

At, inquies, Innocentius III. cap. *Dolentes. De Miſſ. celebr.* ſupponit Clericos minores ad officii recitationem teneri.

Reſp. neg. ant. En verba canonis: *Dolentes referimus quod non ſolum quidam minores Clerici, verùm etiam aliqui Eccleſiarum Prælati, &c.* Atqui particula *minores*, non ſumitur hic abſolutè, ſed comparatè ad Prælatos. Porrò ipſi etiam Presbyteri Diaconi, ad Epiſcopos alioſve Eccleſiæ Prælatos comparati, dici poſſunt Clerici minores. Ergo. Adde

quod

quod Pontifex non videatur hic loqui niſi de officiis quæ fiunt in Choro; ad ea autem nec minores, imò nec multos ex majoribus Clericis obligari certum eſt.

Dixi, 2. *omnes*, ne iis quidem exceptis, qui ſuſpenſi, excommunicati, aut etiam degradati, & depoſiti fuiſſent: quia ut optimè ait Navarrus, *nemo ex improbitate ſua debet reportare commodum.* Quare probat Sacerdotem Triremibus damnatum, officio teneri, ſi ipſum abſque notabili dedecore ſui ſtatus, & verberum periculo perſolvere poſſit. Idem dicendum de incarcerato, de capto à Piratis, imò de eo qui diſpenſante Papa uxorem duxiſſet, niſi ſimul cum eo diſpenſatum eſſet circa onus Breviarii.

Quæres quid dicendum de eo qui ſponte ordinatus non eſſet, aut non niſi invitus accepiſſet Beneficium.

Reſp. eum qui coactè ordinatus fuiſſet, non teneri ad officium, niſi voluntarie poſtmodum utatur Ordine ſuſcepto. Ratio eſt, quia tale onus nemini invito imponi poteſt. Ita Henricus à S. Ignatio poſt Caſtro: Palaum, Suarem & alios, qui hoc etiam extendunt ad eum qui ante pubertatis annos Ordines ſuſcepiſſet.

Quod ad eum ſpectat qui ob metum Beneficium ſuſcepit, certum eſt eum ab officii recitatione immunem non eſſe, ſi metus levis fuerit: hoc enim timoris genus, ſi libertatem non tollat in iis etiam rebus quæ plus libertatis requirunt, ut matrimonium, quanto minus in caſu præſenti tollet? Si verò metus ille gravis ſit, nulla eſt huic Clerico Breviarii recitandi neceſſitas, niſi vel de novo in Beneficii collati acceptationem conſentiat, vel ejuſdem fructus percipiat; fructus enim non dantur niſi propter officium. Cæterum ſi metus ceſſet, tenetur Clericus iſte quamprimum Beneficio renuntiare. Ita Pontas verbo *Office du Breviaire* caſ. 14.

Dixi 3. *ſub mortali*; quia fatentur Doctores omnes, legem in materiâ tam gravi, & ob cauſas adeo graves ſancitam obligare ſub mortali, quod quidem ex infra dicendis ulterius confirmabitur.

Quæres, an Subdiaconus teneatur ad totum officium eâ ipsâ die quâ Ordines ſuſcipit.

Reſp. eum non obligari, niſi ad partem quæ reſpondet tempori quo Ordine inſignitur; puta ad Nonam & ſequentes hujus diei Horas: cum enim variarum officii partium recitationem, variis diei partibus alligaverit Eccleſia, & nulla lex vim habeat retroactivam, niſi aliter expreſſè declaret; perſpicuum eſt Eccleſiam id unum poſtulare, ut qui Breviarii recitandi onus ſumit, eam penſi ſui partem exſolvat quæ reſpondet tempori quo idem onus ſubit.

Sed quid ſi Joannes ad Subdiaconatum promovendus ante ordinationem officium ſuum recitaverit?

Reſp. idem officium eſſe repetendum. 1. quia ſolutio debiti, debitum contractum ſupponit: atqui Joannes eo tempore quo Breviarium recitavit, necdum ejus recitandi debitum contraxerat. 2. quia officii recitatio quam à Subdiaconis exigit Eccleſia, ejuſdem nomine perſolvi debet: atqui non poteſt quis Eccleſiæ nomine officium recitare antequam Subdiaconus creatus fuerit; quia non eſt miniſter ab Eccleſia deputatus, niſi cum Subdiaconatum ſuſcipit, aut Beneficio donatur. Ergo. Ita Pontas ibid. caſ. 2. & 3.

CONCLUSIO SECUNDA.

Beneficiarii ad officii divini recitationem tenentur.

Prob. 1. iiſdem argumentis, præſertim ſecundo & tertio, quibus ſupra probavimus Clericos in ſacris conſtitutos ad offici divini recitationem teneri.

Prob. 2. ex Concilio Lateranenſi V. ſub Leone X. Seſſ. 9. quod ſic loquitur: "Statuimus & ordinamus, ut quilibet habens Beneficium cum cura, „vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento Bene„ficio divinum officium non dixerit, legitimo im„pedimento ceſſante, Beneficiorum ſuorum fru„ctus ſuos non faciat pro ratâ omiſſionis recitatio„nis officii & temporis, ſed eos fructus tanquam „injuſtè perceptos, in fabricam hujuſmodi Benefi„ciorum, vel pauperum eleemoſynas erogare te„neatur: ſi verò ultra dictum tempus in ſimili ne„gligentiâ contumaciter permanſerit, legitima mo„nitione præcedente, Beneficio ipſo privetur, cum „propter officium detur Beneficium.

Hoc Decretum confirmavit & explicuit Pius V. *Bellarm. Tom. 2 p. 144.* an. 1571. in Bull. 135. quæ incipit, *Ex proximo Lateran. Concilio*, ubi poſtquam præmiſit multos eſſe qui non intelligant quæ habenda ſit ratio horumce Concilii Lateran. verborum, *Pro rata omiſſionis*, ſic pergit: *Statuimus ut qui Horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiſerit, omnes Beneficii ſeu Beneficiorum ſuorum fructus qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur, qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam; qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittat, tametſi aliquis Choro addictus, non recitans omnibus Horis canonicis cum aliis præſens ſit, fructuſque & diſtributiones fortè aliter aſſignatas, ſola præſentia juxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel alias ſibi lucriſeciſſe prætendat, etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem. Item ille qui primis ſex menſibus officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſaverit, grave peccatum intelligat admiſiſſe. Declarantes præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacunque alia Beneficia, etiam nullum omnino ſervitium habentia obtinentes, cum prædictus pariter conveniri. At quicumque penſionem, fructus aut alias res eccleſiaſticas, ut Clericus percipit, cum modo prædicto ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum, fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium.* Ex hoc ſanctiſſimi Pontificis Decreto, quod ſponte laudant Gallicani Theologi, evidenter colligitur quam graviter ad officii recitationem teneantur Beneficiarii. Aliæ ejuſdem Bullæ partes in decurſu exponentur.

Quæres 1. an obligatio hæc juris ſit naturalis, aut eccleſiaſtici.

Reſp. 1. Si Beneficia præcisè propter Horarum recitationem fundata ſint, ut poſterioribus ſæculis Canonicatus Beneficiarius naturale jure ad recitationem tenetur. Tunc enim Fundatorem inter & Beneficiarium intercedit pactum de recitando officio; atque eſt hic contractus quidam *do, ut facias.* Porrò pacta & conventiones jure naturali ſervari debent. Ergo.

Reſp. 2. Quilibet Beneficiarius obtinens Beneficium quod fundatum non eſt niſi poſtquam onus recitandi Breviarii Beneficiariis omnibus impoſitum fuit, ad ejus recitationem jure etiam naturali

tenetur. Eadem eſt ratio quæ præcedentis reſponſionis; nempe quod id virtualiter ſaltem exegerit Fundator, & pariter ſpoponderit Beneficiarius.

Reſp. 3. Si de iis agitur Beneficiis quæ inſtituta fuerint, antequam ſtrictè exigeret Eccleſia officii recitationem: recitationem hanc aliquo ſenſu juris eſſe poſitivi, utpote quæ liberâ Eccleſiæ voluntate inſtituta fuerit, alio autem ſenſu juris eſſe naturalis, quia nulla nunc cuiquam conceduntur Beneficia niſi cum onere & promiſſione officii recitandi.

Quæres 2. an ille cui collatum eſt Beneficium, cujus poſſeſſionem nondum eſt adeptus, teneatur ad Horarum recitationem.

Reſp. Navarrus eum teneri, alii tamen communius id negant. 1. Quia ante initam poſſeſſionem, non cenſetur aliquis perfectè Beneficium conſecutus; multaque occurrere poſſunt impedimenta quominus proviſus poſſeſſionem acquirat.

2. Quia ante poſſeſſionem, Beneficiarius nullum Beneficii jus exercere poteſt, nullaſque functiones obire. Ergo æquum non eſt ut ejus onera ante ferat, juxta Reg. 55. Juris in 6. *Qui ſentit onus, ſentire debet & commodum.*

3. Quia tametſi facta & accepta collatione videatur Clericos jus quoddam habere in Beneficium, reipsâ tamen jus illud non eſt utile; nam non obſtante titulo reſignans percipit fructus quamdiu à poſſeſſione amotus non eſt. ita Habert cap. 11. de Contract. Pontas ubi ſub. caſ. 8.

At, inquies, in Beneficiis, quæ alia quam reſignationis viâ habentur, ſæpe contingit ut fructus reſerventur proviſo, etiamſi nondum inierit poſſeſſionem. Ergo in hoc ſaltem caſu tenetur ad recitationem officii. Adde quod durum ſit Eccleſiam debito carere ſervitio.

Reſpondent Habertus & alii, rationem hanc parum urgere: fructus enim Beneficii vacantis ad quod nemo inſtitutus eſt, futuro Beneficiario ſæpe reſervantur: atqui tamen, inquiunt, nullus dixerit eum qui poſtea inſtitutus eſt, teneri ad aliquod officium perſolvendum pro tempore præcedente ipſius inſtitutionem; ergo &c. Adde quod hæc objectio ad ſummum infirmet ultimam noſtram probationem, non autem duas præcedentes.

Ad id quod addebatur in eadem objectione, reſpondent iidem Theologi, mirum non eſſe ſi Beneficium vacans officio privetur; porrò vacat Beneficium quamdiu actu non poſſidetur.

Cæterum duo hic notanda cum citato Pontaſio, 1. teneri ad Breviarium eos, qui culpa ſua vel negligentia differunt Beneficii vacantis poſſeſſionem adire; quia *mora ſua cuilibet eſt nociva,* ex Reg. 25. in 6. 2. eos qui ante initam poſſeſſionem magnos quoſdam ejus fructus actu percipiunt, ut in certis quibuſdam Beneficiis contingit, ad officii recitationem teneri, quia jam fruuntur præcipua Beneficii parte.

Quæres 3. an duo qui de Beneficio contendunt, ambo poſt initam poſſeſſionem, teneantur ad recitationem officii.

Reſp. Si jus utriuſque vere dubium ſit & incertum, neutrum ad officium etiam poſt aditam poſſeſſionem teneri: talis enim poſſeſſio nec pacifica eſt, nec jus certum tribuit; porrò onus certum ex jure admodum incerto ſequi non poteſt. At verò ſi alterutri de jure ſuo certò conſtet, ſive ex juriſperitorum, quos eâ de re conſuluit, ſententia, ſive aliter; tunc longe probabilius eſt eum teneri ad officii recitationem, quia ex tali poſſeſſione licet nondum pacifica, ſequitur jus moraliter certum. Ad officium ii etiam tenentur, quibus, tametſi de litis ſucceſſu certi non ſint, adjudicata fuit per interim, ut ajunt, Beneficii poſſeſſio: quia ii de facto Beneficii reditus percipiunt, atque etiamſi cauſa excidant in petitorio, eam ſervare poſſunt fructuum perceptorum partem quæ labori ſuo correſpondet. De hac poſſidendi Beneficii ratione, quam *recredentiam* vel vindicias vocant, vulgo *recreance,* vide Ferriere hoc verbo, Melchior. Paſtor. Lib. 2. de Benefic. Eccleſ. tit. 16.

Quæres 4. an qui tenue admodum Beneficium habet, teneatur ad Breviarii recitationem.

Reſp. multiplex eſt ea de re Theologorum opinio. Prima eorum eſt qui negant: ita Soto, Leſſius Lib. 2. cap. 34. dub. 31. qui in exemplum tenuis Beneficii, illud affert quod non parit ſupra octo aureos: exiſtimant tamen iidem Theologi, Beneficiarum hunc certis temporibus, puta Feſtis diebus, & Dominicis ad Horas legendas teneri. Huic ſententiæ inhæret Wigetius Tract. 8. cap. 2. dub. 10. num. 4. ubi ex Maldero dicit, tenue eſſe Beneficium cujus fructus non attingunt tertiam partem mediocris illius ſuſtentationis, quæ ad Clericum communis conditionis deſideratur. Ita & Mag. Grandin. p. 209. Secunda eſt Vaſquelii Opuſc. de Benef. cap. 4. §. 1. art. 1. dub. 5. ſtatuentis in hypotheſi præſenti Beneficiarum ad horas obligatum non iri, ſi ad aliud ſpirituale officium obligatur ex Beneficio, puta ex Capellania ad aliquot Miſſas, per ſe aut per alium celebrandas. Ratio ejus, eſt, quia tale officium ſatis adæquat reditus perceptos: aliter non videt quomodo Clerici ob ſolam Beneficii tenuitatem ab officii recitatione excuſentur; Beneficium enim quodcunque datur propter officium, ſpirituale ſcilicet: atqui primum quod Eccleſia exigit officium eſt Breviarii recitatio, ab iis præſertim qui aliud eidem Eccleſiæ officium non præſtant. Tertia ſententia eos etiam qui tenui fruuntur Beneficio obligat ad recitationem officii. Ita Decoq. Moralis Gratianop. Tom. 2. Tract. 1 cap. 10. Pontas ubi ſupra caſ. 28. ubi pro ſe citat Hoſtienſ. Toletum, Collat. Condom. & Petrocor.

Probant 1. ex variis Conciliis, è quibus adduxiſſe ſufficiat Toloſan. an. 1590 habitum, cujus hæc ſunt verba, cap. 4. *Quicunque aut Curatum aut quodvis aliud eccleſiaſticum Beneficium obtinent, divinum officium non dixerit, ejus fructus non percipiat.* Et Burdigal. an. 1583. *Ii omnes ipſo jure ad officium obligantur quicunque Beneficiis eccleſiaſticis fruuntur, &c.* Atqui hæc verba, *omnes* & *quicunque*, nullam patiuntur exceptionem, neminem prætereunt; ergo.

2. Idem docet ſanctus Antoninus 3. p. tit. 13 cap. 3. §. 42. *Tenentur*, inquit, *ex præcepto ad Horas canonicas quilibet Clerici Beneficiati & non exiſtentes in ſacris, nec excuſare ſe poſſunt ratione exiguitatis Beneficii, ſi ex eo non percipiant neceſſaria, ſed imputent ſibi ex quo ſe fecerunt ad illud intitulari.*

3. Idem docet Gloſſa in Can. *Clericus.* diſt. 91. ubi ait Clericum qui non percipit neceſſaria ab Eccleſia, teneri tamen ad officium, *ſicut vir tenetur miniſtrare neceſſaria uxori, quæ tamen eſt talis quod ei debitum reddere non valet.*

Probant 2. variis rationibus. Prima eſt, quod qui commodum ſentit, debeat idem ſentire & onus: atqui Beneficiarius etiam tenue habens Beneficium, commodum ſentit; tum quia ex hypotheſi certos, licet tenues percipit reditus; tum quia per tenue Beneficium ſicut per pingue redditur exemptus à communibus Reipublicæ oneribus. &c.

So-

Secunda. Non magis Beneficii tenuitas excuſat à Breviario, quam à reſidentiâ: non à reſidentia; ergo. Ita argumentatur Proſper Fagnanus.

Tertia, quia non ſoli Beneficii fructus obligationem legendi Horas inducunt, ſed & ipſe Beneficii titulus, quem Beneficiatus retinet, etſi Beneficium ejus tenue ſit.

Obj. 1. quòd juxta Apoſtolum qui altari deſervit, de altari vivere debeat; quod hic non fieret. 2. quòd qui nihil accipit, ad nihil teneatur: ergo qui parum accipit, ad parum tenetur. 3. qui ſeptem aut octo aureos percipit, rationabiliter ad id obligari non debet, ad quod obligatur qui centum capit.

Reſp. ad primum. Senſus Apoſtoli eſt vivere poſſe de altari qui altari deſervit, non verò eum tantum percipere debere ab altari, quantum ſatis eſt ut commodè vivat; alioqui non teneretur ad officium, qui etiam ultra medium eorum quæ ad honeſtam ſuſtentationem neceſſaria ſunt perciperet, quod tamen nemo hactenus dixit.

Ad ſecundum, dato anteced. de quo ſtatim, negant conſeq. quia, inquiunt, Canones eorumque Interpretes clariùs & expreſſiùs loquuntur de obligatione recitandi cùm aliqui percipiuntur fructus, quàm cùm nulli. Certe alias Conciliorum textus ſupponunt aliquos fructus percipi, cum iis privari velint, eos qui officium non legunt.

Ad tertium. Si ſemel admittatur hæc regula, innumeri erunt Beneficiarii, qui ab omni officio ceſſabunt; dicent enim æquum non eſſe ut qui vix 300. aut 400. libellas percipit, idem ſolvat penſum quàm qui pingues habent Abbatias, quæ inter centum & ampliùs Clericos diviſæ, honeſtæ omnium ſuſtentationi penitùs ſufficerent.

Quæres 5. quid de iis dicendum, qui ſine ſuâ culpâ nullos omnino fructus percipiunt.

Reſp. vel deinceps aliquid percipient, putà ſi ceſſet ſterilitas, ſi pax bello bona depopulanti ſuccedat; vel nihil unquam percepturi ſunt, ut ſi domus aquis abreptæ perierint, fundi ab hoſtibus occupentur &c. ſi primum, dicendum eſt hujuſmodi Beneficiarios à recitatione non eſſe immunes: tum quia nulla eſt ratio, quæ ipſos ab hâc recitatione excuſet; tum quia cùm fertilioribus annis abundantiorem percipiunt reditum quàm qui ipſâ fundatione conſtitutus eſt, non plùs pro Fundatoribus precum effundunt. Ergo ut perfecta ſit æqualitas, nec minùs orare debent, ſi uno aut altero anno nihil aut parum percipiunt. Ita ſentit Habert. Si vero nulla ſpes affulgeat redituûs in poſterum percipiendi, puta ſi fundi temporum iniquitate perierint, diviſi ſunt Theologi. Alii, iique longè plures numero, exiſtimant Beneficiarium ad nihil omnino teneri. 1. quia Beneficiarii neque ex ſuâ, neque ex Fundatoris intentione ad ullum ſe officium obligant, niſi eis aliqua perſolvantùr ſtipendia. 2. quia beneficii fundatio eſt quidam contractus *do ut des*: ergo ſi unus partes ſuas non impleat, non tenetur alter quidquam implere.

Alii vero cenſent ejuſmodi Beneficiarios non deſinere officii divini lege & vinculo conſtringi. Nam 1. ſi ex dictis ſupra, qui modicum poſſidet Beneficium, Horas perſolvere debeat vi clericatûs & tituli, non præcisè ſtipendii ipſius reipſâ inſufficientis, inconſequenter loquitur qui Beneficiarium nullos percipientem reditus eximit ab Horarum perſolutione.

2. Quod de Beneficiario modicos percipiente reditus dicitur ab Antonino, quòd illud *imputare ſibi debeat*, &c. hic dicendum occurrit: ut quid enim Beneficii titulum ſumit, eique inſiſtere pergit, qui eodem vult ſe gerere modo, ac ſi reipſa titulum non haberet?

3. Qui omnes Beneficii fructus reſignanti dimittit per modum penſionis, ex omnium confeſſo ad officium tenetur, quia nempe ſponte & lubens cum eo onere Beneficium accepit: atqui pariter in caſu propoſito, ſponte ac lubens Beneficium accepit ille de quo nunc agimus; ergo pariter tenetur ad officii recitationem.

Hæc ſunt validiora opinionis utriuſque momenta, Secunda videtur tutior; probabilior & longè communior prima: ſed duo hic annotare velim, 1. vix futurum unquam ut quis ſimplicem Beneficii titulum ſine ullo reditu recipiat, niſi redituum defectus aliunde compenſetur: putà quia certis etiam ſine reditu Beneficiis certa alligata ſunt jura, vel honorifica, ut jus aſſiſtendi Choro alicujus Cathedralis; vel utilia, ut jus quod à nobis dici ſolet, *Committimus*. Hæc autem jura, quæ à multis pecuniæ præferuntur, aliquod in Eccleſiæ gratiam officium exigere videntur: unde cùm dubium ſit quid pro hiſce juribus à Clerico debeatur, dicerem, 2. in hoc aliiſque tenuis Beneficii caſibus, conſulendum eſſe Epiſcopum, & repræſentandam ei redituum modicitatem, ejuſque deciſioni parendum: aut denique videndum eſſe quid ferat locorum conſuetudo cui Prælati non reſiſtant: præſumendum eſt enim ibi receptam eſſe generalem officii recitandi legem cum hâc reſtrictione, niſi Beneficia admodum tenuia ſint. Talis autem conſuetudo cenſeri non deberet æquitati contraria: tum quia officium parvum B. Mariæ, aut majus officium certis diebus recitandum, cenſeri poteſt ſervitium exiguis reditibus reſpondens; tum quia Beneficiarii illi communiter tenentur ad certum numerum Miſſarum, qui tenues illos reditus ſatis compenſat. Ita Habertus, Theologus Pictav. aliique quorum judicio ſponte ſuffragatur.

Quæret 6. an ad Breviarii recitationem obligentur ii qui penſionem habent clericalem ſuper eccleſiaſtico Beneficio conſtitutam. Non loquimur de iis qui penſiones merè laicas habent, ob temporalem quam præbent Eccleſiæ operam, Organa v. g. pulſando, &c. eos enim officio non conſtringi certum eſt.

Reſp. eos teneri ſub peccato & pœnâ reſtitutionis *ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis*. 1. quia ita decrevit Pius V. jam citatâ Bullâ 13. quæ in hoc puncto ubique recepta eſt. 2. quia, ut ajunt Proſper Fagnan. & Navarrus, penſio hodie datur propter officium, ſicut Beneficium. Idem tenet Pontas verbo *Penſion* caſ. 24. author Lib. cui titulus *Theorie & pratique des Sacramens*, Tom. 3. pag. 121. & Suares Lib. 4. de Hor. canon. cap. 22. Et hoc verum eſt de eo etiam Clerico, qui conſenſiſſet in penſionis ſuæ redemptionem: iiſdem tamen licet magnum officium recitare.

Quæres 7. an qui Præſtimonias habent, eâdem recitandi officii lege teneantur.

Reſp. 1. Præſtimonium, ſeu ut loquitur Pius V. Præſtimoniæ definiuntur, Portiones quædam à reditibus Beneficiorum abſtractæ & deſignatæ, ut juvenibus per modum ſubventionis ad peragenda ſtudia conferantur, aut perſonæ habili donentur ad ſerviendum Eccleſiæ.

Præſtimoniarum duplex eſt genus, ut notat Pontas verbo *Tiers Eccleſiaſt.* cap. 5. aliæ ſunt perpetuæ, aliæ ad nutum revocabiles.

Reſp. 2. Stando in jure communi, habentes præſtimoniam tenentur ut alii Beneficiarii ad officium 1. quia ita ſanxit S. Pius V. in Conſtitutione

pluries laudatâ. 2. quia præſtimoniæ perpetuæ cæteros Beneficii caractetes habent: dantur enim ab Epiſcopo, non dantur niſi Clerico, dantur ſine pacto, tituli eccleſiaſtici locum habent, præſertim in Britanniâ Armoricâ. Ergo cùm qui ſentit commodum, debeat & onus ſentire mirum eſt ſi ab officio immunes ſint Præſtimoniarii.

Nihilominùs cùm olim occaſione Brironis cujuſdam eos conſuluiſſem qui pleniorem rei hujus notitiam habere poterant; reſponſum fuit hanc eſſe in iis partibus conſuetudinem, ut præſtimoniarii ad nihil teneantur: quibuſdam in locis obligantur ad quinquies in die recitandum *Pater* & *Ave*, ut notat Charloteadu, in ſuo de materiis Beneficialibus compendio, pag. 3. Videndæ ſunt ſi fieri poſſit fundationes, & conſulendi Epiſcopi. Cætera ad hanc materiam pertinentia, ut Commendæ, Coadjutoriæ, & aliæ ejuſdem generis, ex dictis & uſu ſatis intelliguntur: de iis plura videris apud Suarem Tom. 2. Lib. 4. cap. 22.

Dicendum nunc de Religioſis, quorum obligationes ab ipſis etiam ſecularibus Presbyteris cognoſci expedit, cum ſæpe contingat ut ſive in itineribus, ſive in miſſionibus ſeu ſtationibus iis Sacramenta adminiſtrare teneantur. Certum eſt Religioſos à Clericis Pſalmodiam accepiſſe; at eidem & longiùs & accuratiùs vacaveres. *Matutina laudes*, ait S. Epiph. Expoſ. fidei cathol. cap. 23. *in Eccleſia Catholica, matutinaque preces aſſiduè celebrantur; lucernales item pſalmi & orationes.. magna vero ex parte Monachi in decantandis pſalmis, ac perpetuis orationibus occupantur.* Vide Caſſian. Lib. 2. & 3. Collat. ubi ſcribit Ægypti ac Thebaidis Monachos majorem diei noctiſque partem in Horis decantandis impendiſſe. Idem de Monialibus teſtantur S. Gregor. Nyſſen. in vitâ S. Macrinæ, & Hieronym. tum Epiſt. 27. tum Epiſt. ad Demetriadem quam his verbis compellat: *Præter pſalmorum & orationis ordinem quod tibi hora tertia, ſexta, nona, ad veſperam, media nocte, & manè ſemper eſt exercendum, &c.* Quæritur quæ & quanta ſit hæc obligatio; unde ſit.

CONCLUSIO TERTIA.

Religioſi ad Chorum profeſſi, & necdum in ſacris conſtituti, etiam extra Chorum, tenentur ſub mortali ad officii recitationem, niſi cùm iis diſpenſatum ſit à Papâ, aut aliud ferat ſpeciale Ordinis inſtitutum. Ita Theologi pene omnes contra nonnullos laxiores.

Prob. 1. ex unanimi omnium ferè conſenſu, qui oppoſitam opinionem rejecerunt; alii ut temerariam, alii ut ſchandaloſam, alii ut pernitioſam animarum ſaluti, alii ut planè improbabilem, & ideo papæ juſſu eraſam è Libro Emmanuelis Sa. Famoſæ tres Hiſpaniarum, Univerſitates, Hiſpalenſis Cæſaraugustana, Conimbricenſis contra eam acriter inſurrexerunt an. 1632. præiverat jam ab an 1625. R. P. Mutius Viteleſchi, Societatis Jeſu Præpoſitus, prohibens ne, quis ſuorum opinionem prædictam doceret etiam ut probabilem. Vide Æthic. Amoris, Tom. 2. Lib. 10. cap. 17. ibique congeſta Theologorum & Ordinum plurimorum teſtimonia.

Prob. 2. ex legitimâ conſuetudine, non tam ab ipſis Religionibus introductâ, quàm ab Eccleſiâ, quæ Religionibus ad Chorum deſtinatis, Breviarii penſum quotidie recitandum determinavit, non præcepto ſcripto, ſed eccleſiaſticâ traditione; atqui talis conſuetudo, utpote vim legis habens: graviter & in conſcientia obligat eos omnes qui ab eâ non excipiuntur; non excipiuntur autem Religioſi in ſacris non conſtituti, & extra Chorum verſantes. Unde ſtatim ac aliquis aſſerere auſus eſt hujuſmodi Religioſos ab officio legendo abſtinere poſſe, eidem protinus vividè & acriter obſtiterunt horumce Ordinum ſuperiores: de quo tria videris exempla apud citatum Theologum.

Prob. 3. quia contraria paucorùm opinio ſingularis eſt & nova: atqui opiniones novæ & ſingulares in materiâ morum, plenæ ſunt periculi; ergo.

Obj. 1. Aſſertio præcedens potiſſimùm fundatur in Doctorum conſenſu: atqui ex hoc conſenſu certum erui non poteſt argumentum, quandoquidem non conſentiunt inter ſe doctores in aſſignando hujuſce obligationis fundamento; ergo.

Reſp. neg. min. Tam enim conſenſus Theologorum & Canoniſtarum aſſertionem noſtram ab extrinſeco certam facit, tametſi non conſentiant in fundamento intrinſeco iſtius obligationis, quàm idem conſenſus certam faciat obligationem Subdiaconorum ad caſtitatem, tametſi in aſſignando hujuſce obligationis fundamento non conveniant Doctores, quorum alii obligationem hanc fundant in voto implicito; alii in Eccleſiæ præcepto; alii in conſuetudine præſcriptâ: atqui &c.

Obj. 2. Nulla obligatio ut talis recipienda eſt, niſi de ea evidenter conſtet per legem ita claram ut probabilem non patiatur exceptionem: atqui obligatio de quâ loquimur, non oritur ulla lege tam clara &c.

Reſp. neg. maj. quæ ſi vera ſit corruunt & labuntur plurima chriſtianæ moralis capita, quæ licet à ſanioribus Theologis recepta ſint, non probantur tamen argumentis ita cogentibus ut nunquam eludi poſſint & imminui. Legantur propoſitiones laxæ ab uno minùs ſæculo damnatæ, & quarum multæ horrorem pariunt, vix ulla eſt quæ à viris eruditis imo & piis multiplici momentorum genere firmata non fuerit, & aliquando rationibus munita tam arduis ut facilè ſolvi non poſſet. An non ergo malæ & periculoſæ erant eæ propoſitiones antequam damnarentur? An non meritò arguebantur Theologi, qui aſſerebant Sacerdotem novum poſſe ſtipendium exigere pro parte ſacrificii ſibi debita, quam aliis cederet; eo prætextu quod lex id prohibens non ita evidens & aperta foret, ut probabilem non pateretur exceptionem? An non noverunt omnes id quod alii falſum judicant, ab aliis verum & probabile judicari? Profectò ſi, ut ait Caſſianus de Diſc. cap. 10. *decipi non poteſt, qui non ſuo ſed communi majorum vivit vel ſentit exemplo*, facile decipi poteſt qui ſe cæteris omnibus oculatiorem eſſe confidit.

Obj. 3. Nulla conſuetudo ſub mortali obligat, niſi certo conſtet eam introductam vel receptam fuiſſe ſub tali peccato. In dubio namque concludendum eſt pro obligatione minima; quia in obſcuris minimum eſt ſequendum, in pœnis benignior eſt interpretatio facienda: atqui certo non conſtat Religioſos & Moniales extra Chorum teneri ſaltem ſub mortali ad officii recitationem? ergo &c.

Reſp. 1. neg. maj. Etenim, ut ſapienter monet Dionyſius Carthuſ. in 2. Sent. diſt. 21. poſt Alenſem, *Qui dubitat de aliquo an ſit ſimonia, an non, eo quod quidam juriſperiti dicunt hoc eſſe ſimoniam, & quidam non, talis abſtinere debet à tali negotio*,

negotio, ſeu contractu, ne diſcriminii ſe committat: quod principium ſuo loco fuſius explicabimus; ergo non requiritur ratio evidens, ſed aliquando ſufficit dubiũ ut quis vel agat, vel abſtineat ab agendo.

Reſp 2. ex unanimi ſapientum conſenſu exurgere demonſtrationem moralem, quam qui ſequitur decipi non poteſt, ut ſupra aiebat Caſſianus: atqui conſenſum hunc habemus circa obligationem quæ nunc à nobis expenditur: ergo:

Circa concluſionem noſtram quædam ſunt animadvertenda.

Not. itaque 1. id quod de Religioſis dictum eſt, ad Sanctimoniales eſſe extendendum, ob paritatem rationis, & conſuetudinis. Idem etiam ſtatuendum eſt de virginibus illis, quæ in Belgio & Germaniâ Canoniſſæ vocantur, ut contra Leſſium in conſiliis verbo *Hora canonica* caſ. 14. docent Malderus, Wiggers, Loth, Vanroy, Henricus à S. Ignatio, & alii complures; quorum aſſertio fundatur 1. in conſuetudine & Theologorum conſenſu. 2. in eo quod æquum ſit ut quæ quodammodo de altari vivunt, & Eccleſiæ bona percipiunt, ut divino ſint ſervitio & Choro mancipatæ, ſaltem officium privatim recitent, cum Choro intereſſe nequeunt. 3. quia eæ Canoniſſæ ut plurimum ſucceſſerunt veteribus Benedictinarum monaſteriis, quarum cum vicem teneant quoad reditus, debent & vicem tenere quoad officium. De his plura apud citatos authores.

Not. 2. id quod diximus circa Sacerdotem, eum ſi excommunicetur, exilio aut triremibus damnetur &c. adhuc officii recitationi obnoxium remanere, pariter dicendum de Religioſis: unde apoſtatæ, fugitivi, ii etiam quibus permittitur ut extra monaſterium perpetuò vivant, ad officium tenentur. Aliter ſentiendum de eo cui ex diſpenſatione pontificiâ permitteretur uxorem ducere; quia diſpenſans in profeſſione, cenſetur in iis etiam diſpenſare quæ ex profeſſione ſequuntur. Eadem eſt ratio illius qui vi ſimilis diſpenſationis tranſiret de ſtatu ſuo ad ſtatum Converſorum, aut ad aliam Religionem quam qui profitentur non ſunt ad Chorum deſtinati. Quod ſpectat ad eum qui per ſententiam à monaſterio ejectus eſt, alii, ut Sotus & Cabaſſutius, eum ab onere officii liberum aſſerunt, alii negant. *Is enim* ait Navarrus, *ſemper remanet Monachus, nec uxorem ducere poteſt, & ad Ordinem ſuum, ſi volet* mores mutare, *redire ferè ſemper poteſt*. Vide Pontas ubi ſup. caſ. 10. & caſ. 11.

Not. 4. ad officium non teneri 1. Novitios & Novitias, qui in odioſis reputantur ſæculares 2. Laicos ſeu Converſos etiam profeſſos, qui non ad Chorum, ſed ad opera manualia deputati ſunt. 3. Clericos, qui ex profeſſione ſuâ non ſunt addicti Choro, ſed vel ſtudiis ut juniores Jeſuitæ, vel armis ut Religioſi militares. Eorum vero qui ad Chorum ſunt deputati, obligatio incipit à die & horâ profeſſionis, ut ex dictis obligatio Subdiaconorum à tempore & horâ ordinationis.

SECTIO TERTIA.

Quo utendum ſit Breviario.

Celebris extat eâ de re S. Pii V. Conſtitutio emiſſa die Junii 7. 1568. *Abolemus* inquit, n. 5. *quæcunque alia Breviaria* præter Romanum, *vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab Epiſcopis in ſuis Diœceſibus promulgata, omnemque illorum uſum de omnibus orbis Eccleſiis, monaſteriis, conventibus, militiis, ordinibus, & locis virorum ac mulierum, etiam exemptis, in quibus alias officium divinum Romanæ Eccleſiæ ritu dici conſuevit, aut debet; illis tamen exceptis quæ ab ipſa prima inſtitutione à Sede apoſtolica approbata, vel conſuetudine, quæ vel ipſa inſtitutio ducentos annos antecedat, aliis certis breviariis uſos fuiſſe conſtiterit, quibus ut inveteratum illud jus dicendi & pſallendi officium ſuum non adimimus, ſic eiſdem ſi fortè hoc noſtrum, quod modo promulgatum eſt, magis placet, dummodo Epiſcopus & univerſum Capitulum in eo conſentiant, ut id in Choro dicere & pſallere poſſint permittimus*. Et infra n. 7. *Statuentes... neminem ex iis quibus hoc dicendi pſallendique munus neceſſariò impoſitum eſt, niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe*. Ut variæ circa hoc Decretum elucidenter difficultates.

Quæres 1. an poſt citatam Pii V. Conſtitutionem teneantur Clerici ad Breviarii Romani recitationem.

Reſp. Clericus vel eſt Beneficiarius, in loco Beneficii ſui reſidens, aut alicujus Eccleſiæ ſervitio mancipatus; vel non. Si primum, tenetur recitare officium Diœceſis in qua vel Beneficium habet, vel ſervit, non autem officium Romanum. Et ratio eſt 1. *quoniam*, ut rectè notat S. Thom. quodlib. 6 art. 8. *quemadmodum Clericus quia Eccleſiæ mancipatus atque addictus eſt, ad officium eccleſiaſticum obligatur; ſic etiam quia tali Eccleſiæ ratione Beneficii addictus eſt, talis Eccleſiæ officium recitare debet*. 2. quia nemo Bullam Pii V. ſic intellexit, ut crediderit melius eſſe poſt eam, ſi ii qui Eccleſiæ particulari quæ officio Romano non utitur, addicti ſunt, Romanum proprio neglecto officium recitarent: unde cum ſcripſiſſet Cajetanus Clericos aut Monachos poſſe *ſine peccato mortali*, Romanum Breviarium proprio Diœceſis ſuæ aut Ordinis Breviario anteponere, reſpondit Bellarminus, cui ignota non erat Piana Conſtitutio, *non eſſe id uſque adeo certum vel tutum*. Ita Navarrus, Toletus, Pontas, *Office du Breviaire*, caſ. *Lib. 1. de bonis operib. in part. c.18.*
31. & author Collat. Diœceſ. Rupell. q. 17. & 18. Notânt tamen multi Beneficiarium, qui non tenetur Choro intereſſe, uti poſſe Breviario Romano; atque hoc ſatis probari videtur uſu ferè univerſali. Vide authorem ſtatim citandum, pag. 144.

Dixi, Beneficiatus *in loco Beneficii ſui reſidens*, quia ſi in alia Diœceſi reſideat, optimè faciet ſi ejus Breviarium aſſumat. Vide author. Gallicum theor. & praxis Sacram. Tom. 3. p. 146.

Quod ſpectat ad eos qui nec certæ Eccleſiæ, nec alicui Ordini religioſo addicti ſunt, ut nonnulli qui ad ſolum patrimonii titulum ordinantur, iis liberum eſt, ubicunque ſint, Eccleſiæ Romanæ officium ſequi. Ita ſatis communiter Theologi. *rectè tamen facerent*, ait Bellarminus *ſi uſum illius Eccleſiæ ſequerentur apud quam ordinariè verſari ſolent*, juxta conſilium S. Auguſt. in Epiſt. 118. nunc 54. num. 2. *nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam ad quamcunque fortè devenerit*. Quam regulam S. Doctor à S. Ambroſio didicerat, cujus hæc verba refert in Epiſt. ad Caſulanum, nunc 96. alias 86. *Quid poſſum hinc docere amplius, quam ipſe facio?... Quando hic ſum, non jejuno ſabbato: quando Romæ ſum, jejuno ſabbato... ad quamcunque Eccleſiam veneritis, ejus morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere.*

Confirmatur. Quia ſatis eſt abſurdum, ut quis officium & Miſſam de feria legat, cum reliqua Diœceſis ſolemnem de Patrono, aut quovis alio

feſtum celebrat: atqui ſequitur illud inconveniens, ſi quis proprio Diœceſis ſuæ Breviario non utatur; ergo. Ita citati authores ex quorum principiis colligere eſt, quod & ipſi fatentur, eum qui, relictâ Diœceſi ſuâ, Pariſios aut alio quocunque ſe transfert, ut ibidem tempore notabili puta majori anni parte commoretur, pariſienſi aut proprio loci Breviario uti debere.

Si fortè objeceris Pium V. in Bullâ citata præcipere ut ii omnes romano Breviario utantur, qui proprium non habebant ducentis ante ejus Conſtitutionem annis; reponit author Collat. Diœceſ. Rupell. 1. hanc pontificiæ legis partem in eos tantam cadere, qui *de jure vel conſuetudine* ad officii romani recitationem tenebantur, non in alios. 2. Conſtitutionem hanc nunquam in Galliis receptam fuiſſe, aut promulgatam cum iis formalitatibus quæ neceſſariæ ſunt, ut pontificiæ deciſiones vim legis habeant. 3. Addi poſſet, privatorum munus non eſſe ut diſcutiant an Epiſcopi nova potuerint invehere Breviaria; benè vero ut id ſequantur quod ad Caſulanum ſcribebat Auguſtinus: *Epiſcopo tuo in hac re noli reſiſtere; & quod facit, ipſe ſine ulla ſcrupulo vel diſceptatione ſectare.*

Hæc momenta, ut paucis aperiam quod ſentio, ſatis probant melius eſſe ſi quis officium recitet juxta ritum Diœceſis in quâ verſatur; unde hoc enixè optarunt piiſſimi quicunque Cleri reformatores, atque inter alios inſignis Dei famulus D. *Bourdoiſe*: haud tamen crediderim hominem nulli Beneficio vel Eccleſiæ mancipatum, etiam ſub veniali, obligari ad abjiciendum quo ante utebatur Breviarium romanum; quod enim ego ſæcularis Sacerdos Breviarium romanum Pariſiis recitem, non plus habet incommodi, quam quod illud recitent multæ ejuſdem civitatis Communitates, ſive ſæculares, ſive regulares. Nec nocent allatæ Auguſtini & Ambroſii authoritates, cum ex communi Fidelium ſenſu certæ quædam ſint locorum leges quibus obſequi debeat is etiam qui unum duntaxat diem iis in locis tranſigit, qualis eſt lex jejunii, lex audiendæ Miſſæ in die feſto; unde ab uno ad aliud non valet illatio. Et verò hinc ſequeretur eum qui per octo dies in Diœceſi aliqua degit, ad amplectendum ejus Breviarium teneri ſaltem ſi commodè poſſit, quod ne ii quidem fatentur Theologi quos adduximus.

Sed poſſunt ne iidem uti Breviario Diœceſis ex quâ ſunt oriundi, ſi illud romanum non ſit?

Reſpondent negat. authores ſupra citati. Facilè tamen non credam eos qui propriæ ſuæ Diœceſis Breviario uti pergunt, peccare, quamdiu ei in qua actu commorantur Eccleſiæ, non ſunt ſpecialiter mancipati.

Notandum tamen cum Bonacinâ, Tom. 1. hic diſp. 1. q. 3. quod ſi alicubi adeſſet particularis Epiſcopi præceptum, ut Clerici omnes tam privatim quam publicè proprium Diœceſis officium recitare tenerentur, prout extat Mediolani, ubi Clericis omnibus ex Decreto S. Caroli *in virtute ſanctæ obedientiæ* præcipitur ut Horas canonicas juxta præſcriptum Breviarii Ambroſiani recitent; ei procul dubio obſequendum eſſet.

Quæres 1. an qui in aliâ Parochiâ, vel Diœceſi, per breve tempus verſatur, ibique loci officium recitat, teneatur privatim repetere loci ſui officium.

Affirmat Pontas ubi ſupra caſ. 34. in fine; quia, inquit, qui tranſitoriè tantum in aliquo loco manet, loci bujus ritum ſequi nec debet, nec poteſt. Sed negat author Collation. Rupell. q. 20. ubi ait eos omnes qui de præſenti materia ſcripſerunt, fateri hujuſmodi Clericum ei quam recitavit officii parti penitus ſatisfeciſſe. Sed ſalvo meliori judicio, facile credam hic aliqua opus eſſe diſtinctione. Si quis enim, ut vicino ſuo Patroni feſtum, aut quodvis aliud peragenti opem ferat, aut alia juſta de causâ aliud à proprio officium cum eo recitet, non videtur ad repetendum obligari; nemini enim pietas ſua ſcrupulum & incommodum afferre debet: qui verò abſque neceſſitate ulla aliquam alterius officii partem recitaſſet, tutius ageret repetendo, aut id quod de propriis Horis omiſit ſupplendo.

Quæres 3. an Monialium director ſive ſæcularis, ſive regularis poſſit ſe illarum officio conformare.

Reſp. affirmat. Si quidem de iis agitur qui Miſſam conventualem celebrant. Et ratio eſt 1. quia fatentur omnes Miſſam quantum fieri licet, officio conformem eſſe debere. Ergo cum ille Sacerdos Miſſam canere debeat conformiter ad officium monialium, poteſt & utcunque debet, earum officio ſe conformare. 2. quia regularis qui ad tempus notabile ſæculari Eccleſiæ præficitur, poteſt imò & teneri videtur ad dicendum hujus Eccleſiæ officium. Ergo & à pari &c.

Quæres 4. quid dicendum ſit de eo qui recitavit officium de Sancto, cum recitandum erat de feria; vel qui officium unius Sancti cum alterius officio permutavit.

Reſp. Vel hoc fecit cum advertentiâ, vel incogitanter. Si primum, communior & melior ſententia docet eum mortaliter peccare, & non ſatisfacere præcepto, præſertim ſi recitet officium notabiliter brevius, vel notabiliter difforme. Et ratio eſt 1. quia Eccleſiæ præceptum nec quoad modum implet, ut ſatis evidens eſt, nec quoad ſubſtantiam, quidquid in contrarium dicant Sylveſter, Cajetanus, Leſſius, Valentia & alii nonnulli. Eccleſia enim non præcipit ſolum recitationem divini officii in genere, ſed etiam in particulari, ut ſcilicet tali die, tale recitetur officium, cujus obligatio utpote diei affixa, cum ipſa die tranſit. Ergo qui tale officium non recitat, ſubſtantiam præcepti Eccleſiæ non adimplet; atque etiamſi eam adimpleret, poſſet mortaliter peccare; omittendo aliquid quod ad præcepti integritatem notabiliter pertineret: ſic peccat mortaliter qui Miſſam celebrando, puſillum aquæ vino non immiſcet, & tamen hæc mixtio non magis pertinet ad ſubſtantiam ſacrificii, quam qualitas aut quantitas ad ſubſtantiam Horarum. 2. Quia quilibet tenetur ad officium juxta formam quæ à Pio V. aut particularibus Epiſcopis præſcripta eſt: atqui ad hanc formam pertinet ut officium diſtribuatur per dies feriales & feſtos, ſecundum naturam & ordinem temporis; ergo. 3. Quia alioqui ſequeretur eum nonniſi venialiter peccare, qui officium idem valdè breve ſingulis diebus recitaret, relicto alio multo longiori quod identidem occurreret. Atqui hoc planè falſum eſt: tam enim graviter peccaret, quam ille qui magnam ſingulis diebus pecuniæ ſummam ſolvere coactus, nonniſi levem exſolveret; ergo. Ita Bellarm. Tom. 3. Lib. 1. Controv. cap. 18. Suarez Tom. 2. de Relig. Lib. 4. cap. 11. n. 6. ubi oppoſitam opinionem nequidem probabilem eſſe docet; Navarrus, Layman, Barboſa, & alii plures quos citat & ſequitur Bonacina. Atque hæc doctrina certior nunc eſſe debet poſt condemnatam hanc ab Alexandro VII. propoſitionem, quæ eſt num. 34. *In die palmarum recitans officium paſchale ſatisfacit præcepto.*

Dices: non peccat qui ſciens & volens unam Miſſam legit pro alia: ergo nec qui unum pro alio officium recitat.

Reſp.

Reſp. 1. neg. ant. ſi generaliter ſumatur. An non enim graviſſime peccaret qui Miſſam pro defunctis diceret in die feſto Sanctorum omnium; aut qui Miſſam Sanctorum diceret in die defunctorum;

Reſp. 2. neg. conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quòd ſicut Eccleſia aliquando libertati noſtræ relinquit omiſſionem Miſſæ, ſic & eidem libertati relinquit ut miſſa celebretur, vel votiva, vel de feriâ, vel pro defunctis; & id probat piorum conſuetudo: at vero neutiquam probari poteſt hanc ab Eccleſia libertatem relinqui circa officii recitationem; imo contrarium evidenter colligitur ex probationibus noſtris.

Si quis verò incaute & inadvertenter, modo inadvertentia hæc culpabilis non ſit, unum officium pro alio recitaverit, communior & probabilior opinio docet eum non teneri ad repetendum, ſi errorem non animadvertat niſi poſt peractam totius officii recitationem. Si verò poſt recitatum v. g. matutinum errorem detegat, probabilius crediderim cum Card. de Lugo, & Æthicâ amoris Lib. 10. cap. 21. reſiduum ex iſtius diei officio poſſe & debere recitari ex benignâ interpretatione mentis Eccleſiæ Quòd ſi officium jam recitatum longè brevius eſſet eo quod recitandum erat, ſequendum eſt id quod docent Layman Lib. 4. Tract. 1. cap. 5. Bonacina & alii, nempe ut debita fiat compenſatio: ùnde qui loco officii Dominicæ octodecim Pſalmos continentis, officium feciſſet de Sancto, deberet Pſalmos novem primi nocturni Dominicæ recitare, ne tanta ſubſit inæqualitas; imo melius fuerit vel totum repetere, ſi officium totaliter differat, vel id ſupplere quod ſuppleri poteſt, ut capitula, lectiones, reſponſoria, modo tamen id ſine gravi incommodo fieri poſſit; hoc tamen ſub pœna peccati neceſſarium eſſe non puto, & ita judicant viri ſcientiâ & pietate conſpicui.

Dices: Qui ſponte unum pro alio officium recitat, non ſatisfacit ex dictis; ergo nec qui recitat unum pro alio etiam ex inadvertentia; quia advertentia vel inadvertentia non mutant naturam debiti.

Reſp. 1. neg. conſeq. lex enim oneroſa ultra terminos ſuos extendi non debet: porrò cùm Pius V. & Epiſcopi tradunt eum qui aliud officium recitat, non ſatisfacere debito ſuo, loquuntur de eo qui ſciens & volens hoc facit. Ergo ea lex ad alios trahi non debet; præſertim cum id negant legis Interpretes ſciente & non reclamante eo qui legem tulit.

Reſp. 2. non deeſſe qui credant eum qui etiam advertenter unum officium commutat in aliud quod non eſt notabiliter brevius, aut notabiliter difforme, peccare venialiter tantum. Ita ipſe Henricus à S. Ignat. Quamvis enim, inquit, officium ſubrogatum, juxta declarationem Pii V. ſit caſſatum, annullatum, & proſcriptum quoad effectum plenæ ac ſine ullo peccato ſatisfaciendi præcepto; non tamen uſquequaque, ſive quoad omnem effectum: quia levis mutatio, etiam ſubſtantialis, niſi gravis fiat ob Eccleſiæ præceptum, quod in præſenti non adeſt, non videtur eſſe mortale peccatum; ſicut nec levis omiſſio ſubſtantialis, ut patet in omiſſione Veſperarum Sabbati ſancti, quam & etiam qui nobis in præſenti puncto adverſantur, fatentur non eſſe niſi venialem. Æquius tamen ſentire videntur qui grave hic peccatum eſſe putant, quia grave præceptum omittitur.

Quæres 5. an qui hodie legit de Sancto poſtridie occurrente, teneatur adhuc die ſequenti officium ejus recitare.

Reſp. affirmat. Tum quia primus error non dat jus invertendi ordinem officiorum Breviarii; tum quia per Eccleſiæ legem tale officium pro tali die determinatum eſt. Ita Lugo, Æthica &c. Unde ulteriùs ſequitur, officium de Sancto quod die ſuo omiſſum eſt, non debere primâ die non impedita recitari, quia officia ſicut jejunia diebus ſuis alligata ſunt, à qua obligatione Rubricæ tum duntaxat excipiunt caſum quo contingit dies illos impeditos eſſe altiori feſto vel ſolemnitate; alias qui longâ detentus infirmitate multa Sanctorum officia prætermiſiſſet poſſet recuperata valetudine omiſſa Sanctorum officia reſumere, non ſine difformitate magnâ cum Eccleſia cujus Breviarium ſequitur. Ita iidem Theologi.

Quæres 6. an qui Breviarium romanum recitant, teneantur ad Pſalmos graduales, pœnitentiales, officium defunctorum, & alia ſimilia quæ pro certis diebus præſcribuntur.

Reſp. non teneri extra Chorum; tenentur tamen ſub mortali ad officium defunctorum die 2. Novembris; item ad litanias in feſto S. Marci, & diebus Rogationum ſi proceſſioni non interſint: quia hæc cenſentur eſſe partes officii harumcè dierum, atque id ſatis probat unanimis conſuetudo. Ita Bonacina, & alii.

Quæres 7. an qui prædictæ proceſſioni aſſiſtunt, ſed non recitant niſi preces quæ ab iis dicuntur qui proceſſionibus non interſunt, cæteras vero vel omittunt, vel ad eas ſatis non attendunt, quæres, inquam, an ii ſatisſaciant Eccleſiæ præcepto.

Affirmat Bonacina: tum quia nemo ex diligentia ſuâ damnum reportare debet; reportaret autem, ſi eo quòd proceſſioni intereſſe velit, ad plus obligaretur quàm privatim obligatus fuiſſet: tum quia cenſetur hujuſmodi Clericus proceſſioni non intereſſe formaliter: tum denique quia id omne facit quod Eccleſia ſub pœna peccati fieri præcipit. Ex his principiis colligit idem Theologus, eum qui Jubilæi tempore proceſſioni intereſt, & non præſtat ea quæ præſcribuntur iis qui proceſſioni interſunt, bene vero ea quæ abſentibus indicta fuere, Jubilæi gratiam conſequi. Ego quidē exiſtimo duo hic eſſe conſideranda. 1. verba legis quæ certas preces imperat. 2. conditionem perſonarum quæ huic legi ſubjacent; fieri enim poteſt ut Canonicus aut paſtor qui proceſſioni intereſſe tenetur, ad plus obligetur quàm ille cui liberum eſt eidem proceſſioni non intereſſe. Si lex non ita apertè loquatur, ut colligi poſſit an ſtrictè præcipiat, vel non; conſulendus eſt legiſlator, aut videndum quo ſenſu eam intellexerint & intelligant viri docti perinde & timorati.

SECTIO QUARTA.

Quo ordine & tempore recitandum ſit officium privatim.

Hic tria inquiri poſſunt. 1. quo tempore melius ſit & perfectius Horas recitare. 2. quo tempore id fieri debeat, ut vitetur peccatum etiam veniale. 3. demum quando recitandæ ſint, ut ſaltem vitetur mortale peccatum; quæ ut ſolvantur.

Dicendum 1. optandum quidem fore, ut Horæ ſuis temporibus & intervallis etiam extra Chorum recitarentur; inde enim *Horæ* dictæ ſunt ab antiquis, quia certis diei partibus alligari debebant. Matutinum ergo media nocte, vel ſub diei crepuſculum recitandum eſſet; Prima, inter ortum Solis & nonam matutinam 3. Tertia inter novam & meridiem; Sexta, meridie vel circiter; Nona, circa tertiam veſpertinam. Veſperæ, ad Solis occaſum,

caſum, unde dicebantur Hora lucernaria; Completorium, ſub finem diei. Hanc diſciplinam, quæ hodie intollerabilis videretur, diu in uſu fuiſſe patet ex Statuto Synodali quod anno 1236. emiſit Petrus Rothomag. Epiſcopus. *Præcipimus*, inquit, *quod quilibet Sacerdos in Parochia ſua, ſeu Capellanus in Capella ſua dicat Matutinas de nocte, & omnes Horas horis competentibus; & pulſet horis debitis ad quamlibet Horam.* Stephanus Poncher, qui an. 1503. effectus eſt Pariſienſis Epiſcopus, his utebatur verbis in Synodo Pariſ. *Permittimus neceſſitatis cauſa, Matutinas diei ſequentis dicere ſero præcedente: aut manè totum officium ſucceſſivè dicere uſque ad Veſperas cum Completorio, ſi utilibus negotiis occupati eſtis, ut ſtudio, aut proceſſionibus, vel peregrinationibus; ſed ſi ex ſomnolentia aut delitiis facitis, ſine peccato facere non poteſtis.* Legatur eâ de re Thomaſſin. Tom. 2. pag. 4. Lib. 1. c.42. & 43. ubi probat ipſos Laicos, Reges, viros & feminas Principes huic officiorum diſtributioni fuiſſe intentiſſimos. Sed quia perperam tentaretur hujuſcè conſuetudinis renovatio.

Dicendum eſt 2. quòd *non videtur de ſe eſſe mortale, quandocunque quis tarde dicat officium, dum non tranſeat dies, qui quantum ad hoc videtur terminari circa mediam noctem.* Ita S. Antonin. 3. part. tit. 13. c.4. & alii poſt eum Theologi. Et ratio eſt, quia ſic recitans, etſi minus perfecte, implet tamen ſubſtantiam præcepti. Idem tenent Sylveſter, Navarrus, & alii quos ſequitur Pontas caſ. 20. Malè tamen docuit Baſilius Legionenſis, & alii quidam, cum qui incipit hodiernum officium recitare paulo ante mediam noctem diei ſequentis, recitandi præceptum implere, etiamſi notabilem hujuſce partem, poſt noctem mediam proſequatur & abſolvat. Ratio eſt, quia ex communi Eccleſiæ & Doctorum ſenſu, ſi pauculos excipias, totum diei hujus officium ſub mortali abſolvendum eſt ante finem hujus diei mathematicè ſumptum: unde qui aliquam officii partem tranſacta media nocte recitat, non magis ſatisfacit quoad illam partem, quam ſatisfaceret quoad totum, ſi totum poſt mediam noctem recitaret.

Dicendum 3. quòd eſt uſu & ſententia communi, vitetur peccatum etiam veniale, ſi Horæ parvæ quavis ferè horâ ante meridiem privatim recitentur. Nona juxta viros etiam timoratos, imò & Sexta juxta aliquos, poſt meridiem dici poſſunt. Veſperæ, à meridie ad ſolis occaſum extra Quadrageſimam; quia in illa dici debent ante refectionem, ut aliquid ſervetur veteris diſciplinæ, quæ jejunium noniſi poſt Veſperas ſolvi permittebat. Completorium ad finem diei.

Non peccat, qui Matutinum cum Laudibus pridie recitat ab eo circiter tempore, quo Sol proprior eſt ad occaſum quam ad meridiem, juxta Tabulam ſequentem, quæ Romæ edita eſt typis Cameræ apoſtolicæ, quamque hic exhibemus gallicanis horologiis accommodatam, ut quiſque norit quo tempore officium pro die ſequenti inchoare poſſit.

20. Januarii,	horâ ſecundâ cum quadrante.
13. Februarii,	horâ ſeſqui-ſecundâ.
1. Martii,	horâ ſecundâ cum tribus quadr.
18. Martii,	horâ tertiâ.
4. Aprilis,	horâ tertia cum quadrante.
20. Aprilis,	horâ ſeſqui tertiâ.
10. Maii,	horâ tertiâ cum tribus quadr.
8. Junii,	horâ quartâ.
30. Julii,	horâ tertia cum tribus quadr.
28. Auguſti,	horâ ſeſqui tertiâ.
7. Septemb.	horâ tertiâ cum quadrante.
24. Septemb.	horâ tertiâ.
13. Octobris,	horâ ſecunda cum tribus quadr.
20. Octob.	horâ ſeſqui ſecundâ.
18. Novemb.	horâ ſecundâ cum quadrante.
15. Decemb.	horâ ſecundâ.

Dicendum 4. cum Bellarmino & aliis penè omnibus, eum venialiter ſaltem peccare, qui in officii recitatione à tempore canonico multum recedit; *Bellarm. ubi ſup.* ut qui Horas omnes nonniſi veſpere recitat abſque ulla ſic differendi neceſſitate, aut qui veſperas mane recitat: cenſent tamen multi Veſperas mane recitari poſſe ab iis qui iter facturi, aut magnis per diem occupationibus implicandi, prævident ſe nonniſi ægre, aut parum devotè officio ſuo in diei decurſu functuros eſſe. Ita poſt alios plures, Pontas ibid. caſ. 19. ubi notat cum ſancto Antonino, quòd quando *officium propriis horis dici non poteſt, propter occupationes, melius eſt prævenire, quam tardare; quia prævenire eſt providentia, tardare vero eſt negligentia.* Sive vero prævenias, ſive tardes, *non videtur de ſe eſſe peccatum mortale.* Verba ſunt S. Doctoris, quibus adhærendum credimus potius quàm iis qui dubitant an Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat, qui mane Veſperas & Completorium abſque legitima ratione recitat.

Diximus cum S. Antonino non eſſe *de ſe* peccatum mortale; quia ratione contemptus aut ſcandali fieri poſſet mortale. Ut tollantur cæteræ difficultates, quæ ad præſentem materiam pertinent.

Quæres 1. an Horæ parvæ non poſſint pridie dici, ſaltem cùm ſubeſt cauſa.

Reſp. ita cenſere aliquos apud Salmantic. Tom. 4. Tract. 16. cap. 3. punct. 3. n. 13. ſed obſtat communis ſententia, & totius Eccleſiæ praxis atque conſuetudo. Nec refert quòd officii recitandi præceptum incipiat à Veſperis hujus diei; quia ex Eccleſiæ ſenſu, qui harumce materiarum legitimus eſt interpres, non incipit niſi quoad Matutinum & Laudes. Hinc ſequitur eum qui prævidet futurum, ut die ſequenti officium ſuum recitare non poſſit, non teneri ad recitationem ejus pridie faciendam.

Quæres 2. an major ſtudendi commoditas, legitima ſit ratio, cur Horæ in tempus veſpertinum differantur.

Affirmant Salmanticenſes, & hoc ſatis admittam ſi agatur de ſtudio quod modum urgeat, ut puta concionis ſacræ quæ paucos intra dies memoriæ mandanda ſit. Si vero de ſtudeo communi ſermo ſit, aliter ſentiendum; tum quia à Jove principium eſſe debet; tum quia non decet, ut tempus aptius ſtudio detur, & minus aptum, Deo, cui optima quæque ſacrificari debent.

Quæres 3. an peccet qui Horarum ordinem invertit v. g. qui laudes ante Matutinum, Tertiam ante Primam recitat.

Reſp. cum Henrico à S. Ignatio, id, ſi ſine cauſa fiat, eſſe quidem peccatum, ſed veniale dumtaxat; quia talis inordinatio, ex communi Doctorum ſenſu, non eſt notabilis; *& ordo Horarum non eſt de præcepto* rigoroſo, ut ex Sylveſtro ait Pontas, caſ. 23. Nullatenus autem peccat, qui ordinem hunc ex legitima cauſa invertit, ut ſi Religioſus qui nocte ſurgere non potuit, Primam cum aliis canat, & deinde Matutinum recitet privatim; vel ſi quis ab infirmo, vel viro gravi, cui reſiſti non conveniat, invitetur ad dicendum cum eo Matutinum diei ſequentis, nondum lecto Completorio diei præcedentis. Ita citatus Henricus, juxta quem Canonicus qui nondum dicta Prima Chorū ingre-

ingreditur dum canitur Tertia, melius facit ſi Tertiam cum aliis canrer, quam ſi privatim ſolitum Horarum ordinem ſequatur. Idem dico de eo qui actu Breviarium non habens, aut legere non valens, v. g. in rheda publica, ſcit memoriter Horas minores: is enim eas, cum venit ipſarum tempus, recitare optimè poteſt, & deinceps Matutinum, Ita author theoriæ & praxis Sacram Tom. 3. p 167. Idem dicit de eo qui etiam culpa ſua Breviarium non haberet.

Quæres 4. poſſit-ne Matutinum à Laudibus ſeparari, ita ut Matutinum ſero, Laudes mane perſolvantur.

Reſp. affirmat. Ita penè omnes. 1. quia certum eſt haſce Horas à ſe invicem olim ſeparatas fuiſſe: atque id, ait author Collat. Rupell. patet ex Regulis S Benedicti & Ordinis Ciſtercienſis, quas approbavit Eccleſia. 2, has Horas ſeparari melius eſt, ſaltem ab iis qui Matutinum ſero præcedenti recitant; pleraque enim Laudum verba matutino tempori magis congruunt, ut iſta: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigile &c. Ecce jam noctis tenuatur umbra. Aurora jam ſpargit Polum.* Cum recitandæ ſunt Preces flexis genibus, eædem poſt Matutinum, ſi ſeparatim à Laudibus legatur, dicendæ ſunt quæ poſt ſingulas minores Horas. Ita monet Ordo Pariſienſis.

Quæres 5. an Nocturni Matutinorum ab invicem ſeparari poſſint.

Affirmat Henricus à S. Ignatio cum aliis quos citat, quia antiquitus Nocturni à ſe invicem ſeparabantur. Idem docet author Collat. Diœceſ. Rupell. q. 6. poſt Durandum, qui hoc diſertè docet Lib. 5. cap. 5. Ration divin. Offic. ubi num. 3. ſic loquitur: *Sciendum eſt quod in primitiva Eccleſia miniſtri Eccleſiæ ter de nocte interpellatim ſurgebant ad divinum officium celebrandum &c.* Eadem eſt opinio ſancti Thomæ in 1. ad Corinth. cap. 14. Lect. 6. Verum hanc Nocturnorum ſeparationem non admittis Thomaſſin. quem conſule 4. p. Lib. 1. Diſcip. Eccleſ. cap. 42. n. 5. Quidquid ſit, tutius videtur Matutinum continuo & ſine interruptione recitare, quanquam reprehendendi non videantur qui ob juſtam neceſſitatem Nocturnos à ſe invicem dividunt.

Pag. 525. vol. verſ. edit. Lugd. 1605.

Quæres 6. an, & qualiter peccet qui Matutino & Laudibus nondum perſolutis Miſſam celebrat.

Reſp. 1. Fatentur omnes non peccare eum qui juſta de causa Miſſam officio præponit, ut ſi Miſſa dicenda ſit, ne Viaticum infirmo deſit, ne plebs diutius exſpectet: addunt aliqui ne ipſe Sacerdos ſtatim profecturus, Miſſæ celebrandæ ſolatio privetur. Quod non approbat citatus author theor & praxis Sacram. quia privata devotio regulis communibus cedere debet; unde ait, ſatius eſſet, ut à dicenda Miſſa abſtineret, de quo judicent alii.

Reſp. 2. Secluſis hujuſmodi caſibus non poſſe Miſſam ſine peccato celebrari ante recitationem Matutini & Laudum.

Atque id probatur 1. ex communi majorum traditione: ſiquidem, teſte Azorio p. 2. Lib. 10. c. 8 omnes ad unum veteres Theologi ac Canoniſtæ eum peccati reum dixere, qui abſque rationabili causa, Miſſam celebrat ante Matutini & Laudum recitationem. Ita inter alios ubi ſupra, Gabriel, Durandus, Angelus, Sylveſter, Navarrus, Bellarminus, Toletus, quos citat & ſequitur Pontas *Office du Brev.* caſ. 21.

2. ex generali & diuturna omnium qui Deum timent Sacerdotum conſuetudine.

3. ex Rubricis Miſſalis romani, & validius ex Conſtitutione Innocentii IV. emiſsâ an 1254. cujus hæc ſunt verba: *Sacerdotes*, tum Græci, tum Latini, quos inter orta erat gravis diſceptatio, *dicant Horas canonicas more ſuo; ſed Miſſam celebrare, priuſquam officium matutinale compleverint, non præſumant.*

4. Citari poſſent varia Diœceſeon & Epiſcoporum noſtrorum Statuta, inprimis Eccleſiæ Nemauſenſis Lingonienſis, Senonenſis, Pariſienſis. In Libro Synodali Eccleſiæ Nemauſ. quem an. 1284. edidit Bertrandus hujus loci Epiſcopus, ſic habetur: *Prohibemus ſub pœna ſuſpenſionis, ne quis Sacerdos* Miſſam cantare præſumat, niſi prius plenè *expleverit officium matutinum*. Siffridus Pariſienſis Epiſcopus, *Statuimus*, inquit, *ſub pœna excommunicationis, ne aliquis Sacerdos Miſſam celebraverit, niſi prius dixerit Matutinas & Primam de die.* Eadem praxis Matutinum & Primam ante ſacrificium dicendi, graviter præcipitur in Synodo Lingon an. 1314. & Pariſ. an. 1557. Atque licet collapſa ſit hæc diſciplina quoad Primam, nec ubique recepta fuerit, ſemper tamen apud eos qui ſanius ſenſerunt in uſu fuit quoad Matutinum & Laudes, adeoque etiamnum ſervari debet quamdiù poteſt.

Atque hinc ſolvitur duplex argumentum quod contra reſponſionem noſtram proponunt aliqui, & alii proponere poſſent. 1. Inquiunt, Matutinum inter & Miſſam nulla eſt connexio, præſertim hoc noſtro tempore, quo Matutinum pridiè recitari poteſt, adeoque nec haberi poteſt ut præparatio ad Miſſam. 2. argumentum è quibuſdam veterum Statutis petitum nihil probat, quia nimis probat, nempe recitari etiam debere Primam ante ſacrificium.

Nam quod ſpectat ad primum, etſi nulla inter utrumque ſit connexio ex natura rei, eſt tamen ſufficiens ex jure poſitivo, Eccleſiæ conſuetudine quæ vim legis habet, majorum traditione, Theologorum ſaniorum conſenſu.

Ad ſecundum, ex eo quod Eccleſiæ diſciplina quibuſdam in punctis infracta fuerit, haud ſequitur eam in aliis pariter infringi debere, potiſſimum cum pii magis & docti reſiſtunt.

Reſp. 3. non deeſſe qui mortalis peccati, prædictæ diſciplinæ tranſgreſſores incuſaverint Ita inter alios S. Antoninus. *Qui nondum dictis Matutinis*, inquit, *celebrat* Miſſam, *mortaliter peccat, ſecundum Guillelmum & Hoſtienſem; quamvis poſtea diceret: & hoc quia facit contra generalem & approbatam Eccleſiæ conſuetudinem.* Atque hæc S. Doctoris opinio ſatis confirmatur ex pœnâ ſuſpenſionis aut excommunicationis quam variæ Eccleſiæ decernebant, aut ſaltem comminabantur iis qui Miſſam ante matutini officii lectionem recitabant.

Fatendum tamen hanc S. Antonini deciſionem pluribus videri rigidiorem: unde hic non niſi veniale peccatum agnoſcunt Soto, Sylveſter, Toletus, Navarrus, Bellarminus, Suares, Henricus ipſe à S. Ignatio, citatus neque is laxior Caſuiſta Rupellenſis, à quibus non abhorret Pontas. Et ratio eſt, 1. quia opinio quæ hic peccatum mortale ſubeſſe dicit, nullo nititur juris textu qui vim legis generalis obtineat: Statuta verò particularia quæ gravem ſuſpenſionis aut excommunicationis pœnam comminabantur, 1. ad ſummum non obligarent, niſi in Diœceſibus in quibus edita fuere. 2. neque iis in Diœceſibus magis obligant quoad Matutinum quam quoad Primam; unde dici poteſt ea jamdudum obſoleviſſe.

2 Extat quidem generalis lex recitandi matutinum ante Miſſam; ſed dici poteſt cum Sylveſtro, eam ſub terribili mortalis peccati pœna nec edi-

tam fuiſſe, nec receptam, quod ſatis patet ex communi piorum & doctorum hominum conſenſu.

3. Non magis peccat mortaliter qui Miſſam celebrat antequam Matutinum recitaverit, quam qui minores Horas ante Matutinum recitat: atqui poſterior non peccat mortaliter; ergo nec prior, ſiquidem major eſt connexio Matutinum inter & Horas, quam inter Matutinum & Miſſam.

4. Ideo mortaliter peccaret Sacerdos qui Miſſam ante celebrat quam matutino functus ſit Officio; quia communi Eccleſiæ conſuetudini reſiſtit. Atqui hæc ratio peccatum mortale non probat: qui enim Miſſam dicit poſt recitatum totum hujus diei officium, agit etiam contra totius Eccleſiæ conſuetudinem; neque tamen mortalis peccati inſimulatur. Ergo &c.

Ob hæc momenta propendat Pontas in Partem mitiorem, ſed fatetur tamen, quod & cum eo cenſatus quilibet & Deum timens fatebitur, non ita contemnendas eſſe alterius partis authoritates & rationes, ut qui à communi Eccleſiæ conſuedine ſine rationabili causâ recedit, graviter non ſit vituperandus.

Quæres 7, an peccet qui diebus Dominicis aut Feſtis officium recitat per tempus Miſſæ.

Reſp. duplex eſt ea de re Theologorum opinio. Prima negat: tum quia *hic reperitur corporis & animi præſentia quæ ad Miſſam exigitur, quoties per devotas preces mens ad Deum erigitur ut fit in recitatione ſatisfactoria pœnitentiæ aut officii divini, unus ad utramque obligationem una eademque attentio poſſit ſufficere.* Verba ſunt Cabaſſutii Lib. 2. Theor. & prax. cap. 32. n. 3. Tum quia illi actus ſecum invicem compati poſſunt, qui ad unum eundemque ordinantur finem, nempe ad laudem Dei, gratiarum ejus implorationem, & præcepti per Eccleſiam impoſiti adimpletionem: atqui talis eſt auditio Miſſæ & Breviarii recitatio. Non enim præcipit Eccleſia ut Fideles verbis Miſſæ intendant, ſed ut verbis etiam non auditis Sacrificio pie & devotè interſint; alioqui non ſufficeret generalis tametſi vera ad Deum attentio, cujus ſolùm capaces ſunt idiotæ, muti ſique omnes qui è loco remotiori ſacro adſunt, unde Sacerdotis verba nec audiunt, nec ceremonias vident. Tum denique quia qui oppoſitam opinionem tenent, gratis ſupponunt, uno eodemque actu non poſſe duobus præceptis ſatisfieri. Qui enim vovit ſe jejunaturum toto Quadrageſimæ decurſu, uno eodemque jejunio ſatisfacit tum voto ſuo, tum Eccleſiæ præcepto, quo eum adſtringi ſupponimus. Pariter cui præceptum eſt à Confeſſario ut diebus ſingulis Miſſam audiat, non tenetur ad duas audiendas Miſſas diebus Dominicis. Opinionem hanc tenent Adrianus, Cajetanus, Sylvius, Suares, Toletus, Comitolus, aliique complures quos citat & ſequitur Pontas ubi ſupra caſ. 24.

Pro ſecunda opinione, quæ hic peccatum aliquod agnoſcit, ſtant Sylveſter, Angelus, & alii ad quos inclinat author Collat Diœceſ. Lucion. Tom. 2. *de Orat.* pag. 45. Rationes ejus iſtæ ſunt, 1. quod qui officium Sacri tempore recitant; Eccleſiæ ſpiritum & intentionem non ſequantur, voluit enim Eccleſia ut alio tempore Miſſa audiretur, alio recitarentur Horæ. 2. Qui Miſſæ interſunt, ſacrificium una cum Sacerdote, modo licet plurimum diſpari offerre debent, adeoque ſequi Miſſæ preces eo quo poſſunt meliori modo: ſed qui Breviarium recitant, hoc præſtare nequeunt. Num enim qui Pſalmos recitat, peccata cum Sacerdote confitetur; Num ſe cum donis oblatis offert? Num pro mortuis orat & viventibus? Num ſpiritualiter communicat &c. At, inquiunt, ſatisfaciat Eccleſiæ præcepto plebs rudis, hebes, & imperita; abſque eo quod præſtet. Ita eſt; quia à populo non exigit Eccleſia niſi id quod poteſt: ſed ſi plus ab eo exigitur, cui plus à Deo donatum eſt, quidni magis quam alii teneatur Subdiaconus Sacerdoti ſe unire, & redargui mereatur ſi nihil aliud præſtat quam quod præſtat vulgus?

Hæc ſunt validiora partis utriuſque momenta, ex quibus fortè colligi poſſit, 1. eos tanquam eccleſiaſtici de audienda Miſſâ præcepti tranſgreſſores haberi non poſſe, qui officium per Miſſæ tempus recitaſſent: hic enim tum propter rationes primæ partis, tum propter eorum à quibus defenditur authoritatem, facilis eſt bona fides. 2. Graviter tamen monendos eſſe, qui in tali conſuetudine verſarentur, ut ab ea recidant; cum hæc magnam tepiditatem & parum amoris in Deum exhibeat; quod adhuc verius apparebit, ſi attendas hujuſmodi Eccleſiaſticos, qui omnibus eodem momento officiis fungi vellent, ſolitos eſſe tempus cui pepercerunt, in otio, nugis, & aliis etiam pejoribus miſerabiliter fallere.

SECTIO QUINTA.

De publica officii divini recitatione.

Publicæ recitationis nomine, eam imprimis intelligi volumus, quæ à Cannonicis fit in Choro, circa quam aliquæ non levis momenti proponi poſſunt quæſtiones.

Quæres itaque 1. an peccent Beneficiarii Choro addicti qui ſine rationabili causâ abſunt à Choro dum cantatur officium.

Reſp. eos, niſi materiæ levitas excuſet, graviter peccare, & ad reſtituendum teneri Ita omnes.

Prob. 1. ex cap. unico *De Clericis non reſidentib.* in 6. quod à Concil. Trid. Seſſ. 24. cap. 12. renovatum eſt." Statuimus, *verba ſunt citati capitis* ut „diſtributiones quotidianæ, in quibuſcumque rebus conſiſtant, Canonicis ac aliis Beneficiatis, & „Clericis Ipſarum Eccleſiarum, qui iiſdem officiis „in ipſis Eccleſiis adfuerunt tribuantur, qui verò „aliter de diſtributionibus ipſis quidquam recepe„rit, exceptis iis quos infirmitas, ſeu juſta & ratio„nabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ „utilitas excuſaret, rerum ſic acceptarum domini„um non acquirat, nec faciat eas ſuas; imò ad omni„um reſtitutionem qui contra hanc noſtram con„ſtitutionem receperit, teneatur. De diſtributioni„bus etiam pro defunctorum anniverſariis largien„dis, idem decernimus obſervandum.

Prob. 2. Qui ex officio aliquam actionem facere tenetur, & propter eam ſtipendium recipit, peccat ſi eam non fecerit, & ad reſtituendum tenetur, quia non ſtat contractui legitimè inito: atqui Beneficiarii Choro addicti ut Canonici & alii, ex officio tenentur Horas cantare, & propter id ſtipendium accipiunt; ergo ſi officio deſint, peccant & ad reſtituendum tenentur.

Dixi, niſi materiæ levitas excuſet, quia Concilium Baſil. Seſſ. 21. art. 1. & Pragmatica Sanctio Caroli VII. tit. 11. ſtatuunt ut ii ſolùm pro tota Hora abſentes reputentur, *qui in Matutinis ante finem Pſalmi* Venite exultemus; *in aliis Horis, ante finem primi Pſalmi; in Miſſa, ante ultimum* kyrie eleiſon, *uſque in finem divino officio non interfuerint.* Porrò veriſimile non eſt, ut notat Habertus, negligentiam hanc à mulctâ liberam fore, ſi foret mortale peccatum, quanquam hic ſub-

ſit

ſit veniale peccatum, quia partem officii ſui omittere cùm impleri poteſt & debet, non vacat à culpâ. Imo, ut ſcitè annotat Suares Lib. 4. „De Horis „canonicis *cap.* 13. *n.* 7. ſi quis haberet formale aut „virtuale propoſitum ſemper omittendi in ſingulis „Horis partes illas ſi quas ſine multâ omittere poteſt „certè non videtur ſecurus in conſcientia, tum quia „illud objectum ſimul ſumptum grave eſt, & cum „ſervitium Choro debitum ſit quaſi quoddam to„tum, magna & gravis pars ab illo ſubtrahitur illo „modo; tum etiam quia ille affectus oſtendit quem„dam ſervilem animum inſerviendi Choro ſolum „timore pœnæ, vel affectu lucri, quandoquidem „quoties ſine jactura lucri omitti poteſt, ex delibe„rato animo omittitur. Oportet ergo bona fide „procedere, animo integre ſerviendi, & tunc „licet ſæpè ac ſæpius illæ particulæ Horarum omit„tantur, ſolùm erunt multiplicata venialia.“ Hactenus Suares. Cavendum tamen ne non ſatis bona fide procedat, qui *ſæpe ſæpius* Horarum principio non adeſt.

Quanta verò requiratur à Choro abſentia ut quis mortaliter peccet, definiri facile non poteſt. Citatus Suares aſſerere non audet immunem eſſe à peccato mortali Canonicum, qui die integra à divino officio ſine neceſſitate abeſt eo tempore, quo adeſſe tenetur. Cenſet tamen Habertus Theologus non laxior, eum qui die unâ aut altera abeſſet à Choro, non peccaturum mortaliter; quia hæc omiſſio levis ei videbitur qui ipſam comparaverit cum aſſiſtentia per ducentos alios circiter dies continuata. Cæterum monet idem poſt Layman, abſentem à Choro Canonicum gravius peccaturum, ſi ex abſentiâ ejus grave damnum patiatur Eccleſia, v. g. quia officium eo abſente cadit, aut longe ſegniùs perficitur.

Hinc colliges 1. cum Pontas verbo *Chanoine* caſ. 5. & aliis, peccare & ad reſtituendum pro rata teneri Canonicum qui non ſolum ab omnibus Horis minoribus, ſed etiam ab una integra abeſt.

Colliges 2. abuſivum eſſe Statutum, quo Canonici quidam jam pridem ſanxerunt, ut quis lucretur diei totius diſtributiones, modo ex ſeptem Horis, tribus interſit; vel ut quis una per hebdomades ſingulas die abeſſe poſſit, ultra tempus à Concilio Tridentino, aut ſpeciali locorum lege, eâque approbata conſtitutum: tum quia inde minuitur cultus Dei; tum quia Concilium Tridentinum hoc prohibuit hiſce verbis Seſſ. 24. *De Reform.* cap. 12. *Obtinentibus in Cathedralibus aut Collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe: ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt.* Idem Pontas ibid. caſ. 3. & verbo *Chapitre* caſ. 5. Ita & Habert. Van-Eſpen & alii.

Colliges 3. cum iiſdem, vanum eſſe & irritum Statutum quod ediderunt Capitula quædam in variis Belgii & Galliæ locis conſtituta, ut Canonici quos jubilatos vocant, id eſt qui per annos triginta canonicatum in aliquâ poſſident Eccleſiâ, ab omnibus diſpenſentur officiis, præterquam in diebus Dominicis & Feſtis. Ratio eſt, quia nullum Capitulum per Statuta ſua poteſt juri communi derogare; & *lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt*, ex Clementiâ V. *De Electione.* Atqui jure communi ſancitum eſt, ut canonici omnes extra tempus induciarum Choro accuratè interſint, niſi obſtet infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas, ut jam ſupra diximus ex Conciliis Baſileenſi & Trident. Ergo.

Colliges 4. Archidiaconos, Theologales, Pœnitentiarios, eoſque Canonicos qui ſunt *de comitatu* Epiſcopi, & ut tales à Chori præſentia eximuntur, peccare, nec fructus facere ſuos, ſi toties officio non interſint, quoties non ſunt legitimè impediti. Tum quia id ſtatuit Concil. Baſil. & poſt ipſum citata Caroli VII. Pragmatica Sanctio, ubi ſupra, his verbis: *Tollentes prorſus abuſum illum quo in una duntaxat Hora præſens, totius diei diſtributiones uſurpat, & illum quo Præpoſiti, vel Decani, alii Officiales, ex hoc ſolum quod Officiales ſunt, licet actualiter pro utilitate Eccleſiæ non abſint, quotidianas diſtributiones percipiunt.* Tum quia intentio Eccleſiæ non eſt, ut ii percipiant reditus, qui illud in quo ex parte officii deſunt, ex parte laboris non compenſant.

Colliges demum falſiſſimum eſſe quod aliqui contenderunt, præceptum ſcilicet Choro aſſiſtendi, pœnale quidem eſſe, non autem obligare in conſcientia. Contrarium patet ex citatis Eccleſiæ Decretis, quæ Beneficiarios Choro addictos ita Beneficii fructibus privari volunt, ut eos peccati reos manifeſtè ſupponant.

Dices 1. Fatentur omnes Canonicum non teneri iis intereſſe officiis quæ pro mortuis dicuntur, ſeu *obitibus*, ut ajunt; ergo nec cæteris adeſſe tenetur.

Reſp. Vel officium mortuorum, ex conſuetudine legitimè introductâ, facit partem officii diei, vel non facit, ut cum dicitur ex ſpeciali gratiâ pro aliquo ad preces ejus, vel ratione fundationis ſic acceptatæ, ut Canonici qui officio adeſſe voluerint, manuales percipiant diſtributiones, iiſdem privandi ſi adeſſe nolint. Si primum, peccant Canonici, qui à tali officio ſe diſpenſant; & qui juſta de cauſa abſunt, idem privatim recitare, tenentur, etiamſi ſtudiis vacent in Univerſitatibus: ita docet S. Thom. quodlib. 6. articulo 8. Aliis verò obitibus intereſſe non tenentur, quia officii canonici partem non faciunt; at inde colligi non poteſt eos pariter abeſſe poſſe à cæteris officiis, cùm ideo Canonici ſint, ut ea decenter perſolvant. Vide Pontas verbo *Chanoine* caſ. 13.

Dices 2. Non peccat Canonicus qui Capitulis non aſſiſtit, aut qui ſecretum Capituli non ſervat, ut patet ex praxi; ergo nec peccat dum abeſt à Choro: neque enim fortior eſt lex quæ Choro, quam quæ Capitulis aſſiſtentiam requirit.

Reſp. 1. neg. ant. pro utrâque parte Eſſentialia enim Canonici munia, ſunt tria hæc, ut in Beneficii loco reſideat; ut Choro diligenter interſit; ut capitularibus Conventibus aſſiſtat. Unde teſte Proſpero Fagnan. in cap. *Licet. De Præbendis.* n. 42. & 45. Sacra Cardinalium Congregatio *declaravit validum eſſe ſtatutum vel conſuetudinem qua mulctantur qui congregationibus capitularibus non interfuerint.* Indubium pariter eſt Canonicum teneri ad ſervandam ſecreti fidem quam jurejurando confirmavit, & ex cujus violatione gravia quotidie ſuboriuntur ſcandala, cùm ea palâ efferuntur quæ quis ſub ſpe ſecreti libere dixerat ſeu malè, ſeu etiam bene: plerumque enim majus ſubit periculum qui juſtè quàm qui inique loquitur. Vide citatum Pontas ibid. caſ. 20. & verbo *Secret*, caſ. 7.

Adde quòd etſi Canonicus abeſſe poſſet à Capitulis, in quibus de temporaneis rebus ſermo haberi ſolet, non ideo à Choro qui ad Dei cultum unicè ſpectat, abeſſe poſſet.

Dices 3. Non peccat qui nihil facit contra intentionem Fundatorum: atqui Canonicus qui v. g. minoribus Horis non intereſt, non facit contra intentionem Fundatorum; nam multi Fundatores Eccleſiam reditibus auxere, eo tempore quo

hove-

noverant perſuaſum eſſe Canonicis ſe non teneri ad aſſiſtendum Horis illis. Ergo nunquam intenderunt hoc onus iiſdem imponere; ergo legitimam Fundatorum ſpem non fruſtrant tales Canonici.

Reſp. neg. min. Ea enim fuit & eſſe debuit Fundatorum intentio, ut Canonici officium celebrarent meliori quo fieri poſſet modo, conformiter ad Canones & Conciliorum Decreta: atqui Fundatores piam hanc intentionem habere non poterunt, quin ſimul intenderint ut Canonici à nullo ſe diſpenſarent officio abſque verâ & rationabili cauſâ; ergo.

Et certe non defuerunt qui fundationes fecerint iis temporibus quibus noverant multos eſſe è Clero, qui nec piè, nec attente ſatis altari deſerviebant: an ergo non peccabit Canonicus, qui eo vivet modo quo tunc vixerunt qui hujuſmodi fundationes acceptavere.

Inſtab. Atqui non peccat Canonicus qui fundationes exequitur, prout eas olim executi ſunt prædeceſſores ſui, & etiamnum exequuntur ii quibuſcum vivit Ergo.

Prob. ſubſ. Se habet obligatio officii ad Canonicum ſicut ſe habet obligatio regulæ ad Monachum: ſed Monachus non peccat exequendo regulam prout in uſu erat eo tempore quo Monaſterium ingreſſus eſt, quod profectò ingreſſus non eſſet, ſi perſeveraſſet antiqua ſeveritas? ergo nec peccat Canonicus qui non intereſt officio niſi ut prædeceſſores ſui interfuerunt, adeoque qui ſicut & ipſi à certis officii Horis ſe diſpenſat, quive præſentiam ad momentum exhibet, & ſtallum in Choro tranſeunter tangit.

Reſp. ad primum, neg. ſubſ. Ad ſecundum, dico Canonicum ex conditione ſua neceſſario teneri ad officium; Monachum verò teneri quidem ad ea quæ ſtatui ſuo eſſentialia ſunt, ut votum paupertatis, obedientiæ &c. non autem teneri ad quædam accidentalia, quæ conſuetudine univerſaliter receptâ in deſuetudinem abierunt; unde poſſunt nunc Monachi quidam veſci carnibus, quibus Inſtitutorum tempore vix veſci lacticiniis licitum erat. Canonicus cùm agitur de officio, comparari debet Monacho quoad eſſentialia Religionis; & tunc tenetur uterque ſub peccati diſpendio, ille Chorum frequentare, hic eſſentialia Religionis exequi.

At, inquies, ii ſaltem Canonici qui Cantores habent conductitios, non tenentur in Choro cantare, quia nihil Fundatorum intereſt an officium divinum per hunc aut per illum impleatur; ut patet ex iis qui Beneficia ſimplicia habent, quibus ſatis eſt ſi Miſſas per alios celebrari faciant. Ergo.

Reſp. neg. antec. & dico eam agendi rationem quæ Cantoribus quæſtu conductis Dei laudandi curam dimittit, repugnare tum Conciliis, tum Fundatorum intentioni, tum æquitati naturali. 1. repugnat Conciliis. *Omnes verò*, ait Trident. ubi ſupra, *divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia.....atque in Choro ad pſallendum inſtituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè, devoteque laudare.* Idem tradit Concilium Cameracenſe an. 1565. *In Choro*, inquit, *cùm pſallitur, Canonici omnes....pſallant; nec ſint in ſedibus otioſi: nec putent ſe functos officio, ſi vicaria tantum opera cultum divinum celebrari curent; modo tamen pſallere per valetudinem queant.* Idem præceperunt Concilia Burdigal. & Turoneſe an. 1583. aliaque innumera. 2. expreſsè repugnat Fundatorum intentioni, quæ fuit, ex dictis fundationum pene omnium cognoſci poteſt, ut divinum officium ageretur fieretque decenter, & digne Deo an verò decenter & digne Deo fieri conſequitur officium, quod cum à viginti & amplius perſonis celebrari deberet, à quatuor aut quinque aliquando Clericis, imò laicis, & aliquando vitæ parum integræ, perſolvitur; qui tam rapidè currunt, ut juxta Concilii Trevirenſis verba, non tam laudare Deum videantur, quam inſanire? 3. demum juſtitiæ & æquitati repugnat hæc officii divini per mercenarios obeundi ratio. Si enim merito proſcripta ſit tum ab Alexandro VII. tum à Facultate Pariſienſi hæc quorumdam propoſitio, *Poteſt Sacerdos cui Miſſa celebranda traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta*, ut favens avaritiæ, turpi lucro, & injuſtitiæ, quid dicendū de Canonicis qui retento ſibi pingui ſtipendio, vix ullū in Eccleſiæ obſequium præſtant?

Nec juvat quod additur de poſſidente Beneficium ſimplex: cùm enim Fundatores, hujuſmodi Beneficia conferre ſoleant juvenibus, qui per ſe eorum onera implere non poſſunt, ſatis indicant ſuæ intentionis eſſe, ſibique ſufficere ſi munia hæc per alios impleantur, donec à Titularibus impleri poſſint: atqui communiter loquendo, res ita ſe non habet cùm agitur de Canonicis, qui plerique ſuis officiis per ſe ſatisfacere poſſunt.

Dixi, *communiter*, quia concilium Trident. Seſſ. 5. cap. 1. in fine ſtatuit, ut *docentes ſacram Scripturam dum publicè in Scholis docuerint, & Scholares qui in ipſis Scholis ſtudent, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, Præbendarum, & Beneficiorum ſuorum, in abſentia à jure communi conceſſis, plene gaudeant & fruantur.* Ubi obiter notandum. 1. Scholarem poſſidentem Beneficium in diſtributionibus quotidianis conſiſtens, quique idcirco propter abſentiam ſuam nihil ex beneficio ſuo perciperet emolumenti, non ideo diſpenſatum iri ab officio: ita poſt Leſſium docet Sylvius; quia re ipsâ per talem Beneficiarium ſtat quominus Beneficii ſui redditus percipiat. Huc redeunt rationes ſuperiùs allatæ. 2. Punctatorem, *le Pointeur*, cui cura incumbit eos notandi qui vel ſeriùs ad officium accedunt, vel citiùs egrediuntur, ſi quibuſdam parcat, teneri ad reſtituendum *tantundem de ſuo, pro prætermiſſa; omiſſave cujuſlibet notæ aut punctationis ratione.* Ita ſtatuit Concil. Trident. Vide Pontas, *Chanoine* caſ. 13.

Ex dictis facile colliges non ſatis eſſe ut Canonici modeſtè & aſſiduè Choro aſſiſtant, quod utinam & omnes facerent, ſed & adhuc eos teneri quantùm poſſunt cantare; & ni faciant, ad reſtituendum obligari. Atque id patet. 1. ex citatis Conciliorum verbis. 2. ex Concil. Baſil. Seſſ. 21. cap. 3. *Cum* Canonici, inquit, in Chorum *pſallendi gratia conveniant, juncta & clauſa labia tenere non debent; ſed omnes, præſertim qui majori funguntur honore, in pſalmis, hymnis & canticis Deo alacriter modulentur, cum nominatur glorioſum illud nomen* JESUS, *omnes caput inclinent. Nemo ibidem, dum Horæ in communi publice cantantur, legat vel dicat privatim officium; nam non ſolum obſequium quo obnoxius eſt, Choro ſubtrahit ſed alios pſallentes perturbat...horum autem tranſgreſſores, illius Horæ in qua circa prædicta exceſſerint, vel alia majori, prout tranſgreſſionis gravitas exegerit plectantur pœna.* Atqui verba hæc quæ in Pragmatica, Caroli VII. Sanctione repetuntur, ſupponunt Canonicum qui in Choro non cantat, officio ſuo deeſſe: porrò qui non facit id quod ratione officii facere tenetur, ad reſtituendum tenetur pro ratâ parte defectus ſui; ergo. 3. vera impoſita eſt Collegio Canonicorum officii canendi obligatio, ad hoc enim reditus percipiunt: Cap. 10. agm.
atqui

atqui obligatio hæc ita totum corpus afficit, ut afficiat ſingulus ; nec eſt cur unus potiùs obligetur quàm alter. Ergo ſicut omnes ad laborandum in vineâ conducti ; ibidem laborare debent ; ſicut Parochi non præſentiam ſolùm, ſed & miniſterium ſuum Beneficio ſuo impendere tenentur; ſic & Canonici ſervitium ſuum Choro debent, & contra juſtitam peccant, ſi ſe ab eo diſpenſent.

Reſpondent 1. conſuetudinem contrariam in hoc puncto, ſicut in aliis pluribus, juri communi derogaſſe. 2. futurum non eſſe ut ſilerent Paſtores ſi conſuetudo tam univerſalis mera eſſet corruptela.

Refelluntur. Nam 1. nulla conſuetudo præſcribere poteſt contra jus naturale : atqui jure naturali qui ſtipendium recipit propter aliquod munus, munus illud implere tenetur. 2. non uſque adeo invaluit prætenſa hæc conſuetudo, ut Canonici quotquot ſunt ſapientia, pietate, & doctrinâ graves, eandem non improbaverint ut abuſum, meramque corruptelam : atqui conſuetudo cui pars ſanior reſiſtit, pro verâ conſuetudine haberi nec debet, nec poteſt. Quòd autem multi pro eâ certent, non nocet ; quippe, ut optimè notavit Albertus Magnus, *non minus peccat qui cum multis peccat ; nec minùs ardebit qui cum multis damnabitur*. 3. quia conſuetudinem hanc ſemper impugnaverunt Concilia, ut patet ex iis quorum verba citavimus, & aliis pluribus quæ congerit Pontas ibid. caſ. 6. 4. quia vix muti & elingues manere poſſunt Canonici, abſque eo quòd inde magnum officio divino creetur detrimentum ; cùm experientiâ conſtet mercenarios Cantores ſibi permiſſos, officium præcipitanter, ſine gravitate, ſine modeſtiâ, ſine attentione quaſi ſaliendo percurrere. Ergo probabiliſſimum eſt quod ſentiunt Paludanus, Major, Adrianus, Cajetanus, Navarrus, Petrus Navarra, Comitolus, Covarruvias, & alii complures, eos qui Choro tantum interſunt, nec canunt, diſtributiones non facere ſuas, ad eoque pro ratione culpæ ad reſtituendum obligari.

Quæres 2. an Canonici cenſeantur integrè officium perſolviſſe, ſi eas officii partes quæ in organo luduntur, privatim non recitent.

Reſp. Nullam eſſe rationem cur hæ officii partes privatim non recitentur ; vel, ut quibuſdam in Eccleſiis fieri ſolet, à Choriſtis altâ & intelligibili voce non proferantur. Notat tamen S. Antoninus, quòd *ſi quis Lectionem, vel aliud quod in Choro legitur, non intelligat propter legentis ineptitudinem, non peccat ; dummodo conetur intelligere ſaltem verba*. Ita S. Doctor. 2. p. tit. 9. cap. 12. *Imò*, ait Innocent. IV. ſuper cap. 9. *De celebr. Miſſarum, ſi aliquem verſum omittat, non peccat; nec etiam a capite Pſalmi propter hoc revertendũ eſt: quia ſi fieret, poſſet aliquibus ſcandalum generari ſine magnâ causa*. Idem dicendum de iis qui pauculo tempore, pulſandis campanis, volvendis libris, aut thurificando ſunt occupati, & paucos aliquot verſus omittunt, qui non poſſunt facilè reſumi.

Quæres 3. quid de iis ſit ſentiendum qui tam præcipitanter canunt, ut alii verſum ſequentem inchoënt, antequam præcedens ab aliis fuerit abſolutus.

Reſp. Eos mortalis peccati reos ſe facilè conſtituere. 1. quia ſæpè grave Laicis ſcandalum ingenerant. 2. quia hæc recitandi ratio magnam continet irreverentiam adversùs Deum, ad quem homo pulvis & cinis eo loquitur modo, quo terrenos Principes alloqui non auſit. 3. quia Concilia & Patres adversùs petulans illud orationis genus acriter quovis tempore inſurrexerunt ; de quo legi poteſt quod in Concilio Viennenſi an. 1311. ajebat Clemens V. contra eos qui *dum offerre Deo ſacrificium laudis.... in puritate conſcientiæ & animi devotione deberent, Horas Canonicas dicere, ſeu pſallere tranſcurrendo ſyncopando... præſumunt*. Et S. Antonin. ubi ſupra, *Non eſt hoc abſque gravi peccato*, inquit, *cùm* officium *dicitur curſim & confuse, ut unus non expectet alium in finiendo verſum, vel ita velociter, quod ipſe vel alius audiens, non poteſt percipere ſenſum verborum*. Verùm hæc magis eluceſcent ex dicendis Sectione ſequenti.

SECTIO SEXTA.

Quomodo recitari debeat officium divinum.

Quatuor afferri poſſunt officii recitandi conditiones : eæ verò ſunt ut officium diſtinctè, integrè, devotè & attentè recitetur.

Circa primam conditionem, fatentur omnes officium recitandum eſſe diſtinctâ voce, non autem gutture, inter dentes, & ſyncopando, ut loquitur Concilium Baſileenſe; unde ulteriùs conſtat eum qui ſolâ mente legeret, non eſſe ſatisfacturum.

Sed quæres an ſatisfaciat obligationi ſuæ qui officium diſtinctè quidem recitat, ſed voce tam ſubmiſsâ, ut nec audiatur ab aſtantibus etiam non impeditis, nec ſemetipſum audiat.

Reſp. Aſſerunt multi officium voce tam clarâ recitari debere, ut ſaltem qui recitat, ſemetipſum audire poſſit, ſi nihil obſtet, ut ſi non ſit ſurdaſter, aut poſitus in loco in quo propter ſtrepitum, ſemetipſum audire nequeat. Ratio eſt, quia officii recitatio, vera eſt oratio vocalis : hæc autem eſt bujus orationis natura, ut qui eam pronuntiat, audire ſemetipſum poſſit. Sententiam hanc conſulendam eſſe, & in praxi meliorem vix ambigi poteſt: cenſet tamen Sylvius in Reſolutionibus verbo *Hora Canonica*. n. 3. eum qui attentè & diſtinctè loquitur, tametſi ſemetipſum non audiat, verè ſatisfacere. 1. *quia nullo jure probatur recitantem Horas, teneri ad ſe audiendum, cùm præceptum obliget ad dicendum, non ad audiendum Horas*. 2. *quia oratio poteſt ore & voce fieri, etiam ſi non audiatur ab ipſo recitante, & ex ſe ſit ſonus quidam formatus ex alliſione aeris ad dentes & labia*. 3. quia viri *doctiores & pientiores*, modò diſtinctè recitent & attentè, parum curant an ab aliis vel à ſemetipſis audiantur. Hæc deciſio nihil habet abſolutè mali, neque eam improbat Pontas *Office* &c. caſ. 28. Quanquam fatendum eſt, quod & aliqui animadvertunt, vix poſſe fieri prolationem veram & articulatam, & non ſolùm in gutture aut inter dentes, abſque eo quòd qui ſic profert ſemetipſum audire poſſit, ſi nullus ſit obex.

Quod ſpectat ad integritatem, dico 1. cum Suare Lib. 4. *De Horis Canonicis* cap. 25. nihil ad officii integritatem referre an quis ſolus officium recitet, an alternatim cum alio, imò erit in alternis recitandi modus melior, utpote Choro ſimilior. Neque etiam intereſt, an ſocius tecum recitans ad officium obligatus ſit, nec ne : unde cum Scholari, cum famulo recitari poteſt, modo diſtinctè loquantur, & nullum ſubſit ſcandali periculum: nec minùs ſatisfacies ſi alter recitando non attendat, quia obligationem tuam imples partim dicendo, partim audiendo. Si plures ſimul recitent, Lectiones omnes ab omnibus ſucceſſivè, vel ab uno ſolo cæteris audientibus dici poſſunt, ut in Choro frequenter evenit. Addit idem Suares, ſatius eſſe ſi etiam Antiphonæ, non ab omnibus, ſed ab uno, quemadmodum Pſalmorum verſiculi ſucceſſivè recitentur ; cùm enim uterque Chorus nunquam

pluries laudatâ. 2. quia præſtimoniæ perpetuæ cæteros Beneficii caracteres habent: dantur enim ab Epiſcopo, non dantur niſi Clerico, dantur ſine pacto, tituli eccleſiaſtici locum habent, præſertim in Britanniâ Armoricâ. Ergo cum qui ſentit commodum, debeat & onus ſentire mirum eſt ſi ab officio immunes ſint Præſtimoniarii.

Nihilominus cùm olim occaſione Britonis cujuſdam eos conſuluiſſem qui pleniorem rei hujus notitiam habere poterant; reſponſum fuit hanc eſſe in iis partibus conſuetudinem, ut præſtimoniarii ad nihil teneantur: quibuſdam in locis obligantur ad quinquies in die recitandum *Pater* & *Ave*, ut notat Charlotradu, in ſuo de materiis Beneficialibus compendio, pag. 3. Videndæ ſunt ſi fieri poſſit fundationes, & conſulendi Epiſcopi, Cætera ad hanc materiam pertinentia, ut Commendæ, Coadjutoriæ, & aliæ ejuſdem generis, ex dictis & uſu ſatis intelliguntur? de iis plura videris apud Suarem Tom. 2. Lib. 4. cap. 22.

Dicendum nunc de Religioſis, quorum obligationes ab ipſis etiam ſæcularibus Presbyteris cognoſci expedit, cum ſæpe contingat ut ſive in itineribus, ſive in miſſionibus ſeu ſtationibus iis Sacramenta adminiſtrare teneantur. Certum eſt Religioſos à Clericis Pſalmodiam accepiſſe; at eidem & longiùs & accuratiùs vacavere. *Matutina laudes*, ait S. Epiph. Expoſ. fidei cathol. cap. 23. *in Eccleſia Catholica, matutinæque preces aſſiduè celebrantur; lucernales item pſalmi & orationes.. magna verò ex parte Monachi in decantandis pſalmis, ac perpetuis orationibus occupantur.* Vide Caſſian. Lib. 2. & 3. Collat. ubi ſcribit Ægypti ac Thebaidis Monachos majorem diei noctiſque partem in Horis decantandis impendiſſe. Idem de Monialibus teſtantur S. Gregor. Nyſſen. in vitâ S. Macrinæ, & Hieronym. tum Epiſt. 27. tum Epiſt. ad Demetriadem quam his verbis compellat: *Præter pſalmorum & orationis ordinem quod tibi hora tertia, ſexta, nona, ad veſperam, media nocte, & manè ſemper eſt exercendum, &c.* Quæritur quæ & quanta ſit hæc obligatio; unde ſit.

CONCLUSIO TERTIA.

Religioſi ad Chorum profeſſi, & necdum in ſacris conſtituti, etiam extra Chorum, tenentur ſub mortali ad officii recitationem, niſi cùm iis diſpenſatum ſit à Papâ, aut aliud ferat ſpeciale Ordinis inſtitutum. Ita Theologi pene omnes contra nonnullos laxiores.

Prob. 1. ex unanimi omnium ferè conſenſu, qui oppoſitam opinionem rejecerunt; alii ut temerariam, alii ut ſchandaloſam, alii ut pernitioſam animarum ſaluti, alii ut planè improbabilem, & ideo papæ juſſu eraſam è Libro Emmanuelis Sa. Famoſæ tres Hiſpaniarum, Univerſitates, Hiſpalenſis Cæſarauguſtana, Conimbricenſis contrà eam acriter inſurrexerunt an. 1632. præiverat jam ab an. 1625. R. P. Mutius Viteleſchi, Societatis Jeſu Præpoſitus, prohibens ne, quis ſuorum opinionem prædictam doceret etiam ut probabilem. Vide Æthic. Amoris, Tom. 2. Lib. 10. cap. 17. ibique congeſta Theologorum & Ordinum plurimorum teſtimonia.

Prob. 2. ex legitimâ conſuetudine, non tam ab ipſis Religionibus introductâ, quàm ab Eccleſiâ, quæ Religionibus ad Chorum deſtinatis, Breviarii penſum quotidie recitandum determinavit, non præcepto ſcripto, ſed eccleſiaſticâ traditione, atqui talis conſuetudo, utpote vim legis habens: graviter & in conſcientia obligat eos omnes qui ab eâ non excipiuntur; non excipiuntur autem Religioſi in ſacris non conſtituti, & extra Chorum verſantes. Unde ſtatim ac aliquis aſſerere auſus eſt hujuſmodi Religioſos ab officio legendo abſtinere poſſe, eidem protinus vividè & acriter obſtiterunt horumce Ordinum ſuperiores: de quo tria videris exempla apud citatum Theologum.

Prob. 3. quia contraria paucorum opinio ſingularis eſt & nova: atqui opiniones novæ & ſingulares in materiâ morum, plenæ ſunt periculi; ergo.

Obj. 1. Aſſertio præcedens potiſſimùm fundatur in Doctorum conſenſu: atqui ex hoc conſenſu certum erui non poteſt argumentum, quandoquidem non conſentiunt inter ſe doctores in aſſignando hujuſce obligationis fundamento; ergo.

Reſp. neg. min. Tam enim conſenſus Theologorum & Canoniſtarum aſſertionem noſtram ab extrinſeco certam facit, tametſi non conſentiant in fundamento intrinſeco iſtius obligationis, quàm idem conſenſus certam faciat obligationem Subdiaconorum ad caſtitatem, tametſi in aſſignando hujuſce obligationis fundamento non conveniant Doctores, quorum alii obligationem hanc fundant in voto implicito; alii in Eccleſiæ præcepto; alii in conſuetudine præſcriptâ: atqui &c.

Obj. 2. Nulla obligatio ut talis recipienda eſt, niſi de ea evidenter conſtet per legem ita claram ut probabilem non patiatur exceptionem: atqui obligatio de quâ loquimur, non nititur ulla lege tam clara &c.

Reſp. neg. maj. quæ ſi vera ſit corruunt & labuntur plurima chriſtianæ moralis capita, quæ licet à ſanioribus Theologis recepta ſint, non probantur tamen argumentis ita cogentibus ut nunquam eludi poſſint & imminui. Legantur propoſitiones laxæ ab uno minùs ſæculo damnatæ, & quarum multæ horrorem pariunt, vix ulla eſt quæ à viris eruditis imo & piis multiplici momentorum genere firmata non fuerit, & aliquando rationibus munita tam arduis ut facilè ſolvi non poſſet. An non ergo malæ & periculoſæ erant eæ propoſitiones antequam damnarentur? An non meritò arguebantur Theologi, qui aſſerebant Sacerdotem novum poſſe ſtipendium exigere pro parte ſacrificii ſibi debita, quam aliis cederet; eo prætextu quod lex id prohibens non ita evidens & aperta foret, ut probabilem non pateretur exceptionem? An non noverunt omnes id quod alii falſum judicant, ab aliis verum & probabile judicari? Profectò ſi, ut ait Caſſianus de Diſc. cap. 10. *decipi non poteſt, qui non ſuo ſed communi majorum vivit vel ſentit exemplo*, facile decipi poteſt qui ſe cæteris omnibus oculatiorem eſſe confidit.

Obj. 3. Nulla conſuetudo ſub mortali obligat, niſi certo conſtet eam introductam vel receptam fuiſſe ſub tali peccato. In dubio namque concludendum eſt pro obligatione minima; quia in obſcuris minimum eſt ſequendum, in pœnis benignior eſt interpretatio facienda: atqui certo non conſtat Religioſos & Moniales extra Chorum teneri ſaltem ſub mortali ad officii recitationem? ergo &c.

Reſp. 1. neg. maj. Etenim, ut ſapienter monet Dionyſius Carthuſ. in 2. Sent. diſt. 22. poſt Alenſem, *Qui dubitat de aliquo an ſit ſimonia, an non, eo quod quidam juriſperiti dicunt hoc eſſe ſimoniam, & quidam non, talis abſtinere debet à tali*

negotio,

negotio, ſeu contractu, ne diſcriminis ſe committat: quod principium ſuo loco fuſius explicabimus; ergo non requiritur ratio evidens, ſed aliquando ſufficit dubiũ ut quis vel agat, vel abſtineat ab agendò.

Reſp 2. ex unanimi ſapientum conſenſu exurgere demonſtrationem moralem, quam qui ſequitur decipi non poteſt, ut ſupra aiebat Caſſianus: atqui conſenſum hunc habemus circa obligationem quæ nunc à nobis expenditur: ergo.

Circa concluſionem noſtram quædam ſunt animadvertenda.

Not. itaque 1. id quod de Religioſis dictum eſt, ad Sanctimoniales eſſe extendendum, ob paritatem rationis, & conſuetudinis. Idem etiam ſtatuendum eſt de virginibus illis, quæ in Belgio & Germaniâ Canoniſſæ vocantur, ut contra Leſſium in conſiliis verbo *Hora canonica* caſ. 14. docent Malderus, Wiggers, Lotb, Vanroy, Henricus à S. Ignatio, & alii complures; quorum aſſertio fundatur 1. in conſuetudine & Theologorum conſenſu. 2. in eo quod æquum ſit ut quæ quodammodo de altari vivunt, & Eccleſiæ bona percipiunt, ut divino ſint ſervitio & Choro mancipatæ, ſaltem officium privatim recitent, cum Choro intereſſe nequeunt. 3. quia ex Canoniſſæ ut plurimum ſucceſſerunt veteribus Benedictinarum monaſteriis, quarum cum vicem teneant quoad reditus, debent & vicem tenere quoad officium. De his plura apud citatos authores.

Not. 2. id quod diximus circa Sacerdotem, eum ſi excommunicetur, exilio aut triremibus damnetur &c. adhuc officii recitationi obnoxium remanere, pariter dicendum de Religioſis: unde apoſtatæ, fugitivi, ii etiam quibus permittitur ut extra monaſterium perpetuò vivant, ad officium tenentur. Aliter ſentiendum de eo cui ex diſpenſatione pontificiâ permitteretur uxorem ducere; quia diſpenſans in profeſſione, cenſetur in iis etiam diſpenſare quæ ex profeſſione ſequuntur. Eadem eſt ratio illius qui vi ſimilis diſpenſationis tranſiret de ſtatu ſuo ad ſtatum Converſorum, aut ad aliam Religionem quam qui profitentur non ſunt ad Chorum deſtinati. Quod ſpectat ad eum qui per ſententiam à monaſterio ejectus eſt, alii, ut Sotus & Cabaſſutius, eum ab onere officii liberum aſſerunt, alii negant. *Is enim* ait Navarrus, *ſemper remanet Monachus, nec uxorem ducere poteſt, & ad Ordinem ſuum, ſi volet mores mutare, redire ferè ſemper poteſt*. Vide Pontas ubi ſup. caſ. 10. & caſ. 11.

Not. 4. ad officium non teneri 1. Novitios & Novitias, qui in odioſis reputantur ſæculares 2. Laicos ſeu Converſos etiam profeſſos, qui non ad Chorum, ſed ad opera manualia deputati ſunt. 3. Clericos, qui ex profeſſione ſuâ non ſunt addicti Choro, ſed vel ſtudiis ut juniores Jeſuitæ, vel armis ut Religioſi militares. Eorum vero qui ad Chorum ſunt deputati, obligatio incipit à die & horâ profeſſionis, ut ex dictis obligatio Subdiaconorum à tempore & horâ ordinationis.

SECTIO TERTIA.

Quo utendum ſit Breviario.

Celebris extat eâ de re S. Pii V. Conſtitutio emiſſa die Junii 7. 1568. *Abolemus* inquit, n. 5. *quæcunque alia Breviaria* præter Romanum, *vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab Epiſcopis in ſuis Diœceſibus promulgata, omnemque illorum uſum de omnibus orbis Eccleſiis, monaſteriis, conventibus, militiis, ordinibus, & locis virorum ac mulierum, etiam exemptis, in quibus alias officium divinum Romanæ Eccleſiæ ritu dici conſuevit, aut debet; illis tamen exceptis quæ ab ipſa prima inſtitutione à Sede apoſtolica approbata, vel conſuetudine, quæ vel ipſa inſtitutio ducentos annos antecedat, aliis certis breviariis uſos fuiſſe conſtiterit, quibus ut inveteratum illud jus dicendi & pſallendi officium ſuum non adimimus, ſic eiſdem ſi fortè hoc noſtrum, quod modo promulgatum eſt, magis placet, dummodo Epiſcopus & univerſum Capitulum in eo conſentiant, ut id in Choro dicere & pſallere poſſint permittimus*. Et infra n. 7. *Statuentes.... neminem ex iis quibus hoc dicendi pſallendique munus neceſſariò impoſitum eſt, niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe*. Ut variæ circa hoc Decretum elucidentur difficultates.

Quæres 1. an poſt citatam Pii V. Conſtitutionem teneantur Clerici ad Breviarii Romani recitationem.

Reſp. Clericus vel eſt Beneficiarius, in loco Beneficii ſui reſidens, aut alicujus Eccleſiæ ſervitio mancipatus; vel non. Si primum, tenetur recitare officium Diœceſis in qua vel Beneficium habet, vel ſervit, non autem officium Romanum. Et ratio eſt 1. *quoniam*, ut rectè notat S. Thom. quodlib. 6 art. 8. *quemadmodum Clericus quia Eccleſiæ mancipatus atque addictus eſt, ad officium eccleſiaſticum obligatur; ſic etiam quia tali Eccleſiæ ratione Beneficii addictus eſt, talis Eccleſiæ officium recitare debet*. 2. quia nemo Bullam Pii V. ſic intellexit, ut crediderit melius eſſe poſt eam, ſi ii qui Eccleſiæ particulari quæ officio Romano non utitur, addicti ſunt, Romanum proprio neglecto officium recitarent: unde cum ſcripſiſſet Cajetanus Clericos aut Monachos poſſe *ſine peccato mortali*, Romanum Breviarium proprio Diœceſis ſuæ aut Ordinis Breviario anteponere, reſpondit Bellarminus, cui ignota non erat Piana Conſtitutio, *non eſſe id uſque adeo certum vel tutum*. Ita Navarrus, Toletus, Pontas, *Office du Breviaire*, caſ 31. & author Collat. Diœceſ. Rupell. q. 17. & 18. Notânt tamen multi Beneficiarium, qui non tenetur Choro intereſſe, uti poſſe Breviario Romano; atque hoc ſatis probari videtur uſu ferè univerſali. Vide authorem ſtatim citandum, pag. 144.

Lib. 1. de bonis operib. in part. c. 18.

Dixi, Beneficiarius *in loco Beneficii ſui reſidens*, quia ſi in alia Diœceſi reſideat, optimè faciet ſi ejus Breviarium aſſumat. Vide author. Gallicum theor. & praxis Sacram. Tom. 3. p. 146.

Quod ſpectat ad ejus qui nec certæ Eccleſiæ, nec alicui Ordini religioſo addicti ſunt, ut nonnulli qui ad ſolum patrimonii titulum ordinantur, iis liberum eſt, ubicunque ſint, Eccleſiæ Romanæ officium ſequi. Ita ſatis communiter Theologi. *rectè tamen facerent*, ait Bellarminus *ſi uſum illius Eccleſiæ ſequerentur apud quam ordinariè verſari ſolent*, juxta conſilium S. Auguſt. in Epiſt. 118. nunc 54. num. 2. *nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam ad quamcunque fortè devenerit*. Quam regulam S. Doctor à S. Ambroſio didicerat, cujus hæc verba refert in Epiſt. ad Caſulanum, nunc 96. alias 86. *Quid poſſum hinc docere ampliùs, quam ipſe facio.... Quando hic ſum, non jejuno ſabbato: quando Romæ ſum, jejuno ſabbato.... ad quamcunque Eccleſiam veneritis, ejus morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere.*

Confirmatur. Quia ſatis eſt abſurdum, ut quis officium & Miſſam de feria legat, cum reliqua Diœceſis ſolemnem de Patrono, aut quovis alio

feſtum celebrat: atqui ſequitur illud inconveniens, ſi quis proprio Diœceſis ſuæ Breviario non utatur; ergo. Ita citati authores ex quorum principiis colligere eſt, quod & ipſi fatentur, eum qui, relictâ Diœceſi ſuâ, Pariſios aut alio quocunque ſe transfert, ut ibidem tempore notabili puta majori anni parte commoretur, pariſienſi aut proprio loci Breviario uti debere.

Si fortè objeceris Pium V. in Bullâ citata præcipere ut ii omnes romano Breviario utantur, qui proprium non habebant ducentis ante ejus Conſtitutionem annis; reponit author Collat. Diœceſ. Rupell. 1. hanc pontificiæ legis partem in eos tantam cadere, qui *de jure vel conſuetudine* ad officii romani recitationem tenebantur, non in alios. 2. Conſtitutionem hanc nunquam in Galliis receptam fuiſſe, aut promulgatam cum iis formalitatibus quæ neceſſariæ ſunt, ut pontificiæ deciſiones vim legis habeant. 3. Addi poſſet, privatorum munus non eſſe ut diſcutiant an Epiſcopi nova potuerint invehere Breviaria; benè vero ut id ſequantur quod ad Caſulanum ſcribebat Auguſtinus: *Epiſcopo tuo in hac re noli reſiſtere; & quod facit, ipſe ſine ullo ſcrupulo vel diſceptatione ſectare.*

Hæc momenta, ut paucis aperiam quod ſentio, ſatis probant melius eſſe ſi quis officium recitet juxta ritum Diœceſis in quâ verſatur; unde hoc enixè optarunt piiſſimi quicunque Cleri reformatores, atque inter alios inſignis Dei famulus D. *Bourdoiſe*: haud tamen crediderim hominem nulli Beneficio vel Eccleſiæ mancipatum, etiam ſub veniali, obligari ad abjiciendum quo ante utebatur Breviarium romanum; quod enim ego ſæcularis Sacerdos Breviarium romanum Pariſiis recitem, non plus habet incommodi, quam quod illud recitent multæ ejuſdem civitatis Communitates, ſive ſæculares, ſive regulares. Nec nocent allatæ Auguſtini & Ambroſii authoritates, cum ex communi Fidelium ſenſu certæ quædam ſint locorum leges quibus obſequi debeat is etiam qui unum duntaxat diem iis in locis tranſigit, qualis eſt lex jejunii, lex audiendæ Miſſæ in die feſto; unde ab uno ad aliud non valet illatio. Et verò hinc ſequeretur eum qui per octo dies in Diœceſi aliqua degit, ad amplectendum ejus Breviarium teneri ſaltem ſi commodè poſſit, quod ne ii quidem fatentur Theologi quos adduximus.

Sed poſſunt ne iidem uti Breviario Diœceſis ex quâ ſunt oriundi, ſi illud romanum non ſit?

Reſpondent negat. authores ſupra citati. Facilè tamen non credam eos qui propriæ ſuæ Diœceſis Breviario uti pergunt, peccare, quamdiu ei in qua actu commorantur Eccleſiæ, non ſunt ſpecialiter mancipati.

Notandum tamen cum Bonacinâ, Tom. 1. hic diſp. 1. q. 3. quod ſi alicubi adeſſet particularis Epiſcopi præceptum, ut Clerici omnes tam privatim quam publicè proprium Diœceſis officium recitare tenerentur, prout extat Mediolani, ubi Clericis omnibus ex Decreto S. Caroli *in virtute ſanctæ obedientiæ* præcipitur ut Horas canonicas juxta præſcriptum Breviarii Ambroſiani recitent; ei procul dubio obſequendum eſſet.

Quæres 1. an qui in aliâ Parochiâ, vel Diœceſi, per breve tempus verſatur, ibique loci officium recitat, teneatur privatim repetere loci ſui officium.

Affirmat Pontas ubi ſupra caſ. 34. in fine; quia, inquit, qui tranſitoriè tantum in aliquo loco manet, loci hujus ritum ſequi nec debet, nec poteſt. Sed negat author Collation. Rupell. q. 10. ubi ait eos omnes qui de præſenti materia ſcripſerunt, fateri hujuſmodi Clericum ei quam recitavit officii parti penitus ſatisfeciſſe. Sed ſalvo meliori judicio, facile credam hic aliqua opus eſſe diſtinctione. Si quis enim, ut vicino ſuo Patroni feſtum, aut quodvis aliud peragenti opem ferat, aut alia juſta de causâ aliud à proprio officium cum eo recitet, non videtur ad repetendum obligari; nemini enim pietas ſua ſcrupulum & incommodum afferre debet: qui verò abſque neceſſitate ulla aliquam alterius officii partem recitaſſet, tutius ageret repetendo, aut id quod de propriis Horis omiſit ſupplendo.

Quæres 3. an Monialium director ſive ſæcularis, ſive regularis poſſit ſe illarum officio conformare.

Reſp. affirmat. Si quidem de iis agitur qui Miſſam conventualem celebrant. Et ratio eſt 1. quia fatentur omnes Miſſam quantum fieri licet, officio conformem eſſe debere. Ergo cum ille Sacerdos Miſſam canere debeat conformiter ad officium monialium, poteſt & utcunque debet, earum officio ſe conformare. 2. quia regularis qui ad tempus notabile ſæculari Eccleſiæ præficitur, poteſt imò & teneri videtur ad dicendum hujus Eccleſiæ officium. Ergo & à pari &c.

Quæres 4. quid dicendum ſit de eo qui recitavit officium de Sancto, cum recitandum erat de feria; vel qui officium unius Sancti cum alterius officio permutavit.

Reſp. Vel hoc fecit cum advertentia, vel incogitanter. Si primum, communior & melior ſententia docet eum mortaliter peccare, & non ſatisfacere præcepto, præſertim ſi recitet officium notabiliter brevius, vel notabiliter difforme. Et ratio eſt 1. quia Eccleſiæ præceptum nec quoad modum implet, ut ſatis evidens eſt, nec quoad ſubſtantiam, quidquid in contrarium dicant Sylveſter, Cajetanus, Leſſius, Valentia & alii nonnulli. Eccleſia enim non præcipit ſolum recitationem divini officii in genere, ſed etiam in particulari, ut ſcilicet tali die, tale recitetur officium, cujus obligatio utpote diei affixa, cum ipſa die tranſit. Ergo qui tale officium non recitat, ſubſtantiam præcepti Eccleſiæ non adimplet; atque etiamſi eam adimpleret, poſſet mortaliter peccare; omittendo aliquid quod ad præcepti integritatem notabiliter pertineret: ſic peccat mortaliter qui Miſſam celebrando, puſillum aquæ vino non immiſcet, & tamen hæc mixtio non magis pertinet ad ſubſtantiam ſacrificii, quam qualitas aut quantitas ad ſubſtantiam Horarum. 2. Quia quilibet tenetur ad officium juxta formam quæ à Pio V. aut particularibus Epiſcopis præſcripta eſt: atqui ad hanc formam pertinet ut officium diſtribuatur per dies feriales & feſtos, ſecundum naturam & ordinem temporis; ergo. 3. Quia alioqui ſequeretur eum nonniſi venialiter peccare, qui officium idem valdè breve ſingulis diebus recitaret, relicto alio multo longiori quod identidem occurreret. Atqui hoc planè falſum eſt: tam enim graviter peccaret, quam ille qui magnam ſingulis diebus pecuniæ ſummam ſolvere coactus, nonniſi levem exſolveret; ergo. Ita Bellarm. Tom. 3. Lib. 1. Controv. cap. 18. Suares Tom. 2. de Relig. Lib. 4. cap. 11. n. 6. ubi oppoſitam opinionem nequidem probabilem eſſe docet; Navarrus, Layman, Barboſa, & alii plures quos citat & ſequitur Bonacina. Atque hæc doctrina certior nunc eſſe debet poſt condemnatam banc ab Alexandro VII. propoſitionem, quæ eſt num. 34. *In die palmarum recitans officium paſchale ſatisfacit præcepto.*

Dices: non peccat qui ſciens & volens unam Miſſam legit pro alia: ergo nec qui unum pro alio officium recitat.

Reſp.

Reſp. 1. neg. ant. ſi generaliter ſumatur. An non enim graviſſime peccaret qui Miſſam pro defunctis diceret in die feſto Sanctorum omnium; aut qui Miſſam Sanctorum diceret in die defunctorum;

Reſp. 2. neg. conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quòd ſicut Eccleſia aliquando libertati noſtræ relinquit omiſſionem Miſſæ, ſic & eidem libertati relinquit ut miſſa celebretur, vel votiva, vel de feriâ, vel pro defunctis; & id probat piorum conſuetudo: at vero neutiquam probari poteſt hanc ab Eccleſia libertatem relinqui circa officii recitationem; imo contrarium evidenter colligitur ex probationibus noſtris.

Si quis verò incaute & inadvertenter, modo inadvertentia hæc culpabilis non ſit, unum officium pro alio recitaverit, communior & probabilior opinio docet eum non teneri ad repetendum, ſi errorem non animadvertat niſi poſt peractam totius officii recitationem. Si verò poſt recitatum v. g. matutinum errorem detegat, probabilius crediderim cum Card. de Lugo, & Æthicâ amoris Lib. 10.cap.21. reſiduum ex iſtius diei officio poſſe & debere recitari ex benignâ interpretatione mentis Eccleſiæ Quòd ſi officium jam recitatum longè brevius eſſet eo quod recitandum erat, ſequendum eſt id quod docent Layman Lib. 4.Tract. 1. cap. 5. Bonacina & alii, nempe ut debita fiat compenſatio: ùnde qui loco officii Dominicæ octodecim Pſalmos continentis, officium feciſſet de Sancto, deberet Pſalmos novem primi nocturni Dominicæ recitare, ne tanta ſubſit inæqualitas; imo melius fuerit vel totum repetere, ſi officium totaliter differat, vel id supplere quod ſuppleri poteſt, ut capitula, lectiones, reſponſoria, modo tamen id ſine gravi incommodo fieri poſſit; hoc tamen ſub pœna peccati neceſſarium eſſe non puto, & ita judicant viri ſcientia & pietate conſpicui.

Dices: Qui ſponte unum pro alio officium recitat, non ſatisfacit ex dictis; ergo nec qui recitat unum pro alio etiam ex inadvertentia; quia advertentia vel inadvertentia non mutant naturam debiti.

Reſp. 1. neg. conſeq. lex enim oneroſa ultra terminos ſuos extendi non debet: porrò cùm Pius V. & Epiſcopi tradunt eum qui aliud officium recitat, non ſatisfacere debito ſuo, loquuntur de eo qui ſciens & volens hoc facit. Ergo ea lex ad alios trahi non debet; præſertim cum id negant legis Interpretes ſciente & non reclamante eo qui legem tulit.

Reſp. 2. non deeſſe qui credant eum qui etiam advertenter unum officium commutat in aliud quod non eſt notabiliter brevius, aut notabiliter difforme, peccare venialiter tantum. Ita ipſe Henricus à S. Ignat. Quamvis enim, inquit, officium ſubrogatum, juxta declarationem Pii V. ſit caſſatum, annullatum, & proſcriptum quoad effectum plene ac ſine ullo peccato ſatisfaciendi præcepto; non tamen uſquequaque, ſive quoad omnem effectum: quia levis mutatio, etiam ſubſtantialis, niſi gravis fiat ob Eccleſiæ præceptum, quod in præſenti non adeſt, non videtur eſſe mortale peccatum; ſicut nec levis omiſſio ſubſtantialis, ut patet in omiſſione Veſperarum Sabbati ſancti, quam ii etiam qui nobis in præſenti puncto adverſantur, fatentur non eſſe niſi venialem. Æquius tamen ſentire videntur qui grave hic peccatum eſſe putant, quia grave præceptum omittitur.

Quæres 5. an qui hodie legit de Sancto poſtridie occurrente, teneatur adhuc die ſequenti officium ejus recitare.

Reſp. affirmat. Tum quia primus error non dat jus invertendi ordinem officiorum Breviarii; tum quia per Eccleſiæ legem tale officium pro alii die determinatum eſt. Ita Lugo, Æthica &c. Unde ulteriùs ſequitur, officium de Sancto quod die ſuo omiſſum eſt, non debere primâ die non impedita recitari, quia officia ſicut jejunia diebus ſuis alligata ſunt, à qua obligatione Rubricæ tum duntaxat excipiunt caſum quo contingit dies illos impeditos eſſe altiori feſto vel ſolemnitate; alias qui longâ detentus infirmitate multa Sanctorum officia prætermiſiſſet poſſet recuperata valetudine omiſſa Sanctorum officia reſumere, non ſine difformitate magnâ cum Eccleſia cujus Breviarium ſequitur. Ita iidem Theologi.

Quæres 6. an qui Breviarium romanum recitant, teneantur ad Pſalmos graduales, pœnitentiales, officium defunctorum, & alia ſimilia quæ pro certis diebus præſcribuntur.

Reſp. non teneri extra Chorum: tenentur tamen ſub mortali ad officium defunctorum die 2. Novembris; item ad litanias in feſto S. Marci, & diebus Rogationum ſi proceſſioni non interſint: quia hæc cenſentur eſſe partes officii harumce dierum, atque id ſatis probat unanimis conſuetudo. Ita Bonacina, & alii.

Quæres 7. an qui prædictæ proceſſioni aſſiſtunt, ſed non recitant niſi preces quæ ab iis dicuntur qui proceſſionibus non interſunt, cæteras vero vel omittunt, vel ad eas ſatis non attendunt, quæres, inquam, an ii ſatisfaciant Eccleſiæ præcepto.

Affirmat Bonacina: tum quia nemo ex diligentia ſuâ damnum reportare debet; reportaret autem, ſi eo quòd proceſſioni intereſſe velit, ad plus obligaretur quàm privatim obligatus fuiſſet: tum quia cenſetur hujuſmodi Clericus proceſſioni non intereſſe formaliter: tum denique quia id omne facit quod Eccleſia ſub pœna peccati fieri præcipit. Ex his principiis colligit idem Theologus, eum qui Jubilæi tempore proceſſioni intereſt, & non præſtat ea quæ præſcribuntur iis qui proceſſioni interſunt, bene vero ea quæ abſentibus indicta fuere, Jubilæi gratiam conſequi. Ego quidē exiſtimo duo hic eſſe conſideranda. 1. verba legis quæ certas preces imperat. 2. conditionem perſonarum quæ huic legi ſubjacent; fieri enim poteſt ut Canonicus aut paſtor qui proceſſioni intereſſe tenetur, ad plus obligetur quàm ille cui liberum eſt eidem proceſſioni non intereſſe. Si lex non ita apertè loquatur, ut colligi poſſit an ſtrictè præcipiat, vel non; conſulendus eſt legiſſator, aut videndum quo ſenſu eam intellexerint & intelligant viri docti perinde & timorati.

SECTIO QUARTA.

Quo ordine & tempore recitandum ſit officium privatim.

Hic tria inquiri poſſunt. 1. quo tempore melius ſit & perfectius Horas recitare. 2. quo tempore id fieri debeat, ut vitetur peccatum etiam veniale. 3. demum quando recitandæ ſint, ut ſaltem vitetur mortale peccatum; quæ ut ſolvantur.

Dicendum 1. optandum quidem fore, ut Horæ ſuis temporibus & interſtitiis etiam extra Chorum recitarentur; inde enim *Horæ* dictæ ſunt ab antiquis, quia certis diei partibus alligari debebant. Matutinum ergo media nocte, vel ſub diei crepuſculum recitandum eſſet; Prima, inter ortum Solis & nonam matutinam 3. Tertia inter novam & meridiem; Sexta, meridie vel circiter; Nona, circa tertiam veſpertinam. Veſperæ, ad Solis occaſum,

SECTIO PRIMA.

Quid ſint Horæ canonicæ, & quando inſtitutæ.

Horæ Canonicæ ſunt *quædam preces vocales ex Canonum præſcripto regulariter recitandæ à perſonis ad id deputatis.* Triplici potiſſimum nomine donantur, Horarum ſcilicet, Breviarii, & Officii Canonici. *Horæ* quidem dicuntur, quia certis horis, nocturnis & diurnis, juxta locorum conſuetudinem ſunt perſolvendæ. *Breviarium* verò, ſive quia utrumque Teſtamentum, Patrum ſententias, & vitas Sanctorum breviter, ſummatim & compendioſè continent; ſive, ut aliis placet, quia Officium ut nunc recitatur, non eſt niſi compendium Officii multò longioris quod primis Eccleſiæ ſæculis recitabatur. Ac denique *Officium divinum Canonicum, & Eccleſiaſticum*; quia ad Dei cultum juxta Canonum regulas inſtitutæ ſunt, & Eccleſiæ nomine perſolvuntur: unde preces ſunt publicæ, etiam cùm extra Chorum & privatim recitantur.

Horæ canonicæ ſunt ſeptem, juxta id Pſalmi 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* Quamquam enim aliqui diviſis à Matutino Laudibus, octo Horas recenſeant, à cæteris tamen nonniſi ſeptem numerantur, ſcilicet Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ & Completorium; atque his repræſentantur tum principaliora Dei beneficia, creationis nimirum, conſervationis, redemptionis, prædeſtinationis, vocationis, juſtificationis, & glorificationis; tum præcipuè ſeptem Dominicæ Paſſionis myſteria, hiſce verſibus contenta apud Gloſſam cap. 10. *De celebr. Miſſarum.*

Hæc ſunt ſeptenis propter quæ pſallimus horis.
Matutina ligat Chriſtum qui crimina purgat:
Prima replet ſputis, dat cauſam Tertia mortis;
Sexta cruci nectit, latus ejus Nona bipertit.
Veſpera deponit: tumulo Completa reponit.

Quæres quo tempore inſtitutæ ſint Horæ Canonicæ.

Reſp. Horas ſpectari poſſe, vel ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecundùm formam & ordinem in quo nunc ſunt.

Si Horæ ſpectentur ſecundùm ſubſtantiam, nempe pro precibus quæ quotidie ſtatis horis à Fidelibus perſolvebantur, credibile eſt eas ab Apoſtolis emanaſſe. 1. enim legitur Act. 2. quòd naſcentis Eccleſiæ Fideles *erant perſeverantes in fractione panis, & orationibus* id eſt *in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus cantantes & pſallentes* ut loquitur Apoſt. Epheſ. 5. 2. Tertull. tempus hiſce Dei laudibus, pſalmis, & canticis deſtinatum, Horas Apoſtolicas vocat. *Horarum Apoſtolicarum*, inquit, *Tertiæ, Sextæ, Nonæ, &c.* 3. Quia Conſtitutiones Apoſtolicæ, quæ licet falsò Apoſtolis attribuantur, magnæ tamen ſunt antiquitatis, ſic habent Lib. 8. cap. 30. *Precationes facite manè, tertiâ horâ, & ſextâ, nonâ & veſpere uſque ad galli cantum.* Ex his porrò orationibus, pſalmis, & canticis, temporum lapſu efformatum fuiſſe Breviarium, probabile eſt; atque hoc orandi genus tam regulariter obſervabitur, ut juxta Palladium in vitâ S. Chryſoſtomi, *Epiſcopi* qui cum Fidelibus publicæ orationi intereſſe non potuerant, *vigilias*, ſeu Officium, *intra ſua diverſoria celebrarent.* Et S. Germanus Pariſienſis, referente Fortunato, *equitans, curſum*, id eſt Horas, *nudo capite diceret, etſi hiems, aut nix urgeret.*

Quod ſpectat ad Breviarii formam, refert Radulphus ineunte ſæculo XIII. breviatum fuiſſe in Æde ſacrâ Pontificiâ Officium, quod ideo dicebatur *Officium breviatum Curiæ Romanæ.* Addit idem, diſcipulos S. Franciſci hanc brevioris officii formam, prout in Eccleſiâ Lateranenſi uſurpabatur, amplexos fuiſſe; cum autem eorum unus Haymo nomine, Breviarium in eo in quo nunc eſt ſtatu repoſuiſſet, præcepit Nicolaus III. ut ab omnibus Eccleſiis aſſumeretur: *Unde*, inquit Radulphus, *hodie in Româ omnes libri ſunt novi & Franciſcani.* Eâ de re legi utiliter poteſt Thomaſſinus Diſcip. Eccleſiaſt. Part. 4. Lib. 1. cap. 40. ubi & obiter probat precem *Dominus vobiſcum*, ab iis non eſſe omittendam, nec mutandam ab iis qui Officium privatim recitant, uti jam dudum ex profeſſo probavit Petrus Damiani, qui anno 1057. Cardinalis & Hoſtienſis Epiſcopus creatus eſt.

SECTIO SECUNDA.

Quinam ad Horas Canonicas teneantur.

Triplex hic movetur difficultas: prima eſt de Clericis, qui ſacris Ordinibus ſunt initiati; ſecunda, de Beneficiariis; tertia, de Perſonis Religioſis. Sit itaque

CONCLUSIO PRIMA.

Clerici omnes in ſacris conſtituti, etiamſi Beneficiari non ſint, ſub mortali tenentur ad officii recitationem, etiam extra Chorum.

Prob. 1. quoad Presbyteros ex cap. *Presbyter.* 1. *De celebr. Miſſarum*, quod deſumptum eſt ex Concilio Agathenſi. * *Presbyter*, inquit, *manè matutinali officio expleto, penſum ſervitutis ſuæ, videlicet* * an. 506.
Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperamque exolvat.

Hic porrò agitur de privatâ recitatione; cum idem Canon præcipiat, ut ille Presbyter curet officium publicè recitari, ſi fieri poteſt. Quia tamen Canon ille ab aliquibus intelligitur de Presbytero Beneficiario.

Prob. 2. Et meliùs ex Seſſ. 21. Concilii Baſil. * * an. 1435. 9. Jun.
quæ ante ſchiſma celebrata eſt, cujus hæc ſunt verba: *Quoſcunque Beneficiatos, ſeu in ſacris conſtitutos, cum ad Horas canonicas teneantur, admonet hæc ſancta Synodus, &c.* ubi non conditur nova lex, ſed condita ſupponitur.

Prob. 3. Quia conſuetudo ubique recepta, vim legis habet: atqui eſt dudum in Eccleſiâ tum Occidentali, tum Orientali recepta conſuetudo, ut Clerici in ſacris conſtituti, ad officii recitationem teneantur; unde hic dici poteſt quod in ſimilibus dictum eſt à Tertulliano, *Harum & aliarum ejuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo conſervatrix, & fides obſervatrix.*

Dixi 1. *Clerici in ſacris*, quia ex univerſali conſuetudine manifeſtum eſt, onus officii recitandi minoribus Clericis non incumbere.

At, inquies, Innocentius III. cap. *Dolentes. De Miſſ. celebr.* ſupponit Clericos minores ad officii recitationem teneri.

Reſp. neg. ant. En verba canonis: *Dolentes referimus quod non ſolum quidam minores Clerici, verùm etiam aliqui Eccleſiarum Prælati, &c.* Atqui particula *minores*, non ſumitur hic abſolutè, ſed comparatè ad Prælatos. Porrò ipſi etiam Presbyteri Diaconi, ad Epiſcopos aliosve Eccleſiæ Prælatos comparati, dici poſſunt Clerici minores. Ergo. Adde

quod

Digitized by Google

quod Pontifex non videatur hic loqui niſi de officiis quæ fiunt in Choro; ad ea autem nec minores, imò nec multos ex majoribus Clericis obligari certum eſt.

Dixi, 2. *omnes*, ne iis quidem exceptis, qui ſuſpenſi, excommunicati, aut etiam degradati, & depoſiti fuiſſent: quia, ut optimè ait Navarrus, *nemo ex improbitate ſua debet reportare commodum*. Quæ ratio probat Sacerdotem Triremibus damnatum, officio teneri, ſi ipſum abſque notabili dedecore ſui ſtatus, & verberum periculo perſolvere poſſit. Idem dicendum de incarcerato, de capto à Piratis, imò de eo qui diſpenſante Papa uxorem duxiſſet, niſi ſimul cum eo diſpenſatum eſſet circa onus Breviarii.

Quæres quid dicendum de eo qui ſponte ordinatus non eſſet, aut non niſi invitus accepiſſet Beneficium.

Reſp. eum qui coactè ordinatus fuiſſet, non teneri ad officium, niſi voluntarie poſtmodum utatur Ordine ſuſcepto. Ratio eſt, quia tale onus nemini invito imponi poteſt. Ita Henricus à S. Ignatio poſt Caſtró: Palaum, Suarem & alios, qui hoc etiam extendunt ad eum qui ante pubertatis annos Ordines ſuſcepiſſet.

Quod ad eum ſpectat qui ob metum Beneficium ſuſcepit, certum eſt eum ab officii recitatione immunem non eſſe, ſi metus levis fuerit: hoc enim timoris genus, ſi libertatem non tollat in iis etiam rebus quæ plus libertatis requirunt, ut matrimonium, quanto minus in caſu præſenti tollet? Si verò metus ille gravis ſit, nulla eſt huic Clerico Breviarii recitandi neceſſitas; niſi vel de novo in Beneficii collati acceptationem conſentiat, vel ejuſdem fructus percipiat; fructus enim non dantur niſi propter officium. Cæterum ſi metus ceſſet, tenetur Clericus iſte quamprimum Beneficio renuntiare, Ita Pontas verbo *Office du Breviaire* caſ. 14.

Dixi 3. *ſub mortali*; quia fatentur Doctores omnes, legem in materiâ tam gravi, & ob cauſas adeo graves ſancitam obligare ſub mortali, quod quidem ex infra dicendis ulterius confirmabitur.

Quæres, an Subdiaconus teneatur ad totum officium eâ ipsâ die quâ Ordines ſuſcipit.

Reſp. eum non obligari, niſi ad partem quæ reſpondet tempori quo Ordine inſignitur; puta ad Nonam & ſequentes hujus diei Horas: cum enim variarum officii partium recitationem, variis diei partibus alligaverit Eccleſia, & nulla lex vim habeat retroactivam, niſi aliter expreſſe declaret; perſpicuum eſt Eccleſiam id unum poſtulare, ut qui Breviarii recitandi onus ſumit, eam penſi ſui partem exvolvat quæ reſpondet tempori quo idem onus ſubit.

Sed quid ſi Joannes ad Subdiaconatum promovendus ante ordinationem officium ſuum recitaverit?

Reſp. idem officium eſſe repetendum. 1. quia ſolutio debiti, debitum contractum ſupponit: atqui Joannes eo tempore quo Breviarium recitavit, needum ejus recitandi debitum contraxerat. 2. quia officii recitatio quam à Subdiaconis exigit Eccleſia, ejuſdem nomine perſolvi debet: atqui non poteſt quis Eccleſiæ nomine officium recitare antequam Subdiaconus creatus fuerit; quia non eſt miniſter ab Eccleſia deputatus, niſi cum Subdiaconatum ſuſcipit, aut Beneficio donatur. Ergo. Ita Pontas ibid. caſ. 2. & 3.

CONCLUSIO SECUNDA.

Beneficiarii ad officii divini recitationem tenentur.

Prob. 1. iiſdem argumentis, præſertim ſecundo & tertio, quibus ſupra probavimus Clericos in ſacris conſtitutos ad officii divini recitationem teneri.

Prob. 2. ex Concilio Lateranenſi V. ſub Leone X. Seſſ. 9. quod ſic loquitur: "Statuimus & ordinamus, ut quilibet habens Beneficium cum cura, „vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento Beneficio divinum officium non dixerit, legitimo im„pedimento ceſſante, Beneficiorum ſuorum fru„ctus ſuos non faciat pro ratâ omiſſionis recitatio„nis officii & temporis, ſed eos fructus tanquam „injuſtè perceptos, in fabricam hujuſmodi Benefi„ciorum, vel pauperum eleemoſynas erogare te„neatur: ſi verò ultra dictum tempus in ſimili ne„gligentiâ contumaciter permanſerit, legitima mo„nitione præcedente, Beneficio ipſo privetur, cum „propter officium detur Beneficium.

Hoc Decretum confirmavit & explicuit Pius V. an. 1571. in Bull. 135. quæ incipit, *Ex proximo Lateran. Concilio*. ubi poſtquam præmiſit multos eſſe qui non intelligant quæ habenda ſit ratio horumce Concilii Lateran. verborum, *Pro rata omiſſionis*. ſic pergit: *Statuimus ut qui Horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiſerit, omnes Beneficii ſeu Beneficiorum ſuorum fructus qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur, qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam; qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittat, tametſi aliquis Choro addictus, non recitans omnibus Horis canonicis cum aliis præſens ſit, fructuſque & diſtributiones fortè aliter aſſignatas, ſola præſentia juxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel alias ſibi lucrifeciſſe prætendat, etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem. Item ille qui primis ſex menſibus officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſaverit, grave peccatum intelligat admiſiſſe. Declarantes præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacunque alia Beneficia, etiam nullum omnino ſervitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter convenire. At quicunque penſionem, fructus aut alias res eccleſiaſticas, ut Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum, fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium.* Ex hoc ſanctiſſimi Pontificis Decreto, quod ſponte laudant Gallicani Theologi, evidenter colligitur quam graviter ad officii recitationem teneantur Beneficiarii. Aliæ ejuſdem Bullæ partes in decurſu exponentur.

Bellarm. Tom. 2 p. 144.

Quæres 1. an obligatio hæc juris ſit naturalis, aut eccleſiaſtici.

Reſp. 1. Si Beneficia præcisè propter Horarum recitationem fundata ſint, ut poſterioribus ſæculis Canonicatus Beneficiarius naturale jure ad recitationem tenetur. Tunc enim Fundatorem inter & Beneficiarium intercedit pactum de recitando officio; atque eſt hic contractus quidam *do, ut facias*. Porrò pacta & conventiones jure naturali ſervari debent. Ergo.

Reſp. 2. Quilibet Beneficiarius obtinens Beneficium quod fundatum non eſt niſi poſtquam onus recitandi Breviarii Beneficiariis omnibus impoſitum fuit, ad ejus recitationem jure etiam naturali

tenetur. Eadem eſt ratio quæ præcedentis reſponſionis; nempe quod id virtualiter ſaltem exegerit Fundator, & pariter ſpoponderit Beneficiarius.

Reſp. 3. Si de iis agitur Beneficiis quæ inſtituta fuerint, antequam ſtrictè exigeret Eccleſia officii recitationem : recitationem hanc aliquo ſenſu juris eſſe poſitivi, utpote quæ liberâ Eccleſiæ voluntate inſtituta fuerit; alio autem ſenſu juris eſſe naturalis, quia nulla nunc cuiquam conceduntur Beneficia niſi cum onere & promiſſione officii recitandi.

Quæres 2. an ille cui collatum eſt Beneficium, cujus poſſeſſionem nondum eſt adeptus, teneatur ad Horarum recitationem.

Reſp. Navarrus eum teneri, alii tamen communius id negant. 1. Quia ante initam poſſeſſionem, non cenſetur aliquis perfectè Beneficium conſecutus; multaque occurrere poſſunt impedimenta quominus proviſus poſſeſſionem acquirat.

2 Quia ante poſſeſſionem, Beneficiatius nullum Beneficii jus exercere poteſt, nullas functiones obire. Ergo æquum non eſt ut ejus onera ante ſerat, juxta Reg. 55. Juris in 6. *Qui ſentit onus, ſentire debet & commodum.*

3. Quia tametſi facta & accepta collatione videatur Clericus jus quoddam habere in Beneficium, reipsâ tamen jus illud non eſt utile; nam non obſtante titulo reſignans percipit fructus quamdiu à poſſeſſione amotus non eſt. ita Habert cap. 11. de Contract. Pontas ubi ſub. caſ. 8.

At, inquies, in Beneficiis, quæ alia quam reſignationis viâ habentur, ſæpe contingit ut fructus reſerventur proviſo, etiamſi nondum inierit poſſeſſionem. Ergo in hoc ſaltem caſu tenetur ad recitationem officii. Adde quod durum ſit Eccleſiam debito carere ſervitio.

Reſpondent Habertus & alii, rationem hanc parum urgere : fructus enim Beneficii vacantis ad quod nemo inſtitutus eſt, futuro Beneficiario ſæpe reſervantur : atqui tamen, inquiunt, nullus dixerit eum qui poſtea inſtitutus eſt, teneri ad aliquod officium perſolvendum pro tempore præcedente ipſius inſtitutionem; ergo &c. Adde quod hæc objectio ad ſummum infirmet ultimam noſtram probationem, non autem duas præcedentes.

Ad id quod addebatur in eadem objectione, reſpondent iidem Theologi, mirum non eſſe ſi Beneficium vacans officio privetur; porrò vacat Beneficium quamdiu actu non poſſidetur.

Cæterum duo hic notanda cum citato Pontaſio, 1. teneri ad Breviarium eos, qui culpa ſua vel negligentia differunt Beneficii vacantis poſſeſſionem adire; quia *mora ſua cuilibet eſt nociva*. ex Reg. 25. in 6. 2. eos qui ante initam poſſeſſionem magnos quoſdam ejus fructus actu percipiunt, ut in certis quibuſdam Beneficiis contingit, ad officii recitationem teneri, quia jam fruuntur præcipua Beneficii parte.

Quæres 3. an duo qui de Beneficio contendunt, ambo poſt initam poſſeſſionem, teneantur ad recitationem officii.

Reſp. Si jus utriuſque vere dubium ſit & incertum, neutrum ad officium etiam poſt aditam poſſeſſionem teneri : talis enim poſſeſſio nec pacifica eſt, nec jus certum tribuit; porrò onus certum ex jure admodum incerto ſequi non poteſt. At verò ſi alterutri de jure ſuo certò conſtet, ſive ex juriſperitorum, quos eâ de re conſuluit, ſententia, ſive aliter; tunc longe probabilius eſt eum teneri ad officii recitationem, quia ex tali poſſeſſione licet nondum pacifica, ſequitur jus moraliter certum. Ad officium ii etiam tenentur, quibus, tametſi de litis ſucceſſu certi non ſint, adjudicata fuit per interim, ut ajunt, Beneficii poſſeſſio : quia ii de facto Beneficii reditus percipiunt, atque etiamſi causa excidant in petitorio, eam ſervare poſſunt fructuum perceptorum partem quæ labori ſuo correſpondet. De hac poſſidendi Beneficii ratione, quam *recredentiam* vel vindicias vocant, vulgo *recreance*, vide Ferriere hoc verbo, Melchior. Paſtor. Lib. 2. de Beneſic. Eccleſ. tit. 16.

Quæres 4. an qui tenue admodum Beneficium habet, teneatur ad Breviarii recitationem.

Reſp. multiplex eſt ea de re Theologorum opinio. Prima eorum eſt qui negant : ita Soto, Leſſius Lib. 2. cap. 34. dub. 31. qui in exemplum tenuis Beneficii, illud affert quod non parit ſupra octo aureos : exiſtimant tamen iidem Theologi, Beneficiarum hunc certis temporibus, puta Feſtis diebus, & Dominicis ad Horas legendas teneri. Huic ſententiæ inhæret Wigerius Tract. 8. cap. 2. dub. 10. num. 4. ubi ex Maldero dicit, tenue eſſe Beneficium cujus fructus non attingunt tertiam partem mediocris illius ſuſtentationis, quæ ad Clericum communis conditionis deſideratur. Ita & Mag. Grandin. p. 209. Secunda eſt Vaſquelii Opuſc. de Benef. cap. 4. §. 1. art. 1. dub. 5. ſtatuentis in hypotheſi præſenti Beneficiatum ad horas obligatum non iri, ſi ad aliud ſpirituale officium obligatur ex Beneficio, puta ex Capellania ad aliquot Miſſas per ſe aut per alium celebrandas. Ratio ejus, eſt, quia tale officium ſatis adæquat reditus perceptos: aliter non videt quomodo Clerici ob ſolam Beneficii tenuitatem ab officii recitatione excuſentur; Beneficium enim quodcunque datur propter officium, ſpirituale ſcilicet : atqui primum quod Eccleſia exigit officium eſt Breviarii recitatio, ab iis præſertim qui aliud eidem Eccleſiæ officium non præſtant. Tertia ſententia eos etiam qui tenui fruuntur Beneficio obligat ad recitationem officii. Ita Decoq. Moralis Gratianop. Tom. 2. Tract. 5 cap. 10. Pontas ubi ſupra caſ. 28. ubi pro ſe citat Hoſtienſ. Toletum, Collat. Condom. & Petrocor.

Probant 1. ex variis Conciliis, è quibus adduxiſſe ſufficiat Toloſan. an. 1590 habitum, cujus hæc ſunt verba, cap. 4. *Quicunque aut Curatum aut quodvis aliud eccleſiaſticum Beneficium obtinens, divinum officium non dixerit, ejus fructus non percipiat.* Et Burdigal. an. 1583. *Omnes ipſo jure ad officium obligantur quicunque Beneficiis eccleſiaſticis fruuntur, &c.* Atqui hæc verba, *omnes* & *quicunque*, nullam patiuntur exceptionem, neminem prætereunt; ergo.

2. Idem docet ſanctus Antoninus 3. p. tit. 13 cap. 3. §. 42. *Tenentur*, inquit, *ex præcepto ad Horas canonicas quilibet Clerici Beneficiati & non exiſtentes in ſacris, nec excuſare ſe poſſunt ratione exiguitatis Beneficii, ſi ex eo non percipiunt neceſſaria, ſed imputent ſibi ex quo ſe fecerunt ad illud intitulari.*

3. Idem docet Gloſſa in Can. *Clericus*. diſt. 91. ubi ait Clericum qui non percipit neceſſaria ab Eccleſia, teneri tamen ad officium, *ſicut vir tenetur miniſtrare neceſſaria uxori, quæ tamen eſt talis quod ei debitum reddere non valet.*

Probant 2. variis rationibus. Prima eſt, quod qui commodum ſentit, debeat idem ſentire & onus: atqui Beneficiarius etiam tenue habens Beneficium, commodum ſentit, tum quia ex hypotheſi certos, licet tenues percipit reditus; tum quia per tenue Beneficium ſicut per pingue redditur exemptus à communibus Reipublicæ oneribus. &c.

Se-

Secunda : Non magis Beneficii tenuitas excuſat à Breviario, quam à reſidentiâ : non à reſidentia; ergo. Ita argumentatur Proſper Fagnanus.

Tertia, quia non ſoli Beneficii fructus obligationem legendi Horas inducunt, ſed & ipſe Beneficii titulus, quem Beneficiatus retinet, etſi Beneficium ejus tenue ſit.

Obj. 1. quòd juxta Apoſtolum qui altari deſervit, de altari vivere debeat; quod hic non fieret. 2. quòd qui nihil accipit, ad nihil teneatur : ergo qui parum accipit, ad parum tenetur. 3. qui ſeptem aut octo aureos percipit, rationabiliter ad id obligari non debet, ad quod obligatur qui centum capit.

Reſp. ad primum. Senſus Apoſtoli eſt vivere poſſe de altari qui altari deſervit, non verò eum tantum percipere debere ab altari, quantum ſatis eſt ut commodè vivat; alioqui non teneretur ad officium, qui etiam ultra medium eorum quæ ad honeſtam ſuſtentationem neceſſaria ſunt perciperet, quod tamen nemo hactenus dixit.

Ad ſecundum, dato anteced. de quo ſtatim, negant conſeq. quia, inquiunt. Canones eorumque Interpretes clariùs & expreſſiùs loquuntur de obligatione recitandi cùm aliqui percipiuntur fructus, quàm cùm nulli. Certe allati Conciliorum textus ſupponunt aliquos fructus percipi, cum iis privari velint, eos qui officium non legunt.

Ad tertium. Si ſemel admittatur hæc regula, innumeri erunt Beneficiarii, qui ab omni officio ceſſabunt; dicent enim æquum non eſſe ut qui vix 300. aut 400. libellas percipit, idem ſolvat penſum quàm qui pingues habent Abbatias, quæ inter centum & ampliùs Clericos diviſæ, honeſtæ omnium ſuſtentationi penitùs ſufficerent.

Quæres 5. quid de iis dicendum, qui ſine ſuâ culpâ nullos omnino fructus percipiunt.

Reſp. vel deinceps aliquid percipient, putà ſi ceſſet ſterilitas, ſi pax bello bona depopulanti ſuccedat; vel nihil unquam percepturi ſunt, ut ſi domus aquis abreptæ perierint, fundi ab hoſtibus occupentur &c. ſi primum, dicendum eſt hujuſmodi Beneficiarios à recitatione non eſſe immunes : tum quia nulla eſt ratio, quæ ipſos ab hâc recitatione excuſet; tum quia cùm fertilioribus annis abundantiorem percipiunt reditum quàm qui ipſâ fundatione conſtitutus eſt, non plùs pro Fundatoribus precum effundunt. Ergo ut perfecta ſit æqualitas, nec minùs orare debent, ſi uno aut altero anno, nihil aut parum percipiunt. Ita ſentit Habert. Si vero nulla ſpes affulgeat reditûs in poſterum percipiendi, puta ſi fundi temporum iniquitate perierint, diviſi ſunt Theologi. Alii, iique longè plures numero, exiſtimant Beneficiarium ad nihil omnino teneri. 1. quia Beneficiarii neque ex ſuâ, neque ex Fundatoris intentione ad ullum ſe officium obligant, niſi eis aliqua perſolvantur ſtipendia. 2. quia beneficii fundatio eſt quidam contractus *do ut des* : ergo ſi unus partes ſuas non impleat, non tenetur alter quidquam implere.

Alii vero cenſent ejuſmodi Beneficiarios non deſinere officii divini lege & vinculo conſtringi. Nam 1. ſi ex dictis ſupra, qui modicum poſſidet Beneficium, Horas perſolvere debeat vi clericatûs & tituli, non præcisè ſtipendii ipſius reipſâ inſufficientis, inconſequenter loquitur qui Beneficiarium nullos percipientem reditus eximit ab Horarum perſolutione.

2. Quod de Beneficiario modicos percipiente reditus dicitur ab Antonino, quòd illud *imputare ſibi debeat, &c.* hic dicendum occurrit : ut quid enim Beneficii titulum ſumit, eique inſiſtere pergit, qui eodem vult ſe gerere modo, ac ſi reipſa titulum non haberet?

3. Qui omnes Beneficii fructus reſignanti dimittit per modum penſionis, ex omnium confeſſo ad officium tenetur, quia nempe ſponte & lubens cum eo onere Beneficium accepit : atqui pariter in caſu propoſito, ſponte ac lubens Beneficium accepit ille de quo nunc agimus; ergo pariter tenetur ad officii recitationem.

Hæc ſunt validiora opinionis utriuſque momenta, Secunda videtur tutior; probabilior & longè communior prima : ſed duo hic annotare velim, 1. vix futurum unquam ut quis ſimplicem Beneficii titulum ſine ullo reditu recipiat, niſi redituum defectus aliunde compenſetur : putà quia certis etiam ſine reditu Beneficiis certa alligata ſunt jura, vel honorifica, ut jus aſſiſtendi Choro alicujus Cathedralis; vel utilia, ut jus quod à nobis dici ſolet, *Committimus.* Hæc autem jura, quæ à multis pecuniæ præferuntur, aliquod in Eccleſiæ gratiam officium exigere videntur : unde cùm dubium ſit quid pro hiſce juribus à Clerico debeatur, dicerem. 2. in hoc aliiſque tenuis Beneficii caſibus, conſulendum eſſe Epiſcopum, & repræſentandam ei redituum modicitatem, ejuſque deciſioni parendum : aut denique videndum eſſe quid ferat locorum conſuetudo cui Prælati non reſiſtant : præſumendum eſt enim ibi receptam eſſe generalem officii recitandi legem cum hâc reſtrictione, niſi Beneficia admodum tenuia ſint. Talis autem conſuetudo cenſeri non deberet æquitati contraria : tum quia officium parvum B. Mariæ, aut majus officium certis diebus recitandum, cenſeri poteſt ſervitium exiguis reditibus reſpondens; tum quia Beneficiarii illi communiter tenentur ad certum numerum Miſſarum, qui tenues illos reditus ſatis compenſat. Ita Habertus, Theologus Pictav. aliique quorum judicio ſponte ſuffragatur.

Quæret 6. an ad Breviarii recitationem obligentur ii qui penſionem habent clericalem ſuper eccleſiaſtico Beneficio conſtitutam. Non loquimur de iis qui penſiones merè laicas habent, ob temporalem quam præbent Eccleſiæ operam, Organa v. g. pulſando, &c. eos enim officio non conſtringi certum eſt.

Reſp. eos teneri ſub peccato & pœnâ reſtitutionis *ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis.* 1. quia ita decrevit Pius V. jam citatâ Bulla 13. quæ in hoc puncto ubique recepta eſt. 2. quia, ut ajunt Proſper Fagnan. & Navarrus, penſio hodie datur propter officium, ſicut Beneficium. Idem tenet Pontas verbo *Penſion* caſ. 24. author Lib. cui titulus *Theorie & pratique des Sacramens*, Tom. 3. pag. 121. & Suares Lib. 4. de Hor. canon. cap. 22. Et hoc verum eſt de eo etiam Clerico, qui conſenſiſſet in penſionis ſuæ redemptionem : iiſdem tamen licet magnum officium recitare.

Quæres 7. an qui Præſtimonias habent, eâdem recitandi officii lege teneantur.

Reſp. 1. Præſtimonium, ſeu ut loquitur Pius V. Præſtimoniæ definiuntur, Portiones quædam à reditibus Beneficiorum abſtractæ & deſignatæ, ut juvenibus per modum ſubventionis ad peragenda ſtudia conferantur, aut perſonæ habili donentur ad ſerviendum Eccleſiæ.

Præſtimoniarum duplex eſt genus, ut notat Pontas verbo *Terre Eccleſiaſt.* cap. 5. aliæ ſunt perpetuæ, aliæ ad nutum revocabiles.

Reſp. 2. Stando in jure communi, habentes præſtimoniam tenentur ut alii Beneficiarii ad officium 1. quia ita ſanxit S. Pius V. in Conſtitutione

pluries laudatâ. 2. quia præſtimoniæ perpetuæ cæteros Beneficii caracteres habent; dantur enim ab Epiſcopo, non dantur niſi Clerico, dantur ſine pacto, tituli eccleſiaſtici locum habent, præſertim in Britanniâ Armoricâ. Ergo cum qui ſentit commodum, debeat & onus ſentire mirum eſt ſi ab officio immunes ſint Præſtimoniarii.

Nihilominus cùm olim occaſione Britonis cujuſdam eos conſuluiſſem qui pleniorem rei hujus notitiam habere poterant, reſponſum fuit hanc eſſe in iis partibus conſuetudinem, ut præſtimoniarii ad nihil teneantur: quibuſdam in locis obligantur ad quinquies in die recitandum *Pater* & *Ave*, ut notat Charlotcadu, in ſuo de materiis Beneficialibus compendio, pag. 3. Videndæ ſunt ſi fieri poſſit fundationes, & conſulendi Epiſcopi, Cætera ad hanc materiam pertinentia, ut Commendæ, Coadjutoriæ, & aliæ ejuſdem generis, ex dictis & uſu ſatis intelliguntur? de iis plura videris apud Suarem Tom. 2. Lib. 4. cap. 21.

Dicendum nunc de Religioſis, quorum obligationes ab ipſis etiam ſæcularibus Presbyteris cognoſci expedit, cum ſæpe contingat ut ſive in itineribus, ſive in miſſionibus ſeu ſtationibus iis Sacramenta adminiſtrare teneantur. Certum eſt Religioſos à Clericis Pſalmodiam accepiſſe; at eidem & longiùs & accuratiùs vacaverc. *Matutina laudes*, ait S. Epiph. Expoſ. fidei cathol. cap. 23. *in Eccleſia Catholica, matutinæque preces aſſiduè celebrantur; lucernales item pſalmi & orationes.. magna verò ex parte Monachi in decantandis pſalmis, ac perpetuis orationibus occupantur.* Vide Caſſian. Lib. 2. & 3. Collat. ubi ſcribit Ægypti ac Thebaidis Monachos majorem diei noctiſque partem in Horis decantandis impendiſſe. Idem de Monialibus teſtantur S. Gregor. Nyſſen. in vitâ S. Macrinæ, & Hieronym. tum Epiſt. 27. tum Epiſt. ad Demetriadem quam his verbis compellat: *Præter pſalmorum & orationis ordinem quod tibi hora tertia, ſexta, nona, ad veſperam, media nocte, & manè ſemper eſt exercendum, &c.* Quæritur quæ & quanta ſit hæc obligatio; unde ſit.

CONCLUSIO TERTIA.

Religioſi ad Chorum profeſſi, & necdum in ſacris conſtituti, etiam extra Chorum, tenentur ſub mortali ad officii recitationem, niſi cùm iis diſpenſatum ſit à Papâ, aut aliud ferat ſpeciale Ordinis inſtitutum. Ita Theologi pene omnes contra nonnullos laxiores.

Prob. 1. ex unanimi omnium ferè conſenſu, qui oppoſitam opinionem rejecerunt; alii ut temerariam, alii ut ſchandaloſam, alii ut pernitioſam animarum ſaluti, alii ut planè improbabilem, & iden papæ juſſu etaſam è Libro Emmanuelis Sa. Famoſæ tres Hiſpaniarum, Univerſitates, Hiſpalenſis Cæſaraguſtana, Conimbricenſis contra eam acriter inſurrexerunt an. 1632. præiverat jam ab an. 1625. R. P. Mutius Vitteleſchi, Societatis Jeſu Præpoſitus, prohibens ne, quis ſuorum opinionem prædictam doceret etiam ut probabilem. Vide Æthic. Amoris, Tom. 2. Lib. 10. cap. 17. ibique congeſta Theologorum & Ordinum plurimorum teſtimonia.

Prob. 2. ex legitimâ conſuetudine, non tam ab ipſis Religionibus introductâ, quàm ab Eccleſiâ, quæ Religionibus ad Chorum deſtinatis, Breviarii penſum quotidie recitandum determinavit, non præcepto ſcripto, ſed eccleſiaſticâ traditione; atqui talis conſuetudo, utpote vim legis habens; graviter & in conſcientia obligat eos omnes qui ab eâ non excipiuntur; non excipiuntur autem Religioſi in ſacris non conſtituti, & extra Chorum verſantes. Unde ſtatim ac aliquis aſſerere auſus eſt hujuſmodi Religioſos ab officio legendo abſtinere poſſe, eidem protinus vividè & acriter obſtiterunt horumce Ordinum ſuperiores: de quo tria videris exempla apud citatum Theologum.

Prob. 3. quia contraria paucorum opinio ſingularis eſt & nova; atqui opiniones novæ & ſingulares in materiâ morum, plenæ ſunt periculi; ergo.

Obj. 1. Aſſertio præcedens potiſſimùm fundatur in Doctorum conſenſu; atqui ex hoc conſenſu certum erui non poteſt argumentum, quandoquidem non conſentiunt inter ſe doctores in aſſignando hujuſce obligationis fundamento; ergo.

Reſp. neg. min. Tam enim conſenſus Theologorum & Canoniſtarum aſſertionem noſtram ab extrinſeco certam facit, tametſi non conſentiant in fundamento intrinſeco iſtius obligationis, quàm idem conſenſus certam faciat obligationem Subdiaconorum ad caſtitatem, tametſi in aſſignando hujuſce obligationis fundamento non conveniant Doctores, quorum alii obligationem hanc fundant in voto implicito; alii in Eccleſiæ præcepto; alii in conſuetudine præſcriptâ: atqui &c.

Obj. 2. Nulla obligatio ut talis recipienda eſt, niſi de ea evidenter conſtet per legem ita claram ut probabilem non patiatur exceptionem: atqui obligatio de quâ loquimur, non nititur ulla lege tam clara &c.

Reſp. neg. maj. quæ ſi vera ſit corruunt & labuntur plurima chriſtianæ moralis capita, quæ licet à ſanioribus Theologis recepta ſint, non probantur tamen argumentis ita cogentibus ut nunquam eludi poſſint & imminui. Legantur propoſitiones laxæ ab uno minùs ſæculo damnatæ, & quarum multæ horrorem patiunt, vix ulla eſt quæ à viris eruditis imo & piis multiplici momentorum genere firmata non fuerit, & aliquando rationibus munita tam arduis ut facilè ſolvi non poſſet. An non ergo malæ & periculoſæ erant eæ propoſitiones antequam damnarentur? An non meritò arguebantur Theologi, qui aſſerebant Sacerdotem novum poſſe ſtipendium exigere pro parte ſacrificii ſibi debita, quam aliis cederet; eo prætextu quod lex id prohibens non ita evidens & aperta foret, ut probabilem non pateretur exceptionem? An non noverunt omnes id quod alii falſum judicant, ab aliis verum & probabile judicari? Profectò ſi, ut ait Caſſianus de Diſc. cap. 10. *decipi non poteſt, qui non ſuo ſed communi majorum vivit vel ſentit exemplo*, facile decipi poteſt qui ſe cæteris omnibus oculatiorem eſſe confidit.

Obj. 3. Nulla conſuetudo ſub mortali obligat, niſi certo conſtet eam introductam vel receptam fuiſſe ſub tali peccato. In dubio namque concludendum eſt pro obligatione minima; quia in obſcuris minimum eſt ſequendum, in pœnis benignior eſt interpretatio facienda: atqui certo non conſtat Religioſos & Moniales extra Chorum teneri ſaltem ſub mortali ad officii recitationem? ergo &c.

Reſp. 1. neg. maj. Etenim, ut ſapienter monet Dionyſius Carthuſ. in 2. Sent. diſt. 22. poſt Alenſem, *Qui dubitat de aliquo an ſit ſimonia, an non, eo quod quidam juriſperiti dicunt hoc eſſe ſimoniam, & quidam non, talis abſtinere debet à tali negotio*,

negotio, ſeu contractu, ne diſcriminis ſe committat: quod principium ſuo loco fuſius explicabimus; ergo non requiritur ratio evidens, ſed aliquando ſufficit dubiũ ut quis vel agat, vel abſtineat ab agendo.

Reſp 2. ex unanimi ſapientum conſenſu exurgere demonſtrationem moralem, quam qui ſequitur decipi non poteſt, ut ſupra aiebat Caſſianus: atqui conſenſum hunc habemus circa obligationem quæ nunc à nobis expeditur; ergo:

Circa concluſionem noſtram quædam ſunt animadvertenda.

Not. itaque 1. id quod de Religioſis dictum eſt, ad Sanctimuniales eſſe extendendum, ob paritatem rationis, & conſuetudinis, Idem etiam ſtatuendum eſt de virginibus illis, quæ in Belgio & Germaniâ Canoniſſæ vocantur, ut contra Leſſium in conſiliis verbo *Horæ canonicæ* caſ. 14. docent Malderus, Wiggers, Loth, Vanroy, Henricus à S. Ignatio, & alii complures; quorum aſſertio fundatur 1. in conſuetudine & Theologorum conſenſu. 2. in eo quod æquum ſit ut quæ quodammodo de altari vivunt, & Eccleſiæ bona percipiunt, ut divino ſint ſervitio & Choro mancipatæ, ſaltem officium privatim recitent, Cum Choro intereſſe nequeunt. 3. quia ex Canoniſſæ ut plurimum ſucceſſerunt veteribus Benedictinarum monaſteriis, quarum cum vicem teneant quoad redites, debent & vicem tenere quoad officium. De his plura apud citatos authores.

Not. 2. id quod diximus circa Sacerdotem, eum ſi excommunicetur, exilio aut triremibus damnetur &c. adhuc officii recitationi obnoxium remanere, pariter dicendum de Religioſis: onde apoſtatæ, fugitivi, ii etiam quibus permittitur ut extra monaſterium perpetuò vivant, ad officium tenentur. Aliter ſentiendum de eo cui ex diſpenſatione pontificiâ permitteretur uxorem ducere; quia diſpenſans in profeſſione, cenſetur in iis etiam diſpenſare quæ ex profeſſione ſequuntur. Eadem eſt ratio illius qui vi ſimilis diſpenſationis tranſiret de ſtatu ſuo ad ſtatum Converſorum, aut ad aliam Religionem quam qui profitentur non ſunt ad Chorum deſtinati. Quod ſpectat ad eum qui per ſententiam à monaſterio ejectus eſt, alii, ut Sotus & Caballutius, eum ab onere officii liberum aſſerunt, alii negant. *Is enim* ait Navarrus, *ſemper remanet Monachus, nec uxorem ducere poteſt, & ad Ordinem ſuum, ſi volet* mores mutare, *redire ferè ſemper poteſt*. Vide Pontas ubi ſup. caſ. 10. & caſ. 11.

Not. 4. ad officium non teneri 1. Novitios & Novitias, qui in odioſis reputantur ſæculares 2. Laicos ſeu Converſos etiam profeſſos, qui non ad Chorum, ſed ad opera manualia deputati ſunt. 3. Clericos, qui ex profeſſione ſuâ non ſunt addicti Choro, ſed vel ſtudiis ut juniores Jeſuitæ, vel armis ot Religioſi militares Eorum vero qui ad Chorum ſunt deputati, obligatio incipit à die & horâ profeſſionis, ut ex dictis obligatio Subdiaconorum à tempore & horâ ordinationis.

SECTIO TERTIA.

Quo utendum ſit Breviario.

Celebris extat eâ de re S. Pii V. Conſtitutio emiſſa die Junii 7. 1568. *Abolemus* inquit, n. 5. *quæcunque alia Breviaria* præter Romanum, *vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab Epiſcopis in ſuis Diœceſibus promulgata, omnemque illorum uſum de omnibus orbis Eccleſiis, monaſteriis, conventibus, militiis, ordinibus, & locis virorum ac mulierum, etiam exemptis, in quibus alias officium divinum Romanæ Eccleſiæ ritu dici conſuevit, aut debet; illis tamen exceptis quæ ab ipſa prima inſtitutione à Sede apoſtolica approbata, vel conſuetudine, quæ vel ipſa inſtitutio ducentos annos antecedat, aliis certis breviariis uſos fuiſſe conſtiterit, quibus ut inveteratum illud jus dicendi & pſallendi officium ſuum non adimimus, ſic eiſdem ſi fortè hoc noſtrum, quod modo promulgatum eſt, magis placet, dummodo Epiſcopus & univerſum Capitulum in eo conſentiant, ut id in Choro dicere & pſallere poſſint permittimus.* Et infra n. 7. *Statuentes... neminem ex iis quibus hoc dicendi pſallendique munus neceſſariò impoſitum eſt, niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe.* Ut variæ circa hoc Decretum elucidenter difficultates.

Quæres 1. an poſt citatam Pii V. Conſtitutionem teneantur Clerici ad Breviarii Romani recitationem.

Reſp. Clericus vel eſt Beneficiarius, in loco Beneficii ſui reſidens, aut alicujus Eccleſiæ ſervitio mancipatus; vel non. Si primum, tenetur recitare officium Diœceſis in qua vel Beneficium habet, vel ſervit, non autem officium Romanum. Et ratio eſt 1. *quoniam*, ut rectè notat S. Thom. quodlib. 6 art. 8. *quemadmodum Clericus quia Eccleſiæ mancipatus atque addictus eſt, ad officium eccleſiaſticum obligatur; ſic etiam quia tali Eccleſiæ ratione Beneficii addictus eſt, talis Eccleſiæ officium recitare debet.* 2. quia nemo Bullam Pii V. ſic intellexit, ut crediderit melius eſſe poſt eam, ſi ii qui Eccleſiæ particulari quæ officio Romano non utitur, addicti ſunt, Romanum proprio neglecto officium recitarent: unde cum ſcripſiſſet Cajetanus Clericos aut Monachos poſſe *ſine peccato mortali*, Romanum Breviarium proprio Diœceſis ſuæ aut Ordinis Breviario anteponere, reſpondit Bellarminus, cui ignota non erat Piana Conſtitutio, *non eſſe id uſque adeo certum vel tutum*. Ita Navarrus, Toletus, Pontas, *Office du Breviaire*, caſ 31. & author Collat. Diœceſ. Rupell. q. 17. & 18. *Lib. 1. de bonis operib in part. c. 18.* Notânt tamen multi Beneficiatium, qui non tenetur Choro intereſſe, uti poſſe Breviario Romano; atque hoc ſatis probari videtur uſu ferè oniverſali. Vide authorem ſtatim citandum, pag. 144.

Dixi, Beneficiarius *in loco Beneficii ſui reſidens*, quia ſi in alia Diœceſi reſideat, optimè faciet ſi ejus Breviarium aſſumat. Vide author. Gallicum theoe. & praxis Sacram. Tom. 3. p. 146.

Quod ſpectat ad ejus qui nec certæ Eccleſiæ, nec alicui Ordini religioſo addicti ſunt, ut nonnulli qui ad ſolum patrimonii titulum ordinantur, iis liberum eſt, ubicunque ſint, Eccleſiæ Romanæ officium ſequi Ita ſatis communiter Theologi. *recte tamen facerent*, ait Bellarminus *ſi uſum illius Eccleſiæ ſequerentur apud quam ordinariè verſari ſolent*, juxta conſilium S. Auguſt. in Epiſt. 118. nunc 54. num. 2. *nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam ad quamcunque fortè devenerit.* Quam regulam S. Doctor à S. Ambroſio didicerat, cujus hæc verba refert in Epiſt. ad Caſulanum, nunc 96. alias 86. *Quid poſſum hinc docere amplius, quam ipſe facio... Quando hîc ſum, non jejuno ſabbato: quando Romæ ſum, jejuno ſabbato... ad quamcunque Eccleſiam veneritis, ejus morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere.*

Confirmatur. Quia ſatis eſt abſurdum, ut quis officium & Miſſam de feria legat, cum reliqua Diœceſis ſolemnem de Patrono, aut quovis alio feſtum

Reſp. 1. neg. ant. ſi generaliter ſumatur. An non enim graviſſime peccaret qui Miſſam pro defunctis diceret in die feſto Sanctorum omnium; aut qui Miſſam Sanctorum diceret in die defunctorum;

Reſp. 2. neg. conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quòd ſicut Eccleſia aliquando libertati noſtræ relinquit omiſſionem Miſſæ, ſic & eidem libertati relinquit ut miſſa celebretur, vel votiva, vel de feriâ, vel pro defunctis; & id probat piorum conſuetudo: at vero neutiquam probari poteſt hanc ab Eccleſia libertatem relinqui circa officii recitationem; imo contrarium evidenter colligitur ex probationibus noſtris.

Si quia verò incaute & inadvertenter, modo inadvertentia hæc culpabilis non ſit, unum officium pro alio recitaverit, communior & probabilior opinio docet eum non teneri ad repetendum, ſi errorem non animadvertat niſi poſt peractam totius officii recitationem. Si verò poſt recitatum v. g. matutinum errorem detegat, probabilius crediderim cum Card. de Lugo, & Æthicâ amoris Lib. 10. cap. 21. reſiduum ex iſtius diei officio poſſe & debere recitari ex benignâ interpretatione mentis Eccleſiæ. Quòd ſi officium jam recitatum longè brevius eſſet eo quod recitandum erat, ſequendum eſt id quod docent Layman Lib. 4. Tract. 1. cap. 5. Bonacina & alii, nempe ut debita fiat compenſatio: ùnde qui loco officii Dominicæ octodecim Pſalmos continentis, officium feciſſet de Sancto, deberet Pſalmos novem primi nocturni Dominicæ recitare, ne tanta ſubſit inæqualitas; imo melius fuerit vel totum repetere, ſi officium totaliter differat, vel id ſupplere quod ſuppleri poteſt, ut capitula, lectiones, reſponſoria, modo tamen id ſine gravi incommodo fieri poſſit; hoc tamen ſub pœna peccati neceſſarium eſſe non puto, & ita judicant viri ſcientia & pietate conſpicui.

Dices: Qui ſponte unum pro alio officium recitat, non ſatisfacit ex dictis; ergo nec qui recitat unum pro alio etiam ex inadvertentia; quia advertentia vel inadvertentia non mutant naturam debiti.

Reſp. 1. neg. conſeq. lex enim oneroſa ultra terminos ſuos extendi non debet: porrò cùm Pius V. & Epiſcopi tradunt eum qui aliud officium recitat, non ſatisfacere debito ſuo, loquuntur de èo qui ſciens & volens hoc facit. Ergo ea lex ad alios trahi non debet; præſertim cum id negant legis Interpretes ſciente & non reclamante eo qui legem tulit.

Reſp. 2. non deeſſe qui credant eum qui etiam advertenter unum officium commutat in aliud quod non eſt notabiliter brevius, aut notabiliter difforme, peccare venialiter tantum. Ita ipſe Henricus à S. Ignat. Quamvis enim, inquit, officium ſubrogatum, juxta declarationem Pii V. ſit caſſatum, annullatum, & proſcriptum quoad effectum plenæ ac ſine ullo peccato ſatisfaciendi præcepto; non tamen uſquequaque, ſive quoad omnem effectum: quia levis mutatio, etiam ſubſtantialis, niſi gravis fiat ob Eccleſiæ præceptum, quod in præſenti non adeſt, non videtur eſſe mortale peccatum; ſicut nec levis omiſſio ſubſtantialis, ut patet in omiſſione Veſperarum Sabbati ſancti, quam ii etiam qui nobis in præſenti puncto adverſantur, fatentur non eſſe niſi venialem. Æquius tamen ſentire videntur qui grave hic peccatum eſſe putant, quia grave præceptum omittitur.

Quæres 5. an qui hodie legit de Sancto poſtridie occurrente, teneatur adhuc die ſequenti officium ejus recitare.

Reſp. affirmat. Tum quia primus error non dat jus invertendi ordinem officiorum Breviarii; tum quia per Eccleſiæ legem tale officium pro tali die determinatum eſt. Ita Lugo, Æthica &c. Unde ulteriùs ſequitur, officium de Sancto quod die ſuo omiſſum eſt, non debere primâ die non impedita recitari, quia officia ſicut jejunia diebus ſuis alligata ſunt, à qua obligatione Rubricæ eum duntaxat excipiunt caſum quo contingit dies illos impeditos eſſe altiori feſto vel ſolemnitate; alias qui longâ detentus infirmitate multa Sanctorum officia prætermiſiſſet poſſet recuperata valetudine omiſſa Sanctorum officia reſumere, non ſine difformitate magnâ eum Eccleſia cujus Breviarium ſequitur. Ita iidem Theologi.

Quæres 6. an qui Breviarium romanum recitant, teneantur ad Pſalmos graduales, pœnitentiales, officium defunctorum, & alia ſimilia quæ pro certis diebus præſcribuntur.

Reſp. non teneri extra Chorum; tenentur tamen ſub mortali ad officium defunctorum die 2. Novembris; item ad litanias in feſto S. Marci, & diebus Rogationum ſi proceſſioni non interſint: quia hæc cenſentur eſſe partes officii harumce dierum, atque id ſatis probat unanimis conſuetudo. Ita Bonacina, & alii.

Quæres 7. an qui prædictæ proceſſioni aſſiſtunt, ſed non recitant niſi preces quæ ab iis dicuntur qui proceſſionibus non interſunt, cæteras vero vel omittunt, vel ad eas ſatis non attendunt, quæres, inquam, an ii ſatisfaciant Eccleſiæ præcepto.

Affirmat Bonacina: tum quia nemo ex diligentia ſuà damnum reportare debet; reportaret autem, ſi eo quòd proceſſioni intereſſe velit, ad plus obligaretur quàm privatim obligatus fuiſſet: tum quia cenſetur hujuſmodi Clericus proceſſioni non intereſſe formaliter: tum denique quia id omne facit quod Eccleſia ſub pœna peccati fieri præcipit. Ex his principiis colligit idem Theologus, eum qui Jubilæi tempore proceſſioni intereſt, & non præſtat ea quæ præſcribuntur iis qui proceſſioni interſunt, bene vero ea quæ abſentibus indicta fuere, Jubilæi gratiam conſequi. Ego quidẽ exiſtimo duo hic eſſe conſideranda. 1. verba legis quæ certas preces imperat. 2. conditionem perſonarum quæ huic legi ſubjacent; fieri enim poteſt ut Canonicus aut paſtor qui proceſſioni intereſſe tenetur, ad plus obligetur quàm ille cui liberum eſt eidem proceſſioni non intereſſe. Si lex non ita apertè loquatur, ut colligi poſſit an ſtrictè præcipiat, vel non; conſulendus eſt legiſlator, aut videndum quo ſenſu eam intellexerint & intelligant viri docti perinde & timorati.

SECTIO QUARTA.
Quo ordine & tempore recitandum ſit officium privatim.

Hic tria inquiri poſſunt. 1. quo tempore melius ſit & perfectius Horas recitare. 2. quo tempore id fieri debeat, ut vitetur peccatum etiam veniale. 3. demum quando recitandæ ſint, ut ſaltem vitetur mortale peccatum; quæ ut ſolvantur.

Dicendum 1. optandum quidem fore, ut Horæ ſuis temporibus & intervallis etiam extra Chorum recitarentur; inde enim *Horæ* dictæ ſunt ab antiquis, quia certis diei partibus alligari debebant. Matutinum ergo media nocte, vel ſub diei crepuſculum recitandum eſſet; Prima, inter ortum Solis & nonam matutinam 3. Tertia inter novam & meridiem; Sexta, meridie vel circiter; Nona, circa tertiam veſpertinam. Veſperæ, ad Solis occaſum,

caſum, unde dicebantur Hora lucernaria; Complerotinm, ſub finem diei. Hanc diſciplinam, quæ hodie intollerabilis videremr, diu in uſu fuiſſe patet ex Statuto Synodali qood anno 1236. emiſit Petrus Rothomag. Epiſcopus. *Pracipimus*, inquit, *quod quilibet Sacerdos in Parochia ſua, ſeu Capellanus in Capella ſua dicat Matutinas de nocte, & omnes Horas horis competentibus; & pulſet horis debitis ad quamlibet Horam.* Stephanus Poocher, qui an. 1503. eff.ctus eſt Paritienſis Epiſcopus, his utebatut verbis io Synodo Pariſ. *Permittimus neceſſitatis cauſa, Matutinas diei ſequentis dicere ſero pracedente: aut mane totum officium ſucceſſivè dicere uſque ad Veſperat cum Completorio, ſi utilibus negotiis occupati eſtis, ut ſtudio, aut proceſſionibus, vel peregrinationibus; ſed ſi ex ſomnolentia aut delitiis facitis, ſine peccato facere non poteſtis.* Legatur eâ de re Thomaſſin. Tom. 2. pag. 4. Lib. 1. c.42. & 43. ubi probat ipſos Laicos, Reges, viros & feminas Principes huic officiorum diſtribution i ſuiſſe intentiſſimos. Sed quia perperam tentaretur bujuſcè conſuetudinis reoovatio.

Dicendum eſt 2. quòd *non videtur de ſe eſſe mortale, quandocunque quis tarde dicat officium, dum non tranſeat dies, qui quantum ad hoc videtur terminari circa mediam noctem.* Ita S. Antonin. 3. part. tit. 13. c.4. & alii poſt eum Theologi. Et ratio eſt, quia ſic recitans, etſi minus perfecte, implet tamen ſubſtaotiam præcepi. Idem tenent Sylveſt.r Navarrus, & alii quos ſequitur Pontas caſ. 20. Malè tamen docuit Baſilius Legionenſis, & alii quidam, eum qui incipit hodiernum officium recitare paulo aote mediam noctem diei ſequentis, recitandi præceptum implere, etiamſi notabilem bujuſce partem, poſt noctem mediam proſequatur & abſolvat. Ratio eſt, quia ex communi Eccleſiæ & Doctorum ſenſu, ſi pauculos excipias, totum diei bujus officium ſub mortali abſolvendum eſt aote finem bujus diei mathematicè ſumptum: unde qui aliquam officii partem tranſacta media nocte recitat, oon magis ſatisfacit quoad illam partem, quam ſatiſfaceret quoad totum, ſi totum poſt mediam noctem recitaret.

Dicendum 3. quòd eſt uſu & ſententia communi, vitetur paccatum etiam veniale, ſi Horæ parvæ quavis ferè borâ ante meridiem privatim recitentur. Nona juxta viros etiam timoratos, imò & Sexta juxta aliquos, poſt metidiem dici poſſuot. Veſperæ, à mesidie ad ſolis occaſum extra Quadrágeſimam; quia in illa dici debent ante refectionem, ut aliquid ſervetur veteris diſciplinæ, quæ jejunium noniſi poſt Veſperas ſolvi permittebat. Completorium ad finem diei.

Non peccat, qui Matutinum cum Laudibus pridie recitat ab eo circiter tempore, quo Sol proprior eſt ad occaſum quam ad meridiem, juxta Tabulam ſequentem, quæ Romæ edita eſt typis Cameræ apoſtolicæ, quamque hic exhibemus gallicanis horologiis ac ommodatam, ut quiſque norit quo tempore officium pro die ſequenti inchoare poſſit.

20. Janoarii,	horâ ſecundâ cum quadrante.
13. Februarii,	horâ ſeſqui-ſecundâ.
1. Martii,	horâ ſecuodâ cum tribus quadr.
18. Martii,	horâ tertiâ.
4. Aprilia,	horâ tertia cum quadrante.
20. Aprilis,	horâ ſeſqui tertiâ.
10. Maii,	borâ tertiâ cum tribus quadr.
8. Junö;	borâ quartâ.
30. Julii,	horâ tertia cum tribus quadr.
28. Auguſti,	horâ ſeſqui tertiâ.
7. Septemb.	horâ tertiâ cum quadrante.
24. Septemb.	horâ tertiâ.
13. Octobris,	horâ ſecunda cum tribus quadr.
20. Octob.	horâ ſeſqui ſecundâ.
18. Novemb.	horâ ſecundâ cum quadrante.
15. Decemb.	horâ ſecundâ.

Dicendum 4. cum Bellarmino & aliis peoè omnibus, eum venialiter ſaltem peccare, qui in officii recitatione à tempore canonico multum recedit; *Bellarm. ubi Sup.* ut qui Horas omnes nonniſi veſpere recitat abſque ulla ſic differendi neceſſitate; aut qui veſperas mane recitat: cenſent tamen multi Veſperas mane recitari poſſe ab iis qui iter facturi, aut magnis per diem occupatiooibus implicandi, prævident ſe nonniſi ægre, aut parum devotè officio ſuo in diei decurſu functuros eſſe. Ita poſt alios plures, Pontas ibid. caſ. 19. ubi notat cum ſancto Antonino, quòd quando *officium propriis horis dici non poteſt, propter occupationes, melius eſt prævenire, quam tardare; quia prævenire eſt providentia, tardare vero eſt negligentia.* Sive vero prævenias, ſive tardes, *non videtur de ſe eſſe peccatum mortale.* Verba ſunt S. Doctoris, quibus adhærendum credimus potius quàm iis qui dubitant an Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat, qui mane Veſperas & Completorium abſqoe legitima ratiooe recitat.

Diximus cum S. Antonino noo eſſe *de ſe* peccatum mortale; quia ratione contemptus aut ſcandali fieri poſſet mortale. Ut tollantur cæteræ difficultates, quæ ad præſentem materiam pertinent.

Quæres 1. an Horæ parvæ non poſſint pridie diei, ſaltem cùm ſubeſt cauſa.

Reſp. ita cenſere aliquos apud Salmantic. Tom. 4. Tract. 16. cap. 3. punct. 3. n. 13. ſed obſtat communis ſententia, & totius Eccleſiæ praxis atque conſuetudo. Nec refert quòd officii recitandi præceptum incipiat à Veſperis bujus diei; quia ex Eccleſiæ ſenſu, qui harumce materiarum legitimus eſt interpres, non incipit niſi quoad Matutinum & Laudes. Hinc ſequitur eum qui prævidet futurum, ut die ſequenti officium ſuum recitare non poſſit, oon teneri ad recitatiooem ejus pridie faciendam.

Quæres 2. an major ſtudendi commoditas, legitima ſit ratio, cur Horæ in tempus veſpertioum differantur.

Affirmant Salmanticenſea, & hoc ſatis admittam ſi agatur de ſtudio quod modum urgeat, ut puta concionis ſacræ quæ paucos intra dies memoriæ mandanda ſit. Si vero de ſtudeo communi ſermo ſit, alites ſentiendum; tum quia à Jove principium eſſe debet; tum quia non decet, ut tempus aptius ſtudio detur, & minus aptum, Deo, cui optima quæque ſacrificari debent.

Quæres 3. an peccet qui Horarum ordinem invertit v. g. qui laudes ante Matutinum, Tertiam ante Primam recitat.

Reſp. cum Henrico à S. Ignatio, id, ſi ſine cauſa fiat, eſſe quidem peccatum, ſed veniale dumtaxat; quia talis inordinatio, ex communi Doctorum ſenſu, noo eſt notabilis; & *ordo Horarum non eſt de pracepto* rigoroſo, ut ex Sylveſtro ait Pontas, caſ. 23. Nullatenus autem peccat, qui ordioem hunc ex legitima cauſa invertit, ut ſi Religioſus qui nocte ſurgere non potuit, Primam cum aliis canat, & deiode Matutioum recitet privatim; vel ſi quis ab infirmo, vel viro gravi, cui reſiſti non conveniat, invitetur ad dicendum eum eo Matutinum diei ſequentis, nondum lecto Completorio diei præcedentis. Ita citatus Henricus, juxta quem Canonicus qui nondum dicta Prima Chorú ingre-

ingreditur dum canitur Tertia, melius facit ſi Tertiam cum aliis cantet, quam ſi privatim ſolitum Horarum ordinem ſequatur. Idem dico de eo qui actu Breviarium non habens, aut legere non valens, v. g. in rheda publica, ſcit memoriter Horas minores: is enim eas, cum venit ipſarum tempus, recitare optimè poteſt, & deinceps Matutinum, Ita author theoriæ & praxis Sacram Tom. 3. p 167. idem dicit de eo qui etiam culpa ſua Breviarium non haberet.

Quæres 4. poſſit-ne Matutinum à Laudibus ſeparari, ita ut Matutinum ſero, Laudes mane perſolvantur.

Reſp. affirmat. Ita penè omnes. 1. quia certum eſt haſce Horas a ſe invicem olim ſeparatas fuiſſe: atque id, ait author Collat. Rupell. patet ex Regulis S Benedicti & Ordinis Ciſtercienſis, quas approbavit Eccleſia. 2. has Horas ſeparari melius eſt, ſaltem ab iis qui Matutinum ſero præcedenti recitant; pleraque enim Laudum verba matutino tempori magis congruunt, ut iſta: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo &c. Ecce jam noctis tenuatur umbra. Aurora jam ſpargit Polum.* Cum recitandæ ſunt Preces flexis genibus, eædem poſt Matutinum, ſi ſeparatim à Laudibus legatur, dicendæ ſunt quæ poſt ſingulas minores Horas. Ita monet Ordo Pariſienſis.

Quæres 5. an Nocturni Matutinorum ab invicem ſeparari poſſint.

Affirmat Henricus à S. Ignatio cum aliis quos citat, quia antiquitus Nocturni à ſe invicem ſeparabantur. Idem docet author Collat. Diœceſ. Rupell. q. 6. poſt Durandum, qui hoc diſertè docet
Pag. 225. vol. verſ. edit. Lugd. 1605. Lib. 5. cap. 3. Ration divin. Offic. ubi num. 3. ſic loquitur: *Sciendum eſt quod in primitiva Eccleſia miniſtri Eccleſiæ ter de nocte interpellatim ſurgebant ad divinum officium celebrandum &c.* Eadem eſt opinio ſancti Thomæ in 1. ad Corinth. cap. 14, Lect. 6. Verum hanc Nocturnorum ſeparationem non admittit Thomaſſin. quem conſule 4. p. Lib. 1. Diſcip. Eccleſ. cap. 42. n. 5. Quidquid ſit, tutius videtur Matutinum continuo & ſine interruptione recitare, quanquam reprehendendi non videantur qui ob juſtam neceſſitatem Nocturnos à ſe invicem dividunt.

Quæres 6. an, & qualiter peccet qui Matutino & Laudibus nondum perſolutis Miſſam celebrat.

Reſp. 1. Fatentur omnes non peccare eum qui juſta de cauſa Miſſam officio præponit; ut ſi Miſſa dicenda ſit, ne Viaticum infirmo deſit; ne plebs diutius expectet: addunt aliqui ne ipſe Sacerdos ſtatim profecturus, Miſſæ celebrandæ ſolatio privetur. Quod non approbat citatus author theor. & praxis Sacram. quia privata devotio regulis communibus cedere debet: unde ait, ſatius eſſet, ut à dicenda Miſſa abſtineret, de quo judicent alii.

Reſp. 2. Secluſis hujuſmodi caſibus non poſſe Miſſam ſine peccato celebrari ante recitationem Matutini & Laudum.

Atque id probatur 1. ex communi majorum traditione: ſiquidem, teſte Azotio p. 2. Lib. 10. c. 8 omnes ad unum veteres Theologi ac Canoniſtæ eum peccati reum dixere, qui abſque rationabili cauſa, Miſſam celebrat ante Matutini & Laudum recitationem. Ita inter alios ubi ſupra, Gabriel, Durandus, Angelus, Sylveſter, Navarrus, Bellarminus, Toletus, quos citat & ſequitur Pontas *Office du Brev.* caſ. 21.

2. ex generali & diuturna omnium qui Deum timent Sacerdotum conſuetudine.

3. ex Rubricis Miſſalis romani, & validius ex Conſtitutione Innocentii IV. emiſſâ an 1254. cujus hæc ſunt verba: *Sacerdotes*, tum Græci, tum Latini, quos inter orta erat gravis diſceptatio, *dicant Horas canonicas more ſuo; ſed Miſſam celebrare, priuſquam officium matutinale compleverint, non præſumant.*

4. Citari poſſent varia Diœceſeon & Epiſcoporum noſtrorum Statuta, inprimis Eccleſiæ Nemauſenſis Lingonienſis, Senonenſis, Pariſienſis. In Libro Synodali Eccleſiæ Nemauſ. quem an. 1284. edidit Bertrandus hujus loci Epiſcopus, ſic habetur: *Prohibemus ſub pœna ſuſpenſionis, ne quis Sacerdos* Miſſam cantare præſumat, niſi prius plenè *expleverit officium matutinum*. Siffridus Parmenſis Epiſcopus, *Statuimus*, inquit, *ſub pœna excommunicationis, ne aliquis Sacerdos Miſſam celebraverit, niſi prius dixerit Matutinas & Primam de die.* Eadem praxis Matutinum & Primam ante ſacrificium dicendi, graviter præcipitur in Synodo Lingon an. 1304. & Pariſ. an. 1557. Atque licet collapſa ſit hæc diſciplina quoad Primam, nec ubique recepta fuerit, ſemper tamen apud eos qui ſanius ſenſerunt in uſu fuit quoad Matutinum & Laudes, adeoque etiamnum ſervari debet quamdiu poteſt.

Atque hinc ſolvitur duplex argumentum quod contra reſponſionem noſtram proponunt aliqui, & alii proponere poſſent. 1. inquiunt, Matutinum inter & Miſſam nulla eſt connexio, præſertim hoc noſtro tempore, quo Matutinum pridiè recitari poteſt, adeoque nec haberi poteſt ut præparatio ad Miſſam. 2. argumentum è quibuſdam veterum Statutis petitum nihil probat, quia nimis probat, nempe recitari etiam debere Primam ante ſacrificium.

Nam quod ſpectat ad primum, etſi nulla inter utrumque ſit connexio ex natura rei, eſt tamen ſufficiens ex jure poſitivo, Eccleſiæ conſuetudine quæ vim legis habet, majorum traditione, Theologorum ſaniorum conſenſu.

Ad ſecundum, ex eo quod Eccleſiæ diſciplina quibuſdam in punctis infracta fuerit, haud ſequitur eam in aliis pariter infringi debere, potiſſimum cum pii magis & docti reſiſtunt.

Reſp. 3. non deeſſe qui mortalis peccati, prædictæ diſciplinæ tranſgreſſores incuſaverint Ita inter alios S. Antoninus. *Qui nondum dictis Matutinis*, inquit, *celebrat* Miſſam, *mortaliter peccat, ſecundum Guillelmum & Hoſtienſem; quamvis poſtea diceret: & hoc quia facit contra generalem & approbatam Eccleſiæ conſuetudinem.* Atque hæc S. Doctoris opinio ſatis confirmatur ex pœnâ ſuſpenſionis aut excommunicationis quam variæ Eccleſiæ decernebant, aut ſaltem comminabantur iis qui Miſſam ante matutini officii lectionem recitabant.

Fatendum tamen hanc S. Antonini deciſionem pluribus videri rigidiorem: unde hic non niſi veniale peccatum agnoſcunt Soto, Sylveſter, Toletus, Navarrus, Bellarminus, Suares, Henricus ipſe à S. Ignatio, citatus neque ia laxior Caſuiſta Rupallenſis, à quibus non abhorret Pontas. Et ratio eſt, 1. quia opinio quæ hic peccatum mortale ſubeſſe dicit, nullo nititur juris textu qui vim legis generalis obtineat: Statuta verò particularia quæ gravem ſuſpenſionis aut excommunicationis pœnam comminabantur, 1. ad ſummum non obligarent, niſi in Diœceſibus in quibus edita fuere. 2. neque iis in Diœceſibus magis obligant quoad Matutinum quam quoad Primam; unde dici poteſt ea jamdudum obſoleviſſe.

2 Extat quidem generalis lex recitandi matutinum ante Miſſam; ſed dici poteſt cum Sylveſtro, eam ſub terribili mortalis peccati pœna nec edi-
tam

tam fuiſſe, nec receptam, quod ſatis patet ex communi piorum & doctorum hominum conſenſu.

3. Non magis peccat mortaliter qui Miſſam celebrat antequam Matutinum recitaverit, quam qui minores Horas ante Matutinum recitat: atqui poſterior non peccat mortaliter; ergo nec prior, ſiquidem major eſt connexio Matutinum inter & Horas, quam inter Matutinum & Miſſam.

4. Ideo mortaliter peccaret Sacerdos qui Miſſam ante celebrat quam matutino ſunctus ſit Officio, quia communi Eccleſiæ conſuetudini reſiſtit. Atqui hæc ratio peccatum mortale non probat: qui enim Miſſam dicit poſt recitatum totum hujus diei officium, agit etiam contra totius Eccleſiæ conſuetudinem; neque tamen mortalis peccati inſimulatur. Ergo &c.

Ob hæc momenta propendat Pontas in Partem mitiorem, ſed fatetur tamen, quod & cum eo cenſatus quilibet & Deum timens fatebitur, non ita contemnendas eſſe alterius partis authoritates & rationes, ut qui à communi Eccleſiæ conſuedine ſine rationabili cauſâ recedit, graviter non ſit vituperandus.

Quæres 7, an peccet qui diebus Dominicis aut Feſtis officium recitat per tempus Miſſæ.

Reſp. duplex eſt ea de re Theologorum opinio. Prima negat: tum quia *hic reperitur corporis & animi præſentia quæ ad Miſſam exigitur, quoties per devotas preces mens ad Deum erigitur ut fit in recitatione ſatisfactoria pœnitentiæ aut officii divini, cum ad utramque obligationem una eademque attentio poſſit ſufficere.* Verba ſunt Cabaſſutii Lib. 2. Theor. & prax. cap. 32. n. 3. Tum quia illi actus ſecum invicem compati poſſunt, qui ad unum eundemque ordinantur finem, nampe ad laudem Dei, gratiarum ejus implorationem, & præcepti per Eccleſiam impoſiti adimpletionem: atqui talis eſt auditio Miſſæ & Breviarii recitatio. Non enim præcipit Eccleſia ut Fideles verbis Miſſæ inteodant, ſed ut verbis etiam non auditis Sacrificio pie & devotè interſint; alioqui non ſufficeret generalis tametſi vera ad Deum attentio, cujus ſolum capaces ſunt idiotæ, muti iique omnes qui è loco remotiori ſacro adſunt, unde Sacerdotis verba nec audiunt, nec ceremonias vident. Tum denique quia qui oppoſitam opinionem tenent, gratis ſupponunt, uno eodemque actu non poſſe duobus præceptis ſatisfieri. Qui enim vovit ſe jejunaturum toto Quadrageſimæ decurſu, uno eodemque jejunio ſatisfacit tum voto ſuo, tum Eccleſiæ præcepto, quo eum adſtringi ſupponimus. Pariter cui præceptum eſt à Confeſſario ut diebus ſingulis Miſſam audiat, non tenetur ad duas audiendas Miſſas diebus Dominicis. Opinionem hanc tenent Adrianus, Cajetanus, Sylvius, Suares, Toletus, Comitolus, aliique complures quos citat & ſequitur Pontas ubi ſupra caſ. 24.

Pro ſecunda opinione, quæ hic peccatum aliquod agnoſcit, ſtant Sylveſter, Angelus, & alii ad quos inclinat author Collat Diœceſ. Lucion. Tom. 2. *de Orat.* pag. 45. Rationes ejus iſtæ ſunt. 1. quod qui officium Sacri tempore recitant; Eccleſiæ ſpiritum & intentionem non ſequuntur, voluit enim Eccleſia ut alio tempore Miſſa audiretur, alio recitarentur Horæ. 2. Qui Miſſæ interſunt, ſacrificium una cum Sacerdote, modo licet plurimum diſpari offerre debent, adeoque ſequi Miſſæ preces eo quo poſſunt meliori modo: ſed qui Breviarium recitant, hoc præſtare nequeunt. Num enim qui Pſalmos recitat, peccata cum Sacerdote confitetur; Num ſe cum donis oblatis offert? Num pro mortuis orat & viventibus? Num ſpiritualiter communicat &c. At, inquiunt, ſatisfaciat Eccleſiæ præcepto plebs rudis, hebes, & imperita, abſque eo quod præſtet. Ita eſt; quia à populo non exigit Eccleſia niſi id quod poteſt: ſed ſi plus ab eo exigitur, cui plus à Deo donatum eſt, quidni magis quam alii teneatur Subdiaconus Sacerdoti ſe unire, & redargui mereatur ſi nihil aliud præſtet quam quod præſtat vulgus?

Hæc ſunt validiora partis utriuſque momenta, ex quibus fortè colligi poſſit, 1. eos tanquam eccleſiaſtici de audienda Miſſâ præcepti tranſgreſſores haberi non poſſe, qui officium per Miſſæ tempus recitaſſent: hic enim tum propter rationes primæ partis, tum propter eorum à quibus defenditur authoritatem, facilis eſt bona fides. 2. Graviter tamen monendos eſſe, qui in tali conſuetudine verſarentur, ut ab ea recidant; cum hæc magnam tepiditatem & parum amoris in Deum exhibeat; quod adhuc verius apparebit, ſi attendas hujuſmodi Eccleſiaſticos, qui omnibus eodem momento officiis fungi vellent, ſolitos eſſe tempus cui pepercerunt, in otio, nugis, & aliis etiam pejoribus miſerabiliter fallere.

SECTIO QUINTA.

De publica officii divini recitatione.

Publicæ recitationis nomine, eam imprimis intelligi volumus, quæ à Canonicis fit in Choro, circa quam aliquæ non levis momenti proponi poſſunt quæſtiones.

Quæres itaque 1. an peccent Beneficiarii Choro addicti qui ſine rationabili cauſâ abſunt à Choro dum cantatur officium.

Reſp. eos, niſi materiæ levitas excuſet, graviter peccare, & ad reſtituendum teneri Ita omnes.

Prob. 1. ex cap. unico *De Clericis non reſidentib.* in 6. quod à Concil. Trid. Seſſ. 24. cap. 12. renovatum eſt." Statuimus, *verba ſunt citati capitis* ut „diſtributiones quotidianæ, in quibuſcumque rebus conſiſtant, Canonicis ac aliis Beneficiariis, & „Clericis ipſarum Eccleſiarum, qui iiſdem officiis „in ipſis Eccleſiis aſſuerunt. tribuantur, qui verò „aliter de diſtributionibus ipſis quidquam receperit, exceptis iis quos infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas. aut evidens Eccleſiæ „utilitas excuſaret, rerum ſic acceptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas; imò ad omnium reſtitutionem qui contra hanc noſtram conſtitutionem receperit, teneatur. De diſtributionibus etiam pro defunctorum anniverſariis largiendis, idem decernimus obſervandum.

Prob. 2. Qui ex officio aliquam actionem facere tenetur, & propter eam ſtipendium recipit, peccat ſi eam non fecerit, & ad reſtituendum tenetur, quia non ſtat contractui legitimè inito: atqui Beneficiarii Choro addicti, ut Canonici & alii, ex officio tenentur Horas cantare, & propter id ſtipendium accipiunt; ergo ſi officio deſint, peccant & ad reſtituendum tenentur.

Dixi, niſi materiæ levitas excuſet, quia Concilium Baſil. Seſſ. 21. art. 1. & Pragmatica Sanctio Caroli VII. tit. 11. ſtatuunt ut ii ſolùm pro tota Hora abſentes reputentur, *qui in Matutinis ante finem Pſalmi* Venite exultemus; *in aliis Horis, ante finem primi Pſalmi; in Miſſa, ante ultimum* kyrie eleiſon, *uſque in finem divini officio non interfuerint.* Porrò veriſimile non eſt, ut notat Habertus, negligentiam hanc à mulcta liberam fore, ſi foret mortale peccatum, quamquam hic ſub-

ſit veniale peccatum, quia partem officii ſui omittere cùm impleri poteſt & debet, non vacat à culpâ. Imo, ut ſcitè annotat Suares Lib. 4. "De Horis „canonicis *cap.* 13. *n.* 7. ſi quis haberet formale aut „virtuale propoſitum ſemper omittendi in ſingulis „Horis partes illas ſi quas ſine multâ omittere poteſt „certè non videtur ſecurus in conſcientia: tum quia „illud objectum ſimul ſumptum grave eſt, & cum „ſervitium Choro debitum ſit quaſi quoddam to„tum, magna & gravis pars ab illo ſubtrahitur illo „modo; tum etiam quia ille affectus oſtendit quem„dam ſervilem animum inſerviendi Choro ſolùm „timore pœnæ, vel affectu lucri, quandoquidem „quoties ſine jactura lucri omitti poteſt, ex delibe„rato animo omittitur. Oportet ergo bona fide „procedere, animo integre ſerviendi, & tunc „licet ſæpè ac ſæpius illæ particulæ Horarum omit„tantur, ſolùm erunt multiplicata venialia." Hactenus Suares. Cavendum tamen ne non ſatis bona fide procedat, qui *ſæpe ſæpius* Horarum principio non adeſt.

Quanta verò requiratur à Choro abſentia ut quis mortaliter peccet, definiri facile non poteſt. Citatus Suares aſſerere non audet immunem eſſe à peccato mortali Canonicum, qui die integra à divino officio ſine neceſſitate abeſt eo tempore, quo adeſſe tenetur. Cenſet tamen Habertus Theologus non laxior, eum qui die unâ aut altera abeſſet à Choro, non peccaturum mortaliter; quia hæc omiſſio levis ei videbitur qui ipſam comparaverit cum aſſiſtentia per ducentos alios circiter dies continuata. Cæterum monet idem poſt Layman, abſentem à Choro Canonicum gravius peccaturum, ſi ex abſentiâ ejus grave damnum patiatur Eccleſia, v. g. quia officium eo abſente cadit, aut longe ſegniùs perficitur.

Hinc colliges 1. cum Pontas verbo *Chanoine* caſ. 5. & aliis, peccare & ad reſtituendum pro rata teneri Canonicum qui non ſolum ab omnibus Horis minoribus, ſed etiam ab una integra abeſt.

Colliges 2. abuſivum eſſe Statutum, quo Canonici quidam jam pridem ſanxerunt, ut quis lucretur diei totius diſtributiones, modo ex ſeptem Horis, tribus interſit; vel ut quis una per hebdomades ſingulas die abeſſe poſſit, ultra tempus à Concilio Tridentino, aut ſpeciali locorum lege, eâque approbata conſtitutum: tum quia inde minuitur cultus Dei; tum quia Concilium Tridentinum hoc prohibuit hiſce verbis Seſſ. 24. *De Reform.* cap. 12. *Obtinentibus in Cathedralibus aut Collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe: ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt.* Idem Pontas ibid. caſ. 3. & verbo *Chapitre* caſ. 5. Ita & Habert. Van-Eſpen & alii.

Colliges 3. cum iiſdem, vanum eſſe & irritum Statutum quod ediderunt Capitula quædam in variis Belgii & Galliæ locis conſtituta, ut Canonici quos jubilatos vocant, id eſt qui per annos triginta canonicatum in aliquâ poſſident Eccleſiâ, ab omnibus diſpenſentur officiis, præterquam in diebus Dominicis & Feſtis. Ratio eſt, quia nullum Capitulum per Statuta ſua poteſt juri communi derogare; & *lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt*, ex Clementiâ V. *De Electione.* Atqui jure communi ſancitum eſt, ut canonici omnes extra tempus induciarum Choro accuratè interſint, niſi obſtet infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas, ut jam ſupra diximus ex Conciliis Baſileenſi & Trident. Ergo.

Colliges 4. Archidiaconos, Theologales, Pœnitentiarios, eoſque Canonicos qui ſunt *de comitatu* Epiſcopi, & ut tales à Chori præſentia eximuntur, peccare, nec fructus facere ſuos, ſi toties officio non interſint, quoties non ſunt legitimè impediti. Tum quia id ſtatuit Concil. Baſil. & poſt ipſum citata Caroli VII. Pragmatica Sanctio, ubi ſupra, his verbis: *Tollentes prorſus abuſum illum quo in una duntaxat Hora præſens, totius diei diſtributiones uſurpat, & illum quo Præpoſiti, vel Decani, alii Officiales, ex hoc ſolum quod Officiales ſunt, licet actualiter pro utilitate Eccleſiæ non abſint, quotidianas diſtributiones percipiunt.* Tum quia intentio Eccleſiæ non eſt, ut ii percipiant reditus, qui illud in quo ex parte officii deſunt, ex parte laboris non compenſant.

Colliges demum falſiſſimum eſſe quod aliqui contenderunt, præceptum ſcilicet Choro aſſiſtendi, pœnale quidem eſſe, non autem obligare in conſcientia. Contrarium patet ex citatis Eccleſiæ Decretis, quæ Beneficiarios Choro addictos ita Beneficii fructibus privari volunt, ut eos peccati reos manifeſtè ſupponant.

Dices 1. Fatentur omnes Canonicum non teneri iis intereſſe officiis quæ pro mortuis dicuntur, ſeu *obitibus*, ut ajunt; ergo nec cæteris adeſſe tenetur.

Reſp. Vel officium mortuorum, ex conſuetudine legitimè introductâ, facit partem officii diei, vel non facit, ut cum dicitur ex ſpeciali gratiâ pro aliquo ad preces ejus, vel ratione fundationis ſic acceptatæ, ut Canonici qui officio adeſſe voluerint, manuales percipiant diſtributiones, iiſdem privandi ſi adeſſe nolint. Si primum, peccant Canonici, qui à tali officio ſe diſpenſant; & qui juſta de cauſa abſunt, idem privatim recitare, tenentur, etiamſi ſtudiis vacent in Univerſitatibus: ita docet S. Thom. quodlib. 6. articulo 8. Aliis verò obitibus intereſſe non tenentur, quia officii canonici partem non faciunt; at inde colligi non poteſt eos pariter abeſſe poſſe à cæteris officiis, cùm ideo Canonici ſint, ut ea decenter perſolvant. Vide Pontas verbo *Chanoine* caſ. 13.

Dices 2. Non peccat Canonicus qui Capitulis non aſſiſtit, aut qui ſecretum Capituli non ſervat, ut patet ex praxi; ergo nec peccat dum abeſt à Choro: neque enim fortior eſt lex quæ Choro, quam quæ Capitulis aſſiſtentiam requirit.

Reſp. 1. neg. ant. pro utrâque parte. Eſſentialia enim Canonici munia, ſunt tria hæc, ut in Beneficii loco reſideat; ut Choro diligenter interſit; ut capitularibus Conventibus aſſiſtat. Unde teſte Proſpero Fagman. in cap. *Licet. De Præbendis.* n. 42. & 45. Sacra Cardinalium Congregatio *declaravit validum eſſe ſtatutum vel conſuetudinem quæ mulctantur qui congregationibus capitularibus non interfuerint.* Indubium pariter eſt Canonicum teneri ad ſervandam ſecreti fidem quam jurejurando confirmavit, & ex cujus violatione gravia quotidie ſuboriuntur ſcandala, cùm ea palà efferuntur quæ quis ſub ſpe ſecreti libere dixerat ſeu malè, ſeu etiam benè: plerumque enim majus ſubit periculum qui juſtè quàm qui inique loquitur. Vide citatum Pontas ibid. caſ. 20. & verbo *Secret*, caſ. 7.

Adde quòd etſi Canonicus abeſſe poſſet à Capitulis, in quibus de temporaneis rebus ſermo haberi ſolet; non ideo à Choro qui ad Dei cultum unicè ſpectat, abeſſe poſſet.

Dices 3. Non peccat qui nihil facit contra intentionem Fundatorum: atqui Canonicus qui v. g. minoribus Horis non intereſt, non facit contra intentionem Fundatorum; nam multi Fundatores Eccleſiam reditibus auxere, eo tempore quo

hove-

atqui obligatio hæc ita totum corpus afficit, ut afficiat ſingulos; nec eſt cur unus potiùs obligetur quàm alter. Ergo ſicut omnes ad laborandum in vineâ conducti; ibidem laborare debent; ſicut Parochi non præſentiam ſolùm, ſed & miniſterium ſuum Beneficio ſuo impendere tenentur; ſic & Canonici ſervitium ſuum Choro debent, & contra juſtitam peccant, ſi ſe ab eo diſpenſent.

Reſpondent 1. conſuetudinem contrariam in hoc puncto, ſicut in aliis pluribus, juri communi derogaſſe. 2. futurum non eſſe ut ſilerent Paſtores ſi conſuetudo tam univerſalis mera eſſet corruptela.

Refelluntur. Nam 1. nulla conſuetudo præſcribere poteſt contra jus naturale: atqui jure naturali qui ſtipendium recipit propter aliquod munus, munus illud implere tenetur. 2. non uſque adeo invaluit prætenſa hæc conſuetudo, ut Canonici quotquot ſunt ſapientia, pietate, & doctrinâ graves, eamdem non improbaverint ut abuſum, meramque corruptelam: atqui conſuetudo cui pars ſanior reſiſtit, pro verâ conſuetudine haberi nec debet, nec poteſt. Quòd autem multi pro eâ certent, non nocet; quippe, ut optimè notavit Albertus Magnus, *non minùs peccat qui cum multis peccat; nec minùs ardebit qui cum multis damnabitur.* 3. quia conſuetudinem hanc ſemper impugnaverunt Concilia, ut patet ex iis quorum verba citavimus, & aliis pluribus quæ congerit Pontas ibid. caſ. 6. 4. quia vix muti & elingues manere poſſunt Canonici, abſque eo quòd inde magnum officio divino erectur detrimentum; cùm experientiâ conſtet mercenarios Cantores ſibi permiſſos, officium præcipitanter, ſine gravitate, ſine modeſtiâ, ſine attentione quaſi ſaliendo percurrere. Ergo probabiliſſimum eſt quod ſentiunt Paludanus, Major, Adrianus, Cajetanus, Navarrus, Petrus Navarra, Comitolus, Covarruvias, & alii complures, eos qui Choro tantum interſunt, nec canunt, diſtributiones non facere ſuas, ad oque pro ratione culpæ ad reſtituendum obligari.

Quæres 2. an Canonici cenſeantur integrè officium perſolviſſe, ſi eas officii partes quæ in organo luduntur, privatim non recitent.

Reſp. Nullam eſſe rationem cur hæ officii partes privatim non recitentur; vel, ut quibuſdam in Eccleſiis fieri ſolet, à Choriſtis altâ & intelligibili voce non proferantur. Notat tamen S. Antoninus, quòd *ſi quis Lectionem, vel aliud quod in Choro legitur, non intelligat propter legentis ineptitudinem, non peccat; dummodo conetur intelligere ſaltem verba.* Ita S. Doctor. 2. p. tit. 9. cap. 12. *Imò*, ait Innocent. IV. ſuper cap. 9. *De celebr. Miſſarum, ſi aliquem verſum omittat, non peccat; nec etiam à capite Pſalmi propter hoc revertendū eſt: quia, ſi fieret, poſſet aliquibus ſcandalum generari ſine magnâ cauſa.* Idem dicendum de iis qui pauculo tempore, pulſandis campanis, volvendis libris, aut thurificando ſunt occupati, & pareos aliquot verſus omittunt, qui non poſſunt facilè reſumi.

Quæres 3. quid de iis ſit ſentiendum qui tam præcipitanter canunt, ut alii verſum ſequentem inchoënt, antequam præcedens ab aliis fuerit abſolutus.

Reſp. Eos mortalis peccati reos ſe facilè conſtituere. 1. quia ſæpè grave Laicis ſcandalum ingenerant. 2. quia hæc recitandi ratio magnam continet irreverentiam adversùs Deum, ad quem homo pulvis & cinis eo loquitur modo, quo terrenos Principes alloqui non auſit. 3. quia Concilia & Patres adversùs petulans illud orationis genus acriter quovis tempore inſurrexerunt; de quo legi poteſt quod in Concilio Viennenſi an. 1311. ajebat Clemens V. contra eos qui *dum offerre Deo ſacrificium laudis.... in puritate conſcientiæ & animi devotione deberent, Horas Canonicas dicere, ſeu pſallere tranſcurrendo ſyncopando... præſumunt.* Et S. Antonin. ubi ſupra. *Non eſt hoc abſque gravi peccato*, inquit, *cùm officium dicitur curſim & confuſe, ut unus non expectet alium in finiendo verſum, vel ita velociter, quod ipſe vel alius audiens, non poteſt percipere ſenſum verborum.* Verum hæc magis eluceſcent ex dicendis Sectione ſequenti.

SECTIO SEXTA.

Quomodo recitari debeat officium divinum.

Quatuor afferri poſſunt officii recitandi conditiones: quæ verò ſunt ut officium diſtinctè, integrè, devotè & attentè recitetur.

Circa primam conditionem, fatentur omnes officium recitandum eſſe diſtinctâ voce, non autem gutture, inter dentes, & ſyncopando, ut loquitur Concilium Baſileenſe; unde ulteriùs conſtat eum qui ſolâ mente legeret, non eſſe ſatisfacturum.

Sed quæres an ſatisfaciat obligationi ſuæ qui officium diſtinctè quidem recitat, ſed voce tam ſubmiſsâ, ut nec audiatur ab aſtantibus etiam non impeditis, nec ſemetipſum audiat.

Reſp. Aſſerunt multi officium voce tam clarâ recitari debere, ut ſaltem qui recitat, ſemetipſum audire poſſit, ſi nihil obſtet, ut ſi non ſit ſurdaſter, aut poſitus in loco in quo propter ſtrepitum, ſemetipſum audire nequeat. Ratio eſt, quia officii recitatio, vera eſt oratio vocalis: hæc autem eſt hujus orationis natura, ut qui eam pronuntiat, audire ſemetipſum poſſit. Sententiam hanc conſulendam eſſe, & in praxi meliorem vix ambigi poteſt: cenſet tamen Sylvius in Reſolutionibus verbo *Hora Canonica.* n. 3. eum qui attentè & diſtinctè loquitur, tametſi ſemetipſum non audiat, verè ſatisfacere. 1. *quia nullo jure probatur recitantem Horas, teneri ad ſe audiendum, cùm præceptum obliget ad dicendum, non ad audiendum Horas.* 2. *quia oratio poteſt ore & voce fieri, etiam ſi non audiatur ab ipſo recitante, & ex ſe ſit ſonus quidam formatus ex alliſione aeris ad dentes & labia.* 3. quia viri *doctiores & pientiores*, modò diſtinctè recitent & attentè, parum curant an ab aliis vel à ſemetipſis audiantur. Hæc deciſio nihil habet abſolutè mali, neque eam improbat Pontas *Office* &c. caſ. 28. Quamquam fatendum eſt, quod & aliqui animadvertunt, vix poſſe fieri prolationem veram & articulatam, & non ſolùm in gutture aut inter dentes, abſque eo quòd qui ſic profert ſemetipſum audire poſſit, ſi nullus ſit obex.

Quod ſpectat ad integritatem, dico 1. cum Suare Lib. 4. *De Horis Canonicis* cap. 25. nihil ad officii integritatem referre an quis ſolus officium recitet, an alternatim cum alio, imò erit in alternis recitandi modus melior, utpote Choro ſimilior. Neque etiam intereſt, an ſocius tecum recitans ad officium obligatus ſit, nec ne: unde cum Scholari, cum famulo recitari poteſt, modo diſtinctè loquantur, & nullum ſubſit ſcandali periculum: nec minùs ſatisfacies ſi alter recitando non attendat, quia obligationem tuam imples partim dicendo, partim audiendo. Si plures ſimul recitent, Lectiones omnes ab omnibus ſucceſſivè, vel ab uno ſolo cæteris audientibus dici poſſunt, ut in Choro frequenter evenit. Addit idem Suares, ſatius eſſe ſi etiam Antiphonæ, non ab omnibus, ſed ab uno, quemadmodum Pſalmorum verſiculi ſucceſſivè recitentur; cùm enim uterque Chorus nunquam

conjungitur in dicendo, diſtinctior eſt & clarior oratio. Idem in Reſponſoriis ſervari poteſt.

Dico 2. Cum eodem Suare, conveniunt omnes quamcunque ex ſeptem Horis etiam minimam, ut Tertiam & Completorium, eſſe partem notabilem, & ſufficientem, ut ejus omiſſio ſit lætalis; & reipſâ per hanc omiſſionem officium notabiliter mutilatur. Addit Navarrus, in unaquaque Horâ dimittere notabilem ejus partem, grave eſſe peccatum: notabilem verò partem eam cenſet cum S. Antonino, quæ tertiam Horæ partem facit, quia hæc tertia pars, eſt quid notabile reſpectu uniuſcujuſque Horæ. Verùm doctrina hæc etiam de mediâ Horæ minoris parte intellecta, à Pontaſio caſ. 5. *Office*, rigoroſiſſima vocatur; & rationem quâ nititur efficacem non eſſe probant Suares, Vanroy, & alii, quia pars quæ notabilis eſt reſpectu Horæ quam integrat, poteſt eſſe levis tum in ſe, tum præcipuè reſpectu totius officii, quod dum leviter mutilatur, non videtur niſi leviter peccari. Melius ergo docet Suares, habendam hic eſſe rationem non partis ut eſt pars, ſed ſecundùm quantitatem ſuam abſolutam conſideratæ. Unde ſi Matutinum cum Laudibus una ſit Hora, omiſſio unius Nocturni, etiamſi vix ſit quarta pars, ad mortale peccatum ſatis eſſe meritò judicabitur. Sed quidquid ſit, vir pius non credet unquam licitum ſibi eſſe ullam officii partem eo prætextu omittere, quòd ejus omiſſio non niſi venialem reatum importet. Unum addo cum Mag. Grandin pag. 215. omiſſionem dimidiæ vel tertiæ partis Horæ, longè faciliùs argui peccati mortalis in Choro, quàm extra Chorum.

Sed quid facto opus, ſi quis dubitet an officium aliquamve ejus Horam recitaverit?

Reſp. Eum ſi ex probabili aliquâ ratione dubium deponere non poſſit, ad hujus Horæ recitationem teneri. 1. quia *in dubiis ſemitam debemus eligere tutiorem*, ex Clemente III. in c. 12. *De homic. volunt.* Ea porrò via tutior æſtimari debet, quæ ab omnis peccati periculo retrahit. 2. quia in pari causâ potior eſt conditio poſſidentis, ex Reg. 64. Juris in 6. atqui poſſeſſio ſtat pro præcepto, tamdiu obligante donec ſaltem probabiliter conſtet ipſi fuiſſe ſatisfactum; ergo.

Hic monent aliqui, eum qui de aliquo Pſalmo, Lectione vel Antiphonâ dubitat, an ea recitaverit, non teneri ad repetendum. 1. quia ſufficiens eſt ratio deponendi dubium, nempè quòd non ſoleat facilè prætermitti Pſalmus, vel Lectio. 2. quia alioqui daretur occaſio infinitis ſcrupulis, cum multi nolentes mente evagentur, & plerumque non meminerint ſe recitaſſe Pſalmum præcedentem, niſi quia vident ſe actu ſequentem recitare. Hic tamen penſandæ ſunt circumſtantiæ: faciliùs enim præſumet ſe aliquid omiſiſſe, qui interruptus fuit; qui tam parum ſui compos eſt ut errante oculo à paginâ in paginam evolat &c.

Quæres an qui totum omittit officium, tot committat peccata mortalia quot ſunt Horæ, an unum duntaxat.

Reſp. 1. Eum qui multories renovaret interiùs non recitandi propoſitum, multories peccaturum eſſe, ut ex terminis patet; ſicut pluries peccat, qui pluries renovat propoſitum non aſſiſtendi Miſſæ die Dominicâ.

Reſp. 2. Communiter cenſent Theologi cum ſancto Antonino, 3. p. tit. 13. c. 4. eum qui *dimittit omnes Horas unius diei non propterea commiſiſſe ſeptem peccata mortalia, ſed unum, & tantò gravius quantò plus de* officio *dimittit*. Et ratio S. Doctoris, quâ etiam nituntur alii Theologi, hæc eſt, quòd *totum officium unius diei cadit ſub uno præcepto*: ſed qui unum duntaxat præceptum violat, nonniſi unum committit peccatum ergo. At ſapienter, meo quidem judicio, notat Suares cit. cap. 25. n. 18. quòd apud Deum, ſi cætera ſint paria, non minus peccat, nec minorem pœnam meretur iſte tranſgreſſor, ſive ſemel dicatur peccaſſe, ſive ſepties; quia nempe unicum quod admiſit peccatum, ſeptem diſtinctis peccatis eſt æquivalens; unde in confeſſione exprimi debet quot Horæ omiſſæ fuerint, & quoties recurrerit propoſitum eaſdem omittendi. Porrò peccatum hoc omiſſionis non conſummatur exteriùs niſi ſub finem diei, quando jam tranſiit officii recitandi tempus. Hinc ſi lata eſſet aliqua cenſura adversùs non recitantes, tunc demum incurreretur, quando jam recitare non poterunt, quamvis multoties iteraſſent conſilium non recitandi; unde ſi mente ad meliùs conversâ, inciperent recitare ſub diei finem, reipsâ non ſubjacerent cenſuræ contra non recitantes latæ.

Ad intelligendam tertiam conditionem officii ut par eſt recitandi, quæ eſt devotio, ſciendum eſt devotionem eſſe triplicem: externam, quæ in debitâ & reverenti corporis compoſitione conſiſtit; internam, quæ ſita eſt in pio mentis ad Deum motu & affectu; & mixtam, quæ utramque complectitur.

Certum eſt apud omnes requiri devotionem externam. Cui enim præcipitur oratio, eidem etiam præcipitur, ut ſe habeat per modum orantis: atqui orantis vultum & formam non gerit, qui irreverenter & cum exteriori indevotione orat, ut faciunt tot Eccleſiaſtici, qui eodem ſitu & tono Deum alloquuntur, & famulos ſuos. Hinc bellè ſanctus Cyprianus, *De oratione dominicâ*. *Cogitemus*, ajebat, *nos ſub Dei conſpectu ſtare; placendum eſt divinis oculis, & habitu corporis, & modo vocis.*

Hâc occaſione quæritur 1. an officii penſo verè ſatisfaciant qui inter recitandum exterioribus actionibus vacant. Sed ſolutio facilis eſt & obvia, ſi diſtinguatur duplex actionum exteriorum genus. Aliæ cum attentione ad officium requiſitâ non compatiuntur, ut ſi quis confabuletur, pingat, *coquinam* faciat; & his vacare *videtur mortale*, ait S. Antoninus. Aliæ cum prædictâ devotione & attentione ſtare poſſunt, ut ambulare & ſimilia, quæ propter faciendi aſſuetudinem, attentionem non dividunt, & hæc non impediunt ne quis officii obligationi ſatisfaciat. Hinc Sacerdos manus lavans, & ornamentis ſe induens certas debet preces recitare.

Quæritur 2. quis convenientior ſit in recitando privatim Breviario corporis ſitus. De recitatione publicâ, nihil eſt difficultatis; ſtandum eſt enim, ſedendum, flectendum genu, cùm id rubricis aut locorum conſuetudinibus præſcribitur.

Reſp. 1. quæſtionem hanc optimè ſolvi poſſe his S. Auguſtini verbis Lib. 2. ad Simplician. q. 4. *Non eſt præſcriptum, quomodo corpus conſtituatur ad orandum, dummodo animus Deo præſens peragat intentionem ſuam. Nam & ſtantes oramus, ſicut ſcriptū eſt*: Publicanus de longè ſtabat; *& fixis genibus, ſicut in Actibus Apoſtolorum*, cap. 7. v. 59. c. 20. v. 36. *& ſedentes ſicut David & Elias.*

Reſp. 2. Meliùs tamen videri ſi quis officium ſtans dicat; quia hæc corporis diſpoſitio ei quæ in Choro ſervari debet conformior eſt, & multis Conciliorum Decretis confirmata fuit. Sic Concilium Aquiſgranenſe, ineunte ſæculo nono habitum: *In Eccleſiâ*, inquit, *cum timore & veneratione ſtantes, aut orent, aut cantent, aut audiant.* Et Durandus Mimat. in Ration. divini offic. Lib. 5. cap. 2.

Pſalmos

Pſalmos, inquit, *ſtando dicimus*, *ad oſtendendum quod ſtantes in bonis operibus vincimus*. Atque hæc eſt etiamnum omnium penè Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum praxis, quæ idcirco in averſâ ſedium, ſeu ſubſelliorum parte, fulcrum aliquod quod *miſericordiam* dicunt, apponi curavêre, ut ſaltem non ſederent qui omninò ſtare non poſſunt. Ita docet author Collat. Diœceſ. Rupell. juxta quem meliùs eſt ſi quis ſtans officium in particulari recitet, quàm ſi flexis genibus, exceptis his precibus quæ flexo genu dicendæ ſunt tam extra Chorum quàm in Choro. Et verò tametſi diſpoſitio illius qui flexis genibus precatur, reverentiæ plena ſit & humilitatis, adeoque laudanda & optima, non tamen ſatis convenit recitationi Pſalmorum quibus majori ſui parte coaleſcit officium, quia Pſalmi in jubilo & lætitiâ cani debent, quòd meliùs fit ſi mente & corpore ad Deum elevatis recitentur, quàm ſi flexo genu. Idem docet author Collat. Diœc. Lucion. Tom. 2. p. 129. & author theor. & prax. Sacrament. Tom. 3. pag. 184.

Quæritur 3. quid de iis dicendum qui Horæ alicujus recitationem interrumpunt.

Reſp. 1. Interruptionem hanc ſi ſit notabilis & moralis, & ſine rationabili causâ fiat, non fieri ſine peccato: ita omnes, ait Suareſius hic cap. 24. n. 9. Et ratio eſt, quia ex Eccleſiæ ſenſu & praxi unitas Horæ cujuslibet ad ejus ritum & formam pertinet; hæc autem unitas tollitur, aut ſaltem multùm minuitur per hanc interruptionem. Et verò qui colloquium cum Deo habet, illudque levi de causâ interrumpit, irreverenter ſe gerit, atque id plùs ſatis patet exemplo illius qui gravem cum terreno Principe ſermonem habens, eum levi, vel nullâ de causâ abrumperet.

Reſp. 2. Interruptionem hanc majus aut minus eſſe peccatum, prout major aut minor eſt mora; habitâ ratione 1. illius partis officii quæ dicitur: nam interruptio in recitatione Matutini. 2. rei propter quam fit interruptio; qui enim officium interrumperet ut vana, vel mala cum alio miſceret colloquia, longè gravioris eſſet peccati reus, quàm ſi interrumperet ob quædam quæ licet neceſſaria non eſſent, nihil tamen haberent mali.

Reſp. 3. Si interruptio fiat cum rationabili causâ, ut cùm quis à perſonâ multum ſuperiore viſitatur, nullum eſſe peccatum, nec obligationem repetendi, ſi rigoroſè loqui velis, niſi fortè interruptio longo tempore ut unâ & ampliùs horâ perduraſſet; quo in caſu, ſi non abſolutè neceſſarium, ut non pauci putant, ſaltem tutius eſſet repetere: exceptâ tamen interruptione quâ Nocturni Matutinorum à ſe invicem diviſi eſſent; eos enim à ſe invicem per tres circiter horas, ut antiquitùs fiebat, dividi poſſe aſſerunt non pauci.

Reſp. 4. Eum qui ſine rationabili causâ per notabile tempus, etiam unâ horâ brevius, officium interrupiſſet, graviter peccaturum, & fortè mortaliter ſi non repeteret. Hæc docere videtur Pontas *Office* caſ. 2x. Fateor multos eſſe qui hic nonniſi venialem culpam agnoſcant, quia talis defectus non eſt in ſubſtantiâ, ſed ſolùm in modo accidentario, cùm ſinguli Pſalmi, Lectiones, aliæque preces per ſe ſuam habeant completam ſignificationem; at valdè incertum eſt, an ex Pſalmis & Lectionibus diviſis ea exurgat officii ſpecies quam requirit Eccleſia.

Quod ſpectat ad devotionem internam, non minùs certum eſt eam Clerico neceſſariam eſſe, ne in ſe adducat latum à Chriſto in Judæos improperium, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*. Matth. 15. Porrò ad hanc devotionem in officio habendam varia requiruntur. 1. præparatio. 2. intentio. 3. attentio, quâ diſtractiones excludantur. 4. talis animæ ſtatus qui orationem noſtram non faciat in peccatum. Quæ magis declarantur.

Dico 1. Opus eſſe aliquâ præparatione ut officium dignè & competenter ſive privatim, ſive publicè perſolvatur: atque id evidenter docet Spiritus ſanctus, Eccleſ. cap. 18. v. 23. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum*. Et verò qui aliquod aggreditur opus magni præſertim momenti, non ab abrupto in ipſum fertur; quantò magis indiget præparatione qui *opus Dei* aggreditur? hoc enim nomine officium à Patribus nuncupatum eſt.

Porrò præparatio hæc ut proſperè ſuccedat, varia præſtanda ſunt. 1. poſtulandum eſt à Deo ut in nos effundat *ſpiritum gratiæ & precum*, quem Fidelibus ſuis promiſit, Zachar. 12. v. 10. *Nam quid oremus ſicut oportet neſcimus; ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Rom. 8 26.

2. Et id nobiſmetipſis profundè inculcandum eſt, eum quem oraturi ſumus non eſſe Deum *de longè*, ſed *è vicino*. Hac ratione alumnos ſuos ad Jerem. 23
devotam officii recitationem accendebat S. Benedictus. *Ubique*, ait Regulæ cap. 19. *divinam credimus eſſe præſentiam, & oculos Domini ſpeculari bonos & malos, maximè tamen hoc ſine dubitatione credamus cùm ad opus divinum aſſiſtimus*.

3. Et illud cavendum eſt ne ſacrificium laudis quod Deo offerimus, turpi & inordinato retributionis & lucri amore corrumpatur: unde S. Auguſtinus in hæc Pſalmi 53. verba, *Voluntariè ſacrificabo tibi &c.* ſic loquitur: *Si propter aliud laudas Deum, ex neceſſitate laudas. Si adeſſet tibi quod amas, non laudares Deum... Si ergo propter pecuniam laudas Deum, non voluntariè ſacrificas Deo, ſed ex neceſſitate ſacrificas, quia præter illum neſcio quid aliud amas*. Neque hic deeſt labes ſimoniaca juxta doctrinam Angeli Scholæ. Clericus, ait S. Doctor quodlib. 5. q. 8. a. 21. in corp. *qui vadit ad Eccleſiam principaliter propter retributiones quas recipit tanquam finem ſui operis, committit ſimoniam*. Et quodlib. 8. q. 6. art. 11. *Si enim hujuſmodi diſtributiones recipit quaſi finem ſui operis principaliter intentum, ſimoniam committit, & ita mortaliter peccat*. Idem docet celebre, ſed needum tamen ſatis ponderatum S. Bernardi effatum. *Qui... evangelizat ut manducet, perverſo nimis ordine cæleſtibus terrena mercatur*. Lib. de vita & moribus Clericor. cap. 5.

Dico 2. Ad implendum officii præceptum, requiritur ex parte voluntatis intentio, ſeu propoſitum ac voluntas actualis vel virtualis, explicita vel implicita ejuſdem præcepti adimplendi. Et ratio eſt, quia officii recitatio præcipitur prout ad debitum Dei cultum ordinata eſt: atqui ut impleatur quatenus talis, aliquâ opus eſt intentione Deum laudandi, vel colendi hoc genere actionis, aut obligationi ſuæ ſatisfaciendi; non verò ſufficit omnis recitatio quæcunque ea ſit; alioqui qui per modum ſtudii Pſalmos, Lectiones, & Patrum Homilias legeret, officii recitandi præcepto faceret ſatis, quod nemo dixerit. Ergo.

Nemo autem circa hanc intentionem ſollicitus eſſe debet; ad eam enim ſufficit ut quis ex conſuetudine velit actionem officii recitandi, tanquam muneris ſui & obligationis expletivam, vel eam velit facere ut ſolet. Ita Major & Navarrus apud Suarem Lib. 4. cap. 26.

Sed quæres, an qui Horas dixit cum expreſſâ voluntate præcepti non implendi, ſed ex aliquâ devotione, & cum formali propoſito eas iterum recitandi, ita ad earum repetitionem teneatur, ut alioqui omiſſi officii reus cenſeri debeat.

Reſpondeot Vaſquez, Valentia, Suares, & cum iis Pontas *Office* caſ. 13. eum qui ſic recitavit, reipsâ ſufficienter obligationi ſuæ ſatisfeciſſe; quemadmodum qui die Feſtâ Miſſam audivit, cum expreſſâ intentione præcepto ſatisfaciendi per aliam Miſſæ auditionem, ad eam denuò audiendam non tenetur. Et ratio eſt, 1. quia tunc ſatis adimpletur præceptum, cùm illud omne efficitur, quod præceptum eſt: ſed qui recitavit in caſu propoſito, illud omne efficit, quod ſibi præceptum erat. Præceptum enim Eccleſiæ in eo totum conſiſtit, ut quis Horas ſemel dicat in die: atqui hoc factum eſſe ſupponitur; ergo. 2. ſi lata foret cenſura adversùs eum qui Horas ſuas non recitaret, eam non incurreret qui recitaret Horas cum voluntate non implendi præceptum, ſed poſtea recitandi, tametſi de facto non recitaret: atqui ideo tunc non incurreretur cenſura, quia reipsâ Eccleſiæ præcepto ſatisfactum eſſet; ergo.

Nec dicas 1. Eum qui vovit unam Roſarii recitationem, eamque implet animo non ſatisfaciendi voto, teneri ad alteram Roſarii recitationem, quam niſi præſter futurus eſt voti infractor. 2. eum qui debet centum Petro, & ipſi totidem liberaliter donat, poſtea teneri ad ei reddenda centum quæ debet.

Longa enim, ait Suares, eſt diſparitas hæc exempla inter & caſum præſentem.

Qui enim Roſarium dicit cum intentione non implendi votum, vult obligationem quam ſibi liberè impoſuit retinere, ac proinde novum virtualiter votum facit ſuo tempore implendum: at in caſu propoſito non poteſt homo voluntate ſuâ novum ſibi Eccleſiaſticum præceptum imponere; ergo cùm tota hominis obligatio ab hocce præcepto dependeat, non autem ea promiſſione, officio ſemel recitato tollitur omnis illius deinceps recitandi obligatio. Eadem eſt reſponſio ad aliud exemplum: nam penes unumquemque eſt ut vel liberaliter donet, vel ſolvat titulo juſtitiæ, adeoque poteſt qui ex liberalitate donavit, remanere obligatus ad dandũ ex juſtitiâ, quia hoc ipſemet voluit. Verùm aliter ſe res habent in obligatione proveniente ex ſuperioris præcepto, quia obligationem hanc non augere poſſum, nec de novo mihi imponere, nec facere ut non impleatur, ſi faciam id, quod præceptum eſt.

Contrariam opinionem tenent Medina, Ledeſma, Navarrus, & Azorius apud Suarem citato capite 26. Qui enim, inquiunt, ſic recitavit, non implevit Eccleſiæ præceptum per primam recitationem; ergo nec per eandem illud poſtea implere poteſt, quantumvis id velit, ac proinde ad ſecundam recitationem tenetur. Conſequentia patet, quia actio quæ cùm facta eſt, non habuit conditiones ad implendum præceptum requiſitas, non poteſt eas induere niſi iterum fiat, quia circa actionem præteritam jam non eſt potentia, nec circa eam fieri poteſt mutatio: unde qui ſacrilegam tempore paſchali communionem fecit, ad novam tenetur, quantumvis doleat de primâ. Antecedens verò probatur, quia impletio præcepti, ut talis debet eſſe voluntaria, vel ſaltem non debet eſſe non volita; exigit enim jus ipſum naturale ut ſubditus non habeat affectum contrarium obligationi præcepti, ut agnoſcit Suares ibid. n. 12. Atqui prima hæc recitatio nedum volita fuerit ut impletiva præcepti, fuit expreſsè non volita quatenus talis. Ergo.

Confirm. Quia paritas deſumpta ab exemplo illius, qui centum debens, & totidem gratis dans, adhuc tenetur ad reddenda centum, reipsâ non ſatis ſolvitur & eliditur à Suare. Si enim homo cui lex naturalis imponit reſtituendi præceptum, poſſit totum, qui ſibi præceptus eſt, actum ponere, nec tamen implere præceptum; quidni poſſit homo qui Eccleſiaſticâ lege ad officii recitationem tenetur, id quod præceptum eſt materialiter implere, & tamen non ſatisfacere præcepto, quia eidem ſatisfacere non vult?

At, inquit Suares, non poteſt Clericus obligationem ſibi ab Eccleſiâ impoſitam augere, vel eandem ſibi de novo imponere: adeoque cùm actum præceptum ponit; velit, nolit, ſatisfacit præcepto.

Sed 1. quare poteſt homo obligationem ſibi à lege naturali impoſitam augere, & hoc non poteſt circa obligationem, quæ juris eſt Eccleſiaſtici? 2. nego Clericum hanc obligationem ſibi ab Eccleſiâ impoſitam augere, aut eam ſibi de novo imponere. Auget quidem obligationem ſuam, ſicut ſuam auget qui gratis dare vult id quod ſtrictè debet; at eã auget quæ ſibi ab Eccleſiâ impoſita eſt. Obligatio enim ab Eccleſiâ Clericis impoſita ut officium recitent, eſt obligatio dicendi Horas cum intentione ſaltem implicitâ implendi Eccleſiæ præceptum: porrò qui recitat Horas in caſu propoſito, obligationem quidem iſtam differt, ſed eam nec auget nec minuit.

Confirm. Homo ille qui ſerò Matutinum recitat, cum intentione ſatisfaciendi poſtridie Eccleſiæ præcepto, non peccat, imò pietatis actum exercet: atqui peccaret in ſententiâ Suareſii, quia careret eo affectu quem debet Eccleſiæ præcepto, & non haberet intentionem quam fatentur Theologi omnes eſſe requiſitam; ergo &c.

His de cauſis, exiſtimo 1. eum qui cum intentione non ſatisfaciendi Horas recitaſſet, tutiùs & meliùs facturum, non ſolùm ſi voluntatem hanc retractet, ſed etiam ſi de novo recitet, ut virtualiter promiſiſſe videtur. 2. eum qui timere poteſt ne à priori propoſito diſcedat, ita ſemper officium recitare debere, ut præcepto ſatisfacere velit, ſi poſtea contingat ut officium repetere non poſſit, aut nolit.

Dico 3. ut quis obligationi Horarum ſatisfaciat, requiritur attentio interior.

Antequam probetur Concluſio, notandum eſt attentionem nihil aliud eſſe quàm voluntariam animi applicationem ad id quod agitur. Attentio hæc ſpectari poteſt vel ratione ſubjecti in quo eſt, vel ratione objecti in quod fertur. Attentio ſubjectivè conſiderata, dividitur in actualem, virtualem, habitualem, & interpretativam. Attentio actualis, eſt præſens animi applicatio ad opus quod agitur, ut ad orationem. Attentio virtualis, eſt animi ad opus applicatio, non quidem actu ſed virtute remanens; nempe propter attentionem actualem quæ ante habita eſt, nec per actum contrarium aut incompoſſibilem revocata eſt vel interrupta. Talis attentio in eo eſſe poteſt qui diſtrahitur, modò involuntariè. Attentio habitualis, eſt facilitas attendendi repetitis actibus comparata: ab aliis definitur, animi diſpoſitio quâ quis attendiſſet ſi advertiſſet eſſe attendendum; talis in eo ſupponi poteſt qui cum alio recitat Horam, quam à ſe jam recitatam fuiſſe credens, non ſatis attendit. Hæc ultima definitio attentioni interpretativæ à multis applicatur; ſed juxta alios attentio interpretativa ea eſt quâ quis animum applicat ad opus, non in ſe, ſed in alio tanquam ejus causâ.

Attentio conſiderata ratione objecti eſſe poteſt 1. ad

ad verba. 2. ad ſenſum verborum. 3. ad Deum, aut res quas orando petimus; ut cùm inter orandum contemplamur Dei miſericordiam, propriam noſtram egeſtatem; aut generatim volvimus animo aliquod Verbi incarnati myſterium, ut Nativitatem, Paſſionem pro ſalute noſtrâ &c. His præmiſſis,

Prob. Concluſio, 1. ex cap. *Dolentes. 9. De celebr. Miſſar.* quod deſumptum eſt ex Concil. Lateran. IV. an. 1215. ſub Innoc. III. cujus hæc ſunt verba: *Diſtrictè* præcipimus *ut divinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis dederit Deus, ſtudioſè pariter celebrent & devotè.* Atqui ſtudium illud & devotio ſine ſeriâ attentione conſiſtere non poſſunt; devotio enim purè externa, non eſt devotio, ſed hypocriſis, juxta id Matth. 15. *Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Iſaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*

2. Qui tenentur ad Breviarii recitationem, eo ipſo tenentur ad orandū, ut ex ipſâ Horarum Canonicarum definitione liquet, & tenent omnes contra Medinam: atqui oratio eſſentialiter involvit & importat attentionem; eſt enim oratio ex naturâ ſuâ, aſcenſus mentis in Deum, & petitio decentium ab eo legitimè facta; ergo.

3. Ex variis Conciliis, ut Burdig. an. 1583. Bituric. an. 1584. quæ diſertè præcipiunt ut officium *attentè & devotè* recitetur, quorum veſtigiis inſiſtens Clerus Gallic. an. 1700. hanc Caramuelis propoſitionem, *Præcepto ſatisfacit, qui voluntariè labiis tantùm, non mente orat,* damnavit ut *abſonam, verbo Dei contrariam, hypocriſim inducentem, à Prophetis & Chriſto damnatam his verbis,* Populus hic labiis &c.

Obj. 1. Eccleſia non præcipit actus internos, neque enim judicat de internis: atqui attentio actus eſt interior; ergo.

Reſp. diſt. Eccleſia non præcipit actus internos nudè & præciſè conſideratos, tranſeat, quia res examinabitur in Tract. de Legibus. Non præcipit actus internos, prout ad actus exteriores pertinent, & debent eſſe eorum forma, nego. Itaque quamvis ſupponeretur Eccleſiam actus internos directè non præcipere, certum eſt quòd eos ſaltē indirectè præcipiat, cùm præcipit actus quoſdam exteriores, qui ſine interioribus ſubſiſtere non poſſunt. Sic Eccleſia cùm præcipit ut Fideles peccata aut ſaltem tempore paſchali confiteantur, præcipit indirectè examen interius conſcientiæ: ſic dum jubet Sacerdotes Sacramenta miniſtrare, jubet & eos habere intentionem ſine quâ Sacramènta legitimè non adminiſtrantur; atque hæc poteſtas ad bonum regimen Eccleſiæ pertinet: qualis enim eſſet ſponſa Chriſti, cujus præcipua gloria ab intus eſt, ſi poteſtas ejus ea tantùm quæ foris parent, attingeret? ergo ſaltē indirectè præcipit quæ interiora ſunt; ſicut pater qui aliquid à filio exigit, exigit etiam illius faciendi voluntatem.

Nec nocet quòd Eccleſia non judicet de occultis: hoc enim eo ſenſu verum eſt, quòd Eccleſia non ferat in particulari ſententiam contra aliquem propter ſolum defectum actûs interioris, quia defectus ille per teſtes probari nequit; at non ideo ſequitur, ait Valentia, Eccleſiam non poſſe in communi legem ferre, quâ excommunicentur ii qui neglexerint eos interiores actus qui ad exteriores inferri poſſunt. Sed de his pluribus alibi. Hic obiter annotare liceat cum Haberto, objectionem hanc nullatenus favere Beneficiariis qui adhuc tenerentur ad attentionem, tametſi ſupponeretur eam ab Eccleſiâ imperari non poſſe. Poteſt enim quis obligare ſe ad actus internos, v.g. eleemoſynam accipere, eum pacto orandi pro iis qui eam largiuntur; eſt enim unuſquiſque actuum ſuorum dominus, & eorum præcipuè qui interni ſunt. Sed qui Beneficium acceptaverunt, obligaverunt ſe ex pacto ſaltem virtuali ad fundendas orationes pro Fundatoribus quæ iiſdem utiles eſſe poſſint; ergo ad attentionem internam, ſi non Eccleſiaſtico, ſaltem naturali jure obligantur.

Valentia diſp. 6. q. 2. punct. 10.

Obj. 2. Involuntariè diſtractus ſatisfacit obligationi ſuæ; ergo & is etiam ſatisfacit qui voluntariè diſtractus eſt. Prob. conſeq. quia involuntariè diſtractus reipsâ non plùs habet attentionis internæ, quàm qui diſtractus eſt voluntariè; ergo.

Reſp. Ad primum, neg. conſeq. Ad ſecundum diſt. non plùs habet attentionis internæ actualis, conc. virtualis, nego. Neuter itaque actualem habet intentionem: ſed qui involuntariè diſtrahitur, remanet virtualiter attentus, quia diſtractio involuntaria præviam attentionem non retractat, quam ècontra retractat diſtractio voluntaria, utpote quæ orandi intentionem revocat. Ergo.

Obj. 3. Ex vulgari axiomate, modus legis, ſub legem non cadit: atqui attentio modus eſt legis quæ officium præcipit; ergo.

Reſp. neg. maj. Et citatum pſeudo axioma: modus enim legis, ſi legis anima ſit, ſub præceptum cadere debet; neque enim lex rejecto ſpiritu, corticem ſolùm imperat.

Hinc colliges cum Suare & aliis, eum qui per notabilem officii partem voluntariè diſtrahitur, niſi quod malè recitavit repetat, mortaliter peccare & ad reſtituendum teneri, perinde ac ſi partem illam omitteret. Ratio eſt, quia diſtractus nec religionis actum exercet, nec verè orat. Fieri tamen poſſet ut talis diſtractio propter defectum perfecti voluntarii, nonniſi veniale peccatum eſſet.

Diſtractio autem voluntaria eſſe poteſt vel in ſe, vel in causâ. In ſe quidem, ut cùm homo ſciens & volens extraneis cogitationibus mentem paſcit; aut advertit ſe ad orationem non attendere, ſed ad alia vana, aut ad orationem non pertinentia, & non curat, ſed mentem ſuam vagari permittit. Item cùm homo Horam aliquam recitat in loco diſtractionibus expoſito, ut foro publico, vel viâ in quâ frequens eſt concurſus, clamor, & ſtrepitus; aut in cubiculo vel rhedâ ubi habentur diſputationes, colloquia, cantilenæ, aliaque recollectioni interiori inimica. Hic etiam ſpectandæ ſunt circumſtantiæ perſonarum, temporis &c. Alii enim aliis faciliùs diſtrahuntur; alii negotiis neceſſariò immerſi, tempus ſi quod liberum occurrit, arripere tenentur. Diſtractio voluntaria eſt in causâ, cùm quis etſi diſtractus eſſe nollet, quod pauci volunt, ea tamen liberè facit ex quibus ſecuturam diſtractionem videt. Sic peccant qui poſt inania & plerumque periculoſa cum omni perſonarum genere colloquia; poſt ludum & pecuniam in eo deperditam, poſt apertum pluries murmuri & imprecationi os, quaſi gratiæ ſibi debitæ ſecuri, aut de eâ parùm vel nihil ſolliciti, in hæc erumpunt verba, *Aperi Domine, os meum.* Aliter de iis ſentiendum qui labori neceſſario debiti ex Superiorum voluntate, vel Eccleſiæ amore, ea inviti mente revolvunt dum orant, quæ ante didicerunt; neque enim ea Deus in culpam vertet, quæ nonniſi propter eum ſuſcipiuntur: & iſti tamen tempus orationi magis opportunum eligere debent, & ad cor ſuum pauliſper reverti antequam officii penſum aggrediantur. Cæterùm nec iis, neque ſcrupuloſis permittendum

Contin. Præl. Theol. H. Tournely. L* 3 eſt

eſt ut officium repetant, etiamſi non recordentur ſe hunc vel illum Pſalmum dixiſſe: tum quia repetitiones illæ nihil proſunt, cùm ſecunda non ſit melior primâ; tum quia ex repetitionibus quas faciunt ſcrupuloſi, innumera ſequuntur incommoda, angor conſcientiæ, capitis dolor, incapacitas ad alia quæcunque munia, & aliquando neceſſitas recurrendi ad Pontificem qui eos ab officio diſpenſet. Cæterùm qui ſe diſtractos eſſe advertunt, attentionem ſuam revocare debent, alioqui diſtractio voluntaria fieret.

Dico 4. Non requiritur attentio actualis; non ſufficit verò habitualis, ſed requiritur & ſufficit virtualis.

Prima pars patet, quia attentâ humanæ mentis levitate, vix ac ne vix quidem fieri poteſt ut homo ad id quod agit ſemper actu cogitet, & imaginationem conſtanter coërceat.

Secunda pars pro. Attentio enim merè habitualis ea eſt quâ ex habitu ſolû & conſuetudine fundit quis preces, nullo præmiſſo actuali propoſito, vel ſaltem moraliter extincto, ſive quia revocatum eſt actibus contrariis, ſive quia renovatum non eſt: atqui hæc attentionis ſpecies non ſufficit ad actum religionis, qualis eſt Horarum recitatio; ergo.

Tertia pars ſequitur ex præcedentibus. Si enim aliqua requiratur attentio, & non ſufficiat habitualis, nec penes non ſit actualis, ſupereſt ut ſufficiat virtualis: ea enim intentio quam interpretativã dicunt, vel ad virtualem reduci poteſt, vel ſi non poſſit, locum hic non habet.

Dico 5. Non requiritur attentio ad ſenſum verborum, quæ ab aliquibus dicitur attentio litteralis; ſed requiritur & ſufficit attentio, tum ad verba ut debitè & integrè recitentur; tum etiam ad Deum, aut rem ab eo poſtulatam cum reſpectu ad ipſum, quæ attentio ſpiritualis dicitur.

Prima pars patet, quia multi ad officium tenentur, ut juniores Clerici & Moniales, qui verborum ſenſum nec intelligunt, nec intelligere poſſunt.

Secunda pars probatur, quia officii recitatio ſic fieri debet, ut vera ſit oratio vocalis: atqui ad ho[c] duo requiruntur. 1. ut qui recitat, caveat ne verb[a] indebitè & incongruè pronuntiet. 2. ut mentem [ad] Deum, *quantùm* ipſe *Deus dederit*, elevatam h[a]beat. Neutrum autem fieri poteſt abſque in[te]riori attentione tum ad verba, tum ad Deum minùs aut magis explicitè conſideratum.

Cap. *Dolentes.*

Quæret an Beneficiarius qui in habituali ad mortale peccatum habitu conſtitutus, officium recitat, ſatisfaciat Eccleſiæ præcepto, adeoque faciat ſuos Beneficii fructus.

Reſp. 1. Fieri poſſe ut ſatisfaciat, quia fieri poteſt ut homo peccator piè oret, licet non meritoriè de condigno, ut ex iis liquet quæ ſuperiùs dicta fuêre.

Reſp. 2. Vel ille Beneficiarius aliquod tametſi adhuc debile & imperfectum habet deſiderium à peccati ſui laqueis exeundi, & ad Deum revertendi; vel actuale habet propoſitum peccandi ut antea. Si primum, utiliter & piè orat; taliſque oratio Spiritu Dei non quidem inhabitantis, ſed moventis & pulſantis animatur. Si ſecundum, ad minùs dubium eſt an ſatisfaciat; quia ad minùs dubium eſt an verè & piè oret, qui nedum aliquid ſancti deſiderii animo gerat, flagitium & iniquitatem *actu* meditatur in corde. Ita author theor. & prax. Sacram. tom. 3. p. 205. Videri poteſt Suares Lib. 1. *De orat.* cap. 5.

SECTIO SEPTIMA.

De cauſis ab officii recitatione excuſantibus.

Prima cauſa eſt impotentia: hæc verò duplex eſt, *phyſica*, nimirum cùm abſolutè fieri non poteſt ut quis officium recitet, putà quia caret Breviario, nec aliud comparare poteſt, nec memoriter ſcit; & *moralis*, cùm officium ſine magnâ difficultate & periculo recitari non poteſt, ut ſi quis gravi detentus infirmitate, Horas perſolvere nequeat ſine magno capitis vel corporis incommodo aut dolore; neque enim intendit Eccleſia afflicto novam addere afflictionem. Idem eſt ſi inter Hæreticos vel Infideles degens, graves ab ipſis cruciatus probabiliter metuas, ſi per Horarum recitationem agnoſcatur te Sacerdotem eſſe vel Religioſum. Ad pleniorem primæ hujus cauſæ intelligentiam,

Quæres 1. an qui ex gravi febre, vel morbo convaleſcit, teneatur ſtatim recitare.

Reſp. negat. Poteſt enim prudentis Medici, vel Confeſſarii arbitrio, Horas per aliquot dies omittere, ob periculum reincidentiæ, & virium imbecillitatem. Ita communiter Theologi. Quòd ſi Medicus judicet dubium eſſe, an officii recitatio notabiliter nocitura ſit, an non, cenſent Caſuiſtæ etiam ſtricti, nullam eſſe recitandi neceſſitatem, quia pia & tenerrima mater Eccleſia non intendit filios ſuos notabili periculo exponere. Ita author theor. & praxis Sacram. tom. 3. pag. 127.

Quæres 2. an febris tertiana vel quartana, præſertim ſi per aliquot menſes perduret, ſufficiens ſit officii intermittendi ratio.

Reſp. negat. Et ita fert communis ſententia, quia hujuſmodi febres ſatis relinquere ſolent intervalli & virium, ut quis Horis ſuis perfungi poſſit. *Meminerit qui officio aſtrictus eſt, ſe febri, morbove aliquo, vel adverſâ valetudine leviter aliquando laborantem, non juſtam propterea excuſationem habere, quamobrem illud intermittat, omittatve*; verba ſunt S. Caroli cum Concilio ſuo Mediolan. IV. an. 1576. Tamdiu porrò infirmitas vel febris non cenſetur ab officio diſpenſare, quamdiu non impedit ne homo alia ſua negotia gravia & moleſta pertractet, ut prudenter monet poſt Navarrum Valentia, diſp. 6. q. 2. punct. 10. §. 7.

Hic quædam notanda. 1. eum qui totum non poſſet officium perſolvere, teneri ad eam partem quam recitare poteſt: hinc damnata fuit ab Innocent. XI. an. 1679. hæc propoſitio num. 54. *Qui non poteſt recitare Matutinum & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad ſe minorē.* 2. Eū qui non poteſt Horas legere ipſâ acceſsûs die, regulariter teneri ad recitationē aliis diebus quibus febri non corripitur, quia tunc ceſſat aut ſuſpenditur cauſa non recitandi. 3. longè tutius eſſe, ut qui prævidet futurum ut propter febrim aut aliquod aliud impedimentum, die ſequenti recitare non poſſit, pridiè recitet Matutinum & Laudes: qui enim ad munus aliquod strictè obligatur, eo fungi debet cùm poteſt; atque hanc præveniendi obligationem timoratorum omnium ſenſus & uſus ſatis oſtendit. Ita author Æthicæ amoris Lib. 10. c. 27. pro ſe adducens Leſſium, Sanchem, imò & Dianam. 4. eum qui non poteſt ſolus recitare, teneri ſocium ſibi adſciſcere, ſi commodè poſſit. Quin & Suares, Bonacina, aliique quibus adſtipulamur, exiſtimant Beneficiatum cæcum v. g. teneri conducere ſocium quo cum recitet, ſi ſufficientes ad hoc fructus ex Beneficio percipiat; quia fructus percipit ut officium perſolvat, & per illos ſibi comparare poteſt medium perſolvendi.

Ab

At, inquiunt aliqui cum Caramuele, poſſe officium anticipare, vel officium legere cum ſocio, gratia eſt & privilegium; nemo autem prilegio uti tenetur. Sed quis non miretur futilibus hiſce cavillis eludi graviora Eccleſiæ præcepta? Anticipatio itaque & ſocii uſus, ſunt privilegia & gratiæ, eo ſenſu quòd qui aliter facere poſſunt, ad hæc non teneantur: non autem eo ſenſu quòd qui niſi anticipet, aut ſocio utatur, recitare non poterit, vel ab anticipatione, vel à comparando ſibi ſocio, ſi commodè poteſt, abſtinere poſſit. Idem ſentiunt Navarrus, Pontas *Office* caſ. 16. Cæterùm qui ſocium habere non poteſt, eam debet partem recitare quam memoriter tenet: quia præceptum quod ex toto non poteſt, ſaltem ex parte impleri debet. Sic qui totâ Quadrageſimâ jejunare non valet, aliquot ſaltem ſi poteſt diebus jejunare tenatur: qui ne unâ quidem die jejunare poteſt, à carnibus abſtinere debet, vel ex toto, vel ex parte, prout ſinunt vires. Ex hiſce principiis colligunt aliqui, Canonicum ſurdum & cæcum, adhuc teneri Choro intereſſe, ibique mentaliter orare, aut ea quæ memoriter tenet, ſecum recitare: quia licet cum aliis canere nequeat, cum aliis Choro intereſſe poteſt, & magnum ædificationis exemplum præbere. Vide Navar. *De orat.* cap. 19. authorem theor. & prax. tom. 3. p. 131. qui ibidem docet eum qui Breviario careret, nec ſciret memoriter, debere id compenſare oratione vocali, aut piis meditationibus: quiſque enim, inquit, tenetur facere id quod poteſt, ut Deo ſecundum Eccleſiæ intentionem ſervitium præſtet.

Secunda cauſa eſt charitas, ſeu quælibet gravis & honeſta occupatio, quæ ſine notabili ſui vel proximi incommodo differri vel omitti non poteſt; ut ſi quis morientis, aut periculosè ægrotantis confeſſionem ad medium noctis protrahendam excipere debeat: ſi quis ad concludendam pacem, & finem ſeditioni publicæ imponendum vocatus, per diem totam impediatur. Ratio eſt, quia charitati, ut quæ virtutum regina ſit, cæteræ virtutes cedere debent. Idem cenſet prædictus author theor. & praxis Sacram. p. 128. de eo qui in magni Feſti die, vel tempore Jubilæi, tantâ obruitur Pœnitentium multitudine, ut iis omnibus ſimul & Breviario ſatisfacere non poſſit. Ita etiam author Collat. Diœceſ. Rupell. q. 24. & Pontas *Office* caſ. 6. Caveant tamen Confeſſarii ne ſibi faciliùs blandiantur; certum eſt enim ex iis qui recitandi officii tempus non inveniunt, multos eſſe qui ſat ſuperque temporis inveniunt ut ſomno indulgeant, & refectioni vacent.

Quæres, an Concionatores, ii præſertim qui memoriam felicem à naturâ ſortiti non ſunt, ab officii recitatione immunes ſint.

Reſp. Eos ab officio liberari à Leandro q. 37. & aliis quibuſdam: at novum hoc diſpenſationis genus neſcierunt Apoſtolici viri, ut Franciſcus Saleſius, Franciſcus Xaverius, qui nunquam uti voluit licentiâ ſibi per Romanum Pontificem factâ recitandi Breviarium ſolito brevius; neſciunt etiam hodie qui Deum timent. Ex eo autem quod Concionatorum quidam tardioris ſint memoriæ, id unum ſequitur eos ociùs & diutiùs ſtudium amplecti debere. Affertur tamen caſus in quo poſſit aliquis ſtudium officio præponere, putà ſi cras concionem habere debeas in die admodum ſolemni, eamque ſine notabili tum tui infamiâ, tum affluentis populi murmure & ſcandalo omittere non poſſis, & ipſam ob gravia quibus obrutus es negotia memoriæ mandare non potueris, nec mandaturus ſis ſi officium recites: ita Pontas ibid. Et is quidem caſus ſatis eſt metaphyſicus, cùm vix concipi poſſit quo pacto parum illud temporis quod ad privatam officii lectionem ſufficit, ita concionis ſtudio ſit neceſſarium, ut alioqui concio memoriæ committi nequeat.

Tertia cauſa, eſt diſpenſatio quæ à Romano Pontifice juſtâ de causâ concedi poteſt, ut contra Panormitanum, Angelum de Clavaſio, & paucos alios, ſentiunt Sylveſter, Guillelmus de Lauduno, & alii quibus ſubſcribit Pontas, verbo *Diſpenſe de la recitation du Breviaire*; quia in iis quæ juris ſunt poſitivi, diſpenſare poteſt Romanus Pontifex: atqui Pontas tom. 1. p. 1048. officii recitatio juris eſt ſolùm poſitivi quoad eos ſaltem qui Beneficiarii non ſunt. Equidem major eſt difficultas quoad Beneficiarios, qui ex juſtitiâ, adeoque ex jure naturali tenentur ad officii recitationem, ut alibi dictum eſt, quique videntur obligati ad cedendum Beneficio, ſi officio fungi non poſſint: verùm dici poteſt obligationem officii non eſſe juris naturalis, niſi in caſibus in quibus eam legitimè & ſtrictè exigerent Fundatores. Porrò non deſunt caſus in quibus ne ipſi quidem Fundatores exigerent officii recitationem, ut ſi Beneficiarius in gratiam fidei debeat aliquid magnum aggredi, quod cum recitatione Horarum non cohæreat: aut ſi evaſerit conſcientiæ ita ſcrupuloſæ, ut ſi officium recitare pergat, amentiæ periculum incurrat; & nihil tamen habeat unde vitam toleret, ſi ſuo privetur Beneficio. Epiſcopi verò, ait idem Pontas, ab officii recitatione diſpenſare non poſſunt; quia inferior in lege ſuperioris non diſpenſat, niſi de ejuſdem conſenſu: porrò Eccleſia Romanuſve Pontifex, nullibi leguntur hujuſce diſpenſationis facultatem Epiſcopis conceſſiſſe. Imò nec poſſunt Epiſcopi, ſi eidem ſit authori fides, Diœceſis ſuæ Breviarium mutare ſine Regis licentiâ, & Capituli conſenſu.

Cæterum, unanimis eſt Doctorum ſententia, non prodeſſe diſpenſationem ſine ſufficienti causâ conceſſam. In hoc ordine reponitur diſpenſatio Scholaſticis etiam juvenibus conceſſa, quâ iis aliquando permittunt Epiſcopi, aut alii, ut parvum B. Virginis officium loco majoris Breviarii recitent. Hæc enim recitatio 1. non eſt incompatibilis cum officiis Scholaſtici. 2. Dei Benedictionem adducit. 3. neceſſaria eſt, cùm Beneficium ſit propter officium. Ita author theor. & praxis Sacram. pag. 118. Pontas *Diſpenſe du Breviaire* pag. 1410.

Quarta addi ſolet cauſa, quando ſcilicet Beneficiarius nec per ſe, nec per alterum, nec præſenti, nec futuro tempore Beneficii fructus percipere poteſt; verba ſunt Valentiæ ubi ſupra. Sed puncti hujus deciſio jam tradita fuit à nobis Sect. præced.

Quærunt hic non pauci, quot admittat peccata qui Breviario v. g. in mare projecto ſit impotens ad officii recitationem.

Reſp. 1o. certum videtur eum ab initio tot peccata committere affectu, quot diebus prævidet aut prævidere poteſt ſe non lecturum Horas. Ratio eſt, quia qui vult cauſam in qua certus continetur effectus, eundem effectum velle cenſetur.

Reſp. 2. ſive ſingulis diebus peccet effectu, ut aliqui volunt, quia revera officium non omittit niſi culpâ ſuâ; ſive non amplius peccet effectu, quia recitatio Horarum eidem facta eſt impoſſibilis, & ad impoſſibile nemo tenetur, conſtat eum debere quamprimum poteſt de culpa ſua pœnitere, quæ cenſebitur quotidie volita donec retractata fuerit.

SECTIO UTLIMA.

Ad quid teneantur qui officium omiſerunt.

Dico 1. qui hodie officium etiam culpabiliteć omiſit, non tenetur idem cras legere. Ratio eſt, quia officii hujus obligatio, huic diei eſt affixa; ergo tranſactâ hâc die nulla eſt recitandi obligatio.

Dico 2. *Qui Horas Canonicas uno vel pluribus diebus intermiſerit, omnes Beneficii ſeu Beneficiorum ſuorum fructus, qui illi vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur; qui verò Matutinum, tantùm dimidium; qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam; qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittere debet.* Ita S. Pius V. in Conſtitutione *Ex proximo.* ſuperiùs citatâ. Ut hujuſce Decreti natura & extenſio meliùs intelligantur, quædam proponendæ ſunt & ſolvendæ quæſtiones.

Quæres itaque 1. an qui officium omiſit, ratus inculpabiliter ſeipſum recitaſſe teneatur ad reſtitutionem pro ratâ partis quam omiſit?

Reſp. negat. 1. Quia præſumi poteſt Fundatores non intendiſſe eos ad reſtitutionem obligare qui aliquam officii partem inculpatè omitterent, cùm omnis pœna ſi legitima ſit, culpam præſupponat. 2. quia Pius V. eos ſolùm ad reſtituendum teneri decernit, qui *legitimo ceſſante impedimento* officium omittunt: atqui oblivio naturalis, quam Theologi morales ignorantiæ invincibili comparant, legitimum eſt non culpabile impedimentum; ſicut legitimum eſt impedimentum conditio illius cui fures Breviarium arripuêre, & qui aliud invenire non poteſt. Ergò.

Dices: Artifex qui cum aliquo convenit de opere præſtando, tenetur reſtituere pecuniam quam accepit, ſi opus illud etiam inculpabiliter omiſerit; ergo à pari &c.

Reſp. neg. conſeq. & paritatem: qui enim artifici donat pecuniam, ejus dominium in eum reipsâ transferre non intendit, niſi alter de facto opus promiſſum præſtet; Fundator verò, ut ex communi ſapientum conſenſu infertur, noluit Beneficiarium fructibus ſuis privari, niſi quando culpabiliter officio ſuo deeſt: alioqui is quem gravis morbus ab Horarum recitatione deturbavit, fructus eo tempore perceptos reſtituere deberet, quod nemo hactenus dixit; neque verò Eccleſia cum alumnis ſuis agit quaſi cum mercenariis.

Notandum tamen quòd ſi oblivio culpabilis foret, putà quia prævideri debuit, ut quæ jam non ſemel contigiſſet, tunc omiſſio recitandi, eſſet veri nominis peccatum, adeoque reſtituendi obligationem induceret.

Quæres 2. an qui hodie omiſit officium, faciat fructus ſuos ſi cras utriuſque diei officium recitaverit.

Reſp. neg. Ratio eſt, quia talis reverâ non ſatisfacit, cùm officii ſicut & jejunii onus diei affixum ſit.

Nec dicas Capellanum qui feriâ tertiâ Miſſam in aliquo Sacello celebrare debet, eſſe à reſtituendo immunem, ſi eam die ſequenti celebret.

Nam 1. fieri poteſt, ut craſtina celebratio eum non liberet à reſtitutione, ſi nempe legitimâ de causâ ſtipulatus ſit Fundator ut Miſſa tali potiùs die quàm aliâ celebretur. Sic fatentur Caſuiſtæ eum qui ſtipendium recepit, ut pro obtinendâ moribundi ſanitate Miſſam celebret, teneri ad reſtituendum ſi eam differat in idem craſtinam quâ alter jam è vivis exceſſerit. 2. ſi Capellanus in caſu propoſito à reſtitutione eximatur, illud ideo contingit, quia cenſetur Fundator Miſſam huic præcisè diei non neceſſariò alligare voluiſſe: atqui officium de hoc Sancto, vel de hâc feriâ, huic diei annexum eſt, ex communi ſententiâ; ergo.

Quæres 3. an Beneficiarius ad reſtituendum teneatur ante judicis ſententiam.

Reſp. affirm. Etſi enim pœna quædam ante judicis ſententiam non obligent; ex iis tamen ſunt multæ quæ ex ſeſe obligant; & in hoc ordine primas tenent eæ quæ jure naturali infliguntur: porrò obligatio reſtituendi in iis qui pacto ſuo deſunt officium non recitando, juris eſt naturalis. Hinc meritò proſcripta fuit ab Alexandro V. & à Clero Gallicano propoſitio iſta, *Reſtitutiò à Pio V. impoſita Beneficiariis non recitantibus, non debetur in conſcientiâ ante ſententiam declaratoriam judicis, eò quòd ſit pœna.* Et verò quot Beneficiarii nunquam reſtituerent? Hic obiter repeto quod jam dixi, parem eſſe conditionem illius qui non recitat, & qui eò non recitat modo quo recitandum eſt, v. g. ſine attentione &c.

Quæres 4. an is etiam Beneficiarius qui primis ſex menſibus non recitat, teneatur ad reſtituendum. Videtur teneri, cùm hæc obligatio juxta nos jure naturali afficiat Beneficiarios qui ſine legitimo impedimento Horas omittunt; aliunde vero non videtur teneri, quia Concilium Lateran. & Pius V. etſi fateantur eum qui primis ſex menſibus officium liberè omiſerit, grave peccatum admiſiſſe, eum tamen tunc tantum reſtitutioni obnoxium eſſe declarant, cùm *poſt ſex menſes ab obtento Beneficio officium non dixerit.*

Reſp. Ex citatis Leonis X. & Pii V. verbis collegit Navarrus cap. 21. *De oras* n. 58. Beneficiarium qui per ſex primos menſes officium prætermiſit, non teneri ad reſtituendum. Verùm opinionem hanc fusè impugnat Suares Lib. 5. *De Horis.* cap. 29. n. 5. quocum dicendum eſt, Beneficiarium qui per ſex primos menſes ab officio abſtinuit, ad reſtituendum teneri. 1. quia Beneficiarius omittens recitationem debitam peccat contra juſtitiam commutativam; ſtipendiarius enim illud ex juſtitiâ facere tenetur pro quo ſtipendium accipit: atqui Beneficiarius pro recitatione officii ſtipendium accipit; ergo.

2. Citata utriuſque Summi Pontificis Decreta non excuſant poſitivè à reſtituendo Beneficiarium de quo agitur, ſed negativè tantùm, quatenus nihil contra ipſum decernunt, unde relinquunt res in eo ſtatu in quo antea erant. & prohibent duntaxat ne propter omiſſionem illam priorum ſex menſium procedatur contra Beneficiarium; quod factum eſt ob Lutheranos qui officii recitationem irridebant: ſatiùs enim judicaverunt Pontifices, ut eo tempore Beneficiarii ſenſim ad officium ſuum adducerentur, quàm ut nimiâ ſeveritate perturbati, à Breviario penitus recederent, quod totis viribus ſuadebant Novatores. Idem ſentiunt apud Suarem Medina, Covarruvias, & alii complures.

Quæres 5. an Beneficiarius qui officium omiſit, ſed alia beneficii ſui munera implevit, Parochus v. g. qui confeſſiones excepit, Sacramenta miniſtravit, temporalium Beneficii bonorum curam egit, ad eandem obligetur reſtitutionem, ac ſi nihil horum effeciſſet.

Reſp. Difficultatem hanc ſolvi poſſe vel ad mentem Bullæ Pii V. vel ſtando in jure naturali. Si primum, Beneficiarius qui officium omiſit, videtur poſt ſex menſes omnibus privari Beneficii fructibus, etiamſi alias muneris ſui partes expleverit. Et ita ſentit Suares cit. Lib. 4. cap. 30. cujus fundamentum

mentum hoc eſt, quòd licet Beneficium propter plura detur officia, potuit tamen lex punire omiſſionem unius officii privatione omnium fructuum, eorum etiam qui aliis ſervitiis reſpondent, eo fermè modo quo poſſet ſanciri, ut qui ovem proximi unam interemiſſet, quatuor reſtitueret. Quòd autem de facto graviorem hanc pœnam inducere voluerit Pius V. patet 1. quia præcepit ut Beneficiarii, ii etiam qui curam animarum habent, reſtituant omnes Beneficiorum fructus, qui illis reſpondent diebus in quibus officium omiſerint: atqui ſi partem fructuum aliis quæ præſtiterunt muniis correſpondentem retinere poſſent, jam non reſtituerent fructus omnes qui diebus illis correſpondent, ut ex terminis evidens eſt. 2. quia Pius V. jus novum hic condit, ut oſtendit vox hæc *Statuimus*, benè ponderata; & magnum reponit diſcrimen eos inter qui poſt ſex primos menſes non recitant officium, & eos qui non recitant per ſex eoſdem menſes: atqui neque novum jus hic conderetur, nec vigeret citatum diſcrimen, poſito quòd Beneficiarius poſt ſex primos menſes non recitans, non omnibus ſuis fructibus, ſed aliquâ duntaxat eorum parte privaretur; ergo.

Si verò res ſecundùm jus naturale conſiderentur, conſtat Beneficiarium eam quæ aliis ſuis laboribus reſpondet fructuum partem, retinere poſſe, quia per privationem illius partis quæ officio reſpondet, ſufficienter mulctatur: & hoc quiſque in praxi ſequi poteſt. Bulla enim Pii V. cum tanto rigore recepta non fuit, ut docent Vanroy tom. 2. p. 269. author. Collat. Diœc. Rupell. q. 26. Habert. & apud Henriquez, qui dicit hanc eſſe praxim ut Parochi & Epiſcopi quintam partem pro ratâ reſtituant, & reliquas quatuor ſibi retineant ratione tituli & onerum; ſed videndum an onera hæc talia ſint, ut juxta viri prudentis arbitrium tantam fructuum portionem mereantur.

Quæres 6. cui facienda ſit prædicta reſtitutio, & quomodo.

Reſp Cum authore Collat. Diœceſ. Rupell. q. 27. eos qui Beneficii reditus conſumpſerunt, ex bonis patrimonialibus, ſi quæ habeant, reſtituere debere; quia quidquid percipiunt, detractâ legitimâ ſuſtentatione, ſtricto jure pauperibus debitum eſt, ut ſuo loco evincemus. Quòd ſi nullos habeant reditus niſi Eccleſiaſticos, impenſis quas etiam facere legitimè poſſent, parcere tenentur, ut obligationi huic, quantùm poterunt, faciant ſatis. Quòd ſi modici ſint eorum reditus, à reſtituendi onere immunes erunt, ſatiſque erit ſi culpam admiſſam congruâ pœnitentiâ reparent.

Cæterum, reſtitutio pauperibus locorum in quibus ſita ſunt Beneficia, facienda eſt, vel eorundem Eccleſiis, ſi reparationibus indigeant, aut ornamentis. Sed id ſummopere cavendum eſt, ne quòd pœnitentiæ materia eſſe debet, vanitatis argumentum fiat, ut iis contingit qui videri volunt id liberaliter feciſſe, quod nonniſi ob ſceleris ſui expiationem factum eſt. Hactenus citatus author cui ſponte adhæremus.

CAPUT TERTIUM.

De Juramento.

HUjuſce Capitis octo erunt Articuli. In primo, Juramenti nomen & eſſentiam inveſtigabimus. In ſecundo, varias ejus diviſiones expendemus. In tertio, videbimus an Juramento uti licitum ſit. Quartus, Juramenti conditiones, & peccata quæ ex earum defectu in juramento contingunt, expendet. Quintus, dicet de Juramento cum amphibologiâ & reſtrictione mentali. Sextus, Juramenti obligationem, & hujus obligationis vim & naturam indagabit. Septimus, erit de interpretatione Juramenti. Octavus, de cauſis quæ ejus obligationem impediunt aut tollunt.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine & eſſentiâ Juramenti.

JUramenti, ſeu jurisjurandi nomen dictum eſt à jure, ſive quia *qui utitur juramento, ut veritatis reddit Deo, cui propriè convenit patrocinium veritatis ſuſcipere* ut docet Auguſt. Serm. 28. *De verbis Apoſt.* ſive quia jure introductum eſt Juramentum ad confirmationem veritatis; ſive demum quia reſpectu jurantis, eſt quaſi jus & lex quâ ſe adſtringit ad id implendum quod juravit; *id enim quod juratur, pro lege habendum eſt, & veluti jus ſanctè ſervandum.* ex Lege 5. ff. *De Jurejurando.* Juramentum aliquando, tum in Jure Canonico, tum apud prophanos authores, dicitur *Sacramentum*, quia fit per rem ſacram, nempe Deum ipſum; & aliunde eſt rei ſacræ ſignû, ſcilicet infallibilis veritatis teſtimonium, ut notat Suares Lib. 1. *De juramento* c. 1. n. 3.

Juramentum definiri poteſt, *Invocatio Dei in teſtem eorum quæ aſſeruntur aut promittuntur*: unde jurare eſt juxta S. Chryſoſt. Homil. 9. in Act. *Deum vocare teſtem, & quaſi fidejuſſorem dare dictis.*

Dicitur 1. *Invocatio Dei*, id eſt actio quâ Deus prima veritas vocatur ut teſtis ſupremus, & omni exceptione major, rogaturque ut infallibili ſuo teſtimonio veritatem latentem aperiat; non quidem hic & nunc, hoc enim eſſet tentare Deum, ſed quando ei viſum fuerit, & ſaltem in die judicii, *cum illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*, 1. Corint. 4. Ad Juramentum autem neceſſe non eſt 1. ut Deus poſſit eſſe teſtis dicti quod Juramento confirmatur; aliàs falſum jurari non poſſet, quia Deus falſi teſtis eſſe non poteſt; ſatis ergo eſt ut teſtis ſit quantùm eſt in eo qui jurat. 2. ut Deus expreſsè invocetur; verè enim jurat ſive qui Deum expreſsè invocat, ut cùm dicimus, *Per Deum juro, obteſtor Deum, ſit mihi Deus teſtis*; ſive qui Deum invocat in creaturas quatenus in eis aliquid ſingulariter relucet divinitatis; & hoc fieri poteſt, abſque eo quòd exprimatur Dei nomen. Hinc qui jurat per cœlum, cenſetur jurare per eum qui cœli Dominus eſt; qui per Evangelium, per terram, cenſetur utriuſque authorem & conditorem in teſtem invocare. Qui verò per viliorem creaturam, pileum, barbam, canem, jurat, verum non conficit Juramentum, niſi id intendat, quia in his creaturis nihil ſpecialiter elucet divini.

Dicitur 2. Invocatio *in teſtem*, quæ vox duo præſtat. 1. enim diſtinguit Juramentum ab aliis actibus per quos Deus invocatur. 2. oſtendit Juramentum eſſe actum religionis: nam ut ait S. Hieronym. in cap. 5. Matth. 5. *qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum per quem jurat.* Hinc ſequitur haſce formulas, *Coram Deo loquor, Deus ſcit ita eſſe ut dico &c.* non eſſe Juramenta ſi enuntiativè tantùm proferantur, quia ſignificant duntaxat, nos coram Deo loqui, & veritatem rei quam aſſerimus ei cognitam eſſe: ſi verò invocativè dicantur, ut ſæpiùs contingit, veri ſunt nominis Juramenta, quia tunc adducitur Deus in teſtem. Hinc illud Pauli ad Galat. 1. *Ecce coram Deo quia non mentior*, pro Juramento haberi ſolet, imò & illud Principis Apoſtolorum apud Joan. 21. v. 16. *Domine, tu ſcis quia amo te.*

Dicitur

Dicitur 3. in teſtem *eorùm quæ aſſeruntur &c.* quia juramenti finis eſt, ut confirmentur vel ea quæ enuntiantur, & tunc eſt juramentum aſſertorium; vel ea quæ promittuntur, & hoc eſt juramentum promiſſorium. Porrò ut Deus aſſumatur in teſtem, non requiritur invocatio verbalis; ſed ea ſufficit quæ conſuetudine introducta eſt: hinc alicubi jurat qui pectori manum admovet, manumve levat, Evangelium tangit &c. Imò ut notat Suares ibid. n. 4. Juramentum promiſſorium in ordine ad Deum poteſt ſolâ mente conſummari.

Quæres an ad juramentum requiratur intentio jurandi.

Ut ſolvatur quæſtio, notandum quòd duplex hic diſtingui poſſit intentio, prima eſt proferendi verba per quæ ſufficienter ſignificetur Deum in teſtem adduci. Secunda eſt eadem verba pronuntiandi ex motivo Deum vocandi in teſtem. Fatemur omnes primam intentionis ſpeciem eſſe neceſſariam ad jurandum. 1. quia verba ſine ullâ intentione prolata, non eſſent actus humanus: atqui Juramentum eſt eſſentialiter actus humanus; ergo prædicta intentio eſt ad Juramentum neceſſaria: unde nemò dicet amentem aut dormientem jurare, etſi iiſdem utatur verbis, quibus alii utuntur jurando. 2. quia juramentum eſt aliquando perjurium, adeoque & grave peccatum, quod ſine intentione ſaltem præviâ fieri non poteſt. Difficultas ergo tota eſt, utrùm ſecunda intentionis ſpecies neceſſaria ſit; ſeu utrùm ſecunda intentio poſſit ſeparari à primâ, ita ut poſſit quis velle ea proferre verba quæ Juramentum exprimunt, & tamen non jurare, quia non habet intentionem Deum in teſtem vocandi: quæ difficultas ut tollatur,

Dico: ſecunda intentio ad verum Juramentum neceſſaria eſt, ſicut & prima.

Prob. 1. Quia non magis Juramentum ſine jurandi intentione verum eſt Juramentum, quàm votum ſine vovendi intentione: atqui ſine vovendi intentione, votum non ſubſiſtit.

2. Quia Juramentum debet eſſe actus humanus, non ſolùm quatenus eſt quædam locutio materialis, ſed etiam quatenus eſt Juramentum: atqui Juramentum non poteſt eſſe actus humanus, in ratione juramenti, ſine intentione jurandi; ergo.

3. Quia ex communi ſententiâ prolatio ejuſdem verbi, aliquando Juramentum eſt, aliquando non, ut patet ex iis qui aliquid afferunt per ſuam fidem; ergo quòd ſit Juramentum ab intentione pendet, juxta id Leg. 3. *De rebus dubiis. In ambiguo ſermone non utrumque dicimus, ſed dumtaxat quod volumus.*

At, inquies, ſi res ita ſit, inutilis eſt Juramenti uſus, nec ulla ex eo accreſcet rei juratæ firmitas vel certitudo; tota enim Juramenti ratio incerta erit & occulta, utpote quæ dependeat ex intentione interiori, & hominibus ignotâ: atqui hoc abſurdum eſt; ergo.

Reſp. neg. maj. Ut enim inutilis non ſit juramenti uſus, ſatis eſt ut teneatur homo qui jurat, jurare ſine dolo & fraude; & ut timor perjurii multos adigat ad confitendam veritatem. Cæterùm mirum non eſt certitudinem quæ ex Juramento reſultat non eſſe talem ac tantam, ut nullis ſit hominum fraudibus & dolis expoſita: ſicut enim poteſt mentiri homo, etiamſi ex animo juret; ſic poteſt ficè jurare, etiamſi aliud exterius profiteatur.

Ex dictis colliges quaſdam eſſe loquendi formulas, quæ Juramentum diſertè continent; quaſdam quæ dubiæ ſunt, & nunc Juramentum ſunt, nunc non ſunt, pro loquentis intentione. 1. Juramentum continent iſtæ, *Deum teſtem invoco*; *Deus mihi teſtis eſt*; *Vivit Deus, Si me Deus adjuvet &c.* Particula *in* ad Juramentum ſufficit: ſic jurare cenſetur Apoſtolus Rom. 9. his verbis: *Veritatem dico in Christo Jeſu*; perinde ac ſi dixiſſet, *per Chriſtum, res ita eſt.* 2. dubiæ ſunt iſtæ, *Coram Deo loquor*, *Deus ſcit, Deus videt conſcientiam meam*, quæ ſi enuntiantivè proferantur, Juramentum non erunt, ſecùs ſi invocativè dicantur. 3. iſtæ Juramentum eſſe non cenſentur, *profectò, certiſſimè, ſine dubio, verè*, ſeu *in veritate*, aut *in veritate meâ*; ſecùs ſi dicatur, *in veritate Chriſti*, aut *Dei.* Hic tamen conſulenda eſt loquentis intentio quæ plerumque eſt jurandi, & optimi eſt conſilii ab his loquendi modis abſtinere; tum quia periculoſi ſunt; tum quia exponunt ſcrupulo, unde mulierculæ quibus familiaria verba hæc ſunt, ſolent ſe facti Juramenti accuſare. Hæc verba, *in fide*, *per fidem meam*, Juramentum eſſe cenſent multi, ſed negant plures; quia verba ſi nudè & ſimpliciter proferantur, de fide tantum humanâ intelliguntur: & verò nullus putat rem aliquam ſibi ſub Juramento promiſſam fuiſſe, ex eo quòd quis eam promiſerit in fide ſuâ. Res adhuc clarior eſt, cùm aliquid additur quo *fides* hæc ad humanam determinatur, ut cùm quis aliquid aſſerit *in fide viri probi*; *in fide regiâ*, vel *viri nobilis.* Si quis verò dicat, *in fide Dei, in fide Chriſti*, vel *Chriſtianâ*, non deerit Juramentum, & de hoc conveniunt omnes, ait Suareſius; quia fides Chriſtiana eſt res valdè ſacra: porrò atteſtatio per rem ſacram, eo ipſo eſt Juramentum, utpote quæ per ſe involvat habitudinem ad Deum; & hac de cauſa jam obſervavimus, eum qui jurat per cœlum aut terram in ordine ad Deum, reipsâ per Deum jurare: meritò autem notant Cajetanus & alii, quòd licet voce non exprimatur illud additum *Dei*, vel *Chriſti*, nihilominus futurum ſit juramentum, ſi mens & intentio loquentis ſit ut fidem exprimat relativè ad Deum. Verba hæc, *in fide hominis Chriſtiani*, poſſunt non eſſe Juramentum, ut ex Soto animadvertit Suares; quia rectè poſſunt intelligi de fidelitate qualem eſſe decet in homine chriſtiano: unde in his non interponitur divina authoritas, ſed ſola fidelitas ipſius jurantis, prout majorem quandam credibilitatem participat ex eo quòd eſt in homine Chriſtiano. Eo ſenſu dicit Clericus, *in fide Clerici*, & Religioſus, *in fide Religioſi*, non ut denotetur fides divina, ſed ut commendetur credulitas ex circumſtantiâ perſonæ. Sic etiam Sacerdos *per ſanctam conſecrationem* interrogatus & reſpondens, non jurat ex cap. 4. causâ 2. q. 5. is enim ritus ſolùm includit monitionem dicendæ veritatis, ut eam dici convenit ab homine in Sacerdotem conſecrato. Hæc tamen, etſi in rigore vera ſint, conſulenda ſemper eſt intentio loquentis; & ſatius eſt hos loquendi modos devitare, qui dubium relinquunt, ſcandalum generant, & in foro exteriori pro Juramentis haberi poſſent. Horrendæ ex voces quibus nimiùm utuntur & plebeji & nobiles, *Caput*, aut *venter Dei, Deum nego*, potiùs ſunt blaſphemiæ quàm Juramenta. De his legatur Suares Lib. 1. *De juram.* cap. 13.

ARTICULUS SECUNDUS.

De diviſione Juramenti.

Multiplex eſt juramenti diviſio. 1. enim ex parte rei juratæ ſeu materiæ, dividitur in aſſertorium, & promiſſorium. Primum illud eſt quo interpoſitâ Dei atteſtatione aſſerimus aliquid eſſe vel fuiſſe, ut v. g. *Teſtor me heri audiviſſe Miſſam, me nihil adverſus Petrum habere odii.* Secundum verè illud

Digitized by Google

illud eſt quo confirmamus id quod pollicemur, v. g. *Jure me aureos mille tibi daturum* ; unde Juramentum hoc neceſſariò futurum reſpicit. Sub promiſſorio continetur comminatorium quo pœnam minamur, & alteri infligendam promittimus. Tale eſt Juramentum quo comminatur David 1. Reg. cap. 25. ſe deleturum omnia quæ ad Nabal pertinebant. Hoc Juramentum, *Per Deum cras pluet; Titius hoc vel illud faciet &c.* nec propriè aſſertorium eſt, cùm ſit de futuro ; nec ſtrictè promiſſorium, quia nemo poteſt id promittere quòd à ſe non pendet, etſi hoc aſſerere poſſit aliquando prudenter, aliquando temerè : revocari tamen ſolet ad promiſſorium, quia quandam habet cum Juramento ſtrictè promiſſorio analogiam ; utrumque enim obligat ad faciendum quantùm in nobis eſt, ut id quod futurum juramus, falsò aut temerè non juremus. De hoc vid. Suar. Lib. 1. *De Juramento* cap. 8. & Lib. 2. cap. 1.

2. Juramentum ex parte modi dividitur in explicitum, quo Deus diſertè & expreſsè invocatur in teſtem, ut *Teſtor Deum* ; & implicitum, cum quis jurat per creaturas. Quatuor autem modis per creaturas jurari poteſt. 1. eaſdem nudè & ſimpliciter in ſe conſiderando, & tunc non eſt propriè dictum Juramentum. 2. ſi conſiderentur prout in iis ſpecialiter elucet & apprehenditur Numen divinum, & tunc eſt implicita divinitatis invocatio. 3. ſi conſiderentur ut aliquod noſtri bonum, quod ſub hoc reſpectu, Deo obligari velimus, & tunc eſt Juramentum execratorium, ut dum juravit Joſeph Geneſ. 42. *per ſalutem Pharaonis*: cujus Juramenti is eſt ſenſus, Conſervet Deus Pharaonem, ſi verum; non conſervet, ſi falſum dico. 4. denique cùm falsò exiſtimatur ineſſe creaturis divinitas, & tunc non tam eſt Juramentum quàm blaſphemia, ut quædam idololatriæ ſpecies.

3. Juramentum dividitur in ſimplex & ſolemne. Simplex illud eſt quod fit per ſimplicem & puram Dei invocationem, verbis, ſignisve æquivalentibus expreſſam ; ſolemne verò, quod fit peculiari ritu aut cæremoniâ ſecundùm legem aut conſuetudinem verbis additâ. Tale erat Juramentum quod exigebant Patriarchæ his verbis, *Pone manum meam ſub femore meo, & jura mihi*. Geneſ. 47. & 24. quo ſigno indicabatur vel fides veri Dei cum quo Hebræi peculiare pactum inierant, cujus ſignum erat Circumciſio quæ circa partem illam fiebat; vel ut multis Patribus placet, fides Chriſti aliquando venturi qui tunc continebatur *in lumbis Abrahæ*, ut loquitur Apoſt. ad Hebr. 7. quod etiam dici poteſt de Jacob. Tale etiam eſt juramentum quod in Eccleſiâ fit tactis Evangeliis, Arâ, Cruce ; vel etiam coram Notario, teſtibus &c.

4. Juramentum aliud eſt judiciale quod præſtatur in judicio, ſeu coram judice legitimè interrogante : tale eſt illud quod deferri ſolet teſtibus, quorum alioqui teſtimonium nullius eſſet momenti, ut notat Ferriere *Introd. à la Pratique* ; aliud extrajudiciale quod fit extra judicium. Judiciale vel eſt voluntarium, quod ex partium conventione præſtatur ; vel neceſſarium, quod à lege vel à judice præcipitur ad finiendam litem, ad purgationem criminis, ad probandum ſe ſatisfeciſſe debito quod exigitur. Hoc juramentum deferri ſolet reo (*au defendeur*.) Attamen ſi res apud Conſules agatur, & Mercator aliquam ſummam ut ſibi ab alio debitam repetat, ſuoſque rationum libros in bonâ formâ exhibeat, ſolent prædicti Mercatorum Conſules juramentum deferre actori (*au demandeur*) eiq; ſummam hanc etiam poſt elapſum præſcriptionis tempus adjudicare, ut notat *Ferriere* ibidem. Item, Juramentum vel præſtatur initio litis, & tunc vocatur Juramentum *calumniæ*, quo nempe proteſtantur ii qui inter ſe litigant, ſe litem non ſuſcepiſſe, niſi quia exiſtimant juſtitiam è partibus ſuis ſtare, & hoc Juramenti genus quod apud Romanos erat in uſu, & Jure Canonico confirmatum fuerat, jampridem in Galliis & immeritò quidem exploſum eſt, ut notat idem Juriſperitus : vel præſtatur in litis progreſſu, vocaturque *deciſorium* ; & tanti eſt ponderis, ut tranſactionis vim habeat, unde judicium quod conſequenter latum eſt, ſub nullo etiam perjurii prætextu reſcindi poteſt. Ita obſervat citatus author eodem loco.

5. Juramentum aliud eſt verbale, quod verbis exprimitur ; aliud merè reale quod fit adhibitis ſignis vice verborū, ſic Clerici & Religioſi jurant manu *ad pectus* admotâ ; aliud mixtum, in quo verbis adjungitur actio corporalis, unde & corporale dicitur cap. *Circa. De electiõn.* in 6. ut ſi verbis accedat Aræ, vel Evangeliorum tactus ; quæ ſolemnitas adhibetur ut quis majori cum deliberatione, metu & reverentiâ juret, & noverit ſe majori dignum eſſe pœnâ, ſi majori cum apparatu mentiatur. *Quanto* enim *id per quod juratur magis eſt ſanctum, tantò magis eſt pœnale perjurium*, ait S. Aug. Epiſt. ad Publicolam.

6. Juramentum dividitur in conteſtatorium, & execratorium. Conteſtatorium, illud eſt in quo Deus ſimpliciter vocatur in teſtem, ſine ſui vel alterius obligatione ad pœnam, ut *Teſtis eſt mihi Deus*. Execratorium, illud eſt quo Deus vocatur non in teſtem duntaxat, ſed etiam in vindicem punitoremque noſtri vel alterius ad nos pertinentis, ſi verum non loquimur : & hoc juramenti genus vel fit explicitè, ut ſi quis dicat, *Si mentior, moriar in loco ; non fruar unquam Deo ; abſorbeat me terra aut filios meos* ; vel implicitè, ut cùm quis jurat per vitam, ſalutem, animam ſuam, aut alterius ſibi chari. Hujus juramenti multiplex eſt in utroque Teſtamento exemplum, ut 1. Reg. cap. 14. v. 44. *Hæc faciat mihi Deus & hæc addat*. 2. ad Corinth. 1. *Teſtem invoco Deum in animam meam*. Gen. 42. *Per ſalutem Pharaonis.*

7. Dividitur juramentum in abſolutum & conditionale ; ſincerum & doloſum ; apertum & ambiguum. At eæ diviſiones tam manifeſtæ ſunt, ut nihil neceſſum ſit iis diutiùs immorari.

Quæritur an juramenta præcedentibus diviſionibus aſſignata, à ſe invicem ſpecificè differant. Quæſtio movetur præcipuè de juramento promiſſorio & aſſertorio ; nec non & de juramento conteſtatorio & execratorio : cætera enim nonniſi accidentaliter diſtingui, ex ipſis eorum definitionibus facilè concluditur.

Quod attinet ad juramentum conteſtatorium & execratorium, communis opinio tenet ea non diſtingui ſpecificè; quia in utroque invocatur Deus in teſtem ſub eâdem ratione formali, nempe ut prima & infallibilis veritas: ſed quæ conveniunt in eadem ratione formali, ſpecificè conveniunt ; ergo.

At inquies, juramentum execratorium fit per quandam maledictionem : atqui maledictio longè differt à cultu qui in juramento conteſtatorio reperitur ; ergo.

Reſp. In utroque Iuramento reperiri cultum Dei; quia in utroque reperitur invocatio divini nominis: quod vero invocatio illa aliquando fiat petendo ut Deus tale vel tale opus faciat circa nos vel aliam creaturam ad nos pertinentem, materiale eſt ad rationem Iuramenti. Imò Iuramentum ſimpliciter conteſtatorium, videtur aliquo ſenſu eſſe execratorium, quatenus nempe qui Deum invocat in teſtem

ſtem dicti ſui, eundem implicitè invocat in vindicem, ſi falſum dicat; cùm fieri nequeat, ut Deus ſit mutus perjurii teſtis, ipſumque impunitum relinquat.

Major eſt difficultas circa juramentum promiſſorium & aſſertorium. Exiſtimant multi juramenta hæc eſſe ejuſdem ſpeciei, quia nempe in unâ eâdemque ratione formali conveniunt, ut ſtatim dictum eſt de juramento conteſtatorio & execratorio. Sicut enim juramentum aſſertorium rei præteritæ vel præſentis, eandem habet rationem formalem, quamvis veritates aſſertæ materialiter & objectivè diſtinguantur; ita, inquiunt, juramentum aſſertorium de futuro, nonniſi materialiter diſtinguitur à juramento aſſertorio de præterito vel de præſenti. Confirmatur; quia non minùs videntur differre votum caſtitatis & paupertatis, quàm juramentum aſſertorium & promiſſorium: atqui vota hæc non ſpecificè differunt, ſed accidentaliter tantùm & materialiter; ergo & hæc juramenta.

Opinio hæc licet probabilis, difficultate tamen non caret, ut notat Suares hic cap. 9. videtur enim prædicta juramenta differre non ſolùm materialiter, quatenus unum rem præteritam aut præſentem aſſerit, alterum verò rem promittit futuram; ſed ſpecificè. Ea enim ſpecificè differunt, in quibus nomen Dei non invocatur ſub eadem ratione, ſed ſub diverſâ: atqui ſic ſe habent juramenta de quibus loquimur. In aſſertorio enim Deus invocatur tantùm ut teſtis veritatis; in promiſſorio verò invocatur ut fidejuſſor promiſſionis, ſeu verbi dati: atqui rationes teſtis & fidejuſſoris eſſentialiter diſcrepant, diverſaſque moraliter obligationes induunt, ut ex rebus humanis evidenter apparet; ergo.

Hæc doctrina quam ſuo more ſubtiliter exponit Suares, à cæteris rejicitur Theologis quos fusè referunt Salmantic. Tract. 17. cap. 2. punct. 2. quòd enim Deus ſit teſtis & fidejuſſor, non magis mutat naturam juramenti, quàm quòd ſit teſtis & vindex: hæc enim ſunt juramento accidentalia.

ARTICULUS III.

De Juramenti uſu.

Juramenti uſum licitum eſſe negarunt Apoſtolici tempore S. Bernardi, ut patet ex Homil. 69. in Cant. Catbari ſub idem tempus teſte Guidone; præcipuè verò Wiclefus, cujus error 43. in Concilio Conſtantienſi proſcriptus is erat, *non eſſe licitum jurare ad firmandos humanos contractus*. Idem ſentiunt Anabaptiſtæ, ut patet ex Cochleo contra eoſdem, nec ſatis ab hoc errore receſſiſſe videtur Eraſmus in Annotationibus ad cap. 5. Matth. ubi negat licitum eſſe Juramentum in negotiis ſæcularibus. Contra eos omnes ſit

CONCLUSIO.

Juramentum eſt actus religionis, eoque uti licitum eſt, ſi requiſitæ ad Juramentum conditiones concurrant. Eſt de fide.

Probatur. 1. Quod Deus ipſe fecit, cujus faciendi modum præſcripſit; quod viri ſancti tum in antiquo, tum in novo Teſtamento feciſſe leguntur, quod demum Traditio & Eccleſia licitum eſſe docent, illud pro malo & illicito haberi non poteſt. Atqui tale eſt Juramentum. 1. quidem *juravit Dominus* ex Pſalmo 109. & ad Heb. 6. v. 17. *In quo.... volens Deus oſtendere... immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit Juramentum*; & ſup. v. 13. *Quoniam neminem habuit per quem juraret, majorem, juravit per ſemetipſum*. 2. Juramenti modum præſcripſit Deus Deuter. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, & per nomen ejus jurabis*. 3. Juramento uſi ſunt Sancti, non ſolùm tempore legis naturæ, vel ſcriptæ, ut conſtat de Abraham, Iſaac, & Jacob, Geneſ. 21. 26. & 32. de Moyſe, Deuteron. 3. & 4. v. 26. de Davide, Pſalm 62. v. 12. & 131. v. 2. de Prophetis, quibus familiaris fuit hæc formula, *Vivit Dominus*; ſed etiam tempore legis Evangelicæ, de quâ major eſt difficultas. Sic S. Paulus Rom. 1. ait: *Teſtis eſt mihi Deus*. Et 2. ad Cor. 1. *Teſtem Deum invoco in animam meam*. Quin & cenſent multi Chriſtum juraſſe quoties hac uſus eſt voce, *Amen, Amen*. Ita inter alios S. Hieronym. in cap. 16. Ezech. *Juramentum Dei*, inquit, *in veteri Teſtamento erat*, Vivo ego. *In novo autem*, Amen, Amen. Meritò igitur S. Auguſt. Serm. 28. de verb. Apoſt. hæc ſcribit: *Invenimus juraſſe Sanctos, juraſſe ipſum Dominum in quo non eſt peccatum.... Non ergo eſt peccatum jurare, ſed magis pejerare*. Denique licitum eſſe Juramenti uſum docet Eccleſia, quæ ſæpe Juramenta exigit vel in judiciis, ut conſtat ex titulus *De jure jur. & teſtib.* vel ad abjurandam hæreſim, ut conſtat ex tit. *De hæreticis*; ex Concil. Epheſ. & Conſtant. in Bullâ Martini V. ex Formulario Alexandri VII. &c.

Quæres quare Deus juret: hoc enim inutile videtur, cùm ea quæ à Deo aſſeruntur, eo ipſo divinâ ejus authoritate innitantur.

Reſp. Duplicem afferri cauſam cur Deus juret. Prima eſt ut hominibus loquens, eorumque ſeſe motibus accommodans, eos reddat attentiores. Secunda, ut eos faciat certiores id quod promittit, immutabiliter eventurum eſſe, nec ullam apponi tacitam conditionem hominibus occultam, ex cujus mutatione contingere poſſit ut res non contingat, quemadmodum accidit in Prophetiis aliquibus comminatoriis; atque hoc indicat Apoſtolus in loco ſuperiùs adducto, cùm ait: *In quo volens Deus oſtendere immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum, ut... fortiſſimum ſolatium habeamus*. Ita Valentia diſp. 6. q. 7. punct. 3. poſt S. Thomam Lect. 4. in Epiſt. ad Hebr.

Prob. 2. Concluſio noſtra. Actus ille licitus eſt, cujus principium, finis, & materia bona ſunt: atqui principium, finis, & materia Juramenti, bona ſunt, ſi debitæ occurrant conditiones. Nam Juramento utimur, 1. ex æſtimatione quam habemus de divinâ infallibilitate; hoc autem principium optimum eſſe evidens eſt. 2. ut controverſiis finem faciamus, prout docet Apoſt. Hebr. 6. & is etiam finis bonus eſt. 3. demum Juramento utimur circa res quas cognoſci aut confirmari conveniens eſt; ergo Juramentum nullo ex capite redargui poteſt.

Prob. 3. Actus religionis in debitis circumſtantiis factus, omnino licitus eſt: atqui Juramentum eſt actus religionis, ut docent cæteri Theologi cum S. Thomâ qu. 89. art. 4. actus enim pertinens ad cultum Dei, & ſervitutem ipſi debitam, eſt actus religionis: atqui Juramentum eſt actus ad latriam & ſervitutem Deo debitam pertinens, ut indicant citata Deuteron. verba: *Dominum Deum tuum timebis &c.*

Confirm. 1. quia perjurium eſt ſacrilegium ſeu irreligioſitas; ergo à contrario Juramentum debitè factum eſt actus religionis.

Confirm. 2. quia, ut ait ſanctus Hieronymus, *qui jurat, vel amat, vel veneratur eum per quem jurat*: atqui veneratio ad cultum Dei pertinet; ergo & Juramentum. Atque id vel ipſi Gentiles agnovêre, unde Ariſtoteles in Rethoricâ, *Jusjurandum*, inquit,

eſt

eſt cum divinâ veneratione dicti probationis expere.

Obj. 1. Chriſtus Matth. cap. 5. v. 33. ſic loquitur: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cœlum... neque per terram.* Et paulò poſt: *Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt; Non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Idem expreſſiſſimè docet S. Jacobus cap. 5. v. 12. *Ante omnia autem*, inquit, *fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non; ut non ſub judicio decidatis:* atqui hæc verba omne prorſus & quodcunque Juramentum prohibent; ergo.

Nec dicas hic non prohiberi niſi Juramentum cui deſunt requiſitæ conditiones, nempe juſtitia, veritas & judicium: hanc enim evaſionem præcludunt citati textus. Nempe verò Chriſtus illud Juramentum prohibet, quòd *antiquis* permiſſum erat: ſed Juramentum cui deerant juſtitia & judicium, nec permiſſum fuit antiquis, nec permitti potuit; ergo.

Reſp. Omiſſis variis ſolutionibus, quas fusè referunt & confutant Suares c. 2. & Valentia punct. 3. nego minorem, & dico Chriſtum non prohibuiſſe Juramentum ſimpliciter, ſed facilitatem, adeoque & temeritatem juramenti. Salvator enim duos Phariſæorum errores arguit. Primus erat non eſſe Juramentum per creaturas jurare, de quo errore loquitur Chriſtus Matth. cap. 23. his verbis: *Væ vobis, duces cæci, qui dicitis, Quicunque juraverit per Templum, nihil eſt.* Secundus verò erat non eſſe timendum peccatum in uſu Juramenti, niſi quando eſſet perjurium ex defectu veritatis: hinc latiùs exponebant verba hæc, *Non perjurabis, reddes autem Domino Juramenta tua*; quaſi nullum in Juramento timendum eſſet peccatum niſi perjurii: unde peſſima leviter & ſine causâ jurandi conſuetudo paſſim inoleverat apud Judæos. Utrumque errorem refellit Chriſtus, oſtendendo tum Juramentum eſſe ſi quis per creaturas juret; tum non eſſe ullâ ratione, aut ullo Juramenti genere *leviter jurandum*. Chriſtum verò horumce errorum confutationem ſibi propoſuiſſe, patet ex ipſo Sermonis ejus initio, *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum &c.* Porrò potuit Chriſtus haſce opiniones confutare, abſque eo quòd omne juramenti genus prohiberet: ſatis verò fuit ſi Juramenta quæ leviter & ſine causâ fiunt prohibéret. *Intelligendum eſt* igitur, verba ſunt S. Auguſtini, *illud quod dictum eſt*, omnino, *ad hoc poſitum, ut quantum in te eſt non affectes, non ames, non quaſi pro bono cum aliquâ delectatione appetas jusjurandum*; ne ſcilicet, ut præmiſerat S. Doctor, *jurando ad facilitatem jurandi veniatur, & ex facilitate ad conſuetudinem*; atque ita *ex conſuetudine in perjurium decidatur*.

Ad id quod additur in objectione, diſt. prohibet Chriſtus illud Juramentum quod antiquis permiſſum erat, ſecundùm Traditiones Phariſaïcas, conc. quod permiſſum erat in rei veritate, neg. Chriſtus itaque non intendit eo loci revocare conceſſam Judæis jurandi licentiam quæ in ipſo naturali jure fundatur, & ad latriam cultumque Dei pertinet, ut probavimus; ſed vel aliquas tollere imperfectiones quæ in ipſis *ad duritiam cordis* hactenus toleratæ fuerant, ut libellus repudii; vel pravas circa quædam præcepta Phariſæorum expoſitiones detegere & res ad primævam integritatem reducere. Sic ex eo quòd dictum eſſet, *Non occides, non mœchaberis*, colligebant Phariſæi, eum non peccare qui vel ſimpliciter iraſceretur, vel crimen exterius non perpetraret: *Ego autem dico vobis*, ait Chriſtus, *quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri ſuo, Raca, reus erit Concilio*: atqui hæc verba, etſi generalia, non omnem prorsùs iram prohibent, nec abſolutè vetant ne quis etiam *durè* fratrem ſuum increpet; ſunt enim qui iraſcuntur & non peccant: atque id Chriſtus & Apoſtoli ſuo exemplo comprobaverunt, cùm Salvator Phariſæos appellaverit *genimina viperarum*, ſepulchra dealbata: & idem fecerit ſanctus Paulus, qui Galatas inſenſatos vocat, & Ananiæ, parietis dealbati nomen dedit: ergo nec ex citatis Chriſti verbis inferri poteſt omne prorſus Juramentum quocunque in caſu prohibitum fuiſſe. Hæc ſolutio ſufficit ad textum S. Jacobi. Pſal. 4. Matt. 23. Galat. 3. Act. 23.

Inſtab. Juxta Chriſtum quidquid dicitur ultra *eſt, eſt; non, non*, à malo eſt: atqui quod à malo eſt, in nullo caſu licitum eſſe poteſt; ergo.

Reſp. neg. min. Juramentum enim non dicitur eſſe malum, ſed *à malo*, quia ſupponit infirmitatem, tum ex parte illius cui juratur, tum ex parte illius qui jurat: neque enim opus eſſet Juramento ſi homines hinc quidem ſatis creduli, illinc ſatis fideles eſſent. Porrò quod à malo eſt, ſenſu mox expoſito, non licitum modò, ſed & quandantenus neceſſarium eſſe poteſt in hoc infirmitatis ſtatu. Solutio hæc tota eſt S. Auguſt. Lib. 1. de Serm. Domini in monte, cap. 17. *Si jurare cegeris*, inquit S. Doctor, *ſcias de neceſſitate venire eorum quibus aliquid ſuades, quæ utique infirmitas malum eſt. Itaque non dixit* Chriſtus: *Quod amplius eſt, malum eſt; tu enim non malum facis, quia benè uteris juratione, quæ etſi non bona, tamen neceſſaria eſt ut utiliter perſuadeas alteri; ſed à malo eſt illius cujus infirmitate jurare cogeris.*

Obj. 2. Multi Patres docuerunt Juramentum in ſe malum eſſe. Ita inter alios S. Hieronym. in cap. 5. Matth. & refertur 22. qu. 1. cap. 8. *Judæis*, ait, *quaſi parvulis fuerat lege conceſſum* ut jurarent.... *non quòd rectè hoc facerent, ſed quod meliùs eſſet Deo id exhibere quàm Dæmonibus.* Idem ante Hieronymum ſenſerant alii Patres, ut Tertullianus Lib. *De idololatriâ* cap. 11. *Taceo de perjurio*, inquit, *quando ne jurare quidem licet*; & alii apud Suarem cap. 2. n. 2.

Reſpondent aliqui apud Suarem, fuiſſe nonnullos Patres qui hoc in puncto materialiter erraverunt, ut aliis in capitibus & aliquando majoris momenti erraverunt S. Papias, S. Cyprianus &c. ſed hujuſmodi ſolutiones admitti non debent, niſi ſint neceſſariæ.

Reſpondens alii, exiſtimaſſe Hieronymum Juramentum etiam frequens & ſine magnâ neceſſitate, aliquando Judæis fuiſſe permiſſum, non quidem ut bonum; tam crebrò enim jurare, non habet rationem boni; ſed ut minus malum, ne nempe per idola jurarent.

Hâc verò poſitâ reſponſione citatus locus nihil habet difficultatis; permiſſio enim non cadebat in Juramentum purè & ſimpliciter ſumptum, cùm è contra laudaretur, juxta id Pſalmi 62. *Laudabuntur omnes qui jurant in eo*; ſed in ejus modum, frequentiam ſcilicet & crebriorem uſum: hunc autem jurandi modum non recipit Lex Evangelica, ut ibidem docet S. Hieronymus.

Obj. 3. Illicitum eſt res ſuperioris ordinis ad inferiores ordinare: atqui Juramentum, utpote cultus & invocatio Dei, eſt res ordinis ſuperioris; ergo non licet eo uti ſaltem in contractibus & rebus politicis quæ ordinis ſunt inferioris.

Reſpondet Sylvius neg. maj. alioquin dicendum foret illicita eſſe vota quæ ad ſui vel ſuorum ſanitatem recuperandam emittuntur, cum vota ad cul-

tum Dei pertineant. Hæc autem reſponſio eo verior eſt, quòd juramentum non ordinetur ad res ordinis inferioris, tanquam ad ultimum finem, cùm & ipſi contractus & res politicæ in Deum tandem referantur. Sic Incarnatio Verbi ordinatur ad peccati remiſſionem, & divina gratia ad ſanandam naturam; & hoc abſque ullâ perverſitate, quia peccati remiſſio, & naturæ corruptæ ſanitas ad Deum ipſum tendunt & ultimatè referuntur.

Obj. 4. Si Juramentum ſit bonum, & actus religionis, tantò quis meliùs faciet quantò plus jurabit; ut meliùs facit qui ſæpius orat: atqui falſum conſequens ex omnium conſenſu; ergo.

Reſp. 1. neg. maj. Sunt enim actus quidam, à quibus licet in ſe bonis meliùs eſt abſtinere, quia nempe boni non ſunt niſi ſuis omnibus induantur circumſtantiis, quibus eos ſemper veſtiri difficillimum eſt; & tale eſt Juramentum, quod bonum non eſt niſi comites habeat veritatem, juſtitiam & judicium. Eæ verò conditiones difficilè admodum occurrerent in juramento quod frequentius eſſet; ergo melius eſt propter periculum peccari abſtinere à Juramento, licet in ſe bonum ſit; ſicut melius eſt non eſſe quàm eſſe Prælatum, ob difficultates & pericula quæ in Prælatione reperiuntur. Ita Sylvius ad q. 89. art. 5.

Reſp. 2. neg. min. Re enim profundiùs inſpectâ meliùs facit qui jurat, quàm qui abſtinet à jurando: unde peccaret qui jurare nollet cum Juramentum exigit legitima authoritas. Neque tamen ſæpe jurandum eſt, quia una è conditionibus ad Juramentum legitimum requiſitis, eſt ut nunquam juretur niſi cùm vera & juſta adeſt jurandi neceſſitas.

Quod additur meliùs facere eum qui ſæpiùs orat, 1. verum non eſt, niſi cum oratio ſit in debitis circumſtantiis; malè enim faceret qui, ut ſolent devotæ quædam, diutiùs vacaret orationi, & interim penè omnem rei domeſticæ curam omitteret: ſic & in debitis circumſtantiis melius eſt jurare, ut modò dixi. 2. ideo melius eſt orare, quàm non orare; quia non orare non eſt actus virtutis: non jurare autem actus eſt virtutis, ſimplicitatis nimirum quam ſæpe commendat Scriptura, juxta quam ſermo noſter quantùm fieri poteſt, debet eſſe, *Eſt, eſt; Non, non.* Porrò inter varias quæ ſecum pugnare videntur virtutes, eæ aliis præferri debent quæ minùs habent periculi: ſic tametſi matrimonium bonum ſit, ei tamen anteferri debet virginitas, utpote quæ hominem minùs dividat, eique majorem uni Deo placendi libertatem largiatur, ut docet Apoſt. 1. Cor. 7. v. 32. & ſeq.

ARTICULUS QUARTUS.

De conditionibus ad licitè jurandum requiſitis, ubi de peccatis in juramento contingentibus.

EX dictis Articulo præcedenti ſequitur, Juramentum ea naturâ ſuâ, ſeu, ut ajunt, *ex objecto & genere* licitum eſſe: ſed ut undequaque licitum ſit variæ requiri ſolent conditiones. 1. ex parte illius qui jurat. 2. ex parte illius per quem juratur. 3. ex parte modi jurandi, ad quem etiam pertinet Juramenti materia. De iis omnibus ſeorſim hic diſputandum incumbit.

Quæres itaque 1. quænam conditiones requiſitæ ſint ex parte jurantis ut licitè juret.

Reſp. Spectato naturali jure ad licitè jurandum ſatis eſſe, ut quis rationis uſum habeat, & juramenti gravitatem non ignoret: ſed ad jurandum in judicio quædam requiruntur. Nam 1. neceſſe eſt ut jurans non ſit jure prohibitus: Juramentum enim in judicio interdicitur tum pueris, ut patet ex cap. 25. *Pueri.* 22. q. 5. ubi referuntur hæc * Concilii Eliberitani verba, *Pueri ante annos quatuordecim non cogantur jurare*; tum perjuris, ibid. cap. 14. tum iis demum qui teſtes eſſe non poſſunt, quales ſunt Infideles, Judæi, Hæretici non tolerati, infames, ſive ratione artis quam exercent, ſive ob crimina de quibus convicti ſunt, & ii etiam qui victum oſtiatim mendicant; quia ob paupertatem quâ laborant faciliùs corrumpuntur. Vide Ducaſſe 2. part. cui titulus *De la Juriſdict. Eccleſiaſt.* Sect. 3. * *Circa an. 300.*

An autem pueri, etſi ad jurandum cogi non poſſint, poſſint tamen admitti, ſi ſponte ſe offerant, diſputant Theologi. Sequenda eſt eâ in re locorum conſuetudo, & penſare debent judices quam talium Juramentorum rationem habere poſſint, inſpectâ eorum qui jurabunt prudentiâ & maturitate.

2. Juramentum interdicitur etiam Clericis. 2. q. 5. cap. 4. Ita Valentia. Nihilominus in caſu neceſſitatis, vel magnæ utilitatis jurare poteſt Sacerdos, ut docet S. Thomas hic art. 10. Et verò in citato capite dicitur ſolùm quòd *Sacerdotes ex levi causâ jurare non debent*; quod ſupponit eos ex causâ verè gravi jurare poſſe.

Quæres 2. quid requiſitum ſit ex parte illius per quem juratur.

Reſp. 1. Requiri ut qui jurat, nonniſi per Deum verum juret; unde mortaliter peccat qui jurat per falſos Deos: mortalis enim peccati reus eſt qui falſis Diis id tribuit, quod proprium eſt ſolius Dei; ſed qui per falſos Deos jurat, iis tribuit quod ſolius Dei proprium eſt, quatenus in teſtes infallibiles veritatis eos vocat qui vel nihil ſunt, vel ſunt ſpiritus mendacii. Adde quòd juſjurandum actus ſit latriæ; actum verò latriæ cuiquam impendere niſi Deus ſit, lethale eſt peccatum.

Reſp. 2. Requiri ut qui per Deum verum jurat, nihil ei attribuat quod à divinitate alienum ſit: unde grave eſſet peccatum ſi quis juraret per membra Dei, quaſi is membra haberet, præſertim ſi membra quædam imprudenter nominarentur.

Sed ſi per falſos Deos jurare illicitum ſit, erit ne pariter illicitum Juramentum ab eo petere qui per falſos Deos juraturus eſt?

Reſp. Cum Suare Lib. 3. cap. 13. primò, nunquam licitum eſſe petere determinatè ab aliquo ut per falſos Deos juret. 1. quia qui conſulit aut petit actum malum, eſt ipſius cauſa: ſed qui determinatè petit ut quis per falſos Deos juret, petit actum malum; ergo eſt ejus cauſa, quod nunquam licet. 2. quia non licet ab aliquo petere, quod is licitè præſtare non poteſt: ſed nullus poteſt per falſos Deos licitè jurare; ergo nemo id ab alio petere licitè poteſt.

Reſp. 2. cum eodem & aliis vulgò Theologis, licitè peti poſſe Juramentum ab eo quem conſtat per falſos Deos juraturum; modo intercedat neceſſitas, vel gravis utilitas; & non petatur determinatè ut per idolo juret, ut ſtatim dictum eſt.

Prob. Quia tam licet petere Juramentum ab aliquo, quamvis prævideatur ipſum jurando peccaturum eſſe, quàm liceat mutuum ab uſurario petere, quamvis pariter conſtet eum non daturum eſſe mutuo niſi ſub uſurâ, ideoque cum peccato: atqui poſterius licet; ergo & prius. Ratio ulterior eſt, quia in utroque caſu petitur ab altero res in ſe licita, & quæ ſine peccato præſtari poteſt: quòd autem res ea malè fiat, vitium eſt non petentis, ſed agentis.

Con-

Confirmant aliqui exemplis Juramenti inter Abraham & Abimelech Gen. 21. & inter Laban & Jacob Gen. 31. Abimelech enim & Laban per Idola jurarunt, dum Abraham & Jacob per verum Deum jurarent. At exempla hæc non multùm cogunt, ut notat Suares. 1. quia non conſtat Abimelech & Laban per Idola juraſſe. 2. quia minus adhuc conſtat eos ad ſic jurandum inductos fuiſſe, potiùs enim videntur ſe ad jurandum obtuliſſe; porrò minus eſt Juramento ab Infidelibus oblato uti, quàm ab iiſdem Juramentum exigere: unde S. Auguſt. relatus cap. *Movet te.* 22. q. 1. *Qui utitur*, inquit, *illius fide quem conſtat juraſſe per Deos falſos, & utitur non ad rem malam, ſed ad licitam & bonam, non peccato hujus ſe ſociat qui per Dæmonia juravit, ſed bono pacto ejus qui fidem ſervavit.*

Sed quid ſi Gentilis verum Deum ignoret, licebit-ne ab eo Juramentum petere? Parùm enim refert ut modus jurandi in ſe licitus, poſſibilis ſit, ſi ignotus ſit ei à quo juramentum poſtulas; nam eo ipſo reſpectu ejus impoſſibilis eſt.

Reſp. Veri Dei exiſtentiam ignorari invincibiliter non poſſe: atque etiam dato non conceſſo eam aliquando ignorari poſſe, dico eam ſaltem ignorari non poſſe ab Idololatrâ qui teſtis eſſet Juramenti à Chriſtiano per unum verum Deum emiſſi. Legatur Suares toto hoc cap. 13.

Expendunt hic Theologi, ſit-ne gravius peccatum jurare verum per Deos falſos, quàm jurare falſum per Deum verum. Negare videtur S. Auguſtinus in Epiſt. ad Publicolam, quæ refertur citato capite *Movet te.* En S. Doctoris verba: *Minus eſt malum per Deum falſum jurare veraciter, quàm per Deum verum fallaciter.* Cenſent tamen alii graviùs peccare qui verum per Deos falſos jurat, quàm qui falſum per Deum verum. Ratio eſt, quia idololatria gravius eſt perjurio peccatum; cùm in perjurio ſola Dei veritas oppugnetur, per idololatriam verò tota deitatis ratio utcunque ſubvertatur, in quantum eſſe ſupremum communicatur creaturis: atqui per falſum Deum jurare, nihil eſt aliud quàm idololatria; unde S. Chryſoſtomus aut quilibet author Operis imperf. Hom. 16. *Idololatram*, inquit, *ſe facit, qui per falſum Deum jurat.* Ergo.

Quæres 3. quænam deſiderentur conditiones ex parte modi & naturæ Juramenti.

Reſp. Alias requiri Jure Eccleſiaſtico, alias Jure divino & naturali. Jure Eccleſiaſtico præcipitur 1. ut juramentum non præſtetur *à Septuageſimâ ad octavam Paſcha, & ab Adventu Domini, uſque in octavam Epiphaniæ.* 2. ut qui jurat hoc *jejunus faciat.* Ita habetur cap. 16. & 17. causâ 22. q. 5. ſed hæc in deſuetudinem abiiſſe docent communiter Theologi.

Jure verò naturali & divino neceſſariæ ſunt tres circumſtantiæ quaſi comites Juramenti, bis expreſſæ
c.4.v.2. Jeremiæ verbis, *Jurabis, Vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitiâ.* Enimverò ſi eæ conditiones deſint, jam aſſumitur nomen Dei in vanum, dum ejus invocatione confirmatur id vel quod non eſt, vel tali confirmatione non indiget.

Ad veritatem Juramenti requiritur ut jurans certò & prudenter, non autem levibus conjecturis credat illud verum eſſe quod jurat: unde perjurus non eſt qui bonâ fide verum eſſe credit id quod jurat, licet hoc à parte rei falſum ſit, modò inquirendæ rei veritati diligenter incubuerit; è contra verò perjurus erit, 1. quod reipsâ verum eſt jurat, ſi ipſum falſum eſſe ex errore crediderit, verum credat, ſed levioribus adductus conjecturis. Ita Cathech. Rom. 2. qui dubius de rei veritate, rem jurat ut certam; quia ultra periculum perjurii cui ſe exponit, falsò jurat in actu exercito, cùm juret ſe certò ſcire id de quo dubitat, aut quod nonniſi probabiliter cognovit. 3. qui præſertim in judicio interrogatus jurat ſe id non fuiſſe quod per alium fecit, quia quis dicitur feciſſe, quod per alium fecit, ex Leg 15. ff. *De injuriis* &c. 4. qui jurat ſine certitudine requiſitâ, ut ſi jures aliquid eſſe, quod non videris fieri, cùm tamen ejus qui viderit juramentum requiratur. Ut Juramentum fiat cum judicio, oportet ut nonniſi ex neceſſitate, Chriſtianâ prudentiâ, & pro re gravi juretur: ut autem fiat cum juſtitiâ, debet eſſe de re licitâ & honeſtâ. Juramentum cui deeſt veritas, eſt & vocatur ſtrictè perjurium: juramenta verò quibus deeſt judicium & juſtitia, nonniſi latiori ſenſu ut plurimùm, perjuria dici poſſunt, utroque ſenſu ſumitur perjurium apud Gratianum 22. q. 2. Vid. Suarem Lib. 3. cap. 2.

Certum eſt Juramentum omne cui deeſt aliqua recenſitis conditionibus, eſſe peccatum majus aut minus, quia in eo ſaltem irreverenter aſſumitur nomen Dei. Sed quæritur, an peccatum illud ſemper ſit mortale, quæ quæſtio ut ſolvatur, ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Juramentum ſolo judicii defectu vitioſum, non eſt niſi veniale peccatum, modo abſit contemptus, ſcandalumve & periculum jurandi falſum. Ita Theologi omnes & Summiſtæ.

Prob. Quod levem duntaxat irreverentiam contra Deum continet, non eſt peccatum lethale: atqui tale eſt Juramentum cui non deeſt niſi judicium. Hoc enim eſt Juramentum id ſolùm habet vitii, quòd in eo divina authoritas interponatur ad confirmandam rem parvi, vel nullius momenti, non verò ad confirmandam falſitatem: atqui irreverentia hæc gravis non eſt; ergo.

Dices: Exod. 20. v. 7. ſic habetur: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.* Unde ſic: Verba hæc, *non habebit inſontem Dominus &c.* gravem indicant vindictam, & gravem conſequenter culpam: ſed qui ſine judicio jurat, aſſumit nomen Domini *fruſtra & in vanum*; ergo.

Reſp. 1. Dominum non habere inſontem eum qui etiam venialiter peccat; & nemo eſt qui non ſciat peccatum etiam veniale graviſſimis in hâc vitâ, & æternis in alterâ pœnis aliquando puniri: qui enim poſt admiſſum unum mortale & veniale peccatum moritur, pro utroque ſemper cruciabitur.

Reſp. 2. Hæc verba, *in vanum*, idem eſſe juxta Interpretes, ac *mendaciter*: & verò nemo ambigit quin eo loci præcipuè prohibeatur perjurium ſtrictè ſumptum.

Dixi, *modo abſit contemptus*; quia ratione contemptûs, ſolent peccata fieri mortalia, ut fuſiùs explicabitur in materiâ de Legibus. Idque adhuc evidentius eſt in præſenti, quia talis contemptus in ipſum Deum per quem juratur, directè cadit; contemptus autem Dei eſt graviſſima illius injuria, ut per ſe conſtat.

Dixi 2. *Et ſcandalum*; gravis enim peccati ſontes ſunt, qui quod eſt in Religione ſacratiſſimum, ut Chriſti mortem & ſanguinem, ſive per iram, ſive in joco pronuntiant. Item, verba quæ in Laicis non multùm arguuntur, in Religioſis & Sacerdotibus ſcandalum parere ſolent.

Dixi 3. *Si abſit periculum jurare falſum.* Nam lethaliter peccat, qui ſe conjicit in periculum lethaliter

liter peccandi, juxta id Eccli. 3. 27. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Sed qui ſine judicio jurat frequenter, conjicit ſe in periculum lethaliter peccandi, ſcilicet jurandi falſum, quod oſtendemus poſtea mortalem habere culpam; ergo.

Hinc colligere eſt quid de iis ſentiendum ſit, qui ex pravâ conſuetudine jurant. Nam 1. ſi mentiri non conſueverint, ſed juramenta confirmandæ veritati applicent ſine neceſſitate, ſunt in ſtatu venialis peccati, ſecluſo contemptu ut diximus. 2. qui, ut ſæpiùs evenit, jurat promiſcuè & indifferenter, ſive verum ſit quod jurat, ſive falſum, & non curat cuinam propoſitioni confirmandæ Juramentum applicet, is ſi advertentia ſufficiens adſit, ſine mortali non jurat. Tales ii judicari debent, qui mentiuntur frequenter, & frequenter jurant; qui effundunt quidquid venerit in buccam, & omnia perinde juramento confirmant. Tales ii etiam ſunt qui juramento affirmant id, ad quod non ſatis attendunt; vel ita ex animo aliquid promittunt, ut ſi pluſculùm attenderent, facilè perciperent ſe non ſervaturos eſſe promiſſum: ſic mercator ferè ſtatim jurat ſe mercem pretio viliori traditurum non eſſe, qui paulò poſt judicat è re ſua eſſe ſi tradat. Tales denique ſunt ii omnes quibus Dei nomen non videtur *Sacramentum eſſe, ſed ſermo,* ut loquitur Salvianus Lib. De gubern. Nam *aſſiduitas jurandi perjurium facit,* ait S. Iſidor. Lib. 2. ſinonym. c. 10. Meritò itaque ajebat S. Auguſt. Serm. 180. aliàs 28. de verbis Domini: *Quis eſt qui non fallatur, etſi noluit fallere? & tamen juratio ab ore non diſcedit, frequentatur, plura ſunt plerumque juramenta quam verba.*

Dixi, *ſi adſit advertentia ſufficiens.* Nam 1. inadvertentia invincibilis, qualis cenſetur in eo qui jurandi conſuetudinem retractavit, & de eâ ſeriò dolet, ab omni peccato excuſat. 2. inadvertentia leviter culpabilis, excuſat à gravi peccato, non à veniali; ſeu, ut loquuntur, à tanto, non à toto. 3. inadvertentia craſſa, penituſque voluntaria, qualis eſt in iis qui jurandi conſuetudinem non retractant, in quâ advertunt aut advertere poſſunt ſe multa miſcere perjuria, nullatenus à mortali peccato excuſat: ac proinde iis qui illâ detinentur, negari debet abſolutionis beneficium, niſi pravam conſuetudinem tollere & in dies pro virili minuere ſatagant.

CONCLUSIO SECUNDA.

Juramentum cui deeſt juſtitia, ſeu quod fit de re malâ & illicitâ, ſæpiſſime eſt peccatum mortale.

Antequam probetur Concluſio, notandum eſt Juramentum de re malâ, vel eſſe aſſertorium, ut ſi jures Titium mentitum eſſe, aut fornicatum; vel promiſſorium, ut ſi jures te mentiturum eſſe, aut fornicaturum. Utrumque vel eſt de re malâ venialiter, ut Juramentum circa mendacium leve; vel de re malâ mortaliter, ut Juramentum circa fornicationem. Promiſſorium autem vel fit cum animo rem malam implendi, vel ſine eodem animo. Ut Concluſio per partes probetur,

Dico 1. Qui ſine animo & intentione faciendi jurat ſe facturum eſſe rem illicitam, etiam venialem, mortaliter peccat. Ratio eſt, quia ſtrictè perjurus eſt, utpote qui Deum vocet in teſtem falſi: atqui ſtrictum perjurium eſt peccatum mortale, ut ex dicendis liquebit; ergo.

Dico 2. Qui jurat ſe rem mortaliter malam eſſe facturum, ſive cum animo, ſive ſine animo ejuſdem implendæ, mortaliter peccat. Ratio eſt, quia ibi grave eſt peccatum, ubi gravis eſt irreverentia, & talis Dei contemptus ut vix major fingi poſſit: atqui tale eſt peccatum illius qui adducit Deum in teſtem voluntatis efficacis quam habet, mortaliter peccandi. Eſt enim ille ſicut ſervus cui non ſatis eſt tranſgredi domini ſui mandatum, niſi inſuper eum vocet in teſtem trangreſſionis ſuæ; an non enim is rebellioni quam cogitat, impudentiam addit & contumeliam? Ergo.

Dico 3. Probabile eſt eum qui jurat ſe peccatum veniale facturum, nonniſi venialiter peccare, ſi animum habeat promiſſum implendi; alioqui enim eſſet ſtrictè perjurus & mortaliter peccaret. Ita Cajetan. Soto, Navarrus, Suarez, S. Antonin. 2. p. tit. 10. c. 4. contra Hugonem, Angelum & paucos alios, quibus accedit P. Bezombe Moral. Chriſt. Tom. 3. p. 39.

Prob. Illud peccatum tanquam grave haberi non debet, quod divinæ veritati & bonitati gravem injuriam non infert: atqui tale eſſe videtur Juramentum in caſu propoſito. 1. non infert gravem divinæ veritati injuriam; ſupponitur enim factum ex intentione ejus implendi. 2. nec divinæ bonitati graviter adverſatur: qui enim ſic jurat, ſolùm vult interpoſitâ Dei authoritate teſtari ſe verum habere propoſitum id faciendi quod jurat: atqui in hoc quidem eſt deordinatio, ſed quæ peccatum veniale excedere non videtur; ergo.

Obj. 1. Contra hanc probationem. Si ille qui jurat ſe venialiter eſſe peccaturum tantummodo faciat Deum teſtem præſentis ſuæ intentionis, & ideo non peccet mortaliter; pari ratione qui jurat ſe facturum peccatum mortale, quod verè intendit exequi, non peccabit mortaliter; quia aſſumet Deum in teſtem intentionis quam habet: non autem ideò jurabit ut interpoſitâ Dei authoritate ſeſe confirmet in propoſito peccandi mortaliter. Quòd ſi dicatur eum qui jurat de peccato mortali, non adducere authoritatem Dei, niſi ut ſeſe quaſi obliget ad peccandum; idem dicendum erit de eo qui jurat ſe venialiter peccaturum eſſe: jam verò qui per ipſam Dei authoritatem vult ſe confirmare in propoſito venialiter peccandi, grave peccatum committit, (non tamen æquale ei qui vellet ſe in propoſito peccandi mortaliter confirmare.) An non enim gravem erga Deum irreverentiam committit, qui Deum mali propoſiti confirmatorem & fautorem eſſe poſſe exiſtimat?

Ob hanc difficultatem cenſent aliqui eandem eſſe rationem Juramenti de re venialiter vel mortaliter malâ; ita ut utrumque ſit peccatum mortale, ſi jurans velit ſe ex Dei reverentiâ obſtringere ad peccandum; veniale verò tantùm, ſi jurans velit duntaxat Deum vocare in teſtem ſuæ intentionis, ut alteri perſuadeat ſe illam habere. Ita Martinon diſp. 19. De Relig. Sect. 1. n. 7. ubi tamen docet in praxi non eſſe recedendum à communi ſententiâ.

Reſpondeo cum Suare Lib. 3. cap. 19. eum qui Juramento peccatum mortale confirmat, mortaliter peccare, quia eſt ſtrictè perjurus: & dico eum eſſe ſtrictè perjurum, quia tenetur non facere id quod juravit; undè idem eſt ac ſi falſum juraſſet.

At, inquies, qui juravit ſe venialiter peccaturum, tenetur etiam ab eo, quod juravit, abſtinere; ergo etiam ſtrictè perjurus erit, & peccabit mortaliter.

Reſp. Juramentum de peccato veniali poſſe impleri ſine peccato mortali, unde falſitas quæ in eo includitur longè ab eâ differt, quæ includitur in Juramento de peccato mortali, quod ſine gravi culpâ impleri nequit. Hæc ratio confirmari poteſt ex his S. Thomæ verbis, qu. 98. art. 1. ad 1. *Quocunque modo quis jurat illicitum, ex hoc ipſo falſitatem incurrit, quia obligatus eſt ad hoc quod contrarium faciat.*

faciat. Ergo quantò magis neceſſarium eſt ut Juramentum ſit falſum, tantò major eſt ejus deordinatio: ac proinde cùm hæc falſitas neceſſaria eſt ſub peccato mortali, Juramentum eſt peccatum mortale in ratione perjurii; ſecùs ſi falſitas hæc non ſit neceſſaria niſi ſub peccato veniali.

Obj. 2. Qui jurat de re venialiter illicitâ tenetur habere vi juramenti propoſitum peccandi venialiter; alioqui jurando contra veritatem mortaliter peccaret: atqui gravis eſt irreverentia in eo quod divini nominis aſſumptio hominem cogat ad habendum peccandi propoſitum; ergo.

Reſp. diſt. qui jurat, tenetur habere, id eſt reipſa habet tale propoſitum, illudque vult per juramentum exhibere, conc. tenetur habere conſequenter ad Juramentum, nego. Porrò cùm inordinatio talis propoſiti ſit venialis ſolùm, exhibitio ejus per Juramentum, licet intra venialis peccati lineam ſatis gravis, venialem malitiam ſuperare non videtur: quòd ſi quis vellet ſe in tali propoſito per Juramentum confirmare, ut ii ſolent qui execratoriè jurant, tunc utique videretur mortalem culpam admiſiſſe.

Duo hic notanda. 1. etſi hæc de venialiter illicitis jurandi ratio, non pertingat ad malitiam peccati mortalis, certum eſt tamen eam intra latitudinem peccati venialis, valde grave peccatum eſſe: longè enim pejus eſt jurare de re malâ, quàm de honeſta vel indifferenti ſine neceſſitate; quod tamen ſine peccato veniali fieri non poteſt. 2. Juramentum hoc multis in caſibus à mortali excuſari non poteſt. Ratio eſt, quia proferri ſolet ex impotenti iræ impetu; porrò homo iratus facilè judicat leve eſſe quod minatur, cùm revera grave ſit: deinde ſæpe advertere poſſit ſe poſt ſedatam iram non eſſe illaturum malum quod minatur, adeoque ſtrictè perjurus eſt. Adde quòd hæc juramenta proferri ſoleant cum verbis blaſphemiæ, quæ nunquam ſunt ſine gravi peccato, juxta illud Concilii Trecenſis an. 1427. *Sunt nonnulli tam Laici quàm Eccleſiaſtici viri, qui Redemptorem ſuum turpiter inhonorantes, deteſtabilia in ejus blaſphemiam faciunt juramenta, putà per carnem ſuam, per ſanguinem, per mortem, per plagas per caput, per viſcera, vel aliud concerneat ejus humanitatem jurantes, & ipſum Redemptorem noſtrum pro nobis omnibus in cruce mortem paſſum crucifigant.*

Dico 4. Juramentum cui deeſt juſtitia, ſi ſit aſſertorium rei mortaliter malæ, eſt peccatum mortale. Ratio eſt, quia aſſumere nomen Dei tanquam inſtrumentum ad cooperandum gravi peccato, magnam in Deum irreverentiam continet, adeoque eſt grave peccatum: ſed qui jurat ut aſſerat illicitè rem mortaliter malam à proximo peractam, aſſumit nomen Dei ad cooperandum gravi injuſtitiæ peccato, nempe ad efficiendum ut ſibi de fratre ſuo detrahenti plena fides habeatur; ergo.

Dixi, *ſi ſit aſſertorium rei mortaliter malæ*: ſi enim aſſerat quis rem levem, non peccat mortaliter; utpote qui nec Deo nec proximo gravem inferat injuriam: imò non peccaret, qui juſtâ de causâ confirmaret Juramento hoc vel illud crimen à proximo peractum fuiſſe.

CONCLUSIO. TERTIA.

Juramentum aſſertorium cui deeſt veritas, id eſt perjurium propriè ſumptum, ſemper & in omni materiâ eſt peccatum mortale, niſi excuſet inadvertentia. Concluſio ab omnibus admittitur, eſtque ſingulari annotatione digna, quia nihil perjurio frequentius eſt, præſertim in commercio.

Probatur autem 1. ex S. Auguſtino Serm. 180. alias 28. de verb. Apoſt. *Perjurium*, inquit, *peccatum eſſe & grande peccatum nemo dubitat. ...tantum mali habet juratio, ut qui lapides colunt, timeant falſum jurare per lapides. Tu non times Deum præſentem, Deum viventem, Deum ſcientem, Deum in contemptorem vindicantem? .... Videtis quàm iſta deteſtanda ſit bellua & de rebus humanis exterminanda? Quis enim hoc fieri velit? omnes homines talia deteſtantur.* Certè colores quibus perjurium hic delineat Auguſtinus, grave & graviſſimum in eo eſſe peccatum manifeſtè demonſtrant.

Prob. 2. Ex graviſſimis quæ in perjuros ſancitæ ſunt pœnis, de quibus ſtatim; eæ enim graviſſimam eſſe perjurii culpam ſupponunt.

Prob. 3. Si perjurium eſſet aliquando peccatum ſimpliciter veniale, maximè cùm eſt in materia levi: atqui tunc etiam mortale eſt. Quod enim ex genere ſuo veniale eſt, aut etiam bonum, illud ſi in Dei contemptum fiat, eſt peccatum mortale: *unde multo magis quidquid eſt quod de ſui ratione pertinet ad contemptum Dei, eſt peccatum mortale.* Atqui *perjurium de ſui ratione importat contemptum Dei*; quia *per hoc datur intelligere, vel quòd Deus veritatem non cognoſcat, vel quòd falſitatem teſtari velit.* Ergo *ille* etiam *qui jocose perjurat, non evitat divinam irreverentiam, ſed quantùm ad aliquid magis auget*; quatenus abſque ulla causâ nomen Dei prophanat, *& ideo non excuſatur a peccato mortali.* Ita ſanctus Thom. q. 98. a. 2. & 3.

Prob. 4. ex cenſurâ hujuſce propoſitionis quam perſtrinxit Innocent. XI. *Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit aut poſſit damnare hominem.*

Dixi, *niſi excuſet inadvertentia*, quæ ſicut alia peccata, ſic perjurii peccatum notabiliter minuere poteſt, & intra venialis culpæ limites coërcere. Quotuplex autem ſit inadvertentia, quæ, & quando à peccato vel toto, vel tanto excuſet, diximus paulò ante. Aptiora verò remedia quibus fieri poteſt ut quis ad Juramenta ſua advertat, & deponat inveteratam jurandi conſuetudinem, ſunt ex parte jurantis, frequens confeſſio, eleemoſyna, oratio brevis pro ſingulis juramentis quæ temerè prolata fuerint. Ex parte Confeſſarii prudens abſolutionis dilatio &c.

Quæres quibus ſubjaceant pœnis perjuri.

Reſp. Has ſtatui in Jure Canonico. 1. qui pejeravit, aut alios ſciens in perjurium duxit, *quadraginta dies* pœnitere debet *in pane & aqua, & ſeptem ſequentes annos, & nunquam eſſe ſine pœnitentiâ.* Ita habetur 22. q. 5. c. 4. & præcedentibus. 2. perjurus debet Beneficio quod jam habet privari, & ab Eccleſiis excludi, ſeu nullum deinceps Beneficium recipere, & ad illud inhabilis judicari. Ita habetur cap. 10. & 11. *De jurejur.* Hæc capita ſunt de perjurio promiſſorio, & pœna in iis contenta non incurritur ante Judicis ſententiam, ut poſt Gloſſam docent Theologi. 3. perjurus nequidem poſt peractam pœnitentiam admittitur ad ferendum teſtimonium, licet admitti poſſit qui in alia ceeidit crimina, ſi de iis pœnitentiam egerit cap. 54. *De teſtibus & atteſtat.* 4. perjurus incurrit infamiam, ſi crimen ejus ſit notorium; debet autem notorium eſſe notorietate juris, ut producat irregularitatem & inhabilitatem ad Beneficia: cæterùm ſola notorietas facti, magnam apud probos omnes parit infamiam, quæ ſufficit ut quis à dignitatibus excludatur, ut poſt Autumnum notat Ferterius verbo *Perjare.* Plura videris apud Suarem Lib. 3. cap. 20.

CONCLUSIO QUARTA.

Perjurium promiſſorium eſt communiter loquendo, peccatum mortale.

Nota tribus modis peccari adversùs Juramentum promiſſorium. 1. ſi abſit intentio jurandi, etiamſi exteriùs profetatur Juramentum. 2. ſi jurans non habeat actu intentionem implendi id quod promittit. 3. ſi intentionem quidem hanc habear de facto, ſed eam poſtea adimplere nolit, mutatâ ſcilicet priori voluntate. Nunc Concluſio quoad omnes ſuas partes probaoda incumbit, unde

Probatur prima pars, Ibi eſt grave peccatum, ubi gravis eſt contra Deum irreverentia: atqui grave eſt peccatum quòd quis Dei nomine utatur ad alios decipiendos, & Deum ſaltem exteriùs in mendacii teſtem adducat; ergo & ibidem grave eſt peccatum, Hinc patet quàm meritò Innocent. hanc reprobaverit propoſitionem, *Cùm cauſà licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.* Hæc reſponſio vera eſt, ſive Juramentum legitimè poſtuletur, ſive non: quia ſemper verum eſt quod Deus exteriùs vocetur in teſtem falſi &c.

Sed peccaret-ne mortaliter qui non haberet intentionem jurandi, haberet tamen intentionem implendi id quod ſpecietenus videtur jurare?

Reſp. 1. Eum mortaliter peccaturum eſſe, ſi ita ſe gerat coram Judice qui legitimè exigat juramentum. Ratio eſt, quia in re gravi Inobediens eſt Poteſtati à Deo conſtitutæ; unde juſtitiam ſimul & religionem lædit.

Reſp. 2. Non convenire Theologos, an Ille à quo illegitimè exigitur Juramentum, ſive à Judice, ſive à privato, & qui ſine intentione jurandi, verum aſſerit per verba juramenti, peccet mortaliter, an non. Negant aliqui, quia tunc nec Deo, nec proximo gravis infertur injuria: non proximo, cùm is injuſtè Juramentum exigat; non etiam Deo, utpote qui nec interiùs nec exteriùs adducatur in teſtem falſi. Ita ſentiunt Sotus, Suares &c. Alii hic agnoſcunt peccatum mortale; quia tunc occurrit quædam divini nominis illuſio, quæ videtur cum gravi peccatu conjuncta. Difficultatis hujus ſolutio fortè repetenda eſt à motivo quod quis haberet jurandi ſine intentione: ſi enim quis ita ſe gereret, quia non auderet id homini denegare; & aliunde ob aliquem Dei metum, non auderet verum edere Juramentum, quod meticuloſis quibuſdam contingere poteſt, haud facilè ſuſpicarer id eſſe mortale peccatum. Cæterùm eſſet ſemper quædam mendacii ratio; quia qui diceret, *Juro*, reipſa non juraret.

Probatur ſecunda pars, eum nempe qui jurat, nec habet intentionem implendi id quod jurat, mortaliter peccare. Peccat mortaliter qui strictè perjurus eſt, & Deum vocat in teſtem mendacii: ſed qui jurat ſine intentione id quod juravit adimplendi, strictè perjurus eſt &c. atque id verum eſt non ſolùm ſi materia gravis ſit, ſed etiamſi levis fuerit ut patet ex dictis de perjurio aſſertorio.

Probatur tertia pars, cum ſcilicet mortaliter peccare qui id non implet quod interpoſito Juramento promiſit, ſive illud ſit magni momenti, quo ſenſu pars hæc Concluſionis ab omnibus admittitur; ſive ſit minimi momenti, quo ſenſu negtaur à multis, ut à Navarro, Soto, Suare &c. Probatur, inquam, 1. quia ex dictis, mortaliter peccat, qui quantum in ſe eſt Deum facit authorem falſi, ſive eum faciat authorem ſeu teſtem falſi circa materiam gravem, ſive circa levem: ſed qui non implet Juramentum promiſſorium de re licitâ, quantulacunque ea ſit, facit quantum in ſe eſt Deum teſtem falſi. Sicut enim Deus efficitur teſtis falſi, quando ſub ejus teſtimonio aſſeritur ut actu exiſtens id quod non eſt actu; ita efficitur teſtis falſi, quando non impletur id quod ſub ejus teſtimonio affirmatum fuit eſſe aliquando implendum; quia Deus quantùm fuit in voluntate jurantis, jam teſtatus eſt hoc eſſe ſuo tempore implendum. Ergo ſicut qui jurando aſſerit id eſſe actu quod actu non eſt, peccat mortaliter, etiamſi materia levis ſit; ita à pari peccat mortaliter, qui non implet id quod quantum in ſe fuit, Deus ab ipſo eſſe implendum teſtatus eſt,

Prob. 2. Tunc ſolùm levitas materiæ efficit ut peccatum leve ſit, quando materia ipſa eſt per ſe & immediatè objectum peccati; ſic ideo levis intemperantia in cibo vel potu, eſt leve peccatum, quia cibus & potus ſunt immediata temperantiæ materia, quæ ſi leviter deſtruuntur, nonniſi leviter læditur temperantia; atqui materia promiſſionis non eſt objectum actûs Juramenti, benè verò honor Dei qui ſervari debet; ergo gravitas vel levitas perjurii cujuſcunque, non eſt metienda ex quantitate materiæ quæ promiſſa eſt, ſed ex honore Dei qui læſus fuit; jam verò honor Dei qui ſic læditur, ut Deus fiat teſtis falſi, quantùm eſt in homine, non poteſt niſi graviſſimè lædi; ergo in omni perjurio promiſſorio, quantumvis ſit de re levi, non poteſt eſſe niſi grave peccatum. Ita ſentiunt Gabriel, Leſſius, Bonacina, Valentia, diſp. 6 q. 7. punct. 3.

Obj. 1. Ex S. Thomâ q. 89. a. 8. major eſt obligatio voti quàm Juramenti: atqui niſi Juramentum ſaltem in materiâ levi, ſine gravi peccato violari poſſet, major eſſet obligatio Juramenti, quàm voti, cùm voti obligatio nonnunquam ad veniale peccatum decreſcat, ob materiæ levitatem; ergo fieri etiam poteſt ut Juramentum ſub peccato ſolùm veniali obliget.

Reſp. diſt. maj. Major eſt obligatio voti extenſivè, quia in voti violatione ſemper occurrunt irreverentia, conc. major eſt intenſivè, nego: irreverentia enim perjurii gravior eſt in genere peccati, quàm irreverentia & infidelitas, quæ violationi voti connexæ ſunt; parum enim læditur Deus, ſi factum ei nullius momenti promiſſum non ſervetur: at verò quis eum leviter lædi dicat, ſi nomen ejus *ſanctum & terribile* ad mendacii etiam minimi confirmationem aſſumatur? Imò quò faciliùs erat promiſſum implere, & non mentiri, eò gravior eſt in Deum irreverentia, ut animadvertit ipſe S. Thom. q. 98. a. 8. ad 2.

Obj. 2. Juramentum de peccato veniali faciendo non eſt probabiliter peccatum mortale, ut diximus ſupra; ergo nec violatio Juramenti de re levis momenti faciendâ erit peccatum mortale; non enim major eſt in uno quàm in alio irreverentia.

Reſp. neg. conſeq. Qui enim jurat ſe facturum rem licitam etſi levem, Deum invocat non ſolùm ut oſtendat actuale quod habet propoſitum rei hujus faciendæ, ſed etiam ut ſe per authoritatem Dei quam interpoſuit, obliget ad hujus rei executionem ſi poſſibilis remaneat, & de facto interponitur divina authoritas: qui verò jurat ſe venialiter peccaturum, id unum vult ut actualem quàm habet peccandi voluntatem ſignificet, nec intendit ſe per authoritatem Dei obligare ad peccandum, nec reipsâ interponitur in promiſſione ejus divina authoritas, quia Juramentum, iniquitatis vinculum eſſe non poteſt; ergo probabile eſt eum non peccare mortaliter: quòd ſi intenderet ſe ad peccatum veniale obligare per nominis divini interpoſitionem,

rem , haud dubium eſt quin graviter delinque-ret.

Obj. 3. Quotidie contingit ut pater juret ſe fi-lium ſuum pœnâ aliquâ , v. g. flagris mulctaturum eſſe ; item ut ex duobus qui in ingreſſu domûs ho-nore ſe præveniunt , juret alter ſe non ingreſſurum priorem , qui tamen alterius importunitate victus prior ingreditur : atqui vix credi poteſt in his om-nibus eſſe perjurium mortale ; ergo materiæ levitas à perjurio mortali excuſat. Et verò quis aureos cen-tum debens , æſtimet ſe , etiam poſt Juramentum de ſolvendo, mortaliter peccare , ſi ſummam hanc uno aſſe minorem ſolvat ? Quis Magiſtratus, aut of-ficio publico donatus, ſalvus eſſe poterit, ſi ex innu-meris quæ præſtare tenetur juramentis , & ex qui-bus impoſſibile eſt ut leviora non excidant, nullum ſit quod venialiter violetur ?

Reſp. 1. Hominem non minùs damnari , quia damnatur cum multis ; nec minùs peccare , quia cum multis peccat. An ergo à peccato immunes erunt qui falſum jurant , eò quòd tot occurrant ho-die qui temerè vel falsò jurant ?

Reſp. 2. Eos qui juramenta ſua non implent ex-cuſari nonnunquam à peccato mortali, non propter materiæ levitatem , ſed quia Juramenta hæc vel ta-citam habent conditionem , cujus defectu neceſſe non eſt ut impleantur , vel fiunt in favorem ejus qui ea impleri non curat. Sic pater malum aliquod filio minitans, hanc cenſetur conditionem appone-re , niſi alioqui pax domûs turbetur , niſi ſe oppo-nant parentes , niſi ſuam amici authoritatem inter-ponant, tunc enim Juramenti executio eſſet utcun-que illicita. Sic qui jurat ſe non ingreſſurum prio-rem, ſubaudit id quod probi omnes ſubaudiunt, ni-ſi importuniorem me reddam ; pariter qui mini-mam ſummæ partem non ſolvit , ſæpe præſumere poteſt creditorem id non eſſe curaturum. Ita Ca-jetanus, Valentia, nec repugnat Habert, qui tamen meritò advertit tutius eſſe ſi quis vel non juret , vel ne minimam quidem hujus quod juravit partem omittat.

Quæres an liceat Juramentum petere ab eo qui pejeraturus eſt.

Reſp. 1. Eum graviter peccare qui ab alio petit ut pejeret ; quia alium inducit ad grave peccatum. Hinc Concilium Matiſcon. I. quod refertur 22 q. 5. cap. 7. ſic habet : *Si quis convictus fuerit alios ad falſa teſtimonia, vel perjuria attraxiſſe.... ipſe uſque ad exitum vitæ non communicet.* Reſponſio noſtra vera eſt , etiamſi jurans putaret ſe verum jurare ; quia qui eum ad pejerandum ſollicitaſſet, cauſa eſſet quòd Deus vocaretur in teſtem falſitatis , quod ſine gravi ſupremi Numinis injuriâ fieri non po-teſt.

Reſp. 2. Non eſſe peccatum ſi juramentum ab eo petas quem neſcis pejeraturum eſſe ; & multò minùs ſi probabiliter credas eum non eſſe pejera-turum. Ratio eſt, quia non debet malum de quo-piam præſumi ſine legitimâ cauſâ. Hinc tritum il-lud, Tamdiu quiſque præſumi debet eſſe bonus, do-nec conſtet eum eſſe malum. Peccaret tamen qui Juramentum ſine neceſſitate peteret , ſicut peccat qui jurat ſine neceſſitate.

Sed quid dicendum ſi is à quo Juramentum exi-gis, certò vel probabiliter credatur pejeraturus eſſe ; Ut ſolvatur quæſtio hæc .

Dico 1. Non poſſe ab eo Juramentum exigi pri-vatâ authoritate. Ita vulgò Theologi poſt S. Tho-mam hic q. 98. a. 4.

Prob. 1. ex S. Auguſtino qui refertur 22. q. 5. c. 5. *Scribite*, ait S. Doctor, *in cordibus veſtris quod dico, Ille qui hominem provocat ad jurationem, & ſcit eum falſum eſſe juraturum, vincit homicidam ; quia ho-micida corpus occiſurus eſt, ille animam.*

Prob. 2. Non licet ſine juſtâ cauſâ alicui offerre materiam de ſe quidem indifferentem , ſed ex quâ prævidetur eum peccandi occaſionem ſumpturum eſſe : ſed qui Juramentum exigit , aut recipit ab eo quem ſcit aut probabiliter judicat eſſe pejeraturum, offert ei peccandi materiam, ut ſatis patet ; eamque offert ſine cauſâ , cùm nihil inde ſit emolumenti percepturus , ut ſupponitur & evidens eſt. Si enim exigas ut debitor tuus juret & prævideas eum juraturum eſſe nihil ab eo tibi deberi , non magis debitum tuum recuperaturus es quàm ſi non juraſ-ſet ; ergo.

Porrò cenſetur quis ſcire alium eſſe pejeraturum, cùm vidit eum hoc vel illud facientem, quod tamen paratus eſt jurare, à ſe factum non fuiſſe. Item ſi certus ſit alium ſibi debere, & hujus debiti oblitum non eſſe, & tamen vult alter jurare ſe nihil debere, vel ſolviſſe quod debebat. Cenſetur verò opinari alium eſſe pejeraturum , ſi ſciat eum non multi fa-cere perjurium, alias pejeraſſe , largioris eſſe con-ſcientiæ. Ita Sylvius hic Concl. 2.

Dices 1. Non peccat qui malum permittit & non vult ; quique non dat alteri niſi ſcandalum merè paſſivum : atqui ſic ſe habet qui petit juramentum ab eo quem ſcit pejeraturum eſſe. Ille enim ma-lum merè permittit , qui id tantùm exigit quod alter licitè facere poteſt , & quod ab ipſo licitè fieri peroptat : ſed qui Juramentum petit à pejeraturo , id ſolùm petit quod alter licitè facere poteſt : ſicut qui mutuum petit ab uſurario , id poſtulat quod al-ter ſine uſurâ dare poteſt ; unde petendo non pec-cat, quia non tam dat occaſionem peccandi , quàm eam alter malitiâ ſuâ & depravatâ voluntate arri-piat ; ergo.

Reſp. Ad primum neg. min. Qui enim ab eo quem ſcit pejeraturum eſſe juramentum exigit, eſt eidem gravis tentatio, & occaſio proxima peccandi. Unde S. Aug. Serm. 28. nunc 180. de verb. Apoſt. *Ille* jurans, inquit, *ſuo perjurio ſe perimit : ſed iſte* ju-ramentum exigens, *manum interficientis & expreſ-ſit & preſſit* ; adeoque graviter peccat.

Ad ſecundum neg. maj. Charitas enim non per-mittit ut à proximo aliquid ſine cauſâ petatur, unde conſtituatur in eâ peccandi occaſione in quâ pru-denter judicatur futurum ut ſuccumbat : atqui per inutilem de quâ loquimur jurandi petitionem con-ſtituitur proximus in occaſione peccandi cui certiſ-ſimè ſuccumbet ; ergo.

Comparatio & paritas ex mutuo deſumpta no-bis favet ; ut enim pecunia mutuo accipi poteſt ab uſurario propter certas cauſas quibus ſublatis illici-tum foret eam petere & accipere ; ſic & juramen-tum, ut ſtatim dicemus , poſtulari licitè poſſet ab eo qui crederetur pejeraturus , ſi certa adeſſet il-lud exigendi neceſſitas. Nullam verò habet pri-vatus neceſſitatem petendi Juramentum à per-juro ; quia Juramentum non exigitur niſi ad fa-ciendam fidem, perjurium autem fidem facere non poteſt.

Dices 2. Tam licet Juramentum ab eo exigere quem probabiliter noſti pejeraturum , quàm liceat illud exigere ab eo quem probabiliter noſti per Idola juraturum : atqui poſterius licitum eſt , ut ſu-pra diximus ; ergo & prius licet.

Prob. maj. Ideo potes petere Juramentum ab eo quem noſti per Idola juraturum, quia poteſt ille hic & nunc non jurare per Idola , ſicut poteſt hic & nunc uſurarius gratis mutuo dare : atqui poteſt

pariter hic & nunc non pejerare ille quem credis pejeraturum, & longè difficilius eſt ad idololatra ſtatim convertatur, & per Deum verum juret, quàm ut perjurus abſtineat à pejerando; ergo.

Reſp. neg. utramque majorem. Non enim ideo præcisè licitum eſt petere juramentum ab eo qui per Idola juraturus eſt, quia poteſt is per ea non jurare, verum etiam quia ſumma hic eſt neceſſitas & utilitas, ut nimirum firma ſiot pacta, & ſecura Regnorum tranquillitas, quod efficere poteſt etiam Juramentum illius qui per Deos falſos jurat: atqui nulla eſt utilitas in perjurio quod exigeret privatus, ut probavimus & ſupponimus. Si quando enim neceſſitas aliqua foret, non negaremus Juramentum exigi poſſe ab eo qui pejeraturus eſt, ſicut ab eo exigi poteſt qui juraturus eſt per Idola; ergo.

Dices 3. Saltem non peccabit qui Juramentum petet ab eo qui jam ad pejerandum diſpoſitus eſt.

Reſp. Imprimis homines voluntatem falſum jurandi concipere non ſolent niſi dum actu urgentur ad jurandum; unde qui Juramentum exigunt ſunt ſæpe cauſa totius peccati quod alter admittit. Deinde qui petit Juramentum ab eo etiam qui paratus eſt ad jurandum, eſt ſaltem cauſa cur externo perjurii opere nomen Dei polluatur; ſicut ergo mortaliter peccat qui parato ad adulterium, adulterii exteriùs conſummandi materiam & occaſionem præbet, ita & in propoſito. Meritò igitur, ait S. Auguſtinus, *Nonne melius erat ut rem tuam quam exigebas, perderes; quam animam hominis iſtius falsa juratione perimeres?* & quidem utiliter, cùm ipſe pejeraturus ſit?

Serm. 11.

Dico 2. Cum S. Thomâ: *Si aliquis exigat juramentum tanquam perſona publica, ſecundùm quod exigit ordo juris ad petitionem alterius, non videtur eſſe in culpâ, ſi ipſe Juramentum exigat, ſive ſciat eum falſum jurare ſive verum; quia non videtur ille exigere, ſed ille ad cujus inſtantiam exigit*, & is quidem judicem cogendo ut Juramentum exigeret, peccatet mortaliter, ut doc. t Sylvius, ubi ſupra Concl. 3.

Dices: Ideo privatus non poteſt petere juramentum ab eo quem ſcit, aut probabiliter judicat pejeraturum eſſe, quia tale Juramentum, utpote perjurium, ad nihil inſervire poteſt: atqui non magis inſervire poteſt perjurium reſpectu Judicis, quàm reſpectu privati cujuslibet; ergo.

Reſp. neg. min. Judex enim oſtendere tenetur, ſe ſententiam non temerè & leviter, ſed ex legum præſcripto, & ſervato juris ordine tuliſſe, ad quod requiritur ut Juramentum exigat, cùm adverſa pars id juridicè petit; ergo legitimam habet exigendi Juramenti cauſam, quam non habet homo privatus. Debet tamen Judex ſeriò admonere juraturum, ne pejeret, actoremque urgere ut Juramentum remittat, ſi videat eum eſſe certum de futuro alterius perjurio; debet inſuper teſtes ad pejerandum diſpoſitos à teſtimonio quantùm poterit repellere, ſicut fecit Daniel in causâ Suſannæ.

Sed peccabit-ne Judex ſi exigat Juramentum ad inſtantiam alterius quem videt de futuro jurantis perjurio certum eſſe?

Reſp. Vel ipſe Judex eſt etiam de perjurio hoc moraliter certus, vel non: ſi non ſit certus, non peccabit exigendo Juramentum; ſi verò certus ſit, docent Sylvius, Henricus à S. Ignatio Tom. 2. p. 112. eum peccare, quia non poteſt Judex acquieſcere petitioni, quam novit eſſe injuſtam & divinæ majeſtati injurioſam.

Hæc reſponſio non videtur facilè poſſe conciliari cum citatis S. Thomæ verbis. Nam docet S. Doctor poſſe Judicem exigere Juramentum ab altero, *ſive ſciat eum falſum* juraturum, ſive neſciat: docet inſuper in hac hypotheſi non peccare Judicem, ſed eum *ad cujus inſtantiam* exigitur Juramentum ergo ſupponit utrique conſtare de futuro alterius perjurio. Quidquid ſit, rarò contingere poteſt ut *exigat ordo juris* Judicem cogi ad petendum Juramentum ab eo quem tum ipſe, tum actor pejeraturum eſſe præſcirent.

Hic duo notanda. 1. non eſſe licitum Judici in ullâ causâ Juramentum exigere ab utraque parte: hæc enim conſuetudo *impia eſt, Deo inimica, & Chriſtianæ Religioni omnis contraria*, quia *ſine dubio ex duobus contra ſe jurantibus, unus perjurus efficitur.* Ita Concilium Valentin. III.

2. Aliquos eſſe caſus in quibus poſſit etiam privatus Juramentum ab eo exigere quem ſcit pejeraturum; ut cùm id gravis exigit neceſſitas: putà ſi in aliquo contractu exactio Juramenti neceſſaria ſit vel utilis, ut reſiliens poſſit per Judicem cogi ad implendū id quod promiſit; ſi verò nulla ſimilis cauſa ſubſit, non eſt exponendus cuipiam periculo perjurii. Hinc meritò ſtatutum eſt c. 3. *De cohabitatione Clericorum & mulierum*, ne Epiſcopi à Clericis exigant Juramentum de dimittendis concubinis, cùm vehemens præſumptio ſit quod non ſtabunt Juramento: unde improbanda eſt agendi ratio Confeſſariorum, qui compellunt pœnitentes ad jurandum futurum ut ab iis abſtineant delictis in quæ facilè labuntur. Ita Sylveſter verbo *Juramentum*. Navarrus cap. 12. n. 12. & alii.

ARTICULUS V.

De Juramento cum amphibologiâ, & reſtrictione.

AMphibologia ſeu æquivocatio, eſt ſermo ambiguus, ſive eſt locutio habens ſenſum duplicem, v. g. Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe.

Reſtrictio tacita ſeu mentalis, eſt mentis conceptus, quo verba exteriùs prolata ad alium quàm quem præ ſe ferunt ſenſum, ab ipſo loquente reſtringuntur: ut ſi quis ei qui mutuum petit reſpondeat exteriùs, *Non habeo pecuniam*, ſubaudiendo interiùs, *quam tibi dare velim.*

Reſtrictio mentalis duplex diſtinguitur: altera ſtrictè, altera latè mentalis vocatur. Prima reſidet in ſolâ mente, nec ullatenùs verbis, ſignis, aut aliis circumſtantiis exteriùs manifeſtatur. Secunda, vel ex modo loquendi, vel ex circumſtantiis, vel ex conſuetudine deprehendi poteſt & percipi ab audiente.

Fatentur nunc omnes, nunquam licitum eſſe ſine juſtâ causâ uti reſtrictione etiam latè mentali, nec à fortiori cum Juramento. Ratio eſt, quia id nocet humanæ ſocietati, & fini ad quem verborum ſignificatio & ipſa locutio fuit inſtituta; quandoquidem ſoleant homines verba ut ſonant accipere ubi non adeſt cauſa aliter accipiendi. Hinc S. Gregorius Lib. 25. Moral. cap. 7. *Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba penſantur ex corde.* Hæc ex Patre Henno, ut cuique tribuamus quod ſuum eſt. Nunc ſit

CONCLUSIO.

Uſus *reſtrictionum purè mentalium* ſemper eſt illicitus, ſive in judicio, ſive extra; & qui iis utitur cum Juramento, perjurii reus eſt. Idem dicendum de Juramento cum amphibologiâ. Æthica amoris p. 122.

Prob. 1. Ex Script. Pſalm. 14. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? ... qui loquitur veritatem*

tem in corde ſuo;.. qui jurat proximo & non decipit. Pſalm. 23. *Quis aſcendet in montem Domini ? ...* qui non *juravit in dolo proximo ſuo.* Sed qui jurat cum amphibologiâ & reſtrictione, proximum decipit,& jurat in dolo ; ergo perjurus eſt, *cùm perjurium ſit nequiter decipere credentem.* Ex Can. 1. cauſæ 22. q. 2.

Et verò *qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt,* Eccli. 38. ergo multò magis qui ſophiſticam locutionem, id eſt ad decipiendum compoſitam, Juramento confirmat.

Prob. 2. Ex Patribus. Tertull. Lib. 4. contra Marcionem cap. 38. *Juſta,* inquit, *& digna præſcriptio eſt, in omni quæſtione ad propoſitum interrogationis pertinere debere ſenſum reſponſionis ; cæterùm aliud conſulenti, aliud reſpondere dementis eſt.* Sed qui æquivocatione & reſtrictionibus utitur, non reſpondet ad ſenſum interrogationis, ſed aliud interrogatur, aliud reſpondet ; ergo.

Auguſtinus Epiſt. 125. aliàs 224. *Perjuri ſunt, qui ſervatis verbis expectationem eorum, quibus jurandum eſt, deceperint* : atqui expectationem hanc decipiunt, qui ita ambiguè jurant, ut aliud ſentiant, aliud ab aliis intelligi velint.

Idem S. Doctor Lib. contra mendacium c. 18. hunc ſibi caſum proponit : *Ecce gravi morbo periclitatur ægrotus, cujus jam vires ferre non poſſint, ſi ei mortuus unicus & chariſſimus filius nuncietur ; à te quærit an vivat, quem vitam finiſſe tu noſti. Quid reſpondebis ? quando quidquid aliud dixeris, præter unum de tribus, aut mortuus eſt, aut vivit, aut neſcio, nihil aliud credit ille quam mortuum....* Ex illis autem tribus *duo falſa ſunt, vivit, & neſcio, nec abs te dici poſſunt niſi mentiendo. Illud autem unum verum, id eſt mortuum eſſe ſi dixeris, & perturbati hominis mors fuerit ſubſecuta, abs te occiſus eſſe clamabitur.* Atqui ſi Auguſtinus licitum credidiſſet reſtrictionis mentalis uſum, ſaltem in caſu tam perplexo, in quo agitur de impediendâ hominis morte, non dixiſſet, ex tribus illis duo eſſe falſa, *vivit* & *neſcio*, nec dici poſſe niſi mentiendo : jam enim falſa non eſſent, nec mendacia, ſi ſine mendacio & falſitate dici poſſent cum reſtrictione mentali ; verè enim diceretur moribundo patri, *vivit* filius tuus, intelligendo *ſecundum animam*, verè diceretur, *neſcio*, ſubaudiendo, *ut tibi dicam* : ſicut juxta Sanchem Lib. 3. in Decalog. cap. 6. nu. 24. & alios quoſdam, *teſtis non juridice interrogatus ſuper crimine commiſſo in oculis ipſius, poteſt verè jurare ſe neſcire,* ſubintelligendo *ut tibi dicam &c.* Hanc ergo æquivocationum ſubtilitatem neſciebat Auguſtinus, cujus reſponſio ad propoſitum caſum tota hæc eſt : *Non me movet... quod, nobis mentiri nolentibus, & hominibus verò audito morientibus, homicida dicitur veritas.*

Prob. 3. Ex cenſurâ adversùs ſequentes propoſitiones latâ ab Innocentio XI. an. 1679. & Clero Gallicano an. 1700. Prima quæ eſt inter damnatas 26. ſic habet : *Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis causâ, ſive quocunque alio fine, juret ſe non feciſſe aliquid quod reverà fecit, intelligendo intra ſe aliquid quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec eſt perjurus.* Secunda quæ eſt num. 27. inter proſcriptas, ſic exprimitur : *Cauſa juſta utendi his amphibologiis, eſt quoties id neceſſarium eſt aut utile ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium actum virtutis &c.* Tertia quæ eſt num. 28. ſic habet : *Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis in ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis.* Prædictæ verò propoſitiones ſunt juxta Clerum Gallicanum, *temeraria, ſcandaloſa, pernicioſa, erronea ; mendaciis, fraudibus, & perjuriis viam aperiunt, & ſacris Scripturis adverſantur.*

Hanc quoque Sanderi propoſitionem, *Patriarchæ & Prophetæ, Angeli, ipſe Chriſtus, amphibologiis & reſtrictionibus mentalibus uſi ſunt,* hac feriit cenſurâ Conventus Cleri Gallicani an. 1700. *Hæc propoſitio ſcandaloſa eſt, temeraria ; myſticè, propheticè, parabolicè dicta, vel tacita, cum vulgaribus geſtis confundit, SS. Patrum acta ludibrio vertit, ipſis etiam Angelis injurioſa, erga Chriſtum contumelioſa & impia.*

Prob. 4. ratione. Mendacium nullo in caſu licitum eſſe poteſt : atqui reſtrictiones purè mentales vera ſunt mendacia. Nam ex S. Auguſtino Lib. *De mend.* cap. 3. *Ille mentitur qui aliud habet in animo, & aliud verbis*, vel quibuslibet ſignificationibus enuntiat : ſed qui reſtrictionibus mentalibus utitur, aliud habet in animo &c. imò non utitur reſtrictionibus, niſi ut alter aliud concipiat, quàm ipſemet concipit.

Confirmatur 1. quia reſtrictio purè mentalis, externum ſermonem non corrigit ; ergo efficere non poteſt, ut qui loquitur non ſit mendax reſpectu illius qui audit.

Confirmatur 2. quia uſus hujuſmodi reſtrictionum non minùs ſocietati, & vocum inſtitutioni adverſatur, quàm ipſummet mendacium. An non enim æquè me fallit qui dicit, *Non habeo pecuniam,* ſubintelligens, *tibi dandam*, quàm qui rotundè & palam dicit, *Non habeo pecuniam*. Ergo &c.

Objiciunt 1. multos Scripturæ textus, qui certè plurimum habent difficultatis. Illud itaque, inquiunt, licitum eſt, quo uſi ſunt viri admodum ſancti, Deo non redarguente ; quodque uſurpatum eſt ab ipſo Chriſto, *qui peccatum non fecit* : atqui æquivocationibus, amphibologiis, reſtrictionibus purè mentalibus, Deo non improbante uſi ſunt viri ſanctiſſimi ; imò & ipſe Chriſtus. Prob. minor. 1. Geneſ. 12. v. 11. *Cùm* Abraham *prope eſſet ut ingrederetur Ægyptum, dixit Saraï uxori ſuæ : Novi quod pulchra ſis mulier, & quod cùm viderint te Ægyptii, dicturi ſunt : uxor ipſius eſt, & interficient me, & te reſervabunt. Dic ergo, obſecro te, quòd ſoror mea ſis, ut benè ſit mihi propter te &c.* Idem fecit Iſaac Geneſ. 26. *cùm* enim ab Ægyptiis *interrogaretur ... ſuper uxore ſua reſpondit, ſoror mea eſt. Timuerat enim confiteri quod ſibi eſſet ſociata conjugio, reputans ne fortè interficerent eum.* Atqui hic Abraham & Iſaac in ambiguo & æquivocatione nominis *ſororis* ludunt : ea enim propoſitio æquivoca dicitur, quæ plures habet ſenſus, & prævidetur alio eſſe intelligenda ſenſu ab iis qui eam audiunt, quàm quo intelligitur à proferente. Porrò Abraham prævidebat quod reipsâ evenit, futurum ſcilicet ut ſua hæc verba, *ſoror mea eſt*, alio ab Ægyptiis ſenſu intelligerentur, quàm quo ab ipſomet proferebantur ; nec prævidebat modò, ſed & id optabat & intendebat, ne ſcilicet ab Ægyptiis interficeretur. Neque tamen hanc ſervi ſui agendi rationem improbavit Deus, cui èrcontra largè benedixit, ut hinc patet quod ſtatim *flagellavit Pharaonem plagis maximis, & domum ejus, propter Saraï* quam tulerat : unde S. Auguſtinus Lib. 22. contra Fauſtum c. 33. negat Abraham hic mentitum eſſe. Ergo.

2. Geneſ. 27. Jacob matris conſilium ſecutus, ut benedictionem Eſau acciperet, interrogatus à

parte

patre : *Quis es tu, fili mi ? dixit, Ego ſum primogenitus tuus Eſau : feci ſicut præcepiſti mihi : ſurge, ſede, & comede de venatione meâ &c.* Atqui hæc nonniſi æquivocationis & reſtrictionis mentali ope, à mendacio excuſari poſſunt : Jacob enim non erat Eſau primogenitus Iſaac, nec fecerat quod ſibi à patre præceptum fuerat, nihil enim ei ab Iſaac imperatú fuerat, nec ullam attulerat venationem; ergo.

Reſpondet quidem Nat. Alexander Diſſert. 41. ad Sæc. VI. Jacob non eſſe mentitum. 1. cum ſe primogenitum dixit, quia primogenitus erat, ſi jus ſpectetur, non autem ſi perſona. 2. quando ait, *Feci ſicut præcepiſti mihi*, quia ſecutus erat primariam intentionem Iſaaci, quæ erat ut verus ejus primogenitus nempè Jacob ſupremam mereretur benedictionem, licet ſecutus non eſſet ſecundariam ejus intentionem, quæ erat ut ea benedictio caderet in Eſau. 3. nec quando dixit, *Comede de venatione meâ*, quæ hædos quos patri offerebat, in ſtabulo conquiſierat & elegerat; & venationis nomine cibum à ſe apprehenſum, & à matre paratum intelligebat.

At ita reſpondere quid aliud eſt quàm æquivocationes unâ eâdemque manu deſtruere & adſtruere ? Quid enim concipere poterat Jacob, niſi eum qui loquebatur eſſe ipſummet Eſau, qui egreſſus & venatus, de venatione ſuâ offerebat patri ? Quid verò inſulſum magis quàm dicere Jacob candidè & ſincerè locutum eſſe, & reipsâ venatum iviſſe, quia in ſtabulum ingreſſus erat ut hædos eligeret ? &c. Hujuſmodi locutio ſi nihil habeat mali, & non æquivoca dicatur, non erraverunt æquivocationum defenſores, niſi quia id æquivocum eſſe ſenſerunt, quod æquivocum non eſſe contendunt eorum adverſarii.

3. Idem exemplum ſæpiùs à Chriſto datum eſt, Marci 13. interrogatus à Diſcipulis Chriſtus de die Judicii, reſpondet v. 32. *De die illo, vel horâ nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater.* Hæc autem Chriſti propoſitio vera non eſt niſi cum reſtrictione mentali, ita ut filius hominis neſciat Judicii diem, *ad prodendum*, id eſt aliis manifeſtandum, ut ipſemet interpretatur S. Auguſtinus : porrò ſi Chriſtus dicere potuerit ſimpliciter ſe neſcire Judicii diem, quia eum non ſciebat ad prodendum; quidni interrogatus homo à ſicario qui patrem ejus ad mortem quærit, reſpondere poſſit, ſe neſcire ubi ſit, ſubaudiendo, *ad manifeſtandum* ?

Joan. 7. v. 8. *Vos*, ait Chriſtus ad fratres ſuos, *aſcendite ad diem feſtum hunc, ego autem non aſcendo* : ubi ſubauditur *vobiſcum*, vel *manifeſtè*. Poſtquam enim *aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum non manifeſtè, ſed quaſi in occulto*, ut ibidem narrat S. Joannes.

Joan. 11. v. eodem dixit Jeſus: *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado ut à ſomno excitem eum.* Atqui hæc propoſitio æquivoca eſt, & ſciebat Chriſtus eam aliter à Diſcipulis ſuis intelligendam eſſe, ac ipſe intelligeret. Dixerat Jeſus de morte ejus ; illi autem putaverunt quia de dormitione ſomni diceret.

Joan. 2. v. 20. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Atqui vox hæc templum, in ſignificatione obviâ tam ad minùs ſignificabat Templum Hieroſolymitanum, quo ſenſo eam accepere Judæi, quàm ipſum Chriſti corpus; ergo.

Reſp. Ex facto Abrahæ, & Iacob, nihil firmi concludi poſſe, quia certum non eſt eos non peccaſſe, & ab omni etiam veniali mendacio immunes remanſiſſe. Non deſunt quidem Patres, ut Auguſtinus, qui hos Patriarchas nihil admiſiſſe mali contendant ; ſed neque etiam deſunt, qui eos plùs aut minùs deliquiſſe putent. Sic Abrahæ agendi rationem improbant Origenes Homil. 6. in Geneſ. S. Chryſoſtom. Homil. 32. in Geneſ. & ſanctus Ambroſius Lib. 1. de Abraham cap. 2. & Iacob reipsâ mentitum eſſe cenſent multi ſive veteres, ſive recentiores; atque id ſatis clarè indicavit Iſaac his ad Eſau verbis, *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.* Vide Bonfrerium, & Calmet, qui idem ſentiunt. Et certè factum Iacob ne ipſis quidem adverſariis inſervire poteſt ; quia ſi ſecundùm verborum corticem intelligatur, patrem decipere voluit, quòd ipſi illicitum fatentur.

Reſpondent alii ex rebus adeo ſublimibus & Propheticè geſtis nihil colligi poſſe in gratiam eorum quæ in uſu quotidiano & commercio civili contingere ſolent. Ita ſentire videbatur Clerus Gallicanus an. 1700. cùm ajebat, *myſticè, propheticè, parabolicè, ſive œconomicè ad inſinuandam altiùs veritatem dicta vel tacita, cum vulgaribus geſtis non eſſe confundenda.*

Quod ſpectat ad textus ex Evangelio deſumptos nego ex iis quidquam colligi poſſe quòd amphibologiis, aut reſtrictionibus mentalibus faveat. Quod dicit Marcus Chriſtum neſcire Judicii diem, intelligunt aliqui de Chriſto ſecundùm humanitatem ut à divinitate præciſam ſpectato. Ita Leontius Lib. De Sectis. Hanc opinionem tenet Grotius, & alii ſimiles quos confutat Tournely Tract. *De Incarn.* pag. 690. & ſeq. Sed dicendum cum agmine Patrum & S. Auguſt. Chriſtum neſcire diem Judicii, quia non expediebat ut eam Diſcipulis ſuis manifeſtaret. In hoc autem ne umbra quidem erat reſtrictionis mentalis, quia horumce verborum ſenſum ſtatim intelligere debuerunt Apoſtoli, utpote quibus perſpectum eſſet nihil eſſe quod Chriſtum lateret ; quemadmodum cùm dixit Deus ad Abraham Geneſ. 22. v. 12. *Nunc cognovi quòd times Deum*, ſtatim ſentire debuit ille Patriarcha, non tunc tantum, ſed ſemper Deo notum fuiſſe amorem quo ipſum proſequebatur.

Ad id quod objicitur ex Ioan. 7. Primò aliud eſt dicere, *non aſcendo*; aliud, *non aſcendam.* Primum dixit Chriſtus, qui reipsâ non aſcendit cum fratribus ſuis, imò nec fortè aſcendit ad primos feſti dies, ut colligitur ex v. 11. & 14. at ſecundum non dixit. 2. Græci codice penè omnes legunt, *nondum aſcendo*, Arabicus legit, *nunc non aſcendo*; codex Donatiani, item codex Conſtantienſis, ac vetuſtum Exemplar Lovanienſe, legebant, *ego enim nondum aſcendam*, ut notat Eraſmus: inde verò quid contra nos ?

Nihilo validius eſt argumentum quod deſumitur ex Ioan. 2. Chriſtus enim dicendo, *templum hoc*, corpus ſuum aliquo ſigno, ut manu ad pectus admotâ demonſtrabat, ut notant Cornelius à Lapide, Toletus, Ludovicus Cappellus, & alii.

Quod ſpectat ad verba Chriſti de Lazaro, 1. nihil à conſueto & familiari Iudæis ſermone receſſit Chriſtus, quia Hebræi mortem dormitionis & ſomni nomine exprimere ſolebant ; hinc illud toties repetitum in Scripturis, *Dormivit cum patribus ſuis &c.* idque facilè intelligere debebant Apoſtoli, qui Chriſtum audierant ſomni vocabulo uti ad ſignificandam mortem, Matth. 9. 2. uſque adeo clara erant Chriſti verba, ut mirum ſit hic aberraſſe Diſcipulos : an enim probabile videri poterat Chriſtum confecturum eſſe longum & periculoſum iter, ut hominem à communi ſomno excitaret ? 3. ſtatim ut ſenſit Chriſtus verba ſua non intelligi ab Apoſtolis eo quo dicebat ſenſu, mentem

ſuam

ſuam aperuit : *Tunc ergo dixit eis Jeſus manifeſtè , Lazarus mortuus eſt.* Ita ſe gerant adverſarii , & eas tantum permittant æquivocationes quæ ſtatim explicentur, difficultas præſens multùm imminuetur. Nec refert quòd Chriſtus antequam ita obſcurè loqueretur, ſciebat verba ſua , alio quàm intenderet ſenſu, ab Apoſtolis intelligenda eſſe : multa enim dixit Chriſtus , quæ malè vel minùs benè interpretanda eſſe noverat , à quibus tamen propter audientium malitiam vel tarditatem abſtinere non debuit, quia ſi non audientibus, ſaltem aliis profutura erant.

Obj. 2 Doctrina quæ reſtrictiones mentales prohibet , innumera invehit incommoda. Nam v. g. ex eâ ſequitur 1. Confeſſarium interrogatum de crimine , quod in confeſſione audivit, peccare ſi reſpondeat ſe nihil de hac re audiviſſe. 2. peccare fœminam nobilem , quæ cum extraneas à quibus viſitatur perſonas recipere non poteſt, præcipit famulis ut dicant eam exiiſſe domo, ſubintelligendo, *manè*, vel *heri*. 3. innocentem, qui morte damnandus eſt, non poſſe negare ſe fuiſſe in tali loco , ubi erat cadaver, tali noctis horâ , ſubaudiendo ſe hic non fuiſſe ut occideret. Idem dicendum de eo à quo repetitur certa ſumma quam ſolvit, quique ad hanc iterum ſolvendam damnabitur, niſi æquivocationis ope elabatur, puta dicendo ſe mutuum non accepiſſe, intelligendo , ſe non accepiſſe ad mentem Judicis qui non interrogat de mutuo ſimpliciter, ſed de mutuo quod adhuc reſtituendum ſit.

Reſp. Doctrinam quæ mendacia officioſa prohibet, magis quoque incommodis obviam eſſe , nec ideo tamen admitti debere. Quod ſpectat ad incommoda in objectione recenſita ,

Dico 1. Confeſſarius vel interrogatur ab homine, qui confeſſionis ſigillum tangere nolit , vel ab homine qui ita impius ſit , ut de iis etiam interroget quæ in confeſſione audiri potuerint. Si primum, quod quidem inter Catholicos ſupponi debet , negare poteſt & debet Confeſſarius ſe quidquam de tali crimine audiviſſe , neque id negando mentietur ; quia neque interrogatio, neque reſponſio attingunt res, quæ ex ſolâ confeſſione cognoſcuntur. Si ſecundum , Confeſſarius hoc unum reſpondere debet , nimirum impiam eſſe hanc interrogationem, ſeque nihil reſpondere poſſe, ſive pœnitens crimen de quo agitur fecerit , ſive non : & reipsâ etiamſi pœnitens tale crimen confeſſus non eſſet , non poſſet Confeſſarius ejus innocentiam vindicare. 1. quia ſic conſentiret impiæ interrogationi. 2. quia exponeret ſe periculo detegendi indirectè crimen alterius cujuslibet , circa quod pariter interrogatus an illud in confeſſione audierit , nec ne, non poſſet ſine mendacio , & ſi accederet Juramentum , ſine perjurio negare ſe crimen illud audiviſſe, ſi reipsâ ipſum audiviſſet.

Dico 2. nunc inter viros probos uſu communi & omnibus noto receptum eſſe, ut hæc verba , *dominus*, vel *domina domi non adſunt*, hoc ſolùm ſignificent eos actu videri non poſſe. Quòd ſi hoc receptum non eſſet, mentirentur tum domini , tum famuli, qui dominos adeſſe negant.

Dico 3. Hominem mori potiùs debere quàm mentiri ; mentiretur autem qui diceret ſe tali horâ , tali in loco non fuiſſe , quia uteretur reſtrictione purè mentali, quam Judex ex nullâ poteſt circumſtantiâ detegere. Ita P. Henno in hâc materiâ non ſtrictior. Idem, quidquid ſentiant nonnulli, dicendum de eo qui accepto mutuo , jurat ſe mutuum non accepiſſe, quia illud reddidit ; non enim interrogatur an reddiderit bene verò an acceperit Cùm autem negat ſimpliciter ſe recepiſſe , nulla eſt circumſtantia quæ reſtrictionem ejus aliqualiter Judici manifeſtet.

Quod ſpectat ad reſtrictiones quæ latè mentales dicuntur, negant Theologi etiam ſtrictiores, eas eſſe illicitas, quia nempè vel ex conſuetudine, vel modo loquendi , vel ex circumſtantiis obſervari poſſunt , unde non impediunt quominùs ſermo exterior, attentis omnibus circumſtantiis omnino verus ſit, & cum animo conſentiat. Ita Vanroy tom. 2. p. 312. Boudart. ad 2. Decalogi præceptum §. 28. ubi notat ex Aug. in Pſ. 5. *aliud* eſſe *mentiri, aliud verum occultare*. Et reipsâ, ut animadvertit S. Doctor Lib. contra mendacium c. 10. *Quamvis omnis qui mentitur, velit celare quod verum eſt , non tamen omnis qui vult quod verũ eſt celare, mentitur.* Hic tantùm cavendum eſt , ne in praxi nimia hujuſmodi reſtrictionibus detur extenſio, & ne latè mentales dicantur , quæ ſunt verè & ſtrictè mentales.

ARTICULUS VI.

De cauſis & effectibus juramenti, ac præſertim de ejus obligatione.

PAuca hic de Juramenti cauſis dicenda occurrunt. Certum eſt enim 1. cauſam finalem eſſe, tum Dei cultum, quia qui per Deum jurat, profitetur Dei teſtimonium omni teſtimonio majus eſſe ac potius , quod in Dei cultum & honorem vergit ; tum veritatis confirmationem, quia ex Hebr. 6. *Omnis controverſia* hominem *juramento finitur*.

Certum eſt 2. Juramenti cauſam efficientem eſſe, tum Deum, qui , *quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per ſemetipſum*, tum Heb. 6.
Chriſtum quem alii juraſſe putant , alii negant, ſed qui juxta omnes jurare potuit tum ut Deus , tum ut homo, qui Patrem in veritatis confirmationem appellare potuit. Idem dicendum de Angelis bonis ; & verò Angelus Apocal. 10. *Juravit per viventem in ſæcula.* Mali verò Angeli, etſi exteriùs jurare videantur ut homines decipiant , non jurant tamen reipsâ, quia Dei nomen non aſſumunt, niſi ad blaſphemandum.

Certum eſt 3. & id experientia docet , homines jurare poſſe. Athei tamen ſi qui ſint, & Pagani, ratione ſtatûs in quo ſunt , non jurant, quia veri Dei nomen invocare non poſſunt ; unde Pagani verè perjuri non ſunt , ſed tantum ratione conſcientiæ erroneæ.

Certum eſt denique, nec verba, nec alios ſpeciales ritus ad Juramentum requiri ex rei naturâ; quia hæc neque neceſſaria ſunt in ordine ad Deum qui mentium inſpector eſt ; neque in ordine ad hominem, cui ſufficiunt ſigna verbis æquivalentia. Certum eſt inſuper Juramenti materiam eſſe aliquid contingens, & non manifeſtum : ridiculum enim eſſet veritates neceſſarias per diſcurſum cognoſcibiles, per teſtes confirmare velle ; ſuperfluum verò foret , ea de quibus nemo dubitat , divini nominis invocatione atteſtari. Supereſt igitur ut dicamus de obligatione , præcipuo Juramenti effectu. Hic vero non agitur de Juramento aſſertorio , quod cùm ſit de præſenti ſolùm & præterito , non obligat , niſi ad dicendam veritatem ; ſed de promiſſorio circa quod multa proponi ſolent : ut 1. quanam ex virtute obliget. 2. in qua materia. 3. an etiam obliget cùm ſit ex metu , errore aut dolo. 4. an obliget eum qui juravit ſine intentione ſe obligandi, vel rem juratam exequendi. 5. demum an obligatio Juramenti ſit perſonalis , nec ne. Quæ antequam ſolvantur,

Notandum 1. Juramentum promiſſorium duplex

plex ſecerni, unum quod dicitur *confirmatorium*, ſeu *abſolutè & ſimpliciter promiſſorium*; alterum vero quod dicitur *per ſe ſtans*, ſeu *introductorium obligationis*, & aliquando *aſſertorium*. Primum ſupponit aliquam obligationem præviam, ut cùm quis Juramento confirmat ſe votum quod emiſit, adimpleturum eſſe; ſecundum nullam præviam ſupponit obligationem, ut cùm quis jurat ſe executurum id quod ſimpliciter propoſuit, aut id ad quod aliunde non tenetur, ut v. g. ſe ſoluturum uſuras, ſe pœnam quam alteri comminatus eſt, eidem illaturum eſſe.

Notandum 2. Materiam triplicem hic diſtingui: prima eſt mala, ſecunda bona eſt, tertia indifferens.

Notandum 3. Metum juſtè vel injuſtè incuti; errorem eſſe vel circa rei ſubſtantiam, vel circa accidentia; quæ omnia repetenda ſunt ex Tract. de Contract. pag. 459. & ſeq.

Notandum 4. Triplex in Juramento promiſſorio diſtinguitur intentio, prima eſt jurandi; ſecunda, ſe obligandi; tertia, exequendi. His præmiſſis ſit

CONCLUSIO PRIMA.

In Juramento per ſe ſtante unica ſolùm reperitur obligatio; in aliis verò duplex, aut triplex.

Probatur prima pars. In eo Juramento una tantum eſt obligatio, quod obligat ex virtute religionis, non ex alio capite: atqui tale eſt Juramentum per ſe ſtans, cùm nullam aliam præcedentem obligationem habere ſupponatur; ergo.

Probatur ſecunda pars ratione oppoſitâ. Juramentum confirmatorium obligat ex virtute religionis ad actum ad quem jam homo obligatus erat, vel ratione voti, vel ratione pacti & voti, ut ſi quis confirmet Juramento votum quod fecit de reddendâ eras pecuniâ quam debet Petro; ergo in hoc Juramento, vel potius in actu de quo juratum eſt, multiplex occurrit obligatio, ſcilicet una ex virtute juſtitiæ, duplex verò ex virtute religionis, ratione ſcilicet voti & Juramenti.

CONCLUSIO SECUNDA.

Juramentum de re bonâ obligat; ſecus ſi ſit de re malâ, vel indifferenti, niſi hæc vergat in commodum tertii. Ita vulgò Doctores.

Probatur prima pars. Quia Juramentum vel nunquam, vel ſaltem in materiâ bonâ obligat. Ergo.

Quæres an materia bona quæ jurata eſt, non poſſit in meliorem pro jurantis voluntate mutari.

Reſp. Cum Suare Lib. 2. cap. 12. vel Juramentum cadit in promiſſionem Deo factam, vel in promiſſionem factam homini. Si primum, materia hujus Juramenti mutari poteſt in meliorem; quia Juramentum cadens in promiſſionem Deo factam, ſeu votum, debet ſequi naturam voti: Juramentum enim ſequitur naturam contractûs cui jungitur, ex cap. 25. *De jurejurando*. Atqui votum mutari poteſt in quid melius, ut ex dicendis patebit; ergo & Juramentum. Ratio ulterior eſt, quia meritò præſumitur Deum prioris voti & Juramenti obligationem relaxare, ut aliquid ſibi gratius & melius præſtetur.

At verò ſi promiſſio jurata cedat in gratiam vel commodum tertii, & ab eo acceptata ſit, non poteſt in aliquid melius mutari, niſi de conſenſu promiſſarii. Ratio eſt, quia promiſſio ſimplex ſtatim ac fuit acceptata, ita obligat ut ſine peccato violari non poſſit; ergo à fortiori obligabit ſi Juramento fuerit confirmata. Hinc qui juravit ſe ſerviturum alicui, vel eidem certam pecuniæ ſummam daturum eſſe, non poteſt hæc officia ei negare cui jurata ſunt, ut eadem pauperibus conferat, licet hoc in ſe melius ſit; quia jam alii ſtrictè debita ſunt, eique ſine injuſtitia & perjurio denegari non poſſunt.

Excipi ſolet caſus in quo quis juraſſet ſe matrimonium cum aliquâ contracturum eſſe: is enim non obſtante hujuſmodi Juramento, imò & ſponſalibus juratis, poteſt Religionem ingredi; quia ex communi Eccleſiæ ſenſu, ineſt huic promiſſioni tacita hæc conditio, niſi vocet me Deus ad perfectiorem Religionis ſtatum. Caput *Commiſſum. De ſponſalibus.* vel contrarium non decernit, ut fusè probat Suares ſup. cap. 13. vel in Eccleſiâ ob nimias quas habet difficultates receptum non fuit.

Sed quid ſi promiſſio jurata, acceptata non fuerit?

Reſp. Eam tunc non obligare, quia Juramentum eaſdem patitur exceptiones, ac ipſa res quæ eo confirmatur; ergo cùm promiſſio ſub hâc conditione ſemper fiat, *ſi acceptetur*, non poteſt obligare cùm acceptata non eſt; ergo nec obligat Juramentum eidem promiſſioni ſuperadditum. Itaque quod dici ſolet ſervandum eſſe Juramentum quando non eſt contra bonos mores; non eſt verum ſi Juramentum additum ſit rei quæ pendet à conditione non impletâ. Et verò quis eſſet hujus propoſitionis ſenſus, Juro me villam meam daturum eſſe Petro, etiamſi acceptare nolit?

Probatur ſecunda pars, tum ex Reg. 58. De Reg. Juris in 6. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.* Et cap. 18. *De jurejurando.* ubi dicitur, *Juramentum non ut eſſet iniquitatis vinculum,* fuiſſe *inſtitutum.* Tum quia implicat aliquem obligari ad peccandum ſive mortaliter, ſive venialiter: ſed ſi Juramentum de re malâ obligaret, jam obligaretur quis ad peccandum &c.

Obj. 1. Levit. 5. præcipitur ut "anima quæ ju-„raverit ut vel malè quid faceret, vel benè... oblita-„que poſtea intellexerit delictum ſuum, agat pœni-„tentiam pro peccato." Ergo Juramentum de re malâ obligat.

Reſp. neg. conſeq. Hæc enim verba, *ut malè quid faceret*, non intelliguntur de malo culpæ, ſed de malo pœnæ, ita ut ſenſus ſit pœnitentiam ab eo faciendam eſſe qui ſibimetipſi aut aliis, putà filiis, domeſticis, peccatoribus juſtam quam juraverat pœnam non intulit. Ita S. Gregorius, S. Cyrillus, Cajetanus, Vatablus, Menochius, & alii qui per *malè facere* intelligunt juſtam ſui aut aliorum caſtigationem & afflictionem.

Reſp. 2. Pœnitentiam quæ hic *pro peccato* facienda ſtatuitur, intelligi poſſe per accommodam diſtributionem, ita ut qui juravit *ut malè quid faceret*, pœnitentiam agat quia malè juravit; qui verò juravit ut *benè* quid faceret, pœniteat, quia juſtum Juramentum non implevit. Hæc autem expoſitio eò libentiùs admitti debet, quòd ſacer textus non declaret in quo conſiſtat peccatum illud pro quo pœnitentia peragi debet.

Obj. 2. Juramentum à Joſue factum in fœdere cum Gabaonitis inito, erat de re malâ, & à Domino prohibitâ, Deut. 7. v. 2. *Non inibis cum eis fœdus*: atqui tamen Joſue exiſtimavit ſe eo juramento teneri; ergo.

Reſp. 1. Joſue hocce Juramento utpote per dolum & errorem extorto, reipsâ obſtrictum non fuiſſe: voluit tamen illud obſervare, ut oſtenderet ſuam Iſraelitarumque in ſervandis pactis & conventis fidelitatem.

Reſp.

Reſp. 2. Iuramentum hoc non fuiſſe de re illicitâ; neque enim prohibitum erat Iſraelitis fœdus omne cum Gentibus, ſed cum iis tantum quæ pertinaciter populo Dei reſiſtebant: tales autem non erant Gabaonitæ, qui ad Dei cultum parati erant. Vide Suarem Lib. 2. cap. 18.

Eodem modo ſolvitur argumentum quod aliqui depromunt ex facto Iſraelitarum, qui judicum cap. ult. ſe ſe jurejurando obligant ad non dandas filiis Benjamin filias ſuas in uxores: dici enim poteſt vel Iuramentum hoc fuiſſe de re licita, ut ſentiunt multi, vel ſi fuerit de re illicitâ, ut videtur Abulenſi, graviter peccaſſe eos qui illud emiſerunt; nec reipsâ, ſed ſolum ex erroneâ conſcientiâ ad illud implendum fuiſſe obligatos.

Obj. 3. Ea ſolum Iuramenta non obligant quæ vergunt in diſpendium ſalutis æternæ; ita enim habetur cap. *Si vero.* & cap *Cum contingat. De jurejur.* atqui peccatum veniale non inducit periculum ſalutis æternæ; ergo Iuramentum de re venialiter malâ ſervari debet Confirmatur; quia ſi quis tale Iuramentum non ſervet, mortaliter peccat, utpotè qui ſtrictè perjurus fiat.

Reſp. neg. maj. Nam eadem jura quæ prohibent Iuramentum quod vergit in diſpendium ſalutis æternæ, illud etiam prohibent quod vergit in pejorem exitum, & eſt iniquitatis vinculum; porrò juramentum de peccato etiam veniali vergit in pejorem exitum &c.

Ad confirm. dico eum duntaxat in præſenti materia eſſe ſtrictè perjurum, qui jurat id quod actu facere non vult, vel ſaltem quod ſine peccato mortali facere non poteſt: unde melius eſt jurare de peccato veniali cum propoſito venialiter peccandi, quam ſine eodem propoſito, quia alias committeretur perjurium formale, quod magis cavendum eſt, quam peccatum quod in tali propoſito includitur. Qui ergo rem malam juratã non exequitur, nec peccat, nec peccare poteſt, quia non contemnit divinam authoritatem quæ rei malæ nunquam interponitur. Vide Suarem Lib 2. cap. 15:

Ex his colliges non obligatum iri Iuramento. 1. eum qui promiſiſſet latroni ſe eum non eſſe Judici denuntiaturum, ſi eum denuntiare præcepti eſſet; quia non denuntiare furem quem lex juſta denuntiari jubet, verum eſt peccatum. 2. qui juramentũ omitteret contra votum aut Iuramentum præcedens; niſi ſecundum melius eſſet primo, & Deo gratius. 3. qui juraſſet contra leges in gratiam boni publici conditas, quales eæ ſunt quæ vetant ne arma ad hoſtes deferantur; aliter dicendum ſi lex non niſi in favorem privatorum introducta fuerit, quia poteſt quiſque iis quæ in gratiam ſui conſtituta ſunt, renuntiare. Hinc tametſi mulier quæ pro alio fidejubet, non obligetur, quia id vetat Senatuſconſultum Vellejanum, obligabitur tamen ſi fidejuſſionem ſuam Iuramento confirmaverit.

Probatur tertia pars; nempè quod Iuramentum de re purè & ſimpliciter indifferenti non obliget. Nam, ut diſcurrit Suares, Iuramentum de re indifferenti, id eſt quæ bonum & honeſtum finem non habet, eſt eo ipſo Iuramentum de re mala, ut docet probabilior opinio: atqui tale Iuramentum non obligat ex dictis; ergo.

Confirmatur; quia ut Iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, ſic neque rerum vanarum & inutilium vinculum eſt; nec velle poteſt Deus eas ob ſui nominis reverentiam fieri; ergo.

Si tamen res in ſe indifferens, bona eſſet ex fine, tunc obligaretur qui eam juravit. Sic qui juravit ſe alterius ædes non ingreſſurum, ne in eiſdem peccet Iuramenti lege conſtringitur. Idem dicendum ſi res ex ſe indifferens, cedat in favorem tertii, ut ſi juraſti te nullas merces empturum niſi à Titio, obligaris quia honeſtum eſt ſervare promiſſionem proximo factam quæ eidem utilis & grata eſt: Iuramentum verò de opere honeſto obligat.

CONCLUSIO TERTIA.

Iuramentum non obligat ſi fiat ex errore vel dolo circa rei ſubſtantiam.

Probatur. Non valet Iuramentum cui deeſt conſenſus ſubſtantialis: ſed ubi eſt dolus aut error circa ſubſtantiam rei, ibi deeſt Iuramento conſenſus ſubſtantialis, quia jurans non habet intentionem jurandi rem circa quam errat, ſed aliam diverſæ naturæ. Unde ſi quis juret ſe daturum vas quod æneum credit, cum ſit aureum, non tenetur Iuramento: quod verum eſt ſive error ſit antecedens, quo nempe ſublato non juraret; ſive ſit concomitans, quo etiam ſublato juraret; quia uterque error tollit voluntarium, & conſenſum actualem.

Error verò circa circumſtantias communiter non irritat Iuramentum, ſicut nec irritat contractus: ſi tamen circumſtantia aliqua intenderetur per modum intrinſeci, tunc irritum eſſet Iuramentum, quia deeſſet voluntarium. Hinc licet divitiæ & virginitas ſint circumſtantiæ quarum defectus matrimonii contractum non irritat, ſi quis tamen eas circumſtantias ita intenderet, ut iis ſublatis nollet valere contractum, reipſa non ſtaret talis contractus, etiam Iuramento confirmatus. De juramento inique extorto, vide quæ dicta ſunt in Tract. De Contract p. 485.

CONCLUSIO QUARTA.

Iuramentum ſine intentione jurandi non obligat per ſe; obligat verò ſi adſit intentio jurandi, quamvis abſit intentio ſe obligandi, vel implendi id quòd juratum eſt.

Probatur prima pars; quia, ut ſupra diximus, Iuramentum ſine jurandi intentione, non eſt verum Iuramentum, ſed fictio & ſimulacrum Iuramenti. Ergo reipsa non obligat; ſicut non obligat *promiſſio qua* Deo *fit ore & non corde*, quia *talis* promiſſio *apud Deum non eſt votum*, ut docet S. Thom. in 4. diſt. 38. q. 1.

Dixi, non obligat *per ſe*, & ex virtute religionis: quia plerumque obligat ex alio capite nimirum ut vitetur injuſtitia & ſcandalum; quiſque enim impedire debet ne hæc ex actione ſua ſequantur. Addit Valentia tale Iuramentum ex virtute etiam religionis impleri debere, hoc ſenſu quod præceptum naturale religionis obliget ad tuendum Dei honorem, non ſolum efficiendo verum id in cujus confirmationem reipsa invocatum fuit nomen Dei, ſed & illud etiam quod rationabiliter credi poteſt divino teſtimonio confirmatum fuiſſe.

Probatur ſecunda pars Qui vult cauſam applicare, neceſſariò vult ejus effectum, ſi effectum hunc impedire non poſſit; ſic qui vult applicare ignem domui, vult ejuſdem domus incendium, quantumvis illud non velle ſupponatur: ſed qui jurat, ponit cauſam â qua ſive velit, ſive nolit, ſequitur obligatio. Qui enim jurat cum vera jurandi intentione, eo ipſo adducit Deum in teſtem aſſertionis ſuæ de futuro: atqui eo ipſo quo Deus adducitur in teſtem aſſertionis alicujus de futuro, vera incumbit neceſſitas & obligatio faciendi aſſertionem hanc veram; ergo nemo ab hac obligatione

libetari poteſt per quamcunque voluntatem ſe ſe non obligandi. Et verò voluntas hæc non poteſt eſſe fortior & efficacior ad non obligandum, quam ipſamet lex naturalis ad obligandum: atqui lex naturalis obligat ad efficiendum verum illud in cujus confirmationem verè & ex animo adducta fuit Dei authoritas; ergo nulla humana voluntas obligationem hanc elidere poteſt.

Confirmatur. Si quis velit jurare aſſertionem de præſenti vel præterito reipsa perjurus eſt, quantumcunque obligari nolit ad dicendum verum; ergo á pari qui jurat aſſertionem de futuro, non poteſt non obligati ad eam faciendam veram, etiamſi maximè velit.

Dices 1. Deus non acceptat Iuramentum, niſi ſecundum hominis intentionem, ex cap. *Humana.* 21. q. 5. Ergo qui non habet intentionem ſe obligandi, non eſt coram Deo obligatus.

Reſp. ſenſum hujus capitis eum eſſe, quod homo vi Iuramenti non obligetur coram Deo pro iis pro quibus non intendit Deum vocare in teſtem; non verò quod qui obligari non vult, de facto non obligetur, etiamſi reipsa jurare velit: tale enim Iuramentum acceptatur à Deo ſtatim ut Deus verè in teſtem adducitur.

Dices 2. Homo per proprios actus non obligatur, niſi voluntate ſua; ergo ſi voluntas reſiſtit, non poteſt indoci obligatio.

Reſp. diſt. antec. Homo non obligatur niſi voluntate ſua, ſi de iis agatur contractibus, quorum ſubſtantia conſiſtit in ipſamet obligatione, & qui conſequenter ſine voluntate ſe obligandi ſubſiſtere non poſſunt, conc. ſi ſermo ſit de iis actibus quorum ratio & ſubſtantia non conſiſtit in obligatione, & ex quibus obligatio ſequitur tanquam effectus, nego: tales enim actus obligationem inducunt, etiam retinente hominis voluntate; ſic qui vult proximo damnum inferre reſtituendi obligationem contrahit etiam invitus; qui vult peccare, obligationem pœnitendi; &c.

Dices 3. qui contrahendo apponit clauſulam ſubſtantiæ contractus contrariam non contrahit, ut ſi quis velit matrimonium contrahere, ſine obligatione reddendi debitum, aut adhærendi uxori ſuæ in perpetuum: ſed qui vult jurare nec obligari, apponit clauſulam juramenti ſubſtantiæ contrariam; idem enim eſt ac ſi diceret, Volo jurare, nec obligari. Ergo.

Reſp. neg. min. Nam ille ſolum apponeret clauſulam ſubſtantiæ Iuramenti contrariam, qui vellet jurare, & tamen Deum in teſtem non adducere; non verò qui nollet obligari, quia obligationis contrahendæ voluntas non eſt quid primum in Iuramento ſed effectus ab eo conſequens ſtatim ac poſita eſt Dei in teſtem invocatio.

Probatur tertia pars. 1. quia ſi veram contrahit obligationem qui jurat cum animo ſe non obligandi, à fortiori eam contrahit cui ſolum deeſt voluntas id quod jurat adimplendi. 2. quia ſicut contractus non deſinit obligare, quamvis deſit intentio ſolvendi; ita nec deſinit Iuramentum obligare, quamvis deſit intentio exequendi.

CONCLUSIO QUINTA.

Aliqua Iuramenti obligatio tranſit ad hæredes, aliqua non tranſit.

Prob. In Iuramento promiſſorio de quo agimus, duo ſecerni poſſunt 1. ipſa promiſſio alicui facta, 2. divini nominis invocatio ad faciendam fidem. Atqui promiſſio ſi licita & acceptata fuerit, tranſit ad jurantis hæredes; hi enim ſuccedunt in onera realia defuncti. Invocatio verò Dei quæ jurantem obligat ex religione, eſt vinculum perſonale ex S. Thom. q. 98. a. 2. Vinculum autem merè perſonale ad hæredes non tranſit; unde ſi hæredes jurata defuncti pacta non ſervent, perjuri non erunt, ſed injuſti duntaxat.

Quæres an Iuramentum per procuratorem fieri poſſit.

Reſp. affirm. 1. quia poteſt quis per alium quod poteſt per ſeipſum, niſi lex reſiſtat, ut nulla hic reſiſtit. 2. quia tam Iuramentum per procuratorem celebrari poteſt, quam matrimonium, cum hujus obligatio maximè ſit perſonalis: atqui &c.

Porrò notand. procuratorem jurare non poſſe ſine ſpeciali mandato, ex cap. 3. *De juram. calumniæ* in 6. nec jurare poſſet ſi mandatum hoc revocatum fuiſſet. Cæterum procurator perjurus non erit, ſi ille cujus nomine juratum eſt, Iuramentum non ſervet; excipe niſi procurator doli particeps ſit, quia tunc perjurio cooperaretur.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De juramenti interpretatione.

Circa Iuramenti interpretationem quaſdam tNademus regulas cum Suare cap. 32.

Prima. Quoties aliquis certus eſt de intentione quam in jurando habuit, tunc nullà opus eſt interpretatione in conſcientiæ foro; quia Iuramenti obligatio potiſſimum à jurantis intentione pendet. Interpretatio igitur neceſſaria eſt cum jurans ſatis explicare non poteſt quam habuerit intentionem; tuncque penſari debent verba quibus inter jurandum uſus eſt, & intelligi prout ſtatim dicemus.

Secunda. Iuramentum judicandum eſt juxta naturam actus cui adjungitur. Ratio eſt, quia Iuramentum non facit ut obligatio ad plura ſe extendat objecta, ſed ut ſit intenſive major circa idem objectum quod promiſſum eſt; ergo illud objectum eaſdem poſt Iuramentum conditiones & exceptiones habet quas ante Iuramentum habuit: unde ſi ſponſalia juraveris, non magis teneris ad ea ſi ſponſam poſtea fornicari contingat, quam ſi non juraſſes, ex cap. 25. *De jurejurando.* Si juraveris te ſoluturum quod debes, imples juramentum utendo juſtâ compenſatione quâ ante juramentum uti potuiſſes quia non ſervanti fidem, fidem ſervare non teneris. Excipe niſi intus aut exterius compenſationi cuilibet renuntiaſſes; niſi etiam ſponſa ante ſponſalia in fornicationem tibi notam incidiſſet, quia, qui probavit alterius mores non poteſt poſtea reprobare, ait Gloſſa. Hic notanda duo. Primum: ſi promiſſio cedat principaliter ad cultum Dei, ut ſi agitur de dandis Eccleſiæ ornamentis, de ſervandâ inter conjuges caſtitate, nullam eſſe ſubintelligendam conditionem, ſed debere ſervari juramentum, licet vel Parochus malè ſe gerat erga promittentem, vel alter conjux caſtitatem non ſervet. Secundum, id quod dictum eſt, Iuramentum ſequi naturam actus cui adjungitur, non ita intelligi ut ſi actus in ſe nullus ſit, Iuramentum etiam ſit nullum; ſed ita ut ſi actus undè ſumptus certas habeat conditiones, eaſdem patiatur etiam cum acceſſit juramentum.

Tertia, Juramentum quoad obligationem ſuam ſtrictè interpretandum eſt, quantum materia ejus, & verba promiſſionis permiſerint. Ita plures Theologi quos citat & ſequitur Suares ibid. n. 7. Ratio eſt, quia odia ſeu onera, quantum fieri poteſt reſtringenda ſunt; porrò magnum eſt onus juramenti, ob perjurii periculum.

Nec

Nec dicas, favorem religionis ad quam pertinet Iuramentum debere præferri favori eorum qui jurant, adeoque Iuramentum extendi debere: nam favor Iuramenti ſolum exigit ut ſervetur veritas; ea verò ſervatur cum verba in eo implentur ſenſu in quo prolata ſunt &, ultra juſtos limites nec extenduntur, nec reſtringuntur.

Hinc colligunt Caſuiſtæ, 1. Iuramentum ſervandi ſtatuta Communitatis, intelligi de iis quæ jam edita ſunt, non de edendis, niſi aliud aliunde conſtet: hæc enim reſtrictio rationi & prudentiæ conſentanea eſt, cum futura valdè incerta ſint. 2. eum qui jurat ſe alteri pariturum, non teneri vel ad illicita, vel ad impoſſibilia, vel ad ita difficilia, ut veriſimiliter cadere oon potuerint in jurantis intentionem. 3. Epiſcopum qui jurat ſe bona Eccleſiæ non alienaturum, poſſe ea alienare in caſu neceſſitatis aut utilitatis, ſervata juris ſolemnitate, & ita definit Celeſtinus III. cap. ult. *De Eccleſiis ædific.* 4. qui juravit reſidentiam, poteſt abeſſe in caſibus jure conceſſis; ita habetur cap, 13. *De Clericis non reſid.* 5. Iuramentum de ſervando ſecreto in Capitulo, vel conventu, intelligitur quatenus materia ſecretum poſtulat, ut docent Gloſſa & Panotmit. vel ſi ſecretum ſervari poſſit ſinè gravi alterius damno.

Quarta Iuramentum interpretandum eſt juxta conditiones eidem ex communi prudentum ſenſu affixas, ut ſunt iſtæ: Hoc faciam *ſi potero; ſi licitum ſit; ſi juramentum non relaxetur ab eo in cujus gratiam factũ eſt; ſi ſervare poſſis ſolvo ſuperiorum jure; ſi materia notabiliter mutata non fuerit &c.* Nam notabilis materiæ mutatio, aliud quodammodo objectum facit, ad quod jurantis intentio ſe ſe non extendiſſe merito præſumitur. hinc qui juravit ſe jejunaturum die aliquâ, & eadem die febri opprimitur, non tenetur ad jejunium. Porrò quia prædictæ conditiones omni Iuramento inhærent, Iuramentum ab iis non denominatur conditionatum, ſed tunc tantum dicitur conditionale, cum ejus obligatio per aliquam conditionem accidentariam ſuſpenditur, ut ſi dicas: Juro me Romam iturum, ſi aureos centum dederis mihi; quo in caſu etſi ita affectus eſſe debes ut impletâ conditione proficiſcaris, tamdiu tamen domi manere potes donec conditio executioni fuerit mandata.

ARTICULUS OCTAVUS.

De cauſis quæ juramenti obligationem impediunt vel tollunt.

CAuſarum quæ impediunt ne Iuramenti obligatio contrahatur, aliæ ſe tenent ex parte materiæ, ut ſi res de qua juratur ſit impoſſibilis, aut peccatum involvat, vel ſit de re prorſus otioſâ, de quo ſupra dictum eſt; aliæ ſe tenent ex parte perſonæ, & duæ ſunt, nempe defectus libertatis, & reſiſtentia legum. Defectus libertatis impedit quominus Iuramentum promiſſorium obligationem inducat, quia obligatio illa utpote quæ ſit ſub peccato mortali, eam requirit deliberationem ſeu libertatem quæ ad peccandum mortaliter neceſſaria eſt. Cum autem talis libertas ſubſiſtat cum vi & metu, ſequitur Iuramentum quod à latrone v. g. per vim vel metum extortum eſt, impleri debere, niſi ejus relaxatio à ſuperioribus obtineatur, ut obtineri facile poteſt. Obſtat etiam reſiſtentia legis ne Iuramentum obliget, quia efficit ut Iuramentum ſit de re legitimè prohibita ſive juranti, ſive illi cujus in gratiam juratur. Sic Concilium Tridentinum Seſſ. 25. cap. 16. *De Regularibus.* vult ut *nulla renuntiatio aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuſcunque cauſa piæ, valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſive ejus Vicarii fiat, intra duos menſes proximos ante profeſſionem &c.*

Quod ſpectat ad cauſas quæ efficiunt ut Iuramentum promiſſorium obligare deſinat, eæ ſolent quinque recenſeri.

Prima eſt notabilis mutatio materiæ, ut ſi materia fiat impoſſibilis phyſicè aut moraliter, ſi illicita, ſi majoris boni impeditiva, Iuramentum enim ut non eſt vinculum iniquitatis, ſic nec majoris boni impeditivum eſſe poteſt. Unde non tenetur Iuramento qui eam promiſit pecuniæ ſummã quam largiri non poteſt ſine notabili ſtatus ſui diminutione; item cui prohibetur à Superiore Iuramenti executio: nec demum pater qui pœnam aliquam filio comminatus erat, ſi is ita mores emendaverit ut jam punitio plus nocitura quam profutura meritò judicetur. Sed quia non ſemper facile eſt dijudicare num mutatio materiæ ſufficiens ſit, jurans nihil determinabit inconſulto viro prudente, imò Confeſſarius ipſe in dubio recurrere debet ad Epiſcopum, cujus eſt Iuramenta juridicè interpretari. Quod ſi materia ex parte impoſſibilis evaſerit, & ex parte poſſibilis remaneat, tunc obſervari debet Iuramentum quâ parte materia ejus poſſibilis manet, ſi tamen hæc ab aliâ ſeparari poſſit; quia ex Reg. 37. Juris in 6. *utile non debet per inutile vitiari.* Porrò hic notandum, per notabilem materiæ mutationem eam à nobis non intelligi quæ ſi fuiſſet prævisâ, juratum non fuiſſet, ut malè dicit Habertus, tum quia aliud eſt, Non juraſſem, aliud, Non juravi; tum quia plerumque mutatio materiæ non ita notabilis à jurando deterruiſſet, ſi fuiſſet prævisâ: ſed ea cenſeri debet materiæ mutatio notabilis, ad quam ex communi ſapientum judicio veriſimile eſt hominis prudenter jurantis intentionem ſe ſe non extendiſſe. Ita Suarez cap. 34. lib. 2.

Secunda cauſa eſt remiſſio ſeu condonatio; quia juramentis hæc ineſt tacita conditio, niſi is cui juratur remiſerit, quia favor non confertur invito. Remiſſio etiam tacita ſufficit, modo injuſtè extorta non fuerit, & de remittentis intentione conſtet: ſed remiſſio locum non habet, ſi quod juratum eſt cedat in utilitatem tertii, ut ſi duo mercatores ſibi mutuò juraverint ſe tantum lucri in eleemoſynam daturos, non poſſent eam ſibi remittere.

Sed diſputatur, an locum habeat condonatio cum alicui jurata eſt promiſſio intuitu Dei.

Reſp. Solent diſtinguere Theologi. Vel enim, inquiunt, promiſſio facta eſt principaliter intuitu Dei, & ſecundariò reſpectu hominis; vel è contrario. Si primum, non poteſt homo condonare, cum res de quâ agitur Deum magis reſpiciat, quam hominem; ſi ſecundum. poteſt propter rationem oppoſitam. Sic ſi duo ſibi invicem juraverint Pſalterii recitationem pro mutuâ ſuâ utilitate, poſſunt eam ſibi invicem condonare, ſecus ſi eam ob Dei honorem primario intentum juraverint: hujuſmodi caſus non aliter quam ex circumſtantiis reſolvi poſſunt. Juras v. g. ob ſolius Dei intuitum te Carthuſianorum Religionem ingreſſurum eſſe: palam eſt te à Iuramento liberum manere, ſi te Carthuſiani admittere nolint. juras te ob utilitatem Religionis in genere cui plurimum prodeſſe potes, eandem eſſe ingreſſurum, non minus evidens eſt te, ſi hic aut illic repulſam patiaris, teneri alio confugere: ut experiaris an non alicubi poſſis admitti. Vide Suarem cap 39.

Tertia cauſa eſt commutatio, quæ in eo ab irrita-

tione & diſpenſatione diſtinguitur, quod irritatio juramenti ſicut & voti obligationem tollat, abſque ullâ cauſâ; diſpenſatio vero obligationem quidem tollat, ſed non ſine juſtâ cauſâ: commutatio demum non omnino obligationem tollat, ſed ſub eodem juramenti vinculo unam pro aliâ materiam ſubornet. Dixi, *ſub eodem vinculo*: neque enim commutatione extinguitur juramentum, ſed ſimpliciter mutatur; unde qui conſentit commutationi ſponſalium v. g. in dotem, vult obligationem tam firmam remanere quam antea.

Circa communicationem juramenti hæc notanda. 1. Commutatio juramenti quod in favorem alterius factum eſt & ab eo acceptatum, nec à jurante, nec à ſuperiore fieri poteſt, etiam in aliquid melius: quia quod mihi promiſſum eſt, meum eſt; quod autem meum eſt, non poteſt à quopiam ſine juſta cauſa mihi auferri. Quòd ſi promiſſio per injuriam extorta fuerit, ut à latrone, ab uſurario, tunc non tantum commutari, ſed & à ſuperiore relaxari omnino poteſt.

2. Juramenta in honorem Dei facta non poſſunt inquit minus mutari aliâ quam ſuperioris authoritate; talis enim mutatio aliquid habet diſpenſationis: diſpenſatio verò ſolius eſt ſuperioris. Verum in aliquid aperte melius, modo non ſit aliunde præceptum, mutari poſſunt ſolo Iurantis arbitrio; quia Deus id quod melius eſt gratum habet

3. Summus Pontifex in totâ Eccleſiâ, Epiſcopus verò in ſua Diœceſi Iuramenta in quid minus commutare poteſt, niſi hæc ſint Apoſtolicæ Sedi reſervata, qualia ſunt 1. ea quæ reſervantur Papæ peculiaribus locorum, Academiarum, Collegiorumve Statutis. 2. Iuramenta quæ fiunt in quinque materiis in quibus vota ſunt eidem Romano Pontifici reſervata, & quas recenſebimus Art. ultimo *De voto*. Porro notandum quòd qui ex facultate ſolum delegata habet poteſtatem vota commutandi, ut ſimplex Confeſſarius, non ideo Iuramenta commutare poteſt, & viciſſim: unde duæ iſtæ poteſtates juxta Curiæ Romanæ ſtylum ſeorſim conferuntur.

Quarta cauſa eſt irritatio facta authoritate illius qui jus habet in alterum. Sic pater filii, tutor pupilli, maritus uxoris Iuramenta irritare poteſt; quia fieri cenſentur cum hac conditione, niſi ſuperior contradicat. Vide quæ infra dicentur ubi de voto, Art. 3.

Quinta cauſa eſt diſpenſatio. Quod autem poteſtas diſpenſandi in Iuramentis fuerit Eccleſiæ concesſa prob. 1. ex his Chriſti verbis Matth. 18. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis*; ex quibus Eccleſia, legitima Scripturarum interpres, ſemper collegit ſe Iuramenta, cùm juſta ſubeſt ratio, relaxare poſſe. Unde Alexander III. cap. 8. *De Iureiurando*. dicit *à pluribus prædeceſſoribus* ſuis diſpenſatum fuiſſe in Iuramentis per metum exortis.

Prob. 2. Tum quia in omni Iuramento opponitur hæc exceptio juxta jurantis intentionem, niſi promiſſarius remittat, aut ſuperior irritet, aut diſpenſandum eſſe credat: tum quia Iuramentum eſt lex privata quam ſibi aliquis imponit: atqui in Eccleſia eſſe debet poteſtas hujuſmodi legem tollendi, cùm id exigit privata vel publica utilitas, ſicut in Republica bene ordinata eſt poteſtas tollendi publicas leges, quæ ſine gravi quorumdam nocumento ſervari non poſſent. Ergo.

Dices: Nulla eſt in mundo poteſtas quæ poſſit efficere ut Deus licite vocetur in teſtem falſi: ſed ſi in Iuramento diſpenſari poſſet, jam Deus licite vocaretur in teſtem falſi; quando quidem ſine peccato omitteretur, id quod interpoſita Dei authoritate promiſſum fuiſſet.

Reſp. neg. min. Sicut enim Deus in teſtem falſi non vocatur, quando ob promiſſarii condonationem non impletur promiſſio jurata, ſic nec vocatur in teſtem falſi cum eadem promiſſio ob Eccleſiæ diſpenſationem non adimpletur. Ratio eſt, quòd ſenſus utriuſque promiſſionis iſte ſit, *Faciam id quod juro, niſi vel condonationem à te, vel diſpenſationem ab Eccleſia obtinuero*. Et certè, ſi Deus ipſe diceret, Permitto vel volo ut Juramentum mihi factum non exequaris, nulla eſſet difficultas: quod autem dicit Eccleſia ſecundum Dei leges, hoc ipſemet Deus dicere cenſetur; ergo.

Circa diſpenſationem hæc notanda. 1. non eſt legitima, niſi juſta ſubſit ejuſdem concedendæ ratio. Ita ſanctus Thomas q. 89. art. 9. 2. ſi juramentum confirmet promiſſionem tertio factam, non valet diſpenſatio, ſicut nec valet commutatio, ut dictum eſt: fieri tamen poſſet in gratiam boni communis, ut promiſſio alicui facta relaxetur à ſuperiore. Sic diſpenſari poteſt cum eo qui juravit ſe non denuntiaturum eſſe reum, unde ſequi poſſet impunitas criminum & audacia ad ſcelus. 3. exiſtimat Suares cap. 41. promiſſionem juratam, factam abſenti, ante ejus acceptationem relaxari poſſe à ſuperiore. Verum hoc ſine gravi cauſa fieri non poſſe videtur, quia alioqui inique alteri tolleretur id ad quod jus habet. Cætera ex iis quæ de voto dicenda ſunt, intelligentur.

Pro coronide pauca quædam dicemus de adjuratione. Eſt autem adjuratio, *Conteſtatio ſeu interpoſitio rei ſacræ, cujus reverentia intendimus aliquem permovere ad aliquid præſtandum*; unde adjuratio non vocat Deum in teſtem, ſed ejus reverentiam interponit, ut homo ipſius amore vel metu commotus, ad aliquid faciendum adducatur.

Adjuratio duplex, deprecativa quæ fit per preces, ut Rom. 12. *Obſecro vos per miſericordiam Dei*; & præceptiva quæ fit cogendo, ut Matth. 26. *Adjuro te per Deum vivum ut dicas &c.*

In adjuratione tres interveniunt perſonæ, una quæ adjurat, altera quæ adjuratur, alia per quam fit adjuratio. Nemo eſt qui non poſſit adjurare etiam dæmonem, ſed privatim: adjuratio enim publica ſolis Eccleſiæ miniſtris competit. Porro tametſi adjuratio dæmonum pertineat ad Exorciſtas, non eſt tamen in uſu ut ſimplex Exorciſta adjuret niſi ſpecialiter ab Epiſcopo approbatus ſit. Adjurari poteſt 1. Deus, ſive ſimpliciter, ſive per ſemetipſum, ut cum aliquid ab ipſo petimus per viſcera miſericordiæ ipſius. 2. Sancti & homines, ut cum mendicus per Chriſtum orat ſibi eleemoſynam conferri. 3. adjurari poſſunt dæmones, non quidem deprecativè, quod eſſet ſubmiſſionis argumentum, ſed imperativè, ut docet Eccleſiæ fides & uſus, juxta quem dæmones adjurantur *per Deum vivum, per Deum verum, per Deum ſanctum*: non quòd ſperemus eos divini nominis honore moveri poſſe ad aliquid boni, ſed ut eis imperemus in eo nomine in quo flectitur *omne genu etiam infernorum*; unde adjuratio hæc non eſt propriè dicta. Philipp. 2. *Dæmones adjurare conſuevimus*, ait Tertull. Apolog. cap. 32. *ut illos de hominibus exigamus*. Adjuratio ſimpliciter & ſtrictè ſumpta, prout eſt religioſa, & cultum latriæ includit, non niſi per Deum fieri poteſt.

Adjuratio multiplici modo peccatum eſſe poteſt. ut 1. ſi ſit de re illicita, quia tunc Dei nomen aſſumitur in vanum. 2. ſi fiat per eum per quem fieri non debet, ut per Jovem, per Mahumetum. 3. ſi ſuperiores per modum coactionis adjurentur. 4. ſi dæmones adjurentur deprecativè, quia talis ſubjectio Chriſtianis vetita eſt; vel

coactivè

coactivè quidem, ſed ad obtinenda ab eis auxilia, quia ad eorum opem recurrere non licet. 5. ſi qui eos adjutant, vana ab iis & curioſa requirant; quia vitari debent omnia ſocietatis ſigna. An vero in ejuſmodi colloquiis cum inimico Dei occurrat peccatum mortale, diſputant Theologi. Negant Navarrus & Bonacina, qui tamen fatetur mortaliter peccaturum eum qui hujuſmodi cum dæmone colloquia longius protraheret. præbeatur ſi 6. dæmoni occaſio aliorum peccata revelandi, quia proximi famæ conſulendum eſt. 7. ſi certa verbis ejus fides habeatur: eſt enim ipſe mendax & mendacii pater, Joan. 8. Vide Suarem Lib. 4. *De adjurat.* & Valentiam diſp. 6. q. 8.

CAPUT QUARTUM.

De Voto.

UT arduam votorum materiam quo meliori licebit modo pertractemus, videndum 1. quid, & quotuplex ſit votum. 2. quæ ejus materia. 3. quis vovere poſſit 4. ſit-ne votum opus bonum & meritorium. 5. ſit-ne etiam obligatorium ſub peccato, etiam cum ſit ex metu, dolo &c. 6. quando, & per quem debeat impleri, an cadat in hæredem, ubi quædam de interpretatione voti dicentur. 7. tandem quotuplici via tollatur obligatio voti.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex votum.

VOtum definitur, *Promiſſio deliberate Deo facta de meliori bono*; ſeu, ut dicunt alii, *de re Deo grata*. Dicitur 1. *promiſſio*, quæ vox locum habet generis: eſt autem promiſſio hæc, ſpontanea fidei obligatio ad aliquid faciendum, qua quis ita ſe conſtringere vult, ut ſi id non fecerit, peccet: unde patet votum à ſimplici propoſito diſtingui; quia in ſimplici propoſito, vult homo rem aliquam amplecti ut convenientem, per promiſſionem verò intendit obligationem ſibi imponere ejuſdem faciendæ tanquam Deo debitæ. Hinc votum nomine promiſſionis explicatur Eccl. cap. 5. v. 3. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio* Et hæc advertere debent Confeſſarii propter quoſdam pœnitentes qui quandoque propoſitum cum voto confundunt. Dicitur 2. *deliberatè* facta: votum enim eſt lex eaque gravis qua quis ſe conſtringit; & nemo ſine deliberatione ſufficienti ſe ſe obligare cenſetur: unde docent Theologi ad votum eam requiri & ſufficere deliberationem quæ ad peccatum mortale requiritur & ſufficit. Regula autem quam aliqui ſtatuunt ut judicetur, an deliberatio voti ſufficiens non fuerit, videlicet ſi ſtatim poſt emiſſum votum hominem pœniteat, meritò rejicitur à Valentia: ea enim eſt humanæ conditionis inconſtantia, ut hominem ſæpe pœniteat eorum etiam quæ cum plena deliberatione ſibi propoſuit. Dicitur 3. *facta Deo*, votum enim eſt actus religionis & latriæ, qui ſoli Deo exhiberi poteſt. Hinc promiſſio recitandi Roſarium B. Virgini facta non eſt votum, niſi quatenus ſit Deo ſub ejuſdem Virginis invocatione; alioqui enim eſt ſolum promiſſio religioſa pertinens ad cultum hyperduliæ. Dicitur denique *de meliori bono*; id eſt de bono quod melius ſit quam ejus oppoſitum: promiſſio enim non ſit alicui, niſi ut ei gratificemur: porrò gratum non eſt id quod habere melius non eſt quam non habere. Hinc 1. qui vovet matrimonium, validè non vovet, quia matrimonium, minus eſt bonum quam continentia: niſi tamen aliqua ſit matrimonii promittendi neceſſitas, ut ſi quis matrimonium vovet, quia aliter carnis tentationibus reſiſtere nequit: tunc enim invalidum eſſet, juxta Bonacinam, votum quod emitteret de ſervandâ caſtitate, aut de non nubendo; quia non eſſet de bono tam ſalubri reſpectu voventis. 2. nec etiam validè vovet qui rem indifferentem aut æqualem promittit, ut quod hanc ducat præ aliâ: quod ſi hujus præ illâ electio ad Dei gloriam referri poſſet, puta ſi voveret hanc ducere ob remunerandam ejus virtutem, ob conciliandam pacem familiæ &c. valeret votum, non quidem abſolutè, quia ſtatum religionis aut continentiæ, matrimonio meliorem excluderet; ſed quatenus excluderet facultatem alterius uxoris ducendæ, ſub qua ratione eſſet de meliori bono ob circumſtantiam pietatis. 3. votum non eſt de minori bono, niſi quando boni majoris obligationem impedit: hinc oratio vocalis, etſi mentali imperfectior, voveri poſſet, quia non impediret, ne homo alio tempore mentali orationi vacaret. Verum hæc omnia ex infra dicendis clarius eluceſcent.

Votum dividitur 1. in ſimplex, & ſolemne. Votum ſimplex eſt nuda promiſſio ſine ſolemnitate Deo facta, ut jejunandi, Religionem ingrediendi. Votum ſolemne, eſt traditio & conſecratio ſui ipſius divino cultui, cum præſcriptis ſolemnitatibus facta, & Dei nomine ab Eccleſia acceptata. Duo ſunt hujus generis vota caſtitatis ſcilicet in ſuſceptione ſacrorum Ordinum, & profeſſionis religioſæ in Religione per Sedem Apoſtolicam approbata. Differunt hæc vota tum *à poſteriori*, ſcilicet ab effectu, quia ex cap. 6. *Qui Clerici.* votum ſimplex *matrimonium impedit contrahendum, non tamen dirimit jam contractum*. præterquam in Societate Jeſu; votum verò ſolemne, non ſolum impedit contrahendum, ſed & contractum irritat: tum *à priori*, ſcilicet per proprias rationes quas explicare difficile eſt & arduum, unde hic ſuadent Theologi, & varias in partes ſcinduntur.

1. enim cenſent aliqui, voti ſimplicis & ſolemnis diſtinctionem inde peti, quod in voto ſolemni fiat vera ſui traditio, non in voto ſimplici. Verum hæc opinio eo falſa videtur, quod licet votum ſimplex ut ſic, abſtrahat à traditione ſui, eam tamen non excludat: vota enim à Societatis Jeſu Alumnis poſt Novitiatum emiſſa, ſunt ſimplicia; unde non dirimebant matrimonium ant Conſtitutionem Gregorii XIII. *Aſcendente Domino.* & etiamnum ſi quis iis emiſſis è Societate ejiciatur, validè nubit: atqui tamen qui hæc vota emittunt, verè ſe tradunt Societati; adeo ut fiant verè Religioſi, & quà tales ab authoritate & alieno arbitrio dependeat. *Vid. Valentiam diſp. 10. q. 45. p. 5. tom 3. pag. 2289*

2. placet aliis voti ſolemnitatem ſitam eſſe in quadam perſonæ conſecratione aut benedictione ſpirituali, per quam ex naturâ rei inhabilis ſit ad opera carnis & ſæculi, adeoque ad matrimonium, ad bona poſſidenda &c. At hæc ſententia, quam aliqui S. Thomæ eſſe putant, communiter exploditur. 1. quia Subdiaconi conſecrantur & benedicuntur ſpiritualiter; & tamen diſpenſante Eccleſiâ matrimonium contrahere poſſent, ut omnes fatentur. Ergo voti ſolemnitas non eſt poſita in conſecratione quæ ex rei naturâ pariat inhabilitatem ad matrimonium. 2. quia è contra ſolemnia ſunt Dominicanorum vota: atqui in iis tamen nulla eſt conſecratio, ut refert Cajetanus & Sotus; ergo.

3. exiſtimant Scotiſtæ & multi cum ipſis, voti ſolemnitatem conſiſtere in ſtatuto Eccleſiæ, per quod qui in circumſtantiis & cum formalitatibus

ab Eccleſia præſcriptis vovet, ad certos effectus inhabilis redditur; ſcilicet ad validè contrahendum matrimoniom ratione caſtitatis; ad habendum rei alicujus dominium ratione paupertatis; ad ſe aliis quam ſuperioribus obligandum, ratione obedientiæ: quam inhabilitatem non contrahunt qui ſimplicia emittunt vota; quandoquidem qui ſimplex paupertatis, vel caſtitatis votum emitrit, nec dominii, nec matrimonii validè contrahendi incapax efficitur, ut patet in Congregatione Miſſionis à B. Vincentio inſtituta.

Hæc opinio probatur 1. quia aliæ quæ mox relatæ ſunt, & referri potuiſſent, vix intelligi poſſunt, 2. quia Bonifacius VIII. cap. unico *De voto* in 6. expreſſe dicit *quod voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa*; quod repetit Gregorius XIII. in Bullâ *Aſcendente Domino*. Porrò ſolemnitas de quâ loquuntur prædicti Pontifices, non eſt ea ſolum ſolemnitas accidentalis quæ in quibuſdam cæremoniis conſiſtit, ſed vera ac ſubſtantialis ſolemnitas; loquuntur enim de ſolemnitate prout matrimonii diremptiva; hæc autem ipſiſſima eſt ſolemnitas ſubſtantialis. 3. quia ſi voti ſolemnitas conſiſtat in traditione & acceptatione, quæ ſit de jure naturæ, ut Thomiſtæ docent, dicendum eſt Papam non poſſe in voto ſolemni diſpenſare, quod docent iidem Theologi: atqui opinio hæc falſa eſſe videtur, ut infra evincemus; ergo.

Hinc colliges votum ſimplex & ſolemne non differre eſſentialiter; quia idem habent objectum, & illud ſub eadem ratione formali attingunt, ideoque ejuſdem ſunt ſpeciei. Unde Celeſtin. cap. 6. *Qui Clerici*. dicit *quod ſimplex votum apud Deum non minus obliget quam ſolemne*. Gravius tamen intra eandem ſpeciem peccat, qui ſolemne votum tranſgreditur, ratione ſcilicet ſtatus ſui: unde circumſtantia voti ſolemnis in confeſſione aperiri debet, ut docet Sylvius ad q. 88. a. 7.

Votum dividitur 2. in perſonale, reale, & mixtum. *Perſonale* eſt promiſſio actionis vel omiſſionis quam ipſe vovens per ſeipſum præſtare debet: tale eſt votum jejunandi, abſtinendi à ſpectaculis. *Reale*, eſt promiſſio rei per alium efficiendæ, ut votum mittendi aliquem ad Apoſtolorum limina. *Mixtum*, ex perſonali & reali coaleſcit, ut votum eundi ad templum aliquod, ibique Calicem offerendi.

Dividitur 3. in *temporale*, quod ad certum tempus durat, ut votum jejunandi per menſem; & *perpetuum*, quod per totam voventis vitam durare debet, ut votum perpetuæ caſtitatis.

Dividitur 4. in *abſolutum*, quod fit ſimpliciter ac ſine conditione, ut Voveo caſtitatem; & *conditionatum*, quo aliquid promittitur ſub conditione, ut Voveo peregrinationẽ, ſi ſanitas reſtituatur patri. Hujuſmodi conditio merè contingens, ſuſpendit obligationem voti donec perficiatur: ſecus ſi conditio ſit de re neceſſariâ, ut de ortu ſolis, vel de re quæ licet in ſe contingens ſit, certò poſita fuiſſe noſcitur. Hinc ſtatim obligat votum ſic emiſſum, Voveo Religionem ſi pater obierit ſi nox diei vicem excipiat.

5. votum aliud eſt *morale*, quod ſpectat ad mores, ut ſtimulus exercitium virtutis; aliud *pœnale*, quo promittitur aliquid faciendum in pœnam criminis, ſive jam admiſſum ſit, ut Voveo jejunium, quia temere juravi; ſive illud admitti contingat, ut Voveo jejunium ſi fortè juravero. Hujuſmodi votum conditionale aliquando duplex eſt, ut cum extenditur tum ad pœnam, tum etiam ad fugam criminis: v. g. Voveo me non amplius inebriandum, & ſi contrafecero, à vino abſtenturum; aliquando ſimplex eſt, ut ſi ad pœnam ſolam extendatur. Vide Salmantic. Tract. 17. c, 1. punct. 3.

ARTICULUS SECUNDUS.

De materia voti.

EX allata voti definitione ſequitur 1. voti materiam eſſe debere rem poſſibilem 2. rem bonam. 3. rem quæ melioris boni impeditiva non ſit. Et ratio eſt, quia voti materia talis eſſe debet, ut vovens circa eam obligetur: at non poteſt vovens Deo obligari, niſi Deus promiſſionem ejus acceptet. Porrò non poteſt Deus rei vel impoſſibilis. vel malæ aut indifferentis, vel quæ majoris boni impeditiva ſit, promiſſionem acceptare: alioqui mallet Deus ab homine fieri quod minus eſſet bonum, quam id quod majoris boni rationem haberet, quod implicat. His ſuppoſitis, variæ hic occurrunt difficultates elucidandæ.

Quæres itaque 1. circa materiæ poſſibilitatem, an valeat votum cujus materia partim poſſibilis eſt, partim impoſſibilis.

Reſp. 1. votum obligare quoad partem poſſibilem, ſi talis ſit hujuſce voti materia ut dividi poſſit & ſoleat. Ratio eſt, quia vovens tunc cenſetur partes illas diviſim promiſiſſe, id eſt ſe obligaſſe ad id quod facere poſſet; voluntas enim cenſetur ferri in objecta ſecundum eorum naturam & communem uſum, niſi contrarium expreſſè intendat. Adde quod ex citata juris regulâ, *Utile per inutile vitari non debet*. Hinc 1. ſi voveris te tota vita jejunaturum, & id aliquot diebus non poſſit ob valetudinem, jejunandum erit ſanitate recuperata. Si non potes centum aureos quos voviſti, pauperibus dare, teneris dare decem quos potes. Si nimiam corporis tui mortificationem voveris, obligaris ad ſubſtantiam, non ad exceſſum, v. g. ſi voveris iter Romam nudis pedibus, aut jejunium in pane & aquâ, teneris, ſi potes ad jejunium ordinarium, & ad iter opertis pedibus &c. 2. puella *quæ virginitatem vovit, ſi corrupta eſt, quamvis non poſſit virginitatem reddere, tamen poteſt continentiam; & idcirco ad hoc remanet obligata*. Ita S. Thomas q. 88. a. 3. & in 4. diſt. 38. q. 1. a. 3. & ex ipſo Pontas *Virg* caſ, 8. Et ratio eſt, quia, ut dicit Sylvius, dum ſimpliciter & ſine reſtrictione vovetur virginitas, vovetur abſtinentia ab omnibus venereis: quæ verò, addit idem Doctor, non intendiſſet ſe obligare, niſi ad abſtinendum à primo actu quo perditur virginitas, eâ ſemel amiſſa, ad nihil amplius ratione voti teneretur, quia noluiſſet vovere continentiam ab aliis actibus. 3. qui poſt emiſſum caſtitatis votum matrimonium contraxit & conſummavit, quamvis debitum reddere teneatur debet tamen quantum eſt de ſe ſervare caſtitatem, adeoque non exigere debitum imò nec reddere ſi contingat ut compars jus ejuſdem exigendi amittat; & à ſecundis nuptiis abſtinere, ſi uxor ante ipſum è vivis excedat. 4. idem dicendum de eo qui *intravit Monaſterium invita uxore*: etſi enim *ratione voti*, utpote invalidi, *ad Monaſterium non tenetur redire, ulterius* tamen *non poterit uxorem accipere*, nec à ſua, dum vivet debitum exigere: *promiſit enim ſe non exigere debitum, quod in ejus poteſtate erat; & ideo quoad hoc votum ejus tenuit &c.* Ita Alexander III. cap. 3. *De converſ. conjugat.* Denique quoties in objecto unum eſt per modum principalis, aliud per modum acceſſorii; principale ſervari debet, ſi poſſibile remaneat, etſi acceſſorium impoſſibile factum ſit; quia *acceſſorium principale ad ſe trahere* non debet, ex cap. unic. *De conſec. Eccleſ.* in 6. Excipe niſi acceſſorii impoſſibilitas, principale ita difficile reddat, ut vovens illud ſolitariè

ſump-

ſumptum vovere non intenderit. Sic qui vovit Romam ire in equo vel rhedâ, iis deficientibus ire non tenetur.

Reſp. 2. ſi partes materiæ non diviſim, ſed collective promiſſæ ſint, nulla remanet obligatio ſi earum pars altera fiat impoſſibilis; quia vovens non intendit ad unam ſe obligare ſine altera. Hinc colligunt multi cum Suarez Lib. 2. cap. 2. n. 5. eum qui vovit Eccleſiæ ædificationem, ſi ſola jacere poſſit fundamenta ad nihil teneri; quia cenſetur ædificium totum voviſſe per modum unius. Hæc tamen reſolutio non eſt omnino certa: unde cenſent Valentia, Navarrus, Silveſter, & alii apud Salmantic. n. 77. eum qui tale votum emiſerit, vel Capellam in illo vel alio Templo, vel ſaltem fundamenta quæ poteſt, ædificare debere; quia fieri ſolet ut alii viſo Eccleſiæ principio ad eam perficiendam accendantur. In hoc ergo caſu vel ſequenda eſt pars tutior, vel recurrendum ad Epiſcopi judicium. Pariter iiſdemque de cauſis incertum mihi videtur, an qui jejunium vovit, & illud implere non poteſt, non teneatur ad abſtinendum à carnibus ſi poſſit. Cæterum communis opinio tenet eum qui vovit ſe in ſacco vel cilicio peregrinaturum, non teneri induere hæc pœnitentiæ veſtimenta ſi peregrinari non poſſit, quia votum non fuit de iis emiſſum, niſi ratione itineris. Sic etiam qui vovit ſe tali die jejunaturú, ſi diei huic jejunium affigere voluerit, putà in Sancti alicujus honorem, & eadem jejunare nequeat, non tenetur ad die ſequenti jejunandum. Et ratio eſt, quia niſi obſit, quæ hic plurimum conſideranda eſt, ſpecialis voventis intentio, id quod impleri non poteſt in prædictis caſibus, ſe habet per modum principalis, ac ferè per modum totius: porro qui ad principale non tenetur, nec ad acceſſoriú teneri poteſt; ergo. Quid in dubio faciendú infra perpendemus.

Quæres 2. an qui emiſit votum disjunctivum, quo v. g. promittebat Eccleſiæ bovem vel equum, voto ſuo teneatur, ſi una materia poſſibilis ſit, altera non; putà quia perierat equus, non vero bos.

Reſp. vel jam perierat equus quo tempore votum factum eſt, vel poſtea ſolum periit. Si primum, votum ab initio non valuit, quia fuit de materiâ impoſſibili ſecundum intentionem voventis, cum vovens intenderet unum præ alio eligere, quod non poterat. Sicut ergo non valet votum de dandâ eleemoſynâ, vel de fornicando, quia una pars materiæ eſt impoſſibilis utpote illicita; ita à pari in propoſito. Si vero nonniſi poſt emiſſum votum perierit equus, & necdum electio facta fuerit, tenet votum quoad eam partem quæ poſſibilis remanſit; quia promiſſio quæ ab initio valida fuit, ſervari debet quantum poteſt, ut colligitur ex Lege 95. ff. *De ſolutionibus*. ubi Sticho aut Pamphilo promiſſis, *uno mortuo, qui vivit* dari debet, Ita Bonacina, *De voto* diſp. 4. q. 2. punct. 5. qui addit voventem ejus rei quæ periit pretium dare poſſe, quia hanc ſi ſupereſſet præ aliâ dandam eligere potuiſſet; niſi tamen res ea voventis culpâ perierit. Quòd ſi vovens rem quæ periit dandam elegiſſet, multi cenſent voventem ad nihil teneri.

Quæres 3. Si quis voti prioris immemor, aliud emiſerit cum priori incompatibile, ut votum ſerviendi infirmis eâ die qua peregrinationem voverat quid faciendum?

Reſp. votú illud præ alio ſervandú eſſe quod eſt de re meliori, quia eſt validum, cum liceat votum in melius commutare: ſi vero poſterius votum ſit de minori aut æquali bono, adhærendum eſt priori, quia votum prius in aliud æquale mutari non poteſt. Idem faciendum eſt ſi dubitetur an poſterius votum ſit de bono meliori, quia poſſeſſio ſtat pro voto prius emiſſo.

Quæres 4. an votum non peccandi cenſeri debeat de materia poſſibili.

Reſp. 1. votum de non peccando mortaliter etiam in genere, id eſt de vitandis prorſus omnibus mortalibus peccatis, validum eſſe, quia eſt de materiâ quæ homini ſine ſpeciali privilegio poſſibilis eſt. Ita Salmantic. n. 79. qui tamen ſapienter monent vota hæc conſulenda non eſſe, niſi viris timoratiſſimis, qui ſe per plures annos non peccaſſe animadverterunt. Cæterum hujuſmodi vota viris fragilibus aut ſcrupuloſis, novam lapſus aut ſcrupuli occaſionem indubie procrearent; unde in iis haud difficile diſpenſandum eſſet.

Reſp. 2. votum de vitando aliquo genere peccati venialis, v. g. mendacio jocoſo, eſſe de re cum communibus gratiæ auxiliis poſſibili, adeoque validum, quanquam nec iſtud votum in aliqua ſaltem materia facile permitti debeat. Quis enim ab omni verbo otioſo, vel cogitatione facile abſtinere poſſit?

Præcipua difficultas eſt de voto omnia venialia vitandi; hoc auté multi invalidum eſſe cenſent. Votú enim de re moraliter impoſſibili eſt nullum: ſed votum omnia vitandi venialia, eſt de re moraliter impoſſibili, juxta id Conc. Trident. Seſſ. 6. Can. 23. *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit...... poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, anathema ſit.*

Dices cum Bonacinâ: Quod cadit ſub prohibitionem divinæ legis, cadere poteſt ſub prohibitionem legis privatæ, qualis eſt votum: atqui quod omnia vitentur peccata venialia cadit ſub legem divinam, quæ omnia ea vitari prohibet; ergo.

Reſp. neg. maj. 1. quia ut Deus præcipiat vitationem peccatorum omnium etiam venialium, ſufficit ut hæc phyſicè poſſibilis ſit; ut vero hanc homo vovere nec debeat nec poſſit, ſatis eſt ut eadem ita difficilis ſit & ardua, ut quiſquis eam voverat, moraliter certus foret ſe pluries in die voti ſui tranſgreſſorem futurum eſſe; ſed qui voveret abſtinentiam ab omni etiam veniali peccato, is foret moraliter certus.....cùm *ſepties cadat juſtus*; ergo. 2. Deus prohibet peccata venialia, ſub levi culpâ; qui vero ab iis abſtinere voveret, eadem ſub pœna multo majori, imo juxta plures, ſub pœna peccati mortalis, eadem ſibi prohiberet, de quo infra dicemus. Ergo.

Dices: Validum fuit votum quod emiſit S. Theresia, *efficiendi ſemper quidquid perfectius eſſe intelligeret*: atqui votum illud difficilius eſt quam votum ab omnibus abſtinendi noxis etiam venialibus; ergo.

Reſp. votum hoc validum non fuiſſe, niſi quia emiſſum eſt à Theresiâ Deo edocente, & *conſiliante*, ut ajunt Gregorius XV. & Urbanus VIII. ex iis verò quæ ſpeciali ſancti Spiritus inſpiratione fiunt non valet illatio ad ea quæ fiunt de viâ communi.

Quod ſpectat ad ſecundam conditionem, nimirum bonitatem materiæ voti, quæres 1. an valeat votum de re jam præceptâ.

Reſp. affirm. Ut enim res jure naturali præceptas aliquando de novo præcipit Eccleſia, ita & eaſdem ſibi de novo præcipere poſſunt homines, non ut plus ſuæ quam ſuperiorum voluntati tribuant, ſed ut firmius perſolvant id ad quod jam tenebantur: hinc voveri ſolet abſtinentia ab illicitis voluptatibus, etſi aliunde imperata.

Quæres 2. an valeat votum de re indifferenti.

Reſ. negat. & hoc verum eſt, etiamſi vovens rem hujuſmodi ad Dei cultum referre intendat: un-

denoo valet votum non nendi, aut ungues non abſcindendi die ſabbati in honorem B. Virginis. Ratio eſt, quia voti materia ad Dei cultum referri debet : at res indifferens ad Dei cultum vere referri non poteſt. In dubio an voti materia indifferens ſit, an Bona, votum impleri debet; quia non implendo, incurreretur peccandi periculum. Aliud eſſet, ſi quis dubitaret, an voti materia illicita foret, vel noo : quia qui operatur antequam tale dubium depoſuerit, facit id quod peccatum eſſe poſſe putat; & id nunquam licitum eſt.

Sed ſi res de quâ factum fuit votum, ab initio quidem indifferens fuerit, ſed deinde bona evaſerit, valebit-ne votum? Puta jam honeſtum eſt non ingredi domum in qua ingredi indifferens erat cum vovi me in eam non ingreſſurum eſſe, valet-ne nunc votum iſtud?

Reſp. negat. quia ex Reg. 18. Juris in 6. *non firmatur tractu temporis quod ab initio non ſubſiſtit.* Ita Habert poſt Bonac. qui meritò monet tale votum valiturum eſſe pro tempore quo materia ejus bona erit, ſi id à vovente intentum fuiſſet,

Quæres 3. an votum de re bonâ ratione objecti, ſed indifferenti ratione finis, ſit validum, puta votum jejunandi; vel non ludendi ad parcendum ſumptibus.

Aſſerunt Sylveſter, Suares, & alii apud Bonacinam diſp. q. 2. p. 4. §. 2. n. 6. ſed minùs rectè, quia actio indifferens ratione finis, eo ipſo eſt mala, ut docet ſanctus Thomas : votum autem de re malâ non tenet.

Quæres 4. an valeat votum de re bonâ, ſub conditione mala & turpi.

Reſp. conditionem malam voto rei bonæ multis poſſe modis adjici. 1. ad obtinendam rem malam; aut quia eâ jam obtenta fuit; ut Voveo eleemóſynam ut obtineam, vel quia obtinoi ultionem de inimico; & tale votum noo valet, vel quia in eo ordinatur opus bònum ad finem malum; vel quia Deo aguntur gratiæ tanquam peccati author extiterit, quod blaſphemiam ſonat. 2. ſi contigerit res mala, ut Voveo eleemoſynam, ſi nihil juramentum exciderit; & tale votum tenet, quia nulla eſt mala circumſtantia unde corrumpatur. 3. ſi ex re mala quæ non movetur, boni aliquid contingat, ut Voveo eleemoſynam, ſi ex duello victoriam reportem; ſi ex fornicatione filium ſuſcepero. atque hoc votum valere cenſent Suares Lib. 2. c. 5. Leſſius, Toletus, & alii apud Bonacin. & Salmant o. 69. quia, inquiunt, etſi fornicatio & duellum ſint quid mali, filius tamen, & victoria quæ ex his ſequuntur, ſunt aliquid boni. Hæc tamen mihi difficilia admodum videntur : quid enim eſt vovere eleemoſynam ſi victoriam ex duello reportes, niſi vovere, ſi, & eâ conditione ut impium de hoſte cæſo triumphum reportes? Quia tamen dubium injicere poſſunt citati Doctores, crederem in hoc dubio votum mutatâ conditione, impleri debere. 4. ſi malum quod tibi proponis non ſit finis operis ſeu voti, ſed finis ſolùm operantis, valet votum; ut ſi coram pluribus quorum laudes aucupari conaris, voveas Religionem, tenet votum, quia non refertur ad rem malam, licet res mala te ad vovendum impulerit.

Quod ſpectat ad ultimam conditionem, ut nempe votum ſit de meliori bono,

Quæres 1. an valeat votum ingredi Religionem laxiorem.

Reſp. valere, ſuppoſito quòd ſtatus Religionis illius melior ſit ſtatu communi qui relinquitur, ut diximus, matrimonii votum melius bonum excluderet, continentiam ſcilicet aut Religionem.

Quæres 2. quid ſentiendum de voto Jephte, quod videtur & validum fuiſſe, & non fuiſſe de meliori bono, imo de re illicita.

Celebre illud votum refertur Judic. cap. 11. v. 29. his verbis : *Factus eſt ergo ſuper Jephte Spiritus Domini, & circuiens Galaad...votum vovit Domino dicens : Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino.* v. 34. *Revertente autem Jephte in Maſpha domum ſuam, occurrit ei unigenita filia ſua....qua viſa ſcidit veſtimenta ſua; & ait : Heu me filia mea, decepiſti me, & ipſa decepta es : aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.* v. 39. *Expletiſque duobus menſibus* ſibi à patre ad deflendam virginitatem ſuam conceſſis, *reverſa eſt* filia Jephte *ad patrem ſuum, & fecit ei ſicut voverat, quæ ignorabat virum.* Circa hoc votum duplex movetur quæſtio, una facti, quid nempe voverit Jephte; juris altera, an ſine peccato voverit, & quod voverat adimpleverit: duplex etiam eſt Interpretum opinio.

Prima, eaque longe communior, exiſtimat Jephte filiam ſuam reipſa morti dediſſe, idque ab eo intentum, fuiſſe cum vovit; & probatur 1. quia is eſt naturalis verborum Scripturæ ſenſus, legenti conſtat, à quo proinde ſine gravi cauſa recedendum noo eſt.

2. quia ſic intellexerunt antiqui patres, ut Tertull. Athanaſ. Gregor. Naziaoz. Hieronym. Ambroſius, Auguſtinus, Ita etiam veteres Judæi ut Joſephus Antiq. 5. 9. *Mactatam filiam in holocauſtum obtulit.* Ita Chald. Paraph. ac R. Salomon.

3. quia hoc arguit ſummus ille dolor qui Jephte cauſa fuit lacerandæ veſtis, & lugubris iſtius exclamationis, *Heu me filia mea &c.* At, inquiunt adverſarii, dolebat Jephte quòd poſteros habiturus noo eſſet, filia nempe ſua ad perpetuam virginitatem damnata. Verum reſponſio hæc haud ſatis firma videtur. 1. quia filia hæc duos petiit menſes ut virginitatem ſuam plangeret : atqui ſi pater eam ſolum voluiſſet Deo conſecrari ad ſervandam virginitatem, neceſſum non erat ut duos illos peteret menſes, quandoquidem totum habuiſſet vitæ tempus ad id faciendum, ut notat Abulenſis. 2. quia filia Jephte, virgo piiſſima, ut ex contextu patet, potius lætata fuiſſet, de neceſſitate ſibi impoſita ſervandæ virginitatis, quæ, quidquid vulgo ſentiant Interpretes, magno ſemper fuit in pretio & æſtimatione tum apud Gentiles, tum apud Hebræos. 3. denique quia fabula Græcorum de reali Iphigeniæ (Jephigeniæ) immolatione, eo Scripturæ loco deſumpta videtur.

Secunda opinio quam tenent *Hebræi Interpretes & recentiores* multi *Eccleſiaſtici Scriptores*, exiſtimat filiam Jephte non fuiſſe immòllatā per mortē corporis, ſed per mortem civilem, quatenus Deo conſecrata eſt per virginitatis votum, & ab hominum commercio ſeparata. *Eſtius in diff. Script. loca.*

1. quia probabile non eſt virum adeò prudentem qualis erat Jephte, egiſſe contra manifeſtam Dei legem, latam Deut. 12. v. 13. qua cavetur ne quis immolet *filios ſuos* aut *filias*. Neque etiam veriſimile eſt Sacerdotes omnes qui noverant votum hominis pretio redimi debere, Levit. cap. ult. permiſiſſe ut Jephte filiam ſuam mactaret, præſertim cùm ſacrificiorum oblatio non ad privatos, ſed ad Sacerdotes pertineret. Adde quòd Jephte, quem Apoſtolus Hebr. 11. inter Sanctos recenſet, nullibi tanti criminis pœnitentiam egiſſe legatur.

2. Votum Jephte à Spiritu ſancto inſpiratum eſt, *Factus eſt ſuper Jephte Spiritus Domini &...vo-*

tum

tum vovit. Ergo non fuit votum de creandâ creaturâ rationali.

3. filia Jephte petiit ſpatium ut defleret non mortem, ſed virginitatem; cum verò reverſa eſt, pater juxta textum Hebr. *fecit de ea votum quod voverat, & ipſa non cognovit virum*, id eſt virginitatem perpetuò ſervavit. Quod autem addit Vulgata verſio, increbuiſſe morem ut poſt anni circulum convenirent *in unum filiæ Iſrael, &* & plangerent *filiam Jephte*, Paginus & alii ex Hebræo vertunt ut *alloquerentur filiam Jephte*, causâ ſcilicet conſolationis.

4. verba hæc editionis Vulgatæ, *Quicunque fuerit primus egreſſus..... eum offeram holocauſtum Domino*, optimè verti poſſunt per iſta, *Et erit egrediens quod egreſſum fuerit in occurſum meum, erit Domino, & offeram illud in holocauſtum*, ubi to *&* ponitur pro *aut*, ut ſæpe fit in Scripturis: v.g. Exod. 21. v. 17. hebraicè habetur, *Qui maledixerit patrem & matrem, morte moriatur*, id eſt patrem aut matrem, ut habetur Matth. 15. v. 4. Crebra ſunt id genus exempla in Synopſi Critic. Et verò ſi canis occurriſſet Jephte, an debuiſſet immolari contra legis prohibitionem? non ſanè. Ergo nec generis humani quidquam debuit immolari, ſed immolari permittebat; Deo autem conſecrari, quod ſine crimine non poterat immolari.

His præmiſſis, ajunt ſatis communiter primæ ſententiæ defenſores cum S. Thomâ, Jephte in vovendo ſtultum fuiſſe, in reddendo impium; licet aliqui eum ob ignorantiam, & religionis zelum vel à toto, vel à parte excuſari putent; unde nec unquam legitur ab ullo vel Prophetâ, vel Pontifice reprehenſus. Qui verò poſteriorem tenent ſententiam, longè minus vel nihil habent difficultatis, quia Jephte inſpirante præſertim ſancto Spiritu, filiam ſuam Domino conſecrandam vovere potuit.

Sed utra opinio alteri ſit præferenda, judicabit Lector. Prima ut communior, ſic & Scripturæ contextui magis conſentanea videtur; nec valdè nocent ſecundæ opinionis argumenta.

Ad primam, vir etiam prudens decipi potuit, ut deceptus eſt Samſon; potuit & ſilente Scriptura agere pœnitentiam culpæ ſuæ, niſi eum excuſaverit ignorantia, ex qua ſe voti reum eſſe credidit. Potuerunt pariter Sacerdotes exiſtimare hujuſmodi votum quod inſpirânte Deo factum videbatur, implendum eſſe, cum Deus vitæ & mortis dominus ſit; hocque reipsa licitum fuiſſe etiamnum cenſent aliqui Interpretes. Vide Synopſ. Critic. pag. 1152.

Ad ſecundum, impulit Deus Jephte ad vovendum; at ipſa voti determinatio à Jephte facta eſt, non à Deo.

Ad tertium, flevit filia Jephte virginitatem, quia minus de morte quam de prolis orbitate doluit. Difficultates aliæ ex Hebræo textu deſumptæ nullius ſunt roboris, quia omnes pene Scripturæ verſiones eundem efficiunt ſenſum quem vulgata Lectio. Vide P. Calmet Diſſert. in hunc locum, Sylv. q. 88. a. 2. Synopſ. Critic. &c.

ARTICULUS TERTIUS.

De iis qui votum efficere, aut irritare poſſunt.

CErtum eſt omnem & ſolum hominem rationis compotem vovere poſſe. Unde vovere non poſſunt ebrii, & amentes; poſſunt verò infantes poſt adeptum rationis uſum, & quicunque in eo ſunt ſtatu ut mortaliter peccare poſſint. Certum quoque videtur omnia omnino vota ſimplicia, etiam de âmplectenda Religione, ab iis emiſſa qui ratione utuntur, ſive aliis ſubditi ſunt, ſive non eſſe de ſe valida; quia nullum eſt jus quo hujuſmodi perſonæ ad vota ſimplicia inhabiles reddantur. Dixi, *vota ſimplicia*, quia Concilium Trid. Seſſ. 25. cap. 15, *De Regular.* ſtatuitur *in quacunque Religione tam virorum quam mulierum, profeſſio non fiat ante 16. annum expletum: profeſſio autem antea facta nullam inducat obligationem ad quoſcunque effectus*; adeoque non valet etiam ratione voti ſimplicis. Ita Salmantic. Tract. 15. c. 4. n. 33.

Dixi iterum vota hæc eſſe *de ſe* valida, quia ex iis multa ſunt quæ à ſuperioribus legitimè irritantur. Quod ut magis pateat, notandum quod irritatio ſit, *annulatio voti facta ab habente poteſtatem dominativam*. Irritatio hæc duplex diſtinguitur: alia *impropria & directa*; alia *propria & directa*. Prima cadit in materiam quæ vovetur; ſecunda cadit in ipſam voventis voluntatem: unde irritatio indirecta fit quando materia voti pendet ab alio in aliqua conditione neceſſaria ad valorem voti, v. g. in honeſtate, ſi materia voti prohibeatur; aut in impoſſibilitate, ſi materia voti ſit ſub alterius dominio, ita ut vovens ſine ejus injuria de ea diſponere non poſſit. Irritatio verò dicta: eſt cum voluntas voventis ita ſubordinata eſt alterius voluntati, ut non poſſit vovere, niſi ſub hac conditione, ſi alter conſenſerit, aut non repugnaverit. Per primam irritationis ſpeciem ſubtrahitur materia, unde irritatio hæc non tam eſt voti diſſolutio quam ejuſdem ſuſpenſio? quia ſi contingat eam materiam quæ ad voventem voti tempore non pertinebat, ad eundem poſtea reverti, reviviſcit votum: per ſecundum verò ſpeciem irritationis, actus voventis revocatur, & quaſi diſſolvitur; unde deinceps reviviſcere nequit. *Vide Suar. Lib. 6. c. 8.*

Irritandi poteſtas non ſolum ex juris Eccleſiaſtici vel civilis diſpoſitione naſcitur, ſed ex ipſo naturæ jure; quia eſt de jure naturæ ut qui alterius dominio ſubeſt, agat dependenter ab eo. Hinc parentes & domini infideles, filiorum & ſervorum vota irritare poſſunt. Ita Cajetan. Soto, & alii quos ſequuntur Salmant. Tract. 17. c. 3. n. 26.

Ad irritationis valorem nulla requiritur cauſa. Ita Theologi penè omnes; quia cum votum quod irritatur, emiſſum ſit ab inferiori ſub tacita conditione conſenſus ſuperioris, hoc ipſo quod ille conſenſum negat, tollitur abſque alia cauſa, voti obligatio. An autem irritatio ſine cauſa facta, licita ſit, & ab omni peccato etiam veniale immunis, controvertitur. Certe irritatio hæc debet eſſe humana, prudens, & ad Deum referri, nec debent ſuperiores inferiorum provectum gratis & temerè impedire. Ergo ſi ſecus fecerint, rei videntur, ſed peccati ordinariè ſolum venialis, ait Sylv. q. 88. a. 3. Vide S. Antonin. 2. p. tit. 11. c. 2. Valet tamen hæc irritatio, ſive inferiores conſentiant, ſive non, ſive ſuperiores in ſpecie cognoſcant votum quod irritare volunt, ſive ſolum in genere cognoverint inferiorem votis eſſe gravatum. Ita iidem Salmant. n. 34. & 35. His præmiſſis

Dico 1. pater omnia prorſus filiorum impuberum vota, tam realia quam perſonalia aut mixta, etiam de amplectenda Religione, etiam de peculio caſtrenſi &c. irritare poteſt,

Probant aliqui ex Num. 30. v. 6. *Si contradixerit pater, vota & juramenta filiorum irrita erunt.*

Prob. 1. ex S. Thom. 1. 2. q. 88. a. 9. *Si puer,* inquit, *ante pubertatis annos attingit uſum rationis, poteſt quidem quantum in ipſo eſt ſe obligare; ſed votum ejus poteſt irritari per parentes, quorum juri*

juri remanet adhuc ſubjectus. ubi S. Doctor loquitur de omni voto generatim & indefinite Et ratio eſt, quia maximè expedit ut filius non voveat firmiter, niſi de conſenſu patris, eâ ætate quâ ob imbecillem rationis uſum non ſatis perfectè cognoſcit voti obligationem; ac proinde ut ejus vota ex patris arbitrio reſcindi poſſint. Ita Cajetan. & Sylvius hic, Suares Lib. 6. c. 6. & alii apud Salmantic. Idem poſſunt qui gerunt patris vicem, ut 1. avus ſi pater deceſſerit, aut longe diſtet. 2. tutor, ut qui in locum patris ſuccedat. 3. horum defectu mater, etiamſi non ſit tutrix, quia ad ipſam pertinet cura, ſi non ſit alius qui impuberis imbecillitati conſulat. Ita Sylvius ibid. An autem pater vota ante pubertatem edita irritare poſſit ſi puer jam pubertatem attigerit, diſputatur. Affirmant multi, tum quia primordialis obligatio inſpicienda eſt, hæc autem pendebat à patre; tum quia ex cap. ult. *De ſent. excom.* poteſtas abſolvendi ab excommunicatione ob percuſſionem Clericorum quam habent Epiſcopi, extenditur ad eos omnes qui ante pubertatem in cenſuram hanc inciderint, tametſi abſolutionem non petant, niſi jam puberes facti Alii negant; in dubio meliùs erit, ſi irritationi paternæ adjungatur diſpenſatio ſuperioris eccleſiaſtici.

Dico 2. Parentes non poſſunt perſonalia puberum etiam ſub patria poteſtate exiſtentium vota irritare, niſi paternæ poteſtati præjudicent, ſeu domus regimen impediant. *Ex quo* ait S. Thomas ibid. *homo venit ad annos pubertatis, ſi ſit liberæ conditionis, eſt ſuæ poteſtatis, quantum ad ea quæ pertinent ad ſuam perſonam; puta quod obliget ſe Religioni per votum, vel quòd matrimonium contrahat: non autem eſt ſuæ poteſtatis quantum ad diſpenſationem domeſticam; unde circa hoc non poteſt aliquid vovere quod ſit ratum, ſine conſenſu patris.* Ratio ulterior utriuſque partis hæc eſt, quod homo poſt pubertatem præſumitur eam quæ ad vovendum neceſſaria eſt diſcretionem habere, adeoque nulla ex parte perſonæ adeſſe poteſt irritationis cauſa, ſed ſolum ex parte materiæ quæ promittitur. Unde pater irritare non poteſt emiſſum à filio caſtitatis, Religionis, moderati jejunii votum; bene vero vota ejus realia, ut de danda ex paternis bonis eleemoſyna, aut etiam perſonalia quæ paternæ poteſtati præjudicium inferrent, ut votum longæ peregrinationis, aut jejunii quod cum familiæ uſu & modo non congrueret, aut filium laboribus patri debitis imparem faceret. Vota vero de peculio caſtrenſi, aut de iis bonis quæ quoad dominium tum directum, tum utile ad filium pertinent, à parente neutiquam irritari poſſunt.

Dico 3. *nullum votum Religioſi eſt firmum niſi de conſenſu Prælati* ſeu ſuperioris. Ita S. Thom. ubi ſupra ad 3. unde ſequitur omnia prorſus Religioſorum vota ab eorum ſuperioribus irritari poſſe. Ratio eſt, quia Religioſus ſe ſuperiori quoad nolle & velle ſubjecit; ergo non vovet niſi ſub hâc conditione, *ſi ſuperior non contrâdicat*. Ita Æthica amoris Lib. 10. c. 46. Salmanticenſes, aliique apud ipſos longè plurimi.

Non poteſt autem ſuperior Novitii vota irritare; quia hujus voluntas ab illius voluntate non pendet: poteſt tamen ea ſuſpendere quæ Novitiatus exercitiis repugnarent, aut quæ Novitium nimis aggravarent. Conſulunt aliqui & ſapienter, ut vota hæc in aliqua Novitiatus exercitia commutentur, eſt enim commutatio hæc in aliquid pro tunc evidenter melius.

Quæres, an ſuperior vota de ſuo ſcitu & conſenſu facta, poſſit deinceps irritare.

Affirmat Æthica amoris: quia qui conſentit non intendit ſe privare jure conſenſum revocandi, nec vota quibus conſentit abſolutè firma reddere; alias à ſucceſſore ejus irritari non poſſent: adhuc ergo manet tacita conditio, *niſi ſuperior aliquando contradicat*. Cæterum nomine ſuperiorum intelliguntur Generales in toto Ordine, Provinciales in Provinciâ ſuâ, Priores, Guardiani, & qui iis abſentibus domum regunt, ut Vicarii. Eadem Abbatiſſis competit poteſtas, iis enim Moniales ut matribus filiæ ſubditæ eſſe debent. Ita iidem Salmantic. & alii apud ipſos cap. 3. n. 41.

Vanum eſſet hic de iis diſſerere ſervis qui vernaculâ linguâ dicuntur *Eſclaves*, cùm Gallia tales non habeat: ſatis eſt noſſe ſervos illos ubi ſunt in uſu, nihil vovere poſſe quod ullum dominis ſuis præjudicium afferat. At alia eorum vota domini irritare non poſſunt, ut votum caſtitatis, moderati jejunii, & ſimilia, quia in his nec domino præjudicant, nec quiſquam alterius ſervus efficitur. Ita Soto, Sanchez, Salmanticenſes &c.

Gravis hic occurrit quæſtio, an, & quæ vota conjuges ſibi mutuò irritare poſſint. Quæ ut ſolvatur.

Dico 1. Probabile eſt quòd neuter conjux poteſt irritare alterius vota quæ non ſunt in ipſius aut familiæ præjudicium: puta neuter impedire poteſt quominus alter voveat caſtitatē poſt alterius mortem ſervandam, eleemoſynas de bonis quæ ſibi propria ſunt, breves orationes, jejunia moderata. Ita multi contra multos. Ratio eſt, quia in his omnibus mulier, etſi vir ſit caput ejus, ex Apoſt. 1. ad Corinth. 11. non eſt ita ſubjecta viro ſicut Religioſi Prælato, aut parentibus filii: neque ipſe vir habet poteſtatem dominativam in uxorem, hæc enim poteſtas non conceditur patribus in filios impuberes, niſi ob ætatis imbecillitatem, & infirmitatem rationis; non conceditur quoque ſuperioribus in inferiores, niſi quia ita ſancitum eſt diſpoſitione juris eccleſiaſtici & ob ſummam quam inferiores à Prælatis habere debent dependentiam: atqui eæ rationes in uxoribus locum non habent.

Dixi, *probabile eſt*, quia opinio oppoſita à multis tenetur. 1. quia Apoſt. ad Epheſ. 5. vult ut *ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus* ſubditæ ſint: atqui hæc verba & comparatio omnimodam uxoris ad virum ſubjectionem important. 2. quia S. Ambroſius Lib. *De parad.* cap. 11. ſic loquitur: *Evidentiſſimè apparet ita virum eſſe caput mulieris, ut nulla vota abſtinentiæ, vel religioſæ converſationis, liceat ſibi, ſine ejus licentia Deo offerre.* 3. denique quia ſanctus Thomas nullum agnoſcere videtur diſcrimen inter ſubjectionem mulieris à viro, & ſubjectionem Religioſi à ſuperiore. *Nullum*, ait ſanctus Doctor, *votum Religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu Prælati; ſicut nec votum puellæ exiſtentis in domo, niſi ſit de conſenſu patris; nec uxoris, niſi ſit de conſenſu viri.* Qui textus licet de ſubjectione quantum ad aliquid intelligi poſſint, omnimodam tamen comparationem exhibere videntur.

Dico 2. Uterque conjux irritare poteſt vota alterius quæ ſibi vel familiæ bono præjudicant, puta votum mariti *de geſtando habitu Religioſo, de multiplicibus humicubationibus, de ſervanda caſtitate* omnimoda. Ita Sylvius: idem de merito dicendum, cui tamen, utpote mulieris capiti, plura licent quàm uxori, quatenus poteſt longiores v. g. peregrinationes vovere. Ratio eſt, quia tale votum abſolutè ſumptum, iniquum eſſet, utpote de re alienâ, & ita per ſe irritum; ergo ut ſit licitum, debet includere con-

re conditionem hanc, *ſi uxor conſerit* Ergo irritabitur ſi uſor non conſentiat. Ita Suares o. 8.

Dico 3. neuter conjux omnimodam continentiam, vi cujus ſcilicer neqoidem debitum reddat, vovere validè poteſt, abſque alterius conſenſu. Ratio eſt, quia ex SS. Auguſtino, Thoma, & communi omnium ſenſu, *de illis tantum bonis poteſt eſſe votum, quæ noſtræ ſubjacent voluntati, qualia non ſunt ea in quibus unus alteri tenetur ;... unde cum conjuges ſibi invicem teneantur in ratione debiti, per quod continentia impeditur, non poteſt unus abſque conſenſu alterius continentiam vovere ; & ſi voverit peccat, nec debet ſervare votum, ſed agere pœnitentiam de malo voto facta.* Ita S. Thom. in 4. diſt. 32. art. 4 in corp. Præiverat S. Auguſtinus Epiſt. 127. alias 45. *Vovenda*, inquit, *talia non ſunt à conjugatis, niſi ex conſenſu & voluntate communi; & ſi præpropere factum fuerit, magis eſt corrigenda temeritas, quam perſolvenda promiſſio: neque enim Deus exigit ſi quis ex alieno aliquid vovet, ſed potius uſurpare vetat alienum.*

Dico 4. emiſſum ab alterutro votum de non petendo debito conjugali, validum eſt ; illicitum tamen juxta S. Thomam, præſertim ſi fiat à viro.

Probatur prima pars ex Alexandro III. cap 3. *De converſione conjugat.* ubi ſcribens ad Epiſcopum Piſanum de quodam qui intraverat *in Monaſterium invita uxore*; poſtquam dixit eum *ratione voti non teneri ad Monaſterium redire* poſt mortem uxoris, addit eum ulterius non poſſe uxorem accipere : *promiſit* enim, inquit, *ſe non exigere debitum, quod in ejus poteſtate erat, & ideo quoad hoc votum tenuit ; non reddere autem, non erat in ejus, ſed mulieris poteſtate* : unde Apoſtolus, *Vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier*. Similia habet Cœleſtinus III. cap. *Placet*. 12. eodē titulo de muliere *quæ credens mortuum, maritū habitum Religionis uſſum. pſerat.* Conſentiunt Caſuiſtæ, & addunt eos qui votum Religionis emiſiſſent, ad repetendum Monaſterium cogi non debere poſt alterius partis mortem, licet hoc eis conſulendum ſit, ut *congruentius ad ſalutem*, quæ ſunt Cœleſtini verba citato capite *Placet*. Ita etiam Sylvius ubi ſupra.

Probatur ſecunda pars ex S. Th. in 4. diſtinct. 32. a. 4. ad 3. *Sed quia*, inquit, *ſi alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium onerosum redderetur, dum oporteret unum ſemper confuſionem petendi debiti ſubire ; ideo alii probabilius dicunt quod non poteſt unus abſque alterius conſenſu vovere* quæ S. Doctoris verba ſi ſignificent invalidum eſſe votum de non petendo debito, credendum eſt mox citatis Alexandri & Cœleſtini Decretales eidem cognitas non fuiſſe ; ſi vero ſignificent votum hoc illicitum eſſe, noſtram reſponſionem ſtabiliunt. Et verò talis voti validitatem agnoſcit S. Doctor quodl. 3. a. 18. & in 4. diſt. 38. q. 1. a. 3. quæſt. 2. ad 4. ut notat Sylvius in Suplem. q. 64. a. 4.

Prob. tertia pars : Idem enim vult S. Th. votum de non exigendo debito, non emitti poſſe ; quia ex hoc matrimonium nimis *onerosum redderetur* : atqui hæc ratio non valet communiter loquendo pro viris qui minus in hoc caſu verecundiæ habent ; ergo. Dixi, *communiter*, quia ſi vir puſilanimis foret, aut mulier magnæ authoritatis, tunc eadem eſſet ratio, imo tunc mulier reddere debet, ſi vir interpretativè petat, nempe ſignis, aut aliter.

Cæterum generaliter loquendo votum hoc ab uxore facilius emitti poſſet quam à viro : ut enim loquitur Innocentius III. cap. *Ex conſcientia*. 9. *De crimine falſi. quilibet ad renuntiandum juri ſuo liberam habet facultatem*; quidni ergo juri ſuo renuntiet mulier, cùm nihil indè maritus incommodi percipere poteſt ? Quia tamen hic non nihil peccati agnoſcit poſt S. Thomam Sylvius, etiam cùm de muliere vovente agitur, ſatius eſt ut à talibus votis abſtineant conjugati.

Dico 5. votum caſtitatis quod ab uno conjugum emiſſum eſt, ab alio irritari nequit. Ita Sanctus Thomas quodlib. 3. art. 18. qui clare non loquitur ; & Suares qui id probat 1. ex cap. 3. *De converſione conjug.* nam verba hæc, *Promiſit non exigere debitum &c.* indicant votum non utcumque validum, ſed firmum omninò ac perpetuum. 2. quia vir v.g. non poteſt irritare vota uxoris niſi indirectè, ſcilicet ratione materiæ quæ viro ſubjecta ſit: atqui quod mulier debitum petere nolit, non eſt materia viro ſubdita ; neque enim vir ei præcipere poteſt ut debitum petat, neque ea ad petendum ſe obligavit, ſed duntaxat ad reddendum : ſi autem vir hoc præcipere non poteſt, non poteſt etiam prohibere quominùs petere nolit. Ergo vir nihil poteſt tum circa hanc materiam, tum circa votum ipſum. 3. quia conſtat apud omnes, virum æquale habere potentiam circa vota uxoris ante vel poſt matrimonium emiſſa : atqui conſtat iterum quòd vir votum de non petendo debito ab uxore ante nuptias emiſſum irritare non poſſit ; idque indicat Eccleſiæ uſus quæ ſemper credidit hic opus eſſe diſpenſatione, quæ tamen non fuiſſet neceſſaria, cum facilius occurreret remedium ; ergo.

At, inquis, hoc onerosum eſt. 1. eſto, modo non ſit injurioſum, non enim omne onus tollitur per matrimonium. 2. conditio hæc onerosa includitur in contractu matrimonii, quatenus qui contrahunt nolunt tollere ſibi libertatem majoris boni quantum poterunt exequendi.

Sed major eſt difficultas, an poſt datum ab altera parte de voto emittendo conſenſum, poſſit ea pars quæ vovit, alteri debitum exigenti perſolvere.

Reſpondeo eum qui votum continentiæ à comparte ſua edito conſenſit, 1 graviter peccare ſi conſenſum ſuum ſine cauſa revocet. 2. nec hoc votum poſſe deinceps irritare. 3. neque voventem poſſe eidem reddere debitum.

Probatur prima pars. 1. quia graviter peccat qui rem de ſuo conſenſu Deo dicatam ad uſus prophanos revocat : atqui ſic ſe habet qui poſt datum uxori, vivendæ continentiæ conſenſum, eadem ad matrimonii actum revocat ; ergo.

Favet Scriptura Num. 30. v. 15. & 16. *Si audiens vir uxoris votum tacuerit... quidquid voverat & promiſerat* uxor *reddet... ſin autem dixerit poſtquam reſcivit, portabit ipſe iniquitatem ejus.*

Probatur ſecunda pars ex iis quæ in aſſertione præcedenti dicta ſunt : ſi enim continentiæ votum quod ab uno conjugum ſimpliciter emiſſum eſt, ab alio irritari non poſſit ; à fortiori irritari non poteſt cùm de alterius conjugis conſenſu emiſſum fuit. Hinc Gratianus in cap. *Manifeſtum*. 33. q. 5. *Si quilibet eorum*, inquit, *alterum à jure ſuo abſolverit, ad præteritam ſervitutem eum revocare non poterit.*

Probatur tertia pars, quod antequam fiat, notandum eſt, hic summopere penſandam eſſe intentionem illius qui voti emittendi licentiam tribuit. Votum enim ab altera parte emiſſum, vel eſt de nunquā petendo debito, vel de omnimoda continentia, quod eſt de non petendo, nec reddendo. In priori caſu fieri poteſt, ut qui licentiam vovendi conceſſit, reipſā nolit juri ſuo præjudicare, ſed tantum permittere ut alia pars id voveat quod ſine aliquali compartis incommodo vovere non poteſt, ut ſu-

ut ſupra ex S. Thomâ diximus. In hac hypotheſi, is eſſe poteſt illius qui vovendi licentiam dedit, ſenſus & intentio, Permitto ut voveas te nunquam petiturum debitum: quapropter in me recipio onus illius nunquam obtinendi niſi ipſe petiero, interim petere volo cùm libuerit. Ita notat Layman. n. 15. cap. 7. Tract. 4. Lib. 4. Innocent. in cap. 1. *De converſione conjug.*

Quæſtio igitur eſt de eo qui alteri permiſit ut abſolute & ſimpliciter continentiam voveret; quo ſenſu ſic probari poteſt tertia pars.

Peccat qui votum violat ſine causâ: ſed in præſenti caſu, qui vovit de alterius licentiâ, votum ſuum violaret, ſi eidem debitum redderet. Ille enim votum violaret, qui contra votum aliquid tribueret alteri, ad quod nullum alter jus habet: ſed qui voto conſenſit, nullum jus habet ad exigendum deinceps debitum. Qui enim jure ſuo ceſſit non ut ſuperior qui ſemper aliquid retinet authoritatis in res eas quarum abdicationi conſenſerat, ſed ut dominus renuntians juri quod ſolùm æquale habet cum altero, ille jam nullum habet jus ad exigendum debitum: atqui ſic ſe habet maritus ipſe; ambo enim quoad jus mutuum in corpora planè ſunt æquales ex S. Paulo, & omnibus Theologis; ergo cum jure ſuo intuitu divini honoris ceſſerit, jam nullum habet jus; ergo vovens tunc non tenetur reddere: ſi vero non tenetur, non poteſt, quia nulla eſt cauſa quæ hoc à peccato excuſare valeat.

Nec nocet cap. *Chariſſimus De converſ. conjugatorum.* Nam ibi agitur de Rege Sueviæ, qui ad tempus, non vero in perpetuum conſenſerat voto uxoris, unde hæc ad reddendum debitū poterat cogi.

Obj. Tam poteſt maritus licentiam uxori conceſſam revocare valide, licet forſitan illicitè, quam hoc poſſit ſuperior reſpectu inferioris, & ipſe maritus reſpectu uxoris, in aliis præter continentiam caſibus: atqui conſequens à Theologis admittitur.

Reſpondeo nego majorem. Cum enim vir & uxor quoad thorum ſint æquales, ut hinc patet quòd nec vir ſine uxoris conſenſu, nec uxor ſine conſenſu viri validè continentiam adæquatam vovere poſſint, clarum eſt virum dùm uxoris voto conſenſit, non agere ut ſuperiorem, ſed ut perſonam quæ renuntiat proprio ſuo juri: hæc autem renuntiatio quædam donatio eſt, cujus materia cùm jam per votum ſit Deo dicata, revocari nequit. Aliter ſe res habet in ſuperioribus, qui per licentiam aliquid faciendi inferioribus conceſſam, nec renuntiant, nec forte renuntiare poſſunt juri ſuperioris, neque jus in alterum transferunt, ſicuti contingit in præſenti caſu.

Inſt. Si maritus uxori caſtitatis votum non facienti, dediſſet licentiam non reddendi debitum, poſſet licentiam hanc revocare ex omnium conſenſu: atqui ſi valeat mox allata reſponſio, omnino dicendum eſt licentiam hanc revocari non poſſe, etiamſi, nec maritus, nec uxor ipſa continentiam voviſſent; nam nunc licentia hæc eſſet quædam juris ſui ceſſio, & ſic faceret maritus quandam donationem: ſed donatio hæc ſemel facta revocari non poteſt, ſi valeant quæ mox reſponſa fuere; ergo.

Confirmatur 1. cum maritus permittit uxori ut voveat ſe daturam Eccleſiæ Calicem, poteſt adhuc maritus licentiam à ſe datam revocare: atqui tamen tunc maritus jure ſuo ceſſit, & rem illam quoad hunc uſum uxori ſuæ dedit; ergo etſi in negotio debiti conjugalis ceſſerit maritus jure ſuo, ceſſionem hanc revocare poteſt.

Confirmatur 2. Tam poteſt maritus, præſertim cùm in gravi pollutionis, aut fornicationis periculo verſatur, licentiam à ſe datam revocare, quam id poſſit in eodem periculo, ſi permiſerit ut uxor Religionem ingrederetur, & ibi voveret: atqui jura permittunt ei qui vovere non vult, & in periculo conſtituitur, ut eam à Religione partem revocet, cui Religionis ingreſſum permiſerat; ergo ſi maritus revocet licentiam vovendi quam uxori conceſſerat, hæc parere tenebitur ſaltem quoad reddendum debitum. Prob. min. ex Alexandro III. cap. 1. *De converſ. conjugat.* ubi loquens de Laico, qui *de licentia & permiſſione uxoris Monaſterium ingreſſus profeſſionem fecit.....uxore nec tranſeunte ad Religionem, aut perpetuam continentiam vovente,* hæc ait: *Dicimus quod niſi uxor ad Religionem tranſierit, aut perpetuo caſtitatem ſervare promiſerit, vir poteſt, & debet de Monaſterio revocari.*

Reſp. nego majorem. Etſi enim doceant communiter Theologi, maritum qui uxori fecit licentiam non reddendi debiti in ordine ad emittendum ab ipſâ votum, revocare poſſe licentiam hanc quamdiu ipſa uxor votum hoc nondum emiſit; quia renuntiatio juri maritali, utpote ſuſpenſa per conditionem voti nondum facti, nondum conſummata eſt, adeoque ſupponit in marito dominium quo uti ipſe poteſt, ut licentiam quam dederat, revocet, quamdiu ipſa conditio adimpleta non eſt: non docent tamen eum qui abſolute & ſimpliciter jure ſuo ceſſit, ceſſionem hanc revocare poſſe; hæc enim ceſſio, cum vera ſit juris ſui donatio, tam irrevocabilis eſt quam quilibet contractus mutuus: unde non magis in hâc hypotheſi tenetur mulier ex vi juſtitiæ ad reddendum debitum, quam ſi mutuo pacto uterque conjugum ceſſiſſet jure ſuo, Ita Suares.

Poſſet tamen mulier, ex eodem Theologo, revocationes mariti acceptare, & tunc teneretur ad redditionem debiti; quia marito jus ſuum reſtituiſſet, quod tamdiu poteſt, quamdiu nullum emiſit votum quod impediat quominus hanc mariti revocationem ratam habeat.

Imo, inquit ibidem Suares, etſi emiſſio continentiæ voto de conſenſu mariti, ejus revocationem uxor nec teneatur nec licitè poſſit acceptare, quia tunc iret contra votum, dum humano ſubjiceret juri, quod & ſibi donatum eſt, & Deo dicatum; ſi tamen revocationem hanc acceptet, valida erit, licet illicita hæc acceptatio, & tunc non peccabit uxor debitum reddendo, imo ad reddendum tenebitur. Nemo enim peccat ſervando juſtitiam: atqui tunc mulier ſervat juſtitiam; quia tunc maritus idem habet jus, quod ante votum. Maritus enim non exciderat à proprietate, & dominio radicali in corpus uxoris, ſed tantum renuntiaverat juri petendi debitum: atqui renuntiatio hæc & abdicatio ſublata fuit per revocationem ab uxore acceptatam; neque nocet votum, donatio enim homini facta, de re Deo promiſſa valet: ſic valet matrimonium ab iis contractum qui antea emiſere ſimplex caſtitatis votum; atque ii nedum peccent reddendo debitum, ad id tenentur, etſi propter votum, debitum exigere nequeant.

Ad primam confirmationem, ſunt qui paritatem admittant, & negant poſt emiſſum ab uxore votum, revocari poſſe licentiam à marito datam; quia hoc eſſet in præjudicium tertii. Alii communiter negant paritatem; quia maritus per licentiam datam non abdicat à ſe dominium, ſed manet ſuperior, cum agitur de iis quorum adminiſtrationem habet, excipe forte, niſi promiſſio acceptata ſit ab homine in cujus gratiam eſt facta. In voto vero continentiæ maritus non ſe gerit ut ſuperior; ſed ut æqualis cedens jure ſuo, adeoque jam non

habet

habet jus revocandi id, quod ſemel circa continentiam conceſſit.

Ad ſecundam, negat Suares majorem: quia, inquit, votum ſolemne in præſenti caſu non habet firmitatem, eo quod hanc impediverit Eccleſia, quod non fecit in voto ſimplici. Hujus verò Eccleſiæ agendi rationis hæc afferri cauſa poteſt, quod votum ſolemne ſi ſemel ratum fiat, facilè non habeat remedium: votum verò ſimplex, etſi ab initio penitus validum, facilius auferri poſſit; unde par fuit ut Eccleſia irritaret votum ſolemne Religionis unius conjugis altero non vovente factum, etiamſi de voto ſimplici in hoc caſu nihil diſpoſuerit. Irritatio autem quam hic admittere videtur Suares, in eo conſiſtit tantum, quod vir ille ad uxorem non voventem revocari queat, non quod votum ejus ſit omnino nullum, ut patet ex iis quæ ipſe docet Lib. 6 cap. 7. ejuſdem tomi.

Reſpondent alii negando minorem, & dicunt in hoc caſu validum eſſe Religionis votum, negantque conjuges amplius ad priſtinum ſtatum redire poſſe. Ita Matrinon *De matrimonio* p. 899. & clarius Grand. *De matr.* p. 153.

Ii porrò objectum Alexandri III. textum interpretantur, vel de licentiâ per vim aut metum extortâ, vel ſaltem conceſſâ à conjuge neſciente jus quod obligat ut alter profiteri non poſſit, *ſine alterius*, ut ajunt, *converſione*, id eſt abſque eo quod alter aut caſtitatem voveat, aut ipſe Religionem ingrediatur. Reſponſiones iſtas pluribus inpognat Suares eodem Lib. 6. c. 7. n. 13. quem conſule.

Quæres an qui conſenſit voto alterius, poſſit ei debitum reddere ſi ipſe exigat.

Negant S. Antonin. 3. p. t. 1. c. 22. §. 3. Navarrus, Vega, Ledeſma apud Sanchem diſp. 36. n. 10. Suares Lib. 9. c. 10. Si enim qui vovendi licentiam comparti dedit, non teneatur eidem debitum reddere, non poteſt etiam illud reddere; alioquin reddendo cooperaretur alterius culpæ ſine neceſſitate. ſed qui vovendi licentiam dedit alteri; non tenetur eidem reddere debitum. Non enim tenetur ei reddere debitum qui juri ſuo renunciavit: ſed qui vovit de alterius licentia juri ſuo renunciavit; ergo.

Aliter ſentiunt Sanchez ipſe ibid. Martinon *De matr.* p. 898. quia per votum homo non ſe privat jure juſtitiæ quod habet in alterius corpus; votum enim non tollit jus illud, ſed facit tantum ut qui vovet, vi religionis petere non debeat, & ſi petierit, ſacrilegium committat. Ergo, inquiunt, alter tunc reddere tenetur, nec magis peccat reddendo, quam peccet qui debitam alteri ex juſtitia pecuniæ ſummam reddit, prævidens futurum ut ille ſummam hanc in luxum & ebrietatem impendat. Verum his, quæ præſentis non ſunt inſtituti, ſatis ſuperque immorati ſumus.

ARTICULUS QUARTUS.

An votum ſit opus bonum & meritorium

FAtentur omnes, etiam heterodoxi, votum ex naturâ ſuâ actum eſſe licitum, neque id negare quiſquam poteſt, niſi contradicat veteri Teſtamento, in quo vota laudabantur: ſed quæſtio eſt, an vota fieri poſſint in novâ lege. Negat Petrus Martyr Lib. *De cælib.* tum quia vota libertatem nobis à Chriſto aſſertam tollunt; tum quia ſupponunt nos in Baptiſmo non ſatis perfectè Deo obſtringi, cum ii qui vovent, perfectius adhuc ſeſe obſtringere velint. Negat & ex parte Calvinus, qui licet ea approbet vota, quæ emittuntur, vel ad vitandum peccatum, vel ad pietatis officia expeditius obeunda, ea tamen improbat quæ ad Dei cultum ordinantur, ut Monachorum vota. Calvino concinit Lutherus, tum Lib. *De votis Monach.* tum exemplo ſuo, cum Catharinam *de Bore* Religioſam Religioſus ipſe & Sacerdos in uxorem duxerit. Contra iſtos.

Dico 1. votum actus eſt honeſtus, & Legis Evangelicæ ſtatui conveniens.

Probatur 1. ex Apoſt. qui de viduis, quæ ſuum caſtitatis votum non ſervabant, ſic ſcribit 1. ad Timoth. 5 *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*: ſed ſi votum vel eſſet aliquid mali, vel Evangelicæ legis ſtatui repugnaret, non haberent damnationem qui ipſum violant, ſed ècontra.

Probatur 2. ex Concil. Illiber. an. 305. Can. 15. *Virgines*, inquit, *quæ ſe Deo dedicaverint, ſi pactum perdiderint virginitatis... placuit in fine dandam eis eſſe Communionem.*

Probatur 3. ex SS. Patribus, quos inter in re evidenti ſufficiet Auguſtinum adduxiſſe. Sic ille verba hæc Pſalm. 75 *Vovete & reddite*, Chriſtianis applicans: *Quid*, inquit, *debemus vovere? credere in illum, ſperare ab illo vitam æternam, benè vivere ſecundum communem modum... hoc totum omnes vovere debemus. Sunt etiam vota propria ſingulorum: alius vovet Deo caſtitatem &c.* Et infra oſtendit quam arctè qui voverunt, votorum executione teneantur: *Quid ait Apoſtolus, de quibuſdam quæ voverunt, & non reddiderunt; Habentes damnationem &c.* Ergo ex S. Doctore voveri poſſunt tum ea quæ ſunt in præcepto ut fides, ſpes &c. tum ea quæ conſilii ſunt, ut caſtitas. Idem paſſim docet S. Ambroſius, præſertim in exhortatione ad virgines.

De cætero libertas Evangelii, eſt libertas à peccato, non autem ab eo quod majoris perfectionis vinculum eſſe poteſt: unde ruit prima Petri Martyris objectio. Secunda plus non habet difficultatis: tum quia multa voventur quibus homo non obſtringitur per Baptiſmum, ut virginitas; tum quia ſicut David etſi jam Deo chariſſimus juravit & ſtatuit cuſtodire ejus mandata, ſic & idem vovere & jurare poſſunt Chriſtiani, ut voluntatem ſuam plenius in bono confirment.

At, inquies, qui vovet exponit ſe majoris peccati periculo, & plerumque de voto dolet; ergo.

Reſp. cum qui prudenter vovet, & voti præſtandi fiduciam in Deo collocat, ac Domini verborum meminit, *Oportet ſemper orare*, magnis ſubtrahi periculis, & nunquam voti ſui pœnitere: & verò adverſariorum ratio probaret præcepta Dei non expedire, *ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio.* Rom. 4. v. 15.

Dico 2. votum eſt actus religionis.

Probatur. Actus bonus & honeſtus qui à nobis aſſumitur, ut noſtram Deo ſervitutem, ejuſque in nos principatum teſtemur, eſt actus religionis: atqui tale eſt votum caſtitatis, v. g. obedientiæ &c. Quod enim Deo gratum eſſe ſcitur, non ſolum aſſumi poteſt ad teſtificandam erga eum benevolentiam, ſed etiam ad ſignificandum noſtræ ſervitutis affectum, adeoque in ejus cultum & honorem: ergo tales actus etſi ab alia quam religionis virtute, obedientiâ v. g. eliciantur, ab ipſâ tamen religione remotè ſaltem pendent, & ab eâ imperantur.

Dico 3. opus quod fit ex voto melius eſt eo quod fit ſine voto, & magis meritorium.

Prob. tum quia tale opus habet bonitatem quam non haberet ſine voto, jungit enim bonitatem actus v. g. caſtitatis, bonitati voti; tum quia opus quod fit ex virtute inter morales præſtantiſſimâ,

hæc ſe graviter obliget, debet & vovens ei ſe graviter obligare ut ſervetur æqualitas.

Dices: Votum pendet quidem à vovente ut fiat, at non pendet ab eo ut obliget, ſed à Deo qui vult eum ſibi obligari à quo quidpiam ſibi promiſſum fuerit. Ergo vovens voti ſui obligationem moderari & reſtringere non poteſt; ac proinde votum rei votæ conditionem ſequetur, & graviter obligabit ſi materia ſit gravis.

Reſp. diſt. ant. Non pendet ab eo ut obliget ſimpliciter, conc. nulla enim eſt vera promiſſio, quæ veram non importet obligationem: non pendet ab eo ut taliter, plus aut minùs obliget, nego. Sic lex ſuperioris juri naturali & divino obligat, & tamen fatentur aliqui ſaltem adverſariorum pendere ab intentione legislatoris ut rem gravem leviter præcipiat. Ita Martinon. p. 398. tom. 3.

Quæres 2. an votum ex metu factum obliget.

Reſp. Metus gravis injuſtè incuſſus ad extorquendum votum, votum annullat. Ita habetur tit. *De his quæ vi &c.* cap. 1. & 2. ubi juxta Alexand. III. *quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari.* Hinc nullum eſt votum Religionis quod emiſit puella ob timorem patris, non ſolum mortem, ſed etiam alia longe morte minora minitantis, quia injuriæ v.g. graves ſunt quid magnum reſpectu puellæ. Valet tamen votum 1. ſi metus levis ſit, quia tunc nec ex rei naturâ, nec ullo jure irritum eſt. 2. ſi metus gravis quidem ſit, ſed juſtè incutiatur: ut ſi Judex mulierem in adulterio deprehenſam adigat ad vovendum, niſi mortem, aliudve ſupplicium pati malit; quia non tam illi metus incutitur ut voveat, quàm ei oſtenditur evadendi ſupplicii via. Item ſi metus incutiatur non ad extorquendum votum: hinc ſi metu naufragii imminentis, vel mortis tibi ſtatim à latronibus inferendæ, voveas Religionem, tenet votum, quia nemo te ad vovendum compellit: non teneret tamen ſi te à facie hoſtis ad Monaſterium confugientem, Superior intra domum recipere nollet, niſi voveres; idem enim eſt ac ſi te traderet in manus inimici, quod gravem ac iniquum metum importat. Porrò metus gravis & injuſtus jure ſolum poſitivo, non autem naturali vota irritat: & Ratio eſt, quia metus injuſtè incuſſus, aliquando non tam eſt gravis, adeoque minùs libertati nocet quam metus juſtè, vel naturaliter incuſſus: atqui tamen metus juſte, vel ab agente naturali incuſſus, non tollit voti obligationem. Ergo obligatio hæc ex rei natura cum metu gravi compatitur, adeoque non niſi per legem poſitivam tolli poteſt.

Vide Tract. de Contract. p. 459.

Quid ſentiendum ſit de votis ex dolo vel errore factis colligitur ex iis quæ dicta ſunt tum ſupra de juramento, tum præſertim Tom. 1. de Contract.

Quæres 3. an obliget votum dubium.

Reſp. vel dubitatur an votum emiſſum fuerit, nec ne: vel certo conſtat emiſſum fuiſſe votum, ſed dubitatur an hoc vel illo modo obliget. Circa primum de quo potior hic movetur quæſtio, duplex eſt ſententia: alii tale votum obligare negant; ita inter alios latè & eruditè Suares, & poſt eum Cabaſſut, &c. alii ipſum, ſi dubium perſeveret, & excuti nequeat, impleri debere contendunt; ita Corduba, Vaſquez in 1. 2. diſp. 65. c. 2. Thyrſ. Gonzales *De recto uſu opin. probab.* diſſ. 7. §. 13. Habert. re maturiùs ponderata, Pontas *Væu* caſ. 23. Atque hæc poſterior opinio ut tutior, ſic & probabilior videtur, unde.

Prob. 1. In dubiis tutior pars eſt eligenda, cùm nullum occurrit fundamentum vi cujus pars altera poſſit elegi prudenter: atqui cum de voto agitur, pars tutior eſt adimpletio voti. Qui enim dubitat v.g. an caſtitatem voverit, dubitat an ſibi ſit peccatum nubere; ergo ſi nubat exponit ſe peccandi periculo, cui non exponitur ſi continere velit, aut voti relaxationē petere. Si enim non eſſet hic periculum peccandi, maxime quia qui de voto dubitat, fundamentum habet quo dubium ſuum abjicere, & alteram partem poſſit eligere; putà ſcilicet quia ſuâ poſſidet libertatem, quæ poſſeſſio meliorem ejus conditionem facit, ſicut in materiâ juſtitiæ melior eſt conditio poſſidentis: atqui hæc ratio & paritas nulla eſt. Nā in materia juſtitiæ, ubi v.g. paria ſunt momenta quibus ego & Fabius opinamur rem de quâ inter nos litigamus, eſſe uniuscujùſque noſtrum, poſſeſſio mea quæ certa eſt, ſtateram in mei favorem inclinat, efficitque ut adverſus Fabium qui non poſſidet, prævaleam: at in caſu voti, nihil eſt penes me certum, quod ſtateram inclinet in gratiam mei: qui enim in materiâ juſtitiæ certus ſum me rem de qua dubitatur poſſidere, in materia voti certus non ſum me meam poſſidere libertatem; ipſa enim eſt de quâ dubito; ergo par non eſt utrobique ratio.

Fatendum eſt tamen cum Gonzale, dubium voventis excuti poſſe in hunc modum ratiocinando: Certum eſt mihi, ex diuturna experientia, me non oblivisci rerum quas maturè propoſui; ergo ſi tale emiſiſſem votum, hujus recordarer, ut aliarum meminiſſe ſoleo rerum quas mature deliberavi; ergo non feci qui ejus non memini.

Prob. 2. ſi quis in dubio de voti emiſſione, poſſet votum non ſervare, poſſet quoque in dubio de matrimonio legitimè contracto debitum petere; falſum conſequens &c. Prob. maj. in dubio matrimonii ideo conjux à conſorte debitum petere non poteſt, quia ſe exponeret periculo faciendi quod vetitum eſt, ſeu accedendi ad eam quæ forte ſua non eſt: atqui eadem ratio militat in materia voti; cùm enim certa detur lex de non violando voto, hoc ipſo quod dubitat num votum emiſerit, dubitat an non ſervando votum, violet eam legem, ergo in hoc dubio votum ſervare debet, ne periculo tranſgreſſionis ſe objiciat. Quòd autem qui dubitat de matrimonii ſui validitate, debitum ab alio petere non poſſit, declarat Innoc. III. cap. 44. *De ſententia excomm. Cum, inquit, conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili & diſcreta, quamvis non evidenti & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam.* Simile pene eſt quod habetur cap. 2 *De ſecundis nuptiis.* tit. 21. Lib. 4.

Prob. 3. tum ex S. Thom. qui ſic loquitur de eo qui dubitat, an voverit ingreſſum Religionis indeterminatè, an hujus vel illius determinatè: *Si autem dubitet quomodo ſe in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne ſe diſcrimini committat;* tum ex ſancto Antonino 2. p. tit. 11. cap. 2. Tom. 10. *Exiſtens*, inquit, *in dubio, an tranſgrediatur votum, & per conſequens peccet mortaliter, tenetur ſe ponere in tuto, ut ſcilicet votum non tranſgrediatur.*

In 4. diſt. 38 q. 1. a. 3.

Ex his principiis ſequitur 1. eum qui certus eſt de ſubſtantia voti, ſed dubius manet de qualitate ejus aut quantitate, debere votum ſtrictius interpretari: unde qui certus eſt ſe voviſſe Religionem, & dubitat an rigoroſam magis voverit an laxiorem, non debet laxiorem ingredi, quia exponeret ſe periculo non adimplendi votum. Ita ii etiam Theologi qui cenſent in dubio de ſubſtantia voti, poſſeſſionem pro libertate ſtare. 2. eum qui certus eſt de voto, incertus vero an ſolverit, teneri ſolvere,

dum æquè vel magis probabilis eſt non ſolutio quam ſolutio. 3. cum qui dubitat an eum ſufficienti deliberatione voverit, teneri voto, ſi cum vovit eam adeptus ſit ætatem, quâ ſolent homines cum deliberatione operari; ſecus ſi v. g. voverit ante ſeptennium, quia tunc defectus rationis & deliberationis præſumitur à communiter accidentibus, cap. *Litteras* & cap. *Acceſſit De deſponſ. impuberum*. Plura videris apud Henric. à S. Ignat. Lib 10. c. 36.

ARTICULUS VI.

Quando, & per quos debeat votum adimpleri.

DIco 1. Si vovens nullum ſibi præſcripſerit tempus quo votum implere debeat, tenetur illud implere quam primum commodè poteſt moraliter loquendo. Et id probatur, tum ex textibus qui initio præcedentis Articuli adducti ſunt; tum quia promiſſio omnis quæ limitata non eſt, ſtatim poteſt exigi; ac proinde ſi exigatur, ſtatim implenda eſt: atqui Deus ſtatim requirit voti executionem, ut patet ex cit. cap. 23. Deuter. Ergo culpabilis eſt omnis mora quæ rationabili causâ non cohoneſtatur. In hac tamen mora, ſicut & in quibuſlibet aliis rebus, occurrere poteſt materiæ parvitas, quæ à mortali excuſet, imò ne veniale quidem erit peccatum ſi mora ſit adeo brevis, ut viri prudentis arbitrio pro nihilo debeat reputari. Hinc qui preces vovit, poteſt expectare tempus quo eas majori devotione recitabit; qui vovit Religionem, differre poteſt donec vel ſanis habeat virium ut Religionis labores ferat, vel ſatis ſtudiorum, ut munia ejus exercere poſſit; hic tamen conſulendi eſſent locorum Superiores, aliive prudentia commendandi.

Dico 2. Votum impleri debet præſcripto tempore, ſi quod præſcriptum fuerit. Ratio eſt, quia tempus illud eſt veluti pars materiæ promiſſionis; ergo cum votum quoad omnes partes impleri debeat, debet & impleri quoad tempus. Hinc qui vovit jejunium die Sabbati, peccat mortaliter, perinde ac ſi die ab Eccleſiâ ſtatuto non jejunaret, nec poteſt jejunium aliam in diem transferre; quæ ex dicendis amplius declarabuntur.

Quæres 1. an poſſit præveniri tempus voto præſcriptum.

Reſp. id eſſe definiendum ex intentione quam quis habuit vovendo. Vel enim tale tempus præfixum fuit ut voti adimpletio non ultra differretur; vel res promiſſa huic diei affixa eſt in honorem ipſius diei, v. g. ob feſtivitatem alicujus Sancti. Si primum, poteſt tempus præveniri, quia votum etiam ante illud tempus obligat; nam qui in hac ſuppoſitione dicit, *Voveo me mea tali tempore peccata confeſſurum*, æquivalenter dicit, *non differam ultra tale tempus*, adeoque præcedenti tempore confiteri poteſt. Quod ſi ultra præfixum tempus confeſſionem differat, debet poſtea confiteri; ſicut debitor cui præfixus eſt menſis terminus ut ſolvat, debet poſtea ſolvere; & communiter pœnitens cui impoſitum eſt à Confeſſario jejunium die Veneris, debet poſtea jejunare, ſi die præſcriptâ non jejunaverit. Si ſecundum, tempus præveniri non poteſt, quia promiſſio habet tunc pro objecto tale tempus, prout ab alio quovis tempore ſive antecedente, ſive conſequente diſtinguitur: unde ſequitur quod ſi votum hoc omiſſum fuerit ſuo tempore, non debeat poſtea impleri, ſicut qui die feſta non interfuit Sacro, non tenetur eidem die ſequenti intereſſe, tametſi peccati ſui pœnitentiam agere debeat. Ita vulgò Theologi; vide Habert & Pontas verbo *Jurer* caſ 11. In dubio autem an tempus præfixum ſit hoc vel illo modo, manet obligatio voti, adeoque in ipſius favorem præſumendum eſt.

Quæres 2. an qui prævidet futurum ut præfixa die votum implere nequeat, debeat tempus prævenire.

Reſp Si votum certè ſit affixum diei in honorem ejus, neceſſe non eſſe ut præveniatur dies; id m dicendum quando terminus præfixus eſt ut obligatio voti ad hunc uſque diem ſuſpendatur: quia in utroque caſu votum non eſt de re ſimpliciter, ſed de re prout tali tempore facienda. Si verò tempus præfixum fuerit ne obligatio ultra illud differretur, tunc præveniendum eſt tempus; quia tunc votum obligat pro toto tempore, & ſingulis ejus partibus disjunctivè ſumptis; ergo qui prævidet futurum ut in poſteriori temporis parte votum implere non poſſit, tenetur illud in priori adimplere. Sic qui prævidet ſe tempore ab Eccleſiâ præſcripto impeditum iri à confeſſione, tenetur ante finem anni præcepto confeſſionis ſatisfacere; qui prævidet ſe poſt meridiem impeditum iri, Officii Horas anticipare tenetur. Ita Suarez, Grandin &c.

Quæres 3. an vovens ea quæ vovit per ſe implere teneatur, an non eadem poſſit per alium exequi.

Reſp. 1. votum perſonale per ipſum voventem impleri debet; reale verò per alium impleri poteſt.

Prob. prima pars; quia materia voti perſonalis eſt propria voventis actio, v. g. jejunium: atqui propria unius actio per alium fieri nequit. Porrò qui votum perſonale implere non poteſt, non tenetur illud mutare in aliud quod implere poſſit: votum enim, ut ſupra dictum eſt, obligat ad modum præcepti Eccleſiaſtici qui autem jejunare non poteſt non tenetur abſolutè ad auſteritatem aliquam jejunio æquivalentem.

Probatur ſecunda pars; quia votum reale non requirit actionem, ſed rem voventis: atqui res voventis perinde datur alium, ac per ipſum voventem, ut patet in eleemoſynâ; ergo. Non ſolum autem votum impleri poteſt per alium qui è ſuis, ſed etiam qui è ſuis rebus voto tuo ſatisfacere intendat: ſicut enim ſi ſine voto calicem Eccleſiæ debeas, nihil debebis ſi aliter calicem bonne pro te donet; ſic ſi eundem debeas ex voto, nihil debebis cum alter eum pro te tradiderit. Atque ex iis principiis colligi poteſt quid ſentiendum ſit de voto mixto: dicendum enim, illud quatenus perſonale eſt, per alium impleri non poſſe, poſſe verò quatenus eſt reale. Hinc 1. ſi voveris te in Æde Lauretanâ B. Virgini lampadem oblaturum eſſe, ad lampadem per alium offerendam teneris, etſi morbus obſtet ne eam per te offeras. Quod ſi id quod in voto reale eſt, non ſit niſi acceſſorium reſpectu obligationis præcipuæ quæ perſonalis ſit, & hæc impletu impoſſibilis evadat, tunc ceſſat omnis & quæcunque voti obligatio. Sic ſi pollicitus eras peregrinationem quæ impoſſibilis facta eſt, non teneris pauperibus in eleemoſynam erogare id, quod in itineris ſumptibus expendiſſes. Hinc 2. hæres de votis perſonalibus non tenetur, etſi teneatur de realibus; & id ex iis ſequitur, quæ dicta ſunt de juramenti obligatione. Sup. p. 218.
Tenetur tamen hæres de voto etiam perſonali, 1. ſi ei conſenſerit: ita Innoc. III. c. 6. *De voto*. ſecus ſi noluerit conſentire; unde filius quem pater voto Religioni dicavit, eam ingredi non tenetur, niſi velit. 2. ſi hæredes non neceſſarii ea conditione inſtituantur, ut inſtitutoris ſui votum exequantur: tunc enim ad illud implendum obligantur, non quidem vi religionis, cum non voverint ipſi, ſed vi juſti-

vi juſtitiæ aut alterius virtutis. 3. ſi votum quod emiſſum eſt tale ſit, ut à poſteris illius qui ipſum emiſit, debeat continuari ex uſu & conſuetudine receptâ. Eâ de causâ, quando Parochi cum populo ut à peſte aliove flagello liberentur, peregrinationis in perpetuum ſingulis annis faciendæ votum emittunt, voto hoc alligantur eorum ſucceſſores, maxime ſi tacita vel expreſſa Epiſcopi conſenſio acceſſerit.

Circa id quod dixi teneri hæredem ad implendum authoris ſui reale votum, duo notanda. 1. eum non teneri ultra vires hæreditatis; ac proinde teneri ſolum ex eo quod deductis debitis & expenſis funerum ſupereſt. 2. eumdem ſolum teneri ſalvâ legitimâ, id eſt eâ boni parte, quæ ſibi debita erat. Ratio eſt, quia hæres non tenetur ad implendum defuncti votum ex propriis, ſed tantum ex defuncti bonis: ſed legitima proprium eſt hæredis bonum, ea verò quæ debita ſunt propter ſumptus funereos, aut aliunde, non ſunt propriæ bona defuncti, ſed ad eos pertinent quibus debita ſunt; ergo. Circa alios caſus qui hic frequentes ſunt, adi Bonac. *De voto.* punct. 5. §. 2. n. 13.

Quæres ultimò, quomodo votum interpretandum ſit.

Reſp. ea quæ dicta ſunt de Iuramenti interpretatione, votis eſſe accommodanda; majoris tamen expoſitionis gratiâ, quaſdam cum Theologorum vulgo regulas proponemus, juxta quas votum explicari debet.

Prima votum interpretandum eſt juxta intentionem, quam vovens habuit, vel habere debuit: ita Sylvius ad q. 88. a. 3. Votum enim eſt privata lex; lex autem non obligat ultra intentionem illius à quo lata fuit: unde qui vovet ſub conditione quæ non ponitur, non tenetur voto, niſi ipſe cauſa ſit cur conditio non ponatur. Hinc cum eodem Sylvio colliges. 1. eum qui vovit aliquod Monaſterium ingredi, ſi principaliter intenderit ſe ad Religionis ingreſſum obligare, & ſecundario ſolum intenderit locum hunc; quamvis in eo recipi non poſſit, debere tentare alia, cum ejuſdem, tum alterius Ordinis Monaſteria, tali numero, tali diſtantia, & diligentia, ut prudentis judicio ſufficere videatur. Si verò principaliter intenderit hanc Religionem, puta Carthuſianorum, vel huncce numero Conventũ, liber erit à voto, ſi in illa, vel in iſto recipi non poſſit. Quod ſi dubitet quid præciſè intenderit, cum votum fecit, debet tutiorem partem eligere, ait S. Thomas. Sed quid, ſi eum ut Laicum recipere velint? Reſp. non teneri, ſi ex ejus conditione, & vitæ curſu appareat eum ſtatim hunc non intendiſſe.

Sylv. p. 633

Colliges 2. eum qui vovit Religionem profiteri, nihil aliud intendendo; non teneri ad ſervandam caſtitatem ſi non admittatur, ſed poſſe matrimonii ſtatum amplecti; ſi autem antequam ad profeſſionem admittatur, contra caſtitatem peccet, non ideo contra votum peccabit. Simili de cauſa qui ſacrorum Ordinum receptionem vovit, nec tenetur ad Officium antequam Subdiaconatu inſigniatur, nec contra religionem peccat, ſi quid contra caſtitatem operetur.

Colliges 3. eum qui vovit indiſtinctè Religionem ingredi, non ſatisfacere voto, ſi ingrediatur Communitatem in qua diſſolutè vivitur, & non ſervatur regula. Ita Major, Navarrus; niſi ſit ſpes quod brevi introducenda ſit reformatio: debet ergo aliam ingredi Religionem; & ſi hanc laxiorem expreſſè voverit, non debet votum ſervare, utpote quod ratione materiæ quodammodo illicitum ſit. Si verò ſolemnia vota emiſerit, intendendo non ſervare regulam, niſi prout ea ab aliis ſervatur, non ideo immunis eſt à peccato, ſi non ſervet ſaltem ea, quæ ſub peccati mortalis reatu obligant, neque tamen ad primigenias regulæ auſteritates obligari debet. Vide Sylvium ſup. Sanchem Lib. 6. in Decal, c. 2. n. 15. S. Thomam in 4. diſt. 38. q. 1. a. 3. ad 5. ubi quæſtionem hanc ſolvens, hæc habet: *Qui interpretatum votum fecit, ad tria vota Religionis principalia in omni caſu tenetur, ſed ad alias obſervantias quarum tranſgreſſio ex diſſimulatione Prælatorum inducitur, qui dum videntes non corrigunt, indulgere videntur, non videtur obligari.* Ita & Pontas *Votu* caſ. 32.

Secunda, ſi clara non ſit intentio, votum interpretandum eſt ſecundum communem intelligentiam verborum, quibus expreſſum fuit, quilibet enim præſumitur juxta communem uſum loqui, ſi vim linguæ intelligat. Hinc qui vovit Sacrum, non ſatisfacit ſi pro eodem Sacro ſtipendium accipiat, quia quod vovetur, gratis voveri ſolet hinc etiam qui vovit jejunium qualibet feria ſexta, jejunio tenebitur ſi Nativitas Domini in feriam ſextam inciderit. *Idemque dicendum eſſet ſi voviſſet abſtinere die in qua perveniet ad locum peregrinationis... nam ſi pervenerit ad locum deſtinatum in die Dominica, imò & in Paſchate Reſurrectionis, utique teneretur abſtinere.* Ita Proſper Fagnan in cap. 3. *De obſerv. jejuniorum.* Ita & Pontas ibid. caſ. 6.

Tertia, votum & juramentum ſtrictè interpretandum eſt. Unde qui vovit jejunare pluribus diebus ſatisfacit jejunando duobus; qui vovit eleemoſynam, implet votum dando modicam, ſi majorem non intenderit, etſi cogitaverit de majori; quia obligatio non ex cogitatione naſcitur, ſed ex intentione. Videndum tamen ne ita eleemoſynam ſuam minuat, ut habita ratione qualitatis perſonæ quæ vovet, quaſi ad nihilum redigatur.

Quarta; voti materia eo debet modo poni quo poneretur materia legis divinæ aut humanæ, quia votum habet naturam legis: unde qui vovit Horarum recitationem non magis ſatisfacit ſi ſine attentione recitet, quam ſatisfaciat Clericus in ſacris poſitus, & ſine attentione recitans.

Quinta addi poteſt regula, nimirum ut is cui præcedentes quatuor non ſufficiunt, nec ſatis animum pacant, virum prudentem conſulat & ejus deciſionem omnino ſequatur.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Quotuplici modo tollatur obligatio voti.

VOti obligatio iiſdem tollitur modis quibus aufertur obligatio Iuramenti; unde aliquando ita tollitur ut nequidem induci poſſit, quod fit cum ſuperior materiam aliquam voveri vetat, aut perſonam Inhabilitat ad vovendum. Aliquando jam inducta aufertur; & id quatuor modis contingit, ſcilicet materiæ mutatione, irritatione voti, commutatione, & diſpenſatione. Quid ſentiendum ſit de materiæ mutatione, & de irritatione voti patet ex iis quæ dicta ſunt cap. præced. Art. 8. nec non & Art. & 3. hujuſce Capitis: ſupereſt igitur ut quædam dicamus de diſpenſatione & commutatione votorum.

Quod ſpectat ad commutationem, ſuppono 1. votum propria voventis authoritate poſſe mutari in aliud quod evidenter melius ſit; ut enim habetur c. 3. *De jurejur. non propoſitum aut promiſſum infringit, qui in melius illud commutat.* Sed 1. melius illud non debet eſſe aliunde præceptum, alias omnia penè vota facilè eluderentur: melius enim eſt v. g. tota Quatrageſima jejunare, quam multa

ex iis quæ fieri ſolent vota exequi. 2. melius non dicitur id quod eſt dignius, ſed quod magis ad ſalutem congruit; unde vix unquam jejunium aut eleemoſyna in orationem mentalem, licet hæc per ſe nobilior ſit, mutari poſſunt,

Suppono 2. neceſſarium eſſe ſuperioris authoritatem, non ſolum ut votum in quid minus commutetur, quod omnes ſponte agnoſcunt, ſed etiam ut mutetur in quid æquale; tum quia etſi mutatio in aliquid æquale nullam Deo injuriam facere videatur, eſt tamen contra Eccleſiæ jura, quæ nemini unquã hanc mutationis libertatem conceſſiſſe videtur; tum quia facilè contingit ut homo in propriâ causâ decipiatur, & id æquale eſſe putet, quod reverâ minus eſt. His prænotatis

Quæres 1. quis habeat poteſtatem vota commutandi.

Reſp. Poteſtas illa iis omnibus competit qui poteſtatem habent diſpenſandi, ſive ordinariam, ſive delegatam. Ita communiter Doctores; quia ex Reg 53. Juris in 6. *cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus*, præſertim in eodem genere: ſed *plus* licet ei qui diſpenſare poteſt, quia poteſt totum remittere; ergo à fortiori commutare poteſt, quia commutando nonnihil partem remittit.

Quæres 2. an mutato ſemel voto reſervato, v. g. caſtitatis perpetuæ, in materiam non reſervatam, v. g. peregrinationem, poſſit hæc materia peregrinatio ſcilicet, commutari ab iis qui non habent poteſtatem diſpenſandi in votis Papæ reſervatis.

Reſp. affirm. quia tunc nulla ſupereſt reſervatio. Ita Habert, & eſt communis.

Quæres 3. an liberum ſit ei cui votum commutatum eſt, ad prius redire.

Reſp. affirm. quia commutatio quidam eſt favor & indulgentia, cui renunciari poteſt: *quod enim ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum*, ex Reg. 61. Juris in 6. Unde prioris voti obligatio extincta non eſt, niſi hoc ſenſu quod vovens materiam in quam facta eſt commutatio amplecti poſſit ſi velit, non autem quod ad eam amplectendam teneatur. Si tamen commutatio in melius facta eſſet, & ut talis à vovente acceptata, non liceret ad prius votum reverti, ex Reginaldo & aliis.

Quæres 4. an ad commutationem requirantur cauſæ.

Reſp. requiri. Commutatio enim illius quod Deo debitum eſt, non eſt apud Deum rata, niſi à Deo acceptetur, non acceptatur autem ſi fiat ſine causâ; ergo ſi ſine causâ fiat, non ſolum illicita eſt, ſed etiam invalida. Cauſæ verò propter quas fieri poteſt hæc commutatio, ſunt 1. notabilis moleſtia & difficultas in executione voti. 2. levitas & perturbatio ex quâ emiſſum eſt votum. 3. fragilitas voventis qui votum violabit niſi commutetur. 4. id omne quod viro prudenti videbitur idonea eſſe commutandi ratio. 5. juxta multos ſufficit major devotio ad illud æquale præſtandum; quia quod æquale eſt, & majori cum pietate fiet, Deo acceptius eſſe videtur. Cæterum ſi Superior bona fide eam ad commutationem crediderit ſufficere cauſam quæ reipſa non ſufficiebat, cenſent multi commutationem valere; quia bona Superioris fides eſt pro causa, nec Deus rigidior eſt exactor.

Quæres 5. an facultas commutandi vota in Jubilæo. ſe extendat ad vota poſt Jubilæi conceſſionem, vel ipſo Jubilæi tempore emiſſa.

Reſp. affirm. Ita omnes; tum quia ex Reg. 15. in 6. *favores convenit ampliari*. præſertim cum hæc ampliatio nemini præjudicat; tum quia facultas abſolvendi à peccatis reſervatis aut cenſuris: ad eas etiam extenditur in quas Jubilæi tempore inciderit. Quin etiam confeſſarius qui votum non commutaſſet, quia perpendere voluiſſet an & quo pacto commutaret, poſſet illud etiam elapſo Jubilæi tempore commutare, quia cauſa quæ tempore habili inchoata eſt, elapſo eodem tempore finiri debet. Sic etiam qui expreſſè & ſigillatim non meminerat votorum omnium quæ emiſerat, & tranſacto Jubilæo, eorumdẽ meminiſſe incipit, adire poteſt eundem Confeſſarium cui in genere vota ſua declaraverat, & ab eo petere ut ſigillatim declaret quam in materiam eadem commutari velit. Imò prudens Confeſſarius qui animadvertit pœnitenti non occurrere omnia quæ emiſit vota, nonniſi generatim commutare debet hoc ſcilicet modo: Commuto omnia vota tua quæ commutari debebunt, in id quod ego poſtea aut vir prudens æquum judicaverit. Si verò voti commutatio, Jubilæi tempore nullatenus inchoata eſt, non poteſt votum deinceps commutari ab eodem, aut ab alio Confeſſario qui ſpecialem commutandi licentiam non habeat. Ratio eſt, quia finiente Jubilæi tempore finitur juriſdictio ad hujuſmodi commutationes neceſſaria.

Dices: Confeſſarius poteſt poſt Jubilæum remittere peccata reſervata, etiamſi pœnitens ea in ipſo Jubilæi tempore confeſſus non fuerit; ergo poteſt & vota commutare.

Reſp. neg. conſeq. Diſparitas eſt quod peccata reſervata ſaltem indirectè remiſſa fuerint in confeſſione per tempus Jubilæi facta, cum alia peccata ſine his remitti non potuerint: & fieri nequeat ut homo aliquo mortali peccato irretitus Jubilæi gratiam obtineat: at verò omnia peccata remitti poſſunt, & Jubilæi gratia obtineri, abſque eo quod petatur aut concedatur voti commutatio.

Quæres 6. quod obſervare debeat Confeſſarius qui votum aliquod commutat.

Reſp. Debet attendere 1. ut quantum fieri poteſt commutatio fiat in bonum æquale. Ita Concilium III. Mediolan. Hæc autem æqualitas non ſcrupuloſè nimis attendenda eſt, quaſi in bono indiviſibili conſiſtat, ſed ad arbitrium viri prudentis judicanda eſt. 2. cavendum eſt ne ex commutatione aliquid oriatur ſcandali. 3. ſpectandum quid magis expediat voventi: qua in re conſideranda ejus qualitas, conditio, ætas, valetudo, inopia; item conſideranda voti commutandi materia, quinam in eo adimplendo faciendi ſumptus fuiſſent &c. Ita Mag. Grandin. Facilè tamen crediderо quod docent alii, peregrinationes non ſolum rectè commutari in largas eleemoſynas, ſed etiam in jejunia, crebram confeſſionem &c. quia plerumque Deo gratiora ſunt, & voventi magis ſalutaria. 4. ſi commutatio fiat Jubilæi tempore, attendere debent Confeſſarii approbari ad Bullæ: verba unde ſi facultas detur ut vota in eleemoſynam commutare poſſint, non poſſunt in aliud pium opus commutare.

Quæres 7. an ſi materia in quam prius votum commutatum fuit, impoſſibilis fiat, aut indifferens, teneatur vovens ad prius votum reverti.

Negant multi; quia, inquiunt prioris voti obligatio per commutationem extincta eſt, adeoque non reviviſcit niſi propria voluntate de novo aſſumatur. Hæc tamen deciſio certa non eſt, quia videtur dici poſſe commutationem ſub hac conditione fieri, ut prior materia ſi poſſibilis remaneat impleatur, poſito quod ſecunda impleri non poſſit.

Circa diſpenſationem voti multa ſunt ſcitu neceſſaria, quæ ut intelligantur,

Quæ-

Quæres 1. quid ſit diſpenſatio, & an poteſtas diſpenſandi Eccleſiæ competat.

Reſp. Diſpenſatio eſt relaxatio ſeu condonatio voti, Dei nomine facta à Superiore legitimo, id eſt ab eo qui Eccleſiaſticam juriſdictionem habet in foro exteriori, ut ſummus Pontifex, Epiſcopi & qui ab iis delegati ſunt. Quod autem Eccleſiæ competat poteſtas in votis diſpenſandi, patet tum ex perpetuo ejuſdem Eccleſiæ uſu; circa quem legi debet titulus de voto; tum ex argumentis quibus ſupra probavimus Eccleſiam in juramentis diſpenſare poſſe.

Quæres 2. quibus competat poteſtas diſpenſandi in votis.

Reſp. eam competere 1. Romano Pontifici qui conſtanti uſu in iis etiam diſpenſat votis, quorum difficilior eſt relaxatio, ut votum perpetuæ caſtitatis. 2. Epiſcopis & iis qui epiſcopali juriſdictione gaudent; ii enim neceſſariam habere debent juriſdictionem ad rectam Eccleſiæ, ſubditorumque ſuorum gubernationem, ac proinde facultatem vota relaxandi, ſine quâ plerumque Eccleſiam ſuam ut expedit, regere non poſſent. 3. Juriſdictionem Epiſcopalem habere cenſentur non quidem Parochi, ſed Capitulum Sede vacante, Vicarius generalis & Pœnitentiarius Epiſcopi, ſed non ſine ſpeciali Epiſcopi licentia, ut poſt Rebuffum docet Pontas, *Diſpenſe des vœux* caſ. 18. Prælati Religioſorum, ut Abbates, Generales, de quo conſulenda ſunt Ordinum Statuta. Cæterum ad diſpenſandum in votis non requiritur Ordo ſacer; unde inferiores Clerici ut delegari poſſunt ad abſolvendum à cenſuris, ſic & ad diſpenſandum à votis.

Quæres 3. an Epiſcopi in votis omnibus diſpenſare poſſint.

Reſp. poſſe in omnibus præterquam in iis quæ Sedi Apoſtolicæ reſervata ſunt: hæc vero ſunt quinque, nimirum 1. caſtitatis perpetuæ. 2. ingreſſus in Religionem approbatam. 3. 4. & 5. peregrinationis ad limina Apoſtolorum, ad S. Jacobum Compoſtellanum, & in Terram ſanctam. Quæ vota non tam Canone ullo quàm conſtanti conſuetudine quæ vim legis habet, ſunt Papæ reſervata. Circa hæc autem quædam ſunt annotanda.

1. Votum peregrinationis ultra mare, Romano Pontifici reſervatum eſt, quamvis ex devotione ſolùm, non autem in ſubſidium Terræ ſanctæ emiſſum fuerit. Ita multi graveſque Theologi qui hoc ex conſuetudine probant, & hos citat & ſequitur Pontas ſupra caſ. 1.

2. Votum caſtitatis non eſt Papæ reſervatum, niſi ſit perpetuum, certum, & abſolutum ab omni re venerea abſtinendi. Reſervatio enim odioſa eſt & communi Epiſcoporum juri contraria; ergo ſtrictè intelligi, & ad ea ſolùm debet extendi vota quæ perpetua ſunt, certa, & abſoluta: unde non reſervantur Papæ. 1. votum caſtitatis ad tempus. 2. votum caſtitatis conjugalis, aut non petendi debitum. 3. votum non nubendi, quod licet non in ſpeciem idem ſit cum voto perpetuæ caſtitatis, ab eo tamen diſcrepat; unde illud violaret qui nuberet, non autem qui fornicaretur. 4. votum mulierem non tangendi. 5. votum ſacros Ordines ſuſcipiendi, quia tale votum licet caſtitatem importet, eam tamen non niſi indirectè includit, ut notat Sylvius, & ex eo Pontas caſ. 14. 6. votum ingrediendi Religionem ſtrictiorem, quod qui emiſit diſpenſari poteſt ab Epiſcopo, non quidem ſimpliciter, ſed ut ingrediatur laxiorem; quia hoc non eſt diſpenſare in voto Religionis, ſed in modo & qualitate illius voti, ut loquitur Sairus apud Pontas caſ. 9. 7. Votum de quo dubitatur an Papæ reſervatum ſit, nec ne: ut ſi vovens dubitet utrùm ſufficiens intervenerit deliberatio circa votum, vel utrùm caſtitatem perpetuam voverit, an ſolùm abſtinentiam à conjugatio, Ita omnes ferè Doctores, ait Cabaſuit. & ex eo Pontas caſ. 13.

3. Votum ipſum perpetuæ caſtitatis ab Epiſcopo multis in caſibus relaxari poteſt, ut 1. cùm ad Romanum Pontificem recurri non poteſt, niſi difficile, ſive quia vovens pauperior eſt, & diſpenſationis ſumptus impendere nequit; ſive quia bellum aut locorum diſtantia impediunt ne ſuprema Sedes aditi poſſit; ſive quia *in mora magnum imminet incontinentiæ periculum, aut gravis ſcandali, aut damni tertiæ perſonæ.* Ita Sanchez Lib. 8. *De matrim.* diſp. 1. author Collat Condomenſ. Tom. 2. p. 388. Pontas caſ. 4. & 5. Ratio eſt, tum quia ex recepto axiomate, *caſus Papalis ſupervenente impedimento fit Epiſcopalis;* tum quia Papa nunquam adverſus Epiſcopos præſcripſit jus in hujuſmodi impedimentis diſpenſandi, aut ex conſtanti eorum agendi ratione patet. 2. Cum votum eſt conditionale, v.g. ſi victor è pugna rediero, & nondum impleta eſt conditio; vel pœnale, v.g. ſi luſero, caſtitatem colam, vel Religionem ingrediar. Ratio eſt, quia votum non reſervatur Papæ, niſi cum perfectum eſt & abſolutum: votum autem quod pendet à conditione nondum impleta, nondum perfectum eſt; ergo.

An autem impletâ conditione votum ſervatum ſit, diſputatur. Verior videtur opinio affirmativa, quia poſita conditione votum fit abſolutum: & certe ſi cæteri contractus conditionati, eoſdem poſita conditione habeant effectus ac abſoluti, quidni & votum? Cenſent tamen multi votum caſtitatis aut Religionis, ſi pœnale fuerit, non eſſe reſervatum etiam impletâ conditione: unde qui caſtitatem vovit ſi luderet, & luſit, non tenetur ad Papam recurrere. Ita Tollet. Lib. 4. c. 18. & conſentire videtur Habert. Ratio eſt, quia tale votum potius procedit ex aliquo timore, quam ex affectu ſervandæ caſtitatis. Verùm hæc deciſio nec ſatis tuta eſt, nec ſatis firma ratione nititur; unde rejicitur à Soto, Navarro, Covarruvia, & aliis multis. Et vero ut tale votum reſervatum ſit, ſatis eſt ut perpetuum ſit, certum & abſolutum: atqui licet pœnale ſit, eſt nihilominus perpetuum, & abſolutum poſtquam impleta eſt conditio. Sicut ergo dici non poteſt votum caſtitatis quod quis emiſit poſito quod ſanitatem recuperaret, non eſſe reſervatum, licet ſecluſo ſanitatis deſiderio emiſſum non fuiſſet, & proinde non ex puro caſtitatis amore proceſſerit; ſic etiam dici non poteſt votum pœnale non eſſe reſervatum.

Quæres 4. an ad diſpenſandum in voto requiratur cauſa legitima, & quænam ea ſit.

Reſp. ad primum affirmat. & id patet 1. ex S. Bernardo. *Si neceſſitas urget*, ait Lib. 3. De Conſid. c. 4. 18. *excuſabilis diſpenſatio eſt; ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt,.. cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* 2. diſpenſatio in voto eſt relaxatio promiſſionis ipſi Deo factæ, quæ proinde ut valida ſit, debet à Deo acceptari; ſed hujuſmodi relaxatio à Deo non acceptatur ſi fiat abſque causâ rationali. 3. poteſtas à Deo Paſtoribus conceſſa, non eſt in deſtructionem ſed inædificationem; eſſet autem in deſtructionem ſi pro libito eâ abſque ullâ ratione uti poſſent. Ergo iis qui ſine cauſa diſpenſationem petunt, reſpondere debent id quod olim Chriſtus, *Neſcitis quid petatis.* Ita Sylvius, Suarez, lib. 6. c. 17. & eſt hæc [illegible] ſtans omniũ *Doctorum* ſententia, ut loquuntur Salmantic. Tract. 17. c. 3. n. 1. 17. Cur valeat abſolutio à cenſuris, etiam ſine causâ, ſuo loco expendemus.

Quod ſpectat ad diſpenſationis cauſas, præſertim in caſtitatis aut Religonis voto, has recenſent Theologi. Prima eſt, cum per matrimonium ſedandæ ſunt lites quæ familias dividunt; melius enim eſt aliquem diſpenſari à caſtitatis voto, quàm perſeverare diſcordiam. 2. cum alioquì conſervari nequit illuſtris familia, cujus tamen ſalus Reipublicæ ſplendori & bono plurimum profutura ſit. 3. cum votum poteſt eſſe voventi occaſio ruinæ, ut ſi vovens experientia cognoverit ſe fragilem eſſe nec continere poſſe. 4. generatim facilius diſpenſatur in votis quæ ex metu, aut ex fervore paſſionis alicujus emiſſa ſunt; de quo vide Suar. cit. cap. 17.

Quæres ultimo, an Romanus Pontifex, aut Eccleſia in voto ſolemni caſtitatis vel Religionis diſpenſare poſſit.

Reſp. Duplex eſt ea de re Theologorum opinio; alii negant, ut S. Thomas 2.2. q.88.a.11, ubi Doctor modeſtiſſimus, & parciſſimus reprehendendi, oppoſitam ſuæ ſententiam his perſtringit verbis: *Papa non poteſt facere quòd ille qui eſt profeſſus Religionem, non ſit Religioſus, licet quidam Juriſtæ ignoranter contrarium dicant.* Idem tenent Capreolus, Tabiena, Soto, Sylvius, qui tamen fatetur oppoſitam aſſertionem eſſe probabilem, adeo ut poſſit quis eam ſine peccato ſequi. Pro parte affirmativa pugnant S. Antonin. 3. p. t. 16. c. 1. §. 10. Cajetan. Ferrarienſis, Petrus Soto, Durandus, & alii plures quos ſequitur Suares tom. 3. lib. 9. c. 26. & lib. 6. c. 16. Idem aliquando ſenſerat S. Thomas in 4. diſt. 38. q. 1. a. 4. & hæc poſterior opinio probabilior nobis videtur, unde.

Prob. 1. quia poteſt Papa in iis diſpenſare quæ juris ſunt eccleſiaſtici: atqui ex dictis ſupra, voti ſolemnitas juris eſt ſolum eccleſiaſtici; ergo.

Prob. 2. non minus poteſt Papa diſpenſare in voto ſolemni Religioſorum, quàm in voto ſolemni caſtitatis Subdiaconorum: atqui in iſto diſpenſare poteſt, fatente S. Thoma; ergo & in illo. Prob. maj. quia votum à Subdiaconis emiſſum, non eſt minùs ſolemne, nec minus ſui traditionem continet, quam quod à Religioſis emittitur. Nec eſt quod dicant caſtitatis votum non eſſe eſſentialiter annexum ſacris Ordinibus; è contra verò idem votum eſſentialiter annexum eſſe ſtatui religioſo: nam inde ſolum ſequitur, fieri non poſſe ut quis maneat Religioſus ſoluto voto; ſicut fieri poteſt ut quis maneat ordinatus ſublato voto: non autem ſequitur votum tolli non poſſe una cum ſtatu religioſo; imo convincit ipſum quoque ſtatum religioſum auferri poſſe, cùm hic non conſtet niſi votorum obligatione, & vota hæc non minus à Religioſo auferri poſſint quàm à Subdiacono. Ita Leſſius Lib. 2. *De voto* c. 40. dub. 19.

Prob. 3. quia Romanus Pontifex ſæpè hac diſpenſandi poteſtate uſus eſt, ut probat idem Leſſius ibid. n. 141. atqui durum eſt dicere, quòd in re tanti momenti erraverit; ergo.

Obj. 1. cum S. Thoma cap. *Cùm ad Monaſterium 6. De ſtatu Monach.* ubi ſic loquitur Innocentius III. *Abdicatio proprietatis ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa regulæ monachali, ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere;* unde ſic: Qui non poteſt diſpenſare in voto caſtitatis vel paupertatis, multo minus diſpenſare poteſt in tota profeſſione religioſâ: atqui ex Innocentio III. ſummus Pontifex non poteſt diſpenſare in voto caſtitatis & paupertatis.

Reſp. diſt. minor. Summus Pontifex non poteſt diſpenſare in voto paupertatis durante Monachatu, ac veluti in ſenſu compoſito illius, conc. min. non poteſt in ſenſu diviſo, id eſt auferendo talem perſonam à ſtatu, in quo erat per poſſeſſionem religioſam, nego. Senſus objecti loci evidens eſt ex ipſis quæ objiciuntur verbis, *Abdicatio proprietatis adeo annexa eſt regulæ &c.* Hæc enim ratio tota fundatur in connexione unius cum alio, adeoque probat ſtante regulâ, non poſſe auferri cuſtodiam caſtitatis vel paupertatis; non autem probat Monachatum ipſum à Papa tolli non poſſe. Et vero Innocentius III. ſolum probare intendebat Abbatem *ſuper habenda proprietate in aliquo Monacho diſpenſare non poſſe*; adeoque ſolum loquebatur de Monacho remanente in ſtatu Monachi, nunquam enim exiſtimarunt Abbates poſſe ſe Religioſos ſuos à ſolemnibus votis abſolvere: atqui ex eo quod Papa non poſſet facere ut Religioſus quá talis non poſſet à voto caſtitatis & paupertatis ſolvi, non ſequitur quòd Religioſus è ſtatu ſuo auferri non poſſit; ergo &c.

Inſtat Albertus Magnus. Plus eſt diſpenſare in toto Monachatu, quàm in aliquo uſu ejus; ergo ſi Papa non poteſt diſpenſare in aliquo uſu Monachatûs ipſo durante, nec à fortiori poterit in toto Monachatu diſpenſare.

Reſp. neg. antec. ſtante enim fundamento, fieri nequit ut tollatur conſecutio quæ juris eſt naturalis & divini, & ſimpliciter obligat: ſic ſtante voto ſimplici caſtitatis fieri nequit ut liceat continentiam non ſervare; pariter ſtante Monachatu ſervari debent caſtitas & paupertas, quia harum obligatio ab ipſo Monachatu fluit: ſed Monachum eſſe non eſt divini aut naturalis juris, neque id etiam neceſſarium eſt in iis caſibus in quibus periculoſum id judicaret Eccleſia; ergo &c.

Inſt. 2. Non poteſt efficere Eccleſia ut res Deo ſemel conſecrata, non maneat conſecrata: ſed Religioſus per profeſſionem conſecratur cultui divino, cùm Religioſum eſſe nihil aliud ſit quàm eſſe Deo conſecratum. Tota ratiocinatio eſt S. Thomæ; minor patet. prob. major, 1. ex Levitici cap. ult. v. 9. *Animal quod immolari poteſt Domino ſi quis voverit, ſanctum erit.* v. 10. *& mutari non poterit.* Et v. 28. *Quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino*: quibus conſonat hæc Regula 51. Juris in 6. *Semel Deo dicatum non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum.* 2. inductione. Nam calix ſemel conſecratus, quamdiu eſt, non poteſt non eſſe conſecratus, & licet propter neceſſitatem applicari poſſit authoritate legitimâ ad uſus prophanos, v. g. ad bibendum, quamdiu tamen manet integer, ſacer manet; unde poſtquam tranſiit uſus prophani neceſſitas, non opus eſt novâ conſecratione ut ad uſum ſacrum applicetur, quá tamen indigeret calix ille, ſi deſiiſſet eſſe ſacer, cùm ſecluſâ neceſſitate non liceat in calice prophano Sacra peragere. Pariter Crux contactu Chriſti ſemel ſanctificata, ab eâ ſanctificatione nunquam excidere poteſt. Ratio à priori eſt, quod hæc conſecratio conſiſtat in quâdam habitudine ad actionem præteritam, adeòque non magis poteſt non eſſe, quàm actio præterita poteſt non fuiſſe; imò character quantumcûq; indelebilis, facilius deleri poteſt quia conſiſtit in qualitate impreſſa quæ quatenus præſens eſt auferri poteſt.

Reſp. diſt. maj. Non poteſt efficere Eccleſia ut res ſemel conſecrata per actionem ſacram quæ circa rem hanc peracta eſt, deſinat eſſe ſacra, eſto: ut res conſecrata per deputationem fundatam in pacto vel promiſſione, nego. Itaque primum conſecrationis genus tolli forte non poteſt: fieri v. g. forſitan nequit ut clavi & lancea quæ Chriſti corpus tetigerunt deſinant eſſe ſacri, quia tota hujus conſecrationis ratio eſt tactus præcedens:

Digitized by Google

dens: porrò nec Deus efficere poteſt ut quod tetigit corpus Chriſti, non tetigerit illud, nec forte ut idem quamdiu durat, ob hunc contractum peculiari veneratione dignum non habeatur. At verò aliter ſe res habet quando agitur de ſecunda conſecrationis ſpecie: nam res hoc ſecundo ſenſu conſecrata, non debet remanere conſecrata, niſi quatenus vi primæ ſuæ deſtinationis ſervat moralem obligationem eodem modo perſeverandi in divino cultu; unde fit ut ſi hæc obligatio reſcindi poſſit, res ſuam quoque poſſet amittere conſecrationem; ergo aut dicendum eſt non poſſe contingere, ut Religioſus ſit unquam neceſſarius ad uſum Deo gratiorem, aut fatendum eſt poſſe eum, ablatâ ſuâ ſibi obligatione, ad hunc uſum converti: prius autem membrū falſum eſt, cùm Sacerdos ad ſacrificandum, baptiſandumve, & abſolvendum deſtinatus, adeoque ad ſtatum religioſo ſtatu potiorem elevatus, poſſit tamen in alios uſus converti, ut fatetur D. Thomas. Idem dicendum de virginibus quas poſt emiſſum ſimplex caſtitatis votum, Deo conſecratas eſſe dixerunt SS.PP. Idem quoque de iis hominibus, qui ſe ſuaque certis communitatibus tradentes, *Oblati* dicuntur; ii enim licet Deo conſecrati, à donatione ſua & obligatione diſpenſari poſſunt.

Ad probationem ex Levit. cap. ult. & Regulâ Juris petitam, diſt. quod eſt ſemel conſecratum Domino, non poteſt in alios uſus converti paſſim & ſine cauſa, ſecluſaque authoritate illius qui diſpenſare poſſit, conc. non poteſt etiam in caſu neceſſitatis, neg. Certè cùm Deus miſericordiam malit quam ſacrificium Matth. 12. non improbaret quòd aurum Deo ſanctificatum, in alios uſus, putà captivorum redemptionem & Reipublicæ utilitatem expenderetur.

Ad id quod additum eſt de calicis & clavorum conſecratione, patet ſolutio ex dictis, & neganda eſt conſequentia; hæc enim conſecratio conſiſtit in quâdam habitudine quæ & nunc non poteſt non fuiſſe, & ex eo quòd fuerit, non poteſt certam in calice vel clavis quamdiu durabunt dignitatem non parere.

PARS TERTIA.

De vitiis religioni oppoſitis.

CUm religio virtus ſit inter morales præſtantiſſima, haud dubium eſt quominus peccata quæ eidem opponuntur, aliis ſint, cæteris paribus, graviora. Cùm autem eadem virtus utpote moralis in medio conſiſtat, dupliciter contra eam peccari poteſt, ſcilicet per defectum, & hoc peccati genus *irreligioſitas* dicitur; & per exceſſum, non quod nimium in vero Dei cultu excedi poſſit, ſed quia vitioſus eſt aliquando & inordinatus cultus qui ei impenditur, & hæc peccati ſpecies *ſuperſtitio* nominatur. Irreligioſitas eſt peccatum quo Deus vel in ſe, vel in rebus ſacris inhonoratur. Quinque ſunt ejus ſpecies, nempe blaſphemia, tentatio Dei, ſacrilegium, perjurium de quo jam diximus, & ſimonia de qua ſuo loco dicemus. Superſtitio verò eſt cultus perverſus, quo vel creatura loco Creatoris colitur, vel Creator ipſe modo indecenti. Superſtitionis præcipuæ ſpecies ſunt idololatria, divinatio, vana obſervantia, magia, & maleficium. De his ſigillatim & paucis dicemus.

CAPUT PRIMUM.

De blaſphemia, tentatione Dei, &c.

BLaſphemia, quæ ſecundum vim nominis idem eſt ac nocens dictum, ſeu maledictum, definitur Locutio contumelioſa in Deum. *Locutio*, ſive externa & oris, ſive interna & animi, ut cum *dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus*, Pſalm. 13. *Contumelioſa*, quia fit contra Deum, in quem utpote ubique præſentem omnis maledictio vera eſt contumelia. *In Deum*: *jam enim vulgo*, ait Auguſt. de morib. Manich. c. 12. *blaſphemia non accipitur, niſi mala verba de Deo dicere*; de Deo, inquam, vel in ſe, vel in creaturis quatenus Dei ſunt, & in eis relucet divina ſanctitas, potentia &c. Quòd ſi creaturæ abſolutè & in ſe ſumantur, maledictum in eas prolatum non eſt blaſphemia, niſi latè ſumpta: quo ſenſu dicit Apoſt. ad Titum c. 2. *Admone illos... neminem blaſphemare*,

Blaſphemia dividitur 1. in internam, & externam. 2. in eam quæ eſt contra Deum, & eam quæ eſt contra Sanctos, de quibus ſtatim dictum eſt. 3. præcipuè in hæreticalem, imprecativam, & merè deshonoſtativam. *Hæreticalis*, eſt ea quæ aliquid falſum pronuntiat de Deo, aut creaturæ attribuit, id quod ſolius Dei proprium eſt; ut ſi dicatur Deum eſſe crudelem, aut mundum à dæmonibus regi. Hæreticalis videtur hæc blaſphemia, *Deum denego, ſi hoc ita non eſt*; quia negare Deum, etiam ſub conditione cujuſvis objecti, eſt negare id quod proprium eſt Dei, exiſtentiam ſcilicet ab omni objecto creato independentem. Si tamen interrogent ut, ut interrogandi ſunt pœnitentes, an in verba Deo contumelioſa prorupetint ex animo erroneo, vix ulli dicent ſe de Deo intùs & reipsâ ſenſiſſe quod ei verbis attribuerunt; unde pauci ſunt quorum blaſphemia una cum religione fidem impugnet; ut notat Habert. Hujuſmodi tamen homines graviter peccant, non ſolùm adverſùs religionem, ſed etiam contra externam fidei profeſſionem. *Imprecativa*, ea eſt qua quis Deo malum imprecatur, ut *Pereat Deus, maledictus ſit &c.* hæc in damnatis frequens eſt. *Deshoneſtativa* demum, ea eſt quâ enuntiatur aliquid in Deo vel Chriſto exiſtens, ſed indecenter & per modum contumeliæ, qualis ea eſt blaſphemia quæ Juliano Apoſtatæ tribuitur, *Viciſti Galilæe*; qualis eſt iſta eorum qui indignabundi nominant Chriſti caput, viſcera &c. 4. alia eſt in Patrem, alia in Filium, alia denique in Spiritum ſanctum. Prima procedit ex infirmitate potiùs quam malitia; ſecunda ex ignorantia; tertia ex malitiâ, & hæc in his præſertim reperitur qui manifeſta Dei opera diabolo attribuunt, ut olim Phariſæi. Quo autem ſenſu blaſphemia hæc irremiſſibilis ſit, expendunt Theologi in Tractatu *De pœnitentia*.

Blaſphemia omnis peccatum eſt mortale in quâcunque materia; quia quælibet Dei contumelia vel maledictio, utpote Dei majeſtatem poſitivè deprimens, gravem Deo injuriam infert. Hinc ea lex Levit. 24. *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur*. Et Pſalm. 36. *Maledicentes ei diſperibunt*. Ergo *nihil horribilius blaſphemia quæ ponit in excelſum os ſuum*. Ad hoc autem non requiritur formalis intentio Deum inhonorandi, ſed ſufficit virtualis, cùm quis v.g. ex irâ aut indignatione imò etiam ex joco ea profert quæ ex communi intelligendi modo, aut ex circumſtantiis Dei inhonorationem continent. *Hieron. l. 7. in Iſai. c. 18.*

Quæres

Quæres quomodo gerere ſe debeant Confeſſarii adverſùs blaſphematores.

Reſp. 1. expendere debent an blaſphemia eorum fuerit hæreticalis: tunc enim duplex peccatum continet, aliud contra religionem, aliud contra fidem, aut ſaltem externam ejus profeſſionem. 2. videndum eſt quod blaſphemiæ genus prolatum fuerit: tum quia aliquando rudes ſe blaſphemaſſe dicunt, cum ſolummodo jurarunt in vanum aut quædam in belluas convitia injecerunt; tum quia facilius intelliget Confeſſarius gravitatem peccati à pœnitente admiſſi, an. v. g. una cum Deo Sanctos impetierit, quod peccatum duliæ ſimul & religioni adverſatur; an Deo maledicere intenderit; an ex irâ, tædio, indignatione in blaſphemiam proruperit. 3. cavebit ne cum Cajetano eos à mortali excuſet, qui ſine pravo in Deum affectu, ſed in jurgio, Chriſti mortem, caput, aut ſanguinem appellant. Ratio eſt, quia hæc vix dici poſſunt ſine Dei contemptu, vix audiri ſine ſcandalo & piarum aurium offenſione.

Notat hic Habertus, eos qui nec jurant, nec blaſphemant, ſed ſingulis ferè verbis nomina Dei, Jeſu, aut Sanctorum, ex quadam animi levitate, & ſæpè ex impatientiâ proferunt, & ſi quid novi contingat, exclamant, *Jeſu! Deus bone!* non eſſe ab aliquo peccato immunes. 1. quia id prohibet Scriptura Eccli. 23. *Nominatio Dei non ſit aſſidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiſceaŕis, quoniam non eris immunis ab eis*, id eſt à peccato irreverentiæ contra eos. 2. quia nomen Dei ſanctum & terribile omnemque ſanctitatem exuperans, ſine ullo religionis ſenſu uſurpare ut aliquid commune & prophanum, vera eſt irreverentia; idem ſtatuit P. Antoine.

Tentatio aliquando ſumitur pro inductione ad peccatum, ut Jacobi 1. *Deus neminem tentat*; aliquando pro peccato quo aliquid fit aut dicitur ad capiendum experimentum potentiæ, ſapientiæ, alteriuſve divini attributi, per extraordinarium effectum ab eo temerè expeccatum. Atque id fieri dupliciter poteſt. 1. expreſſè, ut contingit Monacho illi de quo loquitur Caſſianus Collat. 2. qui ſe in puteum projecit, ratus ſibi adfuturos Angelos qui eum in manibus portarent; quo pertinent probationes quæ olim fiebant candenti ferro, aut aqua fervente, vel duello. 2. implicitè, cum quis ad obtinendum finem ordinariis mediis non utitur: ſic Deum tentant, qui remediis uti nolunt ad ſanitatem, cibo & potu ad conſervationem, ſtudio ad tractandum dignè Dei verbum præparatione ad officii divini recitationem.

Tentatio grave eſt peccatum. 1. quia prohibetur Deut. 6. & Matth. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum*. 2. quia creatura ſine gravi irreverentia præſumere non poteſt futurum ut pro ejus arbitrio leges ſuas immutet Deus, & miracula operetur. Fieri tamen poteſt ut tentatio non ſit niſi veniale peccatum, ut ſi quis nec intendat, nec cogitet actionem ſuam ad Dei tentationem pertinere. Cæterum contingere poteſt ut Deus ſine peccato tentetur,
Geneſ. 15. ut cum Abraham aiebat ad Deum, *Domine Deus meus, unde ſcire poſſum quod poſſeſſurus ſum* terram Chanaan? Sed nemo non videt quanta in hiſce tentationibus opus ſit prudentia & humilitate, ne temerè & ſine causâ, ac ſine vivido S. Spiritus impulſu miracula petantur à Deo.

Sacrilegium vel ſtrictius ſumitur pro furto rei ſacræ; vel latius, & ſic idem eſt ac quævis violatio, ſeu indigna tractatio rei ſacræ, id eſt Deo dicatæ, & ad ejus cultum pertinentis: unde triplex eſt ſacrilegium, perſonale ſcilicet, locale, & reale; quia triplex eſt ſpecies rei ſacræ, nempe perſona, ut Clericus, Religioſus; locus, ut Eccleſia, Cœmeterium; & aliæ res Deo dicatæ, ut Sacramenta, vaſa ſacra, ſacri Codices, Eccleſiæ bona.

Perſona ſacra quadruplici modo violari poteſt. 1. ſi violentæ in eâ manus injiciantur, id eſt ſi injuſta percuſſio, aut actio violenta & contumelioſa in eam exerceatur, ut ſi conſpuatur, injuſtè detineatur &c. contra privilegium Canonis *Si quis ſuadente diabolo*. & tunc incurritur excommunicationis cenſura. 2. ſi ſubjiciatur foro ſæculari contra privilegium fori. 3. ſi irrationabiliter publicis oneribus ut tributis ſubjiciatur contra immunitatem eccleſiaſticam. 4. ſi ipſa peccet contra caſtitatem, aut alii cum illa. Huc refertur violatio cujuſlibet voti, quia per votum res Deo dicatur, nec ad alios uſus ſine impietate deſtinari poteſt.

Locus ſacer tripliciter violatur. 1. per actus quibus polluitur; quales ſunt effuſio illicita & publica ſanguinis, aut ſeminis humani, ſepultura excommunicati non tolerati, aut alicujus non baptiſati. 2. per actus qui licet eum non polluant, ejus tamen ſanctitati adverſantur, quales ſunt mercatus, ſententia Judicis ſæcularis præſertim criminalis, confabulationes, convivia & comeſtio ſine neceſſitate. 3. per actus qui ipſi materiali loco vim inferunt, ut ſi Eccleſiæ fores effringantur; ſi Templa bonis ſuis ſpolientur, ſed de his alibi. An autem furtum rei cujuſlibet in loco ſacro ſit ſacrilegium, controvertitur. Affirmant multi propter cap. *Quiſquis*. 17. q. 4. ubi ſic loquitur Joannes VIII. *Sacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, ſive ſacrum de non ſacro*. Atqui hæc verba, *non ſacrum de ſacro*, generalia ſunt; ergo cum ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere oporteat: quodlibet in Eccleſia furtum, etiam rei nec ſacræ, nec Eccleſiæ cuſtodiæ traditæ, videtur eſſe furtum qualificatum. Ita Suares, Layman, & Leſſius, qui tamen cenſent furtum rei cujus cuſtodia Eccleſiæ commiſſa non eſt (v. g. crumenæ abſciſſionem) non eſſe mortale in ratione ſacrilegii. *Tid. Pontas verb. Egliſe.*

Res ſacra dupliciter violatur. 1. poſitivè, cum indignè tractatur. 2. negativè, cum ea non cuſtoditur curâ qua decet, ut ſi vaſa ſacra pallæ, corporalia præſertim non teneantur ſatis munda; ſi permittatur ſpecies in pixide corrumpi; ſi Euchariſtia ſub clavi non aſſervetur.

Sacrilegium eſt peccatum ex genere ſuo mortale; 1. quia Deum inhonorat in rebus ſacris quæ cum ejus cultui conſecratæ ſint, violari non poſſunt quin ipſe Deus contemni cenſeatur. 2. quia graves ab Eccleſia contra ſacrilegos decernuntur pœnæ, ut excommunicatio contra percuſſores Clericorum; contra eos qui infringunt & ſpoliant Eccleſias, aut eas incendunt, cap. 19. & 22. *De ſent. excomm.* Poteſt tamen ſacrilegium non eſſe niſi veniale peccatum, tum propter inadvertentiam, tum propter tenuitatem materiæ, quæ non ita pugnet cum ſanctitate loci, ut ſi quis in tranſitu per Eccleſiam vendat aliquid aut emat ſine morâ in paciſcendo. Qui in Cœmeterio mercatus & nundinas exercent, non ſunt immunes à peccato, niſi magna quædam neceſſitas ad id talibus in locis faciendum impellat. Cum autem ſanctitas quæ per ſacrilegium violatur non ejuſdem ſit naturæ, quia aliter perſona Deo dicata, ſancta eſt; aliter locus Deo conſecratus, debent pœnitentes exprimere quo in genere ſacrilegium commiſerint

CA-

CAPUT SECUNDUM.

De ſuperſtitione.

SUperſtitio, utpote quæ inordinatus ſit cultus veri vel falſi numinis, duplex eſt, una ex parte rei quæ colitur cùm non debet coli; alia ex parte modi quo colitur res cultu digna, nempe Deus verus.

Triplex eſt ſuperfluus vero Deo cultum reddendi modus, falſus, turpis aut indecens, ac ſimpliciter ſuperfluus. *Falſus*, ut ſi quis Deum judaicis aut mahumeticis ceremoniis colere velit, ut circumciſione, aut peregrinatione ad tumulum Mahumetis. Ad falſum cultum pertinet falſas reliquias Fidelium venerationi exhibere, falſa miracula prædicare &c. *Turpis*, ut ſi quis hominem Deo immolet, item ſi muſica, organa, & alia ejuſdem generis quæ in Officio divino adhibentur, laſciviam ſapiant. *Simpliciter ſuperfluus*, cum quis ex indiſcreta devotione, novas Miſſæ vel Officio preces aut ceremonias addit; cùm ſperat ſe aliquid a Deo conſecuturum eſſe ſi tot & tanti ponderis cereos accendat; ſi tot & tali ſitu orationes fundat: hinc Petrus Simon Iprenſis Epiſcopus, ut ſuperſtitioſam prohibuit quandam orationis alioqui piæ formulam quá utebatur miles ad ſananda commilitonum vulnera; & Curia Pariſienſis an. 1577. vivam cremari juſſit Barbaram Doream, quæ fatebatur ſe iis quos faſcinaverat, medicinam feciſſe diſciſsâ columbâ, & ægroti ſtomacho impoſita cum his quæ agnoſcebat ſe à diabolo didiciſſe verbis: *In nomine Patris &c. Domini S. Antonii & Domini S. Michaelis Angeli, curari poſſis ab hoc malo.* Unde colliges ſuperſtitioſam eſſe eorum Curatorum praxim, qui candentem Eccleſiæ ſuæ clavim animalium cervici applicant, ut a rabie præſerventur: idem de iis dicendum, qui fauſtos & infauſtos dies obſervant; de quo vide Pontas *Superſtition* toto titulo.

Superſtitio ex parte rei cultæ quintupliciter contingit: vel enim impenditur creaturæ honor ſoli Deo debitus, & eſt *idololatria*; vel quæritur à dæmone rerum occultarum ſcientia, & dicitur *divinatio*; vel exſpectatur ejus auxilium ad quoſdam effectus obtinendos, & eſt vana obſervantia, ad quam *magia* & *maleficium* revocari ſolent.

Idololatria. Idololatria, vel latè ſumitur, & ſic eſt omne peccatum quo avertitur à Deo, & convertimur ad creaturas; vel ſtrictè ut in præſenti, & ſic eſt peccatum quo divinus honos creaturæ tanquam Deo exhibetur. Peccatum illud mortale eſt, & quidem graviſſimum. 1. quia prohibetur Exod. 20. v. 3. *Non habebis Deos alienos coram me*; & infra, *Non adorabis ea, neque coles*; non adorabis inquam exterius, nec coles interius, ut exponit Gloſſa: unde qui tempore perſecutionis, etiam ex mortis metu, idola exterius veneraretur, tametſi interius ſervaret fidem, non eſſet à mortali peccato immunis, ut unanimiter docent Theologi. 2. quia honorem ſoli Deo debitum ad viles creaturas transferre, peccatum eſt læſæ majeſtatis divinæ, quo vix gravius ullum concipi poteſt.

Divinatio. Divinatio, ſic dicta quaſi quædam divinitatis æmulatio, eſt inquiſitio cognitionis rerum occultarum ope dæmonis expreſsè vel tacitè invocati. *Inquiſitio cognitionis*, ſive ea cognitio de facto obtineatur, ſive non. *Rerum occultarum*, ſive ſoli Deo cognitæ ſint, ut cogitationes cordium; ſive à dæmone cognoſcantur, ut furtum, homicidium, & alia ſcelera quæ ejus inſpiratione patrata ſunt; ſive naturaliter cognoſci poſſint, & tamen earum notitia à dæmone petatur. *Ope dæmonis*: nam cognitio occultorum cùm naturaliter hic & nunc haberi non poſſit, vel expectatur a Deo vel à dæmone: non à Deo qui non vult ut homo res hujuſmodi cognoſcat, aut ſaltem ut earum notitiam non niſi mediis naturalibus aſſequatur. Ergo ſupereſt ut exſpectetur à dæmone, ſive expreſsè invocetur ut ſolent eum invocare magi; ſive tacitè, cùm obſervantur ea quæ ad talem notitiam naturaliter non deducunt, ut faciunt Genethliaci, qui ex horâ nativitatis & ſyderum inſpectione, futuram hominum conditionem præſagiunt; Chiromantii & Phyſionomi, qui ex manuum aut faciei lineamentis, vitæ diuturnitatem, morbos, animi indolem colligunt; Augures, qui ex avium garritu, aut animalium vocibus futura prædicunt.

Divinationem graviſſimum eſſe peccatum fatentur omnes 1. quia per eam fiunt homines ſocii dæmonum, quod ſevere prohibet Apoſtolus 2. quia qui eam exercent, præcipua divinitatis inſignia ſibi arrogant, juxta id Iſaiæ *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dii eſtis vos.* 1. Cor. 10. c. 14. v. 23.

Quæres 1. an cognitio quælibet ex ſyderibus petita ad divinationem pertineat.

Reſp. Duplex eſt Aſtrologia: alia *naturalis* & licita, quâ ex ſyderum concurſu prænuntiantur eclypſes, venti, pluviæ, & alii ſimiles effectus qui cum iſtis connexionem naturalem habent, ut frugum ubertas & ſterilitas. Ita S. Thomas Opuſc. 26. Alia *judiciaria*, quâ ex aſtrorum aſpectu, prædicuntur ea quæ a ſola hominis libertate pendent, ut matrimonia, dignitates, exilia, mortis genus &c. & hæc prorſus illicita eſt. 1. quia prohibetur Scripturis, Iſaiæ 47. *Stent & ſalvent te Augures Cœli, qui contemplabantur ſydera... ut ex eis annuntiarent ventura tibi.* Et Jerem. 10. *A ſignis cœli nolite metuere quæ timent gentes.* 2. quia prohibetur inſuper Jure tum civili, tum canonico, multiſque Conciliis, præſertim Toletano I. an. 400. cujus hæc ſunt verba: *Si quis Aſtrologiæ vel Matheſi exiſtimat eſſe credendum, anathema ſit.* 3. demum Aſtrologiam hanc reprobant ſpecialia hujuſcè Regni Statuta, ut patet ex Edicto Caroli IX. & Henrici III. Hinc peccat qui ex eo quòd hic vel ille ſub Veneris planeta natus ſit, certo conjicit eum lubricum fore; quia licet planetæ poſſint *ad hoc* vel illud *diſpoſitivè inclinare, in quantum imprimunt in corpus humanum*, (adeoque nec erret, nec peccet qui inclinationem hanc in genere ſolùm & conjecturaliter prædicit, ut docet Cajetan.) *nulla neceſſitas ex hoc libero arbitrio imponitur, ſed contra inclinationem cœleſtium corporum homo poteſt per rationem operari.* S. Thom. 2. 2. q. 95. a. 1. Vide Pontas v. Aſtrologie.

Sed ſi cui prædictum ſit eum gladio moriturum, Veneri deditum fore, Cardinalem futurum, peccabitne is inde actiones ſuas regendo & moderando?

Reſpondet P. Henno. 1. eum peccaturum mortaliter ſi infallibilem hiſce prædictionibus fidem adhibeat; ſequitur ex dictis. 2. eum adhuc graviter peccaturum eſſe, qui ſine credulitate infallibili, ſed cum timore aut ſpe prænuntiatorum actiones ſuas diriget, ut ſi ſpe Cardinalatus Romam adeat, aut ſubmerſionis metu, domo non exeat; quia cum tales eventus ab aſtris ſerio exſpectari nõ poſſint, non niſi à dæmone ſperari poſſunt, quod ſine mortali peccato fieri nequit. 3. qui conjecturaliter credit ſe vel ex aſtrorum influxu, vel aliter ad rixas aut luxuriam proclivem futurum eſſe, non peccabit occaſiones vitando, implorando ſimpliciter

ſertim Euchariſtia indignè abuſi ſint, quod eſt blaſphemia & ſacrilegium &c,

Saltem, inquies, qui renuntiant omni pacto cum dæmone, à peccato immunes erunt.

Reſp. nego propoſitionem. Ratio eſt quia renuntiatio facto contraria, non excuſat, ſed eſt mera illuſio: ſed qui teſtificatur ſe omni pacto renuntiare, reipſa facit contra teſtificationem ſuam, cum remediis vanis & inutilibus utitur; quia media hæc nonniſi ex dæmonis operatione, ea quæ expectantur producere poſſunt. Hinc cap. 2. *De ſortileg.* præcipit Alexander II. ut Sacerdos qui *non ea intentione ut vocaret dæmonium, ſed ut inſpectione aſtrolabii furtum cujuſdam Eccleſiæ poſſet recuperare*, furem deregere voluerat, ab altaris miniſterio per annum ſuſpendatur.

Maleficium

Circa maleficium variæ proponuntur quæſtiones, & quidem quæritur 1. quid ſit.

Reſp. eſſe ſuperſtitionem qua quis dæmonis ope nocet alteri, vel in ſe, vel in ſuis. Cum enim humani generis hoſti potius nihil ſit quam ut homines torqueat, huic in finem lubentiſſimè utitur ſcientia ſua qua novit mille nocendi artes; potentia, qua multa ſupra vires humanas præſtare poteſt; malitia, qua quantum ſibi licet, perditos, homines ſibi adſciſcit ut aliis ſtragem & perniciem inferat: quod autem exiſtant hujuſmodi homines perditi, malefici, ſagæ, ſortiarii, patet 1. ex Scriptura Exod. 22. *Maleficos non patieris vivere.* Et Deuteronom. 18. *Cave ne inveniatur in te qui ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia, atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator &c. omnia enim hæc abominatur Dominus.* 2. ex Conciliis plurimis à Niceno I. Can. 20. ad noſtra uſq; tempora quæ citat Pontas verbo *Sorcier.* 3. ex praxi Eccleſiæ quæ nefariam hanc hominem peſtem diebus Dominicis anathemati devovet. 4. id evincit celebre exemplum 1. Magorum Pharaonis, Exod. 7. 2. Pythoniſſæ quæ ſuſcitavit Samuëlem. 3. Simonis magi, qui ut referunt author Conſtit Apoſtol Lib 6. c. 9. & Arnobius Lib, 2. adverſùs Gentiles, prodigia adeo ſtupenda edebat, ut pro magna Dei virtute, & pro Deo ipſo á populis haberetur; de quo vide Tillemont Tom. 1. & 2. Hiſt. Eccleſiaſt.

Vide Suar l. 2. De ſuperſt. c. 16. *Aſt.* 8.

Quæres 2. quotuplex ſit maleficium.

Reſp. duplex aſſignari. Aliud eſt *amatorium*, quo flectuntur homines ad amorem venereum, non quaſi dæmon voluntatem cogat: unde qui tentationibus ab eo per philtra inductis conſentiunt, mortaliter peccant, quia eæ quantumvis importunæ per Dei gratiam vinci poſſunt; ſed quia ſpiritus immundus humores commovet, & phantaſiam concutit, adeoque exponit ruinæ, niſi ad orationem, jejunium & Sacramenta recurratur. Aliud dicitur *veneficium*, quo mors, morbi, dolores inferuntur, quò referri poteſt maleficium tum circa copulam carnalem, tum circa infantes etiam baptizatos quibus nocent ſtriges & lamiæ, ut putat S. Auguſt. Utrumque maleficii genus grave eſt peccatum, quia pugnat 1. contra religionem, utpote continens commercium cum Diabolo. 2. contra juſtitiam. 3. quia ſæpe annexam habet hæreſim, apoſtaſiam, ſacrilegium &c. unde magi, malefici, & alii id genus nunquam abſolvendi ſunt, niſi omnem cum dæmone ſocietatem abjurent; artis magicæ inſtrumenta, libros, ſchedas comburant; illata proximo damna reparent. Si tamen dæmoni chirographum dederint, neceſſe non eſt ut illud repetant, ſed ſatis eſt ſi pœnitentiæ lachrymis ipſum delere moliantur, ut docet Suares.

L. de 3. Civ. Dei c. 14.

Suar. l. 2. De ſuperſt. *c. 1, 7.*

Quæres 3. an, & quibus remediis uti liceat ad diſſolvendum maleficium.

Reſp. licitum eſt uti 1. remediis *naturalibus* quæ petuntur ex herbis & pharmacis Medicorum; imò remedia hæc ab initio tentari convenit, ne quod naturæ opus eſt, dæmonis opus eſſe temerè credatur. 2. remediis ſupernaturalibus, ut ſunt confeſſio, Euchariſtiæ ſuſceptio, Aquæ benedictæ uſus, Reliquiæ Sanctorum, frequens nominis Jeſu, & B. Virginis invocatio, ſignum Crucis, cujus vis magna eſt contra omnes Satanæ laqueos. Olim uſus fuit ut deferretur ſuſpenſum è collo initium Evangelii ſecundùm Joannem, ut notat ſanctus Hieron. in v. 5. cap. 23. S. Matth. in his tamen vitanda ſuperſtitio, & effectus omnis divinæ voluntati committendus.

Major difficultas eſt an uti liceat remediis moralibus, quo nomine ea intelligimus cum Leſſio, quibus diſſolvi poteſt pactum per quod dæmon homini nocet; quod fit amovendo aut deſtruendo ſigna magica ad quorum præſentiam diabolus nocumentum infert. Circa quod,

Leſſ. l. 2. c. 44. dub. 6.

Dico 1. licitum non eſt ſolvere maleficium per aliud maleficium, nec proinde licitum eſt petere à malefico etiam parato ut maleficium per aliud maleficium tollat. Ita omnes contra Angelum, cujus opinio meritò rejicitur à Suare ut erronea. Et ratio eſt, quia non licet ab alio petere, id quod ab eo nullo modo benè fieri poteſt; hoc enim eſt conſentire rei intrinſecè malæ, quod nunquam licet ex Apoſt. Rom. 1. ubi *digni* dicuntur *morte* non ſolum qui talia faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus: atqui maleficium per aliud deſtrui benè & licitè non poteſt, quia poſterius maleficium includit expreſſam vel tacitam dæmonis invocationem, quæ nunquam uſurpari poteſt; ergo licet deſtructio maleficii ſit aliquid in ſe bonum, prout tamen fit per commercium cum dæmone, eſt aliquid peſſimum. Aliud eſt cum petitur juramentum ab eo qui putatur per falſos deos juraturus, aut mutuum ab eo qui ſolet uſuras exigere; quod enim tunc petitur & bonum eſt, & benè fieri poteſt ſi velit is à quo petitur.

Suar. c. 18. n. 3.

Hinc colliges cum Delrio, Suare & aliis, non licere ab alio malefico qui prioris maleficiū non novit, petere ut illud ſolvat, quia tunc illud aliter quam per maleficium ſolvere non poteſt.

Dico 2. licitum eſt petere à malefico ut tollat maleficium modo licito; quia per ſe licitum eſt ab eo petere ut injuſtè nocere deſinat, cum ad id teneatur. Quod ſi maleficus licitum maleficii deſtruendi modum non agnoſceret, nihil ab eo petendum eſſet; quia tunc non poſſet licitè maleficium deſtruere. Major eſt difficultas quid liceat, cum dubium eſt an maleficus licito vel illicito medio uſurus ſit ad maleficii ſolutionem. Tria reſpondet Suares. 1. hortandus eſt imò & minis cogendus maleficus ad utendum medio licito, ſi qua ſit ſpes eum uſurum. 2. ſi probabilius ſit eum uſurum medio licito, poterit ab eo peti ut maleficium ſolvat, quia ceſſat tunc periculum morale ex parte perſonæ; & hoc verum eſt, ajunt alii, quamvis etiam à dæmone modum illum licitum accepiſſet, quia eo uti malum non eſt. Sic ſi diabolus ipſe theſaurum abſconditum indicaſſet, liceret eum quærere, cum non videatur illicitum uti ſcientia à dæmone acceptâ quæ in ſe nihil habet mali, modò ſine recurſu ad dæmonem exerceri poſſit. 3. domum ſi petens timeat ne maleficus illicito modo maleficium deſtruat, imò probabiliter credat, aut etiam certus ſit moraliter maleficium à mago illicito potius quam licito modo deſtructum iri, adhuc poteſt ejus deſtructio peti juxta eundem Suarem & alios quos citat: quia tunc peto rem quam habeo jus pe-

cap. 19. n. 9.

teodi,& quæ ab alio licitè præſtari poteſt; ergo non magis pecco quàm cùm juramentum peto à Gentili, quem mihi certum eſt nonniſi per idola ſua juraturum eſſe. Et verò tametſi ex charitate teneamur proximi peccatũ vitare, hoc ex malitiâ ſolũ operantis provenit,& alias nobis grave damnum ſalutis ex tali præcautione imminet: atqui in præſenti caſu grave nobis imminet etiam ſalutis damnum, quot enim expoſiti ſunt peccatis qui v. g. matrimonium conſummare nequeunt &c. Aliunde verò quod maleficus maleficium peccando ſolvat, ex ejus ſolùm malitiâ provenit; cùm ſupponamus enim poſſe viâ licitâ maleficium ſolvere: fatemur enim eum qui ſcit aut dubitat an maleficus licitum cognoſcat maleficii deſtruendi modum, non poſſe ſine peccato maleficii diſſolutionem ab eo petere. Ita etiam
Tract. 21. cap. 11. n. 149. Salmantic. Contrarium cenſent Cajetan. Delrio Lib. 6. Diſquiſ. mag. & alii quidam; quia, inquiunt, peculiarem quemdam horrorem habere debemus, ne dæmon ſe rebus noſtris immiſceat. Sed ratio hæc infirma eſt: nam debemus etiam horrorem habere, ne dæmon invocetur per juramentum; &
Vid. sup. p. 145. tamen ab eo nonnunquam exigi poteſt juramentum, quem ſcimus per dæmonia juraturum eſſe.

Dico 3. licitum eſt deſtruere & comburere ſigna maleficii, ut ligaturas, imagines, capillos &c. Ita penè omnes contra paucos; & probatur 1. quia non ſolùm licitum eſt, ſed etiam meritorium deſtruere opera diaboli: atqui hæc deſtruuntur, cùm evertuntur ſigna quibus malitiam ſuam alligavit 2. quia deſtructio hæc nec in Scripturis, nec in Patribus prohibita reperitur; imò ſæpè præcipit Scriptura, ut idolorum ſtatuæ, aræ, & luci ſubvertantur, ut Exod. 34. Deut. 7. atqui perinde eſt ſigna magiæ deſtruere, ac tollere idola, præſertim cùm idola hæc maleficiis plena eſſent. 3. ideo hæc ſignorum amotio mala foret, quia, ut nonnullis Luvanienſibus placet, importaret ſocietatem cum dæmone, eique honorem attribueret: atqui hoc dici non poteſt. Hæc enim ſocietas cum dæmone, repetenda eſſet vel ex parte operis, vel ex parte operantis. Non primum, tum quia deſtructio hæc fit invito dæmone, & independenter à voluntate ejus; tum quia eadem deſtructio eo unicè tendit ut tollatur vinculum iniquitatis, & conſequenter ut deſtruatur omnis cum dæmone ſocietas. Non ſecundum, quia ſigna hæc diſſolvens nullatenus intendit ſe dæmoni ſubmittere, nec eũ allicere ut ſtet promiſſis, ſed id tantùm ſibi proponit, ut omne cum dæmone pactum evertatur; ergo licitum eſt hæc ſigna tollere, nec licitum modò, ſed etiam neceſſarium. 1. reſpectu malefici qui ad hoc tenetur ex juſtitiâ. 2. reſpectu aliorum qui ad idem ſaltem ex charitate tenen-
n. 13. tur, niſi tamen, ut monet Suares, grave aliquod damnum inde ſequi deberet. Si tamen damnum meum vitare non poſſem, niſi aliquod ipſi malefico damnum contingeret, ut ſi ita pactus eſſet cum dæmone, mihi conſulere poſſem, quia maleficus non niſi culpâ ſuâ & præter intentionem meum damnum illud pateretur, ut docent Salmantic. n. 158. Hic tamen ſervandæ ſunt charitatis & juſtitiæ leges, quæ ex dictis in Tract. *De juſtitiâ* colligi poſſunt.

Objiciuntur quædam. 1. authoritas S. Hieronymi, juxta quem cùm ad S. Hilarionem adducta eſſet virgo quædam, à dæmone quo obſidebatur liberanda, reſpondit dæmon: *Exire me cogis, & ligatus ſubter limen teneor; non ex eo niſi me adoleſcens qui tenet dimiſerit*, *ablatis nempe maleficii ſignis*. *Noluit autem* Hilario, ait S. Doctor, *antequam purgaret virginem, vel adoleſcentem, ſigna jubere perquiri, ne aut ſolutis incantationibus receſſiſſe dæmon videretur, aut ipſe ſermoni ejus accommodaſſe fidem.* Ergo duo occurrunt in auferendis iſtis ſignis mala, unum quia dæmon per incantationem recedit; aliud quia eidem fides datur. 2. in hiſce ſignis duplex virtualiter pactum cum dæmone invenitur hoc modo: *Nocebo ſi tale ſignum tali in loco ponitur, ſi vero auferatur nocere deſinam*; ergo ut peccat qui hoc ſignum ponit, quia commercium habet cum diabolo, ita & qui illud aufert eâdem de cauſa. Quòd ſi dicatur unicum eſſe diaboli pactum cum malefico, perperam auferetur ſignum, quia diabolus independenter ab eo nocere perget. 3. qui ſigna hæc frangit, ſanitatem non expectat à Deo, aut à cauſâ naturali; ergo ſolùm à diabolo, quod ſine peccato fieri nequit. Cætera fuſiùs invenies apud Leſſium. Leſſ. l. 2. c. 44. dub. 6.

Reſp. Ad primum, non dicit Hieronymus, *ne ſolutis incantationibus recederet*, ſed *receſſiſſe videretur*, quæ verba indicant Hilarionem timuiſſe aliquod ſcandalum; & ne aſtantes putarent dæmonem non potuiſſe à viro Dei expelli invitum & non ablatis ſignis, præſertim cùm dæmon dixiſſet ſe non exiturum niſi ablatis ſignis, quorum idcirco locum indicaverat. Adde prorsùs indignum fuiſſe tanto viro jubere ſigna inquiri, quaſi ſine illis dæmones abigere non potuiſſet qui excellenti miraculorum dono præditus erat. In hoc ergo caſu non expediebat ut Hilario ſigna inquiri juberet; at id per ſe malum eſſe, nec ibi, nec ullibi legitur.

Ad ſecundum. 1. qui tollit ſignum à dæmone poſitum, nec ſcit, nec ſcire poteſt, an factum ſit duplex pactum, an unicum duntaxat. 2. etiamſi id ſciret, non ideo commercium habet cum dæmone; neque enim utitur ſigno maleficii ut dæmon alliciatur ad reſtituendam ſanitatem, ſed tantùm deſtruit pacti prioris ſignum, ut tollatur diaboli nocendi incentivum: uno verbo nec petit, nec expectat à dæmone ſanitatem, quod eſt effectus poſitivus, ſed ut nocere deſiſtat, quod eſt effectus privativus; hunc autem effectum expectare ſine pacto & ex deſtructione ſignorum, non magis illicitum eſt, quàm illicitum ſit expectare dæmonis fugam ab obſeſſo. Nec refert quòd diabolus poſſit etiam ſublato ſigno nocere. 1. quia perinde nocere poteſt ſive duplex virtualiter pactum fecerit, ſive unicum; eſt enim diabolus mendax, nec ſollicitus de pactis ſervandis. 2. quia reipsâ experientia docet eum amotis ſignis à nocendo abſtinere: cujus rei hæc afferri ſolet ratio, quòd ſæpè diabolus nocere corporaliter non poteſt, niſi humana malitia ei cooperetur; hæc autem cooperatio ſublatis commercii maleficum inter & dæmonem ſignis tolli ſolet. Vide Leſſ. n. 42.

Ad tertium, jam dictum fuit non expectari à dæmone ut ſanitatem reddat, ſed ut deſiſtat nocere; quod ſi ſine pacto fiat, nihil habet mali. Et verò ſi quædam facere liceat, ne noceat diabolus, v. g. reliquias apud ſe ferre; quidni liceat opera ejus diſſolvere, ut nocere deſinat?

* * *

TRA-

TRACTATUS
DE
BENEFICIIS.

CUM per temporis anguſtias non liceat hic ea omnia diſcutere quæ ad Beneficia, Beneficiarioſque pertinent, iis inhærebimus quæ ſunt ſcitu magis neceſſaria. Qui plura volent, authores paſſim citandos conſulere poterunt; nos rem beneficiariam ad quinque Capita revocabimus. In primo, agemus de nomine, naturâ, & diviſione Beneficii. In ſecundo, de variis acquirendi Beneficii modis. In tertio, de qualitatibus ad obtinenda canonicè Beneficia requiſitis. In quarto, de obligationibus Beneficiariorum. In quinto, de modis quibus Beneficia vacant, ubi etiam agetur de penſionibus.

CAPUT PRIMUM.

De eſſentiâ & diviſione Beneficii.

BEneficii nomen ex uſu militari in Eccleſiam invectum eſt; antiquitùs enim militibus de Republicâ benè meritis aſſignabantur certi reditus ex ejuſdem Reipublicæ bonis: reditus illi *Beneficia*, milites verò *Beneficiarii* dicebantur. Ad hanc normam cùm facta eſt bonorum Eccleſiæ diviſio circa quintum, ut vulgò creditur, Eccleſiæ ſæculum, portio ad Eccleſiæ miniſtrorum ſuſtentationem aſſignata, dicta eſt beneficium, unde beneficium definiri ſolet, Jus perpetuum ac legitimum percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, Clerico competens propter officium aliquod ſpirituale. Dicitur 1. *jus perpetuum*, tum ex parte ipſius Beneficii, quod moriente beneficiario non extinguitur, ſicut penſiones quæ ideo beneficia non ſunt; tum ex parte beneficiarii, qui per ſe loquendo, beneficio ſibi ſemel conceſſo, quamdiu vivit privari non poteſt. Dixi, *per ſe loquendo*, quia beneficium adimi poteſt, tum propter crimina beneficiarii, tum propter alias quaſdam rationes quas approbat Eccleſia, ut ſi Parochus habeat Superiores à quibus aliquando ad Monaſterium, vel Communitatem revocari poſſit. 2. *jus legitimum*, id eſt legitimâ Papæ vel Epiſcopi authoritate conſtitutum: ad eos enim pertinet officia in Eccleſiâ inſtituere, & inſpicere quot, & qualibus miniſtris Eccleſia opus habeat, ac proinde novos admittere vel excludere, quia alioqui magna ſequeretur in Eccleſiis confuſio. Hinc ſi Laicus ſine Epiſcopi conſenſu, conſtituat alicui jus certam è prædio ſuo ſummam recipiendi pro Miſſis celebrandis, non dicetur *Beneficium*, ſed *pia donatio*, *pium legatum*. 3. *percipiendi fructus*, non quidem ut officii mercedem quæ expectanda eſt in cœlis, ſed ut ſtipendium quo Clericus ſuſtentetur. 4. *ex bonis &c.* quæ nempe ad Eccleſias particulares pertinent, ſive quia ab illis acquiſita ſunt, ſive quia iiſdem à Fidelibus conſecrata fuêre. 5. *Clericis competens*, tanquam militibus quos Eccleſia utpote altari ſervientes de altari vivere vult. Hinc Laicis, utpote qui ſpiritalem Eccleſiæ operam impendere nequeant, beneficia dari non poſſunt. 6. *propter officium &c.* quia *Beneficium Eccleſiaſticum datur propter officium*, id eſt propter ſervitium ſeu munus ſpirituale Eccleſiæ præſtandum, tum in divinis laudibus, tum in aliis ſpiritualibus exercitiis.

Loſſ. l. 2. c. 34. Decoq p. 551. Van. Eſp. p 2 tit, 18.

cap. 15. De reſcr. in 6.

Hæc beneficii definitio, in qua *jus percipiendi reditus* ponitur in recto tanquam aliquid principale, quibuſdam Theologis diſplicet, qui ideo ut beneficium nobiliori modo definiant, dicunt illud eſſe *jus perpetuum miniſtrandi in Eccleſiâ, habens jus percipiendi fructus annexum*. Sed utraque definitio in idem recidit, quia cùm prima definitio dicat beneficium eſſe jus perpetuum fructus *propter* officium percipiendi, conſequens eſt ut officium propter quod fructus dantur, ſit aliquid in beneficio primarii.

Beneficia dividuntur 1. ratione eorum quibus conferri debent, in *ſæcularia* quæ ſæcularibus competunt, & *regularia* quæ addicta ſunt regularibus, id eſt Religioſis Regulam ab Eccleſiâ approbatam, & in quâ ſolemnia emittuntur vota, profeſſis.

Circa hanc diviſionem proponuntur ſequentes regulæ cum ſuis exceptionibus. 1. Beneficium præſumitur ſæculare, niſi probetur eſſe regulare: id autem probari poteſt, vel ex litteris fundationis ſeu erectionis, vel ex continuâ & pacificâ poſſeſſione *ab uno vel pluribus* beneficiariis per annos 40. Hæc tamen regula locum non habet cùm beneficium regulare uni vel pluribus ſæcularibus in Commendam datum eſt: *Commenda* enim, ut notat Molinæus, quantocunque tempore perduret, *ſtatum antiquum non interrumpit, ſed conſervat*. Vid. Fuet *Traité des mat. beneſic.* p. 248. Hericourt *Loix Eccleſ.* p. 229. Melch. Paſtor *De Beneficiis* tit. 2. Rebuff. 1. p. praxis.

c. 6. De Præb. in 6.

2. Beneficia ſæcularia à regularibus poſſideri poſſunt cùm promoventur ad Epiſcopatum, ſed jure Gallico Epiſcopus Religioſus parentibus non ſuccedit, benè verò eidem parentes. Regularia verò à ſæcularibus poſſideri poſſunt 1. ſi ſæculares Religionem à quâ pendet Beneficium amplecti velint, & tunc proviſiones Papæ vocantur *pro cupienti profiteri*. 2. ſi beneficium regulare detur ſæculari in Commendam; vel *in defectum* regularium, cap. 5. *De religioſis domib.* 3. Clericus ſæcularis qui beneficium regulare per tres annos pacificè poſſedit, poteſt illud retinere juxta regulam de triennali poſſeſſione. Rebuff. *De pacif. poſſeſſor.*

Beneficium regulare pariter dividitur in *ſimplex*, ut eſt Prioratus quem ſimplicem dicunt, & Canonicatus regularis; & *duplex*, ut Abbatia, & Prioratus tum conventualis, tum clauſtralis: conventualis con-

Decoq. pag. 553. Conſtituit hominem totius Cœnobii Superiorem, unde & Dignitas dicitur: clauſtralis verò ſubeſt Abbati, & ab eo conſtituitur, ac pro nutu revocatur. *Priores* verò conventuales *per electionem Capitulorum ſuorum canonice inſtitui, niſi pro manifeſta, & rationabili causâ non mutentur videlicet ſi fuerint dilapidatores, ſi incontinenter vixerint.* cap. 2. De ſtat. Monach.

2. Dividuntur Beneficia ratione officii iis annexi, in duplicia & ſimplicia. *Duplicia* ea ſunt quibus annexa eſt vel animarum cura, vel juriſdictio in foro exteriori, vel præeminentia, vel rerum Eccleſiæ adminiſtratio; *ſimplicia* verò ea ſunt quæ nihil horum adjunctum habent, ſed vel ſolam Breviarii recitationem, ut Prioratus ſæculares, vel Miſſæ celebrationem, ut Capellæ, aut Capellaniæ, vel aſſiſtentiam in Choro, ut Canonicatus; quia tamen fermè invaluit uſus, ut ea ſolummodo Beneficia hodie ſimplicia dicantur quæ reſidentiam non poſtulant, Canonicatus hoc ſenſu Beneficia ſimplicia dici non poſſunt.

Boricourt 2 p. cap. 18. n. 12. Molch. Paſtor tit. 3.

Beneficia duplicia tres in claſſes dividi poſſunt. Alia ſunt majora, ut Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus, quibus ſubſunt Abbatiæ Alia ſunt media, ex quibus quædam dicuntur *Dignitates*, quædam *Perſonatus*, quædam verò *Officia*. Dignitates habent præeminentiam cum juriſdictone in foro exteriori; hinc majora Beneficia ſunt etiam Dignitates; ſic etiam Dignitarii dicuntur præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Archipresbyteri. Perſonatus habent præeminentiam, ſed ſine juriſdictione; unde Perſonatum habere dicuntur Paimicerii, Præcentores, Succentores. Officia demum dicuntur ea quæ nec juriſdictionem habent, nec præeminentiam, ſed ſolam rerum Eccleſiæ curam & cuſtodiam. ut Theſaurarii, & Sacriſtæ; quanquam in quibuſdam Eccleſiis Theſaurarius præeminentiam habeat, Præcentor verò juriſdictionem in Choro, ex qua Eccleſiarum varietate contingit ut generaliter definiri non poſſit quandonam Beneficium Dignitas ſit, vel Perſonatus, vel Officium, ut notat Drapier, *Recueil des principales deciſions ſur les mat. Benefic.* Tom. 1. p. 19. Ultimum non in onere ſed in ordine locum inter Beneficia duplicia habent Parochiæ, quæ licet animarum curam habeant, nec præeminentiam tamen, nec in exteriori foro juriſdictionem habent. Cum Beneficia parochialia Monaſteriis annexa ſunt, in illis conſtituuntur Vicarii perpetui ſub eâ penſione quam *congruam* dicunt; atque iis incumbit animarum cura, non verò Parochis primitivis qui nullum in hiſce Parochiis Sacramentum, Pœnitentiæ præſertim: ſine Epiſcopi conſenſu conferre poſſunt. Vid. Fuet p. 219. qui refert ſententiam à Curiâ Pariſienſi confirmatam contra Monachum S. Sergii prope Andegavum qui infantem baptizaverit in Parochia quæ PP. Benedictinos pro primitivis Curatis agnoſcit.

Dividuntur 3. Beneficia rationi modi quo conferuntur, in titularia, & in ea quæ dantur in Commendam. *Titularia* dicuntur ea quæ quis poſſidet juxta propriam ipſorum fundationem, ut cum ſæcularia à ſæcularibus, regularia à regularibus tenentur. *Commendata* verò, quæ à S. Pontifice Clericis ſæcularibus conferuntur abſque eo quòd Beneficii natura mutetur. Hinc Commendatarii ex conditione ſuâ potius ſunt adminiſtratores quam titularii; cùm tamen Commendæ ad totam Commendatarii vitam dentur, iiſdem fermè gaudent privilegiis Commendatarii ac Titulares. Cæterum duplex eſt genus Commendarum, aliæ dicuntur decretæ, *decretées*, quæ nempe donantur *cum decreto quod Commendatario cedente vel decedente Beneficium perſonæ regulari conferri debeat, ac ſi nunquam fuiſſet commendatum*; aliæ *libera*, per quas abſque tali decreto Beneficium purè & ſimpliciter in Commendam datur. Drapier p. 23.

4. Beneficia ratione perſonarum à quibus conferuntur, dividuntur 1. in *Papalia* quæ à S. Pontifice, & *Epiſcopalia* quæ ab Epiſcopis conferuntur. 2. in conſiſtorialia, patronata, non patronata, electiva, collativa &c. *Conſiſtorialia* ea dicimus quæ iis qui à Rege nominati ſunt, conferuntur à Papa in Conſiſtorio ſeu conventu Cardinalium: Abbatiæ, quarum reditus non excedit 66. florenos, non ſunt conſiſtoriales. *Patronata* ea ſunt ad quæ Patroni ſive Laici, ſive Eccleſiaſtici aliquem nominant, ut ei Beneficium ab Epiſcopo conferatur. *Non patronata*, ſeu purè collativa, ea ſunt quæ conferuntur ſine præviâ alterius nominatione aut præſentatione. *Electiva*, quæ alicui canonicè electo conferuntur, vel indigent ſuperioris approbatione & confirmatione, & tunc dicuntur *electiva confirmativa*; vel non indigent, ut multarum Cathedralium Decanatus, & tunc dicuntur *electiva collativa*, quia Beneficium ipsâ electione confertur. Ibid. p. 24

5. Ratione Ordinis quem exigunt, dividuntur in ſacerdotalia, & non ſacerdotalia: hæc ſacerdotium non requirunt; illa verò poſtulant ut cui conferuntur, vel actu Sacerdos ſit tempore proviſionis, ſi Beneficium ſit ſacerdotale *à fundatione*; ita ſæpe Pariſiis ſolemniter judicatum eſt: vel ut intra annum ad ſacerdotium promoveri poſſit, ſi Beneficium ſacerdotale ſit *à lege*, ut Beneficia Curata. & Cathedralium Dignitates. Annus ille non computatur, niſi à die pacificæ poſſeſſionis; ſed poſſeſſionis pacificæ epocha, non videtur ubique eadem: alii eam repetunt à die proviſionum, cum nemo beneficiarium turbet; alii à completâ annuâ poſſeſſione, atque is eſt uſus Parlamenti Armorici, in quo beneficium Curatum ei conferri poteſt qui annos 22. completos habet, quia Sacerdos conſecrari poteſt intra duos annos à die proviſionum. Fuet l. 3. c. 3. p. 268. Vid. Hevic. 2. p. c. 2. n. 7.

6. Rationi modo quo tenentur, dividuntur in *incompatibilia*, quæ ſimul poſſideri non poſſunt, ut duæ Curæ, duo Canonicatus aut Præbendæ, Canonicatus & Cura; & obtenta in hoc caſu diſpenſatio à Papâ, non valet juxta mores noſtros: item incompatibiles ſunt duæ in eâdem Eccleſiâ, ſeu, ut ajunt, *ſub eodem tecto* Capellaniæ, quia conſiderantur ut duæ ſorores quæ ſimul haberi non poſſunt. Compatibilia ſunt quæ ſimul teneri poſſunt. Fuet. p. 225.

7. Dividuntur beneficia, in ea quæ Graduatis addicta ſunt, & ea quæ etiam non Graduatis conferri poſſunt. Graduati ii ſunt *qui per tempus competens in Univerſitate famoſa*, quæ nempe quatuor Facultatibus conſtat, *ſtuduerint. Tempus autem competens, decennium in Magiſtris* Doctoribus, *ſeu Licentiatis aut Baccalaureis in Theologia; ſeptennium verò in Doctoribus ſeu Licentiatis in Jure Canonico, Civili, aut Medicina: quinquennium autem in Magiſtris ſeu Licentiatis in Artibus... ſexennium autem in Baccalaureis ſimplicibus in Theologia: quinquennium verò in Baccalaureis Juris Canonici aut Civilis.* Si probari poſſit atteſtationes à Profeſſoribus datas, falſas eſſe excluditur à beneficio qui convincitur competenti tempore non ſtuduiſſe. Qui Magiſter Artium factus, alios per triennium docuit, ſtuduiſſe cenſetur. Qui extra Regnum ſtuduêre, Regni beneficia vi graduum requirere non poſſunt, niſi ſtuduerint Avenione. Qui per ſeptem annos profeſſi ſunt etiam Humanitates in aliquo Collegio Pariſienſi, cæteris Graduatis in ipſo iſtorum territorio præferuntur: at alii Graduati Concord. de Collat. §. Præterea. Hevic. 4. 8. n. 6. Ibid. n. 9.

Drapier tom. 2. p. 400. & 361. Ibid. n. 2. Ruet p. 481. Graduati Pariſienſes aliorum Univerſitatum Graduatis non præferuntur.

Graduatorum duplex eſt genus: alii dicuntur *ſimplices*, qui ſuas ſolum graduum litteras habent cum ſtudii atteſtatione; alii dicuntur *nominati*, qui præter haſce litteras & atteſtationes, habent nominationis litteras quibus ab Univerſitate in qua ſtuduerunt, nominantur & præſentantur Collatori, ut affectis ſibi Beneficiis donentur. Beneficia quæ menſibus Aprili & Octobri vacant, Graduatis ſimplicibus addicta ſunt menſes illi *favoris* dicuntur, quia Collator minus antiquum aliis præferre poteſt; quæ verò vacant menſibus Januario & Julio, ei è Graduatis qui antiquior erit, aut in Facultate eminentiori ſtuduerit, ſunt conferenda, unde ii menſes *rigoris* appellantur. Doctores Licentiatis, Licentiati Baccalaureis, Baccalaurei Magiſtris in Artibus præferuntur, Baccalaurei tamen *formati* in Theologia, Licentiatis in Jure Canonico, Civili, aut Medicina potiores ſunt. Doctor Theologus Doctori in Jure, Doctor in Jure Canonico, Doctori in Jure Civili, & is Doctori in Medicina præfertur. Si verò qui Beneficium requirunt, in gradu, tempore ac demum in omnibus æquales ſint, Collator ei quem maluerit poteſt. Ita *Concordat. De collationib.* §. *Statuimus.* regiſtratum Pariſiis 22. Martii an. 1517.

Drapier t. 2. p. 291. Beneficia graduatis affecta, ea ſunt quæ pendent à Patronis aut Collatoribus eccleſiaſticis *quicunque fuerint*, modo tamen ii pluſquam duo Beneficia *Ibid. p. 287.* præſentanda habeant. Non ſubjacent Graduatis Beneficia conſiſtorialia, electiva confirmativa, aut quæ à Rege, Patroniſve laicis nominantur vel conferuntur; item Dignitates Cathedralium, ex Edicto anni 1606. quod tamen in magno Conſilio regiſtratum non fuit. Graduatorum jus non valet, niſi *Drapier p. 402. Fleury Inſt. 2. p. c. 17.* in Beneficiis quæ per obitum vacant Graduati à Papa præveniri poſſunt; unde valet collatio Papa etiam non Graduatu facta. Si Graduati intra ſex menſes non requirant, poteſt Ordinarius liberè conferre. Ne Graduati Beneficia multiplicent, vetitum eſt ne qui *repleti* ſunt, nova poſtulare poſſint; repleti verò cenſentur, qui vi graduum obtinent Beneficium quod deductis oneribus, ut decimis &c. 400. libellas producit; aut qui eam ſine gradibus Benefi- *Drapier p. 366. & ſeq.* cium habent unde 600. libellas recipiunt. Qui Beneficium per gradus acquiſitum reſignavit, etiam ſine penſione, repletus cenſetur; imò & repletus cenſetur qui Beneficium requiſivit, & ſi poſſeſſionem non ceperit, niſi evictus ſit contradictoriè. Regularis quocunque etiam tenuiori Beneficio repletur ob votum paupertatis. Graduatus nominatus, non à ſimplici, ſed ſolum à nominato, poteſt ob repletionem evinci.

Ibid. p. 324. Graduati Collatoribus ordinariis, ſive Patronis Eccleſiaſticis ſuas graduum litteras notificare debent coram Notariis duobus apoſtolicis, aut uno ſaltem & duobus teſtibus. Notificatio à regio Notario, non apoſtolico facta, nullius eſſet momenti. Notificatio hæc ſingulis annis, nec alio quam Quadrageſimæ tempore cum iiſdem formalitatibus eſt *Concord. §. Tenetur. Fuet. p. 487. Drapier t. 2 c. 26. n. 123.* iteranda; ita ut Graduati *eo anno quo præfatam inſinuationem facere omiſerint, Beneficium in vim gradus hujuſmodi petere non poſſint.* Jus illius qui primam graduum ſuorum notificationem non iteravit, non præſcribitur etiam per annos 40. juxta quoſdam: jus verò illius qui nunquam notificavit, per annos 30. præſcribi videtur; unde fruſtra qui hujuſmodi notificationem poſt illud tempus facere tentaret.

Hinc colliges 1. graviter peccare Graduatos qui ſine competenti ſcientia, vi graduum Beneficia obtinent; & Univerſitatum Rectores aut Profeſſores qui abſque examine gradus imperitis conferunt: tum quia publicam fidem in re gravi fallunt; tum quia iis injuriam faciunt qui gravi & diurno ſtudio gradus adepti ſunt. 2. abſolutione indignos eſſe, & ad Beneficii dimiſſionem teneri eos qui cum per requiſitum tempus in Univerſitate non ſtuduerint, virtute graduum ſub mendacibus atteſtationibus obtentorum, Beneficia ſibi comparant; ii enim & Patrono aut collatori, & aliis qui ſedulò & conſtanter ſtuduerunt, perinde injuriam faciunt. 3. magni quoque peccati reos eſſe Profeſſores qui juvenum fraudi in re tanti momenti patrocinantur.

8. Beneficium dividitur in manuale, & non manuale quod etiam titulare dicitur. Poſterius in perpetuum conceditur, ita ut quis eo abſque juſta cauſa ſpoliari non poſſit: prius datur quidem in titulum, ſed ad nutum Superioris revocari poteſt ut colligitur ex cap. 6. *De ſtatu Monach.* ubi ſic loquitur Innoc. III. *Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò poſſidenda, tanquam in ſua ſibi vita locetur: ſed cùm oportuerit amoveri, ſine contradictione qualibet revocetur.*

CAPUT SECUNDUM.

De modis acquirendi Beneficii.

TOt modis acquiruntur Beneficia quot poſſunt modis conferri. Sex verò modis licitis conferri poſſunt. 1. præſentatione Patroni prævia, & ſubſequa inſtitutione. 2. electione & confirmatione. 3. poſtulatione & confirmatione. 4. collatione libera. Addunt aliqui permutationem & reſignationem in favorem cum ſubſecuta collatione: ſed quia his duobus poſtremis modis Beneficium prius amittitur, quam acquiritur, ideo de his dicemus ubi de vacatione. Cæterum non eſt quod immoremur in probando aliquem è prædictis modis neceſſarium eſſe ut Beneficium legitime poſſideatur: fatentur enim omnes Beneficium ſine legitimo titulo canonicè poſſideri non poſſe; quia titulus ita eſt radix ac fundamentum poſſeſſionis, ut eo ſublato poſſeſſio quævis ſit ſacrilega rei alienæ uſurpatio: hinc prima Juris regula in 6. ſic habet; *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè*, imò nec validè: *ſine inſtitutione canonicâ poſſideri.* Quapropter intruſi, id eſt qui ſine titulo Beneficium poſſident, ad idem Beneficium inhabiles ſunt, ut colligitur ex c. 3. *De exceſſib. Prælatorum.* nec ipſum retinere poſſunt ſine Romani Pontificis diſpenſatione quæ nova quædam eſt collatio. De his ergo Beneficii poſſidendi titulis dicendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De præſentatione.

PRæſentatio, eſt perſonæ idoneæ per patronum Epiſcopo vel alteri ad quem inſtitutio pertinet, exhibitio ſeu nominatio legitimè facta: unde præſentatio ordinem dicit ad tres perſonas, Patronum ſcilicet qui præſentat jure patronatus; Clericum capacem qui præſentatur; & Superiorem legitimum cui exhibetur Clericus, ut ipſi Beneficium vacans conferatur: quia meri Laici, quales ſunt Patroni complures, non poſſunt jure ordinario rem eccleſiaſticam ut eſt Beneficium alteri conferre. Collatio Beneficii vacantis ei facta quem præſentavit Patronus vocatur *inſtitutio*; id eſt collatio neceſſaria, quia Collatur ei qui ſibi præſentatus eſt, modo ido- *Fleury Inſt. 2. ſ. c. 16.*

idoneus ſit, Beneficium conferre tenetur. Seorſim agemus 1. de iis qui jus habent præſentandi, ſive de Patronis. 2. de iis qui præſentari debent.

SECTIO PRIMA.

De jure patronatus.

QUæres 1. quid ſit jus patronatus.

Reſp. eſt poteſtas nominandi Clericum ad Beneficium vacans, ſive per mortem, ſive per reſignationem: præſentatio enim Beneficii nondum vacantis nulla eſt ex cap. 2. *De conceſſ. Præbendæ.* Jus patronatus latius patet jure præſentandi, ut ex dicendis patebit.

Vid Van-Eſpen. 2 p. tit. 25.

Quæres 2. quotuplex ſit patronatus.

Reſp. Dividitur 1. in eccleſiaſticum, & laicum. Prior convenit perſonæ eccleſiaſticæ, vel ratione Beneficii aut Dignitatis quam habet, vel quia pecuniâ ex bonis eccleſiaſticis partâ Eccleſiam fundavit, extruxit aut dotavit. Poſterior convenit perſonæ laicæ, aut inſtar laicæ ſe habentis, quæ ſcilicet ex bonis ſæcularibus Beneficium erexit, Eccleſiamve fundavit. Unde Eccleſiaſticus poteſt habere jus patronatus laïci, ſi vel ipſe, vel ejus prædeceſſores Eccleſiam aut Beneficium è bonis patrimonialibus ſeu ſæcularibus fundaverint: at Laicus nonniſi Patronus laicus eſſe poteſt. Si Clericus in Galliâ Beneficium ex reditu ſuo fundaverit, patronatus non ideo erit eccleſiaſticus, ſed laïcus; quia apud nos Clericorum reditus ſupponuntur eſſe patrimoniales. Excipe niſi Fundator expreſſè declaraverit ſe ex Beneficii ſui reditibus Eccleſiam aut Beneficium fundaſſe; & Eccleſiæ huic aut Beneficio jus patronatus alligaverit.

Fuet. lib. 4 c. 7. p. 454.

Idem ibid.

His additur patronatus mixtus, qui nempe competit Communitati aut Confraternitati ex Eccleſiaſticis & Laïcis compoſitæ.

2. Patronatus laicus dividitur in perſonalem qui perſonæ ejuſque ſucceſſoribus convenit, independenter à boni cujuſcunque poſſeſſione; & realem qui annexus eſt glebæ, ſeu ſolo, domui, caſtello. Patronatum eccleſiaſticum, realem eſſe patet, utpote qui ſemper annexus ſit Eccleſiæ è cujus bonis fundatus eſt. Circa haſce diviſiones quædam notanda.

1. Si patronatus perſonalis à Laïco concedatur Eccleſiæ, naturam mutabit. & fiet eccleſiaſticus; ſi verò patronatus ille ſit realis, perget eſſe, ut antea erat laïcus; quomodo patronatus à Laico in Clericum tranſiens, non deſinit eſſe laicus. Hæc deciſio non tam in ratione intrinſecâ fundatur, quam in Juriſconſultorum noſtrorum authoritate. In dubio patronatus præſumitur laicus.

Fuet p. 445. Drapier tom. 1. p. 392.

2. Jus Patronatus quod Univerſitatibus, Equitibus Melitenſibus, Æditůis *Marguilliers* convenit, cenſetur eſſe laïcum; quia jus illud iis à quibus poſſidetur non convenit ratione Beneficii aut Dignitatis eccleſiaſticæ.

Fuet ibid.

3. Patronatus qui Laico & Clerico ſimul & conjunctim competit, cenſetur eccleſiaſticus quoad privilegia & commoda, non autem quoad incommoda: unde in eo locum non habet præventio Papæ; quia æquum non eſt, ut quis in re individuâ patiatur præjudicium ratione ſuæ cum alio ſocietatis. Si verò Laicus & Eccleſiaſticus alternis vicibus præſentent, Papa in *turno* ſeu tempore Eccleſiaſtici prævenire poteſt: at ſi jus commune maneat, exercitium verò ſolum dividatur, Papa Eccleſiaſtici turnum implere nequit. In patronatu mixto, Laicus ſex ad præſentandam menſes habet, ſed variare non poteſt, ex Drapier p. 402. Paſtor Lib. 1. tit. 19. n. 9.

Drapier p. 237. & 392.

Quæres 3. quænam ſint utriuſque diſcrimina.

Reſp. hæc eſſe 1. *Patronus laicus ad præſentandum tempus habet quatrimeſtre duntaxat* ex cap. unic. *De jure patron.* in 6. (exceptâ Normaniâ ubi ſex ad præſentandum laico Patrono menſes tribuuntur.) Eccleſiaſticus verò ſex ubique menſes habet. An menſes illi currere incipiant *à die vacationis*, an *à die probabilis notitiæ*, controvertitur. Juxta Baſſet incipiunt ab ipſo die obitus, juxta alios à die notitiæ obitus; notitiæ, inquam, non quæ habita ſit, ſed quæ haberi potuerit. Ita plurimi. Vid. Biblioth. canonic. I. Bouchel. v. *Patronage.*

Drapier p. 414. contra Fuet p. 456 Paſtor l. 1. tit. 19.

2. Patronus laicus variare poteſt, id eſt vel plures ſimul è quibus unum pro nutu eliget Epiſcopus, vel unum poſt alterum præſentare, ſed non variat niſi *ſemel*, juxta multos, & quidem cumulativè tantum, non privativè, quaſi eum excludere poſſit quem ante præſentaverat: tunc ergo Superior cujus eſt inſtituere poteſt quem voluerit ex præſentatis gratificare. Poſtquam ſemel data eſt à Superiore inſtitutio, jam non eſt variationi locus. Patronus laicus qui ſcienter præſentavit indignum, variare non poteſt, ſed pro hac vice excidit à jure ſuo. Qui neſciens præſentavit incapacem, poteſt eundem, nondum finito quadrimeſtri, de novo præſentare ſi ceſſaverit incapacitas, Bouchel Biblioth. verbo *Patronage* n. 182. & 185. Patronus Eccleſiaſticus unicâ præſentatione Epiſcopo notificatâ jus ſuum exhaurit; unde ſi indignum ſcienter vel ignoranter præſentaverit, alium præſentare non poteſt. Dixi, *notificatâ*: hæc enim notificatio requiritur, quia nominatio quæ *non pulſavit aures Ordinarii*, non impedit præventionem Papæ ſaltem in Curiâ pariſienſi, licet eam in aliis quibuſdam Curiis impediat; neque etiam impedit ne elapſo tempore ad præſentandum Patronis conceſſo, poſſit Ordinarius pleno jure conferre; aut ne valeat prævia Ordinarii collatio? nam collatio facta ab Ordinariis antequam elapſum ſit tempus Patronis conceſſum, non eſt pleno jure irrita, ſed ſolum irritanda; nec irritatur niſi per nominationem Patroni legitimo tempore factam & ſignificatam: unde nominatio etiam publico inſtrumento coram Notario & duobus teſtibus facta, quandiu debitis in formis Collatori ſignificata non eſt, non tam pro præſentatione, quam pro præſentandi propoſito habetur, ut obſervat Ducaſſe in Lib. cui titulus: *La pratique de la Juriſdict. Eccleſiaſtique* cap. 5. idem habet Drapier p. 409. Atque hinc colligi videtur Patronum eccleſiaſticum non cenſeri variare, ſi factâ alicujus nominatione ordinario non ſignificata, alium deinceps præſentet, eumque inſtitui requirat; & hoc invenio in Van Eſpen p. 2. tit. 25. n. 34. & Actis ſeu Commentariis Cleri Gallic. Neque etiam cenſent variare ſi dignum quidem præſentaverit, ſed aliunde incapacem, ut ſi ad Dignitatem quæ gradus requirit, præſentaverit eum qui Licentiatum ſe dicebat, & non erat. Ita ſentire videntur Lambertinus & Soliet in novis additionibus ad Paſtorem: alii tamen non diſtingunt inter indignum & incapacem. Ratio eſſe poteſt, quia Eccleſiaſticus magis noſſe debet qualitates ad poſſidenda Beneficia neceſſarias, unde etiam ſex ei menſes conceduntur. Vid. Perard. Caſtel tom. 1. p. 65. Si præſentatus acceptare nolit, poteſt patronus eccleſiaſticus alium præſentare, Bouchel v. *Patronage* n. 162. Idem dicendum ſi nominatus ante inſtitutionem moriatur, Cabaſ. lib. 2. c. 7. n. 26.

Van-Eſp. 2 p. t. 2. n 22. Solier in Paſtor.

Fuet p. 457. Soliet in Paſt. l. 1. c. 19 n. 4. Drapier p. 159.

Memoire du Clergé t. 10. p. 845.

3. Præventio Papæ locum habet in Patronis eccleſiaſticis: unde ſi Papa conferat, antequam præſentaverit Patronus eccleſiaſticus, valet collatio pontificia; & adhuc valeret etiamſi litteræ præſenta-

ſentationis fuiſſent expeditæ, quin & præſentando traditæ cum expreſſo mandato, ut eas mox Ordinario exhiberet, ſi id facere neglexiſſet, & præſentatio aures Ordinarii non pulſaſſet. Non valent tamen eædem Papæ proviſiones, ſi Ordinarius alias homini abſenti qui Beneficium recuſaverit, proviſiones conceſſerit: item ſi Epiſcopus etiam *ſpreto Patrono Eccleſiaſtico*, Beneficium contulerit, & Papæ proviſiones nonniſi poſt Epiſcopi proviſiones expeditæ fuerint; tunc enim ſi Patronus intra ſex menſes Beneficium conferre negligat, collatio Ordinarii collationi pontificiæ præfertur. At præventio Papæ in Patronis laicis, aut mixtis locum non habet. Beneficium à Patrono laico pendens, nec in favorem reſignari, nec permutari, nec gravari poteſt penſione, ſine Patroni conſenſu; quod aliter factum eſt caret robore.

Van-Eſp. n. 35. — *Drapier p. 353.* — *Quid p. 430.*

Quæres 4. quænam jus patronatûs conſtituant.

Reſp. 1. *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.* Sed diſputatur an ad acquiſitionem patronatûs ſatis ſit dediſſe aream in quâ Eccleſia conſtruitur. Negant probabiliùs multi, quibus evidenter favet Trident. Seſſ. 14. cap. 12. *Nemo etiam*, ait S. Synodus, *cujuſvis dignitatis Eccleſiaſticæ vel ſæcularis, quâcunque ratione, niſi Eccleſiam, Beneficium aut Capellam de novo fundaverit & conſtruxerit, ſeu jam erectam, quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, jus patronatûs impetrare aut obtinere poſſit, aut debeat.* Idipſum poſt Franciſcum de Roye Juris in Academiâ Andegavenſi Profeſſorem probat Van-Eſpen p. 2. t. 25. n. 6.

Fuet p. 461. Drapier p. 376.

Si tamen tres ſimul ad Eccleſiæ fundationem concurrant, primus dando aream ſeu ſolum; ſecundus Eccleſiam conſtruendo; tertius dotando, ii omnes in ſolidum Patroni efficientur, ut poſt Fagnanum docet ipſe Van-Eſpen ibid. nu. 14. Drapier p. 376. atque hoc ſenſu intelligitur citatum illud Gloſſæ, *Patronum faciunt &c.* Cenſent Juriſperiti patronatum non acquiri, niſi ex *conſtructione* Eccleſiæ *perfectâ*; unde ſi quis Eccleſiam inchoaret quam perficeret alter, poſterior patronatum acquireret, non prior. Ita Drapier p. 381. Idem ante eum docuit Bouchel *Patronage* n. 36. Ratio eſt, inquiunt, quia prior dum à ſuſcepto recedit, juri per ipſum ſibi acquirendo renuntiare videtur. Salvo meliori judicio, crederem examinandum eſſe quare alter inceptum opus non peragat, & quouſque ipſum provexerit; cur enim jure ſuo privetur, ſi non ſponte, ſed v. g. deficiente pecuniâ ex improviſo caſu, opus valdè provectum deſerere cogatur? Titulum patronatûs ex dotatione Eccleſiæ ortum, aliis præſtantiorem eſſe & firmiorem communior tenet opinio: unde ſi Titius conſtruxerit Eccleſiam, à Mævio dotatam, quæ incendio conſumpta alii Eccleſiæ unita fuerit, perſeverabit Mævii, deſinet Titii patronatus.

Bouchel ibid. n. 25. Drapier p. 377.

Jus patronatûs ei qui fundat, dotatve, aut conſtruit Eccleſiam acquiritur, *etiamſi non petat vel in pactum deducat*, ita Gloſſa ad Can. *Si quis Baſilicam* 10. *De conſecr.* diſt. 1. Biblioth. Can. ſupr. nu. 37. Drap. n. 10, qui tria hic notat. 1. requiri conſenſum Epiſcopi, non autem ſufficere in Galliâ conſenſum Papæ. 2. tutiùs agere qui jus patronatus in fundationis contractu ſtipulatur, tunc enim litibus occurritur. 3. eum qui nec per ſe, nec per hæredes ſuos ad Beneficium unquam nominavit, cenſeri juri ſuo renuntiaſſe, tametſi in dubio ei favendum ſit.

Drapier p. 379.

Si penitus deſtructum ſit Monaſterium vel Eccleſia, & de conſenſu Epiſcopi aliquis vellet readificare Eccleſiam, credo quòd acquirat jus patronatus, quia perinde eſt ac ſi ab initio Eccleſiam conſtruxiſſet. Ita Gloſſa apud Drapier, qui limitat niſi primi Fundatores eandem Eccleſiam de novo fundare ac dotare velint. *Si readificata eſt Eccleſia de eâdem materiâ… prior Patronus remanet Patronus… quia eadem Eccleſia intelligitur.* Gloſſa in cap. 3. Extra. *De jure patronatus.*

ibid. p. 380.

Reſp. 2. Aliis etiam modis acquiritur jus patronatus. 1. præſcriptione, quia juri patronatûs, utpote quòd temporale ſit ſicut & ſpirituale, nihil deeſt quominùs præſcribatur. Quantum temporis, & quot præſentationes requirantur, non convenit inter Doctores. Concil. Trid. Seſſ. 25. cap. 9. *De reform.* opus eſſe ait *multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat.* Juriſperiti noſtri ſolent requirere poſſeſſionem 40. annorum, unà cum tribus præſentationibus ſucceſſivis quæ admiſſæ fuerint, ita ut nec tres præſentationes ſine ſpatio 40. annorum ſufficiant, ut bis judicatum eſt à Parlamento Aquiſextano contra Epiſcopum qui ter ſine Patroni nominatione contulerat; nec 40. anni ſine tribus præſentationibus. Confirmatur à pari, quia ut Beneficium è regulari fiat ſæculare, ſufficit & requiritur ut per annos 40. à tribus ſæcularibus poſſeſſum fuerit in titulum non in Commendam. Ita cenſebant anno 1728. Domini Noüet, Duperray, Fuet. Huc accedit opinio Melchior. Paſtoris, qui tit. 20. n. 15. & annos 40. completos requirit cum duabus præſentationibus, & titulo; ſed ſine titulo centum annos deſiderari credit.

Van. Eſp. n. 16. — *Fuet p. 462. Bouchel n. 45.* — *Apud Drapier t. 2. p. 443*

2. Acquiritur privilegio ſeu conceſſione S. Pontificis, non quidem *ex cauſâ lucrativâ*, ſeu ex merâ concedentis liberalitate, hoc enim in Galliis non valet; ſed *ex cauſâ onerosâ*, ut ſi ei concedatur qui inſufficientem Eccleſiæ alicujus dotem adauxerit, & tunc validum eſſe hoc privilegium docent Canoniſtæ unanimi conſenſu, ait Drapier; ſi tamen, ut addit idem, ſervatæ fuerint formalitates in alienatione bonorum Eccleſiaſticorum requiſitæ. Ut jus illud acquiratur dos ad mediam partem adaugeri debet ex Bouchel ibid. n. 46. Jus illud ab Epiſcopo concedi poſſe negat idem Bouchel ibid. n. 47. Solier in Paſtor. l. 1. tit. 20. & alii quos citat. Contrarium tenet Drapier.

Drap. t. 2. p. 377.

3. Acquiritur donatione vel legato Patroni: poteſt enim Patronus ſuo Compatrono, vel Communitati, vel alii cuivis jus ſuum cedere; ſed hic quædam notanda. 1. uno conſenſu docent Canoniſtæ jus patronatus per ſe ac ſimpliciter vendi, aut cum alio jure temporali commutari non poſſe: imò ſi vendatur gleba ſeu fundus cui adhæret jus patronatus, transfertur quidem jus ipſum patronatus, niſi apertè excipiatur, ſed venditio fundum afficit, non ipſum patronatum, cujus venditio quocunque modo fiat, ſimoniaca eſt, quia jus patronatus non ita temporale eſt, quin ſpirituali, juri ſcilicet ad beneficia præſentandi, annexum ſit. 2. jus ſemel ad Beneficium nominandi cedi alteri nequit etiam gratis. Ita ſæpius judicatum eſt. 3. juxta Solier in Paſtor. quando jus patronatus transfertur cum univerſitate bonorum teſtamento vel emptione, non requiritur conſenſus Epiſcopi, cap. *Litteris*. & cap. *Cum ſecundum*. *De jure patr.* Si verò per ſe transferatur in Laicum, putà donatione vel legato, requiritur Epiſcopi conſenſus, quia Laicus non eſt capax niſi de gratiâ; excipe niſi donatio fiat Compatrono, quia non eſt translatio, ſed remiſſio juris patronatus. Si tranſlatio fiat in Eccleſiam vel pium locum, non eſt opus Epiſcopi conſenſu, quia res revertitur ad naturam ſuam, cap. unic. *De jure patron.* in 6. 4. Si Mævius & Titius ſint Patroni, & Mævius re-

Drapier p. 378. Paſtor tit. 20.

linquat hæredem, Tiaius verò quinque aut ampliùs, ii quinque conjunctim ſumpti non habebunt niſi unicam vocem, quia in ſucceſſione translatio
Vide Soefve ibid. Drapier p. 381. fit per ſtirpes non per capita. *Les voix ſe comptent par ſouches, & non par têtes.*

Quæres 5. quænam ſint Patronorum jura.

Reſp. *Patrono debetur honos, onus, utilitaſque,*
Præſentet, præſit, defendat, alatur egenus.

Præſidentia & honos Patrono dantur in Proceſſionibus. Ei ante alios etiam Toparchas Aqua benedicta, (non tamen Aſpergillum, ut notat Van-Eſpen p. 2. tit. 25.) Panis benedictus, Thus, Pax offeruntur. Panem benedictum quâ anni die feſtâ maluerit offerre poteſt, etſi in Parochiâ non commoretur. Inſignia domûs ſuæ in Eccleſia appen-
Drapier p. 396. dere poteſt; at inſignia non ſemper important jus patronatûs. Honores prædicti Patrono etiam honorario cedunt, ſi nempe jus ſuum præſentandi in aliquam Eccleſiam tranſtulerit. Præcipuus Patroni honos, imò & onus eſt in præſentatione. Aliquando Patronus jus non habet ut præſentet, ſed tantùm ut aſſenſus ejus poſtuletur, ut cum in Eccleſiâ conventuali Patronum habente, eligendus eſt Superior. Vide cap. 25. *De jure patron.*

Non eſt honos ſine onere: unde Patroni eſt Eccleſiam tueri, & circa celebrationem divini Officii invigilare; item monere Sacerdotes qui bona juxta Fundatorum intentionem non adminiſtrant, eoſque *Epiſcopo vel Judici* corrigendos deferre, ſi admonitionem honeſtam aſpernentur. Ita ſanxit Concil. Toletan. IX. Vid. Van-Eſpen tit. 25. n. 15.

Si Patronus *ad inopiam vergat, ab Eccleſiâ illi modeſtè*, vel ut alii legunt, *moderatè, ſuccurritur* ex cap. *De jure patron.* Et certè æquum eſt ut ſi Fundator aut ejus hæredes *caſu ad egeſtatem pervenerint, gratâ recordatione Eccleſia Fundatoris piam liberalitatem recognoſcat*, ut præſcribit Pontificale Romanum. Patronis autem pinguiùs quàm aliis pauperibus ſuccurrendum eſſe docet Gloſſa, & poſt eam Canoniſtæ, qui addunt in hac ſubventione determinandâ conſiderandas eſſe tum Eccleſiæ facultates, tum qualitatem Patroni, & beneficia ab eo in Eccleſiam collata. Hæc autem ſubventio Patrono debetur ipſo fundationis vel dotationis titulo: unde jus ad Eccleſiam recurrendi eidem competet. 1. etſi ſuo præſentandi juri renuntiaverit. 2. tametſi in fundatione nihil ſibi reſervaverit circa temporalia; poteſt enim Fundator de conſenſu Epiſcopi *moderatos* quoſdam *reditus* ſibi, vel alii tertio reſervare in actu fundationis, ut evidens eſt ex cap. 23. *De jure patron.* & cap. 16. *De cenſibus.* Van-Eſpen ibid. Drapier p. 430.

Quæres 6. an Patroni ſucceſſor poſſit mutare naturam ſeu conditiones Beneficii.

Reſp. negat. quia *ultima voluntas defuncti modis*
Conſ. 13. ſ. 2. c. 4. *omnibus conſervari debet*; imò nequidem Fundator ipſe, ſi jam perfecta ſit fundatio, quidquam in deterius mutare poteſt. Poteſt tamen vel ipſe vel ejus ſucceſſor novas apponere conditiones quæ Eccleſiæ utiles ſint, modo accedat Epiſcopi conſenſus, ut docet Panormit. Nulla etiam ab Epiſcopo fieri poteſt mutatio notabilis, ſi Fundatoris diſpoſitio certa ſit, & rationabilis. At mutatio levis, ut quòd ſemel aut iterum alibi quàm in loco fundationis Miſſa celebretur, ab Epiſcopo aut Patrono fieri poteſt. Si dubia ſit Fundatoris intentio, ejus interpretatio ad Epiſcopum loci pertinet; ſi diſpoſitio rationi & Eccleſiæ legibus non congruat, poteſt & debet Epiſcopus eidem ſe opponere, eamque etiam renitentibus hæredibus reformare. Extra hos caſus, niſi magna urgeat neceſſitas, in quâ etiam convenit ut conſenſus ſucceſſorum Patroni requiratur, non eſt à Beneficii conditione recedendum: unde ſi petierit Patronus ut è certâ familiâ eligatur Capellanus, aliunde eligi non poteſt; ſi ſolus hoc ſepulchro tumulari voluerit, nemo etiam extinctâ ejus familiâ, ibidem ſepeliri poterit, cùm Benefactor ita vivere voluerit in hominum memoriâ, eoſque ad fundendas pro ſe ſuiſque preces excitare &c.

Quæres 7. quomodò finiatur jus patronatûs.

Reſp. Finitur 1. ceſſione, & in hac non datur regreſſus, ait Paſtor tit. 20. n. 15. niſi beneficium ætatis, reſtitutionem indulgeat. 2. privatione ex delicto, ut ſi quis jus patronatûs vendere præſumpſerit, vel bonorum ſuorum confiſcationem promeruerit. 3. præſcriptione, de quâ ſupra.

SECTIO SECUNDA.

Quinam debeant præſentari.

QUædam hic apud omnes recepta ſunt. 1. *nullus ſe poteſt ad* Beneficium præſentare, quantumcunque idoneus ſit, ex cap. 26. *De jure patron.* quod vetum eſt, etiamſi quis à procuratore quem conſtituiſſet, præſentaretur. 2. non poteſt quis Capellam aut Capellaniam fundare eo animo ut eam cum alterius Beneficio permutet. 3. ſi plures ſint Patroni, unus alium ſi capax ſit poterit præſentare; quia tunc præſentatio eſt velut electio quædam, in quâ aliqui eorum qui eligere poſſunt, poſſunt etiam eligi. 4. Patronus laicus filium ſuum præſentare poteſt, quia jus non reſiſtit: filius tamen non poteſt poſſidere Beneficium à patre ſuo poſſeſſum, niſi alius illud patrem inter & filium poſſederit, quia *ſucceſſionem hæreditariam deteſtatur* Eccleſia, cap. 7. *De filiis Presbyt.* 5. filii illegitimi ad Beneficia ſine diſpenſatione promoveri non poſſunt; poſſunt tamen ſi per ſubſequens matrimonium legitimati fuerint: ſed ut legitimari poſſint, oportet ut quo tempore concepti ſunt, nullum eorum inter parentes eſſet impedimentum dirimens; eo enim etiam per diſpenſationem ſublato, proles non evadit legitima. De his plura videris tum apud Claud. *de Ferriere* in Opere cui titulus, *Des droits de patronage &c.* tum in Tract. *De irregularit.* 2. p. c. 7. Hic præcipuè quærimus an indigni, vel minùs digni præſentari poſſint. Sed digni aliter à mundanis hominibus qui miniſterii noſtri ſanctitatem non capiunt; aliter ab iis qui Eccleſiaſtici ſtatûs dignitatem norunt, definiuntur.

Juxta mundanos dignus vocatur Eccleſiaſticus, quomodo ſæcularis, vir probus dicitur. Ut ergo filii hujus ſæculi probum & honeſtum eum vocant qui non occidit, non furatur, non mœchatur &c. quamvis rarò & tepidè oret, parcus ſit in pauperes, tempus in otio terat: ita dignus hâc noſtrâ ætate dicitur Clericus, in quem non cadunt flagitia quæ Legibus puniuntur, quamvis mundum & ea quæ in mundo ſunt diligat, bonis inhiet temporalibus, multò minori in domum Dei zelo moveatur, quàm in familiæ ſuæ honorem & augmentum; ludo indulgeat & epulis; inutilibus planè colloquiis, ſæpe pernicioſis etiam cum mulieribus ſeſe immiſceat; adeo ut minus crimen ſit ejus vita otioſa & tepida, circo Deus ex ore ſuo evomit.

Dignus Sanctorum judicio ille eſt, qui innocentiam vel conſervavit, quod hodie rarum eſt, vel ſeriæ pœnitentiæ laboribus reparavit, quod rarius eſt teſte S. Ambroſio; qui cùm omnibus corporis, animi ac gratiæ dotibus neceſſariis inſtructus ſit, inſatiabili Dei gloriæ, ſuæ & aliorum ſalutis ardore

conſu-

conſumitur. Hinc indignus eſt qui ad officium debitè præſtandum ineptus eſt ob pravam vitam, ignorantiam, ingenii aut corporis morbos, aliaque id genus impedimenta; unde S. Thomas, *Per quodlibet peccatum mortale*, inquit, *aliquis redditur indignus ad quodlibet ſpirituale exercendum.* His præmiſſis

Quodlib. 9. 4. a. 6.

Dico 1. qui beneficium etiam ſimplex confert indigno, eumve præſentat, aut eligit, peccat mortaliter. Ita omnes.

Prob. 1. ex Conc. Trid. Seſſ. 2. *De ref.* c. 3. *Inferiora Beneficia præſertim curam animarum habentia, perſonis dignis & habilibus conferantur; aliter autem facta collatio ſive proviſio, omnino irritetur*: atqui indignus habilis non eſt, niſi ad percipiendos Beneficii fructus.

Prob. 2. Ex Conc. Later. IV. *Grave nimis*, inquit, *& abſurdum, quòd quidam Eccleſiarum Prælati, cùm poſſint viros idoneos ad Eccleſiaſtica Beneficia promovere, aſſumere non verentur indignos, quibus neque morum honeſtas, neque litterarum ſcientia ſuffragatur, carnalitatis ſequentes affectum, non judicium rationis: unde quanta Eccleſiis damna proveniant, nemo ſanæ mentis ignorat.*

Cap. 29. De Præbend.

Prob. 3. Non licet illud facere, unde omnia eveniunt Eccleſiæ mala; unde, ut notat Leſſius, naſcuntur hæreſes, divini cultûs negligentia, redituum Eccleſiaſticorum diſſipatio, pauperum calamitas: atqui mala hæc omnia præſtat collatio Beneficiorum indignis facta, nam *ſicut populus, ſic Sacerdos.* Iſai. 24. 2.

Prob. 4. beneficium datur propter officium; ergo ſi ad officia ſæcularia promovens indignos, peccet mortaliter, ut fatentur omnes juxta de Lugo; à fortiori, qui indignos ad beneficia promovent.

Hinc 1. peccat & quidem mortaliter Collator etiam neceſſarius, ſi conferat beneficium indigno, quia eum repudiare poteſt, ac debet; & quia minus Eccleſiæ negotia curat, quàm curet ſæcularia ſua, quæ viris inhabilibus gerenda non tradit. Nec eſt quòd Patroni culpam omnem rejiciant in Ordinarios, quibus, inquiunt, licitum eſt hujuſmodi indignis inſtitutionem denegare: vana enim eſt hæc excuſatio; tum quia vitia præſentati Epiſcopum latere poſſunt; tum quia ſæpe fit ut ii quibus inſtitutionem negavit Epiſcopus, hanc à Metropolitano qui faciliùs decipi poteſt, obtineant. 2. peccat idem Præſentator qui viro ſibi incognito Beneficium tribuit; non ſufficit enim ut nihil mali de præſentato noverit, ſed requiritur ut moralem de idoneitate ejus certitudinem habeat. 3. peccant parentes qui dum corruptos filiorum ſuorum mores norunt, curant aut permittunt iis beneficia conferri. 4. qui in Eccleſiaſtici beneficii certamine, quod ex Tridentini Concilii Decreto inſtitui ſolet, alios habuit competitores, vitâ & ſcientiâ ſe digniores, quibus tamen præripuit beneficium, triplex ſibi crimen fecit, unum in petendo, alterum in obtinendo, tertium in retinendo; nec minùs in culpâ eſt qui ei Beneficium conceſſit. Ita ad verbum Comitolus.

Dico 2. Ex communi ſententiâ peccat mortaliter qui omiſſo digniore præſentat, eligit, proponit dignum ad beneficium annexam habens animarum curam, vel juriſdictionem, vel magni momenti functionem, ut docendi, prædicandi; vel ſuperioritatem alicujus Communitatis.

Vid. Sylv. hic.

Prob. 1. Ex S. Thom. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quòd quantùm ad hoc quòd electio impugnari non poſſit in foro judiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam: ſed quantùm ad conſcientiam eligentis, neceſſe eſt eligere meliorem, vel ſimpliciter, vel in ordine ad bonum commune.*

Prob. 2. Ex Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. 1. *De reform.* quod ut omnem eâ de re controverſiam tolleret, apertè tradit, *omnes & ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum, quocunque jus habent.... aut alioquin operam ſuam præſtant.... alienis peccatis communicando mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint; & quos ex legitimo matrimonio natos, & vita, ætate, doctrinâ, atque aliis omnibus qualitatibus præditos ſciant.* Quod hic de Epiſcopis, hoc de Parochis dicitur cap. 18. *Epiſcopus ex dignis eligat digniorem.* Porrò cùm incommoda hæc verba, *digniores*, intelligerent quidam, aut de dignis ſimpliciter, aut de caſu in quo fieret concurſus; eorum poſitionem & doctrinam damnavit Innoc. XI. ut *ſcandaloſam & in praxi pernicioſam.*

Prob. 3. Beneficiorum Collatores eam ſequi formam debent quam Deus in Scripturis expreſſit: atqui Deus optimos quoque in miniſterium ſuum aſſumi debere exemplo ſuo declaravit. Sic Levit. 8. virgam Aaron ut melioris, præ cæteris frondere fecit. Sic 1. Reg. c. 9. in Regem elegit Saul quo non erat alius melior in Iſraël: unde colligit S. Gregorius digniſſimum eſſe eligendum. Sic Chriſtus quem Eccleſiæ ſuæ Paſtorem, ſuique Vicarium, conſtituit, ante interrogavit: *Simon Joannis diligis me plus his.* Joan. 21.

Quæres an mortaliter quoque peccet qui Beneficium non Curatum digno concedit, prætermiſſo digniore.

Reſp. Variant inter ſe eâ de re Theologi: alii cenſent ibi non occurrere peccatum mortale, niſi Collator ter aut quater digniorem prætermittat; quia tunc magnum Eccleſiæ incommodum non affert. Ita Leſſius. Alii hanc agendi rationem permittunt Fundatori, quia durum eſſet quòd Inſtitutor Capellaniæ non eam poſſet inſtituere pro nepote ſuo, ſi alii occurrerent Clerici eo digniores. Alii demum diſtinguunt inter ipſa Beneficia ſimplicia: quædam, inquiunt, ad debitum Eccleſiæ ordinem ſuperflua ſunt, qualis eſt Capella quam aliquis ad familiæ ſuæ ſepulturam erigit; item Eccleſia Collegiata quæ pro Canonicis minimè neceſſariis fundatur: alia verò ex ſe ſunt quodam ſenſu neceſſaria ad debitum Eccleſiæ cultum, v. g. Canonicatus & Dignitates Eccleſiæ Cathedralis, quæ Eccleſia ipſa redditibus donare deberet, niſi iiſdem privatâ Fidelium liberalitate donarentur. In primo caſu *bonis authoribus non videtur mortale peccatum, prætermiſſo digniore, promovere dignum*; ſecùs in ſecundo. Ita Sylv. ſupra Conc. I. Alii generaliter pronuntiant in caſu etiam Beneficii ſimplicis peccare eum mortaliter qui digniorem præterit. Ita Wigguer. Salonius, Decoq. Probant 1. quia omnes Beneficiati ſunt Eccleſiæ miniſtri; ſed nullum Eccleſiæ miniſterium haberi debet pro parvo. 2. quia non licet ad hoc concurrere quòd Eccleſiæ miniſterium notabiliter pejori modo fiat, & cultus Dei minuatur: atqui per electionem minùs digni, Eccleſiæ miniſterium notabiliter pejori modo fit, & cultus Dei minuitur; quod longè certius apparebit ei qui cum Card. Delugo obſervabit, miſerrimis his temporibus, dignos appellari non qui tales ſint abſolutè, ſed reſpectivè ad innumeros qui reapsè digni non ſunt. 3. inquiunt, illud eſt magni momenti, ex

ex quo ſequitur quod nemo ſe pro viribus aptum reddat ſacro miniſterio ; ſed qui vident majoria meriti nullam haberi rationem, non elaborant pro virili ut cæteris fiant aptiores. 4. ſi in gratiam præſentandorum Beneficium ſaltem ſecundariò ſit inſtitutum, peccat mortaliter qui illud non præſentat digniori, quia Beneficium eccleſiaſticum res ſatis gravis eſt, ut mortaliter peccet qui eum non præſentat quem præſentare debet: atqui probabiliſſimum eſt Beneficia ſaltem ſecundariò in eorum qui præſentandi ſunt favorem fuiſſe inſtituta, nempe ut compenſarentur fideliores Eccleſiæ miniſtri; ergo.

Fatendum tam cum Viguerio, Haberto & aliis, quoſdam eſſe caſus in quibus ſine peccato etiam veniali Beneficia ſimplicia minus dignis conferri poſſint: ut 1. ſi alimenta ſubminiſtranda ſint Paſtori infirmo, qui utpote paſtorali officio jam impar, ab animarum curâ removeri debeat. 2. Si quia Sacerdos aut Clericus non aliter ex inopia relevari poſſit, quam ſi ei conferatur aliquod Beneficium ſimplex, quia hæc diſpoſitio commodum Eccleſiæ affert. Addit Wiguerius Clericum dignum pauperem, diviti licet digniori præferri poſſe, ſi ratio paupertatis eum adæquet exceſſum qui in alio ditiore reperitur; quia cum Beneficia etiam inſtituta ſint ad pauperum ſuſtentationem, paupertas Clerici in partem cauſæ tranſit. Videndum tamen an dignioris promotio Eccleſiæ utilior futura non ſit, quatenus Eccleſiam dotaturus eſt, eamve debitis ſuis exoneraturus, quod qui expectant, non rarò ædificant ſuper arenam.

Habert. De juſt. cap. 3.

Alii ſunt inſuper caſus in quibus ſatis eſt ſi Beneficium verè digno conferatur. Sic 1. poteſt Collator inſtituere dignum qui ſibi à Patrono præſentatus eſt, licet alios noverit eo digniores qui neglecti ſunt. Tunc enim Collator eo modo ſe habet, ac ſi unus tantum eſſet idoneus præſentari; quia non poteſt eum qui præſentatur, modò dignus ſit, rejicere facilè: enim præſumeretur Patroni jura uſurpare velle, Patronum offendere, præſentatum odiſſe, imò & quælibet præſentatio calumniam poſſet pati. Piè tamen & providè faciet Collator, ſi Patronis digniores proponat præſentandos, modò ſit ſpes futurum ut ii pro ſuo in Eccleſiam amore acquieſcant; 2. idem dicendum ſi electio fieri debeat ex perſonis certæ Communitatis, ut Papa ex Cardinalibus. Favet praxis, nec improbat ratio, maximè cum ex tali Communitate aſſumi ſolent qui majorem, Eccleſiæque utiliorem Beneficii curam gerant. Hinc indigena, etſi nonnunquam minus dignus, alienigenæ præferri debet, quia in ſtatutis id attenditur quod fit communiter, non quod rarius. 3. id extendunt ad Beneficium dandum alicui de Collegio certo, aut familia; tunc enim ſatis eſt ſi dignior de Collegio eligatur, etſi extra Collegium occurrat dignior. Putat tamen Sylvius quod fundatio Beneficii Curati ea lege facta, ut ad ipſum ſemper aſſumatur aliquis de Fundatoris ſanguine, aut de quodam pago, vel oppido, etiamſi offerat ſe alius longe dignior, non debeat ab Eccleſia acceptari, cum hujuſmodi homines ordinariè non ſint Eccleſiæ utiliores, quam alii; quod non obſtat quominus præferri debeant exteris ii qui ſunt de Eccleſiæ alicujus gremio, ii enim eſſe ſolent longè utiliores quam extranei. 4. idem quoque ſentiunt non pauci de reſignante, cui ſatis eſſe putant ſi in favorem digni reſignet: tum quia, inquiunt, ius non reſiſtit, neque id improbat Eccleſia; tum quia reſignans non ſe habet ut diſtributor boni communis, ſicque ipſum cui voluerit modò dignus ſit, elargiri poteſt. Verum probabilior eſt longè opinio oppoſita, ut poſt Soto & Navarrum docet Sylvius. 1. quia talis reſignans ſe habet inſtar Patroni, cum id efficiat quod ad Patronos pertinet. Et hoc præſertim verum eſt in Gallia, ubi ſignatura permutationum & reſignationum, eſt ſignatura juſtitiæ non gratiæ; quia permutationes admittere tenetur Papa; niſi in iis aliquid occurrat vitii canonici. 2. quia reipsâ tunc eſt cauſa damni quod patitur Eccleſia; unde non ſolum peccat reſignans, ſed amici quoque ejus & parentes, qui hujuſmodi reſignationes viribus totis procurare conſueverunt, adeoque & malo conſentiunt, & ipſum promovent.

At, inquies, ſaltem poteſt reſignans reſignare ei qui æquè dignus eſt ac ipſe, licet non deſit alter dignior: qui enim Beneficium penes ſe retinere poteſt, poteſt & illud conferre homini qui parem ſecum idoneitatem habet.

Reſp. neg. ant. cum Sylvio. 2. 2. Beneficiatus jus habet acquiſitum in Beneficio, unde illud retinere poteſt; ſed non habet jus acquiſitum ut illud reſignet ei quem ſcit eſſe minus idoneum alio qui poſſet illud conſequi ſi vacaret. 2. quia plerumque accidit ut reſignans ſit ſenex, adeoque ut paulò poſt ſucceſſorem habeat magis idoneum; reſignatarius verò ſit juvenis, poſt quem non eſt ſpes de idoneo ſucceſſore, niſi poſt annos plurimos. Sylv. 414.

Quæres an teneantur ad reſtitutionem, tum ii qui indignos promovent; tum qui dignos præferunt dignioribus.

Reſp. ad primum, videri quod teneantur æqualiter tum promovens, tum promotus. Ratio eſt, quia uterque vera eſt cauſa malorum omnium quæ patitur Eccleſia; ſed qui damnum infert, jure naturali tenetur ipſum reparare, niſi læſus jure ſuo cedat. Porrò non videtur Eccleſia jure ſuo cedere; quis enim credat paſſuram eſſe Chriſti ſponſam, ut qui tanquam *ſingularis ferus* vineam Domini *depaſtus eſt*, malum tantum quâ poterit viâ non reparet? Ergo promotus qui officium ſuum implere nequit, debet reſtituere fructus Beneficii quod datur propter officium, tenetur inſuper Beneficium dimittere, quia proviſio irrita fuit.

Reſp. ad ſecundum vel Beneficium per concurſum dari debet, vel non. Si primum, conveniunt communiter reſtitutionem fieri debere digniori prætermiſſo. Is enim, licet ſecluſo concurſu non habeat jus ſtrictè ſumptum, habet tamen jus illud poſito concurſu, eique ſi prætermittatur, fit injuria propriè dicta ubi enim eſt ſponſio & pactum implicitum, adeoque & contractus virtualis quo convenitur, ut qui talem impleverit conditionem, tali mercede donetur, ibi qui mercedem hanc negat, juſtitiam propriè dictam lædit: ſed in concurſus indictione, continetur ſponſio ſeu pactum dandi Beneficii magis idoneo inter concurrentes, qui etiam tali conditione, & expectatione ſe præſentat; ergo digniori reſtituendum eſt, cui etiam competit appellatio ad Metropolitanum vel Pontificem, etſi interim proviſio ſit exequenda. Vid. Trid. Seſſ. 24. c. 18. & Bullam Pii V. quæ incipit, *In conferendis Beneficiis*, an. 1567. datam. Sylv. 4603.

Si verò Beneficium ex concurſu dari non debeat, diſſentiunt inter ſe Theologi etiam rigidiores: quidam negant ullam fieri reſtitutionem debere; quidam cenſent reſtituendum eſſe Eccleſiæ; non autem illi qui prætermiſſus eſt.

Probatur prima pars. 1. quia reſtituere debet qui eſt cauſa damni, & quidem ita gravis, ut id inferendo peccarit mortaliter: ſed qui Beneficium contulit minus digno, grave Eccleſiæ damnum

intulit

intulit &c. 2. quia Beneficia principaliter dantur propter communem Eccleſiæ utilitatem: ut paſſim tradit S. Thomas: ſed qui digniores prætermittunt, ea non diſpenſant in Eccleſiæ utilitatem: qui enim ea ita diſpenſant ut inde Eccleſia damnum verum percipiat, ii non diſpenſant in Eccleſiæ utilitatem; ergo tales adminiſtratores violant juſtitiam commutativam.

Dices 1. Intendit quidem Eccleſia ut promoveantur digniores: ſed ad hoc ex fidelitate ſolùm obligat, non ex juſtitia, ob perplexitates quæ inde quotidiè orirentur; ergo.

Reſp. neg. antec. Eccleſia enim deterioris non eſt conditionis quam alia quælibet politica Communitas: ſed qui politicæ Communitati de optimis quantum poſſunt miniſtris non provident, ad reſtituendum tenentur, ut notat Sylvius ibid. idque præſertim verum eſt cum á Republica ſtipendium recipiunt ut ipſi invigilent: Porrò Patronorum jura ſunt ipſis ſtipendii loco; ergo non ex fidelitate ſolum &c. Neque inde timenda erit perplexitas iis qui Deum timent: ſufficit enim ut in rebus Dei eam adhibeant diligentiam, quam filii ſæculi in rerum ſuarum adminiſtratione adhibere ſolent. Sylv. p. 46.

Dices 2. Nullus eſt Patronus qui tantum onus acceptare voluerit; ergo cùm homo non obligetur niſi ex ſuâ voluntate, Patronus obligari nequit ad reſtitutionem.

Reſp. Patronum, velit, nolit, teneri jure naturali ad reparandum damnum cujus cauſa eſt, ſicut jure naturali & ex juſtitiâ commutativâ, tenetur damnum illud non inferre: atque ut efficere non poteſt Eccleſia ut homo ille dum minus dignum eligit, non inferat vulgò grave Eccleſiæ damnum, ſic nec efficere poteſt ut ad damni hujus reparationem non teneatur. Hæc autem reparatio fiet 1. ſi per te vel alium efficaciter perſuadeas minùs digno, ut Beneficium ſuum digniori concedat. 2. ſi ei Beneficium aliquod ſimplex procures, & digniorem illius locum introducas. 3. ſi idoneos accerſas miniſtros, qui diligentiâ ſuâ compenſent, id quod ex ejus ſocordiâ, mali contingere poteſt.

Probatur ſecunda pars, ſcilicet faciendam non eſſe reſtitutionem dignioribus prætermiſſis. 1. quia ibi non eſt obligatio reſtituendi, ubi violatur ſolum ea juſtitiæ diſtributivæ ſpecies quæ non inducit onus reſtitutionis: ſed qui prætermittit digniorem, violat tantum juſtitiam diſtributivam quæ non inducit reſtituendi obligationem. Ea enim ſola juſtitiæ ſpecies inducit neceſſitatem reſtituendi, quæ rem alteri ſtricto jure debitam eidem denegat; ſed juſtitia diſtributiva, quæ in Beneficiorum diſpenſatione occurrit, non debet ſtricto jure dignioribus Beneficia, ſed tantum quia invenitur in illis major aptitudo. Aliunde Beneficia primariò propter utilitatem communem inſtituta ſunt, non autem propter peculiare Beneficiarii emolumentum, niſi quatenus in utilitatem communem ex ſe ordinatur; ergo ſufficit ut reſtitutio fiat communitati, non autem neceſſum eſt ut fiat digniori prætermiſſo.

2. ſe habet diſpenſator bonorum Eccleſiæ ad eos quibus ea diſpenſari debent, ut ſe habet æconomus cui ex officio incumbit conducere idoneos operarios in vineam patrisfamilias: atqui is ſi digniores non conducat operarios, nullam iis reſtitutionem facere debet, ſed ad id tenetur unum ut reſarciat damnum quod evenire potuit domino cujus rem negligenter curavit; ergo pariter diſpenſator Eccleſiæ bonorum eidem Eccleſiæ obligatus manet, non autem iis operariis quos prætermiſit.

3. ſola juſtitiæ commutativæ violatio inducit obligationem reſtituendi: atqui eam non violat qui prætermittit digniorem; ſi enim eam violaret, teneretur dignus ex juſtitiâ Beneficium relinquere, ſtatim ut ſciret digniorem fuiſſe prætermiſſum; hoc autem nec admittitur, nec ſine magnâ omnium confuſione admitti poteſt. Hactenus Sylv.

ARTICULUS SECUNDUS.

De electione &c.

Electio eſt perſonæ idoneæ ad Beneficium vacans canonica ſeu legitima vocatio ſufficientibus eorum qui eligendi jus habent ſuffragiis facta. Ad canonicam electionem, debent vocari omnes qui jus habent ſuffragii, ita ut ſi unius citatio neglecta fuerit, poſſit is petere ut electio reſcindatur. In Monaſteriis jus ſuffragii communiter non competit Converſis aut non Profeſſis; & in Cathedralibus & Collegiatis, iis qui ut minus Subdiaconi non ſunt; nullibi competit excommunicatis, ſuſpenſis ab officio, interdictis. Legitimè abſens, nec intereſſe valens poteſt per procuratorem uni de Capitulo votum ſeu ſuffragium demandare, ita ut ne procuratori quidem innoteſcat ille in quem ſuffragium cadit. In electione Papæ non expectantur abſentes, nec ulla eorum vota recipiuntur. Cabaſ. l. 1. c. 7. Paſtor. l. 1. c. 5. Van-Eſp. p. 2. tit. 11. c. 3.

Electio tripliciter fieri poteſt 1. per *inſpirationem*, qua eligentes de repente quaſi divinâ quadam motione in aliquem conſentiunt; ſic electi ſunt ſancti Ambroſius & Nicolaus. 2. per *compromiſſum*, cum eligendi poteſtas ab omnibus, (oppoſitio enim unius compromiſſum impedit) in unum vel plures ſive de Capitulo, ſive extraneos transfertur qui vice omnium eum eligant quem meliorem eſſe judicaverint: ſi enim indignum eligant, commiſſionis ſuæ limites exceſſiſſe cenſentur. 3. per *ſcrutinium*, cum *præſentibus omnibus qui debent & volunt & poſſunt commode intereſſe, aſſumuntur tres de Collegio fide digni, qui ſecretè & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi: nullo prorſus appellationis obſtaculo interjecto: ut is collatione habitâ eligatur, in quem omnes, vel major & ſanior pars Capituli conſenſit.* Hodiè pars major ſemper ſupponitur eſſe ſanior. Van-Eſp. ibid. c. 4. Cap. 42. De elect. Van-Eſp. ibid. n. 23.

Electio, niſi grave obſtet impedimentum, intra trimeſtre fieri debet, ſi de Prælaturâ ſæculari aut regulari agitur, c. 1. *De elect.* ſi de alio Beneficio minori, intra ſex menſes, à die vacationis moraliter notæ; alioqui jus conferendi pro hac vice devolvitur ad immediatum Superiorem, non Collatoris negligentis, ſed loci in quo ſitum eſt Beneficium. Devolvitur etiam jus illud ad Superiorem. 1. ſi electus electionis tempore qualitates ad Beneficium requiſitas non habeat. 2. ſi eligatur indignus. Quod ſi pars major elegerit indignum, valet alterius digni electio à minori parte etiam in eodem ſcrutinio facta. *Electores electionem quàm citiùs commodè poterunt, electo præſentare* ſeu notificare debent: *Electus* verò conſenſum *adhibere tenetur intra menſem* à die notificatæ ſibi electionis, alioqui jure ſuo excidit, & *electores ex tunc ad electionem aliam procedendi liberam habent facultatem. Cæterum quivis electus intra ſex menſes poſt conſenſum electioni de ſe celebratæ præſtitum, confirmationem* Superioris *petere non omittat*, alioqui *electio eadem eo ipſo viribus vacuatur*, ſeu nulla eſt. Ita Gregor. X. in Conc. Lugdunenſi. Hericourt 2. p. c. 3. De elect. in 6. c. 6.

Poſtulatio accedit ad electionem, eſtque præſentatio Superiori facta perſonæ quæ eligi non poteſt ob

ob aliquem defectum in quo licitum eſt Superiori diſpenſare. Sic illegitimus, bigamus, in alio Ordine profeſſus, eligi non poſſunt; benè verò poſtulari. Electio & poſtulatio non dant niſi jus ad rem; Polman. unde opus eſt *confirmatione*, quæ eſt *juris in re attributio* à Superiore facta; & quæ non differt ab inſtitutione, niſi quod inſtitutio dicitur poſt præſentationem; confirmatio poſt electionem aut poſtulationem. Papa non indiget confirmatione, neque etiam Abbates ad triennium electi. Qui confirmari debent, ſi ante confirmationem res Eccleſiæ ſuæ quocunque modo ſive per ſe, ſive per alium adminiſtrare præſumant, eo ipſo, jure per electionem acquiſito privantur. Poſt confirmationem & ante conſecrationem poteſt Epiſcopus ex jure canonico ea quæ ſunt juriſdictionis, ut cenſuras decernere, Beneficia conferre; non autem quæ ſunt Ordinis, ut virgines benedicere, altaria conſecrare &c. Confirmans in confirmandi vitam, capacitatem, mores ſedulò inquirere debet.

Collatio eſt attributio ſeu conceſſio Beneficii vacantis facta ab habente poteſtatem. (Van Eſp. p. 2. tit. 25. c. 2.) Collatio duplex: *libera*, cum Collator ei cui voluerit confert; & *neceſſaria*, cum Collatoris poteſtas reſtringitur ad præſentatum à Patrono, nominatum ab Univerſitate, permutatarium ratione permutationis, & dicitur *inſtitutio*. Collatio acceptata ante adeptam poſſeſſionem dat jus in re, & titulum Beneficii, ait Van-Eſp. unde ex tunc Beneficium cum alio permutari poteſt; quod fieri non poteſt ab electo ante confirmationem, vel præſentato ante inſtitutionem.

Jus conferendi Beneficia competit 1. Papæ *ex ſua poteſtatis plenitudine*. Clement. 1. *Ut lite*, Papa confert Epiſcopatus, Abbatias, Beneficia in quibus Ordinarium prævenit, vel quæ in manibus ejus reſignantur: item ea quæ vacant in Curiâ Romanâ, vel in locis ab eâ non diſtantibus ultra duas diœtas. Pro Prælatis verò Romam propter Regni negotia delegatis, conceditur Breve Regi quo ſpondet (Solier in Paſt. l. 1. tit. 9. Drap. tom. 1 p. 188.) Pontifex ſe non uſurum jure ſuo, ſi eos in Curiâ mori contigerit. Si Pontifex Beneficia ſic vacantia intra menſem à die vacationis etiam incognitæ non contulerit, poſſunt ab Ordinario conferri, aut, ſi abſuerit, ab ejus Vicariis. Idem dicendum ſi vacaverint Sede Apoſtolicâ vacante aut ſi de iis ante obitum ſuum non diſpoſuerit S. Pontifex. De reſervationibus quæ in Armoricâ præſertim vigent, vide Canoniſtas.

2. Epiſcopus jure communi omnium Diœceſeos ſuæ Beneficiorum eſt Collator, cap. *Omnes Baſilica*, causâ 16 q. 7. Et verò quid naturalius quam ut qui laboris ſui ſocios conſecrat, iiſdem unde vivant procurare poſſit? Quare qui jus præſentandi ad Beneficium, ſibi, non Ordinario competere prætendit, titulum, vel aliquid æquivalens afferre debet; alias in dubio pro Epiſcopo judicandum. *Officialis aut Vicarius generalis Epiſcopi Beneficia conferre non poſſunt, niſi Beneficiorum collatio ipſis ſpecialiter ſit commiſſa*, cap. 3. *De offic. Vicar.* in 6. Non major eſt Coadjutoris poteſtas, niſi in amentiam (Heric. c. 5. n. 27.) verſus ſit Epiſcopus. Si excommunicetur Epiſcopus, Vicarius ejus, etiam à cenſura immunis, non poteſt conferre, ibid. c. 1. (Ibid. n. 32.) Si Vicarius generalis conferat indigno, poteſt Epiſcopus digno conferre. In Gallia Beneficia quæ ab Epiſcopo conferuntur, Sede vacante conferuntur à Rege jure *Regalia*, eaque perſeverat donec novus Prælatus Regi juramentum præſtiterit, cum aliis formalitatibus in hoc Regno uſitatis. (V. Drapier tom. 2. p. 154.) Beneficia Curata non à Rege ſed à Capitulo conferuntur. Beneficia à laicali patronatu dependentia conferuntur à Rege perinde ac ab Epiſcopo; quæ verò ab Abbatiis pendent, Abbatia vacante non conferuntur à Rege, ſed vel à Monachis ſi Sede impleta una cum Abbate conferant; vel ab Epiſcopo poſt ſex menſes, ſi ſolus Abbas conferre ſoleat, ejuſque ſucceſſor nondum ſit in ſtatu conferendi. Si Abbatia & Epiſcopatus ſimul vacent jus conferendi pertinet ad Regem. Hericourt 2. p. 5. & 6.

3. Jus Beneficia conferendi ſimplici Clerico competere poteſt. Quomodo autem Laici juris illius utpote ſpiritualis capaces ſint, facilè non explicatur: attamen prætendunt Reges & Principes, ait Van-Eſp. p. 2. tit. 25. c. 9. ſibi non eam ſolum competere præſentationem quæ aliis Patronis de jure competit, ſed plenam collationem, præter quam non requiratur alia inſtitutio *authoriſabilis*, ſive tituli collativa; ſed tantum inſtitutio corporalis ſive immiſſio in poſſeſſionem: ſed quidquid tandem poſſint, certum eſt eos per ſe nec animarum curam, nec miſſionem largiri.

CAPUT TERTIUM.

De qualitatibus ad obtinenda ritè Beneficia neceſſariis.

Ut alicui de Beneficio provideri poſſit, decem in eo requiruntur juxta Leſſium.

(Leſſ. l 2. c. 34. dub. 17.) 1. ut non ſit illegitimus vel ſaltem ut diſpenſationem obtinuerit, ſive ab Epiſcopo qui eam dare poteſt pro tonſura & Beneficiis ſimplicibus, ſive Papa pro cæteris, imò & pro quibuſdam ſimplicibus: nam Epiſcopus ſpurium diſpenſare non poteſt. (Paſtor l. 3 tit. 15. Heric. 2. p. cap. 2. n. 41.) 1. ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis, ſaltem ſi requirat ſacrum Ordinem. 2. nec ad Beneficium ſimplex quod pater obtinet aut obtinuit. 3. nec ad Beneficium ſitum in Eccleſia in qua pater aliud Beneficium poſſidet. Probabilius eſt infantes expoſitos pro illegitimis habendos non eſſe, adeoque nec iis neceſſariam eſſe diſpenſationem. Hic quædam notanda, 1. illegitimus diſpenſationem petens exprimere debet an ſit *ex ſoluto & ſoluta, an ex ſoluta & conjugato, an ex Sacerdote, vel Monacho, vel moniali &c.* 2. recurrere debet ad *Datariam*, ubi nomen, cognomen, & Diœceſis exprimenda ſunt; ſatis tamen fuerit ad *Pœnitentiariam* recurrere ſi defectus natalium omnino occultus ſit. 3. diſpenſatio, utpote in præſenti caſu odioſa, ſtrictè eſt intelligenda, unde diſpenſatus ad Ordines, non eſt diſpenſatus ad Beneficia; diſpenſatus ad unum non eſt diſpenſatus ad plura; diſpenſatus ad ſimplicia, non eſt diſpenſatus ad Curata, ad Dignitates, multò minus ad Prælaturas. 4. Profeſſi in Monaſteriis, ad Ordines promoveri poſſunt, & ad Beneficia ſimplicia; non autem ad Prælaturas, niſi cum ipſis diſpenſetur. Prior clauſtralis Abbas idonum regeno ſubjacens, Subprior, Noviciorum Præfectus non videntur indigere diſpenſatione, quia hæc officia in rei veritate nec Prælaturæ ſunt, nec Dignitates. Ita author Collat. Andeg. *De irregularitatib.* quem fructuosè conſules.

2. Requiritur ut prima tonſura donatus ſit, & quidem à proprio Epiſcopo, vel mediantibus ejuſdem dimiſſoriis. Etſi verò triplex ſit Epiſcopus proprius, originis ſcilicet, domicilii, & Beneficii, ex cap. 3. *De temp. ordinat.* in 6. ita ut abſolutè loquendo etiam in Gallia, ad unum ex his recurrere licitum ſit, tutius tamen eſt, & hodiernis uſibus, Clerique Gallicani votis magis conſentaneum, (Vid. Collat. Andeg. De Ordine. p. 18.) ut non ab alio petantur Ordines quam ab originis Epiſcopo; per quem intelligitur tum præcipuè is in cujus territorio quis carnaliter natus eſt, tum is

etiam

Ib. p. 352. etiam in quo quis baptizatus fuit. Tutius etiam fuerit ut qui ab alio Epiſcopo ordinatus eſt, à Papa obtineat litteras *perinde valere*, ut docet Rebuffus. An autem neceſſe ſit ut quis habeat tonſuram ipſo *præſentationis* tempore, an ſufficiat ut eam tempore *collationis* receperit, variant Juriſperiti noſtri. (Drap. p. 162.) Qui tonſuram tempore præſentationis neceſſariam putant, niti poſſunt cap. *Si eo. De reſcript.* in 6. (n. 49.) & ita ſentire videtur Heticourt ibid. Sunt Beneficia quæ præter tonſuram, certum Ordinem poſtulant à lege, vel à fundatione, de quibus ſupra.

3. Requiritur cœlibatus: unde Clericus matrimonium validè contrahens, à Beneficio ſuo excidit; quod ſi invalidè contrahat, cenſent multi vacare ipſo ſancto Beneficiũ ejus; (Leſſ. ibid. d. 21.) alii Clericum hunc non tam actu privari, quam privandum putant. Ita Leſſius, qui dicit ſe ea de re conſoluiſſe viros complures doctos Univerſitatis Lovan. qui ita ſentiebant. Idem tenet Decoq. p. 598. Ratio eſt, quia ideo Canones aliquem privant Beneficio, quia officio ſimul & uxori vacare non poteſt; hæc autem ratio locum non habet, cum quis ob aliquod impedimentum dirimens invalidè contraxit, is enim uxor vacare non poteſt. Hinc ſequitur Sacerdotem aut alium in ſacris qui matrimonium contrahere attentat, mereri quidem privari Beneficio ob tantum ſcelus, non autem eo privari ante ſententiam Judicis, quod fortè ſtatutum eſt ne talis Sacerdos mendicare cogatur. Ita Leſſius & Panormit. quem tamen pro oppoſita ſua opinione citat Pontas, cujus rationes parum valent.

4. Ætas idonea: hæc verò eſt 7. annorum ad tonſuram & Beneficium ſimplex; 10. an. ad Canonicatum Collegiatæ; 14. ad Canonicatum Cathedralis; 25. ad Præpoſituras, Decanatus & alia quibus annexa eſt animarum cura; 30. in Galliis verò ad minus 27. ad Epiſcopatum. Sed in his conſulendi ſunt locorum uſus, neque enim unanimis eſt ea de re Tribunalium ſæcularium ſententia. (Heric. ibid.) Hinc paſſim nominantur ad Beneficia Curata qui annos ſolum 22. nati ſunt.

5. Vitæ probitas: ſequitur ex iis quæ diximus de Ben ciis digniori conferendis.

Quæres, deſitne ex eo probitas alicui, quod pro ſe Beneficium petat.

Reſpondet S. Thomas 2. 2. q. 100. & quodlib. 2. a. 11. ad 3. his verbis: *Si quis pro ſe rogat ut obtineat curam animarum, ex ipſa præſumptione redditur indignus, & ſic preces ſua ex hoc ipſo... pro indigno fiunt. Licitè tamen poteſt aliquis, ſi ſit indigens, pro ſe Beneficium Eccleſiaſticum petere ſine cura animarum.* Si tamen Beneficia dignis promiſcuè & indignis conferantur, & petens non temerè judicet ſe eſſe aliis digniorem, puta quia ea de re peritum Confeſſarium conſuluit, & aliunde qui idem Beneficium ſollicitant, tales eſſe noſcuntur qui lac comedere, & lanis indui ament, gregem autem paſcere non ſatagant, licitum eſſet Beneficium cui animarum cura annexa eſt poſtulare, cum Iſaias c. 6. dicat: *Ecce ego mitte me.* Et Apoſt. 1. ad Tim. 3. *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Sed cavendum eſt ne Prælatura principaliter propter fructus & honorem appetatur, quod grande eſt peccatum; & ſeriò penſandum tum id (L. 19. de Civ. Dei c. 19. L. 2. Epiſt. ad Nepot.) Auguſt. *Locus ſuperior ſine quo populus regi non poteſt, etſi ita adminiſtretur ut decet, tamen indecenter appetitur:* tum id Hieronymi, *Junge* verbis Apoſtoli id *quod ſequitur*: Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe... ſobrium, pudicum &c. *Non omnes Epiſcopi, Epiſcopi ſunt. Attendis Petrum, ſed Judam conſidera.*

6. Scientia competens, talis ſcilicet & tanta quæ ſufficiat ad officium Beneficio annexum debitè exequendum; unde cum officia Beneficiis annexa varia ſint, non una quoque, nec æqualis ad omnia Beneficia ſcientia requiritur: major certè requiritur in iis qui populum, & à fortiori qui Clerum ipſum erudire & informare debent, quales ſunt Curati, Pœnitentiarii, Theologales, & Canonici præſertim Cathedralium, qui cum Epiſcopis conſilio & opera adeſſe debeant, *bonis moribus & ſcientia præditi* eſſe debent, ut fert. art. 27. ex iis qui PP. Tridentinis Caroli IX. nomine oblati fuerunt. Juxta mores noſtros Parochiæ in urbibus aut villis muratis ſitæ nemini niſi ad minus artium Magiſtro (Hericourt ibid. n. 14.) credi poſſunt: idem dicendum ſi Parochiæ illæ extra urbem ſitæ ſint; & major populi pars intra urbis ambitum commoretur. 2. ut quis Præbendam Theologalem obtineat neceſſe eſt ex Pragmaticâ, (Pontas v. Theolugal.) ut ſit Licentiatus ſeu Baccalaureus formatus in Theologia: Doctoratus in Jure non ſufficeret, niſi fortè contingeret ut non reperirentur Licentiati, quod in Galliis raro vel potius nunquam evenit. 3. Cathedralium Dignitates, item primariæ Dignitates Collegiatarum ei ſolum conferri poſſunt qui in Theologiâ, aut Jure Canonico gradus conſecutus fuerit. collatio non Graduato facta, nulla eſt, ex Edicto anni 1606. Qui in Jure, gradus per ætatis (Drap. s. 1. p. 127.) beneficium adeptus eſt, Beneficia vi graduum requirere nequit. 4. ad Epiſcopatum nominari debent qui in Theologia, vel Jure ſeu civili, ſeu canonico Licentiati ſint, excipiuntur ab hac lege Principes, Perſonæ ſublimes, Religioſi quibus gradus aſſequi non licet. Ita habet Concordatum. Hæc omnia ſancita fuêre ut Beneficia nonniſi dignis & capacibus conferrentur, conformiter ad Canones. *Illitteratos*, ait Gelaſius Papa, *aut aliqua parte corporis vitiatos, nullus præſumat ad Clericatus Ordinem promovere; quia litteris carens, ſacris non poteſt eſſe aptus officiis.* (Diſt. 36. c. 1.) Concil. Lateran. IV. *Duo*, ait, *ſunt nobis neceſſaria, vita ſcilicet & doctrina, alterum propter nos, alterum propter proximos.* Et Tolet. IV. *Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè verò in Sacerdotibus Dei evitanda eſt, qui docendi officium in populo Dei ſuſceperunt.*

7. Idonea corporis diſpoſitio, ita ut præſtari poſſit officium debitum: ſi indiſpoſitio præcedat, irrita eſt collatio: ut ſi cœco fieret; ſi ſuperveniat, non privat Beneficio: ſed qui Beneficium Curatum habet, bono Vicario munus ſuum committere tenetur.

8. Requiritur immunitas ab excommunicatione majori, aliiſque cenſuris, & irregularitatibus: ſed fuſior hujus & præcedentis conditionis expoſitio, pertinet ad Tractatum de cenſuris.

9. Intentio determinata in ſtatu Eccleſiaſtico perſeverandi: non enim intendit Eccleſia ut iis Beneficia conferantur, qui eidem nonniſi ad tempus famulari volunt, & qui minus gloriæ Dei quam lucro ſtudent. Ad hanc autem intentionem non requiritur, ut proponat ſibi Clericus nunquam ad ſæculum reverti, quidquid evenire poſſit: unde docent Navarrus, Decoq. & alii, non peccare eum qui Beneficium ſuſcipiendo habet intentionem illud deſerendi ſi aliquando id exigant lites componendæ, (Decoq. p. 196.) pax procuranda, augendum patriæ decus, continuanda illuſtris familia: ſed in his timidè ambulandum, nec à peccato mortali excuſandi ſunt, 1. qui Beneficia accipiunt eo tantum animo ut fructibus eorum alantur donec ſtudia abſolverint, aut invenerint uxorem opulentam. 2. qui recipiunt Beneficium cui annexus eſt ſacer Ordo, quem recipere nolunt; & quidem ſi Beneficium illud ſit Curatum,

§. 13. De elect. in 6. tum, & ipſum *receperis, ut fructus ex eo per annum percipias, poſtmodum* idem *dimiſſurus, (niſi voluntate mutata promotus fueris) teneberis ad reſtitutionem fructuum eorundem.* 3. qui Beneficium accipiunt ut illud cum alio permutent, aut ex eo penſiones corrodant, in re gravi Eccleſiam fallunt, & graviter peccant. Ulterius progreditur Pontas, & ſatis apertè docet hancce collationem reipsâ invalidam eſſe, quod etiam docent Gabriel & Sylveſter. Sed hæc opinio parum fundata videtur. 1. enim nullum eſt jus quod invaliditatem hanc decernat; & reipsa multa prohibentur fieri quæ facta tenent. 2. ideo ille Beneficio ſuo privaretur, quia Eccleſiæ intentioni contradicit: atqui hæc ratio nulla eſt; Eccleſia enim aliquando ita quædam improbat ut ea invalidet, aliquando ſolum declaret illicita: ſic etiam Eccleſiæ intentioni reſiſtunt, qui plura quam par ſit Beneficia cuipiam conferunt, & tamen valet collatio. 3. ſi collatio hæc invalida foret, qui mala *mutata voluntate* intenderet Eccleſiæ perpetuò famulari, novis indigeret proviſionibus quia *tractu temporis non firmatur, quod ab initio non ſubſiſtit*: hoc tamen neceſſe non eſt, cum citatum caput 35. *De elect.* ſupponat Beneficium Parochiale poſſe retineri ab eo qui primo illud receperat, ut fructus ex eo per annum reciperet, ſolumque exigat ut voluntatem mutet. Ita Leſſius, Decoq, & alii.

y Benefice raſ. 1.

10. Ut promotus ad unum Beneficium non habeat aliud incompatibile: ſed de hoc paulò poſt. Hic addendum eſt extraneos nullum in Galliis Beneficium obtinere poſſe, niſi à Rege *naturalitatis* litteras in Parlamento verificatas obtinuerint. An autem eæ litteræ effectum habeant retroactivum, ita ut ei proſint qui iis nondum obtentis Beneficium adeptus eſt, diſputatur.

CAPUT QUARTUM.

De obligationibus Beneficiariorum

BEneficiariorum obligationes præcipuæ ad quinque reducuntur. 1. eſt tonſuræ & habitus decentis geſtatio. 2. recitatio Horarum. 3. reſidentia in loco Beneficii. 4. unius tantum Beneficii Sup. p. 83. poſſeſſio ſi ſufficiens ſit. 5. legitima ejuſdem fructuum diſpenſatio. De Horis diximus ſupra; de tonſura & cæteris ad ſtatum Clericalem pertinentibus, dicemus ubi de diverſis hominum ſtatibus ſermo fiet.

ARTICULUS PRIMUS.

De reſidentia in Beneficio.

PRæſentem quæſtionem ſola introduxit temporum iniquitas, & Beneficiariorum quorundam evagatio; nequidem enim ſomniarant veteres aliquando diſputatum iri an Paſtores gregis ſui curam vel deſerere, vel alienis committere poſſent. Si aliqui certè Beneficiarii tremenda hæc S. Joannis Hom. 3. in Act. Apoſt. Chryſoſtomi verba ponderare debent: *Non temere dico, ſed prout affectus ſum & ſentio; non arbitror inter Sacerdotes multos eſſe qui ſalvi fiant, ſed multò plures qui pereant: in causa eſt quoniam res excelſum requirit animum.*

Reſidentia juxta vim nominis idem eſt ac iterata ſeſſio, & definiri poteſt, perſonalis in loco Beneficii commoratio, & ibidem munerum eccleſiaſticorum functio. Reſidere ergo, nihil aliud eſt, ut notat Fagnan, quam deſervire, neque enim reſidentia ſic accipi debetur otioſa ſit, ſed ut laboriosa. Unde non reſidet Epiſcopus qui etiam in Diœceſi ſuâ remanens, eſt canis mutus, non valens latrare, cum tempus concionandi & increpandi urget; qui de luxu, aleâque & vinis ablegandis parum aut nihil curat; qui Diœceſim ſuam rarò & non integrè viſitat, & Confirmationis Sacramentum non miniſtrat in locis remotioribus. Idem dicendum de Canonicis qui Matutini tempore ſtertunt in lecto, aut in Choro libros legunt, & non canunt officium. Ut ergo quæ ad reſidentiam pertinent diſcutiantur,

Dico 1. Beneficia quæcunque etiam ſimplicia & tenuia de jure communi reſidentiam exigunt. Ita omnes, & inter alios diſertè P. Thomaſſin qui id probat. 1. quia Ordinatio titulum ſupponit; is verò titulus nihil aliud erat antiquitus quam Eccleſia Thom. p. 4. l. 2. c. 71. item 3. cui Clerici inſcribi, & in quâ conſequentes ſervire debebant. 2. quia per annos mille & amplius Beneficiorum reditus conſiſtebant in diſtributionibus manualibus, quæ nonniſi præſentibus erogari poterant. 3. quia diviſio Beneficiorum in incompatibilia, & compatibilia quæ reſidentiam non exigunt, per duodecim penè ſæcula incognita fuit, & nata videtur intra annos 1181. & 1230. 4. Alexander III. qui anno 1181. diem clauſit extremum, expreſſè præcipit, ut Clerici qui in Beneficiis reſidere nolunt, non admittantur, & admiſſi iiſdem Cap. 4. De Cleric. non reſid. priventur, *niſi forte de licentia ſuorum prælatorum, vel ſtudio litterarum, vel aliis honeſtis cauſis contigerit eos abeſſe.*

Sed contrariâ conſuetudine totius orbis, ait Decoq. multa nunc ſunt Beneficia ex iis quæ ſimplicia Dec. p. 638. dicuntur, quæ reſidentiam non poſtulant: dixi, *multa*, nam Canonicatus eam dubio procul requirunt.

Dico 2. Beneficia quibus annexa eſt animarum cura, ut Epiſcopatus, Parochia, reſidentiam exigunt jure naturali, divino, eccleſiaſtico, & civili.

Prob. prima pars de jure naturali, ex ipſo hujuſmodi Beneficiariorum nomine; ii enim paſſim dicuntur, Paſtores, Speculatores, Magiſtri, Rectores, Doctores, Lux populi, Duces cæcorum &c. ſed Paſtor: Magiſter, Doctor &c. jure naturali tenetur iis aſſidere quorum eſt Magiſter & Paſtor, quia alioqui nec paſcit, nec docet. Atque hanc Paſtoris obligationem manifeſtè ediſſerit Chriſtus his Joan. 10. v. 15. verbis: *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis: mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Et ſup. *Qui intrat per oſtium, paſtor eſt ovium; huic oſtiarius aperit, &* v. 2. *oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas... & ante eas vadit, & oves illum ſequuntur &c.* Ergo Paſtor jure naturali tenetur ab ovili ſuo non abeſſe. Ecquis mente ſanus, inquit Soto, in quæſtionem compellet utrum dux in bello dum geritur, & miles in acie debeat exiſtere?

Confirm. Nam. 1. jure naturali tenetur ſponſus reſidere cum ſponsâ, neque quod Deus conjunxit, homo ſeparare poteſt: atqui Epiſcoporum & Parochorum ſponſa eſt eorum Eccleſia, cum qua ſpirituale matrimonium ſolemniter contraxerunt, ut ait S. Pius V. in Bullâ ſuâ 64. ergo 2. tenetur quilibet graviſſima, dum poteſt proximi damna avertere; porrò abſentiam Epiſcoporum &c. graviſſima damna conſequuntur ut docet frequentior experientia.

Prob. ſecunda pars de jure divino, contra Catharinum & alios quoſdam Concilio Tridentino antiquiores: Ezech. cap. 34. "Væ paſtoribus Iſrael, „qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges à paſtori-

„bus

„paſcuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem „autem meum non paſcebatis, Quod infirmum „fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotom non ſanaſtis, quod confractum eſt noo alligaſtis, & quod „objectum eſt non reduxiſtis, & qood perierat non „quæſiſtis; ſed cum auſteritate imperabatis eis, & „cum potentiâ Et diſperſæ ſunt oves meæ, eo quod „non eſſet paſtor: & factæ ſunt in devorationem „omnium beſtiarum... Propterea paſtores audite „verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce „ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum „de manu eorum, & ceſſare faciam eos ut ultra non „paſcant gregem, nec paſcant amplius paſtores „ſemetipſos" Uode ſic: Ad illud renentur Paſtores jure divino, cujus omiſſionem Deus graviter arguit, & ſeverè minitatur puniendam: ſed reſidentiæ omiſſionem Deus citatis verbis graviter arguit, atque oſtendit ſimul eos non reſidere, qui io otio & mollitie circa gregem ſuum elanguent, quod perit non quærunt &c, ergo

Idem docet Concil. Trid. Seſſ. 23. cap. 1. "De „reform. Cum, *inquit*, præcepto divino mandatum ſit omnibus quibus animarum cura commiſſa „eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum „adminiſtratione, ac bonorum omnium operum „exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in „cætera paſtoralia munera incumbere, quæ omnia „nequaquam ab iis præſtari & impleri poſſunt, qui „gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt. ſacroſancta Synodus „eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate paſcant & regant." Atqui hæc verba clarè definiunt reſidentiam jure divino præcipi, eamque præter allatos textus, alii multi imperant: ſic Prov. 27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera.* Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi; ſic luceat lux veſtra coram hominibus &c.* Et ad Tit. 2. *In omnibus præbe teipſum exemplum bono-*
Timot. 2. 3. Tim. 4. *rum operum*: atqui exemplum hoc præbere non poſſunt quos populus vix aliquando videt.

Confirm. ex Apoſtolo. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum.* Et alibi: *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* Quis porrò dixerit Epiſcopum miniſterium ſuum implere, opus facere Evangeliſtæ, denique eſſe bonorum omnium exemplar per Vicarium ſuum, aut ſubſtitutum?

Prob. tertia pars, de Jure eccleſiaſtico & civili, tum ex toto tit. *De Clericis non reſid.* tum ex Edicti Bleſenſi & Aureliaoenſi,

Obj. 1. Ille non tenetur ad reſidentiam, qui officium ſuum commodius & melius exequitur per Vicarium, aut Epiſcopom tirulatem: atqui ooh rarò Parochus aut Epiſcopus officium ſoom plenius & melius exequitur &c. puta ſi quem loco ſuo gregi præficit, ſanctior ſit, doctior, populiſque acceptior; ergo.

℟. neg. mag. etſi enim ceſſare poſſit ratio reſideodi deducta ex inconvenientibus, quæ non reſidentiam ſequi ſolent, (quod tamen difficile eſt, quia vix ſuppleri poteſt amor proprii Paſtoris) ſunt tamen aliæ ratiooes, quæ noo ceſſant: puta quod qui ſtipendio fruitur, laborare debeat; quod cui ſufficit ut per alium laboret, ei ſufficere debeat, ut per alium vivat & manducet. Hinc S Bernardus, *qui*
Ep. 4. *per vicarium inſervit, per vicarium remunerabitur.*

Hinc eoidem S. Damaſus Papa comparat meretricibus, quæ infantes à ſe partos, alias nutricibus alendos tradere feſtinant, ut ſuam citius libidini eo explere poſſint. Sic enim Paſtores illi, ut curis ſæcularibus inhient, & Magnatum favorem aucupentur, plebem ſibi creditam, quam filiorum loco habere debent aliis educandam tradunt.

Confirm. Nam. 1. ſine ſcandalo fieri nequit, ut qui aliis prælucere debent exemplo, quæ ſui ſunt officii non præſtent. 2. Si Rex aut Reſpublica non patitur ut urbis præfectus aliò divagetur, interim ſubſtituens qui loco ſui civitati invigilent, quanto minus id feret Eccleſia? 3. hæc propoſitio, *Poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minori ſtipendio, alia parte ſibi retenta*, damnata eſt ab Alexandro VII. & meritò quidem; quia turpiter & injuſtè Sacerdos ſibi partem retinet ſtipeodii, cum nullam ſolvit officii partem: atqui eadem militat ratio in cauſâ Beneficiarii, qui retinet partem fructuum Beneficii, & in alium totum onus refundit; ergo.

Obj. 2. Papa cum Epiſcopis diſpenſat in reſidentiâ; ergo hæc oon eſt niſi juris poſitivi.

℟. diſt. diſpenſat impropriè, id eſt declarat jus divinum non extendi ad hunc vel illum caſum, conc. diſpenſat propriè, oego. Sic diſpenſant Eccleſiæ Pontifices in votis, non quidem efficiendo ut votum quamdiu ſubſiſtit non obliget, ſed per authoritatem à Deo acceptam declarando votum in tali caſu utpote nocivum ſervari non debere.

Quæres quæ cauſæ à reſidentia excuſent.

℟. quinque afferri à Trident Seſſ. 23. c. 1. Eæ verò ſunt *Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas.*

1. Chriſtiana charitas: poteſt enim Paſtor à grege ſeparari ad tempus, ut alteri Eccleſiæ in hæreſeos periculo conſtitutæ ſuccurrat; ut inter Magnates pacem componat; ut fidem diſſeminet. Sed 1. cavere debet ne plus Eccleſiæ propriæ per abſentiam ſoam noceat, quam alii proſit præſentiâ ſuâ; imò eſſet contra ordinem charitatis, tantum in ſuos invehere mali, quantum in alios commodi. 2. quod Epiſcopi promiſcuè legationem ſuſcipiant ad oegotia temporalia, abuſionis eſt, ait Cajetan, 2. Timot.
quia *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* 2.

2. neceſſitas: hæc autem vel eſt ab intrinſeco, ut ab infirmitate; vel ab extrinſeco, ut à perſecutione tyranni, hoſtiſve alicujus qui in Epiſcopum particulariter deſæviat. Utraque à reſidentia excuſat, ſed in taotum; ut ex Cajetano & Soto notat Vaſquez, in quantum Paſtoris abſentia, gregi proficua eſt. Poteſt ergo Paſtor infirmus cœlum mutare, vel à perſecutoribus aufugere, juxta id Chriſti, *Cum perſequentur vos in una civitate, fugite in aliam.* Sic ſe geſſit Apoſtolus, qui à fratribus *demiſſus in ſportâ*, effugit Judæorum manus; ſic & fecerunt SS. Athanaſius & Thomas Cantuarienſis. Sed ſi ex abſentia Paſtoris grave populi damnum ſequi debeat, tenetur ad reſidendum: unde Epiſcopus quem longa tenet infirmitas ſine ſpe ſanitatis, in Diœceſi ſoa remanere debet, ut quantum poterit, ovium ſaluti provideat. 2. Epiſcopus (idem de Parocho dixeris) fugere non poteſt peſtis tempore; imò uterque ſi per alios non poſſit, per ſemetipſum Sacramenta peſte infectis adminiſtrare debet. Sed ſi per alios id poſſit, per ſe facere non tenetur, præſertim ſi præcipua populi pars ſana ſit: quia cum ſanis perinde ac infirmis debitor ſit, ſanis utilem ſe præbere debet; ab iis

Vaſq. u. uſe p. 488.

Matth. 10. 2. Corint. 11

Pontas verb Curè

verò fugietur, cum ſcient eum peſtiferorum commercio uſum fuiſſe.

Quod autem Paſtores peſtis tempore tutâ conſcientiâ fugere nequeant, patet 1. quia tunc viget
Joan. 11. illud Chriſti, *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus.* 2. quia hoc exemplis ſuis docuerunt SS Cyprianus, Gregorius Taumaturg. Gregorius Papa, qui dum tetra lues Romam depopularetur nunquam abſtinuit à prædicando, à viſitandis ægris; & Narbonenſis Provinciæ Epiſcopi maluerunt Toletano anni 693. Concilio non intereſſe, quam à populis ſuis peſte laborantibus ſeparari. 3. idem definiit Concil. Mediol. V. ſub S. Carolo Borom. cui in eundem ſenſum reſpondit S. Congregatio quam
Fagn. in c. 17. De Cler. non reſid. eâ de re conſuluerat, ut refert Fagnan. Vetat autem mox citatum Conc. Mediol. ne Sacerdos *in omni Sacramento, multoque magis in miniſtrandâ Euchariſtiâ* inſtrumento ullo utatur *pro digitis* In Galliâ tamen dari ſolet peſtiferis Viaticum chartâ vel linteo involutum, ac reponitur in loco ubi ab ægris propriâ manu apprehendi poſſit, juxta antiquum Eccleſiæ morem

3. obedientia debita Superiori legitimè & gravi de causâ ad aliud vocanti: item evidens Eccleſiæ utilitas, ut ſi eundum ſit ad Concilium generale vel provinciale; ſi docenda ſit Theologia vel Jus canonicum; Canonici enim qui hæc docent; ſicut & ii qui iiſdem ſtudent, etſi non reſideant, fructus tamen Beneficii percipere poſſunt: ac demum Reipublicæ utilitas, quæ, ut ait Toletus, cum neceſſitate conjungi debet: nam Epiſcopus iis implicare ſe non debet, quæ per Laicos æquè præſtari poſſunt. Vid. Pontas *De reſid.* Decoq. p. 642.

ARTICULUS SECUNDUS.

De pluralitate Beneficiorum.

CONCLUSIO.

PEccat mortaliter qui etiam cum diſpenſatione Papæ plura habet Beneficia, tametſi ſimplicia, quando unum ad honeſtam ſuſtentationem ſufficit. Ita Theologi ferè omnes.

Seſſ. 24. c. 17. Prob. 1. ex Concil. Trid. "Cum Eccleſiaſticus „ordo *inquit*, pervertatur, quando unus plurium „officia occupat Clericorum, ſanctè ſacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi: verum quoniam multi improbæ „cupiditatis affectu ſeipſos non Deum decipientes.. „plura ſimul Beneficia obtinere non erubeſcunt. S. „Synodus... præſenti Decreto, quod in quibuſcunque perſonis quocunque titulo, etiamſi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſervari, ſtatuit ut in „poſterum unum tantum Beneficium Eccleſ. ſingulis conferatur; quod ſi quidem ad vitam ejus „cui confertur honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, „liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utramque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri."

Nec dicas, Conc. Trid. in Galliâ quoad diſciplinam receptum non fuiſſe: qui enim hoc reponunt, ex eorum ſunt numero qui *ſeipſos non Deum* decipiunt. Nam. 1. nunquam intenderunt Galli eas rejicere prædicti Concilii partes quæ nullum Libertatibus noſtris præjudicium inferunt, ſed tantum ad bonos, mores ſpectant, qualis eſt præſens definitio. 2. Concil. Trid. unanimi Cleri Gallicani ſuffragio, anno 1615. receptum eſt, ut probat Pon-
v. Beneficiet c. 26. tas. 3. ſi quæ Concilii hujus deciſio vim apud nos habere debeat, ea certè de qua nunc agitur, quæ nihil aliud agit quam renovat vetera Conciliorum Decreta, & Regum noſtrorum Sanctiones, à quibus pluralitas Beneficiorum vocatur *ambitio execrabilis.*

Quodlib. 9. a. 15. Prob. 2. authoritate & rationibus S. Thomæ. *Habere plures Præbendas*, inquit, *plurimas in ſe inordinationes continet, utpote quia non eſt poſſibile aliquem in pluribus Eccleſiis deſervire... Sequitur etiam diminutio cultus divini, dum unus loco plurium inſtituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatis teſtatorum, qui ad hoc aliqua bona Eccleſiis contulerunt, ut certus numerus Deo deſervientium ibi eſſet. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus Beneficiis abundat, & alius qui* ſæpe longè foret Eccleſiæ utilior, *nec unum habere poteſt; & multa alia hujuſmodi quæ de facili patent*: atqui multa ex his incommodis ſequuntur pluralitatem non eorum duntaxat Beneficiorum quæ *incompatibilia* dicuntur, ſed & eorum etiam quæ *ſimplicia* ſunt.

Prob. 3. authoritate graviorum quotquot extitere Theologorum, ut S. Bonaventuræ, Guillelmi Pariſienſis, Gerſonii, & Genebrardi, qui famoſam Facultatis Pariſienſis Deciſionem refert. *Theologi Pariſ.* inquit. *poſt longam diſputationem, anno 1238. definiunt neminem poſſe duo Beneficia, ſi unum ſufficeret ad alendum eum, retinere ſine peccato mortali.* Huic definitioni ſubſcripsêre Doctores omnes duobus exceptis, quorum alter paulò poſt mortuus, tertiis poſt mortem die Guillelmo Pariſ. apparuiſſe fertur, & dixiſſe æternis ſe damnatum ſuppliciis ob Beneficiorum pluralitatem; cui conſonat id quod ex S. Bernardo refert D. Thomas: *Qui non unus ſed plures eſt in Beneficiis, non unus ſed plures erit in ſuppliciis.* Antiquam Facultatis ſuæ deciſionem, anno 1697. renovaverunt Doctores Sorbonici, & pluralitatem Beneficiorum omnino illicitam eſſe demonſtraverunt.

At, inquies, ſaltem accedente R. Pontificis diſpenſatione, plura retinere Beneficia licitum eſt.

℞. cum Bellarmino: *Sciendum pontificiam diſpenſationem, quando non adeſt juſta cauſa diſpenſandi, valere in foro fori, ſed non in foro poli, Sine urgentiſſimâ causâ, eâdemque Eccleſiæ neceſſariâ, non poteſt citra atrocem culpam ſuper hoc diſpenſari. Sed ait fortè ille cum quo diſpenſatum eſt, Papa diſpenſavit: ipſe viderit, ego immunis ſum. Hic tamen cavillus multos ſecuros reddit, tutum verò neminem: quoniam Papa non eſt dominus, ſed diſpenſator; ideoque qui iniquam diſpenſationem obtinuit, iniquitatis cauſa eſt, & qui eâ utitur, eâdem ſemper irretitur.* Idem docent Cardin. Cajetanus & Toletus, apud Pontas ibid.
Contr. t.

Quæres an non poſſit quis multa retinere Beneficia eò quòd ipſorum reditus benè & piè impendat.

℞. negat. cum Dionyſio Richel Carthuſ. 1. quia plus Beneficii redituum uſus non tollit alia incommoda quæ ex pluralitate ſequuntur. 2. quia Deus nô exigit ab aliquo eleemoſynarum largitionem ultra vires ipſius, ſive ultra id quod ſibi de uno competenti Beneficio ſupereſt. Qui ergo non tenetur ad ſuccurrendum pauperibus niſi quantum poteſt, cur contra Eccleſiæ regulas plus vult poſſe quam actu poteſt? Ex his ſequitur, eum qui plura poſſidet Beneficia abſolvi non poſſe, niſi quæ ſuperflua ſunt relinquat.

* * *

AR-

ARTICULUS TERTIUS.

De diſpoſitione fructuum Beneficii.

ETſi, ut à Bellarmino piè notatum eſt, perinde ſit an Clerici qui ſuperfluos Beneficiorum fructus piè non impendunt, defectu charitatis, an juſtitiæ defectu ad inferna deſcendant, gravis tamen eſt momenti præſens quæſtio quæ expendit an ex juſtitiâ, an ex charitate ſolùm teneantur Clerici, quod ſibi ex Eccleſiaſticis reditibus ſuperfluum eſt, piis operibus conſecrare. Si enim ad id ex juſtitia teneantur, tenentur ad reſtitutionem cùm aliter egerunt; non tenerentur verò ſi ſolam charitatis virtutem læſiſſent. Huic quæſtioni affinis eſt alia, an qui ſufficiens patrimonium habet, è Beneficii reditibus vivere poſſit; tertiam adjungemus de bonis Religioſorum.

Not. 1. Tria bonorum genera à Beneficiariis poſſideri poſſe: *patrimonialia*, quæ habeor à parentibus, item donatione, legato &c. *quaſi patrimonialia*, quæ conſequuntur ratione miniſterii clericalis, dum v. g. concionantur, cantant, confeſſiones excipiunt, funera comitantur, Miſſam celebrant, Philoſophiam aut Theologiam docent, & *mere Eccleſiaſtica*, quæ prodeunt è Beneficio, ut Canonicatu, Paſtoratu, Decanatu,

Not. 2. Beneficiorum reditus dividi in duas partes, quarum altera honeſtæ decentiq; ſuſtentationi neceſſaria eſt, altera verò eidē ſuperflua. In quo autem ſita ſit decens ea ſuſtentatio, aliter definit cupiditas quæ nunquam dicit, *ſatis eſt*; aliter Chriſtiana moderatio: certum eſt autem quòd decentiá ſtatûs Clericorum, ſuam ſicut & ſæcularium habeat latitudinem, & neutra conſiſtat in indiviſibili. Hinc certa pro quocunque Beneficiato regula dari non poteſt, ſed recurrendum eſt ad viri pii & prudentis judicium, qui rationem habebit tum *perſonæ*, plura enim debili & infirmo quàm robuſto neceſſaria ſunt; tum *loci*, quod enim vix Pariſiis ſufficit, quibuſdam in Provinciis ſuperabundat; tum *officii* & *qualitatis*, plùs enim exigit conditio Epiſcopi quàm Decani, plùs Decani quàm Canonici. Tametſi porrò alia ſit Eccleſiæ, alia hujus ſæculi vivendi forma, adeo ut juxta Gerſonem Eccleſiaſtici *habentes alimenta & quibus tegantur iis contenti* eſſe debeant, conſtat quòd decens Clericorum ſuſtentatio ut multa excludit, ſic & includit plurima, & ea præſertim quæ ad officio ſuo fungendum neceſſaria ſunt. (Trid. Seſſ. 25. c. 8. De ref.) Sic Epiſcopus & Prælati regulares *hoſpitalitatis officium promptè, benignèque exercere* debent; ſic Parochus habere debet unde libros emat, quorum ope plebem ſuam ſalubri doctrinâ inſtruat; ſic & ei equum alere licet, non ut vagetur, ſed ut commodiùs ægros viſitare, & Sacramenta deferre poſſit, ſi vaſtitas pagi id exigat & viarum moleſtia: neque enim decet ut Sacramenta per vias lubricas & lutoſas cum periculo casûs deferantur, vel ut Paſtor quaſi vile mancipium vias illas difficiles oberrare cogatur. (Vid. Dom. eq. p. 32. Pontas v. Beneficier caſ. 14. 15.)

Sed exigit-ne Beneficiarii ſuſtentatio ut in ſtudiis nepotes alat, ut conſanguineos dotet &c?

Reſp. Cum Petro Bleſenſi Epiſt. 102. *Terret me B. Hieronymus dicens*, quòd multi dum parentibus miſerentur animas ſuas perdunt. Et Epiſt. 51. *Hodie pro filiis, quos abſtulit Prælatis Eccleſiæ Deus, habere nepotes in diſſipationem patrimonii Chriſti, & in ſuæ ſalutis diſpendium, permittuntur.* Quod ſic expreſſit Ludolphus Carthuſianus.

Dum Genitor rerum, privavit ſemine Clerum,
Ad Sathanæ votum ſucceſſit turba nepotum.

Contin. Præl. Theol. H. Tournely.

Dicendum igitur cum Concil. Trid. *omnino Clericis interdici, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant. Cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas quæ Dei ſunt, conſanguineis donent: ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant; eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum causâ.* (Seſſ. 25. c. 1.) Ex quibus ſequitur Beneficiarium aliquid conſanguineis largiri poſſe, *dummodò illud faciat moderatè, ut non indigeant, non autem ut ditiores inde fiant.* Ita S. Thomas quem ſequitur Fagnanus. *Clericus*, inquit, *poteſt uſque ad ſtatus decentiam donare etiam conſanguineis & familiaribus ſuis... quod tamen limitatur; & intelligitur, ſi indigeant, non autem ad pompam vel altum ſtatum. Magnopere enim cavendum eſt, ne hujuſmodi decentia ſtatûs & conditionis conſanguineorum longiùs latiuſque protendatur quàm ferat neceſſitas.* (2. 2. q. 185 a. 7. ad 2.)

Non conveniunt Theologi an habenda ſit notabilis ratio. Affirmat Navarrus & multi cum ipſo: negant alii, ut Decoq: tum quia Beneficia in favorem dignitatis mundanæ erecta non ſunt; tum quia, ut ait Hieronymus, *neſcit Religio noſtra perſonas accipere; ſervum ac nobilem de moribus pronuntiat.* Utut ſit, neque enim facilè credunt alii, non licere Canonico nobili, lautiùs, cùm id exigit honeſtas & charitas, parentes excipere quàm viro plebeio; utut ſit, inquam, turpiter falluntur, ut notat Bannes, qui ſe *propter multam ſupellectibilem, plurimamque eleganter veſtitam familiam, multamque vaſorum ex auro & argento copiam plures eſſe æſtimandos putant.* Unde S. Bernardus ad Henricum Senonenſem ajebat: *Honorificabitis miniſterium veſtrum, non cultu veſtium, non equorum faſtu, non amplis ædificiis, ſed ornatis moribus &c.*

Not. 3. Variam fuiſſe variis temporibus Eccleſiaſticorum bonorum adminiſtrationem. Apoſtolorum tempore *erant omnia communia, & dividebatur ſingulis prout cuique opus erat*: (Act. 4.) ſed temporum lapſu cùm multiplicata eſſet gens, non autem magnificata lætitia, excuſſum eſt ſenſim vitæ communis jugum, & Eccleſiæ bona, quæ ante ab Epiſcopo ſingulis diſtribuebantur, quatuor in partes diviſa fuêre, quarum prima Epiſcopo aſſignata eſt. 2. Clero. 3. Fabricæ. 4. pauperibus. Sit nunc

CONCLUSIO PRIMA.

Beneficiarii redituum merè Eccleſiaſticorum domini non ſunt, ſed diſpenſatores; unde ex juſtitiâ tenentur, quidquid ex iiſdem reditibus ſuperflui habent, pauperibus erogare, vel pios in uſus expendere.

Prob. 1. Ea doctrina indubiè tenenda eſt, cujus oppoſita ſine gravi periculo teneri nequit: atqui doctrina noſtræ oppoſita... Nam opinio quæ Eccleſiæ decretis, oraculis Patrum, & Theologorum conſenſui repugnat, ſine periculo teneri non poteſt: atqui doctrina oppoſita contradicit 1. Eccleſiæ decretis. *Res Eccleſiæ*, ait antiquus Canon, *non quaſi propria, ſed ut communes & Domino oblatæ, cum ſummo timore, non in alios quàm præfatos pios uſus ſunt fideliter diſpenſandæ.* (1. 2 q 1. can. 26. & 16.) Idem iiſdem ferè verbis repetit Conc. Pariſ. VI. an. 819. Alexander III. c. 2. *De donat. Epiſcopus*, inquit, *& Prælatus Eccleſiaſticarum rerum* eſt *procurator, non dominus*; unde ſic: Si res Eccleſiaſticæ non deberent ex juſtitiâ pios in uſus impendi, poſſent in alios uſus *quaſi res propriæ* diſpenſari: atqui falſum conſequens ex citato Canone. Et certè obligatio piè diſpenſandi res Eccleſiæ. alterius eſt generis ac obligatio res proprias piè impendendi: atqui quilibet tenetur ex charita-

re ſuperfluum boni proprii piè diſpenſare ; ergò Beneficiarii ad id ex juſtitiâ tenentor. Denique procurator qui heri ſui bona contra voluntatem ejus diſpenſat, ad reſtituendum tenetur : atqui Beneficiarii meri ſunt procuratores Eccleſiæ bonorum, non domini; aliunde certum eſt hæc bona ab iis contra Dei voluntatem diſpenſari, cum in uſus prophanos impenduntur. 2. eadem doctrina Patribus, ſanioribuſque Theologis repugnat. S. Hieronymus in cap. 3. Iſaiæ: *Rapina pauperum* , inquit , *in domibus Sacerdotum qui Eccleſiæ opes ſibi theſauriſant, & in deliciis abutuntur , quæ ad ſuſtentationem pauperum dantur , & ſibi reſervant , vel propinquis diſtribuunt , & aliorum inopiam , ſuas vel ſuorum divitias faciunt.* S. Bernardus qui diu poſt factam Eccleſiæ bonorum diviſionem ſcripſit, hæc habet in Epiſt. ad Falcon. Canonic. Lugd. *Quidquid præter neceſſarium victum ac ſimplicem veſtitum de altari retines , tuum non eſt , rapina eſt , ſacrilegium*
De vita Cleric. *eſt*. Et alibi *Sane patrimonia pauperum , facultates Eccleſiarum ; ſacrilega eis crudelitate ſubripitur , quidquid ſibi miniſtri & diſpenſatores , non utique domini vel poſſeſſores , ultra victum accipiunt & veſtitum.* Et turſus : *Clamant nudi , clamant famelici , conqueruntur & dicunt , Noſtrum eſt quod effunditis , nobis crudeliter ſubtrahitur quod inaniter expenditis.* S. Thomas in c. 12. Epiſt. 2. ad Cor. ſic habet: Principes *non dederunt* divitias *Prælatis propter ſe , ſed propter pauperes , & ideo non dederunt eis ſed pauperibus... Prælatis autem dantur tanquam pauperum diſpenſatoribus.* S. Raymundus l. 2. ſum. tit. *De raptoribus. Dico* , ait, *Prælatos & Clericos qui res Eccleſiæ. conferunt etiam conſanguineis, non propter naturam ſuſtentandam, ſed ut faciant eos divites de patrimonio Crucifixi... tales, inquam, dico eſſe raptores, & per conſequens teneri ad reſtitutionem omnium.* Hanc deciſionem expreſſis
3. p. ſum. tit. 15. verbis adoptat ſanctus Antoninus , & ſic concludit: Tales Beneficiarii *ad reſtitutionem tenentur pauperibus, vel in utilitatem Eccleſiæ, & peccant mortaliter.* Quam autem unanimis ſit in præſenti materia
* Obiit. an. 1586. De redit. Eccleſ. q. 1. monit. 40. Theologorum conſenſus indicant * hæc Navarri verba: *Nemo Catholicorum quos ego legerim uſque ad N. affirmavit dominium* bonorum *Eccleſiæ uſibus deputatorum eſſe penes Beneficiarios ; quæ falſa & inſolens Concluſio eſt.* V. Pont. *Beneficier* caſ. 14.

Reponunt è citatis authoritatibus nihil colligi poſſe. 1. quia Patres eodem loquuntur modo de Laicis. Hieronymus relatus diſt. 42. ſub initium : *Aliena rapere convincitur, qui ultra neceſſaria ſibi retinere probatur.* Et Ambroſius diſt. 86c. 21. *Paſce fame morientem... ſi non paviſti, occidiſti*; & tamen Laici qui ſuperfluum pauperibus negant , charitatem non autem juſtitiam lædunt. 2. quia Patres illi ante factam bonorum diviſionem ſcripſère , cum nondum ſua pauperibus & Fabricæ pars aſſignata erat; eà verò diviſione nunc facta, unuſquiſque eorum quæ ſibi obtigerunt, dominus eſſe debet.

Refellitur prima evaſio. Patet enim ex allatis textibus, magnum eſſe diſcrimen patrimonialia inter & eccleſiaſtica bona, ac de utriſque eodem modo diſponi non poſſe. *Res Eccleſiæ* , ait laudatus Canon , *non quaſi propriæ... diſpenſandæ ſunt* ; vide ut alіæ ab aliis ſecernantur. Deinde ſi Patres aliqui in ipſis Laicis quandam admittere viſi ſint neceſſitatem ſuperfluum ſuum ex juſtitiâ pauperibus erogandi, quid mirum ſi ſtrictam in Clericis admiſiſſe dicantur.

Refellitur multipliciter ſecunda. 1. quia. ut notant Grandin & Habert, etſi præcepta ſit illa diviſio in quatuor partes , non tamen conſtat quod facta ſit : unde ſicut debitor qui certus eſt ſe debitum contraxiſſe , nec probare poteſt ſe ſolviſſe , ſolvere tenetur ; ita à pari in præſenti caſu. 2. probabilius eſt diviſionem hanc reipsâ factam non fuiſſe; quia nullum extat monumentum quod evincat bona quædam Fabricæ vel pauperibus relicta fuiſſe : Hoſpitalia enim non ab Eccleſiaſticis , ſed ab aliis Fidelibus fundata fuiſſe probantur , & innumeri ſunt pauperes qui in ea admitti non poſſunt. 3. quia etſi facta fuiſſet diviſio hæc , non ideo immunes eſſent Beneficiarii ab erogando vi juſtitiæ, pauperibus id quod habent ſuperflui , ut ſtatim oſtendemus.

Prob. 2. Concluſio noſtra momentis theologicis ; Beneficiarii eorum non ſunt redituum domini, quæ nullo titulo ipſis ut propria conceduntur : atqui Eccleſiæ bona nullo titulo... Nullus enim hic occurrit titulus præter Fundatorum voluntatem , & Eccleſiæ intentionem : atqui neutro bona Eccleſiæ Clericis conceduntur ut propria. Non primo , ut patet ex Fundationum inſtrumentis , in quibus ſemper reperias id fuiſſe Fundatoribus propoſitum, ut Clerici bona ſua haberent tum ad propriam , tum ad pauperum ſuſtentationem , quod ſatis indicat vetus formula quæ in Caroli Magni Capitularibus reperitur : *Offero atque dedico omnes res quæ in hac chartula tenentur inſertæ , pro remiſſione peccatorum meorum... pauperum ac Clericorum alimoniis.* Unde liquet Clericorum manus à Fundatoribus electas fuiſſe , ut per eas theſauros ſuos in æterna tabernacula reportarent. Non ſecundo , nam Eccleſiæ intentio non aliter quam ex ejus Canonibus & oraculis Patrum manifeſtari poteſt; atqui hæc clarè oſtendunt Eccleſiam pro certo ſemper tenuiſſe, ſuperfluum Clericorum non in alios quam pios in uſus impendi poſſe. Hinc conſtans hæc ejus aſſertio: *Res Fidelium, quæ Domino offeruntur , non poſſunt aliis quam Eccleſiæ & Fidelium indigentium uſibus applicari , quia vota ſunt Fidelium , pretia peccatorum, patrimonia pauperum.*

Prob. 3. Facilè concedunt alterius opinionis patroni , Clericos ante factam bonorum Eccleſiæ diviſionem , debuiſſe ex juſtitiâ ſuperfluum largiri pauperibus: atqui hæc ratio probat eandem obligationem etiamnunc perſeverare , tum quoad Beneficia plurima , quæ cum poſt hujoſce diviſionis tempus fundata ſint, non alio fundari potuerunt animo quam ut ſuperfluum egenis daretur; tum quoad Beneficia quæ diviſionem præceſsère. Nam 1. bona eccleſiaſtica per diviſionem , ſi quæ facta fuerit, non mutarunt naturam; ergo ſunt ut ante , res Dei; ergo non in alios quam in pios uſus impendi poſſunt. 2. ſe habent Clerici quibus in bonorum diviſione plus datum eſt quam ſatis erat , ſicut œconomus cui dominus ob quædam agenda negotia plus dat pecuniæ quam neceſſe ſit , quia prævidere non poteſt expenſas omnes faciendas : atqui œconomus ille quod reſidui habet , domino reſtituere tenetur , nec proprietatem ejus acquirit ; ergo à pari Clerici quibus plus ab Epiſcopo in diviſione bonorum datum eſſet . ad ſuperflui reſtitutionem tenerentur; & ſtrictius tenerentur quam œconomus ille, quia Epiſcopus diviſionem faciendo non erat dominus Eccleſiæ bonorum, ſed diſpenſator; adeoque non magis poterat Beneficiariis concedere libertatem inſumendi in uſus prophanos id quod iis poſt honeſtam ſuſtentationem ſupereſſet , quam id ante diviſionem potuiſſet.

Obj. 1. Beneficiarii qui officio ſuo funguntur , faci-

faciunt *fructus ſuos* ex jure; ſed qui faciunt fructus ſuos, eorum domini fiunt.

Reſp. diſt. min. Fiunt domini quatenus habent dominium utile partis quæ honeſtæ ſuſtentationi reſpondet, & adminiſtrationem ſuperfluorum, conc. quaſi de iis pro nutu diſponere poſſint, nego. Itaque dominium quod in reditus ſuos habent Beneficiarii, vel eſt utile duntaxat; vel ſi proprium dicatur, eſt *vinculatum*, ſive annexum habet vinculum & onus egenis erogandi quidquid eſt ſuperfluum: ſic hæres totius hæreditatis dominus fit, ſed cum obligatione ſolvendi debita defuncti.

Obj. 2. Si Beneficiariorum ſuperflua, pauperibus ex juſtitiâ erogari deberent, donatio eorum aliis quàm pauperibus facta, invalida eſſet: atqui falſum conſequens; nam nec Eccleſia, nec Reſpublica hujuſmodi donationes invalidant.

Reſp. diſt. min. Hæc donatio valida eſt, in foro exteriori, id eſt in eo non improbatur, conc. in foro conſcientiæ, neg. Itaque forum exterius donationes à Clericis factas non rejicit, quia vix unquam probat: poteſt eas ex reditibus Eccleſiæ fieri; multa enim à Clericis aliunde acquiri poſſunt, ſive donatione, ſive induſtriâ: at hæc agendi ratio nihil probat pro foro conſcientiæ. 1. quia, ut loquitur Innoc. III. *multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitiâ non debeant tolerari*. 2. quia Eccleſia hujuſmodi donationes præſertim teſtamentarias millies improbavit, de quo vide Conc. VI. Pariſ. apud Habert; unde duo ſequuntur notatu digna. 1. hæredem non egenum, ea quæ à Beneficiario conſequitur, retinere non poſſe, ſi ſibi certò conſtet hæc non aliunde quàm à Beneficii reditibus proficiſci. 2. eum qui cum Beneficiario luſu & *quæſtum fecit, rem pauperum malè partam reſtituere* debere, ut ſanxit Conc. Rem. an. anni 1583. apud Pontas.

c. 18 De Præb.

Habert. De juſt. c. 22.

v. Beneficiée c. 18.

Obj. 3. Beneficiarii non ſunt pejoris conditionis quàm Levitæ: atqui Levitæ ſuperfluum pios in uſus impendere non tenebantur.

Reſp. 1. neg. maj. Si tamen pejor conditio poſſit ea dici quæ ad bonum arctiùs obligat. Ratio eſt, quia etſi tale onus Levitis impoſitum non fuiſſe dicatur, certum tamen eſt ex adductis probationibus, Beneficia hac ſolùm conditione concedi, ut ſuſtentatio ſint Clericorum, & patrimonia pauperum. 2. neg. min. quia decimæ Levitis conceſſæ, *Domini* eſſe dicuntur, eique *ſanctificari*: atqui bona Dei non videntur prophanos in uſus deſtinari potuiſſe.

Levit. 27.

Obj. 4. Beneficiarius jubetur ex Beneficii reditibus ſatisfacere pro debitis ante obtentum Beneficium contractis: atqui nemo ſatisfacit ex iis quorum dominium non habet. 2. ſi reſidui fructus pauperibus deberentur, non poſſent penſiones creari ſuper Beneficiis; id enim eſſet pauperibus furtum facere. 3. poſſent pauperes ſuperflua hæc eripere, aut ſaltem Beneficiarios inſequi.

Reſp. Cum Mag. Grand. ad 1. Vel Clericus ille habet bona patrimonialia, vel non. Si primum, debet ex iis ſatisfacere pro expenſis prophanis antea factis, & tunc neg. maj. Si ſecundum, poteſt quidem & debet è Beneficii bonis ſatisfacere; ſed tanquam pauper qui ea ſibi applicat, non tanquam dominus qui de iis ad nutum diſponit; unde tunc neg. min.

De Benef. p. 198.

Ad 2. neg. maj. Penſio enim conſtitui debet in favorem alicujus eâ indigentis; qui autem indigentibus præſertim Clericis ſuccurrit, pauperibus non nocet. Sanè potior ea eſt eleemoſyna quæ à Sanctuario incipit.

Ad 3. neg. maj. 1. Quia nullus eſt pauper in particulari qui jus habeat certum & determinatum in ſuperflua Beneficiorum: porrò ſine tali jure nec exigere licitum eſt, nec in judicio agere; ſic Clerici Patronis litem intentare non poſſunt, ut ab eis Beneficia obtineant. 2. quia honeſta Clerici ſuſtentatio non conſiſtit in indiviſibili; unde pauperes ſcire nequeant quantùm ſuperflui Beneficiario cuique contingat. 3. quia extra gravem neceſſitatem improbari non poteſt quòd Beneficiarius è ſuis ſuperfluis ornet Eccleſiam, iisve ad alios pios uſus utatur, ut docet Navarrus mon. 26 ubi pia opera vocat quæ ad Dei cultum, pietatem & miſericordiam pertinent. Addit idem quòd licet majoris pietatis ſit adjuvare pauperes loci in quo ſitum eſt Beneficium, poſſint tamen juvari etiam extranei, ſive conſanguinei, ſive non.

Obj. 5. S. Thomam qui ſic loquitur 2. 2. q. 185. a. 7. Epiſcopi *Eccleſiaſticorum bonorum ſunt diſpenſatores, vel procuratores; unde ſi aliquid ſibi retinuerit Epiſcopus de iis quæ ſunt aliis eroganda, non eſt dubium quin contra fidem diſpenſationis agit & mortaliter peccat, & ad reſtitutionem tenetur. De his autem quæ ſunt ſuo uſui ſpecialiter deputata, videtur eſſe eadem ratio quæ eſt de bonis propriis, ut ſcilicet propter immoderatum affectum & uſum peccet, quemadmodum ſi immoderata ſibi retineat, & aliis non ſubveniat ſicut requirit debitum charitatis.* Idem ſtatuerat quodlib. 6. q. 6. a. 2. ubi poſitâ eadem bonorum diſtinctione ſic pergit: *In ſecundis bonis non committitur peccatum niſi per abuſum, ſicut & de bonis patrimonialibus dictum eſt. Unde non tenetur quis ad reſtitutionem, ſed ſolùm ad pœnitentiam peragendam.*

Reſpondent 1. aliqui S. Thomam à nobis diſſentire: ægrè tamen quis credat S. Doctorem Traditionis tenaciſſimum, ab eâ in præſenti negotio deflexiſſe.

Reſpondent 2. alii ex citatis verbis ad ſummum ſequi, licitum eſſe Beneficiario, qui congruæ ſuſtentationis partem extraordinariâ parcimoniâ ſibi ſubtraxiſſet, eam in quos voluerit uſus impendere, de quo ſtatim; non autem eſſe dominum illius boni quod propriè ſuperfluum vocatur.

R. 3. diſt. Ex S. Thomâ, eadem eſt ratio bonorum Eccleſiæ ac patrimonialium quantùm ad aliquid, quatenus nempè ſuppoſitâ bonorum Eccleſiæ diviſione, ita ut certa pars pauperibus certa Fabricæ & Clericis aſſignata fuerit, Epiſcopus jam nihil ex juſtitiâ pauperibus debet, quia ſupponuntur id quod ſibi ſufficiens eſt, recepiſſe, conc. eadem eſt ratio quantùm ad omnia, nego: tunc enim tenebitur Epiſcopus ex juſtitiâ Fundatoribus debitâ, cultum divinum augere, quia quidquid Deo dicatum eſt, pios in uſus impendi debet; neque hoc uſpiam negavit S. Thomas. Imò notandum eſt eum in Summa ſuâ Theologicorum ejus Operum poſtremo, uſum fuiſſe voce hâc ſubdubiâ, *Videtur eſſe eadem ratio &c.* cumque quodlib. 6. dixiſſet talem Beneficiarium non teneri *ad reſtitutionem*, verba hæc ſuſtulit in Summâ, ubi ſubindicavit quidem non eſſe faciendam reſtitutionem pauperibus, quia loquitur in hypotheſi quòd portionem ſuam receperint; ſed non negavit exigere juſtitiam Fundatoribus debitam, ut qui augere poteſt Dei cultum ex Eccleſiæ bonis, eidem ad augendo incumbat.

Quæres 1. an Beneficiarius qui parcè vivendo, certam ſingulis annis colligit ſummam ex iis quæ tutâ conſcientiâ in honeſtam ſui ſuſtentationem impendere poſſet, poſſit de eâ pro nutu diſponere, v. g. in gratiam parentum.

℟. negat. cum Pontas ibid. p. 451.1. quia bona hæc eo ipſo quo ſunt eccleſiaſtica, Deo conſecrata ſunt, ſuntque pauperum aut religionis bona; ergo quacunque de cauſâ, ſive ex avaritia, ſive fortuitò coacervata ſint, non in alios quam in pios uſus expendi poſſunt. 2. quia huic ſententiæ favet S. Thomas ubi ſupra, *Si de eo*, inquit, *quod uſui Epiſcopi, vel alicujus Clerici eſt deputatum, velit aliquis ſibi ſubtrahere, & conſanguineis, vel aliis dare, non peccat, dum modo illud faciat moderatè, id eſt ut non indigeant non autem ut ditiores inde fiant* En S. Doctor de iis loquitur qui ſibi ſubtrahunt id quod impendere potuiſſent: atqui non permittit ut id conſanguineis detur, niſi pauperes ſint.

Quæres 2. an Beneficiarius dominus ſit bonorum quaſi patrimonialium.

℟. affirmant multi. 1. quia Beneficiarii nullo jure Privantur talium bonorum dominio. 2. quia Eccleſiaſtici non debent deterioris eſſe conditionis quam Judices, Advocati, nam dignus eſt operarius quilibet mercede ſuâ, ſed hi bonorum quaſi patrimon. quæ ſua comparant induſtriâ domini ſunt. 3. Cantor & muſicus non tenentur ex juſtitiâ quæſtus ſui ſuperfluum erogare pauperibus; quare ergo ad id teneatur Sacerdos qui eadem ac ipſi arte pecuniam comparat? Ita Major, Navarrus, Covarruvias, quos ſequitur Grandin, qui hoc extendit ſi majus ſolito ſtipendium detur, v. g. pro celebratione Miſſæ; quia ſicut pauper fit abſolutè dominus eleemoſynæ quam recipit; quidni & Beneficiarius? *Gran. p. 189.*

Hæc tamen opinio aliis ut Habetto non placet. Quippe, inquit, bona Eccleſiæ quæ à SS. Patribus dicuntur res Dei, nihil aliud erant primis ſeculis, (quibus vix ullum ſub æthnicis Principibus prædium habebat Eccleſia) quam pecunia & alia ad victum, & veſtitum neceſſaria, quæ Clericis intuitu laboris eorum à Fidelibus ſubminiſtrabantur; unde hæc non alterius erant conditionis quam bona quæ nunc quaſi patrimonialia dicuntur, atqui tamen Clerici hiſce temporibus tenebantur ſuperfluum pauperibus erogare; ergo ad idem hodie teneri videntur.

Hæc ratio firma videtur quoad ea bona quæ cum ratione miniſterii ſacri Clericis conferantur, nec dari, nec ſine ſimoniâ recipi poſſunt ut merces ſtrictè ſumpta: ſed cum bonorum quaſi patrimonialium nomen indictum ſit iis etiam ſtipendiis quæ Clerico retribuuntur ratione quarundam functionum quæ Laicis eodem fermè modo ac Clericis competunt, ut muſicam canere, Philoſophiam aut Theologiam docere, non video cur Clerici bonorum quæ hiſce modis comparant, minus domini ſint quam Laici.

CONCLUSIO SECUNDA.

Qui ſufficiens habent patrimonium, poſſunt eo ad victum non uti, & vivere ex bonis eccleſiaſticis.

Prob. Illud Beneficiariis onus imponi non debet, quod nuſquam eis impoſuit Eccleſia; quo eos liberos putant SS. Eccleſiæ Doctores; quo denique ii etiam Eccleſiaſtici ſe judicant immunes, quibus nulla molliorum opinionum ſuſpicio inuri poteſt: atqui ſic ſe res habet in præſenti negotio.

1. quidem nunquam Beneficiariis impoſitum eſt onus ab Eccleſiâ, ut etiam qui divites erant, Eccleſiæ bonis parcerent, & ſumptibus ſuis veſcerentur: & id patebit ex Objectionum ſolutione.

2. quæſtionem expreſſè definire viſus eſt Apoſtolus. *Quis*, inquit, *militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit, Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid ſecundum hominem hæc dico? an & lex hæc non dicit? ſcriptum eſt enim in lege Moyſi: Non alligabis os bovi trituranti.* Et iterum: *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?... neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſerviunt, cum altari participant?* Unde ſic 1. qui dum ſpiritualia ſeminant, carnalia metere poſſunt, quibus licitum eſt de altari vivere, dum altari deſerviunt, iis de reditibus eccleſiaſticis vivere conceſſum eſt: atqui Evangelii miniſtri ſic ſe habent ſine diſtinctione, juxta S. Paulum; ergo poſſunt de reditibus eccleſiaſticis victum percipere. 2. eorum qui militant in bello, multi ſunt qui ſtipendiis propriis militare poſſent, nec tamen militant ſuis, ſed regiis: atqui ex S. Paulo eadem eſt Evangelii miniſtrorum conditio, quæ eorum qui militant in bello. 3. non multum differt dives ab eo qui aliquâ poteſt arte victum ſibi comparare: ſed qui arte aliqua victum ſibi comparat, poteſt ſtipendium percipere pro officiis quæ Eccleſiæ impendit, ut innuit ibidem Apoſtolus; ergo & id poteſt qui dives fuerit.

3. idem colligitur ex variis Conciliis, Sic Concilium Agathenſe relatum c. 10. 1. q. 2. *Clerici omnes qui Eccleſiæ fideliter, vigilanterque deſerviunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſervitii ſui meritum conſequantur.* Sed ibi nulla fit pauperum & divitum Clericorum diſtinctio; ergo.

4. illi ex bonis eccleſiaſticis vivere poſſunt, qui de patrimonialibus bonis diſponunt ad nutum, tum inter vivos, tum causâ mortis, ſive ea parentibus, ſive aliis donando, aut relinquendo: atqui ipſimet Epiſcopi juxta ſacros Canones diſponunt... Minor probatur 1. ex Canone 39. inter Apoſtolicos: *Privatas quidem res Epiſcopus (ſi modo privatas habet)* cum moritur *quibus vult, & quomodo vult, relinquendi facultatem habeat: neque occaſione rerum eccleſiaſticarum intercidant res Epiſcopi &c.* Idem habet Concil. Antioch. anni 341. habitum ſub Julii. I. Pontificatu, & Concil. Pariſienſe. *Decrevimus*, inquit, *ut Epiſcopus res ſui juris quas aut ante Epiſcopatum, aut certe in Epiſcopatu hereditaria ſucceſſione acquiſivit, ſecundum authoritatem canonicam quidquid vult faciat, & cui vult conferat... res autem de facultatibus Eccleſiæ... non in propinquorum ſuorum, ſed in Eccleſia cui præeſt jura deveniant.*

5. eadem eſt S. Thomæ ſententia. Sic ille 2. 2. q. 158. a. 7. ad 3. *Dicendum quod non omnia bona Eccleſiarum ſunt pauperibus largienda, niſi forte in articulo neceſſitatis... & in tali neceſſitate peccaret Clericus, ſi vellet de rebus Eccleſiæ vivere dummodo haberet patrimonialia bona de quibus vivere poſſet.* Cenſet ergo S. Doctor Clericum propria habentem, ex bonis Eccleſiæ vivere poſſe præterquam *in articulo neceſſitatis.* In eadem opinione ſunt Innocentius, Panormitanus, Navarrus, Pontas *Beneficier* caſ. 23. & alii pietate & ſcientia conſpicui, quos referre ſuperfluum fuerit, cum fateantur adverſarii aſſertionem noſtram Theologos inter & Canoniſtas communiorem eſſe. *Decoq. pag. 618.*

Obj. 1. Variis ſancitum eſt Canonibus ne quis Eccleſiæ bonis ad victum utatur, niſi eum verè eſt indigens; atqui verè indigens cenſeri non debet, qui de reditibus patrimonii ſui vivere poteſt. Minor conſtat, major probatur 1. Can. *Ex his.* 12. q. 1. *Ex his quibus Epiſcopus indiget, ſi tamen indiget, ad ſuas neceſſitates, & peregrinorum fratrum uſus, & ipſe accipiat, ut nihil ei* *V. Can. 22.23.24.*

omnino

omnino poſſit deeſſe. 2. ex Can. *Clericos*. 1. q. 1. ubi hæc habentur ex Epiſt. S. Hietnn. ad Damaſum : *Clericos autem illos convenit Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtentari, quibus parentum & propinquorum nulla ſuffragantur bona. Qui autem bonis parentum & opibus ſuis ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt accipiunt, ſacrilegium profectò committunt, & per abuſionem talium, judicium ſibi manducant & bibunt*. 3. ex Can. *Si quis*. 1. q. 2. ubi hæc S. Proſperi, vel potius Juliani Pomerii verba referuntur ; *Qui ſua poſſidentes.... Eccleſiæ ſumptibus vivunt, non eſt meum dicere, quali peccato cibos pauperum præſumendo ſuſcipiunt, qui Eccleſiam quam juvare de propriis ſat ultatibus debuerant, ſuis expenſis inſuper gravant*. Et paulò ante : *Paſtor Eccleſiæ, iis quibus ſua ſufficiunt, non debet aliquid erogare quando nihil aliud ſit habentibus dare, quam perdere*. Hæc porrò verba Concilium Aquiſgr. habitum anno 816. ſua fecit approbando. Eadem quoque citant Capitularia Regum Francorum addit. 3. Capit. 113. & 114.

℞. 1. ſunt qui generatim dicant antiquæ Eccleſiæ ordinationi per uſum contrarium derogatum fuiſſe. Ita Habertus *De juſt* in fine 1. partis.

℞. 2. cum Pontas ad 1. verba hæc, *ſi tamen indiget*, non ſolum ad iſta referri, *ex his quibus Epiſcopus indiget*, ſed præcipuè ad hæc quæ ſequuntur, *ad ſuas neceſſitates & peregrinorum fratrum*; ita ut ſenſus ſit, Epiſcopum ſi in eo ſit loco ubi peregrinos multos alere debet, canonicam è bonis eccleſiaſticis portionem tum ad ſui, tum ad eorum qui ad ſe peregrinando divertunt, ſuſtentationem percipere poſſe, quam tantam percipere non poſſet, ſi hæc ad peregrinos non foret ſibi neceſſaria. Porrò Canon ſic intellectus nobis non adverſatur, atque ſic intelligi debet; cum enim inter eos qui Apoſtoli-
Vid. ſup. p. 388. ci dicuntur, ſit quadrageſimus, non debet opponi trigeſimo nono ex iiſdem, qui communi ſententiæ favet.

Ad 2. quod deſumitur ex Can. *Clericos*. dico 1. Canonem hunc nullius eſſe authoritatis, utpote qui tribuatur S. Hieronymo in cujus Operibus non reperitur, ut fatentur omnes, & annotavêre Correctores Romani. Dico 2. cum Gloſsâ, 1. vocem *accipiunt*. non ad litteram intelligi debere, ſed ſubintelligenda eſſe hæc verba, *& in malos uſus convertunt*; & ſic, inquit, intellige ſequentia capitula. 2. hic exhortationem contineri, non præceptum, niſi agatur de quartâ bonorum eccleſiaſticorum portione, pauperibus debitâ, quæ dari prohibetur abundantibus: atque hæc ultima explicatio facilè textui accommodatur, ſi duas dividatur in partes. *Clericos illos convenit &c*. en prima pars, quæ merum eſt conſilium. *Illi verò Clerici qui parentum bonis ſuſtentari poſſunt, & quod pauperum eſt*, id eſt portionem egenis attributam uſurpant &c. en. 2. pars quæ præceptum complectitur. Dico 3. cum S. Thomâ, Canonem hunc intelligi debere de *caſu neceſſitatis, in quo etiam pro redemptione captivorum, & aliis neceſſitatibus pauperum, vaſa cultui divino dicata diſtrahuntur, ut Ambroſius dicit*.

Ad textum Julii Pomerii diſt. peccant pauperum bona ſuſcipiendo, & aliquid ſupra debitam ſibi portionem exigendo, præſertim cum neceſſitas pauperes premit; vel peccant peccato avaritiæ, *viventes in congregatione, ne aliquos pauperes paſcant, ne advenientes excipiant, aut ne ſuum cenſum expenſis quotidianis imminuant*, ut ait in Juliani verba Innocentius IV. conc. peccant præcisè quia de altari vivunt, nego. Itaque verba Juliani Pomerii (cujus authoritas tanta non eſt, ut moram injicere deberet, cum ex aliâ parte occurrit authoritas S. Thomæ) eo modo exponi debent quo à Conciliis, vel Innocentio IV. expoſita fuêre ; ita ut quod de S. Auguſtino aliquando dixit S. Bonaventura, in eum cadat, ſcilicet, ut *plus dicens minus voluerit intelligi*: atqui Pomerium intellexêre Concilia & Innocentius IV. ſenſu longè alio quam eum intelligant adverſarii noſtri ; Concilium enim Aquiſgran. eam quam tuemur ſententiam iiſdem verbis tradit : *Quamquam*, inquit, *Canonicis (quia in ſacris Canonibus illis prohibitum non legitur) liceat proprias res & Eccleſiæ cum humilitate & juſtitia habere, quod Monachis. : penitus inhibitum eſt &c.* Et cap. 120 *Proinde qui & ſuas & Eccleſiæ habent facultates, & Eccleſiæ utilitatem interius & exterius conferunt, accipiant in congregatione cibum & potum, & partes eleemoſynarum, & his contenti ſint, ne plus accipientes. pauperes gravare videantur; perpendentes ſententiam Proſperi* (Juliani pomerii) *qua dicitur: Qui ſua poſſident, & dari ſibi aliquid volunt, ſine grandi peccato ſuo, unde pauper victurus erat non accipiunt*. Ergo PP. Aquiſgranenſes Pomerii verbis eo tantum uſi ſunt fine, ut oſtenderunt eos qui etiam majorem Eccleſiæ utilitatem conferunt, portione ſuâ contentos eſſe debere, non autem pauperum partes uſurpare : ſed non negaverunt eum qui patrimonialibus fruitur bonis ; de altari vivere poſſe ; cum è contra permittant ut qui ſuas habent & Eccleſiæ facultates, in congregatione cibum & potum accipiant.

Ad id quod additur, nihil juxta Pomerium erogari debere iis qui è facultatibus ſuis vivere poſſunt, diſtinguo ut ſupra. Nihil erogari debet eorum quæ ſunt è portione pauperum ; vel nihil eis erogari debet qui avaritiæ ſtudentes, in congregatione vivebant, ne ſi vixiſſent apud ſe pauperes alerent, peregrinos reciperent, concedo ; ſecus, nego.

Obj. 2. S. Auguſt. Epiſt. 185. n. 35. hæc habet: *Si privatim quæ nobis ſufficiunt poſſidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicamus*.

Reſp. diſt. Si privatim poſſidemus. id eſt ſi legitima nobis aſſignata fuerit Eccleſiaſtici boni portio, jam quæ reliqua ſunt, noſtra non ſunt, ſed pauperum, conc. ſi privatim, id eſt ſi ſæcularia habeamus bona, nego. In textu Auguſtini nihil eſt unde ad talem ſenſum determinetur : vel diſting. ut ſupra S. Thomas, non ſunt illa noſtra cum pauperes neceſſitate laborant, conc. non ſunt noſtra, id eſt eccleſiaſticis uti non poſſumus, cum ſuppetunt nobis propria, nego.

Obj. 3. Ea opinio admitti non debet, quâ enervantur tot Eccleſiæ Canones quibus prohibitum eſt ne Beneficiarii de ſacro cenſu conſanguineos locupletent : atqui ſi Clericis liceat eccleſiaſticis reditibus uti ad victum, jam facilè enervantur ſacri Eccleſiæ Canones; Eccleſiaſtici enim virtualiter ex altaris reditibus familiam ditabunt ; interim verò regerent, hæc unde vivunt eccleſiaſtica eſſe, quæ autem parentibus largiuntur, eſſe merè patrimonialia.

Reſp. abuſum opinionis alicujus non ſufficere ut hæc rejici poſſit, ſi gravibus ſit momentis ſuffulta. Cæterum Canones Eccleſiæ ab iis non violabuntur qui cognoſcent boni proprii ſuperfluum ex charitate pauperibus deberi, & Deum verè diligent; qui verò non diligent, tametſi opinionem noſtræ oppoſitam ſpeculativè teneant, ab eâ in praxi recedent. Et verò quoti viſi ſunt qui nobiſcum ſentientes, de patrimonialibus perinde ac Eccleſiaſticis bonis piè diſpoſuerunt; quoti verò qui opinionẽ noſtrâ rigi-

rigidiorem amplexi, neutrum bonorum genus eo quo par erat modo impenderunt?

CONCLUSIO. TERTIA.

Religioſi in communi eodem modo bonorum ſuorum domini ſunt, ac Beneficiarii ſæculares. Eſt contra *Apoſtolicos*, qui hoc Chriſti conſilium, *Niſi quis renuntiaverit omnibus quæ poſſidet &c.* vertebant in præceptum; & contra *Fratricellos*, qui uſque ad ſchiſma, Joannis XXII. tempore propugnarunt nec Chriſtum, nec Apoſtolos quidquam poſſediſſe in communi.

Luc. 13. *Vid S. Antonin. p. 4 tit. 12. c. 4.*

Prob. 1. Quia Trid. Seſſ. 25. c. 3. *De Regularib.* concedit *omnibus Monaſteriis & domibus tam virorum quàm mulierum & mendicantium, exceptis domibus Fratrum ſancti Franciſci... ut deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat.* 2. Quia non poteſt Papa ſine gravi causâ, & propter majorem Eccleſiæ utilitatem, bona Monaſterii unius ad aliud transferre, quin peccet contra juſtitiam: atqui hoc poſſet ſi Communitates bonorum ſuorum dominio non fruerentur. 3. ſi Communitas non haberet tale dominium; vel quia paupertatem profitetur; vel quia bona ſua alienare non poteſt: atqui neutra hæc ratio valet. Non prima: nam paupertas non excludit dominium in communi, ſed efficit tantùm ut nemo in particulari poſſit de re ullâ tanquam dominus diſponere, & independenter à nutu Superioris. Non ſecunda: etſi enim Beneficiarii ſæculares Eccleſiæ ſuæ bona alienare poſſint, non ſequitur quod eorum aliquo ſenſu domini non ſint, ſed duntaxat quòd dominium habeant ligatum; & idem dicendum eſt de Religioſis, quibus, ut eorum Communitas perſeverare poſſit, Fundatores bona ſua eâ conditione donarunt, ut ſine Eccleſiæ conſenſu alienari non poſſint.

Dixi, Religioſi *in communi*, quia particulares temporalis dominii incapaces ſunt, ut vividè declarat Innoc. III. c. 6. *De ſtatu Monach.* Ibid. c. 2. dicitur: *Monachi non pretio recipiantur in Monaſterio, nec peculium habere permittantur.*

Ex his principiis quædam inferemus magni momenti corollaria. 1. igitur peccant contra paupertatis votum, Religioſi qui rem temporalem pretio æſtimabilem ſine licentiâ Superioris accipiunt, retinent, abſumunt, deſtruunt, permutant, commodant, alienant, aut eâ utuntur; item debitum remittunt: hæc enim omnia, cùm fiunt proprio arbitratu, ſunt actus proprietatis, adeoque illiciti Religioſo, qui per votum paupertatis abdicat ſe poteſtate poſſidendi aut donandi aliquid ut proprium. 2. peccant etiam mortaliter contra idem votum, imò & contra juſtitiam, qui ſæpiùs quid leve recipientes, aut deſtruentes ex bonis Communitatis, ſcienter perveniunt ad quantitatem, quæ in materiâ furti ſufficit ad mortale: & hoc verum eſt, licet iſta ſint poculenta & eſculenta domûs, libri, & alia ejuſdem generis. 3. & ii peccant qui à ſæcularibus invitati, manducant aut bibunt abſque Superiorum licentia; quia tunc aliquid pretio æſtimabile recipiunt. Ita Suares, Sanchez, P. Antoine & alii. 4. qui ſic animo diſpoſiti ſunt ut exui nolint rerum ſibi permiſſarum poſſeſſione & uſu ſtatim ac voluerit Superior; item qui rem cum licentiâ acceptam abſcondunt, ne Superior eam repetat; vel qui querelis Superiores fatigant, adeo ut licentiam datam revocare non auſint. 5. qui re ſibi ad unum uſum conceſſâ, ad alium etiam honeſtum utuntur ſine Superioris conſenſu. 6. qui earum etiam rerum quas conſumere poſſunt, ut eſculentorum, pecuniæ ad iter datæ, partem ſibi ſubtrahunt, ut eam aliis donent, aut in alios uſus, ut libros, expendant. 7. qui in conſervandis rebus ſibi ad uſum conceſſis eam non adhibent diligentiam quam in rebus ſuis adhibere ſolent diligentes. 8. *mobilium uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſupellex ſtatus paupertatis quam profeſſi ſunt, conveniat, nihilque ſuperflui in eâ ſit.* *Trid. ſeſſ. 25. c. 2.* Unde qui penſionibus ſuis, etiam cum Superioris conſenſu utuntur in uſus, non dico turpes, ſed vanos, & qui ſæculari magis quàm Religioſo pauperi conveniunt, peccant contra paupertatem, quia Superior nihil permittere poteſt quod ſacris Canonibus, aut veræ paupertati adverſetur. Ita Navarrus, Delugo, & alii. Unde qui veſtes ſericas, picturas inanes, aut magni pretii emunt, aut ſumptuoſa convivia præbent, peccant contra votum, ſicut ii, qui ludunt; teneoturque qui aliquid cum Religioſis ludendo lucrati ſunt id reſtituere, perinde ac ſi accepiſſent à fure; poteſt tamen Religioſus cum Prælati licentiâ aliquam modicam quantitatem ludo exponere, abſque eo quòd perdentes aut lucrantes ab eo, reſtituere teneantur, niſi ludus ſit illicitus vel à jure, vel à regulâ Religionis. Ita Salmantic. qui monent non poſſe Superiorem licentiam præbere ſubditis ad exponendum ludo notabilem quantitatem, unde qui eam tunc lucraretur, non eſſet à reſtituendo immunis. *Tract. 13. c. 15. n. 6.* 9. habent tamen Religioſi verum dominium ſuorum manuſcriptorum, ita ut poſſint ea ſecum deferre quocunque vadant, donare, comburere, & aliqua circa illa exercere quæ ſunt propria munia proprietarii. Ita iidem Salmant. ibid. nu. 5. 10. poſſunt etiam recuſare ſine conſenſu Superioris, rem ſibi ex liberalitate oblatam; neque tunc peccant contra votum, quia vi illius non obligantur ad acquirendum Religioni, ſed ad non alienandum, accipiendum, utendumve ſine licentiâ. Qui tamen ſine juſtâ causâ recipere nollet id quod alii ſibi offerunt, peccare poſſet contra charitatem, impediendo bonum Religionis cui acquirit Monachus, quidquid acquirit; ſecùs ſi recuſet ut Sacramenta liberiùs conferat, aut ædificationem præſtet.

Quæres 1. quæ quantitas ſufficiat ut quis mortaliter peccet contra votum.

℞. Eam ſufficere quæ ſufficit ad furtum mortale. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia peccatum proprietatia ſe habet inſtar furti; eſt enim uſurpatio rei vel uſûs, ſine conſenſu Superioris: atqui hæc uſurpatio, utpote non ſacrilega ſolùm, ſed & injuſta, quamdam furti rationem habet. Unde fatentur omnes Religioſum proprietarium teneri ad reſtitutionē quantùm poteſt, ſive ex bonis de quibus licitè poſſet diſponere in alios uſus, ſive imminuendo expenſas quas licitè poſſet ex Monaſterii bonis facere, ſive magis laborando, quod ultimum quâ de cauſa negent Salmant. non video. An verò ad peccatum mortale illius qui paupertatem vovit, eadem requiratur quantitas, quæ requiri ſolet in furtis filiorumfamil. erga quos parentes minùs inviti eſſe ſolent, diſputatur. Affirmant Salmant. Tract. 13. cap. 16. n. 43. tum quia probabile non eſt Superiorem magis eſſe invitum erga ſubditos ſuos, quàm patres erga filios; tum quia Superior non minus eſſe debet liberalis de patrimonio Chriſti, quod abſque labore & ſudore acquiſivit, quàm parentes de ſuo. Cenſent tamen Lugo & alii, minùs in Religioſo requiri ad peccatum lethale quàm in filiofam. quia peccatum contra paupertatem non æſtimatur præciſè ex damno temporali, ſicut filii furtum, ſed ex everſione unius è præcipuis vitæ religioſæ fundamentis, quæ in paupertate tanquam baſi ſtabilita eſt. Et certè *Lug. diſp. 3. ſect. 8.*

Religioſi

Religioſi proprietarii ſæpius eo puniti ſunt modo pro voti hujus tranſgreſſione, quo nunquam puniti fuere filiifamilias. ut videre eſt apud Alph. Rodriguez, Tom. 3. prax. Chriſt. &c.

Quæres 2. an quæ de Religioſis dicta ſunt, eorum Abbatibus competant.

℞. affirm. quia veri manent Religioſi, & obſtricti voto paupertatis: atqui votum hoc dominium omne privatum excludit. Abbates ergo, aliique Superiores majores hoc ſolum præ cæteris habent, quod præcipui ſint boni communis diſpenſatores; & hoc verum eſt, ait Decoq. p. 20. etiamſi certa bonorū portio Abbati, vel Abbatiæ aſſignata ſit.

Quæres 3. an Religioſus qui Epiſcopus creatur, paupertatis voto abſtrictus maneat.

2. 2. q. 88. a. 11. Reſp. S. Thomas his verbis: *Religioſus qui fit Epiſcopus, ſicut non abſolvitur à voto continentiæ, ita nec a voto paupertatis, qui nihil habere debet tanquam proprium*. Et alibi: *Teſtamentum autem* q. 185. a. 8. *nullo modo facere poteſt, quia ſola ei diſpenſatio committitur rerum eccleſiaſticarum, quæ morte finitur.* Idem docet Pontas v. *Evêque* caſ. 5. 6. 7. Sed mirum eſt authorem Gallum ita locutum eſſe: quippe ex generali Regni conſuetudine, Religioſi ad Epiſcopatum promoti, ſicut & Clerici ſæculares de fructibus ſuorum Beneficiorum teſtari, poſſunt, & inteſtati cognatos habent hæredes. Ita notant Paſtor l. 1. tit. 1. Van Eſpen part. 2. tit. 52. c. 8. & apud eos Choppin, Louet, Mornac. Idem docet Cabaſut. l. 1. c. 14. n. 3. *Religioſi*, inquit, *facti Epiſcopi*, juxta jus in Galliâ univerſaliter receptum, *dominia & proprietates ſibi acquirunt, diſponuntque tam inter vivos quam per ultimas voluntates, pro libito teſtamenta condunt; & ſi inteſtati decedant, ſucceſſores habent non Monaſterium, non Eccleſiam, ſed propinquos.* Quod verò addit idem Cabaſ. eoſdem ſucceſſionem capaces eſſe, non ita certum eſt, contrarium enim ſæpè judicatum eſt, ut notat le Pretre in recent. additionib. ad cap. 27. cent. 1. & ex eo Van. Eſpen tom. 1. 234.

Quæres 4. an Religioſus qui fit paſtor, aut Beneficium ſimplex accipit, poſſit ejuſdem fructus Monaſterio relinquere, an non teneatur eoſdem pios in uſus expendere, v. g. loci pauperibus largiri.

Sylvius. ℞. Regularem hunc poſſe *inconſulto prælato, ea quæ ex fructibus ſui Beneficii ſibi obveniunt*, niſi ii Monaſterio incorporati ſint, & uniti, *in pios ac honeſtos uſus inter vivos diſponere*, imò & teneri per ſe fundationis obligationes cognoſcere, & prius loci pauperibus opitulari quam Monaſterio. 1. quia ſæculares inter & regulares Beneficiatos nullum ſtatui debet diſcrimen quantum ad obligationem reditus eorum fideliter adminiſtrandi. 2. quia reditus Beneficiorum quæ Monaſteriis unita non ſunt, ad eadem non pertinent. Ita definierunt Sylvius in reſolut. v. *Religioſus*. Sambovius tom. 3. c. 74. Pontas v. *Benefìcier* caſ. 22. Doctores Pariſienſes 24. à quodam Canonico regulari anno 1724. conſulti; & eodem anno DD. de Sacy, Duperray, Capon, & Brunet, Cauſidici Pariſienſes.

Dices, Religioſi extra Monaſterium defuncti hæreditas, galicè *cotte morte*, pleno jure ad Monaſterium pertinet; ergo ejuſdem Religioſi dum in vivis eſt, reditus & bona ad idem Monaſterium pertinent.

℞. 1. Multi cum Theologi tum Canoniſtæ negant ant. neque unanimis eſt eâ de re *Arreſtorum* L. 2. c. 1. p. 84. Jurisprudentia. ut notat D. Fuet. Sic anno 1633. Curia Pariſ. peculium F. Ludovici le Bel ex æquo dividi juſſit inter Monaſterium S. Genovefæ, & Hoſpit. Pariſ. Sic peculium Religioſi Curati, pauperibus aut Fabricæ ſæpius adjudicatum eſt, v. g. Arreſtis annorum 1651. & 1710. quia ſupponitur & meritò, peculia hæc ut plurimum parſimonia eſſe aliquando ſcandaloſa, boni pauperibus debiti. Vid. Epiſtolam gallicam * Doctoris Sorbonici ad unum è Monachis Congr. S. Mauri, quæ D. Gerbais attribuitur. * 1702 Bred. Louan 1695.

℞. 2. neg. conſeq. ut enim quotidie ſuccedimus iis in quorum dum viverent bona nihil habebamus juris, ſic & concedi potuit Monaſteriis, ut iis Religioſorum ſuorum bonis ſuccedant, de quibus ipſi ſoli dum viverent diſponere poterant; & hoc duplici de causâ concedi potuit. 1. ut oſtenderetur Beneficia hæc à tali monaſterio dependere. 2. ut eidem Monaſterio aliquod præberetur animi benè memoris ſignum. eo quod viros capaces ad hæc Beneficia efformet.

CAPUT QUINTUM.

De vacatione Beneficiorum, & penſionibus,

BEneficium vacat. 1. ex diſpoſitione juris. 2. per Judicis ſententiam. 3. per mortem Beneficiarii. 4. reſignatione. 5. permutatione: ſed aliud eſt Beneficium vacare *jure ipſo*, aliud idem vacare *ipſo facto*. Cum Beneficium vacat ſolo jure, poteſt adhuc Beneficii poſſeſſor ipſi renuntiare, ſive ſimpliciter, ſive in favorem, re adhuc integra, id eſt ſi nemo alius impetraverit; ſed cum vacat ipſo facto, non relinquitur novæ renuntiationi locus. Cabaſ. 2. c. 3. Pontas Proviſion. caſ. 2.

Portò caſus in quibus vacat ipſo jure Beneficium ii recenſeri ſolent. 1. matrimonium ratum, etiam non conſummatum: patet id ex tit. *De Cler. conjug.* Quòd autem dicunt varii Canones, Clericos qui uxores duxerunt eſſe compellendos ad Beneficia dimittenda, id intelligitur de dimittendâ poſſeſſione, non de dimittendo Beneficio jam per matrimonium contractum dimiſſo. 2. profeſſio religioſa, & tunc vacant Beneficia etiam regularia quæ quis in Commendam poſſidebat, niſi novas proviſiones petat. Si profeſſio declaretur nulla, datur locus regreſſui contra poſſeſſorem etiam triennalem: ſunt qui velint ut profeſſus agat intra tres annos ex quo profeſſio declarata fuit invalida. 3. crimen cui privationis pœna jure annexa eſt, ut hæreſis, ſciſma, ſodomia ſæpius exercita, ex Bullâ Pii V. percuſſio Cardinalis vel Epiſcopi, homicidium qualificatum, nempe quod fit per ſicarium pretio conductum, & ſimilia apud Leſſium: ſed ante probandum eſt crimen, & præcedere debet ſententia Judicis 4. ſi Beneficium requirat Sacerdotium, & proviſus tempore præſcripto non curet ad Sacerdotium promoveri: diſpenſationea tamen *de non promovendo*, ut ajunt, ſeu de non ſuſcipiendis ſacris Ordinibus: à Papâ ſemel & iterum obtentæ, impediunt ne Beneficium regulare in titulum aut Commendam obtentum, amittatur ab eo cui collatum eſt. 5. ſi habenti Beneficium conferatur aliud incompatibile, tenetur in alterutrum *optare*, ideoque unum dimittere intra annum ex quo poſterius pacificè poſſedit; alioqui ordinarius Collator de priori diſponere poteſt. Qui ob incompatibilitatem Beneficium dimittit, penſionem ſibi reſervare non poteſt, præſertim ſi Beneficium quod retinet, honeſtæ ſuſtentationi ſufficiat: item non percipit niſi fructus Beneficii cui deſervivit; alterius verò Beneficii fructus in Vicarii ſtipendium, & Eccleſiæ reparationes aut ornamenta converti debent. Ita ſancitum Regio Edicto anni 1681. die 7 Januarii. Cæterum ſi lis mota fuerit, annus pacificæ poſſeſ-

Drapier 2. 1. p. 43. Héricourt 2. p. 1. 20.

L. 2. c. 34. dub. 14.

Hérit. ibid.

Drapier c. 2. p. 68.

poſſeſſionis non currit niſi à terminatione litis. 7. vacant Beneficia illius qui Epiſcopus conſecratur, niſi diſpenſationem obtinuerit. 8. vacant, tum per mortem naturalem, tum per civilem. Civiliter moritur. 1. Religioſus dùm profitetur. 2. qui condemnatur morte, citra appellationem, aut per contumaciam, 3. qui triremibus aut exilio damnatur in perpetuum; ſecus ſi damnetur ad tempus, modo annis novem longius non ſit.

Drapier t. 1. p. 34.

Beneficium, ait Cabaſſutius, vacat *ipſo facto* per ceſſum, aut deceſſum, per matrimonium; per religioſam profeſſionem; addit Drapier, per crimen læzæ majeſtatis, aut aliud atrox facinus: in aliis caſibus non tam ipſo facto vacat, quam jure. Sic re integra reſignare poteſt qui tempore præſcripto promotus non fuit ad Ordines, qui plura habet incompatibilia &c. ſed ſi acceſſerit ſententia Judicis, jam non eſt reſignationi locus: unde reſignatio facta à Parocho qui hominem occiderat, nullius valoris judicata eſt, quia non admiſſa erat Romæ ante ſententiam mortis adverſus reum latam.

Ibid. p. 50.

Ibid. p. 61.

Quæres 1. quid ſit reſignatio.

Ibid. dub. 35.

R. cum Leſſio, eſt juris ſui dimiſſio, ſeu ceſſio libera: quæ enim per injuriam extorta eſt, eſt nulla aut certè annullanda. Ceſſio hæc vel fit *tacitè*, ut ſi quis matrimonium contrahat; ſi quis militiæ adſcriptus, nolit poſt trinam monitionem arma deponere &c. vel *expreſſè* ſeu diſertis verbis; & hæc duplex eſt, *pura*, quæ fit ſine conditione; & *conditionalis* ſeu in favorem; eaque vel eſt *ſimplex*, cùm fit abſque reſervatione; vel *qualificata*, quando fit reſervato ſibi jure regreſſus, vel penſione, aut quibuſdam fructibus, vel cauſa permutationis.

Reſignatio ſimplex, quæ melius dicitur demiſſio, fieri debet in manibus Collatoris. Hinc tempore Rebuffi conſtans erat hæc ſententia, *Renuntiatio Beneficii facta in manibus inferioris Epiſcopo, & per eum admiſſa, nulla eſt*: cui tamē hanc apponit limitationem, *niſi Epiſcopus ratam habuerit demiſſionem in manibus Patroni factam*. Circa quod quædam notanda. 1. demiſſio in manibus Patroni facta per ſe Beneficii vacationem non inducit; unde quamdiu ab Epiſcopo rata habita non fuerit, poteſt reſignans vel Beneficium permutare, vel ut voler reſignare. 2. collatio poſt reſignationem in manibus Epiſcopi aut Papa factam ſine Patroni laici conſenſu, non ſolum requiſito, ſed etiam obtento, nulla eſt juxta multos, aut certe annullanda, ſi Patronus conqueratur, quia ejus juri præjudicat. Idem dicendum de reſignationibus in favorem, aut permutationis cauſa, quæ ne à Papa quidem in præjudicium Patroni laici admitti poſſunt. Beneficium patronatus laïci, in favorem reſignatum ſine Patroni conſenſum, vacat ipſo facto, abſque eo quòd reſignans regreſſum ſperare poſſit: ut ergo nullum Patrono præjudicium creetur ex reſignatione, debet hæc illi notificari ut alium quem volet præſentet Collatori. 3. qui purè & ſimpliciter coram Ordinario reſignat, in inſtrumento demiſſionis ſuæ eum quem ſibi ſucceſſorem dari exoptat, nominare non poteſt, etiamſi non uteretur clauſulâ *non alias, non aliter, non alio modo*: poteſt tamen ſic reſignans ſine labe ſimoniæ rogare Ordinarium ut conferat tali, ait Rebuffus: ſed eæ preces nullam imponunt neceſſitatem huic potiùs quam illi conferendi. 4. ſi procuratio ad reſignandum in manibus Ordinarii, concepta eſſet *in favorem*, procurator vitium illud emendare poſſet: etſi enim *diligenter cuſtodiendi ſunt fines mandati*, certe tamen *laudandus eſt qui omi-*

Drapier. t. 1. p. 473.

Horic. n. 32. Ferrure 2. p. 0. 81.

Drapier. p. 479.

Drapier. p. 472.

ſit vitium. 5. ſi reſignans purè & ſimpliciter, per triennium retineret Beneficium, uti non poſſet regula *De pacificis*, quia cenſeretur malæ fidei poſſeſſor, eo quod reſignatio pura, ſi tamen acceptata ſit ab Ordinario, operetur vacationem Beneficii tam quoad titulum, quam quoad poſſeſſionem. Id. p. 469. 477.

Reſignatio in favorem eſt ceſſio Beneficii eâ conditione, & *non aliter*, quam ut alteri conferatur. Hæc reſignatio non niſi à Papâ admitti poteſt, quia ob hæreditariam quam invehit, in Beneficiis ſucceſſionem, eccleſiaſticæ ſimoniæ vitio fœdari cenſetur, in quâ, utpote juris poſitivi & communis, Papa & quidem ſolus diſpenſare poteſt: ex longo tamen uſu Reges Galliæ haſce reſignationes admittunt, tum quoad Beneficia quæ Regaliæ tempore vacant, tum quoad ea quorum Collatores ſunt ordinarii: ſi Papa alii quàm reſignatario Beneficium conferat, proviſio, uti contra mentem reſignantis facta, irrita eſt, poteſque reſignatarius Libellum ſupplicem offerre Parlamentu, quo ſanciente Epiſcopus loci proviſiones dabit: pariter ſi Beneficium certis affectum perſonis, Choriſtis v.g. aut Nobilibus, aliis reſignetur, reſignatio nulla eſt. Idem dicendum 1. de reſignatione factâ à minoribus in favorem eorum à quibus pendent, tutorum v.g. præceptorum &c. quia in his fraus & dolus præſumuntur. 2. de reſignatione infirmi qui ante 20. dies à reſignatione admiſſa, moritur: verùm regulæ huic, quæ eſt 18. Cancellariæ, vocaturque *De infirmis reſignantibus*. derogatur Papa; hæcque derogatio eſt *ſtili*, ut ajunt, & ſuppletur ubi expreſſa non eſt: ei tamen derogari non poteſt in præjudicium Cardinalium & Collatorum Armoric. 3. ſecundum regulam *De publicandis reſignationibus*. in Gallia receptam reſignatarius proviſionem ſuam *publicare tenetur* intra ſex menſes ſi à Papa, & intra menſem, ſi à Legato vel ab Ordinario permutationis cauſa proviſus fuerit; alioquin ſi reſignans moriatur poſt illud tempus, Beneficium vacat *per obitum*, & reſignatio irrita evadit. *Publicatio* fit Litteris exhibitis & inſinuatis Ordinario, & miſſione in poſſeſſionem Beneficii: ſi vero agatur de Beneficio Eccleſiæ Collegiat aut Cathedralis, reſignatarius non cenſetur ſatisfeciſſe regulæ, niſi intra idem tempus ſuas Capitulo litteras exhibuerit, & petierit admitti. Quod ſi reſignans vivere pergat, reſignatarius totos tres annos habet quibus reſignati Beneficii poſſeſſionem ſumat; interim verò reſignans alii Beneficium idem reſignare non poteſt: at elapſo eo triennio, ſi reſignatarius poſſeſſionem ſumere neglexerit, excidit à jure ſuo, adeo ut Beneficium ipſi deinceps reſignari nequeat ob ſuſpicionem confidentiæ: imò ſi reſignatarius vivente reſignante poſſeſſionem ſumat, poſſeſſio hæc ei non ſuffragabitur, niſi duobus diebus integris ante reſignantis mortem *publicatio* facta ſit, non computatis diebus tum publicationis & aditæ poſſeſſionis tum deceſſus illius qui reſignavit.

Cabaſſ. Horic. t. 74

Fuet. p. 571.

Horic. ibid.

Paſtor L. 1. tit 8.

Quæres quid ſit permutatio, & quæ ejus conditiones. Cabaſſ. l. 2. c. 17.

R. permutatio eſt Beneficii unius ſive conformis ſive non, cum alio commutatio. Permutatio hæc eſſe debet rerum ejuſdem generis, ſpiritualium cū ſpiritualibus, juris in re, cum juris in re & non cum jure ad rem: unde mutare non licet mandatum vel nominationem ad Beneficiū, decimas, jus patronatus, officium Capellæ regiæ, Beneficium fundandum, cum Beneficio præſenti. Permutatio non à Papâ ſolùm ſed ab Ordinario, imo in Gallià à quibuſdam Abbatibus aut Capitulis quæ jus illud præſcripſerunt, admitti poteſt; ſed fieri nequid privatâ

Fuet. c. 3.

Horic. t. 15. n 9.

privatâ permutantium authoritate. Si permutatio fiat coram Papâ, omnia ſimul compermutantium Beneficia exprimi debent, aut ſaltem id tutius eſt; admiſsâ reſignatione ex causâ permutationis, Beneficia non aliis quam permutantibus conferri poſſunt. Si evinci contingat Beneficium permutatum, aut ſi Patronus laicus permutationi conſentire nolit, datur regreſſus ad illud quod dimiſſum eſt. Si compermutans moriatur, nondum acceptâ Beneficii permutati proviſione, permutatio irrita eſt, vacatque Beneficium per obitum; qui verò ſuperſtes vivit, Beneficium quod commutare voluerat, retinet. Cæterùm permutatio tum tantùm legitima eſt, cùm primarius ejus finis eſt Eccleſiæ utilitas.

Quæres 3. quid, & quibus competat regreſſus.

Cabaſ. c. 18. Drap. t. 2. c. 19. Fuet c4
R. Regreſſus eſt ad Beneficium permutatum vel reſignatum reverſio. Regreſſus conceditur 1. ei qui reſignavit causâ permutationis, ſi contingat eum evinci è Beneficio permutato; aut ſi detegat ipſum onerari penſione quam ignorabat. 2. ei qui ut aliud Beneficium à quo evincitur, poſſideret, renuntiavit ſuo, ſive quia ſecundum erat incompatibile, ſive quia plura tenere noluit: & tunc jus habet regreſſus, tametſi ſuum hoc Beneficium alteri collatum, & poſſeſſioni datum fuerit. 3o. ei qui criminis capitalis accuſatus Beneficium reſignaſſet, veritus ne innocentiam ſuam probare non poſſet, quam tamen probavit. 4. Novitio qui ad ſæculum revertitur; ſive qui invalidè profeſſus eſt. 5. & ei præcipuè qui mortis metu Beneficium ſuum reſignavit: is enim ſi convaleſcat, regreſſus facultatem habet, *ſive reſignaverit purè, ſive in favorem, ſive ſimpliciter, ſive ſub penſionis reſervatione: ſive coram Legato, ſive coram Ordinario, nec tantum contra ſuum reſignatarium, ſed etiam contra reſignatarii ſucceſſorem*, ut pluribus oſtendit Cabaſſut. S. d
Fuet 624.
hic notandum 1. conditionem regreſſus exprimi non debere, alioquin Beneficium vacabit per obitum; *quædam enim expreſſa nocent, licet tacita non nocent* l. 105. *De reg. jur.* 2. regreſſum non admitti in Magno conſilio, tam pro iis qui purè & ſimpliciter, quam pro iis qui in favorem reſign. verunt; etſi in poſteriori caſu reſignans regredi poſſit, donec poſſeſſionem inierit reſignatarius. Diſcrimen Juriſprudentiæ Parlamentum inter & Magnum Conſilium deſumitur * ex Edicto anni 1637.
** Edit du Conseil*
quod in hoc non in illo *verificatum* eſt, quo quidem Edicto reprobatur regreſſus, quem etiam
Diſcip. p. 4. l. 2. c. 7.
viri graves confidentiæ notam habere putant, de quo vide Thomaſſin. 3. reſignanti non datur regreſſus, ſi poſt recuperatam valetudinem, reſignationem approbare viſus ſit; ſi per annum totum non reclamaverit, Drap. p. 12. ſi ſufficientem ſibi penſionem reſervaverit, ibid. quod tamen necdum ſatis certum videtur. Qui viâ regreſſus Beneficium ſuum repetunt, novis non egent proviſionibus, nec nova receptionis aut ingreſſus jure ſolvere tenentur: iis tamen opus eſt in Galliâ declaratione Judicis regii, cui in hac materiâ attribuitur judicium poſſeſſorium: quòd autem is qui regreditur novis non indigeat proviſionibus, patet ex his
Fuet. Drap. ibid.
Bonifacii VIII. verbis, *Ad Beneficia ſua priora, collatione quibuſcunque perſonis facta de ipſis non obſtante, liberè revertantur*; id eſt *ſine nova collatione*, ait Gloſſa, quam citat Pontas *Regreſſ.* 1. etſi in prænotatis doceat tutius eſſe pro conſcientiæ foro, ut quis Beneficium ſibi de novo conferri, quod à praxi alienum videtur. Addit idem, ad hoc ut regreſſus licitus ſit, tria requiri. 1. ut reſignans bona fide agat & ſpem ac deſiderium regreſſus deponat. 2. ut Beneficio ſuo ad victum indigeat, 3. ut ejuſdem Beneficii munia implere poſſit.

Penſio hic eſt portio redituum alicui ex alterius Beneficio legitimè competens. Ut eccleſiaſtica penſio obtineri poſſit quædam neceſſaria ſunt & quidem oportet 1°. ut obtinens ſit *capax*: ut autem *Vide Leſſ. l. 2. c. 34. dub. 38.*
capax ſit, debet eſſe Clericus; legitimus; nam illegitimus indiget diſpenſatione, & hanc Epiſcopus dare nequit, niſi ad penſiones quas ipſe poteſt reſervare; ac demùm à *cenſurâ immunis*: putant tamen aliqui irregularem penſionis capacem eſſe. In Galliâ *Drap. c. 21. Heric. 2. p. c. 16.*
Equites S. Lazari, licet non Clerici, imò etiam bigami, modò ad tertias nuptias non convolent, penſiones habere poſſunt. 2. requiritur *juſta cauſa*, quâ ſecluſâ qui penſiones etiam cum pontificiâ diſpenſatione obtinent, in conſcientiâ tuti non ſunt, ut poſt Toletum Leſſius: cauſæ verò juſtæ eæ ſunt, ſi alendus ſit pauper Clericus; ſi lis circa Beneficium componenda; ſi remunerandus qui Eccleſiæ ſervitium præſtitit aut præſtiturus eſt; ſi compenſanda inæqualitas Beneficiorum ob Eccleſiæ utilitatem permutatorum. 3. requiritur *poteſtas* in conſtituente ſeu reſervante penſionem: hæc autem eſt in S. Pontifice, ut nemo ambigit; reſidet etiam juxta multos in Epiſcopis. Ita Cabaſ. l. 2. c. 14. Verum in Galliâ vix videntur admitti penſiones ab *Heric. ibid. Drapier p. 59.*
Epiſcopo creatæ, niſi in caſu unionis Beneficiorum, & cùm conſtituuntur ab Epiſcopo Vicarii ut fungantur vicibus Curatorum, qui ob infirmitatem, aut aliter munia exercere ſua non valeant. 4. penſio debet eſſe *moderata*, qualis ut cenſetur, non debet tertiam fructuum partem excedere; hâc etiam adhibitâ præcautione, ut reſignatariis ac titularibus trecentæ annuæ libræ ad minus ſuperſint integræ ad victum, emolumentis caſualibus in his minimè comprehenſis, deductis etiam quibuſcunque oneribus Parocho incumbentibus. Ita fert Edictum anni 1670. datum San Germani ad Nemus. 5. eodem Edicto decernitur neminem Præbendis Eccleſiarum Cathedralium aut collegiatarum, aut etiam curis animarum proviſum, Beneficia, hæc reſignare poſſe cum reſervatione penſionis, niſi poſtquam in per 15. annos ad minùs deſervierit, aut certè in eum infirmitatis gradum corruerit, ut deinceps deſervire nequeat.

Penſio, ait Hericourt, iis extinguitur mediis quæ *Ibid. n. 21.*
Beneficiorum vacationem inducunt, qualia ſunt matrimonium, homicidium præmeditatum, profeſſio religioſa &c. Extinguitur etiam *redemptione*, cùm nimirum Beneficiarius, accedente Papæ conſenſu, quinque, ſex aut ſeptem annos penſionis penſionario ſolvit, ut deinceps à ſolvendo immunis ſit; *Drapier t. 2. p. 87.*
non extinguitur armorum delatione. De his plura vide apud authores paſſim citatos.

APPENDIX
DE SIMONIA.

Videndum 1. quid ſit ſit ſimonia. 2. quotuplex. 3. quale peccatum, & quo animo committatur. 4. & 5. dicendum de ejus cauſis & pœnis.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit ſimonia.

Simonia ſic dicta eſt à Simone Mago, qui primus novâ lege Apoſtolis *obtulit pecuniam*, ut

Art. 8. ab eis emeret dona Spiritûs ſancti, Hinc rerum ſacrarum venditores, paſſim à SS. Patribus dicti ſunt *Simones*, & aliquando etiam *Giezitæ*, à Giezi Eliſæi famulo, qui quantùm in ſe fuit ſanitatis gratiam vendidit Naaman Syro. Simonia definiri ſolet, *Voluntas ſtudioſa emendi aut vendendi pretio temporali, aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum.*

Dicitur 1. *voluntas*, id eſt volitio; tùm quia ſimonia, utpote peccatum, debet eſſe actus voluntatis, tùm quia ſimonia committi poteſt, etiamſi opus non ſubſequatur. alioqui ipſe Simon non fuiſſet ſimoniæ condemnandus.

Sylv. in 2. 2. q. 100. a. 1. Dicitur 2. *ſtudioſa*, id eſt deliberata, & ex electione procedens. Unde ſi quis ex inculpatâ juris vel facti ignorantiâ, venderet aut emeret aliquid ſpirituale, non eſſet ſimoniacus formaliter, ſed materialiter tantùm; ſicut aliquis in caſu difficiliori materialiter ſolùm uſurarius eſſe poteſt. Sicuti tamen qui bonâ etiam fide contractum iniit uſurarium, ad reſtitutionem tenetur, quia ex contractu uſurario, utpote invalido, nullum acquiri poteſt dominium, ſic & id reſtitui debet quod ſimoniacè comparatum eſt, quia collatio ſimoniaca nullum jus tribuere poteſt, ut infra uberius dicetur.

Dicitur 3. *vendendi, vel emendi*, quæ verba non ſtrictè accipienda ſunt, quaſi ſimonia non committatur niſi in caſu veræ venditionis vel emptionis, ſed latè pro quolibet contractu non gratuito, ſive nominato, ſive innominato. Hinc ſicut ſimoniacus eſt qui dicit, Do, vel procuro tibi Beneficium, ut des mihi equum, ut mihi remittas quod tibi debeo &c. ita ſimoniacus eſt qui dicit, Facio ut Decanus eligaris, ut facias me in Præcentorem eligi, ut fusè probat Pontas.

v. Religieux c. 18. Dicitur 4. *pretio temporali*, quia ſimonia ut plurimum committitur cum aliquid pretio æſtimabile datur pro re ſpirituali. Fatendum tamen eſt ſimoniam aliquando admitti abſque eo quòd intercedat pretium temporale: ſic cap. 11. *De ſimon.* qui Prioratum recipit ut alterius electioni

Lib. 5. tit. 3. conſentiat, ſimoniacus dicitur, neque tamen hic ullum intervenit pretium temporale propriè ſumptum.

Dicitur 5. *ſpirituale*, quo nomine intelligitur id quod eſt ſupernaturale, ſeu id omne quod pertinet ad cultum Dei, aut ad animæ ſalutem ordinatur, ut dona ſupernaturalia Spiritûs ſancti, gratia gratis data & gratum faciens, oratio, Sacramenta, reliquiæ Sanctorum; item omnis poteſtas ſupernaturalis, ejuſque uſus, ut actus ordinis vel juriſdictionis eccleſiaſticæ. Hinc Conciones, & Catecheſes ſacræ, quæ prout in Eccleſiâ fiunt à Clericis, ordinantur ad audientium ſalutem, ſunt materia ſimoniæ, ſecùs de actu docendi Theologiam, vel etiam rudimenta fidei, ſicut in Scholis dicentur à Ludimagiſtris, quia non ſunt functiones ſacræ. Ita Habert *De Relig.* c. 8. & nos pluribus alibi.

Dicitur 6. *vel annexum ſpirituali*, quia quædam ſunt temporalia adeo ſpirituali connexa, ut hæc ſine illo vendi non poſſint. Sic vendi non poteſt id quod in Beneficio temporale eſt, quin id etiam vendatur quod eſt ſpirituale, ſed hæc omnia pleniùs infra declarabuntur.

Obj. 1. ſimonia paſſim in jure vocatur hæreſis: atqui hæreſis ad intellectum pertinet, non ad voluntatem; ergo ſimonia malè dicitur *voluntas &c.*

Reſp. diſt maj. Simonia dicitur hæreſis, quia Simoniaci ſe gerunt ut hæretici, conc. quia reipsâ ſemper & neceſſariò hæretici ſunt, neg. Itaque Simoniaci, dum vendunt dona Spiritus ſancti, ſignificare videntur ea non pluris valere quam pretium temporale pro quo illa vendunt, & ideo exteriùs & interpretativè hæretici cenſentur; at nō ideo neceſſariò intus gerunt malam hanc opinionem: quemadmodum qui Euchariſtiâ abutitur, non ideo præſentiam realem negat interius, tametſi ſic ſe gerat exterius ut eam abnegare videatur.

Obj. 2. Ea definitio non eſt legitima quæ non convenit omni ſimoniæ: atqui talis eſt allata definitio, Nam 1. qui Beneficium precibus obtinet, illud profectò non emit: atqui tamen eſt ſimoniacus ex S. Thomâ. 2. pariter ſimoniacus eſt qui pretium accipit pro omiſſione actionis ſanctæ. v. g. qui propter *emolumentum quodlibet temporale*, non denuntiat Epiſcopo publicum peccatum. Ita habetur c. Hic a. 4. ad 3. 14. *De ſimon.* atqui nulla hic reperitur venditio ſpiritualis. 3. permutationes & reſignationes ſine Superioris authoritate factæ, ſimoniacæ ſunt, etſi fiant ſine pretio temporali.

℞. ad 1. neg min. & dico definitionem noſtram competere omni ſimoniæ prohibitæ jure naturali, quæ ſola ſimoniæ rigoroſè ſumptæ rationem habet; nihil ergo mirum eſt ſi non conveniat permutationibus & reſignationibus ſine Superioris authoritate factis, cum in his occurrat niſi ſimonia eccleſiaſtica.

Ad primam confirmationem diſt. maj. Beneficium non emit, qui illud obtinet precibus nudè ſpectatis, & prout meræ ſunt petitiones, conc. qui illud obtinet precibus prout habent rationem adulationis & favoris humani, neg. Itaque ſi preces ſpectentur ut nuda petitio, non inducunt ſimoniam, quia non impediunt ne id quod confertur, gratis conferatur; ſic dives qui mendico efflagitanti ſtipem largitur, gratis tribuit. Verum ſi preces ſpectentur ut favor quidam humanus qui ei exhibetur quem oramus, & quem ſubmiſſis hujuſmodi precibus adulatoriè demulcere conamur, haud dubium eſt quin eæ preces ſint pretium quoddam quod Beneficiorum diſtributor ſæpe pluris quam aurum æſtimat, quodque à S. Gregorio *favoris nummus* vocatur. In his ergo cautè penſanda eſt tum orantium, tum Collatorum intentio: ut bellè notat S. Thomas ibid. *Qui preces*, inquit, *pro indigno porrectas exaudit, videtur principaliter intendere* favorem humanum. *Unde ipſum factum eſt ſimoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipſum factum non eſt ſimoniacum, quia ſubeſt debita cauſa, ex quâ illi pro quo preces porriguntur, ſpirituale aliquid confertur. Tamen poteſt eſſe ſimonia in intentione, ſi non attendatur ad dignitatem perſonæ, ſed ad favorem humanum.* Et verò ſi qui Beneficium confert viro capaci, principaliter ut ex ejus electione, hominum laudes & præconia acquirat, ſimoniacus ſit, ut expreſsè docere videtur S. Gregorius in loco mox citato, quidni ſimoniacus dicatur qui Beneficium confert principaliter quia ex factis ſibi precibus favorem humanum acquirit? Vid. Pontas v. *Simonie* caſ. 13. & 14.

Hom 4. in Evang. & 1. q. 1. cap. 14.

Ad 2. confirm. diſt. Simoniacus eſt qui pretium accipit pro omiſſione actionis ſanctæ, cùm omiſſio hæc eſt formaliter aut æquivalenter venditio & emptio rei vel actus ſpiritualis, con. ſemper & in aliis caſibus, neg. Itaque omiſſio actus ſpiritualis nunc eſt, nunc non eſt ſimoniæ materia, prout hoc vel illo modo fit, ut fusè expendit Suare Tom. 1. *De Relig.* l. 4. c. 22. Si omiſſio actus, æquivaleat actui poſitivo qui ſine ſimoniâ vendi non poſſit, aut moraliter proveniat ab eâdem poteſtate à quâ procedit actus oppoſitus, aut viam paret ad ſpirituale, haud dubium eſt quin ſimoniæ materia ſit. Sic 1. qui pecuniâ corruptus omitteret dare alicui abſolutionem à peccatis in foro interiori, vel à cenſuris in foro exte-

exteriori, reipſa ſimoniæ reom ſe conſtitueret, quia talis omiſſio non eſt pura omiſſio, ſed uſus qoidam & exercitium poteſtatis ſpiritualis, quod non magis pretio æſtimari poteſt quàm ipſa abſolutio. Et certè in hoc caſu venditur ſpirituale judicium, quo perſona abſolutione digna, virtualiter condemnatur ut indigna; hæc autem venditio eſt evideoter ſimoniaca. 2. qui ante obtentum Beneficium dat pecuniam alicui, v. g. antiqoiori Graduato, vel peritiori, ut non contradicat; item qui ut recipiat Ordines, pretio dato obtinet, ut qui ejus flagitia novit, eadem Epiſcopo non detegat, eſt etiam ſimoniacus, quia tunc emit Ordines & Beneficium, ſi non in ſe, ſaltem in viâ & diſpoſitivè. 3. ſi Examinatores pretium recipiant pro negandâ alicui digno approbatione, erunt etiam ſimoniaci, quia illa omiſſio procedit à juriſdictione non quidem eorum propriâ, ſed quàm participant ab Epiſcopo, cujus nomine & authoritate dignos admittere, & indignos repellere debent.

Verùm multi ſunt alii caſus in quibus emi poteſt omiſſio actûs ſpiritualis abſque ſimoniâ. Sic 1. qui daret alicui pecuniam ut abſtineret à celebrandâ Miſsâ quam in peccato celebraturus eſſet, aut ut non conferret Beneficium ſimoniacè, ſimoniacus non eſſet, ut conveniunt omnes. 2. qoi intuitu lucri, Miſſam non celebraret, aut non audiret, peccare quidem poſſet, ſed non peccato ſimoniæ, niſi in raris quibuſdam caſibus quos videris apud Suarem. Pariter qui propter conſanguinitatem, aut emolumentum temporale non revelat crimen alterius, non committit ſtrictè ſimoniam; vocatur tamen ſimoniacus in objecto Juris capite, quia videtur quædam ſpecies commutationis, ſi quis pro temporali omittat ſpirituale; quadantenus enim privat ſe bono ſpirituali pro pretio, ſicut mercator privat ſe mercibus pro pecuniâ. At non eſt hæc vera ſimoniæ ſpecies, quia tunc non venditur aliquid ſpirituale, ſed naturalis libertatis uſus; unde ſicut ſimoniacus non eſt qui pecuniam alicoi confert ut peccet, ſic nec ſtrictè ſimoniacus eſt qui pecuniam alicui dat ut omittat actum virtutis; niſi omiſſio hæc vel procedat à principio ſpirituali, ut à juriſdictione, vel terminetur ad aliquid ſpirituale, ut ad Ordines aut Beneficia, ut ſuprà diximus.

Obj. 3. Simonia mala eſt, & ubique reprobata; atqui malum non eſt commutare temporale cum ſpirituali; ergo ſimooiæ ratio non conſiſtit in hâc commutatione, nec proinde valet allata definitio.

Prob. min. Quod ſine peccato in antiquâ lege factum eſt, & etiamnum fit in nova, malum cenſeri non poteſt: atqui commutatio temporalis cum ſpirituali, ſine peccato fiebat in antiquâ lege &c. Nam 1. Judæi ut aliquid diſcerent à Prophetis, iiſdem munera deferebant, ut patet ex Lib. 1. Reg. c. 9. ergo uſus doni Prophetiæ gratuitus non erat. 2. hodie taxantur pretia cuilibet officio ſacro reſpondentia, & palam celebrantur contractus in quibus pro tali ſumma tot Miſſæ celebrari, tot preces fundi debent: unde damnata eſt à Concilio Conſtant. Seſſ. 8. hæc Wiclefi propoſitio: *Simoniaci ſunt qui ſe obligant orare pro aliis, qui eis in temporalibus ſubveniunt.* 3. diſpenſationes in Curiâ Romanâ gratis non conceduntur, ſicut nec proviſiones, pro quibus obtinendis ſolvendæ ſunt Annatæ, quæ pluris aut minoris ſolvuntur prout Beneficium pinguius eſt vel magis tenue. 4. Synodus Tridentin. Seſſ. 21. cap. 3. *De reform.* ſtatuit *in Eccleſiis tam Cathedralibus quàm Collegiatis... certam partem fructuum... in diſtributiones quotidianas converti, ne ſcilicet quâ in parte minuatur divinus cultus, ſed ei debitum omnibus in rebus obſequium præſtetur.* Atqui ſtatutum hoc impium foret, ſi non liceret Canonico officiis intereſſe propter ſpem lucri, orare autem inteodendo lucrum quid aliud quæſo eſt, quàm temporale cum ſpirituali commutare? ergo.

Reſp. neg. primam & ſecundam minorem; quia verò allatæ confirmationes fuſiori indigent explicatione, ideo ſeorſim examinandæ ſunt.

Ad primam: munera quæ Prophetis deferebantur, neque ut prophetiæ pretium, neque ut ejuſdem obtinendæ motivum, ſed ut venerationis ſignum exhibebantur. Quod dixerat Deus Exod. 23. v. 15. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*, ad Principes, Prophetas, alioſque Primates, ex receptâ temporis hujus conſuetudine extendebatur, adeo ut eos ſine muneribus inviſere, durum & inurbanum cenſeretur; & is uſus etiamnum viget apud Syros, quos qui ſine donis aliquibus ſalutat, contemnere creditur. Et verò tanta erat hujuſce ævi ſimplicitas, ut ad Reges ipſos panes aliquot honeſtè afferrentur, quod patet ex 1. Reg. c. 16. v. 20. ergo ex eo quòd Prophetæ cum muneribus inviſerentur, nihil contra nos colligi poteſt. Quòd ſi Prophetæ propter doni à Deo accepti exercitium, temporale aliquid recepiſſent, haud dubium eſt quin ſimoniæ vitium incurriſſent: hinc Deus de iis acerbè conqueritur qui propter pecuniam divinabant, ut videre eſt Micheæ 3. & Ezech. 22. Cæterum probari non poteſt Samuelem aliquid de facto recepiſſe à Saul, idque negat S. Hieron. in cap. 3. Mich.

Ad ſecundam, diſt. Taxantur pretia tanquam *ſtipendium neceſſitatis*, conc. tanquam *pretium mercedis*, neg. ſolutio eſt S. Thom. Itaque certum eſt ex Apoſt. 1. Cor. 9. quòd *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere*; unde iterum Rom. 15. *Si ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis.* Quæ ergo miniſtris Eccleſiæ præbentur, non ſunt puræ eleemoſynæ, ſed *ſtipendia ſanctis laboribus debita*, ut loquitur Concilium Agathenſe Can. 26. Et ratio eſt, quia pura eleemoſyna datur miſericorditer intuitu paupertatis, abſque ullo onere, niſi quod pauper jure naturali teneatur eſſe gratus & Deum precari pro benefactore; quæ verò præbentur Eccleſiæ minoiſtris, non dantur, aut ſaltem non purè dantur intuitu paupertatis, ſed ratione officii quod faciunt. Ergò cùm ii qui laborant, mercede ſuâ digni ſint, poſſunt eam exigere ab iis pro quibus laborant, atque etiam interponere Superioris authoritatem, ut quod ſibi debitum eſt obtineant ab illis qui ſolvere poſſent & nollent; quapropter ut vitentur lites in hiſce materiis ſemper odioſæ, prudenti conſilio factum eſt ut ſtipendia quæ aliquando leviora offeruntur à populis, & pinguiora exiguntur à miniſtris, taxentur ab Epiſcopis, aut mutuo partium conſenſu conſtituantur. Cæterùm notandum eſt cum Sylvio, ſuſtentationem *Sylv. p. 710.* hanc nunquam exigendam eſſe per ſpiritualium ſubtractionem, quia *expreſſius exprimit venditionis ſpeciem qui prius recipit pretium, quàm rem conferat pretioſam*, ex c. 36. *De ſimon.*

Ad 3. Quod ſpectat ad diſpenſationes, dico cum Cabaſſutio Lib. 5. theor. & prax. c. 6. num. 6. nihil poſſe exigi vel dari in pretium diſpenſationis, nec ſummo ipſi Pontifici, cum diſpenſatio ſit actus Eccleſiaſticæ & ſpiritualis poteſtatis, quæ non poteſt citra ſimoniam juri divino oppoſitam pecunia compenſari. Poteſt tamen Papa juſtis de cauſis aliquid petere. 1. in ſuſtentationem, & ad ſuſtinenda ſtatûs ſui onera, quod nec jure divino prohibetur, nec Eccleſiaſtico reſpectu Papæ: pro-

ſectò qui toti Eccleſiæ præeſt & ſervit, exigere poteſt ut Fideles omnes in id quod primo Paſtori neceſſarium eſt contribuendum conſpirent: tributum autem quod requiri poterat, iis præcipuè ac meritò impoſitum eſt qui diſpenſationes petunt; quia diſpenſationes, utpote odioſæ, debuerunt reddi oneroſæ petentibus, ne facilitas eas obtinendi, majorem tribueret eas importunè petendi licentiam. 2. quia diſpenſationes ſupponunt vel culpam (ut patet in irregularitatibus ex delicto) cujus pœna in aliam pœnam pecuniariam meritò commutatur; vel vulnus quod Canonibus infligitur, ut cùm contrahitur matrimonium in gradibus prohibitis. Quis porrò arguat quòd plaga hæc compenſetur pecuniâ in uſus pios impendendâ, qualiter à Pontifice impendi debet.

V. Suarem ſup. §. 9.

Sed notandum ea quæ mox dicta fuêre, non eſſe ad Epiſcopos extendenda; obſtat enim Synodus Tridentina, quæ Seſſ. 21. c. 1. *De reform.* ſic loquitur: *Nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis Tonſuræ, nec pro litteris dimiſſoriis aut teſtimonialibus; nec pro ſigillo, nec alia quacunque de causâ, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi & alii Ordinum Collatores, aut eorum miniſtri quovis prætextu accipiant*; quibus conſonat Edictum Bleſenſe Henrici III. anni 579. Idem habetur de diſpenſationibus quas Patres ejuſdem Concilii *gratis* concedendas eſſe decernunt Seſſ. 25. c. 18. Verum hac voce *gratis*, non vetat Synodus ne iis quibus indulgetur diſpenſatio, imponetur onus erogandi eleemoſynam pauperibus vel Eccleſiæ, ut notat Cabaſutius. Vid. Pontas v. *Secretaire*, & v. *Simonie* caſ. 58. & 59. in quorum ultimo probat eos qui pro faciendo Curatorum examine aliquid *ante* vel *poſt accipiunt*, aut dant, incurrere *vitium ſimoniæ à quâ abſolvi nequeant, niſi dimiſſis Beneficiis, quæ quomodocunque etiam antea obtinebant*, adeo ut etiam *ad alia in poſterum inhabiles reddantur*. Verba ſunt Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 18.

Quod ſpectat ad Annatas quæ ex fructibus primi anni Beneficiorum vacantium percipiuntur, & quarum originem revocant alii ad * Joan. XXII. ob caput 11. *De Præbendis* Extrav. commun. alii ad Bonifac. IX. anno 1392. certum eſt acriter pugnatum fuiſſe contra eas in Concilio Baſileenſi Seſſ. 21. quæ anno 1435. habita eſt, & cujus Decretum inſertum eſt Pragmaticæ Sanctioni Caroli VII. anno 1438. Agnoverunt tamen ſaniores quicunque Theologi exactionem hanc ex rei naturâ illicitam non eſſe, ſi nempe fiat in ſubſidium honeſtæ ſuſtentationis, atque in pios uſus.

* Obiit an. 1334.

Prob. 1. quia non minus debent Epiſcopi Annatas ſupremo novæ legis Pontifici, quàm Legis antiquæ Sacerdotes decimas decimarum ſummo Legis ejuſdem Pontifici: atqui decimas illas jure divino debebant Sacerdotes antiqui; ergo cùm omnibus curam animarum habentibus decimæ debeantur, majori jure debebuntur Pontifici Romano, cui Eccleſiarum omnium cura incumbit, poſito quòd iis ad earundem Eccleſiarum regimen indigeat. Ita Cardinalis de Alliaco, Cabaſutius, & alii communiter.

Num. 18. v. 26. &c.

Cabaſ. l. 5. c. 3.

Prob. 2. Poteſt Papa ſuper proventibus Dignitatum & Beneficiorum, id quod poſſunt inferiores Epiſcopi ſuper Diœceſis ſuæ Beneficiis, titulo *cathedratici*, ut ajunt, ſeu *charitativi* ſubſidii; aut etiam pro fundando & erigendo Seminario: atqui poſſunt Epiſcopi hiſce de cauſis & titulis aliquid è ſingulis Diœceſis ſuæ Beneficiis decerpere, prout ipſis licitum eſt, tum ſacris Canonibus, tum Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 18. *De reform.*

Prob. 3. Non peccat Papa ſi conferendo alicui Beneficium, fructuum ejus partem reſervet Clerico indigenti, idque per ſingulos annos; imò nec peccaret, ait Flor. * Decoq, ſi horumce fructuum partem aſſignaret Regibus aut Principibus ob Eccleſiæ defenſionem: quare ergo peccet ſi ob eandem Eccleſiæ defenſionem, aliiſque juſtis de cauſis, aliquos è Beneficiis fructus ſibimetipſi applicet? Et verò quis credat tot Pontifices ſcientia, pietate, amore paupertatis conſpicuos, quorum aliqui Sanctorum faſtis aſcripti ſunt, alii aſcribi merentur, immani ſimoniæ vitio ſe contaminaſſe, quod fœdè ſupponit & probare nititur nuperus author Tractatus de Annatis toto Articulo 5.

* De jure &c. p. 791.

CAPUT SECUNDUM.

De diviſione Simoniæ.

Dividitur 1. in mentalem, realem, & conventionalem. *Mentalis* duplex eſt; alia *purè mentalis*, quæ abſolvitur in ſolâ voluntate, & ad actum exteriorem non tranſit: de iſtâ non agimus in præſenti, ut benè notat Suares c. 41. alia *non purè mentalis*, quæ exterius quidem perficitur & conſummatur, ſed abſque pacto ſeu expreſſo, ſeu etiam tacito & implicito; ut ſi quis munus aliquod aut ſervitium impendat ut Beneficium aſſequatur, & intentionem hanc aliter non manifeſtet. Poſterior hæc ſimoniæ ſpecies intelligi ſolet nomine ſimoniæ mentalis; eaq; meliùs diceretur ſimonia occulta, quàm mentalis quia reipsâ realis eſt, nec in ſolâ voluntate ſiſtit: ſive autem committatur ex parte unius ſolùm, v. g. dantis aliquid, ſive tam ex parte accipientis quàm ex parte dantis, eo ipſo quo mentalis eſt, committitur abſque pacto ullo & conventione. Simonia *conventionalis*, eſt venditio vel emptio rei ſpiritualis cum pacto tacito, vel expreſſo, ſed reali executione nondum utrimque completâ. Si conventio ſolùm peracta ſit, nihilque prorſus traditum aut receptum, ſimonia dicitur *purè conventionalis*; ſi verò ex una parte aliquid datum ſit, putà ſi traditum ſit pretium temporale, ſed nondum tradita res ſpiritualis, aut contra ſi res ſpiritualis tradita ſit, nondum tradito pretio temporali, dicitur ſimonia *conventionalis mixta*, vel *ſemirealis*. Simonia realis, eſt pactum pretii temporalis utrimque completum ſaltem ex parte, ut ſi datum ſit Beneficium pro centum nummis, ſive ex toto, ſive ſaltem ex parte perſolutis. Cenſeretur ſimoniam compleviſſe, qui licet nullam pecuniæ partem ſolviſſet, tradidiſſet inſtrumentum aut chirographum, quo ſe ad eam ſolvendam obſtringeret.

Sed quid ſi quis daret chirographum, ſine animo ſolvendi poſtea?

℞. Probabilius eſt eum tunc Simoniacum fore, quia adhoc ſufficere videtur ut tradere velit aliquid vi cujus deinceps obligari poſſit ad ſolvendum, ſive ſolvere intendat, ſive non; ſed qui chyrographum dat, vi illius obligari poteſt ad ſolvendum. Et certè traditio chyrographi oneroſa eſt, variiſque obnoxia periculis; atque ut talis cenſeri poteſt æſtimabilis pretio, ut notat Suares c. 42.

Confirm. Quia, ut notat Pontas v. *Simonie*, caſ. 5. Simoniacus eſt ille omnis qui per viam temporalis, pervenit ad ſpirituale: ſed qui promittit pecuniam, etiam ſine chyrographo, & intentione eam ſolvendi, pervenit ad ſpirituale mediante temporali, nempe promiſſione ſuâ; ergo.

Dividitur 2. in eam quæ prohibita eſt, quia mala, ſeu quæ pugnat contra jus naturale & divinum; & eam quæ mala non eſt, niſi quia prohibita, & hæc pugnat duntaxat contra jus Eccleſiaſticum.

Prima

Prima ea eſt quam in Articulo præcedenti definivimus, ſeu ipſa eſt venditio rei ſpiritualis quâ talis, ut ſi chriſma carius venderetur, quia conſecratum eſt. Secunda vix aliter quàm per exempla definiri poteſt, eſtque vel diſpoſitio de Beneficio abſque Superioris authoritate, vel venditio rei temporalis quâ talis, ſed habens ſimoniæ ſpeciem, ob ſuam cum re ſpirituali conjunctionem remotam aut proximam, & ideo ab Eccleſiâ prohibita. In hancce ſimoniam incidunt 1. qui permutant Beneficia ſine Superioris authoritate. 2. qui vendunt officia Oeconomi Eccleſiæ, Advocati, & alia quæ licet per ſe temporalia ſint, quia tamen ordinantur ad adminiſtrationem bonorum Eccleſiæ, ob hanc quandam cum ſpiritualibus connexionem, vendi prohibentur. 3. qui vendunt chriſma conſideratum ratione ſolius materiæ; hæc enim licet pretio æſtimabilis ſit, & ſecluſâ Eccleſiæ prohibitione tam poſſet vendi quam calix conſecratus, tamen prohibetur vendi, ne ipſa benedictio vendi videatur. *Cap. 8. De ſimon.*

Cæterum non deſunt Theologi, qui diviſionem hanc non admittant. 1. quia omnis ſimonia debet eſſe contra religionem; ſed ſimonia quæ eſt tantùm contra prohibitionem Eccleſiæ non eſt contra religionem: in talibus enim tota malitiæ ratio eſt præceptum; præcepti autem violatio conſtituit quidem inobedientiam, non verò irreligionem. 2. res quæ vendi prohibentur, vel eſt ſacra, vel non: ſi ſacra, jam venditio ejus non poſitivo ſolum, ſed etiam naturali jure prohibita eſt; ſi non ſacra: venditio ejus quantumvis jure humano prohibita, non erit vera ſimonia, quia prohibitio hæc rerum naturam non mutat, nec efficit ut res prophana ſit ſacra, aut ut res quæ ſacra non eſt, ſit materia ſimoniæ. Ita Durandus.

Prædicta tamen diviſio ab aliis vulgò Theologis retinetur; quia, inquiunt, Eccleſia facere poteſt ut res alias ex naturâ ſuâ vendibilia, vendi non poſſit ob reverentiam debitam rei ſacræ cui conjungitur: atqui hujuſcè rei venditio, poſt Eccleſiæ prohibitionem, peccatum erit non ſolùm contra obedientiam, ſed etiam contra religionem: quemadmodum comeſtio carnium in die jejunii, peccatum eſt non inobedientiæ ſolùm, ſed etiam intemperantiæ; & tactus calicis in Laico, non obedientiæ tantum, ſed etiam religioni adverſatur; imò plùs religioni quam obedientiæ, quia tranſgreſſio legis poſitivæ non eſt formaliter inobedientia, niſi fiat ex formali præcepti aut legiſlatoris contemptu, ut notat Suares hic cap. 7. n. 9. Hinc ſolvitur primum Durandi fundamentum.

Ad 2. res ab Eccleſiâ vendi prohibita non eſt quidem ſacra per ſe; ſed in ſuâ connexione cum re ſacrâ, fundamentum habet propter quod interveniente Eccleſiæ præcepto, conſiderari debet cum certâ ad rem ſacram habitudine, quam qui non conſiderat, peccat etiam contra religionem.

Dividitur 3. in ſimoniam ſimpliciter, de quâ hactenus, & ſimoniam confidentiæ; nihil enim aliud eſt *confidentia*, quam ſimonia conventionalis miata, quâ quis confert aut procurat Beneficium alteri cum pacto tacito vel expreſſo, quòd ille qui accipit, illud idem poſtea reſignaturus ſit, ſeu ipſi qui contulit, ſeu alteri cuilibet, aut penſionem aliquam ſine legitimâ authoritate conſtitutam ſoluturus ſit.

Dicitur 1. *conventionalis*, ut diſtinguatur tum à mentali, tum à reali, & oſtendatur confidentiarios incurrere pœnas jure expreſſas, quamvis conventio ex unâ tantum parte impleta fuerit, datum v. g. Beneficium, & nondum ei reſignatum cui reſignandum eſſe confiditur.

Dicta 2. *mixta*, pura enim conventio nullâ ex parte impleta, non ſufficeret ad incurrendas juris pœnas. Conventio igitur ex parte impleri debet, nempe Beneficii traditione.

Dicitur 3. *cum pacto &c.* nam ex dictis confidentia eſt ſimonia conventionalis: atqui nulla eſt ſimonia conventionalis ſine pacto; ergo confidentia pactum ſaltem tacitum includit. Hinc confidentiæ reus non eſt qui ſine ullo pacto dat Beneficium Titio, confidens Titium eidem Beneficio in favorem tertii renuntiaturum eſſe, ſi fortè ad aliud v. g. ad Epiſcopatum promoveatur. Pariter à confidentiâ, imo & à peccato immunis eſt qui accepto Canonicatu, Beneficium quod antè poſſidebat abdicat in manu præſentatoris quem precatur ut illud nepoti ſuo conferat; quia preces ſi bonâ fide fiant, pactum nullum involvunt, & plenam Patrono relinquunt libertatem conferendi Beneficium cui voluerit. V. Pontas *Confidence*, caſ. 9.

Sed quid, ſi Petrus Beneficium reſignet Mævio, cum obligatione ejuſdem vel alterius conferendi nepoti Petri, & Mævius reſignationem acceptet, abſque eo quòd directè aut indirectè conditionem acceptet, imò cum verâ intentione conditionem hanc non implendi?

Diviſi ſunt Theologi. Cenſent multi cum Navarro & Cabaſſutio, L. 5. c. 8. n. 15. nullam hic eſſe confidentiam, eamque agendi rationem ſemper teneri potuiſſe, quia ſic impeditur ſimonia quæ ab alio minus ſcrupuloſo committeretur. Alii tamen exiſtimant veram hic reperiri confidentiam, aut ſaltem magnum ejus periculum. 1. quia reſignatarius dum tacet conſentire videtur, præſertim in caſu citato, in quo contra propoſitionem adeo perniicioſam inſurgere tenetur. 2. quia Pius V. in Bullâ 85. ſtatuit, *ut ſi quis quacunque authoritate... Beneficium eccleſiaſticum qualecunque ex reſignatione, vel ceſſione cujuſcunque perſonæ... etiam ſolâ dimittentis intentione receperit, hæc confidentia cenſeatur*. Et infra, *licet ipſum confidentiæ crimen, alterius tantum partis conſcientiâ ſit admiſſum*. Hæc autem verba naturaliter & ut ſonant intellecta, oſtendunt ad confidentiam ſufficere malam unius partis intentionem alteri parti cognitam, ejuſque ſilentio quaſi approbatam.

Dicitur 4. *confert aut procurat Beneficium*, quæ verba oſtendunt 1. confidentiam poſſe reperiri non in præſentationibus ſolum aut collationibus, ſed etiam in reſignationibus & electionibus. 2. eandem non habere locum niſi in Beneficiis: unde confidentiarius non eſt, qui conſentit ut Beneficio quod jam poſſidet, penſio imponatur, præmiſſo pacto quòd penſionarius poſt aliquod annos v. g. abſoluto ſtudiorum curſu, illam transferet in tertium, quia penſio Beneficium non eſt. Ita Habert.

Dicitur 5. *ut qui Beneficium accipit, idem reſignet*. Hac occaſione quæritur an Titius qui Canonicatum ſuo pinguiorem poſtulat à Capitulo, hunc acceptare poſſit cum pacto ſuum remittendi in manus Capituli, affirmant Sambovius & Pontas ibid. caſ. 7. & contendunt nullam hic occurrere confidentiæ ſpeciem, quia Titius id ſolum promittit ad quod jam tenebatur, cum duos Canonicatus ſimul poſſidere non poſſit. Sicut ergo ſi exigeret Capitulum ut Titius Officiis omnibus intereſſet, pactio hæc confidentialis cenſeri non poſſet, quia Capitulum non exigeret, niſi quod ſibi jure naturali debitum eſt ſic à pari in caſu propoſito. Verum quidem eſt eum qui promittit ſe Beneficio ſuo renuntiaturum in manibus Capituli, exuere ſe jure idem Beneficium reſignandi *in favorem*: ſed hoc non obſtat:

tum quia Capitulum id ſolùm perit quod ad ſe utpote patronum naturaliter pertinet; tum quia magis expedir conſcientiæ Titii, ut onus virum dignum eligendi Capitulo toti committat, quàm ut illud ipſum in ſe ſuſcipiendo, exponat ſe iniquæ perſonarum acceptioni. Hactenus citati Caſuiſtæ, quorum opinio, ut in praxi teneatur, ſupponit Titio moraliter conſtare futurum ut Beneficium quo ſe exuit, nonniſi digno conferatur.

Dicitur 6. *idem* Beneficium; quæ vox ut intelligatur, ſciendum eſt confidentiam quatuor modis committi, acceſſu nimirum, regreſſu, ingreſſu, & ſtipulatione penſionis. *Acceſſus* eſt quando is qui ad Beneficii proviſionem concurrit eligendo, præſentando, aut confirmando, confidit ex inito pacto idem Beneficium ſibi vel alteri cùm idoneus fuerit, reſignatum iri. *Regreſſus*, eſt cùm quis eâ conditione reſignat, ut reſignatarius ſibi vel alteri Beneficium idem coovenienti tempore redditurus ſit. In Galliâ tamen obtinuit uſus, ut qui in infirmitate poſitus Beneficium reſignavit, in idem regrediatur recuperatâ valetudine. Ita judicatur in Parlamentis, non autem in Magno Conſilio. Vid. Drapier, Tom. 2. c. 19. *Ingreſſus*, eſt cùm quis Beneficium ſibi collatum, & nondum poſſeſſum, reſignat eo pacto, ut illud poſtea ingrediatur, ſi reſignatarium in mortem vergere, aut meliori Beneficio donari contigerit. *Stipulatio penſionis*, eſt cùm is qui Beneficium recipit, ſpondet ſe ex ejuſdem fructibus ſoluturum eſſe penſionem conferenti, reſignanti, aut alii ex eorum voluntate. *Omnes ex iiſdem Beneficiis penſiones ſine Summi Pontificis authoritate paciſcentes, aut percipientes ſe Simoniacos eſſe... intelligant*, ait Concil. Bituric. tit. 41. *De Simoniacis, &c.*

Ex his colliges cum Haberto, Tract. *De relig.* c. 8. §. 2. ſimoniam non eſſe confidentialem, ſed conventionalem tantum, 1. quando quis reſignat aut permutat Beneficium eâ conditione, quòd reſignatarius, aut compermutatarius, aliud Beneficium quod poſſidet, dimiſſurus ſit in favorem tertii; quia ad confidentiam requiritur, ut acceſſus, ingreſſus, & regreſſus ſint in idem Beneficium: tunc autem non eſt acceſſus in idem, ſed in aliud ut ſupponitur. 2. cùm præſentans, eligens, & conferens exigunt ut promovendus, promiſſum temporale refundat in remunerationem, niſi per illud temporale intelligantur fructus Beneficii, ad cujus proviſionem concurrerunt; aliàs omnis ſimonia foret confidentialis, quod tamen falſum eſt, cùm Pius IV. & Pius V. omnem confidentiam ad quatuor caſus recenſitos reſtringant. Et hoc, pergit idem Theologus, maximè notandum eſt, quia pœnæ in confidentiarios ſancitæ, graviores ſunt quàm quæ in alias Simoniacorum ſpecies decernuntur; eo quòd confidentia licet malum ſimoniâ minus, plures in Eccleſiam abuſus invehat.

CAPUT TERTIUM.

De gravitate Simoniæ.

DUo hic quæruntur. 1. quale peccatum ſit ſimonia. 2. an hujuſce peccati reus ſit qui dat munus temporale, non ut pretium rei ſpiritualis, ſed ut motivum, & quaſi irritamentum, quo v.g. Beneficii Collator moveatur ad ejus collationem; aut qui ſe obligat ad dandum temporale pro ſpirituali, non quidem ex juſtitiâ, ſed ex gratitudine.

Dico 1. ſimonia peccatum eſt inter gravia graviſſimum.

Prob. 1. quia ſtatim ac Simon ſuam de emendo Spiritu ſancto intentionem Apoſtolis expoſuit, his, quaſi fulgure, ſancti Petri verbis perculſus eſt: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſideri.... in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe*: atqui verba hæc grande ſcelus ſupponunt. Act. 8.

Prob. 2. ex Canonibus. Gelaſius Papa relatus 1. q. 1. cap. 6. *Dantem*, inquit, *& accipientem damnatio Simonis involvit.* Paſchalis relatus 1. q. 2. c. ult. *Patet*, inquit, *Simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos ab omnibus Fidelibus reſpuendos... omnia enim crimina ad comparationem ſimoniacæ hæreſis quaſi pro nihilo reputantur.* Idem eſt ſtylus aliorum Canonum, à quibus ſimonia vocatur *execrabile flagitium, flagitium piaculare &c.*

Prob. 3. Vitium juri naturali, divino, humano, religionique oppoſitum, pro grandi crimine haberi debet: atqui ſimonia adverſatur 1. juri naturali. Jus enim naturæ vetat ne ea vendantur quæ ſunt invendibilia, & quorum venditor dominus non eſt, nec à domino accepit poteſtatem vendendi: atqui ſpiritualia & ſpiritualibus annexa ſunt hujuſmodi, ut evidens eſt. 2. repugnat juri divino, & voluntati Dei, qui Matth. 10. dixit: *Gratis accepiſtis, gratis date*; quæ verba jam ab Apoſtolorum temporibus arctum continere præceptum judicata ſunt. 3. repugnat juri humano, tum Eccleſiaſtico tum civili, ut patet tum ex titulis *De ſimoniâ* in Jure Canonico contentis, tum ex Regum noſtrorum Edictis, ac præcipuè ex Pragmaticâ Sanctione S. Ludovici, & Caroli VII. 4. demum idem ſcelus religioni oppoſitum eſt in ratione ſacrilegii, cùm per ipſum ſanctiſſima quæque prophanè, irreverenter & indignè pertractentur; ergo.

Quæres an in ſimoniâ detur parvitas materiæ.

℞. negat. parvitas enim materiæ reperiretur vel ex parte rei ſpiritualis, vel ex parte pretii pro eâ dati. Non ex primo capite, quia res ſpiritualis quæcunque ea ſit tam alti eſt ordinis, ut indigna ejus contrectatio, magna cenſeri debeat: non ex altero capite, quia è contra quo vilius offertur pro re ſpirituali pretium, eo magis contemni cenſetur, adeoque gravior eſt quæ in eam committitur irreverentia.

Verum quidem eſt quòd cap. 18 *De ſimoniâ*, minutiora munera gratis data ſupponuntur: ſed hoc mera eſt præſumptio, quæ in minutioribus magis quàm in majoribus donis locum habet; aliunde enim ut magna ſic & minora dona ſimoniaco animo oblata aut recepta, ſimoniæ materiam conſtituunt. Ut autem intelligatur quandonam adſit animus ille ſimoniacus,

Dico 2. ut quis ſimoniæ reus ſit, non requiritur ut det aut accipiat temporale tanquam pretium rei ſpiritualis, ſed ſufficit ut det temporale tanquam motivum ejus obtinendæ. Ita veteres Theologi & Canoniſtæ, ut notat Suares.

Prob. 1. Ea ſubtilitas admitti non debet, quâ poſitâ Balaam, Giezi, & ipſe Simon, facilè excuſabuntur à ſimoniâ: atqui poſito quòd tunc ſolùm committatur ſimonia quando datur temporale ut pretium rei ſpiritualis valori commenſuratum, prædicti viri nequam facilè excuſabuntur à ſimoniâ. Quis enim putet Simonem ipſum eo uſque deliraſſe, ut crederet pecuniam quam Apoſtolis offerebat, ejuſdem eſſe pretii cum Spiritu ſancto? Sanè hoc ei unum exprobravit S. Petrus, quòd exiſtimaret *donum Dei pecuniâ poſſideri*. An non autem æquè poſſediſſet, ſi pecuniam dediſſet ut motivum quo Apoſtolos flecteret, quàm ſi eandem obtuliſſet inſtar pretii. Difficilè pariter oſtendi poteſt Giezi à

Naaman

Naamen munera accepiſſe alio quam graturæ compenſationis titulo; unde non eum increpavit Elizeus quaſi pecuniam ut pretium miraculoſæ curationis accepiſſet: *Sed accepiſti.* inquit, *argentum, & accepiſti veſtes.... & lepra Naamen adhærebit tibi.* 4. Reg. 5.

Prob. 2. Ea opinio procul rejicienda eſt, quæ ſi ſemel admittatur, jam nemo, ſi modò rudis & omnino hæbes non fuerit, in ſimoniam incidet: atqui ſi ſemel admittatur opinio noſtræ oppoſita.... Ecquis enim non fugiet ſimoniam, dum pecuniam quâ Beneficia comparabit, non ut pretium Beneficiorum dabit, ſed ut motivum quo Patronos aut alios ad eorum collationem inducat?

Prob. 3. quia canones ſimpliciter prohibuerunt ne quis ad Ordines, ad Beneficia &c. mediante pecuniâ aſcenderet; neque eos unquam à cenſuris ſuis exemerunt qui pecuniam non ut pretium, ſed ut motivum darent. Cap. 34. *De ſimoniâ*: *Simonia committitur*, inquit, *quando aliquis offert bona ſua alicui Eccleſiæ, ut in Canonicum admittatur, etiamſi ſine pacto, vel conditione qualibet offerat, ſi is qui talem donationem facit, ea intentione ducatur ut per temporalia bona quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci.* Sed qui pecuniam dat ut motivum, eâ intentione ducitur, ut per temporalia bona, ſpiritualia comparet; ergo.

Confirm. *Chalcedonenſe Concilium condemnat eos, qui Eccleſiæ Beneficium interventu pecuniæ acquirunt.* Ita Alexander II. 1. q. 3. cap. 9. ſed qui pecuniam dant ut motivum. Beneficia indubiè acquirunt pecuniæ interventu; ergo.

Prob. 4. quia Innocentius XI. & Clerus Gallicanus anno 1700 damnarunt hanc propoſitionem, *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale; vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.* Præiverat Facultas Pariſ. jam ab anno 1658. *Hæc propoſitio*, a bat *eſt falſa, temeraria perniciosa, ſcandaloſa, aditum aperiens ad ſimoniam quamcunque*,

Prob. 5. Qui dat munus Judici ut motivum ad obtinendam ſententiam iniquam, dicitur emere juſtitiam, & Judex qui propter hæc munera jus dicit, dicitur vendere juſtitiam, quia nempe dat unum loco alterius: ergo à pari qui dat temporale ut alium moveat ad collationem Beneficii, emit virtualiter Beneficium; & qui eâ de causâ confert, virtualiter vendit.

Ex his colliges enim ſimoniæ reum eſſe 1. qui Magnatis aut Miniſtri domum ingreditur principaliter ut Abbatiam obtineat. 2. qui conſanguineo Præbendam confert *ut magnificetur per hoc, & nobilitetur domus ſua, vel quod ipſe in conſanguineis ſit fortior.* Ita ſanctus Thomas. Secus *ſi conferat gratis propter conſanguinitatem, vel quamcunque carnalem affectionem*; tunc enim *eſt quidem illicita & carnalis collatio, non tamen ſimoniaca quia nihil ibi accipitur.* Ita idem S. Doctor hic a 5. ad 2. 3. idem dicit S. Doctor de eo qui *dat Beneficium Eccleſiaſticum alicui hoc pacto, vel intentione ut exinde ſuis conſanguineis provideat*, aut certam pauperibus ſummam eroget; id enim, ait eſt, *manifeſta ſimonia.* 4. & id etiam dicendum de iis qui Tonſuram, Ordineſve ſuſcipiunt *ut Beneficium conſequantur*, ii enim ſimoniam committunt ſaltem mentalem; verba ſunt Fagnani apud Pontas caſ. 15. 5. *Clericus qui vadit ad Eccleſiam principaliter propter retributiones quas recipit tanquam finem ſui operis, committit ſimoniam.* Ita ſanctus Thomas quodlib. 5. a. 21. & quodlib. 8. q. 6. a. 11. 6. imò

Pontas caſ. 7.

In 4. diſt. 25. q. 3. a. 3.

2. 2. q. 100. a. 5.

reus eſt ſimoniæ qui in aliquâ Diœceſi ſpirituales exercet functiones, ut Canonicatum, aut aliquam Dignitatem aſſequi poſſit: *Qui* enim, ait S. Bernardus, Lib. *De vita & morib. Clericorum* cap. 5. *evangelizat ut manducet, perverſo nimis ordine cæleſtibus terrena mercatur.* Qui tamen primariâ intentione Dei gloriam & Eccleſiæ obſequium, ſecundariâ verò Beneficium quæreret, non eſſet peccati reus juxta Pontas ibid. caſ. 8. quæ opinio, licet communis, impugnatur à Decoq. p. 73c. quem conſule. 7. hæ propoſitiones quas aliqui cum Navarro approbant, *Memor ero Beneficii quod mihi confers, ero gratus, ſuo tempore gratias agam*, periculi plenæ ſunt, & ab iis penitus eſt abſtinendum: cum enim omnes avaritiæ ſtudeant, & munera excæcent oculos etiam ſapientum, difficile eſt ut eæ futuræ gratitudinis promiſſiones non moveant & determinent Collatorem. Et verò quare fiunt, niſi ut moveant; An non promiſſio novam parit obligationem fidelitatis quæ pretio æſtimabilis eſt? An non ſi non detur id de quo conventum eſt, quæritur alter tanquam de injuriâ ſibi factâ, & fide non ſervatâ?

Obj. 1. Non magis ſimoniæ accuſari poteſt qui ut Beneficium impetret dat aliquid Collatori, ut eum ad Beneficii collationem moveat & provocet, modò illud emere non intendat, quam ſimoniæ reus dici poſſit qui pauperibus ſtipem erogat ut ipſorum preces impetret, ſi non intendat preces emere, ſed duntaxat pauperum animos ad eas fundendas per beneficium gratuitum commovere: atqui poſterior ſimoniæ reus dici non poteſt, ut notat S. Thomas q. 100. a. 3. ad 3.

Reſp. neg. maj. qui enim dat pauperi eleemoſynam ut ejus precibus adjuvetur, earum excellentiæ non derogat, & ſequitur ordinem divinæ providentiæ, quæ vult ut pauperes ſpiritualem eleemoſynam iis impendant, à quibus corporalem recipiunt. Qui verò muneribus Beneficium comparant, divinæ providentiæ ordinem abjiciunt, ut ſatis patet, & beneficii ſpiritualis excellentiæ derogant, cum in hoc Beneficio nonniſi honorem aut emolumentum conſiderent.

Obj. 2. Temporale pro ſpirituali acceptum vel datum per modum gratitudinis, non continet ſimoniam ex Innoc. III. cap. 30. *De ſimon. Illud*, inquit, *gratanter recipi poterit, quod fuerit ſine taxatione pretii gratis oblatum*? ergo tunc ſolum committitur ſimonia, cum datur vel accipitur aliquid per modum pretii.

℞. neg. conſeq. etſi enim illud quod omnino gratis datur, ſimoniam non contineat, illud tamen eſt & cenſeri debet ſimoniacum, quod datur vel accipitur titulo oneroſo, ſeu non penitus gratuito: atqui quod datur eo fine & conditione ut Beneficium ab alio obtineatur, uſque adeo non datur gratis, ut ſecluſâ Beneficii expectatione non daretur; ergo gratis non datur.

At, inquies, datur ſine taxatione pretii, quod ex Innoc. III. ſufficit; ergo gratis datur.

Reſp. diſt. datur ſine taxatione pretii rigoroſè ſumptâ, conc. ſine taxatione pretii latè ſumptâ, ſcilicet pro eo omni quod in causâ eſſe poteſt cur Beneficium gratis non donetur, nego. Porrò ut tollatur ſimonia, neceſſe eſt juxta Innoc. III. ut removeatur omnis intentio aſſequendi ſpirituale per temporale; quod ipſe ibidem cap. 34. disertè indicat his verbis, *Qui abſque pacto vel conditione*, ac proinde ſine pretii taxatione rigoroſa, *bona ſua offert Eccleſiæ, rogans humiliter ut in Canonicum admittatur.... ſi ea intentione ducatur, ut per temporalia bona quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci, apud diſtrictum Judicem* culpabilis judicatur.

CAPUT QUARTUM.

De cauſis Simoniæ.

SImoniæ cauſas , de quibus præcipua movetur quæſtio, ad duas revocamus, efficientem ſcilicet, & materialem. Cauſa efficiens, quæ etiam à veteribus dicitur materia *in quâ*, eſt ſubjectum committendæ ſimoniæ capax. Cauſa materialis, ſeu materia *circa quam*, duplex eſt : una *proxima*, venditio ſcilicet & emptio ; alia *remota* , eaque vel eſt pretium *quo* emitur, vel ipſa res ſpiritualis *qua* emitur; & hæc rursùs vel ex rei naturâ, vel ſolùm ob Eccleſiæ prohibitionem vendi, aut commutari non poteſt. De his ſeorſim diſſerendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De ſubjecto Simoniæ.

EXtra dubium eſt ſimoniam committi. 1. ab iis qui dant & accipiunt temporale pro ſpirituali, quod facere poſſunt omnes *cujuſcunque ſtatûs, gradûs, ordinis, conditionis vel præeminentiæ fuerint*, ut habetur c. 2. *De ſimon.* inter Extravag. commun. 2. ab eorum mediatoribus, qui idcirco in eâdem Extravag. excommunicationis ſententiâ feriuntur , *à quâ niſi à Romano Pontifice non poſſint abſolvi præterquam in mortis articulo.* 3. & utcumque ab iis qui *pro officii ſui loco contra ſimoniacam hæreſim vehementer non exarſerint*, ut habetur 1. q. 1. cap. 5. Præcipua difficultas eſt, an Papa ſimoniam, & qualem poſſit incurrere , pro cujus ſolutione.

Dico 1. S. Pontifex incurrere poteſt ſimoniam jure naturali & divino prohibitam. Ita omnes, ut notat Suareſius, cap. 52.

Prob. Quia Pontifex, ſicut & cæteri, juri naturali & divino ſubditus eſt; ergo ſi contra jus illud ageret, ut agere poteſt quatenus homo ; ſi v. g. venderet Sacramenta ; ſi Agnos Dei, vel Grana benedicta majori venderet pretio quàm valeant ratione materiæ, & ſolùm propter conſecrationem, non minùs Simoniacus foret quàm *quilibet alius homo* , ut docet S. Thom. hic a. 1. ad 7.

Dico 2. probabilius videtur Papam incurrere poſſe ſimoniam juris humani , exigendo v. g. pecuniam pro Officiis per Eccleſiæ leges vendi prohibitis.

Probant vulgò, 1. quia Princeps jure naturali tenetur eam ſequi legem quam aliis impoſuit, ſi nempe ratio legis æquè in utriſque locum habeat. Hinc illud Catonis quod approbat Innoc. III. cap. 6. *De Conſtitutionibus. Patere legem quam ipſe tuleris* ; ergo peccabit Papa, ſi leges ab Eccleſiâ latas tranſgrediatur ; nec peccabit peccato ſolùm ſcandali, ut aliqui cenſent , ſed vero ſimoniæ peccato : quemadmodum ſi præceptum Eccleſiæ de ſervando per Quadrageſimam jejunio violaret, non ſcandali ſolùm , ſed etiam intemperantiæ reum ſe conſtitueret.

2. Quia Papa non eſt niſi diſpenſator in legibus ſapienter conſtitutis ; ergo ſi ſine rationabili causâ ſecum diſpenſet, diſpenſatio hæc non impedit quominus verè cenſeri debeat legum Eccleſiæ tranſgreſſor , ac proinde Simoniacus, ſi eas contemnat quibus prohibetur ſimonia. Sed hæc pendent ex Tractatu de Legibus.

Hic quædam annotare ſolent Theologi. 1. ſummum Pontificem in rebus Eccleſiaſtico jure prohibitis, facilè vitare poſſe ſimoniæ vitium ; ſive quia ſecum facilè diſpenſare poteſt ; ſive quia præcipuæ leges quæ ſimoniam poſitivam prohibent , vix ad Papam ſpectare poſſunt. Eas enim inter leges eæ primas tenent quæ permutationes Beneficiorum, & renunciationes ſub conditione, modo, aut cum penſione fieri prohibent , ſine Papæ conſenſu ; ergo ex ipſâ legis formâ patet eam non obligare Pontificem, ſed inferiores ſolùm qui tales circa Beneficiorum permutationem contractus celebrant : quòd ſi ſine ſufficienti causâ hujuſmodi contrahentibus faveat Papa, non ideo Simoniacus erit , ſed infidelis & iniquus diſpenſator. Ita Suares ſup. n. 5.

2. Eumdem Papam, ſive ſimoniam jure divino , ſive poſitivo ſolùm prohibitam exerceat , non incurrere pœnas de jure Eccleſiaſtico Simoniacis impoſitas, v.g. excommunicationem ; quia, inquiunt , legiſlator etſi legibus ſuis quoad vim directivam ſubjaceat , iiſdem non ſubjacet quoad coactivam. Ita Decoq & Wiggers, qui addit quòd ſi pœnæ aliquæ per modum pœnitentiæ contra Simoniacos ſtatutæ eſſent , eas ſicut & alii ſubire deberet Pontifex, ſi fortè tam ipſi quàm aliis convenirent.

3. Docent in Curiâ Romanâ , id eſt ab Officialibus Papæ, committi poſſe ſicut alibi ſimoniam jure divino & Eccleſiaſtico prohibitam. De ſimonia jure divino prohibitâ nulla eſt difficultas ; de eâ verò quæ jure ſolùm poſitivo proſcribitur , dubitant aliqui, quando ſciente & diſſimulante Pontifice exercetur , quia tunc videtur tacitè diſpenſare : ea tamen taciturnitas, juxta Suarem & alios , non ſufficit ut credatur Pontifex diſpenſare ; tum quia fieri poteſt ut Papæ ſilentium ſit negligentiæ effectus , neque enim permittebat Heli id quod non arguebat ; tum quia non ſemper expedit ut Superior pœnas omnes exequatur ; ergo ex Pontificis taciturnitate , diſpenſatio colligi non poteſt niſi diuturno tempore ſilentium ſervet ; quia lex quæ ſciente & diu diſſimulante legiſlatore infringitur , cenſetur per deſuetudinem abrogari.

ARTICULUS II.

De materiâ proximâ ſimoniæ, ubi de cauſis à ſimoniâ excuſantibus.

EX iis quæ ſupra diximus , ſatis patet materiam proximam ſimoniæ eſſe venditionem vel emptionem, quibus nominibus intelligitur contractus quilibet, ſive nominatus, ſive innominatus, quo datur aliquid temporale , ut viciſſim detur ſpirituale. In hâc autem materiâ dat temporale, qui ipſum remittit ; & dat ſpirituale, qui ſpirituali renunciat, unde accedente pacto Simoniacus eſt. Major difficultas in eo eſt ut dignoſcatur, an ſimonia toties committatur, quoties occaſione ſpiritualis datur vel accipitur temporale. Porrò ſex recenſeri ſolent tituli qui in hocce caſu à labe ſimoniacâ excuſant : ii verò ſunt , juxta Bonacin. hic diſp. 1. q. 6. 1. liberalitas ſeu gratitudo. 2. ſtipendium & debita ſuſtentatio. 3. labor. 4. amiſſio commodi temporalis , quo quis ſe privat faciendo opus ſpirituale. 4. conſuetudo legitima. 6. redemptio vexationis iniquæ.

1. Quidem gratuita donatio à ſimoniâ excuſat. Ratio eſt, quia quod omnino gratis datur , nec datur per modum pretii, nec ea intentione ut is cui fit donum temporale , ad alterius doni refuſionem accendatur. Sed illud cautè ponderandum eſt , ſub hoc gratuitæ donationis titulo ſæpe ſæpius latitare & involvi ſimoniam , dum id quod gratis dati dicitur , plerumque vix alia quàm obtinendi beneficii intentione datur, aut datur ex pacto ; cùm

tamen

tamen pactum ex naturâ ſua onus ſeu obligationem fidelitatis & juſtitiæ imponet, ac proinde gratuitæ donationis naturam evertat. Adde quòd ſæpe contingat ut obligatio antidoralis ſeu gratitudinis per pactum reſtringatur; hæc autem reſtrictio ad aliquod determinatum, eſt pretio æſtimabilis, tollitque gratitudinem quæ eſt generalis. Ex quibus ſequitur ſimoniacas eſſe has conventiones quas excuſat Bonacina: Do tibi gratis pecuniam, * ut ex gratitudine mihi conferas Beneficium, & viciſſim. Neque verò tam expreſſa conventio requiritur, ſed ſufficit tacita, quam ſemper adfuiſſe præſumet Confeſſarius, cum pœnitens dans pecuniam, & ſperans Beneficium vel aliquid ſimile, exigit, vel etiam verbis, nutibus, aut ſignis alterum hortatur, ut ſuo tempore gratum ſe & memorem præbeat: quinimò abſque hujuſmodi petitionibus explicitis aut implicitis, ſimonia mentalis committetur, modò adſit vera intentio alliciendi animum alterius ad Beneficii collationem. Cæterum facilius præſumitur ſimoniaca intentio. 1. ſi aliquid diviti aut Superiori ſpondeatur, aut detur à paupere vel inferiore; ii enim non ita facilè liberales eſſe ſolent. 2. ſi res data vel promiſſa, talis ſit momenti, ut communiter dari non ſoleat gratuitò. 3. ſi quod datur, detur tempore neceſſitatis.

* Per pecuniam intelligitur omne illud cujus pretium poteſt pecuniâ æſtimari. S. Thom. hic a. 2.

2. excuſat titulus ſtipendii & legitimæ ſuſtentationis. *Quis enim militat ſuis ſtipendiis unquam?...* *Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* 1. Cor. 9. Hinc culpa carent ſive Fideles qui Eccleſiæ miniſtris temporalia bona largiuntur, ſive miniſtri qui Chriſti & Apoſtolorum exemplo pias oblationes, vel alia ſtipendia ex conſuetudine, vel Eccleſiæ legibus accipiunt. Hic tamen ſub ſtipendii prætextu ſæpe latet ſimonia, vel aliquid inſtar ſimoniæ prohibitum. Sic 1. vetat cap. 42. *De ſimonia*, ne Clerici *pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, & ſimilibus* pecuniam exigant & extorqueant, iis nempe modis qui Eccleſiæ miniſtros dedecent, v. g. denegando ſpiritualia, donec vel numerata ſit pecunia, vel de ea numeranda cautio data fuerit, quod juxta S. Thomam hic art. 3. venditionis, adeoque & ſimoniæ ſpeciem habet. Sic 2. juxta multos, qui plus exigit ſtipendii quam ſibi verè debitum ſit non injuſtitiæ ſolùm, ſed & ſimoniæ reus eſt; quia quod ſtipendii locum non habet, non alio accipi videtur titulo quam in pretium ſpiritualis miniſterii: atque licet dicat quis ſe non habere intentionem vendendi, in ipſo tamen uſu & exercitio contrarium profitetur, quod ad ſimoniam ſufficit. Idem dicendum de iis qui de novo ſtipendio paciſcuntur pro functionibus ad quas jam ex officio tenentur. An autem Sacerdos qui habet aliunde unde vivat, aliquid recipere poſſit, diſputatur. Negat Azorius 3. p. l. 12. c. 3. affirmat Suares & alii plures, tum quia nemo etiam dives, ſuis ſtipendiis militat, tum quia ſtipendium illud ex natura rei debetur.

Vid. Suar. n. 46. & 47.

3. excuſat labor: ſed labor ille duplex eſt, alius eſt actioni ſpirituali intrinſecus, ut fatigatio neceſſaria ad concionem, aut celebrationem Miſſæ; alius extrinſecus, ſine quo opus fieri poteſt, ut celebratio vel concio facienda in loco admodum remoto. Labor intrinſecus nunquam vendi poteſt ſine ſimonia, ut ſentiunt communiter Theologi 1. quia cùm Chriſtus præcepit ut ſpiritualia gratis darentur, præcipit etiam ut gratis daretur id ſine quo ſpiritualia dari non poſſunt 2. quia labor ad aliquam actionem neceſſarius, in unum cum ea opus coaleſcit, & ſic ejuſdem fit cum ipſa conditionis: quid enim aliud eſt labor in celebranda Miſſa intrinſecè neceſſarius, quam recitatio orationum, oblatio, conſecratio, & alia ejuſdem generis quæ ſunt ipſa Miſſa; ergo cùm Miſſa ſine immani ſacrilegio vendi non poſſit, nec labor eidem intrinſecè neceſſarius vendi poteſt. 3. quia etiamſi labor ille præcederet opus ſpirituale, nullam tamen æſtimationem habet, niſi ratione operis ſpiritualis ad quod ordinatur: hinc ſtudium & præparatio ad concionem, ſeorſim vendi non poſſunt; verùm labor extrinſecus ſeorſim pretio æſtimari & vendi poteſt. Sic Sacerdos qui ut Miſſam celebret, longius iter peragere debet: pœnam hanc compenſare poteſt; idem de eo dicendum qui tali horâ graviter incommodat, celebrare non tenetur.

Multi hic proponuntur caſus, circa quos ſcinduntur Theologi. Quæritur v. g. 1. an Concionator qui plus accipit, quia magnâ animi & vocis contentione prædicat, ideoque defatigatur, ſimoniam committat. 2. an habenda ſit ratio defatigationis quæ ex conditione perſonæ oritur, puta ſi ſit ſenex, infirma, delicatæ complexionis. 3. an Sacerdos qui Miſſam canit, poſſit vendere aliquid de labore Miſſæ illius, ſive ratione temporis aut moræ, ſive ratione cantus. Affirmat Bonacina; negant melius Suares c. 21 & alii cum ipſo; atque hoc tutius eſſe, & in praxi ſequendum fatetur ipſe Bonacina. Et verò quod neceſſarium eſt ad tale miniſterium, prout ab hominibus moraliter exerceri poteſt, conſtituit partem ipſiuſmet miniſterii, nec proinde ſeorſim ab illo computari debet; præſertim cum Eccleſia pro hiſce functionibus concedat ſtipendium conveniens penſatis omnibus pœnis ad eaſdem functiones neceſſariis; adeoque majus cum plus laboratur, v. g. cùm prædicatur Paſſio Domini per tres horas, quam cùm dicitur concio horæ mediæ; non quòd vendatur major labor, ſed quia æquum eſt, ut qui plus *laborant, maximè in verbo & doctrina, duplici honore digni habeantur*; id eſt, ampliorem recipiant mercedem ſuſtentationis, ut notat Decoq. pag. 379. 1. Timo. 5

4. Excuſat à ſimonia ſicut ab uſura lucrum ceſſans & damnum emergens: hinc ſimoniæ labem non contrahit, qui accipit pecuniam, non quidem ut alteri Beneficium procuret, ſed ut ſuum compenſet laborem in ſcribendo, iter agendo &c. hæc enim pretio ſunt æſtimabilia. In his tamen laboris ſolius, non autem Beneficii habenda eſt ratio, nec penſandus laboris ſucceſſus, aut Beneficii pinguedo; quia tunc pretium pro Beneficio traderetur, quatenus labor non in ſe ſed ratione Beneficii æſtimaretur, quod ſimoniacum eſt; unde fatentur Doctores ſimoniam committi ab eo qui tradit alteri pecuniam, eumve promiſſis aut muneribus impellit, ut pro ſe Beneficium à Rege, aliove Collatore poſtulet; quia tunc *muneris interventu ſpiritualia aſſequitur*, quod nunquam licet. Et verò ſi is qui pecunia corruptus Beneficium alteri obtinet, inter mediatores ſimoniæ numerari debeat; qui eum corrupit, à ſimonia immunis cenſeri non poteſt. V. Pontas hic caſ. 68. & Suarem c. 53. n. 12. Decoq. p. 741. S. Thom. hic a. 6.

5. Excuſat conſuetudo legitima & laudabilis, qualis reputatur non ea quæ ab exactione, aliiſve ſimilibus principiis originem duxit, ſed quæ ex pietate & liberalitate populorum nata; quod enim ex tali conſuetudine datur, non in pretium rei ſpiritualis datur, ſed per modum oblationis & ſtipendii. Hic duo notanda ſunt. 1. nulla eſt conſuetudo quæ excuſet à ſimonia jure naturali prohibita; quia nulla eſt conſuetudo quæ Dei aut naturæ leges abrogare poſſit. 2. etſi fieri poſſit ut ſimonia

jure

jure poſitivo inducta, tollatur conſuetudine, quia leges humanas non uſu, vel uſu contrario antiquari poſſe certum eſt; id tamen non temerè & facilè præſumendum eſt, ſed videndum quid ſentiant Confeſſarii, Doctores, Prælati, & præſertim quid ferat Curiæ Romanæ ſtylus.

Quæres quid ſentiendum de conſuetudine juxta quam quædam Capitula à novis canonicis exigunt vel munera quædam, ut chirothecas, vel certam pecuniæ ſummam, quæ vernaculè vocari ſolet *Drois de Chappe*.

℞. conſuetudinem exigendi pecuniam à novis Canonicis, ſeverè à Concilio Trid. Seſſ. 24. c. 14. prohibitam fuiſſe, ut quæ ſuſpicionem habeat *ſimoniaca labis, aut ſordida avaritiæ*; ibique præceptum Epiſcopis ut exactiones illas fieri non permittant, niſi *pios in uſus* ſint convertendæ. Quod ſpectat ad chirothecas, & alia ejuſdem generis munuſcula & xenia, ſacra Congregatio Cardinalium declaravit fas non eſſe ea recipere aut diſtribuere; præſertim quia non videntur ſponte offerri, ſed *jure conſuetudinis cogente*, ut loquitur Proſper Fagnan in cap. *Tua nos. De ſimon.* n. 38. Unde, inquit, *non mirum ſi ea conſuetudo a Concilio.*, *& Conſtitutione Pii V. ſublata fuerit.* Idem ſentiunt Pontas v. *Simonie*, caſ. 28. & 35. Habert, juxta quem Canonicus à quo munera hæc iniquè extorquentur, non poteſt in conſcientiâ ea largiri, ne peccatis alienis communicet; ſed recurrere ad Epiſcopum aut ſaltem Magiſtratum, qui non patietur Rempublicam iniquis iis vexationibus turbari.

6. Excuſat redemptio injuſtæ vexationis quam ſcilicet patiuntur ii qui vi aut aliâ iniquitate impediuntur à conſecutione boni ſpiritualis in quo jus habent; ii enim ſi pecuniâ aut muneribus ab hâc vexatione ſe redimant, à peccato immunes ſunt. Ratio eſt, quia non tradunt temporale pro ſpirituali, quod jam verè ipſorum eſt; ſed pro liberatione ab injuriâ & ceſſatione vexationis, quæ eſt aliquid temporale. Sed hic quædam cavenda ſunt. 1. ne res quæ ad iniquæ vexationis redemptionem traditur, ſit ſpiritualis; ſi quis enim in pingui Beneficio vexetur, & tenue vexatori tradat aut promittat, Simoniacus eſt, quia dat ſpirituale pro temporali. 2. ne vexatio quæ redimitur, juſta ſit, aut ſaltem probabilis, ut cùm quis juſtè, vel ſaltem probabiliter impetitur: tunc enim pecunia non tam dari videtur pro ipsâ vexationis ceſſatione, quam pro re ſpirituali, ad quam moraliter loquendo mediante pecuniâ pervenitur. Ita S. Antonin. 2. p. t. 1. c. 4. Et verò non licet pecuniæ ope facere, ut jus adhuc infirmum, firmum evadat. 3. ne redemptio ab iis fieri præſumatur qui non habent *jus in re*, ſed ſolum *jus ad rem*; quæ conditio graviter eſt ponderanda: inde enim ſequitur eum qui à Patrono nominatus eſt ad Beneficium, cujus inſtitutio ei iniquè denegatur, Simoniacum eſſe ſi vexationem hanc pecuniâ redimat, quia ſola inſtitutio canonica tribuit jus in re; à fortiori ſimoniæ reus eſt, qui ut Collatoris conſanguineum ſibi ex infenſo amicum reddat, eidem munera offert, ne diutius Collatorem à conferendo ſibi Beneficio avertat.

Hæc autem noſtra deciſio prob. 1º ex cap. 23. *De ſimoniâ*, ubi cùm aliquis ad Eccleſiæ regimen ex conſenſu majoris Canonicorum numeri electus fuiſſet, & uni eorum qui contradicebant datum fuiſſet munus ut à contradicendo abſtineret, interrogatus Lucius III. an qui ſic electus fuerat, *à labe ſimoniæ prorſus immunis* foret, his reſpondet verbis S. Pontifex: *Multum tibi conſulis, ſi adminiſtrationem celeriter ac ſponte dimittas*; ergo qui non habet jus in re ad Beneficium, Simoniacus eſt ſi ut vexationem redimat, munera offerat, aut in ſui gratiam ab alio offerri permittat. Quod enim objiciunt aliqui vocem hanc, *conſulis*, quaſi merum conſilium, non præceptum importet, nullius omnino eſt momenti: hâc enim voce utebatur Lucius, quia de peccato occulto agebatur, de quo non judicat Eccleſia; cæterum uſque adeo cenſebat ille Pontifex Beneficium ſic comparatum neceſſariò dimitti debere, ut indicet eum qui ſic electus erat, *niſi renunciet, ſalvari non poſſe*. Ita Gloſſa, & id evidens eſt ex verbis ſequentibus.

Prob. 2. ex S. Thoma hic 2. 2. ad 5. *Antequam*, inquit, *acquiratur alicui jus in Epiſcopatu, vel quacunque Dignitate, vel Prebenda per electionem, vel proviſionem, ſeu collationem, ſimoniacum eſſet adverſantium obſtacula redimere; ſic enim per pecuniam pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam: ſed poſtquam jus alicui acquiſitum eſt, licet per pecuniam injuſta impedimenta removere.* Idem docent S. Antoninus ubi ſupra, Rebuffus, Cabaſut. l. 5. c. 3. n. 8. Pontas ibid. 8. caſ. 29. & ſeq.

4. Cavendum eſt ne ablatio vexationis ſit collatio boni ſpiritualis, quia ut hæc emi non poteſt, ſic nec illa tunc redimi poſſet. Hinc ſi electus ſim ad Beneficium, & Epiſcopus injuſtè mihi confirmationem deneget, vexationem hanc redimere non licet; quia in hoc caſu remotio vexationis nihil aliud eſt quam confirmatio, quæ cum ſit actus ſpiritualis, emi non poteſt. Ita Suarez cap. 50. in Bonacina: unde contra eundem Bonacinam, De- *Bonac. ubi ſup. punct. 4.*
coq. p. 752. & alios quoſdam infero non licere largiri pecuniam Sacerdoti qui alicui in extremâ neceſſitate conſtituto Baptiſmum conferre non vult, niſi ſibi detur pecunia: nam pecuniam dare pro removendâ hâc injuſtitiâ, eſt eam, dare pro ipsâ Baptiſmi collatione; cùm tota alterius iniquitas conſiſtat in injuſta Baptiſmi denegatione, quæ nonniſi per ipſam collationem negationi iſti oppoſitam removetur. Atque ideo S. Thomas q. 100. a. 2. ad 1. *In caſu neceſſitatis*, inquit, *quilibet poteſt baptiſare. Et quia nullo modo eſt peccandum, pro eodem eſt habendum ſi Sacerdos abſque pretio baptizare non velit, ac ſi non eſſet qui baptizaret. Unde ille qui gerit curam pueri, licitè poteſt eum baptiſare, vel a quocunque alio facere baptiſari.* Idem docent Henricus à S. Ignat. Tom. 2. Lib. 10. cap. 58. & Nat. Alexander Tom. 2. fol. Theol. moral. p. 5 a. Quòd ſi ageretur de adulto qui ad alium recurrere non poſſet, deberet potius abſque Baptiſmo mori, quam eum mediante pecuniâ comparare; quia quod ex Sacramento deeſſet, per Flaminis Baptiſmum ſuppleretur. Poſſet tamen licitè emi aqua à Sacerdote quia aqua merum eſt elementum; poſſet etiam, ut opinor, emi cognitio verborum quæ in Baptiſmatis adminiſtratione proferri debent, ſicut pretio emi poteſt Theologiæ cognitio, quia hæc omnia docere non eſt functio per ſe ſpiritualis. Pari ratione dari poteſt pecunia electoribus, ne hæreticum aut aliter indignum eligant; ſed ſecus dicendū ſi pecunia eo fine tradatur ut omiſſio indigno vel minus digno, eligatur dignior ſaltem in particulari, de quo vide Bonacin. hic punct. 5. n. 12. & Suar. c. 50. n. 36. Licitum etiam pecuniam dare Tyranno, Judæo, vel Hæretico, ne Euchariſtiam aut Reliquias conculcent, quia non emitur earum cultus ut ſic, ſed vindicatur & redimitur injuſta vexatio.

5. In re tam periculosa recurrendum eſt ad Superiorem, ſi ad eum pateat acceſſus. Ita cenſent graves Theologi, & ſic ſtatuerat S. Carolus Borromæus, prohibens ne quis ipſo inconſulto redimeret

mereret injuſtam vexationem ; tùm quia ſæpe injuſta videtur quæ juſta eſt ; tùm quia Superior ut pater communis potetit litem componere, & ſic omnem ſimoniæ ſuſpicionem removere.

ARTICULUS III.

De munere Simoniaco.

PRetium, ſeu munus ſimoniacum, eſt illud quod pro re ſpirituali traditur, eſtque triplex ex S. Gregorio Hom. 4. in Evang. Nam *aliud eſt munus ab obſequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua.*

Munus ab obſequio eſt ſubjectio indebitè impenſa; ſive eſt quodlibet opus indebitum & temporale præſtitum aut præſtandum in commodum aut utilitatem alterius, ſub pacto expreſſo vel implicito, aut cum intentione acquirendæ alicujus rei ſpiritualis. Hinc Simoniaci ſunt, 1. qui Magnatum pueros ad litteras informant, ut eorum favore Beneficium conſequantur. 2. qui Vicario generali, Sacellano, vel filio Advocati Beneficium donant, ut extinguatur ſtipendium quod alioqui ſolvere tenerentur. 3. qui præſentant aliquem ad Beneficium cum pacto ut Miſſas in fundatione præſcriptas certo die, & tali horâ celebret, cùm ex Beneficii titulo locus & tempus celebrandi, Beneficiarii libertati permittantur. Ratio eſt, quia in his omnibus promittitur, datur, aut exigitur aliquid pretio æſtimabile; aut obligatur libertas, cujus obligatio pretium habet. Et verò qui hæc exigeret in materiâ mutui cenſeretur uſurarius; ergo in materiâ præſenti cenſeri debet Simoniacus.

Dixi, *opus quodlibet*, ut comprehenderem tùm illud quod honeſtum eſt, tùm etiam turpe. Dixi etiam, *opus indebitum*, quia ſi obſequium temporale quod exigitur ab eo, cui confertur Beneficium aut res ſpiritualis, annexum ſit Beneficio aut rei ſpirituali, exigi poteſt ſine ſimoniâ. Hinc qui dat Beneficium inſtitutum ut cantetur in Choro, aut ut doceatur Theologia, cum onere hæc præſtandi, ſimoniæ incuſari non poteſt; ſecùs ſi hoc onus de novo imponeretur abſque Superioris authoritate. An autem poſſit Epiſcopus conferre Beneficium alicui cum pacto ut ſibi ſolvatur ſumma debita, controvertunt Theologi. Alii affirmant, modò non anticipetur ſolutio: tùm quia non imponitur novum onus debitori; tùm quia ſi Epiſcopus dare poſſit Beneficium Clerico pauperi ut inde vivat, & ſolvat id quod aliis creditoribus debet; quidni id poſſit, ſi ipſe ſit creditor? Ita Suarez c. 37. n. 18. Alii tamen negant, quia in hac materiâ pactum omne reprobatur à jure ut ſimoniacum; certè melius eſt ac tutius ab hiſce pactis abſtinere ob errandi periculum.

Dixi inſuper, *pretium temporale*, quia ſeclusâ Eccleſiæ prohibitione non committitur ſimonia ab eo qui tradit ſpirituale cum onere præſtandi aliud opus ſpirituale: ut ſi Sacerdos pro alio Sacerdote celebret cum onere ut alter pro ſe aliâ die celebret; aut ſi Epiſcopus Beneficium alicui conferat, ut zelum ejus & officia populis impenſa recognoſcat & compenſet, juxta id Apoſt. 1. ad Tim. 3. *Qui benè miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent.* Unde S. Thomas hic art. 5. *Dicendum quod ſi aliquis Clericus alicui Prælato impendat obſequium honeſtum & ad ſpiritualia ordinatum; ... ex ipſâ devotione obſequii redditur dignus Eccleſiaſtico Beneficio, ſicut & propter alia bona opera, unde non intelligitur eſſe munus ab obſequio.* Iis tamen qui ſpiritualiter in Diœceſibus laborant, ſummopere cavendum eſt ne principaliter beneficiorum obtentionem intendant, alioqui enim, ut ipſe docet S. Thomas quodl. 5. & 8. *ſimoniam committunt, & ita mortaliter peccant.* Sup. p. 40 Cæterùm etſi obligari ex pacto ad obſequium ſpirituale pro ſpirituali, non ſit jure naturæ prohibitum, eſt tamen penè ſemper prohibitum Eccleſiaſtico, ut probat Suarez c. 32. n. 12. & ex dicendis patebit.

Munus à manu pecunia eſt: per pecuniam autem intelligitur quælibet res externa pretio æſtimabilis, ſive mobilis, ſive immobilis, ſive corporalis, ſive incorporalis, atque etiam ejus privatio, vel promiſſio & obligatio. Unde munus à manu dare cenſetur 1. qui Patrono aut Collatori debitum aut penſionem remittit; qui enim remittit, moraliter donat, & cui remittitur, accipit, ex Lege 2. ff. *De calumniat.* Unde qui ut in Canonicum eligatur, promittit Canonicis electoribus ſe remiſſurum dimidiam Præbendæ partem; aut qui volens in Parochum nominari, ſpondet ſe decimas remiſſurum, Simoniacus haberi debet. Imò non ſolùm qui propria debita, ſed etiam qui debita Eccleſiæ, vel rapinas remittere promittit, ſi Epiſcopus fiat, Simoniacus eſt, quia cenſetur aliena rapere ad donandum, & ita munus à manu confert, licet de re alienâ. Pariter juxta Suarem Simoniacus eſt qui alii ex bonis ſuis titulum conſtituit receptâ promiſſione quòd nihil exiget; aut qui bona tradit Eccleſiæ cum pacto ut in ipsâ recipiatur in Canonicum, aut qui Capellam fundat cum intentione ut ipſa ſibi conferatur, quod etiam docet Pontas hic caſ. 25. 2. munus à manu dari cenſendi ſunt qui Beneficium accipiunt ſub conditione pecuniæ mutuo dandæ, quia onus mutuum dandi temporale eſt, & interdum reputatur grave, de quo vid. Suarem cap. 38. n. 7. aut ſub conditione ut ſibi concedatur dilatio ſolutionis debiti, aut è converſo ut anticipetur ſolutio: quia dilatio ſolutionis, vel ejuſdem anticipatio continent commodum temporale, & mutuo virtuali æquivalent. 3. ejuſdem ſceleris rei ſunt qui ſolvunt expenſas à reſignante factas in conſecutione Beneficii; qui ſuſcipiunt in ſe onus reſtaurandi domum paſtoralem; qui ex pacto emunt domum & ſupellectilem reſignantis, utpote ei jam inutilem; qui debita ejus ſolvunt; qui ſpondent ſe à Patrono decimas petituros non eſſe. Idem dicendum de eo qui ſtatûs clericalis pertæſus reſignat Beneficium fratri puellæ, ut eam faciliùs in uxorem ducat, ut in reſignatario adjutorem habeat &c. Ita Habert cum aliis: & ratio eſt, quia hæc omnia pretio ſunt æſtimabilia; adeoque ſi ex pacto fiant à ſimoniaca labe excuſari non poſſunt. 4. munus à manu dat, non ſolùm qui Beneficium accipit ſub pacto ſolvendæ penſionis, (hic de penſionibus non dico, in quibus intervenit Sedis Apoſtolicæ approbatio) ſive ex beneficio, ſive aliunde, ſive Collatori, ſive alii cuilibet; ſed etiam Epiſcopus qui dando beneficium cujus fructus ante donationem non percipiebat, reſervat ſibi vel conſanguineo partem fructuum vel penſionem, exigens prius conſenſum & acceptationem ab eo cui beneficium præbet. Ita Innocentius III. cap. unic. *Ut Eccleſiaſtica Beneficia &c.* Vide omnino Suarem cap. 38. n. 10. 5. nomine muneris à manu, intelligi poteſt omne donum quod jure poſitivo prohibitum eſt dari pro re ſpirituali: quo ſenſu beneficium pro alio beneficio ſine Superioris authoritate datum, eſt munus à manu. Ita idem Suares.

Munus à linguâ eſt favor, id eſt laus, commendatio, adulatio, preces & ſimilia quæ ex vi pacti expreſſi vel taciti linguâ exerceri ſolent in favorem illius

illius qui rem ſpiritualem confert. Hinc Simoniacus eſt, tum ille qui dat Beneficium alteri, ut ejus pater Regi de ſe benè loquatur; tum ille qui in Concionibus & in Pœnitentiæ tribunali Magnatibus adulatur, ut inde aliquid temporalis commodi reportet, imò qui ſimpliciter prædicat, ut hominum laudes & ſuffragia promereatur, de quo vide Moralem Gratianop. tom. 2. p. 460. tum ii qui ad amicorum aut potentum preces Beneficium conferunt, ut eos ſibi devinctos habeant; nam humanum favorem & gratiam habere apud Magnates, eſt pretio æſtimabile. Ut quædam ſolvantur difficultates huc pertinentes,

Quæres 1. an qui precibus pro alio porrectis motus Beneficium confert, ſit Simoniacus, & quando.

℞. 1. Collator ille Simoniacus eſt, ſi intendens aliquem ſibi obligare, promittat ſe Beneficium ei collaturum eſſe, ſi ab eo petatur. Ratio eſt, tum quia ibi eſt pactum quod ſaltem jure canonico in Beneficiis prohibitum eſt; tum quia Collator ille per hujus Beneficii promiſſionem negotiatur favorem temporalem alterius, quæritque eum ſibi obligatum habere: qui verò Beneficium deſiderat, efficit ut alter ſe Collatori ſubmittat eum precando, quod ex omni parte eſt pretio æſtimabile. Ita Suares cap. 40. n. 13. Bonac. ibid.

℞. 2 ſecluſâ hac aut ſimili intentione, non eſſe Simoniacum eum qui ad alicujus preces Beneficium concedit, potiſſimum ſi digno & capaci concedat; quia, ut alibi diximus, preces ſumptæ ut nuda petitio, non impediunt ne id quod datur, gratis detur, nec ex ſe ordinantur ad honorem ejus qui rogatur, ſed potiùs in utilitatem rogantis. Ita Decoq pag. 726. Et certè exaudire petentem Beneficium pro eo qui de Eccleſiâ benè merebitur, per ſe bonum eſt, ut notat Suares ibid. n. 7. Sup. p. 411.

Quòd ſi preces fiant pro indigno, tunc juxta S. Thomam alibi citatum, *factum eſt ſimoniacum*; quia cùm Collator non moveatur ex dignitate perſonæ cui Beneficium confert, indicium eſt eum moveri favore humano, & receptione vel ſpe rei alicujus pretio æſtimabilis. Fatendum tamen eſt S. Thomam loqui potiùs de ſimoniâ præſumptâ, quam de ſimoniâ quæ ſemper & neceſſariò occurrat: ſi enim preces pro indigno fuſæ ſimoniam conſtituant, eædem pro digno fuſæ ſimoniam conſtituerent; ſicut munus à manu non minùs pro digno quàm pro indigno ſimoniam facit, quia malitia ſimoniæ non ex qualitate perſonæ cui confertur Beneficium, ſed ex modo Beneficium obtinendi proficiſcitur.

Cæterùm, etſi Simoniaci non ſint qui certis in circumſtantiis pro ſe Beneficium petunt, ſive per ſe, ſive per amicos potentes quos ad idem poſtulandom precibus inducunt, fatendum eſt petitionem hanc aliquid includere quod non ita benè ſonat. Unde S. Bernardus Lib. 4 *De Conſid.* ad Eugenium IV. *Conſilio*, inquit, *non prece agendum eſt... pro quo rogaris ſit ſuſpectus. Qui ipſe rogat pro ſe, jam judicatus eſt: nec intereſt per ſe, an per alium roget.* Vide Tract. *De Beneſic.* pag. 360. & Suarem ſup. n. 7.

Quæres 2. an qui confert ſpirituale ex metu, ſeu ex precibus armatis, ut loquuntur alii, Simoniacus ſit.

℞. Affirmant multi apud Suarem c. 37. n. 9. quia dans Beneficium ex metu temporalis mali, intendit vitationem ejuſdem mali: ſed vitare malum illud, eſt aliquid pretio æſtimabile, fuga enim mali quoddam eſt bonum temporale; ergo.

Alii tamen cum Suare, Soto, Decoq p. 727. negant hic ullam eſſe ſimoniæ labem. 1. quia qui bonum ſpirituale confert ex metu, etſi minùs voluntariè illud conferat, nihil tamen temporale recipit ab eo qui ſibi metum incutit, nam vitare malum, non eſt quoddam bonum illius qui malum minatur; ergo qui ejus occaſione ſpirituale confert, non permutat illud ſpirituale cum bono alterius temporali; adeoque etſi vitatio mali ſit aliquid pretio æſtimabile, quia tamen hæc ab alio non accipitur, ideo ſimoniam inducere non poteſt. 2. ſi quis ex timore oret, confiteatur, celebret, abſolvat, non eſt Simoniacus; ergo nec Simoniacus erit ſi ex eodem metu conferat ſpirituale.

Si tamen timor mali reſolvatur in aliquod commodum temporale, v. g. ſi Rex aut Princeps comminetur Epiſcopo, futurum nunquam ut ad ampliorem fortunam deveniat, niſi Titio Presbyteratum conferat; tunc conferendo Simoniacus eſſet, quia non ſolùm iram Principis tollere, ſed etiam ejus favorem venari conaretur.

ARTICULUS QUARTUS.

De materiâ ſpirituali ſimoniæ.

PEr ſpiritualem ſimoniæ materiam, illud intelligimus quod ſimoniacè per pecuniam comparatur, hoc eſt ſpirituale ipſum, & annexum ſpirituali; ſpirituale non ſumitur hic pro incorporeo, unde, ut alibi dictum eſt, poteſt quis abſque ſimonia Theologiam docere pro pecunia: itaque ſpirituale prout eſt ſimoniæ materia, idem eſt cum ſupernaturali. Supernaturale autem vel eſt tale *formaliter* ſeu *per eſſentiam*, ut gratia actualis & habitualis, virtutes infuſæ, dona Spiritûs ſancti, quò etiam ſpectant character & ſimilia; vel *cauſaliter*, ratione ſpiritualis effectûs quem producit, quo ſenſu Sacramenta, ſacramentalia, ſacræ conciones, & alia quæ gratiam pariunt, ſupernaturalia dicuntur; vel *effectivè*, prout eſt effectus à cauſa ſupernaturali proveniens, ſeu efficienter, ſeu finaliter: ſic actus prophetandi ſpiritualis eſt, quia naſcitur ex cauſâ ſpirituali, & ad ſalutem vel fidem Eccleſiæ ordinatur: tales etiam ſunt effectus gratiarum gratis datarum; item benedictiones, uſus juriſdictionis Eccleſiaſticæ, diſpenſationes, facultates excommunicandi, aut abſolvendi à cenſuris, collationes Beneficiorum &c. Atque hæc diviſio, tametſi à Theologis admitti ſoleat, parùm tamen ſolida eſt, quia ferè ſemper contingit ut una eademque res ſit ſupernaturalis tribus modis qui mox recenſiti fuêre: ſic gratia eſt ſupernaturalis, & quoad eſſentiam, & cauſaliter, quia multos ſupernaturales parit effectus, & effectivè, quia producitur à Spiritu ſancto, & plerumque ſupponit meritum de condigno aut de congruo. Idem videris in Euchariſtiâ, quæ profectò non cauſaliter ſolùm, ſed & *in ſe* ſupernaturalis eſt &c. V. Suarez 1. &

Annexum ſpirituali eſt illud quod licet in ſe ſacrum non ſit, fit tamen aliquatenùs ſacrum per ſuam cum rebus ſacris connexionem. Annexum hoc triplex diſtinguitur: aliud eſt enim annexum *antecedenter*, quod ſcilicet prius eſt in ſe, quàm ſpirituale fiat per ſuam cum ſpirituali connexionem: talis eſt fundus cui advenit jus patronatûs quod eſt ſpirituale; item vas, lapis, ædes, balſamum, veſtes, quæ poſtea conſecrari aut benedici contingit. Aliud eſt annexum *concomitanter*, quod nec antecedit, nec ſequitur, ſed comitatur ipſum ſpirituale, ut labor corporis in celebrandâ Miſsâ; & is quidem labor, vel annectitur extrinſecè, ut ſi Miſſa in loco remoto atq; arduo celebranda ſit,

vel

vel intrinſecè, ut labor qui Miſſam communi modo celebratam comitatur. Aliud demum eſt annexum *conſequenter*, quod nempe præſupponit rem ſacram, & per ſuam ab eâ dependentiam, ſpirituale reputatur: ſic temporalia Beneficii emolumenta, ut aliquid ſpirituale cenſentur, quia pendent à causâ ſpirituali, nempe à ſpiritualibus officiis propter quæ inſtituta ſunt, & retribuuntur. Vid. Suar. c. 25. Bonac. diſp. 1. q. 4. §. 11. Etſi porrò explicata ſuperiùs principia penè ſufficiant ad intelligendū quandonam in hiſce materiis committatur ſimonia, ſatius tamen judicavi de his ſigillatim diſſerere cum periculo nimiæ prolixitatis, quàm ab iiſdem abſtinere cum periculo omittendi aliquid quod iis inſervire poſſit quibus itinere tam lubrico gradiendum eſt. Sit igitur

SECTIO PRIMA.

De ſimoniâ in Sacramentis & ſacramentalibus.

PRimum inter ſpiritualia quæ ſimoniæ materia ſunt, locum habet gratia ſanctificans, ſecundum verò Sacramenta. De gratia ſanctificante hoc unum dicemus, quòd licet de jure invendibilis ſit, de facto tamen vendi poteſt, tum in concreto, ut ſi vir juſtus, pluris vendatur præcisè, quia juſtus eſt, non habitâ ratione fidelitatis ejus, ſed ſanctitatis tantùm, tum in abſtracto, ut ſi quis ſimoniacè conferat alteri non conſcio ſimoniæ, characterem & gratiam ſacerdotalem. Unde ſi Judas Chriſtum vendidiſſet habitâ ratione unionis hypoſtaticæ, donorumve ſupernaturalium quæ Chriſto inerant, ſimoniam commiſiſſet; ſicut eam hodie committeret, qui Judæo venderet Euchariſtiam quatenus Verbum divinum continet; imò qui eam ratione ſpecierum venderet, quia ſpecies illæ ſunt res admodum ſacræ.

Suar. s. 10 Et hoc, ait poſt Suarem Bonacina, diſp. 1. q. 4. militat etiamſi non conſideretur niſi valor prioris panis, quia pane per conſecrationem deſinente, deſiit ejus valor. Sed ut hic quædam ſtatuantur regulæ, quæ utpote generales, faciliùs retineantur,

Dico 1. accipere aliquid pro Sacramentis prout conſtant ex materiâ & formâ, vera eſt ſimonia. Ratio eſt, quia Sacramenta ſic ſumpta, ſunt res valdè ſacræ & ſupernaturalis: ſed dare temporale pro re ſacrâ aut ſpirituali eſt ſimonia; ergo.

Dices: Saltem ex conſtanti Eccleſiæ uſu manifeſtum eſt aliquid dari poſſe pro matrimonio; quotidie enim traditur alicui pecunia ut curet Bertham alii in conjugem dari, aut Berthæ ipſi, ut ſuo matrimonio conſentiat.

Reſp. Nihil dari poſſe pro matrimonio prout eſt Sacramentum; *& ideo*, ait S. Thomas, hic a. 2. ad 6. *ſecundùm jura prohibetur, ne pro benedictione nubentium aliquid exigatur.* Sed quia matrimonium eſt *etiam officium naturæ*, cui ſua ſunt onera, ſua commoda, ſuæ in contrahentibus inæqualitates, ideo *licitum eſt* pro eo ſic ſpectato *pecuniam dare*; neque tunc fit commutatio temporalis pro ſpirituali, ſed pro temporali, ut cùm alter contrahentium dives eſt ſed ſenex, alter verò pauper & juvenis; item alter nobilis aut elegantis formæ, alter èconetra: tunc enim evidens eſt non dari pecuniam pro Sacramento, ſed pro defectu naturali qui pecuniâ compenſari ſolet. Idem dic de dote, quæ non pro Sacramento, ſed pro ſuſtinendis matrimonii oneribus traditur; idem de arrhis quæ eo fine dantur, ut avertatur damnum temporale quod alter ex alterius partis mutatione pateretur. Ita Panormitanus & alii apud Suarem c. 10. n. 10. & 11.

Dico 2. Non eſt ſimoniacum vendere id quod in Sacramentis materiæ remotæ locum habere debet. Ratio eſt, quia hæc materia ſecundùm ſe, & ut antecedit actionem ſacram, res eſt naturalis, temporalis, & pretio æſtimabilis, ut patet in pane, vino, aquâ, chriſmate, oleo. An autem peractâ benedictione aut conſecratione, res eædem ſecundùm ſe ſpectatæ, & non habitâ ratione conſecrationis vendi poſſint; an v. g. Sacerdos aut Epiſcopus aliquid accipere poſſint pro aquâ aut chriſmate quo in Baptiſmo aut Confirmatione uſi ſunt, controvertunt Theologi, & fusè expendit Suares cap. 14. ubi docet ſtando in jure naturali hæc vendi poſſe, non minùs quàm vendi poſſint veſtes benedictæ, calix conſecratus, aut templa ſecundùm ſubſtantiam ſpectata. Cavendum tamen ne venditio hæc ab Eccleſiâ prohibita ſit, ut prohibita eſt venditio chriſmatis ſeu olei Catechumenorum & infirmorum cap. *In tantùm* 36. *De ſimonia*, ut notat Natal. Alexand. tom. 2. p. 52.

Dico 3. nihil accipi poteſt pro materiâ proximâ Sacramentorum, v. g. pro ablutione in Baptiſmo, pro conſignatione in Confirmatione, pro ſpeciebus conſecratis in Euchariſtiâ &c. Ratio eſt, 1. quia in l. q. 1.
jure ſimoniacus dicitur non ille tantùm qui Sacra- cap 99 de.
menta, ſed etiam qui Sacramentorum actiones ven- c 9. De
dit. ſimon.
2. quia eæ actiones eatenus ſolùm æſtimari & vendi poſſunt, quatenus ſunt ſacræ, quia nullam aliam habent utilitatem quàm ſpiritualem: porrò qui actionem ut ſacram vendit, ſimoniæ reus eſt. Idem ob eandem rationem dicendum de formâ Sacramentorum, ut notat Decoq p. 738. ex Bonacin. diſp. 1. q. 4. §. 1. Hinc ſæpe prohibitum eſt ne quid pro Baptiſmi collatione acciperetur. *Emendari placuit*, ait Concil. Illiberit. Can. 48. *ut hi qui* c. 9 1.
baptizantur, nummos in concham, id eſt in vas aquæ c. 104.
baptiſmalis, *ut fieri ſolebat, non mittant, ne Sacerdos quod gratis accepit, pretio diſtrahere videatur.* Nec refert, ait Natal. Alexander, an Sacerdos hujus Sacramenti miniſter, aliquid ante vel poſt ejus collationem exigat, utrumque enim ſimoniacum eſt, aut certè non longè abeſt *à turpi quæſtu*, ut alia in occaſione inquitur Synodus Tridentina. Unde cùm Seſſ 21.
prava invaluiſſet conſuetudo in Mediolanenſi Provinciâ, ut infantes recens baptizati in altari collocarentur, inde compatrum muneribus redimendi, morem hunc ſuſtulit Concilium Mediolan. primum ſub S. Carolo: ubi tamen invaluit uſus ut gratis offerantur cerei cum auro vel argento, hæc recipi poſſunt, ſive in miniſtri ſuſtentationem, ſive ut pios in uſus impendantur. Ita docet S. Antonin. 2. p. tit. 1. c. 5. Fatendum tamen eſt longè melius eſſe & dignius ut nulla unquam dona recipiantur, quod in aliquâ Diœceſi cum magno ædificationis ſenſu, fieri expertus ſum. An verò qui gratis Sacramenta obtinere non poteſt, poſſit injuſtitiam hanc pecuniâ mediâ avertere, colligi poteſt ex iis quæ ſupra dicta ſunt. Satis etiam oſtenſum eſt nihil pro labore intrinſecùs annexo Sacramentorum adminiſtrationi exigi poſſe, benè verò pro eo qui extrinſecus eſt, quive homini ſuam tollit libertatem ad aliquid aliud ſibi fortè utilius eodem tempore peragendum.

At, inquies, labor intrinſecus tam poteſt æſtimari ſeorſim ab actione ſacrâ, quàm materia calicis conſecrati, ſeorſim ab ipsâ conſecratione: atqui hæc legitimè venditur; ergo & ille.

℞. Neg. maj. diſparitas eſt quòd calicis materia non ſit moraliter quid idem cum conſecratione, ſed ab eâ independens ſit; unde qui calicis conſecrationem gratis debet, ejuſdem materiam gratis non debet: at verò labor actioni ſacræ intrinſecus idem eſt moraliter cum ipsâ, & ſeorſim ab ipsâ nec utili-

ſed ceterò qui toti Eccleſiæ præeſt & ſervit, exigere poteſt ut Fideles omnes in id quod primo Paſtori neceſſarium eſt contribuendum conſpirent: tributum autem quod requiri poterat, iis præcipuè ac meritò impoſitum eſt qui diſpenſationes petunt; quia diſpenſationes, utpote odioſæ, debuerunt reddi oneroſæ petentibus, ne facilitas eas obtinendi, majorem tribueret eas importunè petendi licentiam. 2. quia diſpenſationes ſupponunt vel culpam (ut patet in irregularitatibus ex delicto) cujus pœna in aliam pœnam pecuniariam meritò commutatur; vel vulnus quod Canonibus infligitur, ut cùm contrahitur matrimonium in gradibus prohibitis. Quis porrò arguat quòd plaga hæc compenſetur pecuniâ in uſus pios impendendâ, qualiter à Pontifice impendi debet.

V. Suarez ſup. c. 9.

Sed notandum ea quæ mox dicta fuêre, non eſſe ad Epiſcopos extendenda; obſtat enim Synodus Tridentina, quæ Seſſ. 21. c. 1. *De reform.* ſic loquitur: *Nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam Clericalis Tonſuræ, nec pro litteris dimiſſoriis aut teſtimonialibus; nec pro ſigillo, nec alia quacunque de cauſâ, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi & alii Ordinum Collatores, aut eorum miniſtri quovis prætextu accipiant*; quibus conſonat Edictum Bleſenſe Henrici III. anni 579. Idem habetur de diſpenſationibus quas Patres ejuſdem Concilii *gratis* concedendas eſſe decernunt Seſſ. 25. c. 18. Verum hac voce *gratis*, non vetat Synodus ne iis quibus indulgetur diſpenſatio, imponatur onus erogandi eleemoſynam pauperibus vel Eccleſiæ, ut notat Cabaſutius. Vid. Pontas v. *Secretaire*, & v. *Simonie*, caſ. 58. & 59. in quorum ultimo probat eos qui pro faciendo Curatorum examine aliquid *ante* vel *poſt accipiunt*, aut dant, incurrere *vitium ſimoniæ à quâ abſolvi nequeant, niſi dimiſſis Beneficiis, quæ quomodocunque etiam antea obtinebant*, adeo ut etiam *ad alia in poſterum inhabiles reddantur*. Verba ſunt Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 18.

Quod ſpectat ad Annatas quæ ex fructibus primi anni Beneficiorum vacantium percipiuntur, & quarum originem revocant alii ad * Joan. XXII. ob caput 11. *De Præbendis* Extrav. commun. alii ad Boniſac. IX. anno 1392. certum eſt acriter pugnatum fuiſſe contra eas in Concilio Baſileenſi Seſſ. 21. quæ anno 1435. habita eſt, & cujus Decretum inſertum eſt Pragmaticæ Sanctioni Caroli VII. anno 1438. Agnoverunt tamen ſaniores quicunque Theologi exactionem hanc ex rei naturâ illicitam non eſſe, ſi nempe fiat in ſubſidium honeſtæ ſuſtentationis, atque in pios uſus.

* Obiit an. 1334.

Prob. 1. quia non minus debent Epiſcopi Annatas ſupremo novæ legis Pontifici, quàm Legis antiquæ Sacerdotes decimas decimarum ſummo Legis ejuſdem Pontifici: atqui decimas illas jure divino debebant Sacerdotes antiqui; ergo cùm omnibus curam animarum habentibus decimæ debeantur, majori jure debebuntur Pontifici Romano, cui Eccleſiarum omnium cura incumbit, poſito quòd iis ad earundem Eccleſiarum regimen indigeat. Ita Cardinalis de Alliaco, Cabaſutius, & alii communiter.

Num. 18. v. 26. &c.

Cabaſ. l. 3. c. 3.

Prob. 2. Poteſt Papa ſuper proventibus Dignitatum & Beneficiorum, id quod poſſunt inferiores Epiſcopi ſuper Diœceſis ſuæ Beneficiis, titulo *cathedratici*, ut ajunt, ſeu *charitativi* ſubſidii; aut etiam pro fundando & erigendo Seminario: atqui poſſunt Epiſcopi hiſce de cauſis & titulis aliquid è ſingulis Diœceſis ſuæ Beneficiis decerpere, prout ipſis licitum eſt, tum ſacris Canonibus, tum Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 18. *De reform.*

Prob. 3. Non peccat Papa ſi conferendo alicui Beneficium, fructuum ejus partem reſervet Clerico indigenti, idque per ſingulos annos; imò nec peccaret, ait Flor. * Decoq, ſi hominec fructuum partem aſſignaret Regibus aut Principibus ob Eccleſiæ defenſionem: quare ergo peccet ſi ob eandem Eccleſiæ defenſionem, aliiſque juſtis de cauſis, aliquos è Beneficiis fructus ſibimetipſi applicet? Et verò quis credat tot Pontifices ſcientia, pietate, amore paupertatis conſpicuos, quorum aliqui Sanctorum faſtis aſcripti ſunt, alii aſcribi merentur, immani ſimoniæ vitio ſe contaminaſſe, quod fœdè ſupponit & probare nititur nuperus author Tractatus de Annatis toto Articulo 5.

Pr. jus &c. p. 791.

CAPUT SECUNDUM.

De diviſione Simoniæ.

Dividitur 1. in mentalem, realem, & conventionalem. *Mentalis* duplex eſt; alia *purè mentalis*, quæ abſolvitur in ſolâ voluntate, & ad actum exteriorem non tranſit: de iſtâ non agimus in præſenti, ut benè notat Suares c. 41. alia *non purè mentalis*, quæ exterius quidem perficitur & conſummatur, ſed abſque pacto ſeu expreſſo, ſeu etiam tacito & implicito; ut ſi quis munus aliquod aut ſervitium impendat ut Beneficium aſſequatur, & intentionem hanc aliter non manifeſtet. Poſterior hæc ſimoniæ ſpecies intelligi ſolet nomine ſimoniæ mentalis; eaq; meliùs diceretur ſimonia occulta, quàm mentalis quia reipsâ realis eſt, nec in ſolâ voluntate ſiſtit: ſive autem committatur ex parte unius ſolùm, v. g. dantis aliquid, ſive tam ex parte accipientis quàm ex parte dantis, eo ipſo quo mentalis eſt, committitur abſque pacto ullo & conventione. Simonia *conventionalis*, eſt venditio vel emptio rei ſpiritualis cum pacto tacito, vel expreſſo, ſed reali executione nondum utrimque completâ. Si conventio ſolùm peracta ſit, nihilque prorſus traditum aut receptum, ſimonia dicitur *purè conventionalis*; ſi verò ex una parte aliquid datum ſit, putà ſi traditum ſit pretium temporale, ſed nondum tradita res ſpiritualis, aut contra ſi res ſpiritualis tradita ſit, nondum tradito pretio temporali, dicitur ſimonia *conventionalis mixta*, vel *ſemirealis*. Simonia realis, eſt pactum pretii temporalis utrimque completum ſaltem ex parte, ut ſi datum ſit Beneficium pro centum nummis, ſive ex toto, ſive ſaltem ex parte perſolutis. Cenſeretur ſimoniam compleviſſe, qui licet nullam pecuniæ partem ſolviſſet, tradidiſſet inſtrumentum aut chirographum, quo ſe ad eam ſolvendam obſtringeret.

Sed quid ſi quis daret chirographum, ſine animo ſolvendi poſtea?

℟. Probabilius eſt eum tunc Simoniacum fore, quia adhoc ſufficere videtur ut tradere velit aliquid vi cujus deinceps obligari poſſit ad ſolvendum, ſive ſolvere intendat, ſive non; ſed qui chyrographum dat, vi illius obligari poteſt ad ſolvendum. Et certè traditio chyrographi oneroſa eſt, variiſque obnoxia periculis; atque ut talis cenſeri poteſt æſtimabilis pretio, ut notat Suares c. 42.

Confirm. Quia, ut notat Pontas v. *Simonie*, caſ. 5. Simoniacus eſt ille omnis qui per viam temporalis, pervenit ad ſpirituale: ſed qui promittit pecuniam, etiam ſine chyrographo, & intentione eam ſolvendi, pervenit ad ſpirituale mediante temporali, nempe promiſſione ſuâ; ergo.

Dividitur 2. in eam quæ prohibita eſt, quia mala, ſeu quæ pugnat contra jus naturale & divinum; & eam quæ mala non eſt, niſi quia prohibita, & hæc pugnat duntaxat contra jus Eccleſiaſticum.

Prima

Prima ea eſt quam in Articulo præcedenti definivimus, ſeu ipſa eſt venditio rei ſpiritualis quâ talis, ut ſi chriſma carius venderetur, quia conſecratum eſt. Secunda vix aliter quàm per exempla definiri poteſt, eſtque vel diſpoſitio de Beneficio abſque Superioris authoritate, vel venditio rei temporalis quâ talis, ſed habens ſimoniæ ſpeciem, ob ſuam cum re ſpirituali conjunctionem remotam aut proximam, & ideo ab Eccleſiâ prohibita. In hancce ſimoniam incidunt 1. qui permutant Beneficia ſine Superioris authoritate. 2. qui vendunt officia Oeconomi Eccleſiæ, Advocati, & alia quæ licet per ſe temporalia ſint, quia tamen ordinantur ad adminiſtrationem bonorum Eccleſiæ, ob hanc quandam cum ſpiritualibus connexionem, vendi prohibentur. 3. qui vendunt chriſma conſideratum ratione ſolius materiæ; hæc enim licet pretio æſtimabilis ſit, & ſecluſâ Eccleſiæ prohibitione tam poſſet
Cap. 8. De ſimon.
vendi quam calix conſecratus, tamen prohibetur vendi, ne ipſa benedictio vendi videatur.

Cæterum non deſunt Theologi, qui diviſionem hanc non admittant. 1. quia omnis ſimonia debet eſſe contra religionem; ſed ſimonia quæ eſt tantùm contra prohibitionem Eccleſiæ non eſt contra religionem: in talibus enim tota malitiæ ratio eſt præceptum; præcepti autem violatio conſtituit quidem inobedientiam, non verò irreligionem. 2. res quæ vendi prohibetur, vel eſt ſacra, vel non: ſi ſacra, jam venditio ejus non poſitivo ſolum, ſed etiam naturali jure prohibita eſt; ſi non ſacra: venditio ejus quantumvis jure humano prohibita, non erit vera ſimonia, quia prohibitio hæc rerum naturam non mutat, nec efficit ut res prophana ſit ſacra, aut ut res quæ ſacra non eſt, ſit materia ſimoniæ. Ita Durandus.

Prædicta tamen diviſio ab aliis vulgò Theologis retinetur; quia, inquiunt, Eccleſia facere poteſt ut res alias ex naturâ ſuâ vendibilis, vendi non poſſit ob reverentiam debitam rei ſacræ cui conjungitur: atqui hujuſcè rei venditio, poſt Eccleſiæ prohibitionem, peccatum erit non ſolùm contra obedientiam, ſed etiam contra religionem: quæmadmodum comeſtio carnium in die jejunii, peccatum eſt non inobedientiæ ſolùm, ſed etiam intemperantiæ; & tactus calicis in Laico, non obedientiæ tantum, ſed etiam religioni adverſatur; imò plùs religioni quam obedientiæ, quia tranſgreſſio legis poſitivæ non eſt formaliter inobedientia, niſi fiat ex formali præcepti aut legiſlatoris contemptu, ut notat Suares hic cap. 7. n. 9. Hinc ſolvitur primum Durandi fundamentum.

Ad 2. res ab Eccleſiâ vendi prohibita non eſt quidem ſacra per ſe; ſed in ſuâ connexione cum re ſacrâ, fundamentum habet propter quod interveniente Eccleſiæ præcepto, conſiderari debet cum certâ ad rem ſacram habitudine, quam qui non conſiderat, peccat etiam contra religionem.

Dividitur 3. in ſimoniam ſimpliciter, de quâ hactenus, & ſimoniam confidentiæ; nihil enim aliud eſt *confidentia*, quam ſimonia conventionalis mixta, quâ quis confert aut procurat Beneficium alteri cum pacto tacito vel expreſſo, quòd ille qui accipit, illud idem poſtea reſignaturus ſit, ſeu ipſi qui contulit, ſeu alteri cuilibet, aut penſionem aliquam ſine legitimâ authoritate conſtitutam ſoluturus ſit.

Dicitur 1. *conventionalis*, ut diſtinguatur tum à mentali, tum à reali, & oſtendatur confidentiarios incurrere pœnas jure expreſſas, quamvis conventio ex unâ tantum parte impleta fuerit, datum v. g. Beneficium, & nondum ei reſignatum cui reſignandum eſſe confiditur.

Dicitur 2. *mixta*, pura enim conventio nullâ ex parte impleta, non ſufficeret ad incurrendas juris pœnas. Conventio igitur ex parte impleri debet, nempe Beneficii traditione.

Dicitur 3. *cum pacto &c.* nam ex dictis confidentia eſt ſimonia conventionalis: atqui nulla eſt ſimonia conventionalis ſine pacto; ergo confidentia pactum ſaltem tacitum includit. Hinc confidentiæ reus non eſt qui ſine ullo pacto dat Beneficium Titio, confidens Titium eidem Beneficio in favorem tertii renuntiaturum eſſe, ſi fortè ad aliud v. g. ad Epiſcopatum promoveatur. Pariter à confidentiâ, imò & à peccato immunis eſt qui accepto Canonicatu, Beneficium quod antè poſſidebat abdicat in manu præſentatoris quem precatur ut illud nepoti ſuo conferat; quia preces ſi bonâ fide fiant, pactum nullum involvunt, & plenam Patrono relinquunt libertatem conferendi Beneficium cui voluerit. V. Pontas *Confidence*, caſ. 9.

Sed quid, ſi Petrus Beneficium reſignet Mævio, cum obligatione ejuſdem vel alterius conferendi nepoti Petri, & Mævius reſignationem acceptet, abſque eo quòd directè aut indirectè conditionem acceptet, imò cum verâ intentione conditionem hanc non implendi?

Diviſi ſunt Theologi. Cenſent multi cum Navarro & Cabaſutio, L. 5. c. 8. n. 15. nullam hic eſſe confidentiam, eumque agendi rationem ſemper teneri potuiſſe, quia ſic impeditur ſimonia quæ ab alio minus ſcrupuloſo committeretur. Alii tamen exiſtimant veram hic reperiri confidentiam, aut ſaltem magnum ejus periculum. 1. quia reſignatarius dum tacet conſentire videtur, præſertim in caſu citato, in quo contra propoſitionem adeo perniciosam inſurgere tenetur. 2. quia Pius V. in Bullâ 85. ſtatuit, *ut ſi quis quacunque authoritate... Beneficium eccleſiaſticum qualecunque ex reſignatione, vel ceſſione cujuſcunque perſonæ...etiam ſolâ dimittentis intentione receperit, hæc confidentia cenſeatur*. Et infra, *licet ipſum confidentiæ crimen, alterius tantum partis conſcientiâ ſit admiſſum*. Hæc autem verba naturaliter & ut ſonant intellecta, oſtendunt ad confidentiam ſufficere malam unius partis intentionem alteri parti cognitam, ejuſque ſilentio quaſi approbatam.

Dicitur 4. *confert aut procurat Beneficium*, quæ verba oſtendunt 1. confidentiam poſſe reperiri non in præſentationibus ſolum aut collationibus, ſed etiam in reſignationibus & electionibus. 2. eandem non habere locum niſi in Beneficiis: unde confidentiarius non eſt, qui conſentit ut Beneficio quod jam poſſidet, penſio imponatur, præmiſſo pacto quòd penſionarius poſt aliquod annos v. g. abſoluto ſtudiorum curſu, illam transferet in tertium, quia penſio Beneficium non eſt. Ita Habert.

Dicitur 5. *ut qui Beneficium accipit, idem reſignet*. Hac occaſione quæritur an Titius qui Canonicatum ſuo pinguiorem poſtulat à Capitulo, hunc acceptare poſſit cum pacto ſuum remittendi in manus Capituli, affirmant Sambovius & Pontas ibid. caſ. 7. & contendunt nullam hic occurrere confidentiæ ſpeciem, quia Titius id ſolum promittit ad quod jam tenebatur, cum duos Canonicatus ſimul poſſidere non poſſit. Sicut ergo ſi exigeret Capitulum ut Titius Officiis omnibus intereſſet, pactio hæc confidentialis cenſeri non poſſet, quia Capitulum non exigeret, niſi quod ſibi jure naturali debitum eſt ſic à pari in caſu propoſito. Verum quidem eſt eum qui promittit ſe Beneficio ſuo renuntiaturum in manibus Capituli, exuere ſe jure idem Beneficium reſignandi *in favorem*: ſed hoc non obſtat

tum quia Capitulum id ſolùm petit quod ad ſe utpote patronum naturaliter pertinet; tum quia magis expedit conſcientiæ Titii , ut onus virum dignum eligendi Capitulo toti committat , quàm ut illud ipſum in ſe ſuſcipiendo , exponat ſe iniquæ perſonarum acceptioni. Hactenus citati Caſuiſtæ, quorum opinio, ut in praxi teneatur, ſupponit Titio moraliter conſtare futurum ut Beneficium quo ſe exuit, nonniſi digno conferatur.

Dicitur 6. *idem* Beneficium; quæ vox ut intelligatur, ſciendum eſt confidentiam quatuor modis committi, acceſſu nimirum, regreſſu, ingreſſo, & ſtipulatione penſionis. *Acceſſus* eſt quando is qui ad Beneficii proviſionem concurrit eligendo, præſentando, aut confirmando, confidit ex inito pacto idem Beneficium ſibi vel alteri cùm idoneus fuerit, reſignatum iri. *Regreſſus*, eſt cùm quis eâ conditione reſignat, ut reſignatarius ſibi vel alteri Beneficium idem convenienti tempore redditurus ſit. In Galliâ tamen obtiooit uſus, ut qui in infirmitate poſitus Beneficium reſignavit, in idem regrediatur recuperatâ valetudine. Ita jodicatur in Parlamentis, non autem in Magno Conſilio. Vid. Drapier, Tom 2. c. 19. *Ingreſſus*, eſt cùm quis Beneficium ſibi collatum, & nondum poſſeſſum, reſignat eo pacto, ut illud poſtea ingrediatur, ſi reſignatarium in mortem vergere, aut meliori Beneficio donari contigerit. *Stipulatio penſionis*, eſt cùm is qui Beneficium recipit, ſpondet ſe ex ejuſdem fructibus ſoluturum eſſe penſionem conferenti, reſignanti , aut alii ex eorum voluntate. *Omnes ex iiſdem Beneficiis penſiones ſine Summi Pontificis authoritate paciſcentes, aut percipientes ſe Simoniacos eſſe... intelligant*, ait Concil. Bituric. tit. 41. *De Simoniacis, &c.*

Ex his colliges cum Haberto, Tract. *De relig.* c. 8. §. 2. ſimoniam non eſſe confidentialem, ſed conventionalem tantum , 1. quando quis reſignat aut permutat Beneficium eâ conditione, quòd reſignatarius, aut compermutatarius , aliud Beneficium quod poſſidet, dimiſſurus ſit in favorem tertii; quia ad confidentiam requiritur, ut acceſſus, ingreſſus, & regreſſus fiat in idem Beneficium : tunc autem non eſt acceſſus in idem, ſed in aliud ut ſupponitur. 2. cùm præſentans, eligens, & conferens exigunt ut promovendus, promiſſum temporale refundat in remunerationem , niſi per illud temporale intelligantur fructus Beneficii, ad cujus proviſionem concurrerunt; aliàs omnis ſimonia foret confidentialis, quod tamen falſum eſt, cùm Pius IV. & Pius V. omnem confidentiam ad quatuor caſus recenſitos reſtringant. Et hoc, pergit idem Theologus , maximè notandum eſt, quia pœnæ in confidentiarios ſancitæ, graviores ſunt quàm quæ in alias Simoniacorum ſpecies decernuntur; eo quòd confidentia licet malum ſimoniâ minus, plures in Eccleſiam abuſus invehat.

CAPUT TERTIUM.

De gravitate Simoniæ.

DUo hic quæruntur. 1. quale peccatum ſit ſimonia. 2. an hujuſce peccati reus ſit qui dat munus temporale, non ut pretium rei ſpiritualis, ſed ut motivum, & quaſi irritamentum, quo v.g. Beneficii Collator moveatur ad ejus collationem ; aut qui ſe obligat ad dandum temporale pro ſpirituali , non quidem ex juſtitiâ, ſed ex gratitudine.

Dico 1. ſimonia peccatum eſt inter gravia graviſſimum.

Prob. 1. quia ſtatim ac Simon ſuam de emendo Spiritu ſancto intentionem Apoſtolis expoſuit, his, quaſi fulgure, ſancti Petri verbis perculſus eſt : *Pecunia tua tecum ſit in perditionem : quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſideri.... in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe* : atqui verba hæc grande ſcelus ſupponunt. Act. 8. 20

Prob. 2. ex Canonibus. Gelaſius Papa relatus 1. q. 1. cap. 6. *Dantem*, inquit, *& accipientem damnatio Simonis involvit.* Paſchalis relatus 1. q. 2. c. ult. *Pater*, inquit, *Simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos ab omnibus Fidelibus reſpuendos... omnia enim crimina ad comparationem ſimoniacæ hæreſis quaſi pro nihilo reputantur.* Idem eſt ſtylus aliorum Canonum, à quibus ſimonia vocatur *execrabile flagitium, flagitium piaculare &c.*

Prob. 3. Vitium juri naturali, divino, humano, religionique oppoſitum, pro grandi crimine haberi debet: atqui ſimonia adverſatur 1. juri naturali. Jus enim naturæ vetat ne ea vendantur quæ ſunt invendibilia, & quorum venditor dominus non eſt, nec à domino accepit poteſtatem vendendi : atqui ſpiritualia & ſpiritualibus annexa ſunt hujuſmodi , ut evidens eſt. 2. repugnat juri divino, & voluntati Dei, qui Matth. 10. dicit : *Gratis accepiſtis, gratis date*; quæ verba jam ab Apoſtolorum temporibus arctum continere præceptum judicata ſunt. 3. repugnat juri humano, tum Eccleſiaſtico tum civili, ut patet tum ex titulis *De ſimoniâ* in Jure Canonico contentis, tum ex Regum noſtrorum Edictis , ac præcipuè ex Pragmaticâ Sanctione S. Ludovici, & Caroli VII. 4. demum idem ſcelus religioni oppoſitum eſt in ratione ſacrilegii, cùm per ipſum ſanctiſſima quæque prophanè, irreverenter & indignè pertractentur; ergo.

Quæres an in ſimoniâ detur parvitas materiæ.

℟. negat. parvitas enim materiæ repeteretur vel ex parte rei ſpiritualis, vel ex parte pretii pro eâ dati. Non ex primo capite, quia res ſpiritualis quæcunque ea ſit tam alti eſt ordinis, ut indigna ejus contrectatio, magna cenſeri debeat : non ex altero capite, quia econtra quo vilius offertur pro re ſpirituali pretium, eo magis contemni cenſetur, adeoque gravior eſt quæ in eam committitur irreverentia.

Verum quidem eſt quòd cap. 18 *De ſimoniâ* , minutiora munera gratis data ſupponuntur: ſed hoc mera eſt præſumptio, quæ in minutioribus magis quàm in majoribus donis locum habet ; aliunde enim ut magna ſic & minora dona ſimoniaco animo oblata aut recepta, ſimoniæ materiam conſtituunt. Ut autem intelligatur quandonam adſit animus ille ſimoniacus,

Dico 2. ut quis ſimoniæ reus ſit, non requiritur ut det aut accipiat temporale tanquam pretium rei ſpiritualis , ſed ſufficit ut det temporale tanquam motivum ejus obtinendæ. Ita veteres Theologi & Canoniſtæ, ut notat Suares.

Prob. 1. Ea ſubtilitas admitti non debet, quâ poſitâ Balaam, Giezi, & ipſe Simon, facilè excuſabuntur à ſimoniâ : atqui poſito quòd tunc ſolùm committatur ſimonia quando datur temporale ut pretium rei ſpiritualis valori commenſuratum, prædicti viri nequam facilè excuſabuntur à ſimoniâ. Quis enim putet Simonem ipſum eo uſque deliraſſe, ut crederet pecuniam quam Apoſtolis offerebat, ejuſdem eſſe pretii cum Spiritu ſancto ? Sanè hoc ei unum exprobravit S. Petrus, quòd exiſtimaret *donum Dei pecuniâ poſſideri*. An non autem æquè poſſediſſet , ſi pecuniam dediſſet ut motivum quo Apoſtolos flecteret, quàm ſi eandem obtuliſſet inſtar pretii. Difficilè pariter oſtendi poteſt Giezi à

Naaman

Naamen munera accepiſſe alio quam gratuitæ compenſationis titulo; unde non eum increpavit Elizeus quaſi pecuniam ut pretium miraculoſæ curationis accepiſſet: *Sed accepiſti*, inquit, *argentum, & accepiſti veſtes.... & lepra Naamen adhærebit tibi*. 4. Reg. 5.

Prob. 2. Ea opinio procul rejicienda eſt, quæ ſi ſemel admittatur, jam nemo, ſi modò rudis & omnino hæbes non fuerit, in ſimoniam incidet: atqui ſi ſemel admittatur opinio noſtræ oppoſita.... Ecquis enim non fugiet ſimoniam, dum pecuniam quâ Beneficia comparabit, non ut pretium Beneficiorum dabit, ſed ut motivum quo Patronos aut alios ad eorum collationem inducat?

Prob. 3. quia canones ſimpliciter prohibuerunt ne quis ad Ordines, ad Beneficia &c. mediante pecuniâ aſcenderet; neque eos unquam à cenſuris ſuis exemerunt qui pecuniam non ut pretium, ſed ut motivum darent. Cap. 34. *De ſimoniâ*: *Simonia committitur*, inquit, *quando aliquis offert bona ſua alicui Eccleſiæ, ut in Canonicum admittatur, etiamſi ſine pacto, vel conditione qualibet offerat, ſi is qui talem donationem facit, ea intentione ducatur ut per temporalia bona quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci*. Sed qui pecuniam dat ut motivum, eâ intentione ducitur, ut per temporalia bona, ſpiritualia comparet; ergo.

Confirm. *Chalcedonenſe Concilium condemnat eos, qui Eccleſiæ Beneficium interventu pecuniæ acquirunt*. Ita Alexander II. 1. q. 3. cap. 9. ſed qui pecuniam dant ut motivum, Beneficia indubiè acquirunt pecuniæ interventu; ergo.

Prob. 4. quia Innocentius XI. & Clerus Gallicanus anno 1700 damnarunt hanc propoſitionem, *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra*. Præiverat Facultas Pariſ. jam ab anno 1658. *Hæc propoſitio*, a bat *eſt falſa, temeraria perniciosa, ſcandaloſa, aditum aperiens ad ſimoniam quamcunque*.

Prob. 5. Qui dat munus Judici ut motivum ad obtinendam ſententiam iniquam, dicitur emere juſtitiam, & Judex qui propter hæc munera jus dicit, dicitur vendere juſtitiam, quia nempe dat unum loco alterius: ergo à pari qui dat temporale ut alium moveat ad collationem Beneficii, emit virtualiter Beneficium; & qui eâ de causâ confert, virtualiter vendit.

Ex his colliges eum ſimoniæ reum eſſe 1. qui Magnatis aut Miniſtri domum ingreditur princi-
Pontas caſ. 7. paliter ut Abbatiam obtineat. 2. qui conſanguineo Præbendam confert *ut magnificetur per hoc, & nobilitetur domus ſua, vel quod ipſe in conſanguineis ſit fortior*. Ita ſanctus Thomas. Secus *ſi conferat gratis propter conſanguinitatem, vel quamcunque*
In 4. diſt. 25. q. 3. a. 3. *carnalem affectionem*; tunc enim *eſt quidem illicita & carnalis collatio, non tamen ſimoniaca quia nihil ibi accipitur*. Ita idem S. Doctor hic a 5. ad 2. 3. idem dicit S. Doctor de eo qui *dat Beneficium Ec-*
2. 2. q. 100. a. 5. *cleſiaſticum alicui hoc pacto, vel intentione ut exinde ſuis conſanguineis provideat*, aut certam pauperibus ſummam eroget; id enim, ait eſt, *manifeſta ſimonia*. 4. & id etiam dicendum de iis qui Tonſuram, Ordineſve ſuſcipiunt *ut Beneficium conſequantur*, ii enim ſimoniam committunt ſaltem mentalem; verba ſunt Fagnani apud Pontas caſ. 15. 5. *Clericus qui vadit ad Eccleſiam principaliter propter retributiones quas recipit tanquam finem ſui operis, committit ſimoniam*. Ita ſanctus Thomas quodlib. 5. a. 21. & quodlib. 8. q. 6. a. 11. 6. imò reus eſt ſimoniæ qui in aliquâ Diœceſi ſpirituales exercet functiones, ut Canonicatum, aut aliquam Dignitatem aſſequi poſſit: *Qui* enim, ait S. Bernardus, Lib. *De vita & morib. Clericorum* cap. 5. *evangelizat ut manducet, perverſo nimis ordine cœleſtibus terrena mercatur*. Qui tamen primariâ intentione Dei gloriam & Eccleſiæ obſequium, ſecundariâ verò Beneficium quæreret, non eſſet peccati reus juxta Pontas ibid. caſ. 8. quæ opinio, licet communis, impugnatur à Decoq. p. 73c. quem conſule. 7. hæ propoſitiones quas aliqui cum Navarro approbant, *Memor ero Beneficii quod mihi confers, ero gratus; ſuo tempore gratias agam*, periculi plenæ ſunt, & ab iis penitus eſt abſtinendum: cum enim omnes avaritiæ ſtudeant, & munera excæcent oculos etiam ſapientum, difficile eſt ut eæ futuræ gratitudinis promiſſiones non moveant & determinent Collatorem. Et verò quare fiunt, niſi ut moveant? An non promiſſio novam parit obligationem fidelitatis quæ pretio æſtimabilis eſt? An non ſi non detur id de quo conventum eſt, quæritur alter tanquam de injuriâ ſibi factâ, & fide non ſervatâ?

Obj. 1. Non magis ſimoniæ accuſari poteſt qui ut Beneficium impetret dat aliquid Collatori, ut eum ad Beneficii collationem moveat & provocet, modò illud emere non intendat, quam ſimoniæ reus dici poſſit qui pauperibus ſtipem erogat ut ipſorum preces impetret, ſi non intendat preces emere, ſed duntaxat pauperum animos ad eas fundendas per beneficium gratuitum commovere: atqui poſterior ſimoniæ reus dici non poteſt, ut notat S. Thomas q. 100. a. 3. ad 3.

Reſp. neg. maj. qui enim dat pauperi eleemoſynam ut ejus precibus adjuvetur, earum excellentiæ non derogat, & ſequitur ordinem divinæ providentiæ, quæ vult ut pauperes ſpiritualem eleemoſynam iis impendant, à quibus corporalem recipiunt. Qui verò muneribus Beneficium comparant, divinæ providentiæ ordinem abjiciunt, ut ſatis patet, & beneficii ſpiritualis excellentiæ derogant, cum in hoc Beneficio nonniſi honorem aut emolumentum conſiderent.

Obj. 2. Temporale pro ſpirituali acceptum vel datum per modum gratitudinis, non continet ſimoniam ex Innoc. III. cap. 30. *De ſimon. Illud*, inquit, *gratanter recipi poterit, quod fuerit ſine taxatione pretii gratis oblatum*? ergo tunc ſolum committitur ſimonia, cum datur vel accipitur aliquid per modum pretii.

℞. neg. conſeq. etſi enim illud quod omnino gratis datur, ſimoniam non contineat, illud tamen eſt & cenſeri debet ſimoniacum, quod datur vel accipitur titulo oneroſo, ſeu non penitus gratuito: atqui quod datur eo fine & conditione ut Beneficium ab alio obtineatur, uſque adeo non datur gratis, ut ſeclusâ Beneficii expectatione non daretur; ergo gratis non datur.

At, inquies, datur ſine taxatione pretii, quod ex Innoc. III. ſufficit; ergo gratis datur.

Reſp. diſt. datur ſine taxatione pretii rigoroſè ſumptâ, conc. ſine taxatione pretii latè ſumptâ, ſcilicet pro eo omni quod in causâ eſſe poteſt cur Beneficium gratis non donetur, nego. Porrò ut tollatur ſimonia, neceſſe eſt juxta Innoc. III. ut removeatur omnis intentio aſſequendi ſpirituale per temporale; quod ipſe ibidem cap. 34. diſertè indicat his verbis, *Qui abſque pacto vel conditione*, ac proinde ſine pretii taxatione rigoroſa, *bona ſua offert Eccleſiæ, rogans humiliter ut in Canonicum admittatur.... ſi ea intentione ducatur, ut per temporalia bona quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci, apud diſtrictum Judicem* culpabilis judicatur.

CAPUT QUARTUM.

De cauſis Simoniæ.

Simoniæ cauſas, de quibus præcipua movetur quæſtio, ad duas revocamus, efficientem ſcilicet, & materialem. Cauſa efficiens, quæ etiam à veteribus dicitur materia *in quâ*, eſt ſubjectum committendæ ſimoniæ capax. Cauſa materialis, ſeu materia *circa quam*, duplex eſt: una *proxima*, venditio ſcilicet & emptio; alia *remota*, eaque vel eſt pretium *quo* emitur, vel ipſa res ſpiritualis *qua* emitur; & hæc rursùs vel ex rei naturâ, vel ſolùm ob Eccleſiæ prohibitionem vendi, aut commutari non poteſt. De his ſeorſim diſſerendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De ſubjecto Simoniæ.

Extra dubium eſt ſimoniam committi. 1. ab iis qui dant & accipiunt temporale pro ſpirituali, quod facere poſſunt omnes *cujuſcunque ſtatûs, gradûs, ordinis, conditionis vel præeminentiæ fuerint*, ut habetur c. 2. *De ſimon.* inter Extravag. commun. 2. ab eorum mediatoribus, qui idcirco in eâdem Extravag. excommunicationis ſententiâ feriuntur, *à quâ niſi à Romano Pontifice non poſſint abſolvi præterquam in mortis articulo.* 3. & utcumque ab iis qui *pro officii ſui loco contra ſimoniacam hæreſim vehementer non exarſerint*, ut habetur 1. q. 1. cap. 5. Præcipua difficultas eſt, an Papa ſimoniam, & qualem poſſit incurrere, pro cujus ſolutione.

Dico 1. S. Pontifex incurrere poteſt ſimoniam jure naturali & divino prohibitam. Ita omnes, ut notat Suareſius, cap. 52.

Prob. Quia Pontifex, ſicut & cæteri, juri naturali & divino ſubditus eſt; ergo ſi contra jus illud ageret, ut agere poteſt quatenus homo; ſi v. g. venderet Sacramenta; ſi Agnos Dei, vel Grana benedicta majori venderet pretio quàm valeant ratione materiæ, & ſolùm propter conſecrationem, non minùs Simoniacus foret quàm *quilibet alius homo*, ut docet S. Thom. hic a. 1. ad 7.

Dico 2. probabilius videtur Papam incurrere poſſe ſimoniam juris humani, exigendo v. g. pecuniam pro Officiis per Eccleſiæ leges vendi prohibitis.

Probant vulgò, 1. quia Princeps jure naturali tenetur eam ſequi legem quam aliis impoſuit, ſi nempe ratio legis æquè in utriſque locum habeat. Hinc illud Catonis quod approbat Innoc. III. cap. 6. *De Conſtitutionibus. Patere legem quam ipſe tuleris*; ergo peccabit Papa, ſi leges ab Eccleſiâ latas tranſgrediatur; nec peccabit peccato ſolùm ſcandali, ut aliqui cenſent, ſed vero ſimoniæ peccato: quemadmodum ſi præceptum Eccleſiæ de ſervando per Quadrageſimam jejunio violaret, non ſcandali ſolùm, ſed etiam intemperantiæ reum ſe conſtitueret.

2. Quia Papa non eſt niſi diſpenſator in legibus ſapienter conſtitutis; ergo ſi ſine rationabili cauſâ ſecum diſpenſet, diſpenſatio hæc non impedit quominus verè cenſeri debeat legum Eccleſiæ tranſgreſſor, ac proinde Simoniacus, ſi eas contemnat quibus prohibetur ſimonia. Sed hæc pendent ex Tractatu de Legibus.

Hic quædam annotare ſolent Theologi. 1. ſummum Pontificem in rebus Eccleſiaſtico jure prohibitis, facilè vitare poſſe ſimoniæ vitium; ſive quia ſecum facilè diſpenſare poteſt; ſive quia præcipuæ leges quæ ſimoniam poſitivam prohibent, vix ad Papam ſpectare poſſunt. Eas enim inter leges eæ primas tenent quæ permutationes Beneficiorum, & renuntiationes ſub conditione, modo, aut cum penſione fieri prohibent, ſine Papæ conſenſo; ergo ex ipſa legis formâ patet eam non obligare Pontificem, ſed inferiores ſolùm qui tales circa Beneficiorum permutationem contractus celebrant: quòd ſi ſine ſufficienti cauſa hujuſmodi contrahentibus faveat Papa, non ideo Simoniacus erit, ſed infidelis & iniquus diſpenſator. Ita Suares ſup. n. 5.

2. Eundem Papam, ſive ſimoniam jure divino, ſive poſitivo ſolùm prohibitam exerceat, non incurrere pœnas de jure Eccleſiaſtico Simoniacis impoſitas, v. g. excommunicationem; quia, inquiunt, legislator etſi legibus ſuis quoad vim directivam ſubjaceat, iiſdem non ſubjacet quoad coactivam. Ita Decoq & Wiggers, qui addit quòd ſi pœnæ aliquæ per modum pœnitentiæ contra Simoniacos ſtatutæ eſſent, eas ſicut & alii ſubire deberet Pontifex, ſi fortè tam ipſi quàm aliis convenirent.

3. Docent in Curiâ Romanâ, id eſt ab Officialibus Papæ, committi poſſe ſicut alibi ſimoniam jure divino & Eccleſiaſtico prohibitam. De ſimonia jure divino prohibitâ nulla eſt difficultas; de eâ verò quæ jure ſolùm poſitivo proſcribitur, dubitant aliqui, quando ſciente & diſſimulante Pontifice exercetur, quia tunc videtur tacitè diſpenſare: ea tamen taciturnitas, juxta Suarem & alios, non ſufficit ut credatur Pontifex diſpenſare; tum quia fieri poteſt ut Papæ ſilentium ſit negligentiæ effectus, neque enim permittebat Heli id quod non arguebat; tum quia non ſemper expedit ut Superior pœnas omnes exequatur; ergo ex Pontificis taciturnitate, diſpenſatio colligi non poteſt niſi diuturno tempore ſilentium ſervet; quia lex quæ ſciente & diu diſſimulante legislatore infringitur, cenſetur per deſuetudinem abrogari.

ARTICULUS II.

De materiâ proximâ ſimoniæ, ubi de cauſis à ſimoniâ excuſantibus.

Ex iis quæ ſupra diximus, ſatis patet materiam proximam ſimoniæ eſſe venditionem vel emptionem, quibus nominibus intelligitur contractus quilibet, ſive nominatus, ſive innominatus, quo datur aliquid temporale, ut viciſſim detur ſpirituale. In hâc autem materiâ dat temporale, qui ipſum remittit; & dat ſpirituale, qui ſpirituali renunciat, unde accedente pacto Simoniacus eſt. Major difficultas in eo eſt ut dignoſcatur, an ſimonia toties committatur, quoties occaſione ſpiritualis datur vel accipitur temporale. Porrò ſex recenſeri ſolent tituli qui in hocce caſu à labe ſimoniacâ excuſant: ii verò ſunt, juxta Bonacio. hic diſp. 1. q. 6. 1. liberalitas ſeu gratitudo. 2. ſtipendium & debita ſuſtentatio. 3. labor. 4. amiſſio commodi temporalis, quo quis ſe privat faciendo opus ſpirituale. 4. conſuetudo legitima. 6. redemptio vexationis iniquæ.

1. Quidem gratuita donatio à ſimonia excuſat. Ratio eſt, quia quod omnino gratis datur, nec datur per modum pretii, nec ea intentione ut is cui fit donum temporale, ad alterius doni refuſionem accendatur. Sed illud cautè ponderandum eſt, ſub hoc gratuitæ donationis titulo ſæpe ſæpius latitare & involvi ſimoniam, dum id quod gratis dari dicitur, plerumque vix alia quàm obtinendi beneficii intentione datur, aut datur ex pacto; cùm

tamen

tamen pactum ex naturâ ſua onus ſeu obligationem fidelitatis & juſtitiæ importet, ac proinde gratuitæ donationis naturam evertat. Adde quòd ſæpe contingat ut obligatio antidoralis ſeu gratitudinis per pactum reſtringatur; hæc autem reſtrictio ad aliquod determinatum, eſt pretio æſtimabilis, tolliteque gratitudinem quæ eſt generalis. Ex quibus ſequitur ſimoniacas eſſe has conventiones quas excuſat Bonacina: Do tibi gratis pecuniam, [a] ut ex gratitudine mihi conferas Beneficium, & vieiſſim. Neque verò tam expreſſa conventio requiritur, ſed ſufficit tacita, quam ſemper adfuiſſe præſumet Confeſſarius, cùm pœnitens dans pecuniam, & ſperans Beneficium vel aliquid ſimile, exigit, vel etiam verbis, nutibus, aut ſignis alterum hortatur, ut ſuo tempore gratum ſe & memorem præbeat: quinimò abſque hujuſmodi petitionibus expliciris aut implicitis, ſimonia mentalis committetur, modò adſit vera intentio alliciendi animum alterius ad Beneficii collationem. Cæterum faciliùs præſumitur ſimoniaca intentio. 1. ſi aliquid diviti aut Superiori ſpondeatur, aut detur à paupere vel inferiore; ii enim non ita facilè liberales eſſe ſolent. 2. ſi res data vel promiſſa, talis ſit momenti, ut communiter dari non ſoleat gratuitò. 3. ſi quod datur, detur tempore neceſſitatis.

[a] Per pecuniam intelligitur omne illud cujus pretium pecuniâ æſtimari. S. Thom. hic a. 2.

2. excuſat titulus ſtipendii & legitimæ ſuſtentationis. *Quis enim militat ſuis ſtipendiis unquam?...* *Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* 1. Cor. 9. Hinc culpa carent ſive Fideles qui Eccleſiæ miniſtris temporalia bona largiuntur; ſive miniſtri qui Chriſti & Apoſtolorum exemplo pias oblationes, vel alia ſtipendia ex conſuetudine, vel Eccleſiæ legibus accipiunt. Hic tamen ſub ſtipendii prætextu ſæpe latet ſimonia, vel aliquid inſtar ſimoniæ prohibitum. Sic 1. vetat cap. 42. *De ſimonia*, ne Clerici *pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, & ſimilibus* pecuniam exigant & extorqueant, iis nempe modis qui Eccleſiæ miniſtros dedecent, v. g. denegando ſpiritualia, donec vel numerata ſit pecunia, vel de ea numeranda cautio data fuerit, quod juxta S. Thomam hic art. 3. vanditionis, adeoque & ſimoniæ ſpeciem habet. Sic 2. juxta multos, qui plus exigit ſtipendii quam ſibi verè debitum ſit non injuſtitiæ ſolùm, ſed & ſimoniæ reus eſt; quia quod ſtipendii locum non habet, non alio accipi videtur titulo quam in pretium ſpiritualis miniſterii: atque licet dicat quis ſe non habere intentionem vendendi, in ipſo tamen uſu & exercitio contrarium profitetur, quod ad ſimoniam ſufficit. Idem dicendum de iis qui de novo ſtipendio paciſcuntur pro functionibus ad quas jam ex officio tenentur. An autem Sacerdos qui habet aliunde unde vivat, aliquid recipere poſſit, diſputatur. Negat Azorius 3. p. l. 12. c. 3. affirmat Suares & alii plures, tum quia nemo etiam dives, ſuis ſtipendiis militat; tum quia ſtipendium illud ex natura rei debetur.

Vid. Suar. n. 46. & 47.

3. excuſat labor: ſed labor ille duplex eſt, alius eſt actioni ſpirituali intrinſecus, ut fatigatio neceſſaria ad concionem, aut celebrationem Miſſæ; alius extrinſecus, ſine quo opus fieri poteſt, ut celebratio vel concio facienda in loco admodum remoto. Labor intrinſecus nunquam vendi poteſt ſine ſimonia, ut ſentiunt communiter Theologi 1. quia cùm Chriſtus præcepit ut ſpiritualia gratis darentur, præcipit etiam ut gratis daretur id ſine quo ſpiritualia dari non poſſunt 2. quia labor ad aliquam actionem neceſſarius, in unum cum ea opus coaleſcit, & ſic ejuſdem fit cum ipſa conditionis: quid enim aliud eſt labor in celebranda Miſſa intrinſecè neceſſarius, quam recitatio orationum, oblatio, conſecratio, & alia ejuſdem generis quæ ſunt ipſa Miſſa; ergo cùm Miſſa ſine immani ſacrilegio vendi non poſſit, nec labor eidem intrinſecè neceſſarius vendi poteſt. 3. quia etiamſi labor ille præcederet opus ſpirituale, nullam tamen æſtimationem habet, niſi ratione operis ſpiritualis ad quod ordinatur: hinc ſtudium & præparatio ad concionem, ſeorſim vendi non poſſunt; verùm labor extrinſecus ſeorſim pretio æſtimari & vendi poteſt. Sic Sacerdos qui ut Miſſam celebret, longius iter peragere debet: pœnam hanc compenſare poteſt; idem de eo dicendum qui tali horâ graviter incommodè celebrare non tenetur.

Multi hic proponuntur caſus, circa quos ſcinduntur Theologi. Quæritur v. g. 1. an Concionator qui plus accipit, quia magnâ animi & vocis contentione prædicat, ideoque defatigatur, ſimoniam committat. 2. an habenda ſit ratio defatigationis quæ ex conditione perſonæ oritur, puta ſi ſit ſenex, infirma, delicatæ complexionis. 3. an Sacerdos qui Miſſam canit, poſſit vendere aliquid de labore Miſſæ illius, ſive ratione temporis aut moræ, ſive ratione cantus. Affirmat Bonacina; negant melius Suares c. 21 & alii cum ipſo; atque hoc tutius eſſe, & in praxi ſequendum fatetur ipſe Bonacina. Et verò quod neceſſarium eſt ad tale miniſterium, prout ab hominibus moraliter exerceri poteſt, conſtituit partem ipſiuſmet miniſterii, nec proinde ſeorſim ab illo computari debet; præſertim cùm Eccleſia pro hiſce functionibus concedat ſtipendium conveniens penſatis omnibus pœnis ad eaſdem functiones neceſſariis; adeoque majus cum plus laboratur, v. g. cùm prædicatur Paſſio Domini per tres horas, quam cùm dicitur concio horæ mediæ; non quòd vendatur major labor, ſed quia æquum eſt, ut qui plus *laborant, maximè in verbo & doctrina, duplici honore digni habeantur*; id eſt, ampliorem recipiant mercedem ſuſtentationis, ut notat Decoq. pag. 379. 1. Timot. 5

4. Excuſat à ſimonia ſicut ab uſura lucrum ceſſans & damnum emergens: hinc ſimoniæ labem non contrahit, qui accipit pecuniam, non quidem ut alteri Beneficium procuret, ſed ut ſuum compenſet laborem in ſcribendo, iter agendo &c. hæc enim pretio ſunt æſtimabilia. In his tamen laboris ſolius, non autem Beneficii habenda eſt ratio, nec penſandus laboris ſucceſſus, aut Beneficii pinguedo; quia tunc pretium pro Beneficio traderetur, quatenus labor non in ſe ſed ratione Beneficii æſtimaretur, quod ſimoniacum eſt; unde fatentur Doctores ſimoniam committi ab eo qui tradit alteri pecuniam, eumve promiſſis aut muneribus impellit, ut pro ſe Beneficium à Rege, aliove Collatore poſtulet; quia tunc *muneris interventu ſpiritualia aſſequitur*, quod nunquam licet. Et verò ſi is qui [b] pecunia corruptus Beneficium alteri obtinet, inter mediatores ſimoniæ numerari debeat; qui eum corrupit, à ſimonia immunis cenſeri non poteſt, V. Pontas hic caſ. 68. & Suarem c. 53. n. 12. Decoq. p. 741.

S. Thom. [b] c a. 6.

5. Excuſat conſuetudo legitima & laudabilis, qualis reputatur non ea quæ ab exactione, aliiſve ſimilibus principiis originem duxit, ſed quæ ex pietate & liberalitate populorum nata; quod enim ex tali conſuetudine datur, non in pretium rei ſpiritualis datur, ſed per modum oblationis & ſtipendii. Hic duo notanda ſunt. 1. nulla eſt conſuetudo quæ excuſet á ſimonia jure naturali prohibita; quia nulla eſt conſuetudo quæ Dei aut naturæ leges abrogare poſſit. 2. etſi fieri poſſit ut ſimonia

juse

jure poſitivo inducta, tollatur conſuetudine, quia leges humanas non uſu, vel uſu contrario antiquari poſſe certum eſt; id tamen non temerè & facilè præſumendum eſt, ſed videndum quid ſentiant Confeſſarii, Doctores, Prælati, & præſertim quid ferat Curiæ Romanæ ſtylus.

Quæres quid ſentiendum de conſuetudine juxta quam quædam Capitula à novis canonicis exigunt vel munera quædam, ut chirothecas, vel certam pecuniæ ſummam, quæ vernaculè vocari ſolet *Drou de Chappe*.

R. conſuetudinem exigendi pecuniam à novis Canonicis, ſeverè à Concilio Trid. Seſſ. 24. c. 14. prohibitam fuiſſe, ut quæ ſuſpicionem habeat *ſimoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ*; ibique præceptum Epiſcopis ut exactiones illas fieri non permittant, niſi *pios in uſus* ſint convertendæ. Quod ſpectat ad chirothecas, & alia ejuſdem generis munuſcula & xenia, ſacra Congregatio Cardinalium declaravit fas non eſſe ea recipere aut diſtribuere; præſertim quia non videntur ſpontè offerri, ſed *jure conſuetudinis cogente*, ut loquitur Proſper Fagnan in cap. *Tua nos. De ſimon*, n. 38. Unde, inquit, *non mirum ſi ea conſuetudo à Concilio, & Conſtitutione Pii V. ſublata fuerit*. Idem ſentiunt Pontas v. *Simonie*, caſ. 28. & 35. Habert, juxta quem Canonicus à quo munera hæc iniquè extorquentur, non poteſt in conſcientiâ ea largiri, ne peccatis alienis communicet; ſed recurrere ad Epiſcopum aut ſaltem Magiſtratum, qui non patietur Rempublicam iniquis iis vexationibus turbari.

6, Excuſat redemptio injuſtæ vexationis quam ſcilicet patiuntur ii qui vi aut aliâ iniquitate impediuntur à conſecutione boni ſpiritualis in quo jus habent; ii enim ſi pecuniâ aut muneribus ab hâc vexatione ſe rediment, à peccato immunes ſunt. Ratio eſt, quia non tradunt temporale pro ſpirituali, quod jam verè ipſorum eſt; ſed pro liberatione ab injuriâ & ceſſatione vexationis, quæ eſt aliquid temporale. Sed hic quædam cavenda ſunt. 1. ne res quæ ad iniquæ vexationis redemptionem traditur, ſit ſpiritualis; ſi quis enim in pingui Beneficio vexetur, & tenue vexatori tradat aut promittat, Simoniacus eſt, quia dat ſpirituale pro temporali. 2. ne vexatio quæ redimitur, juſta ſit, aut ſaltem probabilis, ut cùm quis juſtè, vel ſaltèm probabiliter impetitur: tunc enim pecunia non tam dari videtur pro ipsâ vexationis ceſſatione, quam pro re ſpirituali, ad quam moraliter loquendo mediante pecuniâ pervenitur. Ita S. Antonin. 2. p. t. 1. c. 4. Et verò non licet pecuniæ ope facere, ut jus adhuc infirmum, firmum evadat. 3. ne redemptio ab iis fieri præſumatur qui non habent *jus in re*, ſed ſolum *jus ad rem*; quæ conditio graviter eſt ponderanda: inde enim ſequitur eum qui à Patrono nominatus eſt ad Beneficium, cujus inſtitutio ei iniquè denegatur, Simoniacum eſſe ſi vexationem hanc pecuniâ redimat, quia ſola inſtitutio canonica tribuit jus in re; à fortiori ſimoniæ reus eſt, qui ut Collatoris conſanguineum ſibi ex infenſo amicum reddat, eidem munera offert, ne diutius Collatorem à conferendo ſibi Beneficio avertat.

Hæc autem noſtra deciſio prob. 1. ex cap. 23. *De ſimoniâ*, ubi cùm aliquis ad Eccleſiæ regimen ex conſenſu majoris Canonicorum numeri electus fuiſſet, & uni eorum qui contradicebant datum fuiſſet munus ut à contradicendo abſtineret, interrogatus Lucius III. an qui ſic electus fuerat, *à labe ſimoniæ prorsus immunis* foret, his reſpondet verbis S. Pontifex: *Multum tibi conſulis, ſi adminiſtrationem celeriter ac ſponte dimittas*; ergo qui non habet jus in re ad Beneficium, Simoniacus eſt ſi ut vexationem redimat, munera offerat, aut in ſui gratiam ab alio offerri permittat. Quod enim objiciunt aliqui vocem hanc, *conſulis*, quaſi mecum conſilium, non præceptum imponeret, nullius omnino eſt momenti: hâc enim voce utebatur Lucius, quia de peccato occulto agebatur, de quo non judicat Eccleſia; cæterum uſque adeo cenſebat ille Pontifex Beneficium ſic comparatum neceſſariò dimitti debere, ut indicet eum qui ſic electus erat, *niſi renuntiet, ſalvari non poſſe*. Ita Gloſſa, & id evidens eſt ex verbis ſequentibus.

Prob. 2. ex S. Thoma hic a. 2. ad 5. *Antequam*, inquit, *acquiratur alicui jus in Epiſcopatu, vel quacunque Dignitate, vel Præbenda per electionem, vel proviſionem, ſeu collationem, ſimoniacum eſſet adverſantium obſtacula redimere; ſic enim per pecuniam pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam: ſed poſtquam jus alicui acquiſitum eſt, licet per pecuniam injuſta impedimenta removere*. Idem docent S. Antoninus ubi ſupra, Rebuffus, Cabaſſut. l. 5. c. 3. n. 8. Pontas ibid. & caſ. 29. & ſeq.

4. Cavendum eſt ne ablatio vexationis ſit collatio boni ſpiritualis, quia ut hæc emi non poteſt, ſic nec illa tunc redimi poſſet. Hinc ſi electus ſim ad Beneficium, & Epiſcopus injuſtè mihi confirmationem deneget, vexationem hanc redimere non licet; quia in hoc caſu remotio vexationis nihil aliud eſt quam confirmatio, quæ cum ſit actus ſpiritualis, emi non poteſt. Ita Suares cap. 50. in Bonacina: unde contra eundem Bonacinam, Decoq. p. 752. & alios quoſdam infero non licere largiri pecuniam Sacerdoti qui alicui in extremâ neceſſitate conſtituto Baptiſmum conferre non vult, niſi ſibi detur pecunia: nam pecuniam dare pro removendâ hâc injuſtitiâ, eſt eam, dare pro ipsâ Baptiſmi collatione; cùm tota alterius iniquitas conſiſtat in injuſta Baptiſmi denegatione, quæ nonniſi per ipſam collationem negationi iſti oppoſitam removetur. Atque ideo S. Thomas q. 100. a. 2. ad 1. *In caſu neceſſitatis*, inquit, *quilibet poteſt baptiſare. Et quia nullo modo eſt peccandum, pro eodem eſt habendum ſi Sacerdos abſque pretio baptizare non velit, ac ſi non eſſet qui baptizaret. Unde ille qui gerit curam pueri, licitè poteſt eum baptiſare, vel à quocunque alio facere baptiſari*. Idem docent Henricus à S. Ignat. Tom. 2. Lib. 10. cap. 58. & Nat. Alexander Tom. 1. fol. Theol. moral. p. 51. Quòd ſi ageretur de adulto qui ad alium recurrere non poſſet, deberet potius abſque Baptiſmo mori, quam eum mediante pecuniâ comparare; quia quod ex Sacramento deeſſet, per Flaminis Baptiſmum ſuppleretur. Poſſet tamen licitè emi aqua à Sacerdote quia aqua merum eſt elementum; poſſet etiam, ut opinor, emi cognitio verborum quæ in Baptiſmatis adminiſtratione proferri debent, ſicut pretio emi poteſt Theologiæ cognitio, quia hæc omnia docere non eſt functio per ſe ſpiritualis. Pari ratione dari poteſt pecunia electoribus, ne hæreticum aut aliter indignum eligant; ſed ſecus dicendũ ſi pecunia eo fine tradatur ut omiſſo indigno vel minus digno, eligatur dignior ſaltem in particulari, de quo vide Bonacin. hic punct. 5. n. 12. & Suar. c. 50. n. 36. Licitum etiam pecuniam dare Tyranno, Judæo, vel Hæretico, ne Euchariſtiam aut Reliquias conculcent, quia non emitur earum cultus ut ſic, ſed vindicatur & redimitur injuſta vexatio. Bonac. ubi ſup. punct. 4.

5. In re tam periculoſa recurrendum eſt ad Superiorem, ſi ad eum pateat acceſſus. Ita cenſent graves Theologi, & ſic ſtatuerat S. Carolus Borromæus, prohibens ne quis ipſo inconſulto redimeret

meret injuſtam vexationem; tùm quia ſæpe injuſta videtur quæ juſta eſt; tùm quia Superior ut parer communis poterit litem componere, & ſic omnem ſimoniæ ſuſpicionem removere.

ARTICULUS III.

De munere Simoniaco.

PRetium, ſeu munus ſimoniacum, eſt illud quod pro re ſpirituali traditur, eſtque triplex ex S. Gregorio Hom. 4. in Evang. Nam *aliud eſt munus ab obſequio, aliud munus à manu, aliud munus à linguâ.*

Munus ab obſequio eſt ſubjectio indebitè impenſa; ſive eſt quodlibet opus indebitum & temporale præſtitum aut præſtandum in commodum aut utilitatem alterius, ſub pacto expreſſo vel implicito, aut cum intentione acquirendæ alicujus rei ſpiritualis. Hinc Simoniaci ſunt, 1. qui Magnatum pueros ad litteras informant, ut eorum favore Beneficium conſequantur. 2. qui Vicario generali, Sacellano, vel filio Advocati Beneficium donant, ut extinguatur ſtipendium quod alioqui ſolvere tenerentur. 3. qui præſentant aliquem ad Beneficium cum pacto ut Miſſas in fundatione præſcriptas certâ die & tali horâ celebret, cùm ex Beneficii titulo locus & tempus celebrandi, Beneficiarii libertati permittantur. Ratio eſt, quia in his omnibus promittitur, datur, aut exigitur aliquid pretio æſtimabile; aut obligatur libertas, cujus obligatio pretium habet. Et verò qui hæc exigeret in materiâ mutui cenſeretur uſurarius; ergo in materiâ præſenti cenſeri debet Simoniacus.

Dixi, *opus quodlibet*, ut comprehenderem tùm illud quod honeſtum eſt, tùm etiam turpe. Dixi etiam, *opus indebitum*, quia ſi obſequium temporale quod exigitur ab eo, cui confertur Beneficium aut res ſpiritualis, annexum ſit Beneficio aut rei ſpirituali, exigi poteſt ſine ſimoniâ. Hinc qui dat Beneficium inſtitutum ut cantetur in Choro, aut ut doceatur Theologia, cum onere hæc præſtandi, ſimoniæ incuſari non poteſt; ſecùs ſi hoc onus de novo imponeretur abſque Superioris authoritate. An autem poſſit Epiſcopus conferre Beneficium alicui cum pacto ut ſibi ſolvatur ſumma debita, controvertunt Theologi. Alii affirmant, modò non anticipetur ſolutio: tùm quia non imponitur novum onus debitori; tùm quia ſi Epiſcopus dare poſſit Beneficium Clerico pauperi ut inde vivat, & ſolvat id quod aliis creditoribus debet; quidni id poſſit, ſi ipſe ſit creditor? Ita Suares c. 37. n. 18. Alii tamen negant, quia in hac materiâ pactum omne reprobatur à jure ut ſimoniacum; certè melius eſt ac tutius ab hiſce pactis abſtinere ob errandi periculum.

Dixi inſuper, *pretium temporale*, quia ſeclusâ Eccleſiæ prohibitione non committitur ſimonia ab eo qui tradit ſpirituale cum onere præſtandi aliud opus ſpirituale: ut ſi Sacerdos pro alio Sacerdote celebret cum onere ut alter pro ſe aliâ die celebret; aut ſi Epiſcopus Beneficium alicui conferat, ut zelum ejus & officia populis impenſa recognoſcat & compenſet, juxta id Apoſt. 1. ad Tim. 3. *Qui benè miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent.* Unde S. Thomas hic art. 5. *Dicendum quòd ſi aliquis Clericus alicui Prælato impendat obſequium honeſtum & ad ſpiritualia ordinatum; ... ex ipſâ devotione obſequii redditur dignus Eccleſiaſtico Beneficio, ſicut & propter alia bona opera, unde non intelligitur eſſe munus ab obſequio.* Iis tamen qui ſpiritualiter in Diœceſibus laborant, ſummoperè cavendum eſt ne principaliter beneficiorum obtentionem intendant, alioqui enim, ut ipſe docet S. Thomas quodl. 5. & 8. *ſimoniam committunt, & ita mortaliter peccant.* Sup. p. 6. Cæterùm etſi obligari ex pacto ad obſequium ſpirituale pro ſpirituali, non ſit jure naturæ prohibitum, eſt tamen penè ſemper prohibitum Eccleſiaſtico, ut probat Suares c. 32. n. 12. & ex dicendis patebit.

Munus à manu pecunia eſt: per pecuniam autem intelligitur quælibet res externa pretio æſtimabilis, ſive mobilis, ſive immobilis, ſive corporalis, ſive incorporalis, atque etiam ejus privatio, vel promiſſio & obligatio. Unde munus à manu dare cenſetur 1. qui Patrono aut Collatori debitum aut penſionem remittit; qui enim remittit, moraliter donat, & cui remittitur, accipit, ex Lege 2. ff. *De calumniat.* Unde qui ut in Canonicum eligatur, promittit Canonicis electoribus ſe remiſſurum dimidiam Præbendæ partem; aut qui volens in Parochum nominari, ſpondet ſe decimas remiſſurum, Simoniacus haberi debet. Imò non ſolùm qui propria debita, ſed etiam qui debita Eccleſiæ, vel rapinas remittere promittit, ſi Epiſcopus fiat, Simoniacus eſt, quia cenſetur aliena rapere ad donandum, & ita munus à manu confert, licet de re alienâ. Pariter juxta Suarem Simoniacus eſt qui alii ex bonis ſuis titulum conſtituit receptâ promiſſione quòd nihil exiget; aut qui bona tradit Eccleſiæ cum pacto ut in ipſâ recipiatur in Canonicum, aut qui Capellam fundat cum intentione ut ipſa ſibi conferatur, quod etiam docet Pontas hic caſ. 25. 2. munus à manu dari cenſendi ſunt qui Beneficium accipiunt ſub conditione pecuniæ mutuo dandæ, quia onus mutuum dandi temporale eſt, & interdum reputatur grave, de quo vid. Suarem cap. 38. n. 7. aut ſub conditione ut ſibi concedatur dilatio ſolutionis debiti, aut è converſo ut anticipetur ſolutio: quia dilatio ſolutionis, vel ejuſdem anticipatio continent commodum temporale, & mutuo virtuali æquivalent. 3. ejuſdem ſceleris rei ſunt qui ſolvunt expenſas à reſignante factas in conſecutione Beneficii; qui ſuſcipiunt in ſe onus reſtaurandi domum paſtoralem; qui ex pacto emunt domum & ſupellectilem reſignantis, utpote ei jam inutilem; qui debita ejus ſolvunt; qui ſpondent ſe à Patrono decimas petituros non eſſe. Idem dicendum de eo qui ſtatûs clericalis pertæſus reſignat Beneficium fratri puellæ, ut eam faciliùs in uxorem ducat, ut in reſignatario adjutorem habeat &c. Ita Habert cum aliis: & ratio eſt, quia hæc omnia pretio ſunt æſtimabilia; ad- que ſi ex pacto fiant à ſimoniaca labe excuſari non poſſunt. 4. munus à manu dat, non ſolùm qui Beneficium accipit ſub pacto ſolvendæ penſionis, (hic de penſionibus non dico, in quibus intervenit Sedis Apoſtolicæ approbatio) ſive ex beneficio, ſive aliunde, ſive Collatori, ſive alii cuilibet; ſed etiam Epiſcopus qui dando Beneficium cujus fructus ante donationem non percipiebat, reſervat ſibi vel conſanguineo partem fructuum vel penſionem, exigens prius conſenſum & acceptationem ab eo cui beneficium præbet. Ita Innocentius III. cap. unic. *Ut Eccleſiaſtica Beneficia &c.* Vide omnino Suarem cap. 38. n. 10. 5. nomine muneris à manu, intelligi poteſt omne donum quod jure poſitivo prohibitum eſt dari pro re ſpirituali: quo ſenſu beneficium pro alio beneficio ſine Superioris authoritate datum, eſt munus à manu. Ita idem Suares.

Munus à linguâ eſt favor, id eſt laus, commendatio, adulatio, preces & ſimilia quæ ex vi pacti expreſſi vel taciti linguâ exerceri ſolent in favorem illius

vel intrinſecè, ut labor qui Miſſam communi modo celebratam comitatur. Aliud demum eſt annexum *conſequenter*, quod nempe præſupponit rem ſacram, & per ſuam ab eâ dependentiam, ſpirituale reputatur: ſic temporalia Beneficii emolumenta, ut aliquid ſpirituale cenſentur, quia pendent à causâ ſpirituali, nempe à ſpiritualibus officiis propter quæ inſtituta ſunt, & retribuuntur. Vid. Suar. c. 25. Bonac. diſp. 1. q. 4. §. 12. Etſi porrò explicata ſuperiùs principia penè ſufficiant ad intelligendú quandonam in hiſce materiis committatur ſimonia, ſatius tamen judicavi de his ſigillatim diſſerere cum periculo nimiæ prolixitatis, quàm ab iiſdem abſtinere cum periculo omittendi aliquid quod iis inſervire poſſit quibus itinere tam lubrico gradiendum eſt. Sit igitur

SECTIO PRIMA.

De ſimoniâ in Sacramentis & ſacramentalibus.

PRimum inter ſpiritualia quæ ſimoniæ materia ſunt, locum habet gratia ſanctificans, ſecundum verò Sacramenta. De gratia ſanctificante hoc unum dicemus, quòd licet de jure invendibilis ſit, de facto tamen vendi poteſt, tum in concreto, ut ſi vir juſtus, pluris vendatur præcisè, quia juſtus eſt, non habitâ ratione fidelitatis ejus, ſed ſanctitatis tantùm; tum in abſtracto, ut ſi quis ſimoniacè conferat alteri non conſcii ſimoniæ, caracterem & gratiam ſacerdotalem. Unde ſi Judas Chriſtum vendidiſſet habitâ ratione unionis hypoſtaticæ, donorumve ſupernaturalium quæ Chriſto inerant, ſimoniam commiſiſſet; ſicut eam hodie committeret, qui Judæo venderet Euchariſtiam quatenus Verbum divinum continet; imò qui eam ratione ſpecierum venderet, quia ſpecies illæ ſunt res admodum ſacra.

[Suar. ſ. 10]
Et hoc, ait poſt Suarem Bonacina, diſp. 1. q. 4. militat etiamſi non conſideretur niſi valor prioris panis, quia pane per conſecrationem deſinente, deſiit ejus valor. Sed ut hic quædam ſtatuantur regulæ, quæ utpote generales, faciliùs retineantur.

Dico 1. accipere aliquid pro Sacramentis prout conſtant ex materiâ & formâ, vera eſt ſimonia. Ratio eſt, quia Sacramenta ſic ſumpta, ſunt res valdè ſacra & ſupernaturalis: ſed dare temporale pro re ſacrâ aut ſpirituali eſt ſimonia; ergo.

Dices: Saltem ex conſtanti Eccleſiæ uſu manifeſtum eſt aliquid dari poſſe pro matrimonio; quotidie enim traditur alicui pecunia ut curet Bertham alii in conjugem dari, aut Berthæ ipſi, ut ſuo matrimonio conſentiat.

Reſp. Nihil dari poſſe pro matrimonio prout eſt Sacramentum; *& ideo*, ait S. Thomas, hic a. 2. ad 6. *ſecundùm jura prohibetur, ne pro benedictione nubentium aliquid exigatur.* Sed quia matrimonium eſt *etiam officium naturæ*, cui ſua ſunt onera, ſua commoda, ſuæ in contrahentibus inæqualitates, ideo *licitum eſt* pro eo ſic ſpectato *pecuniam dare*; neque tunc fit commutatio temporalis pro ſpirituali, ſed pro temporali, ut cùm alter contrahentium dives eſt ſed ſenex, alter verò pauper & juvenis; item alter nobilis aut elegantis formæ, alter è contra: tunc enim evidens eſt non dari pecuniam pro Sacramento, ſed pro defectu naturali qui pecuniâ compenſari ſolet. Idem dic de dote, quæ non pro Sacramento, ſed pro ſuſtinendis matrimonii oneribus traditur; idem de arrhis quæ eo fine dantur, ut avertatur damnum temporale quod alter ex alterius partis mutatione pateretur. Ita Panormitanus & alii apud Suarem c. 10. n. 10. & 11.

Dico 2. Non eſt ſimoniacum vendere id quod in Sacramentis materiæ remotæ locum habere debet. Ratio eſt, quia hæc materia ſecundùm ſe, & ut antecedit actionem ſacram, res eſt naturalis, temporalis, & pretio æſtimabilis, ut patet in pane, vino, aquâ, chriſmate, oleo. An autem peractâ benedictione aut conſecratione, res eædem ſecundùm ſe ſpectatæ, & non habitâ ratione conſecrationis vendi poſſint; an v. g. Sacerdos aut Epiſcopus aliquid accipere poſſint pro aquâ aut chriſmate quo in Baptiſmo aut Confirmatione uſi ſunt, controvertunt Theologi, & fusè expendit Suares cap. 14. ubi docet ſtando in jure naturali hæc vendi poſſe, non minùs quàm vendi poſſint veſtes benedictæ, calix conſecratus, aut templa ſecundùm ſubſtantiam ſpectata. Cavendum tamen ne venditio hæc ab Eccleſiâ prohibita ſit, ut prohibita eſt venditio chriſmatis ſeu olei Catechumenorum & infirmorum cap. *In tantùm* 36. *De ſimonia*, ut notat Natal. Alexand. tom. 2. p. 52.

Dico 3. nihil accipi poteſt pro materiâ proximâ Sacramentorum, v. g. pro ablutione in Baptiſmo, pro conſignatione in Confirmatione, pro ſpeciebus conſecratis in Euchariſtiâ &c. Ratio eſt, 1. quia in jure ſimoniacus dicitur non ille tantùm qui Sacramenta, ſed etiam qui Sacramentorum actiones vendit. 2. quia eæ actiones eatenus ſolùm æſtimari & vendi poſſunt, quatenus ſunt ſacræ, quia nullam aliam habent utilitatem quàm ſpiritualem: porrò qui actionem ut ſacram vendit, ſimoniæ reus eſt.
[1. q. 1. cap 99 &c. c. 9. De ſimon.]
Idem ob eandem rationem dicendum de formâ Sacramentorum, ut notat Decoq p. 738. ex Bonacin. diſp. 1. q. 4. §. 1. Hinc ſæpe prohibitum eſt ne quid pro Baptiſmi collatione acciperetur. *Emendari placuit*, ait Concil. Illiberit. Can. 48. *ut hi qui baptizantur, nummos in concham*, id eſt in vas aquæ baptiſmalis, *ut fieri ſolebat, non mittant, ne Sacerdos quod gratis accepit, pretio diſtrahere videatur.*
[c. 9 1. c. 104.]
Nec refert, ait Natal. Alexander, an Sacerdos hujus Sacramenti miniſter, aliquid ante vel poſt ejus collationem exigat, utrumque enim ſimoniacum eſt, aut certè non longè abeſt *à turpi quæſtu*, ut alia in occaſione loquitur Synodus Tridentina.
[Seſſ 21.]
Unde cùm prava invaluiſſet conſuetudo in Mediolanenſi Provinciâ, ut infantes recens baptizati in altari collocarentur, inde compatrum muneribus redimendi, morem hunc ſuſtulit Concilium Mediolan. primum ſub S. Carolo: ubi tamen invaluit uſus ut gratis offerantur cerei cum auro vel argento, hæc recipi poſſunt, ſive in miniſtri ſuſtentationem, ſive ut pios in uſus impendantur. Ita docet S. Antonin. 2. p. tit. 1. c. 5. Fatendum tamen eſt longè melius eſſe & dignius ut nulla unquam dona recipiantur, quod in aliquâ Diœceſi cum magno ædificationis ſenſu, fieri expertus ſum. An verò qui gratis Sacramenta obtinere non poteſt, poſſit injuſtitiam hanc pecuniâ mediâ avertere, colligi poteſt ex iis quæ ſupra dicta ſunt. Satis etiam oſtenſum eſt nihil pro labore intrinſecùs annexo Sacramentorum adminiſtrationi exigi poſſe, benè verò pro eo qui extrinſecus eſt, quive homini ſuam tollit libertatem ad aliquid aliud ſibi fortè utilius eodem tempore peragendum.

At, inquies, labor intrinſecus tam poteſt æſtimari ſeorſim ab actione ſacrâ, quàm materia calicis conſecrati, ſeorſim ab ipſâ conſecratione: atqui hæc legitimè venditur; ergo & ille.

℞. Neg. maj. diſparitas eſt quòd calicis materia non ſit moraliter quid idem cum conſecratione, ſed ab eâ independens ſit; unde qui calicis conſecrationem gratis debet, ejuſdem materiam gratis non debet: at verò labor actioni ſacræ intrinſecus idem eſt moraliter cum ipſâ, & ſeorſim ab ipſâ nec utili-

tatem habet nec æſtimabilitatem. Et certè ablutio ſeu baptizatio eſt effectus poteſtatis ſupernaturalis Chriſtus Apoſtolis ſuis per hæc verba conceſſit, *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Ergo in eam neceſſariò cadit illud Chriſti præceptum, *Gratis accepiſtis, gratis date.*

Quæres quid ſint ſacramentalia, & an ſint materia ſimoniæ.

℞. nomine ſacramentalium intelliguntur tum res religioſo ritu conſecratæ, ut chriſma, oleum ſacrum, Agnus Dei, aqua benedicta &c. tum ritus quo res illæ conſecrantur, ut ſignum Crucis, inflatio &c. Ritus quo res efficitur ſacra, vocatur ſacramentale tranſiens; res verò quæ per ritum hunc ſacra efficitur, ut calix, oleum &c. vocatur ſacramentale permanens. His præmiſſis,

Dico 4. vendere ſacramentalia, tum tranſeuntia, tum permanentia, eſt ſimoniacum; permanentia tamen vendi poſſunt ratione materiæ, niſi obſtet lex eccleſiaſtica.

Prob. prima pars. Sacramentalia tranſeuntia, ſunt actiones ſacræ in ſe, quæ à poteſtate ſupernaturali procedunt, & ad finem ſpiritualem ordinantur, ut patet in benedictionibus, exorciſmis &c. atqui jure naturali prohibitum eſt vendere actiones ſacras &c.

Prob. 2. pars. Sacramentalia permanentia ſunt res ſacræ & benedictæ: ſed res ſacræ & benedictæ quatenus tales vendi aut emi non poſſunt ſine ſimonia; ergo qui eas pluris emit aut vendit quia benedictæ ſunt & ſacræ, ſimoniam admittit contra jus divinum: atque id oſtenditur ex cap. 7. *Si quis objecerit.* 1. q. 3 ubi vetatur ne res *quæ ex conſecratione proveniunt*, emantur.

Prob. 3. pars contra Canoniſtas aliquos, qui putant res conſecratas vendi non poſſe quamdiu conſecrationem retinent, ſed amiſsâ conſecratione frangendas eſſe, & tunc vendi poſſe earum materiam. Probatur, inquam, 1. ex praxi etiam timoratorum, qui calices conſecratos aliis Eccleſiis ſine ſcrupulo & reprehenſione vendunt. 2. Idem ratio docet: nam hujuſmodi rerum materia eſt ſecundùm ſe æſtimabilis, nec valorem ſuum amittit ob conſecrationem, licet non ideo novum aſſequatur; ergo res eæ ſecundum materiam ſolam conſideratæ vendi poſſunt.

Obj. 1. Ex citato Canone *Si quis objecerit*, qui vendit unum quod ſine alio ſubſiſtere non poteſt, *neutrum invenditum derelinquit*: ſed conſecratio eſſe non poteſt ſine tali materia, nec talis materia ſemel conſecrata ſine hac conſecratione; ergo qui rem vendit, vendere cenſetur & conſecrationem.

Reſp. diſt. maj. qui vendit id quod ſine alio ſubſiſtere non poteſt, id eſt quod ſpirituali annexum eſt conſequenter, utrumque vendit, conc. id eſt quod annexum eſt antecedenter, neg. Qui vendit v. g. Præbendam, vendit & officium ſpirituale cui annexa eſt Præbenda, ut infra dicemus: ſed qui vendit id quod antecedenter annexum eſt ſpirituali, non ideo vendit ſpirituale, quia annexum antecedenter ſuam propriam ſervat æſtimabilitatem cujus Eccleſia rationem haberi non prohibet, ut patet in fundo cui annexum eſt jus patronatus, quique vendi poteſt, etſi jus illud utpote ſpirituale divendi nequeat. porrò citato Canone quem alii aliter legunt & explicant, id unum prohibetur ne res ſacra, v. g. Eccleſia benedicta, formaliter quatenus talis vendatur.

Obj. 2. Res conſecrata, in humanos uſus converti non poteſt; ergo vendi aut emi non poteſt ratione materiæ.

℞. diſt. conſeq. ergo vendi non poteſt in uſus prophanos ad quos converti non poteſt, conc. ad ſacros, nego. Hinc colligit. Decoq. p. 748. res ſacras elocari poſſe; quod facilè credam de veſtibus, caſulis & aliis id genus quæ uſu teruntur, non verò de iis quæ vix teruntur, ut calices, quorum utpote tantummodo ſacer vendi non poteſt.

Obj. 3. Vel res omnes conſecratæ vendi poſſunt ratione materiæ, vel aliquæ tantum; ſed neutrum dici poteſt. Non primum, cùm quædam vendi manifeſtè prohibeantur: non aliquæ, cur enim hæ potius quam illæ; ergo nullæ.

℞. omnes vendi poſſe ſpectato ſolo jure naturali; quaſdam verò vendi non poſſe ſi jus canonicum conſideretur. Sic, inquiunt nonnulli, vendi non poteſt jus ſepulturæ, chriſma & balſamum, Eccleſia etiam ratione materiæ, agni etiam cerei imagines, medaliæ & ſimilia, quorum venditionem prohibuit Gregorius XIII. Conſtitutione quæ incipit, *Omni certe ſtudio* Verum hæc fuſiori egent explicatione, quæ antequam tradatur.

Not. per ſepulturam intelligi vel ipſum officium ſepeliendi mortuos, vel jus ſepulturæ, vel locum ſepulchri. 1. officium ſepeliendi mortuos, ſi ſumatur pro ritu religioſo qui in Chriſtianorum humatione exerceri ſolet vendi non poteſt, ut per ſe patet; ſecus, ut bene notat Sylvius hic a. 4. conc. 2. & Decoq. p. 753. ſi ſumatur pro opere civili & periculoſo, quod exercetur abſtrahendo an locus ſacer ſit, nec ne, ſicut ſepeliunt aliqui naufragos ejectos in littus, milites in præliis occiſos, cives in peſte ſublatos. 2. jus ſepulturæ, ſeu ut quis generatim ſepeliatur in terrâ ſanctâ vendi non poteſt: tum quia jus illud jam iis acquiſitum eſt quibus venderetur, ſunt enim Fideles, quæ conditio, niſi aliquid obſit, dat jus ſepulturæ; tum quia terra ſancta non eſt eorum propria à quibus venderetur, adeoque vel injuſtè vel ſimoniacè venderetur. Sylv. p. 7. 6.

Præcipua difficultas eſt de loco ſepulchri, circa quam certum eſt 1. quòd emi poſſit locus communis in quo emptor ſepeliri poſſit; tam enim id poteſt quam emi poſſit fundus in quo ædificetur templum: ſic Abraham ad Ephron Hethæo emit ſpeluncam duplicem in ſepulturam Saræ. Certum eſt 2. quod etſi ſtando in jure naturali vendi ſine ſimoniâ poſſit pars cœmeterii aut templi pro ſepultura, quia tunc non cenſeretur vendi niſi materiale templi, hæc tamen venditio tum Eccleſiæ tum Imperii legibus prohibita ſit, de quo vid. cap 41. *De ſimonia.* & L. 2. & 9. Cod. *De relig. dom.* 3. Si quis, ait Cabaſut. l. 5. c. 6. ſibi ſuiſque hæredibus velit ſepulturæ locum ita proprium acquirere, ut non ſit liberum deinceps aliorum Fidelium corpora eò inferre, tunc ratio prohibitionis à legibus factæ ceſſat, ideoque aliquid ab eo exigi poteſt: tum quia obligatio quâ ſe obſtringunt qui Eccleſiæ gerunt curam, ad non ſepeliendum alium in hoc loco, pretio æſtimabilis eſt; tum quia uſus ubique receptus ita obtinet. Et certè Fideles jus quidem habent ut in loco ſacro ſepeliantur; ſed jus illud non involvit perpetuam ſervitutem vi cujus Eccleſia non amplius de tali loco in aliorum ſepulturam diſponere poſſit. Geneſ. 131.

Sed eſt-ne ſimonia ſi pro ſepulturâ in honoratiori Eccleſiæ loco plus exigatur; item ſi plus exigatur cùm major crux aut argentea defertur; Negat Decoq. p. 754. quia, inquit, in hoc honore attenditur ſolum aliquid humani, non autem ipſa major loci ſanctitas, ad quam ſi haberetur, reſpectus, non deeſſet ſimonia, ut fatetur idem Theologus: quòd autem ſanctitas in his non conſideretur, patet quia viris nobilibus honoratiora loca conceduntur,

rit, non ut ſanctiora, ſed ut digniora; unde nemo hactenus hic ſuſpicatus eſt ſimoniæ labem. Pariter, inquit, non eſt ſimoniacum ſi major crux majori pretio deferatur, aut ſi Canonici & Clerici aliquid accipiant pro funere comitando, quia hoc vel ſpectat ad pompam funebrem, vel datur titulo ſuſtentationis, aut ratione laboris. Cenſent tamen multi praxim emendi & vendendi locum honoratiorem in Eccleſia, non ferendi majorem crucem niſi certo pretio, ſimoniacam eſſe. Ita S. Antoninus 2. p. tit. 1. c. 5. §. 22. Idem tenent Suares c. 14. n. 22. Sylveſter & alii; quia, inquiunt, locus honoratior non eſt talis niſi quia ſanctior eſt, v. g. proprior altari &c. Qui verò ſimoniam hic nullam eſſe putant, fatentur tamen optandum eſſe ut mutetur hæc Clericorum agendi ratio, utpote quæ redoleat avaritiam ejuſve ſuſpicionem, quæ procul ab Eccleſiaſticis perſonis abeſſe debet, & quæ in populorum ſcandala, tum graviora obloquia procurare conſuevit. Idem dicunt aliqui de more ſecundùm quem, cùm quis apud nos peregrinus moriens, in patriâ ſepeliri cupit, non poteſt eò cadaver hujus transferri, niſi omnibus Eccleſiis Parochialibus, per quas tranſit, ſolvantur jura parochialia: *hujus quidem conſuetudinis*, ait doctiſſimus P. Lupus & poſt eum Flor. Decoq, *juſtitiam non video uſque huc, & cupio edoceri.*

Quod ſpectat ad S. chriſma, communis eſt aſſertio non poſſe aliquid pro eo exigi ſine ſimoniâ. Ita expreſsè definiunt Alexander III. c. 16. & Innocentius III. c. 36. *De ſimonia.* Atque hic non ſimoniæ ſolum, ſed & injuſtitiæ crimen agnoſcit Suares cap. 14. n. 15. quia, inquit, Epiſcopi ex Eccleſiæ diſpoſitione tenentur gratis de hâc materiâ ſuis Eccleſiis providere. Quòd ſi fur ſubripiat chriſma, illudque tanti duntaxat vendat quanti valet ratione materiæ, non committit ſimoniam, quia non vendit niſi materiam, cujus venditio ſolis Epiſcopis prohibita eſt.

Etſi verò, ait Cabaſut. l. 5. c. 6. n. 7. vaſa ſacra, altaria, ſacræ veſtes, vendi poſſint, haud tamen vendi poſſunt Eccleſiæ: tum quia altaria portatilia, coronæ vel imagines benedictæ quibus annexa eſt indulgentia, ad privatorum dominium pertinere poſſunt, non autem Eccleſiæ, quæ ſemel Deo dicatæ publici juris ſunt tum quia jus canonicum ſpecialiter decernere videtur templa ne quidem ratione materiæ vendi poſſe aut redimi. Ita habetur c. 15. *De ſimonia.* & cit. cap. *Si quis objecerit.*

An Agni Dei, cùm benedicti ſunt, vendi poſſint ſaltem in urbe Româ, diſputant Theologi: negat Bonac. aſſerit Decoq, qui ait eos etiam benedictos palam vendi Romæ, ſed hæc nihil ad nos.

Quod attinet ad Reliquias certum eſt eſſe ſimoniam ſi vendantur, ſi non deferantur, aut Fidelium cultui non exponantur niſi dato pretio. Capſulæ tamen in quibus cuſtodiri ſolent, vendi poſſunt, modò ratione Reliquiarum nihil ampliùs exigatur, quàm ſecùndùm ſe valeant.

SECTIO SECUNDA.

De ſimonia in collatione & exercitio Ordinum.

ORdinum collationi cooperantur ordinans, ordinandus, examinatores, Notarii &c. Certum eſt 1. quod ſimoniacum ſit Ordinem conferre aut accipere mediante pecunia; quia per ordinationem confertur gratia Spiritus ſancti, cujus miniſtri ſunt, non autem venditores ii qui Clericis manus imponunt. Rarum quidem fortè eſt ut pro ordinatione accipiatur munus à manu; ſed ſummoperè vigilandum eſt ne hic irrepat munus à linguâ & ab obſequio: dum ſæpe ad Ordines admittuntur, ſeu ob amicorum preces, ſeu intuitu ſervitii præſtiti aut præſtandi, homines alioqui inepti qui ab iis perpetuò arceri deberent. Simoniaci etiam ſunt, tum *is qui* præſentat, tum Epiſcopus qui ordinat aliquem, *promiſſionem, vel juramentum ab illo recipiens quod ſuper proviſione ſua*, ſeu ut explicat Gonzales cum aliis, ſuper alimentis quæ Epiſcopus debet ei quem ſine titulo ordinat, *non inquietet eum*, & nihil ab eo poſtulet: tuncque *ordinator à collatione, præſentator verò ab executione Ordinum per triennium & ordinatus ab Ordine ſic ſuſcepto, donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam obtinere meruerint, noverint ſe ſuſpenſos*, ait Gregor. IX. c. 44. *De ſimon.*

Certum eſt 2. Epiſcopos & eorum miniſtros, gravis peccati reos ſe conſtituere, ſi munera quamvis exigua etiam ſponte oblata, non ſolum ante, ſed & poſt ordinationem recipiant. Ita cautè & ſeverè ſanxit Synodus Trid. Seſſ. 21. c. 1. *De reform. Quoniam*, inquit, *ab Eccleſiaſtico Ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe debet; nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam clericalis tonſuræ, nec pro litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacunque de cauſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi & alii Ordinum collatores, aut eorum miniſtri, quovis prætextu accipiant.* Quòd ſalubre Decretum, ait Nat. Alexand. p. 59. amplexa ſunt & promulgarunt Concilia pleraque poſt Trident. celebrata, ut Mediolan. I. Burdigalenſ. I. Toloſan. &c. unde quod S. Gregorius permiſerat, Tridentinum prohibuit, ut notat cum aliis Van-Eſpen c. 7. §. 2. Tract. *De ſimonia.*

Pergit Concilium Trident. *Notarii verò in iis tantùm locis in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi, pro ſingulis litteris dimiſſoriis aut teſtimonialibus* collationis Ordinis, *decimam tantum unius aurei partem* id eſt julium unum, ſeu ſeptem aut octo aſſes *accipere poſſint; dummodo nullum eis ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo, nec Epiſcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eiſdem Ordinum collationibus directè vel indirectè provenire poſſit... Qui ſecus fecerint, tam dantes quam accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas à jure inflictas ipſo facto incurrant.* Circa quod Decretum nota cum Proſpero Fagnan. in cap. *In ordinando. De ſimonia* 1. adhuc licitum eſſe recipere faculas ſeu candelas quæ ab ordinatis offeruntur, non tamen forcipes, pectines & mappas quæ olim à tonſurandis præſentabantur; atque id declaravit S. Congregatio Concilii. 2. Notarium cui aliquid ſalarii quantumvis modici ab Epiſcopo conſtitutum eſt, nihil recipere poſſe; quia Synodus Trid. iis tantum aliquid recipere permittit, quibus *nullum* ſalarium ſit conſtitutum; de iis porrò qui modicum ſalarium recipiunt, dici non poteſt quòd *nullum* accipiant. Vide prædictum Canoniſtam & Flor. Decoq. 3. citatum Concilii Tridentini locum, licet non loquatur expreſsè niſi de collatione Ordinum, extendi debere ita ut locum habeat in collatione Beneficiorum. Ita Fagnan ibid. n. 31. & Pirhing l. 5. tit. 3. Sect. 2.

Examinatores verò cavere debent *ne quidquam prorſus occaſione hujus examinis, nec ante, nec poſt accipiant, alioqui ſimoniæ vitium tam ipſi quam dantes incurrunt*, ait Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 18.

Quod ſpectat ad Ordinum functiones, ex dictis ſequitur ſimoniacum eſſe ſi quid pro iis accipiatur aut tradatur; & id verum eſt, non ſolù de functionibus

bus Ordinum majorum, ſed de exercitio etiam minorum. Unde ſimonia eſt ſi Acolytus ob pecuniam ſerviat Miſſæ; imo, ait Bonacina, idem militat ſi miniſterium illud fiat à Laico, quia cooperatur Miſſæ, ideoque ejus actio ſacra eſt: idem dicendum de ſæculari qui in Choro Epiſtolam canit, idipſum adhuc clarius eſt de Oſtiario, qui ex officio fores claudit, aut cuſtodit Eccleſiam. Si quis verò id ut purus Laicus faciat, non videtur ſimoniæ reus, quia hæc actio tam materialis eſt, ut ſimoniæ materia eſſe non videatur. Quod ſpectat ad Cantores & Muſicos, quos à ſimoniâ excuſat Suares, ſive ob laborem extrinſecum, ſive quia non adhibentur niſi ad ornatum cantus, probabilius videtur quod ſentiunt Wiggers, Decoq. Habert, & alii cum Bonac. actionem illorum eſſe ſimoniæ materiam: tum quia cantus ille adhibetur in cultum Dei, eſtque actus verè ſpiritualis, adeoque ex natura ſua exigit ut religiosè fiat; tum quia muſica ipſa aſſumitur ut idonea ad laudandum Deum *in voce, chordis & organo*, & ad excitandam in populis devotionem, non ad demulcendas audientium aures, quod vanum eſſet & indecens; tum quia ſæpe contingit ut muſici ſoli potiorem officii partem decantent, v. g. in Veſperis ſolemnioribus. Ergo, ait Wiggers, *monendi ſunt hujuſmodi Cantores ut accipiant temporale titulo ſuſtentationis, aut faciant gratis religionis causâ, vel potius ut abſtineant.*

Quærunt hic aliqui, quid ſentiendum de praxi in Galliis & in Belgio uſitata, qua juvenes in die Commemorationis Fidelium defunctorum, obambulant Eccleſias & Cœmeteria cum libello, rogantes ut Pœnitentiæ Pſalmos accepto pretio legant.

Reſpondet Sylvius hic art. 3. quæſt. 3. conſuetudinem hanc approbandam non eſſe, ſed potiùs extirpandam; quia quamvis abſit labes ſimoniæ, ſi non intendant vendere orationem, habet tamen ſpeciem mali. Addo quod ii juvenes ſine attentione legere ſoleant, vixque aliud quærant quàm pecuniam.

Decoq. p. 751. Idem rectè aſſerit Flor. Decoq. de abjecto eo uſu, quo alicubi Sacerdotes, non ſine ſacerdotalis Ordinis dedecore, & Fidelium ſcandalo, in Eccleſiis à populo Miſſas mendicant, quibus libentiùs porrigi deberet pecunia ut abſtinerent à celebrando.

Sed quoniam hic de Miſſæ ſacrificio ſermo recurrit, hæc imprimis corde & animo tenenda ſunt. 1. *Non poteſt Sacerdos illa intentione celebrare vel officiare, ut ex hoc pecuniam conſequatur, quia peccaret mortaliter*, licet ſimoniæ realis conſcius non eſſet, ſed mentalis tantùm. Ita S. Thom. *Opuſc. De offic. Sacerd.* 2. *facere pactionem de Miſſa celebranda, eſt ſimoniacum ſemper* ait idem S. Doctor in 4. diſt. 25. q. 3. a. 2. ad 4. Unde Concilium Toletan. an. 1323. Can. 6 prohibet *ne Preſbyter pro Miſſis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem*; licet gratè accipere poſſit id *quod charitativè ſibi oblatum fuerit, abſque pacto vel conventione quacunque.* Unde ulterius ſequitur ſimoniæ reos eſſe, qui ut victum habeant, aut Beneficio, cujus temporale præſertim attendunt, donentur, tonſuram vel Ordines recipiunt, ut fuſiùs pro-
Tom. 21, bat author Moral. Gratianop. *De ſimon.* c. 3. q 14. poſt Fagnanum. 3. Sacerdos qui *pro pluribus Miſſis plura ſtipendia quantumcunque incongrua*, & ſtipendio ab Epiſcopis taxato minora recepit, tot Miſſas celebrare debet quot ſibi *præſcripta* ſunt. Ita Urbanus VIII. in Bullâ 45. 4. ibidem *prohibetur Sacerdos qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eandem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta celebrandam committat, ita ut adminiſtratores Eccleſiæ ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum, nullam utcunque minimam portionem retinere poſſint, ratione expenſarum quas ſubeunt in Miſſarum celebratione pro paramentis, luminibus, vino, hoſtia & ſimilibus: niſi cum Eccleſia & loca ipſa alios non habent reditus quos in uſus earundem expenſarum erogare poſſint*: tunc autem portio quam retinebunt, *nullatenus debet excedere valorem expenſarum quæ pro ſacrificio Miſſæ neceſſariò ſubeunda ſunt, & nihilominus eo etiam caſu curandum eſt ut tot Miſſæ celebrentur quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynam.* Utrumque patet, tum ex cenſurâ hujus propoſitionis, quæ eſt num. 10. inter proſcriptas ab Alexand. VII. *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre &c* tum ex cenſura propoſ. 8. & 9. quarum prima ſic habet: *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem.* Secunda verò ſic eſt: *Poteſt Sacerdos cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.*

Dices: Cùm Eccleſia Miſſis onerata jam ſufficientes ſecundùm præſentem taxam fructus non recipit, licitum eſt recurrere ad Papam, vel ad Epiſcopum, pro obtinenda diminutione numeri Miſſarum; ergo à pari qui plura recepit ſtipendia quæ non ſufficiunt, poteſt ea coacervare, adeo ut taxæ per Epiſcopum conſtitutæ correſpondeant.

Reſp. neg. conſeq. diſparitas eſt 1. quod privati propria authoritate Miſſas reducere non poſſint, cùm hoc vel Papæ, vel Ordinariis ex juris diſpoſitione reſervatum ſit, ut oſtendit Pontas v. *Meſſe* caſ. 33. 2. quia Epiſcopi qui ultimarum voluntatum ſunt executores, & interpretes, meritò præſumunt defunctos non intendiſſe ut Miſſæ pro ſe in perpetuum celebrarentur, etiamſi v. g. fundi perirent: at cum ii qui eleemoſynam largiuntur, adhuc degunt in vivis, & ſuam ipſi voluntatem manifeſtant, nemo eſt qui nos ab ea exequenda, poſtquam acceptavimus, diſpenſare poſſit; unde vel acceptanda non eſt, vel implenda.

SECTIO TERTIA.

De ſimoniâ in ingreſſu Religionis.

Quæritur an à ſimonia excuſari poſſit praxis quæ plurimis in Monaſteriis invaluit, ut ab ingredientibus non ſolùm pecuniam recipiant, ſed etiam de eadem præviè ſtipulentur.

R. 1. Nihil temporale exigi poteſt pro ingreſſu Religionis in ordine ad veſtitionem aut profeſſionem, ſine ſimonia jure naturali prohibita. Ita omnes. Ratio eſt, quia ſtatus Religionis eſt res ſpiritualis, cùm per eum homo ſe Deo ejuſque miniſterio totaliter devoveat; ſed exigere aliquid pro re ſpirituali, pura eſt ſimonia. Hinc Urbanus V. Extravag. I. *De ſimonia*, authoritate Apoſtolica omnibus quarumcunque Communitatum Superioribus ſeverè inhibet, *ne ante aut poſt* receptionem, *quoſcunque paſtus, prandia ſeu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad uſum eccleſiaſticum, ſeu quemvis pium uſum alium deputata, vel deputanda, directè vel indirectè petere, vel exigere quoquo modo præſumant... illa duntaxat quæ perſona ipſa ingredientis purè & ſponte, & plena liberalitate, omnique pactione ceſſante dare vel offerre Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, domibus & locis hujuſmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi.*

cipuri. Idem ſub Innocentio III. ſtatuerunt Epiſcopi 412. in Concil. IV-Lateran. Adi Pontas v. *Simonie.* caſ. 65.

Vid. cap. 42. De ſimon.

2. Licet tamen aliquid in ingreſſu aut profeſſione exigere ratione ſuſtentationis. 1. ſi Monaſterium ſit verè egenum. 2. ſi adſit legitima intentio. 3. ſi non plùs exigatur quàm ad competentem Religioſi ſuſtentationem neceſſarium ſit.

Prob. ex S. Thom. hic a. 3. ad 4. *Pro ingreſſu*, inquit, *Monaſterii non licet aliquid exigere, vel accipere quaſi pretium, Licet tamen, ſi Monaſterium ſit tenue, quod non ſufficiat ad tot perſonas nutriendas, gratis quidem ingreſſum Monaſterii exhibere, ſed accipere aliquid pro victu perſonæ quæ in Monaſterio fuerit recipienda, ſi ad hoc non ſufficiant Monaſterii opes. Similiter etiam licitū eſt, ſi propter devotionem quam aliquis ad Monaſterium oſtendit largas eleemoſynas faciendo, faciliùs in Monaſterio recipiatur. Sicut etiam licitum eſt aliquem è converſo provocare ad devotionem Monaſterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad Monaſterium ingreſſum: licet non ſit licitum ex pacto aliquid dare vel recipere pro ingreſſu Monaſterii.* Idem docet S. Bonav. in Apologet. contra adverſarios FF. Min. q. 18. *Ubi pecunia*, inquit, *recipitur propter perſonam quam alias libenter reciperent: ſi haberent unde eam paſcerent, non videtur eſſe ſimonia, dummodo forma cum intentione concordet. Et hoc modo ſuſtinemus quod Sorores S. Claræ recipiunt pecuniam cum perſonis, quando oportet eas plures perſonas recipere, quàm de facultatibus Monaſterii congruè valeant ſuſtentari.* Idem docent SS. Raymundus, Antoninus & alii apud Nat. Alexand. p. 49. Ratio ulterior eſt, 1. quòd in eo caſu non detur temporale, dos nempe vel penſio, pro ſpirituali, ſed pro temporali, nempe pro ſuſtentatione quam Communitas egena non debet: atqui in hoc nulla eſt ſimonia. 2. Sicut in Sacramento Matrimonii licitum eſt paciſci de dote ad ferenda matrimonii onera, abſque eo quòd Sacramentum vendi cenſeatur; ita in matrimonio ſpirituali quod Religionem inter & Religioſum contrahitur, de dote paciſci licitum eſt ad ferenda ſuſtentationis onera, & quidem eo majori quo perſona recipienda, debilior eſt, aut Religioni oneroſior futura, ut ſi penè cœca ſit, morbida &c.

Dixi 1. Si Monaſterium ſit verè indigens relativè ad eum qui admitti debet: ſi enim non indigeat certò apparet quod pecunia pro ingreſſu detur, adeoque ſimoniacè. Vel enim pecunia hæc datur pro admiſſione ad ſtatum Religionis, & eſt aperta ſimonia; vel ſolùm pro ſuſtentatione, & tunc eſt ſimonia palliata: quia cùm omnia Monaſteriorum bona, undequaque proveniant, primariò ordinentur ad congruam Religioſorum ſuſtentationem, juxta leges Ordinis, & numerum eorum qui admitti debent, hinc fit ut qui qualitates habet neceſſarias ad hoc ut admittatur, nihil debeat ſecum afferre Monaſterio quod ipſi de neceſſariis omnibus poteſt & debet providere. Ergo ſi Monaſterium aliquid in hocce caſu exigat pro ſuſtentatione, illud exigit pro re quæ *conſequenter* annexa eſt ſpirituali; ergo ſimoniam committit, & ſpirituale vendere cenſetur, quemadmodum vendere cenſetur Beneficium, qui vendit jus ad fructus Beneficii; ergo peccat non modò contra jus eccleſiaſticum, ut Wiggerio placet, ſed etiam contra jus naturale. Hinc judicabis quid ſentiendum ſit de agendi ratione Communitatum quarumdam, quæ quò ſunt opulentiores, eò majores exigunt ſummas ab ingredientibus; & homines quorum virtus in pecunia tota eſt, præferunt viris pietate & ſcientiâ gravibus, qui de Religione & Eccleſiâ, ſi admiſſi fuiſſent, præclarè mererentur.

Quandonam verò Monaſterium ſatis dives cenſeri debeat ut nihil ab ingredientibus recipere poſſit, non ita præcisè determinari poteſt. Sunt qui extra arctam neceſſitatem nihil exigi poſſe putent; ſed malè, ut notat Cabaſut. l. 5. c. 5. n. 13. Æquiùs providit Synodus Trid. Seſſ. 25. c. 3. *De Regular.* cum ſanxit *in temporalibus Monaſteriorum facultatibus eam ineundam eſſe rationem; ut Monialium numerus* commodè *ſuſtentari poſſet.* Et verò S. Bonaventura, vir tum ſuâ in adminiſtratione Monaſteriorum experientia, tum ſingulari in providentiam fiduciâ commendandus, inter alias cauſas cur Religio in ſpiritu deficiat, allegat paupertatem nimiam; *ex quâ*, inquit, *Religioſi coguntur fieri proprietarii; dum ſibimet videtur quiſque providere quia ob nimiam inopiam non providetur eis in commune.*

Verùm diſſimulari non poteſt, ſæpius evenire ut Monaſteria neceſſitatem prætendant ubi non eſt neceſſitas; ut contingit, ait ſolidè Deeoq, p. 768. in illis quæ ex avaritiâ nihil pro ſufficienti habent; quæ ex nimiâ terrenarum rerum ſollicitudine cavent & reformidant ut propinqua, quæ vix unquam eventura ſunt; quæ Religioſæ paupertatis ac modeſtiæ limites tranſgrediendo, ſuperfluitatem pro neceſſitate habent; quæ ſplendidis ſumptibus ea inſumunt quæ alios in uſus à fundatoribus deſtinata erant; ut cùm pavimenta Monaſterii & Templi nitent marmoribus; altaria tument auro, & argento; parietes pretioſiſſimis picturis veſtiuntur; aulæa auro rigentia, & variâ arte elaborata propendent; horti arboribus floribuſve rarioribus excoluntur; ſtabula inhabitantur equis rarioribus; cùm hoſpites lautiori apparatu & frequentiùs excipiuntur, aut cùm eas in clauſtro dapes faſtidiunt Monachi, quas inhiabant olim ſæculares. Hæc quæ Laicos ipſos ſæpe ſcandalizant, quomodo Deo probari poſſent; Fateor tamen cum aliis, in determinandâ Communitatum commoditate penſari debere omnes loci, temporis, ac perſonæ circumſtantias, & attendi debere non ſolum præſentem, ſed etiam futurum Monaſterii ſtatum, & mala ſeu infortunia probabiliter eventura. His benè ponderatis, facilè intelligetur quando poſſint Superiores aliquid exigere vel non: ſi enim non computatis impenſis ſuperfluis, vacet aliqua in Monaſterio ſedes, & in Religionem offerat ſe filia quæ vocationis indicia præbeat, debet hæc etiam ſine dote admitti: ſi verò nulla ſedes vacet, & aliqua recipi ut poſtulet ſupernumeraria, tunc repelli debet ſi dotem non habeat, quia alioqui gravaretur Monaſterium: ſi verò dotem afferat recipi poterit; hæc enim Concilii Trid. verba Seſſ. 25. c. 3. *De Regul. In Monaſteriis tam virorum quàm mulierum... is tantum numerus conſtituatur,... qui vel ex reditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commodè poſſint ſuſtentari*; hæc, inquam, verba ſatis implentur à Monaſteriis, quæ cùm non habeant ſufficientes reditus ad victum noviter poſtulantium, requirunt ab eis contributiones, quarum præſidio poſſit eis Monaſterium commodè victum ſubminiſtrare: quia cum illa nova contributio inter Monaſterii facultates computetur ſequitur per novas illas admiſſiones in Religionem, nullatenus excedi numerum earum quæ ex reditibus Monaſterii, aut ex conſuetis eleemoſynis ali poſſunt. Ita Cabaſut. ubi ſup. n. 18. & ante eum Navarrus, Suares &c.

Dixi 2. Si adſit debita intentio, ex parte ſcilicet

tum eorum qui dant, tum eorum qui recipiunt pecuniam, qui ſic diſpoſiti eſſe debent, ut ſi locus inops non eſſet, nullam exigerent dotem. Hinc poteſt ſine ſimoniâ Communitas etiam dives accipere munera quæ ſpont. & gratis offeruntur à poſtulantibus, modò purè offerantur, non autem ut Superiores ad receptionem alacriores fiant, quod valdè cavendum eſt, & ex circumſtantus definiri debet. Vid. Pontas *Simonie* caſ. 64.

Dixi 3. Si non plùs exigatur quàm congruæ ſuſtentationi neceſſarium ſit; quia poſitâ congruâ ſuſtentatione, quod ſupereſt exigi nequit niſi titulo Religionis, quod eſt ſimoniacum. Ita Doctores communiter. Hinc colliges cum Navarro & Decoq, quid dicendum ſit de exactione conviviorum, prandiorum, donorum quæ Superioribus offeruntur, & ſimilium quæ ſi ex pacto expreſſo vel tacito fiant, à gravi culpâ excuſari nequeunt.

Porrò ſanxit Ludovicus Magnus anno 1693. ut Monaſteria Pariſiis conſtituta, quingentas tantùm vitalitiæ penſionis libellas recipere poſſent; quæ verò extra Pariſios ſita ſunt, 350. libellis contenta eſſent. Vid. Pontas ibid. caſ. 65. in fine.

Quæres an pro victu Novitiorum & Noviriatum poſſit congrua penſio recipi per totum probationis annum.

Reſp. Cum Nat. Alexand. p. 50. & aliis, fieri id poſſe, quia Novitii non habent jus ut alantur ex communibus Monaſterii bonis, niſi fiant Communitatis membra; porrò non fiunt membra Communitatis, niſi cùm eidem ſe profeſſione ſolemni alligant. Idem docet Trident. Seſſ. 25. c. 16.

SECTIO QUARTA.

De ſimoniâ in Beneficiis, permutationibus &c.

QUamvis annexum ſpirituali triplex ſit, ut ſupra viſum eſt, non loquemur tamen hic niſi de annexo conſequenter, quo nomine intelliguntur præcipuè Beneficia; nam ex dictis facilè colligitur quid de aliis ſentiendum ſit.

Dico itaque 1. beneficia, etiam ratione temporalis emolumenti ſpectata, ſunt materia ſimoniæ; unde ſimoniaci ſunt qui pro adipiſcendo, vel conferendo beneficio dant aliquid temporale.

Prob. 1. Ex jure Canonico, titulo ferè toto *De ſimoniâ*.

Prob. 2. Quod pendet à ſpirituali tanquam accessorium à principali, vendi non poteſt ſine ſpirituali: atqui beneficium, prout etiam in fructibus temporaneis conſiſtit, pendet à ſpirituali tanquam acceſſorium à principali, fructus enim non dantur niſi propter officium; ergo beneficium prout etiam aliquid temporale importat, vendi non poteſt quin ſimul vendatur ſpirituale; ergo vendi non poteſt ſine ſimoniâ.

At, inquies, non minùs ea quæ ſpirituali conſequenter annexa ſunt, poſſunt vendi, quàm quæ annexa ſunt antecedenter: atqui hæc vendi poſſunt: ſic vendi poteſt fundus cui annexum eſt jus patronatûs, modo nihil pro ipſo jure patronatûs exigatur; ergo.

Reſp. neg. maj. Diſparitas eſt, quòd annexum antecedenter ſpirituali, præcedat ipſum ſpirituale, ſitque veluti principale reſpectu acceſſorii, adeoque per ſe & præciſè ſpectari poteſt, & ut tale pretio æſtimari: at annexum ſpirituali conſequenter, à ſpirituali pendet tanquam acceſſorium à principali; ergo non magis vendi poteſt quàm ipſum principale, cùm acceſſorium ſequatur naturam principalis: quia tamen Eccleſia liberè conjunxit hoc temporale ſpirituali, ita & illud ſeparare poteſt, ſive ut iis ſubveniat qui ſibi utiliter miniſtrant, aut miniſtraturi ſunt; ſive ad ſuſtinenda quædam Reipublicæ onera, quæ pro virili impendere aliquando debent Clerici, utpote ejuſdem Reipublicæ pars nobiliſſima. Ita Mag. Grandin & Habert poſt Bonacin. diſp. 1. q. 4. §. 11. & Suarem cap. 24. quos conſule.

Dico 2. Permutare beneficium cum alio, ſi fiat propriâ authoritate, ſimoniacum eſt ſimoniâ jure Eccleſiaſtico prohibitâ.

Prob. Quia ex cap. ult. *De pactis. in ſpiritualibus*, qualia ſunt Beneficia, *omnis pactio, omniſquè conventio debet omnino ceſſare*: atqui permutatio non celebratur ſine pacto. Permutatio enim eſt quidam contractus *do ut des*; omnis autem contractus eſt pactio. Ratio autem cur Eccleſia omnes in beneficiis pactiones prohibuerit, fuit periculum, ſuſpicio & occaſio ſimoniæ, aliaque incommoda quæ ſecuta fuiſſent facilitatem permutandi propriâ authoritate.

Quòd autem ſimonia hæc jure ſolùm poſitivo prohibeatur, patet quia ad ſimoniam contra jus divinum, requiritur traditio temporalis pro ſpirituali: atqui id locum non habet ubi ſpirituale ſimpliciter traditur pro ſpirituali. Qui ergo permutant, violant quidem jus Eccleſiaſticum, quod prohibet ne Beneficia ab alio conferantur quàm à legitimo Superiore; ſed tametſi violatione hâc ſacrilegi fiant, & juriſdictionis alienæ uſurpatores, non ideo Simoniaci ſunt, quia non emunt ſpirituale pro temporali.

Hinc inferes cum Bonacinâ, ſimoniam committi in commutationibus actionum quæ ad Beneficiorum proviſiones pertinent, ut ſi quis dicat: Tu elige, aut confirma hunc, & ego eligam illum; Tu huic beneficium confer, & ego hunc confirmabo; vel, Hunc præſentabo ad beneficium pendens à jure meo patronatûs, ſi tu beneficium meum ſimplex mihi renuntiaveris; vel, Ego do tibi beneficium, ut cedas præſentationi de te factæ ad aliud. Ratio eſt 1. quia, ut ſæpius dictum eſt, pacta omnia in materia beneficiorum prohibita ſunt. 2. quia licet in his omnibus videatur actio ſpiritualis cum alterâ permutari, nihilominùs ea moraliter æſtimantur media ad lucrum temporale, & reipsâ ut plurimùm ſic intenduntur; ergo meritò ab Eccleſiâ prohibita fuêre. Vid. Suar. c. 31.

Cæterùm Superior coram quo facienda eſt permutatio, eſt Epiſcopus loci in quo ſitum eſt Beneficium. Ita omnes, & id expreſsè docet cap. 5. *De rerum permut.* & cap. unic. tit. eod. in 6. ubi duo notanda. 1. Epiſcopi nomine à multis intelliguntur ii qui licet Epiſcopi non ſint, juriſdictionem habent Epiſcopalem. Vid. ſup. pag. 404. 2. ea ſolùm permutatio ab Epiſcopo admitti poteſt, quæ eſt benificii cum beneficio, & quæ purè fit: unde permutatio beneficii cum penſione, vel beneficii cum beneficio, ſed cum onere penſionis; item cum pacto ut alter permutantium ſolus omnes ſolvat expenſas quæ ad utrumque pertinent, non valet niſi fiat coram Papâ, & ab eo approbetur.

Quæres an coram Epiſcopo fieri poſſit permutatio beneficiorum inæqualium cum penſione aut aliâ re pretio æſtimabili.

Reſp. beneficia vel ſunt inæqualia ratione dignitatis, vel ſunt inæqualia in temporalibus. Si primum, non poteſt, etiam cum Papæ conſenſu, ſuppleri exceſſus pecuniâ, aut aliâ re pretio æſtimabili; quia tunc venderetur ſaltem ex parte, ſpirituale pro temporali, quod ne à Papâ quidem ſine

crimine

erimine fieri poteſt. Si ſecundum, permutano fieri non poteſt, niſi coram Papa. Ratio eſt, quia in materiâ odioſâ, utpote quæ antiquis Canonibus contraria ſit, id ſolùm poſſunt Epiſcopi quod iiſdem jure permiſſum eſt: atqui jus oon permittit Epiſcopis ut admittant permutationes cum penſione; jus enim non loquitur, niſi de permutationibus puris & ſimplicibus : imò ſi jura quædam permiſiſſent olim Epiſcopis ut haſce permutationes cum penſione, aut aliâ re pretio æſtimabili validas facerent iis derogatum eſſet uſu jam dudum recepto à quo recedere tutum non eſſet.

Dico 3. Penſio clericalis eſt materia ſimoniæ.

Prob. Res ſpiritualis, & quæ confertur cum onere & titulo ſpirituali, eſt materia ſimoniæ, ut ex dictis patet: atqui penſio res eſt ſpiritualis... cum ei ſaltem à Pii V. temporibus, annexum ſit onus recitandi parvum B. Mariæ Officium; ergo qui eam emit iiſve acquirit mediis quæ in Beneficiorum acquiſitiooe ſimoniam inducunt, Simoniacus eſt.

Dixi *penſio clericalis*; quia penſio laicalis, vel quæ etiam Clericis, ſed ob cauſam & titulum morè naturalem tribuitur, v. g. quia pulſant organa, non eſt materia ſimoniæ, quia nec in titulo ſpirituali fundatur, nec ad functionem ſpiritualem refertur. Verum quidem eſt, quod penſio hæc, ſit portio ſumpta ex Beneficii fructibus; ſed non ideo magis eſt ſimoniæ materia, quam decimæ, quæ Laico ab Eccleſia concederentur è Beneficii alicujus fructibus decerpendæ, aut eleemoſyna quæ ex iiſdem bonis pauperi tribueretur.

Hinc ſequitur quòd penſio laicalis vendi poſſit & redimi ſine ſimonia, niſi aliqua extet in contrarium prohibitio, quod multi negant: at verò penſio clericalis, ſicut ab iis qui reſignant aut conferunt Beneficia, conſtitui non poteſt ſine authoritate Papæ, quia hancce Beneficiorum *ſectionem* vetant * Canones; ſic ſine eadem authoritate extingui & redimi non poteſt: tum quia *omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.* cap. 1. *De reg. juris.* tum quia id receptum eſt ſtylo Curiæ, qui, etiam apud nos in præſenti puocto, vim habet legis. Si tamen penſio valida non eſſet, & Beneficiarius ejus invaliditatem in exteriori foro probare non poſſet, aut id non poſſet ſine incommodo, poſſet eam propria authoritate redimere, ut docet Bonac. diſp. 1. q. 4. § 13. quia cùm penſio invalida non tam ſit penſio quam injuſta vexatio, dubio procul redimi poteſt. Penſionis validæ redemptio fit, cum Beneficiarius numerat penſionario reditus trium, quatuor aut amplius annorum, habita ætatis ratione, & jam obtento Papæ conſenſu. Sed cavendum eſt 1. ne ante reſignationem Beneficii præceſſerit pactum ullum explicitum aut implicitum de redimenda penſione; nam tale pactum aperta eſſet ſimonia ſub nomine penſionis. Ita Toletus cum aliis. 2. ne aliquid executioni mandetur, v. g. ne quid ſolvatur ante obtentum Papæ conſenſum; & ne privatim adjiciantur onera à penſione diſtincta, quæ Papæ incognita ſint, & ab eo non approbata, ut v. g. quòd penſionarius hypothecam aut cautionem det in ſecuritatem ſolutionis, vel quod teneatur ad anticipandam ſolutionem &c. Hæc enim niſi à papa approbentur, ſimoniaca ſunt; imò Juriſprudentia Magni Conſilii, & quorumdam Parlamentorum, Curiæ Pariſienſi oppoſita, non patitur ut exigantur cautiones. Vide Drapier, Tom. 2. pag. 73.

* *Vid. cap. 8. & 26 De Præbend. & Drapier t. 2. p. 59*

Quæres obiter 1. an penſionarius cujus penſio anticipata ſolutione extincta eſt, teneatur adhuc ad Officium Beatiſſimæ Virginis. 2. an penſio aſſumi poſſit in titulum clericalem. 3. quid ſentiendum de penſione conſtituta ſine cauſâ rationabili.

Reſp. ad 1. longè tutiùs eſſe ut penſionarius ille Officium ſuum recitet, pro ratâ annorum quorum anticipatas ſolutiones accepit; quia pro toto illo tempore penſionem accipere cenſetur, unde & eodem tempore virtualiter perſeverat titulus, adeoque & penſionis obligatio quæ in Officii parvi recitatione conſiſtit. Ita Suar. c. 26. n. 18.

Ad 2. negat Drapier penſiones ſacerdotalis tituli locum habere poſſe. Contrarium tenet Gracias in Tract. *De Beneſi.* 2. part. c. 5. n. 80. & id docet Trid. Seſſ. 21. cap. 2. *Patrimonium verò*, inquit, *vel penſionem obtinentes, ordinari poſthac non poſſint, niſi illi quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum &c.* Quin & Synodus V. Mediolan. ſub S. Carolo, permittit ut ordinetur aliquis ſub titulo penſionis ſibi tamdiù ſolvendæ *donec* ei *aliunde proviſum ſit.* Vide Collat. Andegav. *De Ordine* p. 294.

Tom. 2. p. 69.

Ad 3. reſpondet Card. Toletus, l. 5. c. 81. qui penſiones retinent, etiam cum diſpenſatione Papæ, ſi non adeſt legitima cauſa, ſecuri non ſunt, ſicut nec ii ſecuri ſunt qui in voto ſine cauſâ diſpenſantur: cauſa autem diſpenſationis debet eſſe utilitas Eccleſiæ cujus ſunt bona. Ita etiam Cabaſut. l. 5. c. 7. & juxta eum omnes Theologi.

Dico 4. reſignatio Beneficii pura, in manibus Epiſcopi facta, legitima eſt: ſi verò noo ſit pura & ſimplex, & fiat coram Prælato inferiore Papæ, ſimoniam continet, ratione ſcilicet pacti quod in ſpiritualibus prohibitum eſt, ut ſæpius dixi.

Hinc committit ſimoniam 1. qui coram alio quam Papa, præterquàm in raris caſibus expreſſis ſupra pag. 406. reſignat ſub conditione penſionis ſibi ſolvendæ. 2. qui facit reſignationem *reciprocam*, dicendo v.g. Reſigno Beneficium meum fratri tuo, ut tu tuum mihi vel nepoti meo reſignes. 3. qui reſignationem *triangularem* facit, ut ſi Joannes Beneficium ſuum reſignat Jacobo, ut Jacobus ſuum reſignet Petro, & Petrus ſuum reſignet Joanni. Sunt quidem qui hujuſmodi reſignationem coram Epiſcopo fieri poſſe putent, quia hic quædam eſt ſpecies permutationis, vi cujus Joannes Beneficium ſuum permutat cum Jacobo, & deinde cum Petro: ſed ut opinio hæc in praxi non teneatur, ſatis eſt ut jus non permittat coram Epiſcopis niſi permutationes ſimplices, quo nomine intelligi non poteſt reſignatio triangularis quæ tot pacta includit. 4. qui Beneficium litigioſum non ſine pluribus expenſis acquiſitum, & tandem pacificè poſſeſſum, reſignat cum pacto ut reſignatarius ſolvat expenſas. Ratio eſt, 1. quia alioqui aperir tur via & aditus ſimoniæ, dum nemo ferè Beneficia habet ſine labore & expenſis. 2. quia reſignatio hæc pura non eſt; ergo nec ab Epiſcopo purgari poteſt.

Vid. Suar. c. 35. n. 19.

Dices: Non eſt Simoniacus qui accipit aliquid pro labore extrinſeco, & ut ſe indemnem ſervet; ſed qui pro expenſis aliquid exigit. illud exigit pro labore extrinſeco &c.

Reſp. diſt. maj.... qui accipit aliquid pro labore extrinſeco, vel pro damno, ſi hæc ſubierit in gratiam eorum à quibus exigit compenſationem, conc. ſi hæc non ſubierit niſi in gratiam ſui, nego. Qui v. g. in loco diſtanti Miſſam celebrat, pro itineris defatigatione aliquid exigere poteſt, quia iter non ſuſcipit niſi in gratiam incolarum loci. Sed qui per magnos ſumptus Beneficium acquirit, nonniſi in gratiam ſui ipſius laborat, adeoque exigere non poteſt ut ille labor vel ſumptus ſibi ab alio compen-

ſetur. Imò cùm talis ſimonia contra jus divinum pugnet, & juſtitiæ ipſi adverſetur, nequidem diſpenſari poteſt à Papâ, qui in jure divino diſpenſare nequit. Ita Suares & Bonac. qui addunt poſſe tamen Papam fructus à Beneficio ſeparare, illoſque reſignanti applicare, & permittere ut à reſignatario redimantur.

Dico 5. illicita eſt & ſimoniaca omnis tranſactio quâ remittitur vel retinetur ſpirituale pro temporali.

Antequam probetur Concluſio, ootandum quòd tranſactio ſit ooeroſa conventio ſuper jure dubio & incerto ad componendam litem jam motam vel movendam. Hinc ad veram tranſactionem requiritur 1. conventio oneroſa; ſi enim eſſet omnino gratuita, ooo eſſet tranſactio, ſed potius ceſſio, condonatio, & amicabilis compoſitio, quæ ſimoniæ materia nunquam eſſe poteſt, eo ipſo quod eſt gratuita. 2. jus ſuper quo tranſigitur, dubium eſſe debet; alioquin pars jus certum habeos, non tam dici poſſet tranſigere, quam injuſtam vexationem redimere. 3. tranſactio fit in ordine ad impediendam, vel dirimendam litem; ubi enim nulla conteſtatio exiſtens aut futura, ibi nulla etiam eſt tranſactio.

Compoſitio amicabilis fit dupliciter. 1. dum altera pars jure ſuo liberaliter cedit, & deſiſtit à lite. 2. cum contendentes rem deferunt ad arbitrium prudentem cujus judicio ſe penitus adhæſuros ſpondent: utraque licita eſt, nec indiget authoritate prælati. His præmiſſis

Prob. Concluſio. Simoniaca eſt tranſactio quâ permutatur aut venditur jus ſpirituale pro re temporali: atqui hoc contingit cùm quis pro temporali remittit jus ſuum ſpirituale, vel dat temporale ut idem jus penes ſe retineat. Et id expreſsè habetur cap. 9. & 10. *De Tranſact.*

Ergo ſimoniam committunt qui accepta vel traditâ re pretio æſtimabili tranſigunt circa litem præſeotandi ad Beneficiom; vel circa poſſeſſionem Beneficii ad quod duo vel plures nominati fuêre; vel circa juriſdictionem ſpiritualem, á quâ dam pretio eximi volunt; vel circa Reliquias quæ v. g. oni Eccleſiæ ceduntur eâ lege ut aliquid alteri Eccleſiæ ſolvat ſingulis annis.

Quod ſi in tranſactione detur ſpirituale pro ſpirituali, non erit id ex naturâ rei illicitum, unde Epiſcopi qui de juriſdictione circa aliquam Eccleſiam contendunt, tranſigere ſic inter ſe poſſunt ut uni contingat juriſdictio, alteri Beneficiorum proviſio, vel ut alternatim viſitent: item qui diſputant circa res ſacras, putà Reliquias, convenire poſſunt ut Reliquiæ dividantur, vel ſi dividi aliquâ de cauſâ noo poſſint, poſſunt ſic paciſci, ut unus Reliquias de quibus controvertitur ſervet, ſub conditione ut alias ſimiles alteri donet. Ita Suares cap. 51. n. 9 Non tameo tranſigere poſſent eo modo, ut una pars haberet Reliquias, altera mediam oblationum partem: eſſet enim quædam Reliquiarum venditio, quæ ſine ſimoniâ non fit, ut poſt S. Antonin. 3. p. tit. 12. c. 8. docet Pontas verbo *Reliques*; unde in hoc caſu recurrendum eſt ad Epiſcopum.

Vid. cap. 8. de tranſact.

Etſi verò ſpirituale pro ſpirituali tranſigendo dare licitum ſit ex naturâ rei, id tamen per Canones * in materiâ beneficiali prohibetur. Undè qui litigat circa pingue Beneficium, non poteſt cum adverſario ſic paciſci ut ipſe ſervet pingue Beneficium, & tenue tradat colliiganti: ſic enim permutaret tenue Beneficium cum jure quod habet alter ad pinguius, quod privatâ authoritate fieri non poteſt: neque etiam paciſci poteſt ut ipſe retineat Beneficium, ſed ſolvat penſionem alteri; aut ſi de pluribus Beneficiis litigatur, ut ipſe hoc poſſideat, alter verò illud. Ratio toties decantata, hæc eſt, quòd pactio omnis in materiâ beneficiali ſimoniaca ſit, ſi privatâ authoritate fiat.

Cujus ergo, inquies, authoritate fieri debet hæc tranſactio in materiâ beneficiali?

Reſpondent Suares c. 51. n. 16. Bonac. §. 5 eam fieri poſſe authoritate Epiſcopi: tum quia id nullo jure prohibitum videtur, ſed potius approbatum, cap. 2. *De Tranſact.* tum quia talis tranſactio ut plurimum æquivalet permutationi; permutatio autem coram Epiſcopo fieri poteſt. Idem ſentit Pirhing, lib. 5. tit. 22. o. 7. & ii etiam docent Epiſcopom poſſe ſine ſimoniâ, ad dirimendam litem applicare uni Beneficium litigioſum cum onere ut alteri parti colliriganti penſionem ſolvat. Favet cap. 21. *De Prabendis*, & magis cap. 25. *De Tranſact.* atque id docent communiter Doctores. Ex iis tamen multi cenſent penſionem hanc non poſſe ſuper ipſo Beneficio imponi, ſeu ad vitam ejus cui aſſignatur, ſed tantùm ſuper Beneficiarii perſonâ, *ita ut ipſe defuncto, ſucceſſor ipſius ad præſtationem* penſionis *minimè teneatur*, ut habet citatum cap. 21. *De Prab.* Dicitur quidem cit. cap. 5. *De Tranſact.* quòd penſio ſine authoritate Epiſcopi conſtituta, noo excedat vitam Beneficiarii: unde à contrario ſenſu colligi videtur, eam ſi authoritate epiſcopali impoſita fuerit, excedere vitam Beneficiarii, ac proinde Beneficium ipſum afficere. Verùm in his quæ aliis juribus adverſantur, non valet argumentum à contrario ſenſu. Plura videris apud citatos authores.

CAPUT QUINTUM.

De Simoniacorum pœnis.

NOn loqoimur hic de pœnâ æternâ quæ Simoniacos omnes manet, niſi quod perrarum eſt, ſeriò reſipiſcant. De his agimus pœnis quas contra ocſarium hoc hominom genus decrevit Eccleſia. Priùs verò quàm eas ſigillatim explicemus, quædam, principiorum inſtar, ſupponeoda ſunt.

Certum eſt itaqoe 1. ex communi Caſuiſtarum conſenſu nullam ſimoniam quantumvis completam & realem, inducere ipſo facto pœnas in jure contentas, præter eam quæ eſt io Ordine, in Beneficiis & in Religionis ingreſſu: unde inferunt eum quidem graviter peccare qui ſimoniam committit in aliis præter Ordinem Sacramentis conferendis vel accipiendis, in conſecrationibus, diſpenſationibus beoedictionibus, vicariâ temporali, & ſimilibus; noo tamen ſubjacere pœnis ab Eccleſia in Simoniacos cooſtitutis, excommunicationi, v. g. ſuſpenſioni &c. quia, ut notat Sylvius, Eccleſia hos ſolùm legibus ſuis punire intendit, à quibus plus damni & ſæpiùs recipere conſuevit.

Certum eſt 2. nullas ipſo facto incurri ejuſdem juris eccleſiaſtici pœnas ob ſimoniam mentalem, aut conventionalem. Ita vulgò canoniſtæ & Theologi; & hoc infra probabimus tum ex cap. ult. *De ſimonia*, tum authoritate S. Thomæ. An autem iis pœnis ſubjaceat ſimonia ſemirealis, ſeu ex una tantùm parte completa, diſputant inter ſe Theologi. Cenſent aliqui pœnas non habere locum, ſi ſola res temporalis tradita ſit, nondum tradita re ſpirituali; è contra verò eaſdem pœnas incurri, quando tradita eſt res ſpiritualis, noodum autem tradita, ſed ſolum promiſſa res temporalis. Hæc eſt *communis ſententia*, ait Toletus l. 5. c. 93. *quam profectò... credo veriſſimam.* Eam verò probat 1.

ex

ex cap. 2. *De confeſſis*, ubi Innocentius III. damnat ſimoniæ quemdam Canonicum Bethlehem, *qui pro præſtando alterius electioni conſenſu, quingentorum* aureorum *obligationem receperat*, eumque beneficio privat. Ergo ad hoc ut incurrantur pœnæ canonicæ, ſufficit donatio ſpiritualis, & promiſſio aut obligatio rei temporalis. 2. ex ſtylo Curiæ Romanæ quæ tales pro Simoniacis habet. 3. ratione: cùm enim traditur beneficium, etiam cum pretii promiſſione, ibi veriſſima eſt venditio & emptio, ſicut in aliis contractibus humanis; ergo eſt ſimonia realis quæ pœnis canonicis ſubjacet.

Hæc tamen opinio rejicitur à multis, ut Navarro, Leſſio, Gomes, quos citant & ſequuntur Decoq p. 793. Cabaſut. ibid. c. 8. 1. quia Navarrus docet hanc eſſe praxim Curiæ Romanæ & Rotæ, ut beneficium ſimoniacè acceptum ipſo jure non vacet, nec ita proviſus, ſit excommunicatus, neque ſi in ſacris celebraverit, ſit irregularis, niſi pretium aut ſaltem pars pretii, ſoluta fuerint. Filliucius quoque, qui tot annos Romæ docuit & ſcripſit, affirmat pariter hanc eſſe Romanæ Pœnitentiariæ praxim; unde patet ſolutio ad 2.

Sylv. p. 721. 2. Quia, ut notat Sylvius hic art. 6. non magis perfectæ ſunt emptio & venditio quando traditum eſt ſpirituale, & non temporale, quàm dum traditum eſt temporale, & non ſpirituale: atqui in hoc poſteriori caſu non incurruntur pœnæ juris, ut ipſe Toletus fatetur, & alii communiter; ergo nec in priori caſu.

3. Caput 2. *De confeſſis*, probat eos qui ſimoniæ conventionalis rei ſunt, poſſe à Judice ſpoliari Beneficiis quæ hâc viâ conſecuti fuêre, non probat autem eos ſpoliatos eſſe de facto, & ante omnem Judicis ſententiam. Et quidem tametſi ſimonia quælibet conventionalis induceret pœnas de rigore juris, ut ſentit Suares: cùm eodem tamen Theologo dicendum eſſet huic rigori juris derogatum fuiſſe, vidente & conſentiente Pontifice. En utriuſque opinionis fundamenta: prima eſt tutior; ſecunda probabilior, eique adhærendum puto: unde pro certo habendum eſt pœnas non incurri, niſi cum ſimonia completa eſt ſaltem ex parte; ac proinde ſi quis pro beneficio quod accepit, promiſerit centum aureos, & poſt menſem duos aut tres aureos ſolvat, tunc tanquam Simoniacus realis in omnes juris pœnas incidet, ut benè notat Sylvius ibidem. Imò quantumcunque exiguum ſit, id quod ſolvere incipiet, non erit immunis à cenſurâ, quia committet peccatum mortale, quod in re tanti momenti, gravibus pœnis ſubjici meretur. An eadem ſit ratio ſimoniæ confidentialis aperiemus infra.

Vid. Suar. c. 56. n. 31. & 33.

Quæres an, quando ſimonia priùs incompleta, completur v. g. per pecuniæ traditionem, cenſura retrotrahatur, id eſt incurratur non ſolùm à puncto traditionis pecuniæ, verùm etiam à die quo promiſſa eſt.

Reſp. negat. 1. quia cenſura non incurritur niſi cùm completur crimen ſub cenſurâ prohibitum, atqui crimen ſub cenſurâ prohibitum, completum non erat pro tempore præterito; ergo. 2. quia ſi cenſura retrotraheretur, Sacerdos qui ante completum ſimoniæ crimen celebraſſet, & non celebraſſet ex quo illud complevit, afficeretur irregularitate quæ ab iis incurritur qui in excommunicatione celebrant: atqui hoc ne ipſi quidem adverſarii admittunt; ergo. Ita Suares c. 56. n. 34. Bonac. &c.

Certum eſt 3. triplex eſſe genus pœnarum quas Simoniacis infligunt Canones. Prima eſt pœna cenſuræ; ſecunda eſt invaliditas actûs ſimoniacè facti; tertia eſt reſtituendi obligatio; & hæ quidem pœnæ multùm inter ſe diſcrepant: cenſuræ enim non incurruntur niſi vel in Canonibus expreſſæ ſint, vel ab homine decernantur; actus verò ſimoniacè facti, ex naturâ rei invalidi eſſe poſſunt; an autem reipsâ invalidi ſint, quæſtio eſt ſuo loco pertractanda; ſed ante explicandæ ſunt ſigillatim pœnæ in Simoniacos jure canonico conſtitutæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De pœnis contra ſimoniam in Ordine & ingreſſu Religionis.

PRimò, qui ſimoniacè confert aut ſimoniacè accipit Ordines etiam minores, uno verbo *qui quomodolibet dando vel recipiendo ſimoniam in* quibuſvis Ordinibus *commiſerint, aut quòd illa fiat mediatores extiterint, ſeu procuraverint, ſententiam excommunicationis incurrunt: à quâ niſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente non poſſint abſolvi, præterquam in articulo mortis.* Ita habet Extravagans Pauli II. an. 1464. quæ eſt ſecunda de ſimoniâ. Idem docet communior & verior opinio de iis qui ſimoniacè tonſuram contulerint; hæc enim in ſacris Canonibus vocatur Ordo, ut patet ex cap. 11. *De ætate & qualitate &c.* unde irregularitas quæ Ordinum ſuſceptionem impedit, impedit etiam ne prima tonſura ſuſcipiatur, ut vulgo docent Theologi in Tract. *De irregularitatibus*. Vid. Bonac. q. 7. §. 2.

Secundò, ordinans & ordinatus ſunt ſuſpenſi; ordinans quidem à collatione *quorumcunque Ordinum, atque adeo ipſius primæ tonſuræ, & ab executione omnium munerum pontificalium*, v. g. à conſecratione altarium, benedictione veſtium ſacrarum &c. tum ex citatâ Extravag. tum ex Bullâ Sixti V. * quæ incipit *Sanctum & ſalutare*, ubi etiam Epiſcopus *ab ingreſſu Eccleſiæ* interdicitur. Quòd autem ſimoniæ hujus etſi occultæ abſolutio reſervatur Papæ, non eſt receptum præſertim in Galliis, ut notat Habert. * an. 158

Ordinatus verò eſt *ſuſpenſus ipſo jure*, ut docet ſanctus Thomas hic ar. 6. ad 1. Neque ſolùm ſuſpenſus eſt ab executione Ordinis quem ſimoniacè ſuſcepit, ſed & ab eorum etiam exercitio quos ante ſine ſimoniâ ſuſcepiſſet. Ita Theologi omnes, ut notat Leſſius, qui in oppoſitam partem propendet. Unde ſi alicujus Ordinis functiones exerceat, fiet irregularis, etiamſi ſimonia nondum ſit realis & completa, ac proinde nondum ſit excommunicatus, ut notat Suares cap. 56. nu. 32. & 33. Atque id colligitur ex cap. penult. *De ſimonia*, ubi ordinatus cum promiſſione dandi temporale ſuſpenditur *ab Ordine ſic ſuſcepto, donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam obtinere meruerit.* Ubi autem Bulla Sixti V. non eſt quoad hoc recepta, poteſt Epiſcopus ex conceſſione Concilii Trid. Seſſ. 24. cap. 6. abſolvere ab omnibus cenſuris Simoniacos quorum crimen occultum eſt; unde in Galliâ Epiſcopi ſimoniacè ordinatos ad Ordinum executionem rehabilitant, ut notat Pontas v. *Diſpenſe de ſimonie.*

Quæres 1. an etiam ſuſpenſus ſit ab Ordinum executione, qui ſimoniam ignoravit.

Affirmat S. Thomas hic a. 6. ad 3. *Si verò*, inquit, *eo, nec volente, nec ſciente, per alios alicujus promotio ſimoniacè procuratur, caret Ordinis executione.* Et certè Paulus II. citato ſæpius loco, abſque diſtinctione ſuſpenſos declarat eos omnes qui ſimoniacè ordinati ſunt. Adde quòd ut ait S. Thomas ibid. *Nullus poteſt licitè retinere id quod contra voluntatem Domini acquiſivit.... Dominus*

autem cujus Eccleſiarum Prælati ſunt diſpenſatores & miniſtri, ordinavit ut ſpiritualia gratis darentur. Idem docent Nat. Alexand. p. 56. Pontas *Simoniæ* caſ. 39. & alii apud eum.

Hæc tamen opinio à multis rejicitur. 1. quia ſuſpenſio pœnalis, qualis ea eſt de quâ hic agitur, non poteſt incurri ſine culpâ: porrò non eſt in culpâ qui neſciens ordinatur ſimoniacè. 2. quia Paulus II. eos tantum ſuſpenſos eſſe declarat, *qui ſimoniacè ordinati fuerint*: atqui is ſolùm ſimoniacè ordinatur, qui ordinatur committendo ſimoniam; ſicut is ſolùm ordinat ſimoniacè, qui committendo ſimoniam ordinat. 3. quia juxta regulam generalem & ab omnibus receptam, leges odioſæ & pœnales reſtringi potiùs debent, quàm ampliari. 4. ſi ſimonia Epiſcopi eſſet mentalis tantùm, Ordo nihilominus conferretur contra voluntatem Dei; & tamen qui ſic ordinatus fuiſſet non eſſet ſuſpenſus ex ipſo S. Thomâ; ergo ratio S. Doctoris inſufficiens eſt. Adde quòd ordinans ſimoniacè dat quidem Ordines contra voluntatem Domini, ſicut qui adminiſtrat Sacramenta in ſtatu peccati mortalis, ea contra Domini voluntatem adminiſtrat; ſed qui ea recipit, & miniſtri malitiæ conſcius non eſt, eadem Deo approbante recipit, adeoque ſecundùm ejus voluntatem. Hæc opinio ut verior tenenda eſt, eamque docent Suares, Leſſius, Bonac. Cabaſ. l. 5. c. 8. nu. 3. nec diſſentit Habert. Sed hic nota cum Pirhing l. 5. tit. 3. num. 163. eum qui ordinatur non ſimoniacè ab Epiſcopo quem ſciebat jam antea Simoniacum eſſe, ſuſpendi ab Ordinum ſuorum exercitio.

Quæres 2. an iiſdem pœnis ſubjaceant qui ſimoniam admittunt in cæteris quæ ad Ordines ſpectant, v. g. qui aliquid dant pro ſigillo, litteris dimiſſorialibus &c.

Affirmant alii, quia Synodus Trid. Seſſ. 21. c. 1. *De reform.* poſtquam prohibuit ne quidquam pro his omnibus accipiatur, ſic concludit: *Qui ſecùs fecerint, tam dantes quàm accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas à jure inflictas ipſo facto incurrant.*

Alii tamen negant, quia Concilium confirmat duntaxat pœnas veteri jure inflictas, non autem novas inducit, alioquin id clariùs explicuiſſet cùm agatur de pœnâ valdè gravi, & durâ pro tali delicto: atqui jure veteri non decernuntur pœnæ contra eos qui pro ſigillo &c. aliquid dederint. Et idem cenſeo, ait Suares, de Notario & ſimilibus. Imò ſi Epiſcopus purè Ordinem dedit, licet poſtea aliquid gratis oblatum accipiat, & peccet contra Concilii Trident. præceptum, non tamen cenſuræ huic obnoxius erit. Ita Suares c. 56. n. 5. Leſſius l. 2. c. 35. Decoq. p. 793.

Alii verò cum Bonacina diſp. 1. q. 7. §. 2. n. 15. cenſent eum qui tradit aliquid pro dimiſſoriis, vel pro ſigillo ante conſecutionem Ordinum, vel etiam poſt, ex prævio tamen pacto, excommunicari, quia hæc actio includit ſimoniam ſaltem juri canonico contrariam, & quæ ad Ordines refertur; & conſequenter punitur excommunicatione latâ contra Simoniacos in Ordine: ſecùs ſi tradatur aliquid poſt Ordinum collationem, abſque prævio pacto; quia hoc non eſt propriè committere ſimoniam in Ordine, jam ut ſupponitur, gratis collato & recepto.

Quod ſpectat ad ingreſſum Religionis, Urbanus IV. aliàs V. Extravag. *Sanè 1. De ſimon.* ſanxit ut *tam dantes quàm accipientes* aliquid pro Religionis ingreſſu, *ſi ſint ſingulares perſonæ, excommunicationi, ſi verò ſit Capitulum, vel Conventus, ſuſpenſionis ſententiis eo ipſo* ſubjaceant: *a quibus, præter quàm in mortis articulo, abſolvi nequeant abſque Sedis Apoſtolicæ licentiâ ſpeciali.*

2. Simoniacè profeſſos in arctius Monaſterium detrudendos eſſe præcipiunt varii Canones, poſt ſententiam utique Judicis, quâ convicti & condemnati fuerint, ut notat Æthica amoris p. lxxxv.

3. Monaſterium reſtituere tenetur id quod ſimoniacè accepit, quidquid illud ſit. Ita fert cap. *Veniens* 19. *De ſimon.* Sed Extravag. 1. *De ſimon.* longè poſterior Conſtitutione *Veniens*, eidem derogat, & concedit ut perſona in Monaſterium pretio ingreſſa ibi permaneat, & quod ab eâ exactum fuerat, retineatur in Monaſterio, modò impendatur in communem Monaſterii uſum, non verò in particularem Superiorum. Ita Cabaſut. l. 5. c. 9. num. 3.

Hic obiter notandum, aliquos eſſe qui ſentiant Conſtitutionem Urbani IV. à Martino V. ac deinceps ab Innocentio VIII, & Clemente VII. revocatam fuiſſe in eo quod ad excommunicationem contra Moniales pertinet. Ita S. Antoninus, Leſſius c. 35. dub. 23. num. 131. Cabaſut. l. 5. c. 5. n. 13. ubi non negat Extravagantem Urbani V. in ſuo robore perdurare circa Conventus & Monaſteria virorum.

Sed quia, verba ſunt Sylvii a. 6. quæſt. 2. concl. 5. eam Bullam Martini V. & ſic de aliis, non reperimus, neque ullus eſt, quantùm quidem ſciri poteſt, qui aſſerat ſe eam legiſſe vel vidiſſe, ideo ſi Moniales veram ſimoniam committerent in alicujus ad ſuam Congregationem admiſſione; non credimus quòd excommunicationem evaderent, niſi fortè per ignorantiam aut bonam fidem poſſent excuſari. Idem docent graves viri quos citat & ſequitur Pontas *Simoniæ* caſ. 49. qui prudenter notat v. *Religienſe* caſ. 8. Moniales teneri ad acquirendam cognitionem ſimoniæ quæ in ſtatûs monaſtici ingreſſu committi poteſt, cùm ex l. 178. ff. *De diverſis reg. jur. imperitia culpæ adnumeretur.*

ARTICULUS II.

De pœnis contra ſimoniam in Beneficiis.

1. QUi dat ſimoniacè Beneficium, præſentando, eligendo, poſtulando, conferendo, &c. ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrit, à quâ nonniſi à Papâ præterquam in articulo mortis abſolvi poteſt. Ita Paulus V. cit. Extravag. Idem dicendum de mediatoribus, & de iis qui Beneficium hac arte comparavêrunt.

Sed quæritur quid intelligatur nomine Beneficii, cujus occaſione cenſura hæc incurritur.

Reſp. 1. Non intelligi penſionem: unde qui eam dant aut accipiunt ſimoniacè, huic cenſuræ non ſubjacent, quia penſio non eſt Beneficium; & pœnæ non ſunt ultra caſus jure expreſſos ampliandæ. Ita Cabaſut. Idem dicit Bonac. de vicariâ temporali, quia nec ipſa Beneficium eſt.

Reſp. 2. Probabilius videtur Prælaturas Regularium v. g. Abbatum, Priorum, Guardianorum, Provincialium aut Generalium, quæ non conſiſtunt in commiſſione ad nutum revocabili, ſed per electionem, aliamve providendi rationem, alicui tanquam munus ordinarium deferuntur, inducere ſimoniam ſub excommunicatione vetitam, nullitatem actûs, & obligationem dimittendæ ſuperioritatis. Ita Cajetanus, Suares *De cenſuris* diſp. 22. ſect. 5. & alii quos ſequitur Cabaſut. l. 5. c. 8. nu. 5. 1. quia eæ Prælaturæ non immeritò inter Beneficia recenſentur. 2. quia Extravagans Pauli II. haſce ſuperiorita-

tes perſpicuè receoſet inter ea quæ ſi ſimoniacè tractentur, excommunicationem inducunt; ſic enim habetur ibid. *Per electiones verò, poſtulationes, confirmationes, proviſiones, ſeu quaſvis alias diſpoſitiones, quas ſimoniacâ contigerit labe fieri, & quæ viribus omninò careant in Eccleſiis, Monaſteriis, Dignitatibus, Prioratibus, Officiis Eccleſiaſticis, & quibuſvis Beneficiis.* Ergo ſimonia realis & completa circa Abbatias, Prioratus &c. commiſſa, prædictis pœnis ſubjacet.

2. Proviſio Simoniaci eſt nulla; unde ſimoniacè proviſus nequidem poſt 20. & ampliùs poſſeſſionis annos Beneficium reſignare poteſt, cùm illud reverà non ſit ſuum. Patet id tum ex eâdem Extravag. tum ex S. Thomâ qui ſic loquitur hic ar. 6. ad 3. *Si aliquis ſcienter & propriâ ſponte ſimoniacè accipiat Ordinem, vel Eccleſiaſticum Beneficiū, non ſolum privatur eo quod accepit, ut ſcilicet careat executione Ordinis, & Beneficium reſignet cum fructibus inde perceptis: ſed etiam ulteriùs punitur, quia notatur infamiâ, & tenetur ad reſtituendos fructus non ſolùm perceptos, ſed etiam eos qui percipi potuerunt à poſſeſſore diligenti. Quod tamen intelligendum eſt de fructibus qui ſuperſunt deductis expenſis factis cauſâ fructuum, exceptis fructibus illis qui aliàs expenſi ſunt in utilitatem Eccleſiæ. Si verò eo nec volente, nec ſciente, per alios alicujus promotio ſimoniacè procurata ſit... tenetur reſignare Beneficium, quod eſt conſecutus cum fructibus extantibus: non autem tenetur reſtituere fructus conſumptos*, niſi dinor factus ſit, *quia bonâ fide poſſedit.* Porrò nomine fructuum probabilius eſt comprehendi diſtributiones quotidianas quæ propter aſſiſtentiam in Choro percipiuntur, quia eæ percipiuntur ratione tituli qui nullus eſt: at non ita eſt de iis diſtributionibus quæ proveniunt tantùm occaſione tituli, ut ſtipendia pro Miſſarum celebratione, pro concionibus, aliiſque functionibus ad quas Simoniacus non tenebatur ratione tituli; quia hæc non à titulo ipſo derivantur, ſed ſunt potiùs ſtipendium operæ & laboris perſonalis, quàm fructus Beneficii. Bonac. q. 7. punct. 2. n. 12. Cæterùm fructus à Simoniaco etiam bonæ fidei reſtitui debent, non ſolùm à die cognitæ ſimoniæ, ſed & ab ipſo die proviſionis.

Simoniacè proviſus, inhabilis eſt ad idem Beneficium denuò obtinendum. Ita habetur cap. 27. *De ſimoniâ*, ubi negat Celeſtinus III. valere in hoc caſu Epiſcopi diſpenſationem. Sed quæritur an ſimonia privet etiam aliis Beneficiis antea ritè obtentis. 28. an reddat incapacem ad alia in futurum obtinenda.

Paſtor p 165. Reſpondet Melchior Paſtor l. 3. *De Benef.* tit. 18. n. 17. Beneficia legitimè antea obtenta, non vacare per ſimoniam ſupervenientem: tum quia pœna hæc nullibi in jure exprimitur, & pœnæ extendi non debent ab unâ delicti ſpecie in alteram; tum quia ſatis eſt ut in quo quis peccavit, in hoc puniatur, niſi aliud in jure expreſſum ſit. Hæc opinio impugnatur à Solier Paſtoris Commentatore, ſed levia ſunt ejus momenta. Cum Paſtore ſentit Cabaſut. & alii plures apud ipſum ibid. nu. 7. ſed conſentiunt iidem, quæcunque poſt excommunicationem ſimoniâ invectam acquiruntur Beneficia, necdum obtentâ diſpenſatione ac rehabilitatione à S. Pontifice, nullatenus teneri poſſe; idque patet Extravag. Pauli II. junctis Conſtitutionibus Pii IV. & Pii V. quæ quoad hoc in Galliâ vigent, ut declarat idem Paſtor. Ratio deſumitur ex incapacitate quam parit præcedens cenſura.

Ut autem non vacant per ſubſequentem ſimoniam Beneficia antea ritè acquiſita, ſic nec per eam irriti ſunt actus ante ipſam legitimè facti, ut præſentatio, electio, &c. adeoque ſatis erit ſi actus poſterior qui invalidus fuit reparetur. Quòd ſi actus primus invalidus eſſet, cæteri ſubſequentes, etiam ex ſe validi & ſine ſimoniâ facti, invalidi fierent, ut benè ſentit Leſſius.

4. Regula de triennali poſſeſſione quæ fert ut *ſi qui quæcunque Beneficia qualiacunque ſint, abſque ſimoniaco ingreſſu... per triennium pacificè poſſederint... ſuper iiſdem Beneficiis ſic poſſeſſis moleſtari nequeant* tam in petitorio quàm in poſſeſſorio. Hæc, inquam, regula, ut ex terminis patet, Simoniacis non prodeſt; unde iis tanquam intruſis lis etiam poſt triennium poteſt intentari. *V. d Drapier t. 1. p. 90.*

Sed quæritur, an hæc exceptio quæ Simoniacos à regulæ hujus beneficio excludit, adeo ſit generalis, ut includat Simoniacos etiam bonæ fidei.

Reſp. Canoniſtas nec paucos nec infimi nominis exiſtimare eum qui bonâ fide Beneficium obtinuit alieno interventu, ignorans ſimoniam pro hâc re ab altero commiſſam, juvari beneficio triennalis poſſeſſionis pacificæ, dummodo integro triennio hujus ſimoniæ notitiam non habuerit. Ita Bonac. Gomes, Rebuffus, & Cabaſut. l. 5. c. 8. n. 3. qui tamen l. 2. c. 20. n. 18. docuerat Simoniacum bonæ fidei non poſſe juvari niſi decennii poſſeſſione.

Aliis tamen tutior videtur opinio oppoſita. 1. quia ipſa regula generaliter & indiſtinctè excludit ſimoniacum ingreſſum. 2. quia cap. 26. *De ſimoniâ.* id ſatis evidenter adſtruit; unde Gloſſa in illud caput notat quòd in odium Simoniacorum, ille etiam puniatur qui culpâ caret. 3. quia opinio noſtra Juriſprudentiæ Regni magis congruit, & pluribus, ut ajunt, Arreſtis confirmata eſt; eandem tenet Pontas v. *Poſſeſſion* caſ. 1. Verùm mirari ſatis nequeo quantùm ſibi contradicat citatus Pontas, qui v. *Confidence* caſ. 2. expreſsè contrarium docet, ut intelligat Lector quantâ cum præcautione in materiis moralibus legendi ſint Theologi: nec tamen id vitio verti velim homini de Eccleſiâ benè merito, & cujus Opus plurimùm prodeſſe poteſt, magis adhuc profuturum ſi textus ab eo citari verificari poſſent. Utut ſit, ſententia Rebuffi & aliorum verior videtur. 1. quia à regulâ de triennali poſſeſſione ii ſolùm excipiuntur, qui ſimoniacè ingreſſi ſunt Beneficia: porrò ut jam alibi notatum eſt, non ingreditur ſimoniacè Beneficium, niſi ille qui ipſum ingrediendo ſimoniam committit. 2. cap. 26. *De ſimoniâ*, non ſupponit poſſeſſionem triennalem, adeoque eſt extra rem, Gloſſæ verò authoritas non eſt omni exceptione major. 3. Arreſta forum exterius dirigunt cùm inter ſe non variant, non autem forum interius. Adde quòd nulla ſatis expreſſa citentur.

Duo tamen ſunt caſus in quibus valida eſt beneficii ſimoniacè collati proviſio. 1. ſi inimicus beneficiarii pecuniam aut aliquid aliud collatori dediſſet, ut collationem irritam faceret, faciendo eam ſimoniacam, cap. 27. *De ſimoniâ.* 2. ſi providendus expreſsè contradixerit, & quantùm in ſe erat, prohibuerit ne pro nominatione ſuâ aliquid tribueretur, cap. 33. eod. tit.

Sed quid juris ſi Titius poſt contradictionem, acceptet proviſionem ſimoniacam, aut ſi ſolvat pecuniam ab aliis promiſſam?

Reſp. Ad 1. Vel Titius antequam acceptaret Beneficium, cognoſcebat ſimoniam, & tunc non videtur acceptare poſſe, quia tunc ceſſat bona ejus fides antequam proviſus ſit; vel non cognoſcit ſimoniam, niſi cùm jam omnino proviſus eſt, &

tunc

tunc beneficium ſervare poteſt, ob bonam ſuam fidem cui tunc ſuffragatur Eccleſia, ut patet ex cit. cap. 33. *De ſimon.*

Reſp. Ad 2. Vel Titius pecuniam ab aliis promiſſam, ſolvit iis quibus promiſſa eſt in pretium ſimoniæ, & tunc videtur ſimoniacus eſſe, complendo ſcilicet ſimoniam; adeoque ſubjacet omnibus Simoniacorum pœnis; vel ſolùm refundit pecuniam hanc iis qui eam in ſui ipſius gratiam jam perſolverant; & tunc vel non conſentit in factum eorum, ſed è contra; tantùmq; optat ut amici ſui nihil propter ipſum patiantur damni, & tunc nec Simoniacus eſt, nec peccat, ſicut non peccat pater qui debita à filio per ſcelus contracta ſolvit, non amore ſceleris, ſed amore filii,& ne ipſe infamis habeatur. Si verò eorundem factum approbet, tunc juxta S. Thomam *tenetur ad renuntiandum* Beneficio, *ſi forte poſtmodum pacto conſenſerit, ſolvendo quod fuit promiſſum.* Et hæc opinio ut tutior tenenda eſt in praxi, licet eam rejiciant aliqui, eo quòd aliud ſit approbare ſimoniam, aliud per ſimoniam Beneficium aſſequi.

Quæres quis poſſit tollere pœnas quas Simoniaci incurrunt.

Pœnæ eæ, ut ex dictis patet, ſunt tres, cenſura, inhabilitas ad Beneficium, & obligatio reſtituendi fructus injuſtè receptos. Cenſura modò occulta ſit, tolli poteſt ab Epiſcopo in Gallia; quia Præſules noſtri firmiter perſtitère in poteſtate ſibi à Concilio Tridentino conceſſa ab omnibus peccatis & pœnis occultis abſolvendi. Ita Pontas v. *Diſſenſe de la ſimonie*, Theologus Pictav. & alii. Verùm non ita eſt de inhabilitate ad beneficium; hoc enim ſummo Pontifici reſervata eſt, ſi ſciente proviſo commiſſa ſit ſimonia: à fortiori eidem Papæ reſervata eſt poteſtas condonandi fructus, ut notat Bail apud Pontas. Idem tenet Leſſius &c.

Si verò ſimoniacam pactionem proviſus ignoravit, & ratam non habuit, diſtinguendum eſt: vel enim beneficium de quo agitur duplex eſt, nempe Curatum aut Prælatura, vel ſimplex: ſi duplex ſit, *non poteſt Epiſcopus diſpenſare*; ſi verò *ſimplex* ſit, diſpenſare poteſt Epiſcopus, dummodò detectâ ſimoniâ, & ante Judicis ſententiam proviſus liberam faciat reſignationem in manibus Epiſcopi,& modò nullum pactum intercedat. Ita habetur cap. penult. *De electione &c.* Vide etiam cap. 27. *De ſimoniâ* & Bonac. diſp. 1. q. 7. punct. 2. nu. 19. & paulò ante punctum tertium, ubi ait idem ſentire communiter Doctores in cit. cap. *De elect.* Eadem quoque opinio eſt Haberti, Theologi Pictav. &c.

Quæres quænam pœnæ incurrantur ab iis qui ſimoniam confidentiæ committunt.

Vid. Bullam Romanum *Pii IV an. 1564. & Bull. Pii V.* Intolerabilis, *an. 1569.*

Reſp. 1. Incurrunt excommunicationem quæ ſi occulta non ſit Papæ reſervata eſt. 2. privantur beneficio per ſimoniam collato, & ad illud poſtea obtinendum fiunt inhabiles. 3. declarantur etiam inhabiles ad alia beneficia deinceps acquirenda. 4. privantur quoque beneficiis & penſionibus antea legitimè obtentis: hæc tamen pœna non incurritur ante ſententiam Judicis, ut docent Navarrus, Cabaſutius ſupra, Suares cap. 52. Pontas *Confidence* caſ. 1. 5. beneficia ſic obtenta Sedi Apoſtolicæ reſervantur, eorumque fructus à die confidentiæ percepti, Cameræ Apoſtolicæ applicantur. Verùm Sixtus V. qui Bullarum Pii V. & Pii IV. in quibus pœnæ prædictæ continentur, receptionem procuravit in Galliâ in Comitiis Aurelianenſibus, hanc beneficio tum ſimul & fructuum reſervationem ſuſtulit pro toto Galliæ Regno in Bullâ quæ incipit *Paſtoralis*, unde Ordinarii poſſunt apud nos beneficia per ejuſmodi ſimoniam vacantia conferre, perinde ac ſi reſervata non fuiſſent Sedi Apoſtolicæ. Sed cautè notandum eſt 1. excommunicationem aliaſque pœnas incurri etiam per confidentiam conventionalem, modo unâ jam ex parte ad executionem venerit, in quo confidentia graviùs punitur quàm alia quævis ſimonia in Beneficiis. Ita Cabaſutius, & alii communiter. 2. eiſdem ſubjici pœnis confidentiariam penſionis Eccleſiaſticæ receptionem, quibus ſubjacet Beneficii receptio; Bulla enim Pii IV. expreſsè complectitur *omnes & ſingulos qui Beneficia vel penſiones hoc intercedente vitio receperint.* 3. ex hoc verbo *receperint*, concludit Bonac. diſp. 1. q. 7. §. 1. eos qui reſignant ſub confidentiâ, non incurrere prædictas cenſuras, quia non recipiunt, ſed tradunt; idem docet Cabaſut. & hoc ideo fortè factum eſt, quia homines ad recipiendum procliviores ſunt quàm ad dandum.

ARTICULUS III.

De obligatione reſtituendi accepta ſimoniacè.

Dico 1. qui pretium pro re ſpirituali accepit, ipſum reſtituere tenetur, ſive tradiderit rem ſpiritualem, ſive non.

Prob. Illud reſtitui debet quod ſine juſto titulo poſſidetur; ſed quod ſimoniacè receptum eſt, poſſidetur ſine juſto titulo: poſſidetur enim vi pactionis ſimoniacæ quæ invalida eſt & nulla jure ſaltem Eccleſiaſtico.

Prob. 2. Ex cap. 11. *De ſimon.* ubi dicitur temporalia recepta pro dando aſſenſu electioni ſimoniacæ reſtituenda eſſe, *cùm ea ſine gravi ſalutis periculo retineri non poſſint*: ſed quæ retineri non poſſunt ſine ſalutis periculo, reſtituenda ſunt etiam ante omnem Judicis ſententiam; ergo.

Dico 2. pretium ſimoniacè acceptum ſemper eſt ei qui dedit reſtituendum, præterquam in materiâ beneficiali.

Prob. Jure naturali unicuique quod ſuum eſt reddi debet, niſi obſtet lex aut ſententia Judicis: atqui nulla lex prohibet ne Simoniaco reddatur id quod ſacrilege dedit, niſi ſimonia realis fuerit in materiâ beneficiali, quàm idcirco excepi; ſic enim habetur cap. 11. *De ſimon. Regem & Principes ejus debes inducere, ut ſi qua receperint a præfato Epiſcopo ut ejus electioni præſtarent aſſenſum, Eccleſiæ... reſtituant.* Ex eo autem quòd Simoniacus in Beneficio recipere non poſſit id quod illicitè dedit, non ſtatim ſequitur quòd quivis alius Simoniacus teneatur ad id perdendum quod dedit, ut univerſaliter ſentire videtur S. Thomas: pœna enim, utpote odioſa, non debet ad eos extendi qui in lege non exprimuntur.

Quòd ſi quis bonâ fide & ex ignorantiâ probabili pecuniam dediſſet, teneretur quidem Beneficium dimittere, ſed ſuâ pecuniâ privandus non eſſet: hæc enim privatio eſt pœna ſupponens culpam; nulla autem eſt culpa ubi eſt bona fides.

Dico 3. res ſpiritualis ſimoniacè accepta non eſt obnoxia reſtitutioni jure Canonico ante ſententiam Judicis, exceptis Beneficiis & rebus Eccleſiaſticis. Ita Bonac. Suares, Cabaſut. &c.

Prob. Prima pars 1 tum quia afferri non poteſt textus in quo pœna hæc ipſo facto imponatur; tum quia conſtat res alias ſpirituales, ut Sacramenta, Ordines ſacros, Religioſam profeſſionem, conſecrationes altarium, Eccleſiarum, Virginum, validè conferri, licèt ſimoniacè conferantur.

Prob. 2. pars ex citatâ toties Extravag. *Cùm deteſtabile*

teſtabile. 4. *De ſimonia.* ubi Paulus II. prohibet ne per ſimoniacam cujuſcunque Beneficii proviſionem *jus cuiquam acquiratur*, vultque eam *viribus omnino* carere: ſed illud reſtitui debet, cujus poſſeſſio nullum jus tribuit, ſed è contra viribus omnino caret; ergo.

Obj. Contra primam partem, Res acquiſita per contractum invalidum, non poteſt retineri, alioqui ſine titulo retineretur: atqui res ſpiritualis, quæcunque ea ſit, eo ipſo per contractum irritum acquiritur, quo acquiritur per ſimoniam. Et hâc de causâ paulò ante dicebamus pretium ſimoniacè acceptum, utpotè invalidè acceptum, ei qui dedit reſtituendum eſſe.

Reſp. diſt. min. Res ſpiritualis acquiritur per contractum invalidum, ex parte illius qui pretium exigit, & recipit, eſto; ex parte illius qui rem ſpiritualem recipit, nego. Ut ſolutio intelligatur, unum ſufficit, nempe ut verum ſit rem aliquam validè retineri poſſe, tametſi pretium pro eâ datum retineri non poſſit: atqui iſtud verum eſt & evidens: ſic mutuum validè recipitur à mutuatario, tametſi pretium pro mutuo non validè recipiatur ab uſurario; ſic qui ex vi teſtamenti tenetur certis puellis dotem gratis dare, & eam abſque pretio tradere noluit, tenetur ad pretii reſtitutionem, & nihilominus datio dotis valida eſt; ergo à pari.

Adde cum Leſſio dub. 30. quod nullitas contractûs efficiat quidem, ut qui v. g. Reliquias ſimoniacè accepit, debet eas reddere ſi repetantur, non autem ut eas reddere teneatur, etiam altero non repetente, aut nolente pretium refundere.

Ex dictis ſequitur fructus beneficii ſimoniacè acquiſiti, reſtituendos eſſe ante ſententiam Judicis; cùm ſic proviſus eoſdem non poſſit facere ſuos, ut decernit Paulus II. cit. Extravag. & S. Thomas ſupra. Sed tria hâc occaſione quæruntur, 1. cui reſtitutio hæc fieri debeat. 2. an ſimoniæ mediatores ad eam teneantur in defectum beneficiarii. 3. an penſio ſimoniacè acquiſita perinde ac beneficium dimitti debeat.

Reſp. Ad 1. reſtitutionem hanc fieri debere Eccleſiæ quæ præcipuè læſa fuit; aut, ſi id permittat conſuetudo, pios in uſus qui ſaltem indirectè Eccleſiæ proſint. Ita Bonac. ibid. punct. 3. diffic. 1. Docet tamen Sambovius, & poſt ipſum Pontas, licitum eſſe recurrere ad Papam, & ab eo fructuum qui nondum conſumpti ſunt condonationem obtinere. Pontas *Reſtitution* caſ. 144.

Reſp. Ad 2. mediatores ſimoniæ commiſſæ in beneficio, non ſolùm ad accepti pretii reſtitutionem teneri, ut per ſe patet, ſed etiam ad reſtitutionem fructuum quos beneficiarius accepit, vel culpâ ſuâ non percepit; ſi is reſtituendo impar ſit: mediatores enim ſunt causâ & cooperatores damni: atqui cooperatores ad reſtitutionem tenentur in defectum cauſæ principalis; ergo.

Ad 3. obligatio reſtituendi beneficii non importat juxta multos obligationem reſtituendæ penſionis, quia penſio non eſt beneficium: unde qui penſionem ſimoniacè accipit, non incurrit excommunicationem quam incurrit Beneficiarius ſimoniacus.

Cenſent tamen alii reſtituendi onus non Beneficiariis ſolùm imponi à jure, ſed & iis etiam omnibus qui rem quamcunque Eccleſiaſticam ſimoniacè recipiunt; atque id probant ex cap. *Ea quæ* 5. cauſ. 1. q. 3. ubi Urbanus II. ſic loquitur: *Quidquid ergo vel in ſacris Ordinibus, vel in Eccleſiaſticis rebus vel datâ, vel promiſſa pecunia acquiſitum eſt, nos irritum eſſe, & nullas unquam vires habere cenſemus.* Ita Habert, & hoc valdè probabile eſſe docet Bonacina ipſe, qui contrariam opinionem amplectitur: unde infert Garcias part. 5. c. 9. n. 9. juris patronatûs venditionem invalidam eſſe, illudque debere reſtitui. Ideo alibi dixit de penſionibus.

Sunt quidem qui per res Eccleſiaſticas, putant intelligi Officia Eccleſiaſtica quibus annexa eſt adminiſtratio ſpiritualis; imò qui credant Canonem *Ea quæ*, non videri generaliter uſu receptum: ſed quia ſolutiones eæ nec ſatis tutæ ſunt, nec ſatis certæ, Garciæ & Haberti opinio in praxi ſequenda videtur; hinc addidi in Concluſione, *Exceptis Beneficiis & rebus Eccleſiaſticis.*

Hic grandis exurgit quæſtio, an ſcilicet ad reſtituendum teneantur qui ſimoniam ſolùm mentalem commiſerunt, id eſt qui ſpirituale pro temporali acceperunt, aut viciſſim, ſed abſque ullo pacto implicito vel explicito. Quæſtio hæc pendet ab aliâ, utrum nempe ſimonia non religioni ſolùm, ſed etiam juſtitiæ adverſetur: ſi enim non adverſetur juſtitiæ ex naturâ rei, certum erit Simoniacos non teneri ad reſtituendũ jure naturali, ſed jure ſolùm poſitivo. Cùm ergo ex ſupra dictis pœnæ contra Simoniacos in jure Canonico latæ non cadant in Simoniacos mentales, ut communiter docent ſaniores Canoniſtæ & Theologi, conſequens erit quòd Simoniaci mentales immunes ſint ab onere reſtituendi.

Circa hanc quæſtionem varias in partes abeunt & ſcinduntur Doctores. Prima opinio eorum eſt qui Simoniacos mentales à reſtitutione eximunt, ſive eos qui pretium pro Beneficio, ſive qui Beneficium pro pretio acceperunt. Ita Cajetanus, Navarrus, Suares, Gomez, Garcias, Caboſſutus & alii quos ſequi videtur Pontas *Simonie* caſ. 44.

Secunda directè oppoſita contendit tam accipientes quàm dantes ad reſtituendum obligari, non quidem jure poſitivo, ſed jure naturali. Ita Adrianus, Sylvius hic ar. 6. Decoq p. 800. & alii non infimi nominis viri.

Tertia inter utramque media, cenſet eos qui pretium pro re ſpirituali acceperunt, teneri ad illud reſtituendum, non verò eos qui rem ſpiritualem pretio comparaverunt.

Quarta diſtinguit inter ſimoniam quæ injuſta eſt, & ſimoniam quæ ſolùm irreligioſa ſit. Primam reſtitutioni obnoxiam eſſe docet, non verò ſecundam. Ita Bonac. q. 7. punct. 3. difficult. 1. nu. 23. Suares cap. 59. n. 43. Leſſius &c.

Hæc opinio quatenus docet ea quæ ſimoniacè ſimul & injuſtè comparantur, jure naturali reſtituenda eſſe, ab omnibus admitti debet, cùm certum ſit apud omnes, juſtitiæ commutativæ violationem inducere onus reſtituendi. Unde colligo 1. pretium datum ad redimendam injuſtam vexationem in causâ ſpirituali, reſtituendum eſſe, quia acceptum eſt ab invito & injuſtè. 2. eum qui ex juſtitiâ obligatur ad certas functiones ſpirituales gratis exhibendas, ut Parochus adminiſtranda Sacramenta, Epiſcopus ad concedendas diſpenſationes, conſecrationes, teneri ad reſtitutionem pretii pro hiſce functionibus accepti; quia uterque peccat contra juſtitiam, cùm exigit pretium pro iis quæ gratis debet. 3. Prælatum qui vendit Eccleſiæ beneficia vel Officia quorum dominus non eſt, ſed diſtributor, ad reſtitutionem etiam teneri; tum quia vendit quod ſuum non eſt, tum quia hæc ex officio gratis præſtare tenetur. 4. idem dicendum de iis qui pecuniam acciperent ut dignum eligerent, & indignum prætermitterent; aut qui pretium acciperent pro Reliquiis, quæ ſecundùm ſe pretio æſtimabiles

non

non ſunt ; aut qui aliquid exigerent pro calice, chriſmate, oleo ſancto, granis benedictis, ratione conſecrationis eorum; quia hæc conſecratio & benedictio vendi non poteſt. Ita Bonacina, Suares & alii, quibus ſponte ſuffragamur. Supereſt ut examinemus, an omnis ſimonia ſimul injuſtitiam contineat: ſi enim ubicunque eſt ſimonia, ibi ſit & injuſtitia ex naturâ rei, dubio procul Simoniacus omnis etiam mentalis ad reſtituendum tenebitur, quam difficultatem hic inveſtigamus. Ex dicendis facilè colligetur quam in partem propendeamus, oppoſitæ tamen opinionis momenta proponemus, ut ii quibus noſtra non placuerit opinio, poſſint aliam ſequi.

Dico itaque, probabilis & fundata videtur eorum opinio qui ſentiunt eos qui per ſimoniam mentalem, ſine aliâ injuſtitiâ, conſecuti ſunt rem ſpiritualem, v. g. Beneficia, non teneri ad reſtituendum.

Prob. 1. ex cap. ult. *De ſimon.* quod totum refero: ſic in eo loquitur Gregorius IX. *Mandato noſtro recepto, ut cum Monachis qui per ſimoniam dato aliquo, locum in Monaſteriis ſunt adepti, ſecundùm conſtitutionem generalis Concilii diſpenſares &c.* Et infra: *Conſultationi tuæ breviter reſpondentes dicimus mandatum apoſtolicum etiam ad Abbates extendi, & reſignationes ſpiritualium & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente utrimque taliter acquiruntur, (in quo caſu delinquentibus ſufficit per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere Creatori) eos pro ſimonia hujuſmodi non teneri.* Unde ſic: Ii de quibus loquitur S. Pontifex, rei ſunt ſimoniæ mentalis, ut fatentur omnes: atqui tamen non tenentur iidem ad reſtituendum id quod ſic ab iis acquiſitum eſt; cùm iis ſufficiat ut *pœnitentiam* agant, quam & quidem *ſolam* agendo ſuo ſatisfaciunt Creatori; ergo ut cum Gloſſa concludam, talis ambitio, ſeu ſimonia *ſolâ pœnitentiâ purgatur, ſine renuntiatione.*

Reſpondent Sylvius Pontificem ſupponere præviam diſpenſationem, quâ poſitâ non mirum eſt ſi ſufficiat pœnitentiam agere.

Sed contra 1. declarat quidem Pontifex eam quam Legato ſuo conceſſerat facultatem diſpenſandi cum Monachis ſimoniacis, extendi etiam ad Abbates quorum expreſſa mentio facta non fuerat, quia Abbas etiam Monachus eſt: at nequidem inſinuat opus eſſe ut cum Simoniacis mentalibus diſpenſetur.

Contra 2. caſus in quo ſufficit ſoli Deo per pœnitentiam ſolam, adeoque ſine reſtitutione ſatisfacere, particularis eſt, & de ſolis Simoniacis mentalibus intelligitur, qui nempe ſine *nullo pacto*, & in ſolo *animi affectu* ſeu intentione, ſimoniam commiſerunt: ſed ſi loqueretur Pontifex de Simoniacis diſpenſationem aſſecutis, jam caſus ille particularis non eſſet, nec mereretur proponi, cùm nemo neſciat ipſos etiam Simoniacos reales poſſe obtentâ diſpenſatione id retinere quod ſic aſſecuti ſunt, iiſque ſatis eſſe ſi pœnitentiam agant; ergo.

Reſpondent alii, Simoniacos mentales non quidem teneri ad reſtitutionem vi juris Eccleſiaſtici; teneri tamen vi juris naturalis quod violaverunt injuſtè accipiendo id quod acceperunt.

Refelluntur, quia textus Gregorii de conſcientiæ foro loquitur: ſi enim ſatis ſit Simoniacis mentalibus Deo per pœnitentiam ſatisfacere, jam ut Deo ſatisfaciant, non tenentur ad aliud quidpiam, v.g. ad reſtituendum, reſignandum &c. & ſi ad reſtituendum adhuc tenetur jure naturali, jam falſum eſt quod iis ſufficiat *ſolam* agere *pœnitentiam.*

Prob. 2. Ex S. Thomâ hic a. 6. ad 6. *Dicendum,* inquit, *quòd quoad Deum ſola voluntas facit Simoniacum, ſed quoad pœnam Eccleſiaſticam exteriorem non punitur ut Simoniacus, ut abrenuntiare teneatur; ſed debet de malâ intentione pœnitere.* Præſcribit hic S. Doctor quid faciendum ſit in foro conſcientiæ: atqui ſolummodo dicit pœnitendum eſſe, de reſtituendi verò neceſſitate ne verbum quidem habet; ergo minùs apta videtur reſponſio Sylvii dicentis S. Doctorem ſupponere hominem hunc vi juris naturalis, reſtitutioni obnoxium remanere. Si res ita ſit, quare ergo in re tanti momenti hoc unum requirit S. Doctor, ut Simoniacum pœniteat *de malâ ſuâ intentione?*

Prob. 3. ratione. Ut ſimonia jure naturali non inducat reſtituendi obligationem, ſatis eſt ut acquiſitio Beneficii v. g. ſimoniacè facta, jure naturali valida ſit, non autem *ſtrictè injuſta*, licet illicita: atqui res ita eſt; ergo.

Majorem concedunt adverſarii & meritò, quia illud ſolùm obligat ad reſtitutionem, quod juſtitiam lædit. Prob. itaque minor: Ad validam acquiſitionem ſufficit ut qui rem habet, ſuo qualicunque in eam jure ſe ſpoliet, & illud in alterum transferat quantùm ſatis eſt: atqui hoc contingit, etiam ubi intervenit ſimonia. Nam jus quod quis habet, & transferre poteſt, ex naturâ rei abdicatur ab uno, & in alium transfertur per voluntarium utriuſque conſenſum: atqui ſimonia voluntarium hunc conſenſum non tollit; imò nec ulla eſt cauſa quæ eum impediat, aut faciat invalidum. Cauſa enim quæ conſenſum hunc annullari credunt adverſarii, eſt ipſe Deus, qui, ut ajunt, cùm præceperit ut gratis dentur, quæ gratis accepta ſunt, ſuſtulit poteſtatem ea conferendi aliter quàm gratuitò: atqui hæc ratio nulla eſt. Nam 1. Chriſtus per hæc verba, *Gratis date*, non prohibet ſubſtantiam dationis, ſed modum; ſicut per hæc verba, *Sancta ſanctis*, non tollitur ſubſtantia, ſed prohibetur ſolùm modus, ne ſcilicet ſancta indignis conferantur: atqui lex concedens actionem & prohibens modum, non irritat ſubſtantiam actionis, tametſi deſit modus, niſi modus ille ſit eſſentialis, ut v. g eſſentiale eſt matrimonio quòd traditio ſit perpetua: jam verò probari non poteſt modum dandi gratis eſſe magis eſſentialem collationi Beneficii, quam modum dandi ſanctè, ſeu dandi ſancta & dignis: hoc enim nec Chriſti verba, nec lex naturalis expreſsè declarant; ſed ſolùm requirunt dationem veram, quæ poſito partium conſenſu ponitur, modus autem, nempe donatio vel *gratuita*, vel *digna*, propter religionem ſolam exigitur. 2. ſi ſimonia ex natura rei irritaret donationem rei ſpiritualis, vel hoc faceret quatenus eſt peccatum mortale, vel quatenus eſt tale peccatum: atqui neutrum dici poteſt. Non primum, accedit enim ad erroneam Wiclefi ſententiam, juxta quam Prælatus quocunque peccato infectus, deſinit eſſe Prælatus; non ſecundum, quia non magis repugnat ſimonia cum capacitate Beneficii accipiendi aut conferendi, quàm alia peccata.

Confirm. 1. Lex naturalis tam dictat mutuum gratis eſſe dandum, quàm dictet beneficium gratis eſſe dandum: atqui tamen qui gratis mutuum non dat, verum transfert rei mutuo datæ dominium; illudque dominium acquirit qui mutuum ſoluto pretio emit, non ſecus ac ſi mutuum gratis accepiſſet, quia *modus* ille nempe non dandi gratis, non eſt contra mutui ſubſtantiam, licet aliunde prohibitus ſit. Idem patet in Sacramentis ſimoniacè collatis, quæ valida eſſe poſſunt, tametſi conferantur contra id Chriſti, *Gratis accepiſtis, gratis date*, idem etiam evidens eſt in electione digni prætermiſſo digno-

dignote, quæ valet,licet in modo ſit contra jus naturale.

Confirm. 2. Ideo juxta Sylvium collatio ſimoniaca beneficii invalida eſt, quia tunc Collator noo dat juxta commiſſionem domini, nec proinde utitur poteſtate ſibi à domino conceſsâ: atqui hæc tatio nullius eſt momenti, quia ſufficit ot Collator utatur poteſtate quam habet,licet eâ malè utatur. Si quis enim accipiat beneficium ſimoniacè collatum, quia alius eo contradicente, vel in odium ejuſdem pecuniam dedit, valet collatio, & accipiens non tenetur ad teſignandum: atqui tamen Collator qui gratis noo dedit, non dedit juxta domini voluntatem; ergo poteſt quis & validè dare, & tameo dare contra domini voluntatem.

At, inquies, Eccleſia in hoc caſu ſupplet id qood deeſt ex parte Collatoris ſimoniaci, & per ſeipſam Beneficium confert, ut ſuccurrat innocenti.

Sed 1. ſi Eccleſia innocenti ſuccurrere velit,quare ergo in aliis cæteris caſibus, is qui beneficium per ſimoniam realem alterius, & ignoranter accepit, tenetur ad reſtitutionem? Quare 2. ſimoniæ conventionalis reus, non incurrit pœnas Eccleſiæ? Quare 3. non dicetur Eccleſiam conſentire ut Simoniaci mentales peractâ pœnitentiâ ſervent id quod ſic aſſecu[illegible]unt, non quòd iis favete velit, ſicut nec Simoniacis ſemirealibus favere intendit, ſed ut majora vitentur mala quæ quotidie evenirent ſi pro culpis occultis, & proh dolor! frequentioribus, ad Superiorem quotidie recurrendum eſſet?

Prob. 4. Et factâ ſoppoſitione quòd aliquis gratia benedicta ſimoniacè emerit, ſic argumentor: Non tenetur ad reſtitutionem niſi qui contra juſtitiam peccat, & alteri injuriam facit: atqui emptor injuriam quidem paſſus eſt, ſed eam non fecit alteri: non venditori, is enim voluntariè vendidit;non Deo quia non accepit rem benedictam, Deo ut ita loquar invito quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quoad modum irreligioſum, ut jam diximus; ergo.

En bujuſce opinionis momenta, alterius momenta in Objectionibus modò proponendis reperientur.

Obj. 1. Nemo retinere poteſt id quod contra domini voluntaté acquiſivit, quantumvis illud ſibi datum fuerit à diſpenſatore: ſed qui Beneficium ſimoniacè acquiſivit, illud habet contra voluntatem Dei, qui ſolus talium eſt dominus; ergo illud retinere noo poteſt, quantumvis ſibi datum fuerit ab homine qui non eſt eorū diſpenſator.

Confirm. 1. quia non valet contractus in quo venditur aut id quod eſt invendibile, aut id cujus vendendi poteſtas à domino conceſſa non eſt:atqui talis eſt contractus quo venditur Beneficium, quod de ſe invendibile eſt, & à Deo vendi non permittitur.

Confirm. 2. quia talis contractus nec valet ut venditio, hæc enim in materiâ invendibili ſubſiſtere nequit; nec ut donatio, quæ Deo præcipiente gratuita eſſe debet.

Reſp. ad 1. diſt. maj. Non poteſt quis id validè retinere quod acqoiſivit contra voluntatem domini, id eſt domino actûs ipſius ſubſtantiam invalidante, conc. id eſt domioo ſolùm modum improbante, nego. Ad hunc ſenſum diſtinctâ minore, neg.conſeq.Sic poteſt mutuatarius uti mutuo quod per uſuram accepit, quia licet lex prohibeat ne quis ſecluſo neceſſitatis caſu uſuram ſolvat, non irritat tamen huncce contractum quoad ſubſtantiam mutui: ſic qui Ordines accepit in peccato, accepit eos contra Dei voluntatem, & tamen iis utitur ſecundùm Domini voluntatem poſtquam peccatum ſuum pœnitentiâ delevit.

Ad 1. confirm. diſt. Contractus in quo venditur id quod eſt invendibile &c.non valet quoad receptionem pretii, quia pretium recipitur pro re quæ gratis dari debebat, eſto: non valet quoad tranſlationem juris ſui in alium, nego. Solutio patet in exemplo mutui jam allato.

Dixi, *eſto*, quia hanc partem attingere nolo: tum quia noſter is de ſimoniâ labor, latiùs crevit quàm ſperabamus;tum quia hæc quæſtionis pars tantæ eſt difficultatis, ut Theologi quidam ejus ſolutionem non ab alio quàm ab ipſo Romano Pontifice quærendam eſſe credant.

Ad 2. confirm. dico contractum hunc valere prout eſt ceſſio juris in alium, cui adjecta conditio de pretio, cum turpis ſit, pro non adjectâ haberi debet: efficit quidem hæc conditio ut in modo peccetur, ſed ipſam ſubſtantiam non irritat.

Obj. 2. Eadem eſt ratio ſimoniæ mentalis, ac uſuræ: ſed uſura mentalis inducit obligationem reſtituendi,ut omnes fatentur; ergo & ſimonia mentalis.

Prob. maj. Ideo tenetur uſurarius mentalis ad reſtituendum, quia mutuandi officium gratis non exhibet, & pretium accipit tum pro re quæ non eſt pretio æſtimabilis,tum ab homine ſufficienter invito: atqui eadem injuſtitia occurrit in Simoniaco meotali,qui licet ſine pacto, neceſſitatem imponit ea emendi quæ pretio æſtimari non debent; ergo.

Reſp. Objectionem hanc, novam nobis probationem præbere in hunc modum. Eadem eſt ratio ſimoniæ mentalis, ac uſuræ mentalis: atqui per uſuram mentalem acquirens pecuniam, verè & ex naturâ rei acquirit hujus pecuniæ dominium; ergo & per ſimoniam mentalem verè acquiritur dominium Beneficii. Eſto quòd in utroque caſu qui pretium accepit, ad ejus reſtitutionem teneatur, quod hic non perpendo. Vid. Gonſalem in cap. ult. *De ſimonia*, Suarem & alios.

Obj. 3. S. Gregorius relatus cap. 115. causâ 1. q. 1. ſic loquitur: *Si quis... fraudulento munuſculo Epiſcopalem ſeu ſacerdotalem... dignitatem acceperit, & in vitâ ſuâ non ſponte reliquerit, eumque mors inſperata pœnitentem non invenerit, procul dubio in æternum peribit*: atqui per *fraudulentum munuſculum* intelligitur munus ex ſimonia mentali datum, nempe munus quod datur ſub ſpecie liberalitatis, cum reverâ offeratur affectu & intentione obtinendi ſpirituale; & ita intelligit Gloſſa.

Reſp. 1. Si textus ille loquatur de ſimoniâ mentali, dicendum erit eam ſubjacere legibus Eccleſiæ, quæ tamen non judicat de internis, ut etiam in caſu præſenti agnoſcunt adverſarii, & expreſsè docet S. Thomas loco paulò ante adducto.

Reſp. Igitur 2. Quidquid ſentiat Gloſſa, per fraudulentum munuſculum optimè intelligi munus implicitè ſaltem datum, ut quis ad Beneficium promoveatur, ita ut, quod ſæpe evenit, Beneficium hâc conditione ſatis cognitâ & acceptatâ donetur: porrò textus ſic intellectus omnino eſt extra theſim.

FINIS.

VOL V

d.p.Restauro s.n.c.

Intervento di restauro, segnatura 2-55 Vol. V

- collazione
- spolveratura
- rammendo alla piega e imbrachettatura (velina giapponese Vang 25502 e 25508)
- integrazione lacune e strappi (carta Vang 25517 e Japico 632660)
- spianamento a umido
- cucitura su 4 nervi in traccia originale (filo in cotone, corda di canapa)
- fogli di guardia struttura F (carta Vang 20231)
- prima indorsatura (carta Vang 25517)
- capitelli (lino naturale, cotone colorato)
- seconda indorsatura lino e cuoio sfiorato
- piatti (cartone fibrato tipo Avana)
- compensazioni in cartoncino durevole per la Conservazione Fabriano
- coperta in tutta pelle (capra a concia vegetale)
- doratura diretta
- collanti per operazioni di rattoppo, imbrachettatura e indorsatura Tylose MH300P al 4% e 6%
- collanti per la legatura Tylose MH300P al 6% (80%) a Plextol B500 (20%)

[redacted] by Google

Digitized by Google